J. M. J.



EX LIBRIS

A. POUGET DE S^T^- ANDRÉ

PRESBYTERI

FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, - - CAL.

FATHERS LIBRARY
PARISH LIBRARY
St. Joseph's Church.
SAN JOSE, CAL.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

ALMA COLLEGE LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH SAN JOSE Alma, California

TOMUS DECIMUS-OCTAVUS.

DE HORIS CANONICIS. — DE PURGATORIO. — CONSENSIO ECCLESIÆ OCCIDENTALIS CIRCA DOGMA DE PURGATORIO. — DE STATU ANIMARUM POST MORTEM. — DE INDULGENTIIS. — DE JUBILÆO. — DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS ET DECIMIS. — DE JUSTA BONORUM TEMPORALIUM AB ECCLESIA POSSESSIONE. — APOLOGETICA PRO JOANNE XXII DISSERTATIO. — DE JURE PRIMARUM PRECUM ET INSTITUTIONIBUS. — DE INVESTITURIS EPISCOPATUUM ET ABBATIARUM. — DE IMMUNITATIBUS ECCLESIASTICIS. — DE CASIBUS RESERVATIS.

FATHERS COLLEGE LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH SAN JOSE Alma, California

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

ALMA COLLEGE 230.4 LIBRARY M588 Alma, California

1844

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

SUAREZ.

De Horis Canonicis.

COLLET.

De Purgatorio — De Indulgentiis. — De Jubilæo.

ALLATIUS.

De utriusque Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis in dogmate de Purgatorio perpetuâ Consensione.

EUSTRATIUS *ab* ALLATIO *translatus*.

De Statu animarum post mortem, et de Precibus pro iis oblatis.

REIFFENSTUEL.

De Beneficiis ecclesiasticis, Jure patronatûs et Decimis. — De Immunitatibus ecclesiasticis.

NATALIS ALEXANDER.

De justâ bonorum temporalium ab Ecclesiâ possessione.

Apologetica pro Joanne XXII Dissertatio.

De Investituris Episcopatuum et Abbatiarum; et de Synodo Lateranensi primâ.

BINER.

De Jure primarum Precum et Institutionibus.

PAUWELS.

De Casibus reservatis.

INDEX RERUM.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

DE HORIS CANONICIS,

ET LAUDE DEI PER CANTUM ET PSALMODIAM.

(AUCTORE F. SUAREZIO.)

Diximus de oratione vocali in communi, et ut privatè fit; superest dicendum de oratione per se publicâ, id est, quæ in personâ totius Ecclesiæ funditur; nam ex hoc induit peculiarem obligationem ex instituto Ecclesiæ, multasque proprietates habet, quæ specialem considerationem requirunt, quam in hâc parte prosequemur. Sicut autem hæc oratio per se publica est, ita per se postulat, ut in Ecclesiâ fiat, in loco publico, et in populi concursu, ac subinde tali modo, ut ab omnibus astantibus audiri possit. Et ideò hic orandi modus ad ecclesiasticum chorum, ant cantum, vel psalmodiam spectat. Per accidens autem separatim, seu occultè fit, vel ratione loci, quia in privato cubiculo, vel ratione modi, submissâ voce dicitur. Priùs ergo dicemus de his, qui in choro, posteà de his, qui extra chorum, canonicum officium ex obligatione recitant; de illis verò qui ex devotione absque obligatione recitant, nihil dicere oportebit, quia illa oratio omninò privata est, et ita nullam habet peculiarem considerationem, præter ea, quæ in superiori libro tractata sunt.

CAPUT PRIMUM.

Quàm sit antiqua in Ecclesiâ, et per se honesta oratio, quæ chorus ecclesiasticus appellatur.

1. Duobus modis solita est fieri hæc oratio in Ecclesiâ. Primò in missâ, quasi conjungendo hanc actionem cum ipso sacrificio, ad illius majorem reverentiam, et ornatum; secundò extra sacrificium, tantùm ipsius orationis gratiâ, ad postulandum aliquid à Deo, ipsive gratias agendum, aut laudandum ipsum. De priori modo in alio opere dixi, ubi in hunc locum remisi ea, quæ pertinent ad alias orationes publicas extra missam, quod implendum nunc est. Suppono autem sanctum esse hujusmodi orationes ad Deum fundere extra missæ sacrificium, quia oratio per se est actio bona et honesta, et non habet necessariam connexionem cum sacrificio, potestque sæpiùs in die vel nocte fieri, etiam quando non est tempus sacrificii. Et ita constat in antiquo templo, et lege fuisse consuetudinem orandi variis horis, in quibus non offerebantur sacrificia, ut colligitur ex illo Act. 3: *Ad horam orationis nonam*, et infrà latiùs dicemus. Et Christus Dominus licèt in offerendo sacrificio suo tam cruento, quàm incruento multiplicem orationem miscuerit, et internam, ac mentalem, et publicam, ac vocalem, etiam *cum clamore valido;* tamen ante illud sacrificium sæpiùs oravit, et nocte Cœnæ, illâ jam finitâ, hymnum cum discipulis dixit, quod erat orationis genus, et postea in horto oravit, ubi sæpiùs cum discipulis ad orandum, et non ad sacrificandum, convenire solebat, ut Joannes, cap. 18, refert. Consuetudo ergo orandi sæpiùs extra sacrificium per se honesta, antiqua et laudabilis est.

2. Secundò suppono orationem in communi factam, à totâ aliquâ communitate, vel populo, sanctam, et Deo gratissimam esse, ideòque meritò ab Ecclesiâ servatam, et more receptam fuisse. Omitto hæreticos, qui circa hanc orationem errârunt, quia nullus absolutè videtur illam negâsse, sed quoad aliquas speciales circumstantias, de quibus in sequentibus capitibus dicendum est. Hæc ergo veritas facilè persuadetur, quia si unius personæ singularis oratio multùm valet apud Deum, si multi in eodem spiritu, et actu orationis conveniant, sine dubio gratior erit, et potentior eorum oratio; et ideò de antiquis Christianis legimus, quòd statim post Christi ascensum, *erant perseverantes unanimiter in oratione*, vel in cœnaculo ante Spiritûs sancti adventum, Act. 1, vel in templo post adventum Spiritûs sancti, et inchoatam prædicationem Apostolorum, et conversionem Christianorum, Act. 2; unde Chrysostomus, homil. 79 ad populum: *Quid hâc*, inquit, *oratione Ecclesiæ potentius, quæ columnam, et Ecclesiæ turrim adjuvit?* et infrà: *Magna vis est orationis in Ecclesiâ concorditer à populo oblatæ;* et infrà: *Et domi quidem orari potest; sic autem ut in Ecclesiâ non potest, ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita à Domino per te solus orans audieris, ut cum fratribus. Hîc enim majus aliquid est, puta, unanimitas, et consonantia, charitatisque vinculum, et sacerdotum orationes.* Est ergo oratio communitatis optima, et cæteris paribus efficacior, quia ex majori charitate procedit. Et quia circumstantia personæ petentis multùm ad orationem confert, communitas autem habet peculiarem quamdam dignitatem, ratione cujus commune bonum divinius censetur. Et quia ubi multi concurrunt, unus ab alio juvatur, et imperfectionem unius alius supplet, et ita oratio evadit, vel omnibus numeris absoluta, vel certè perfectior. Denique quia talis oratio habet à Christo specialem promissionem, ut statim dicam.

3. Duobus autem modis intelligi potest, orationem fieri à communitate; primò, quia multi simul ad orandum conveniunt, unusque autem per se orat quasi privatim, nec habet cum oratione alterius aliam conjunctionem præter concomitantiam temporis, aut loci, vel materiæ. Et talis oratio habet à Christo peculiarem promissionem, Matth. 18: *Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.* Et subdit rationem: *Ubi enim sunt duo, vel tres con-*

gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. In quo promittit suum peculiare auxilium his qui hoc spiritu ad orandum conveniunt. Oportet autem, ut ille consensus sit ex intentione orantium, ad orandum convenientium communi consensu. Nam si omninò casu contingat, multos simul orare, erunt orationes plurium, non tamen erit oratio unius communitatis. Hic autem modus communis potest etiam in oratione mentali inveniri, sicut patet in communitate religiosâ, cujus personæ omnes eâdem horâ ad sic orandum conveniunt ex communi ritu et consensu. Ideòque ad hunc modum communis orationis per se necessarium non est, ut omnes, qui sic orant in eodem loco communi proximè conveniant, sed esse possunt in eâdem domo, et diversis cellis, imò etiam in diversis domibus, et populis esse possunt, et per modum unius corporis mystici eâdem horâ ad orandum, vel mentaliter, vel vocaliter convenire. Quæ quidem oratio etiam est optima, et cæteris paribus, erit etiam potentior et efficacior, quàm oratio singulorum, præsertim si ad idem postulandum, simul ab omnibus offeratur; talisque videtur fuisse oratio fidelium, quando unanimiter in templo orabant, Actor. 2, quia in illo templo non poterant eo modo communiter orare, quo postea orabant in templis Christianorum, cujus inchoatio quædam in 4 cap. Actor., conspicitur, ut mox dicemus. De hoc igitur modo communis orationis nihil hìc addere necesse est præter dicta in libro præcedenti, quia reverà talis oratio per se privata est, et per accidens communis, neque habet illam perfectam unitatem mysticam, quam oratio communitatis habere potest, quia multi sic orantes non fundunt omnes, et singuli unum, et eumdem orationis actum, et ita per se loquendo non possunt per modum unius concurrere ad eamdem petitionem.

4. Alio ergo modo fieri potest oratio à communitate, quia una oratio funditur in personâ omnium, ita ut omnes orent, ut membra illius communitatis, et una oratio ab omnibus fundatur, singulis partialiter aliquo modo concurrentibus; etiamsi non omnes æquè loquantur, vel eumdem modum actionis exerceant, sed quidam loquantur; alii adsint, et consentiant, aut alio modo cooperentur. Et hæc est propriissima unius communitatis oratio, talemque videtur describere Tertullianus in Apol. cap. 39, dicens: *Corpus sumus de conscientiâ religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere, convenimus in cœtum, et congregationem, ut ad Deum quasi manu factâ precationibus, ambianus oranes; hæc vis Deo grata est:* Quibus verbis eleganter explicat, hanc communem orationem quasi uno ore, et uno spiritu à totâ communitate offerri. Exemplum optimum est Act. 4, ubi redeuntibus Apostolis à concilio Pharisæorum ad cœtum fidelium, et narrantibus illis, quo modo eos dimisissent, quidque illis comminati fuissent, subditur: *Qui cùm audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine tu es, qui fecisti cœlum et terram*, etc., ubi non solùm corda, sed etiam vocem ad Deum elevâsse significantur, ut notat Lyranus, et indicat Chrysostomus, et proprietas verbi postulat; nam solus internus affectus non dicitur propriè vocis elevatio. Præsertim quia verba omnia, quæ ibi referuntur fuerunt tunc ab Ecclesiâ ibi coacta, unâ voce prolata. Igitur non tantùm communi voluntatum consensu, sed etiam quasi uno ore idem omninò precati sunt, quod non sine miraculo accidisse piè Carthusianus, et alii considerant. Unde illa oratio tantam habuit vim apud Deum, ut ejus efficacia statim visibili signo commotionis totius domûs, et fervoris prædicatorum Evangelii manifestata fuerit.

5. Dico ergo, chorum ecclesiasticum, in quo publicæ, et communes orationes à Christiano populo, seu illius nomine, fiunt, sanctum esse, et Spiritûs sancti instinctu in Ecclesiâ introductum, ut antiquissima, et universalis traditio ostendit. Hæc doctrina de fide certa est, quæ satis probatur ex Ecclesiæ universali consensu, quæ in re tam gravi errare non potest; antiquitas etiam hujus traditionis ostenditur; nam in Actibus Apostol. habemus hujus consuetudinis initia, ut jam notatum est. Insinuatur etiam à Paulo, 1 ad Corinth. 14, ubi ex professo tractat de ecclesiasticis conventibus, qui tunc fieri solebant, et significat non tantùm ad sacrificium offerendum, et ad doctrinam, vel concionem habendam, sed etiam ad communes orationes, et laudes Dei solitos esse frequentari; et solere unum loco omnium gratias agere, et alios annuere, ac respondere *Amen*, unde inter alia ait: *Si benedixeris spiritu*, id est, ita ut ab aliis non intelligaris, *qui supplet* (id est, tenet) *locum idiotæ, quomodò dicet: Amen? nam tu quidem benè gratias agis, sed alter non ædificatur;* et infra: *Cùm convenitis, unusquisque vestrùm psalmum habet*, etc. Et concludit: *Omnia honestè, et secundùm ordinem fiant.* Quæ ultima verba notanda sunt; nam ex eis habetur ad ecclesiasticam institutionem pertinere, hæc omnia ordinare; unde rectè colligitur, *insolentissimæ insaniæ esse consuetudinem Ecclesiæ in hujusmodi rebus improbare*, ut piè dixit Augustinus, epist. 118.

6. Potest etiam hoc colligi ex Paulo ad Ephes. 5 dicente: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.* Ubi non vocat spiritualia cantica quia spiritu tantùm proferuntur, sed quia spiritualem materiam continent, et significant; nec dicit: *Psallentes in cordibus*, ut vocem excludat, sed ut declaret illud esse præcipuum, et per se necessarium, etiam dùm voce oratur, unde quod ait: *Loquentes vobismetipsis*, Haimo ibi interpretatur, id est, *invicem*, seu *alternatim*, dùm unus loquitur, et alius respondet. Sic etiam intelligi potest illud ad Colossens. 3: *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni sapientiâ, docentes et commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus vestris Deo.* Quæ omnia possunt quidem intelligi de oratione privatâ, et de mentali, et ita exponuntur frequenter, non tamen excluditur oratio

vocalis, ut D. Thomas ibi notat; et videtur Paulus etiam loqui de oratione publicâ totius Ecclesiæ; nam etiam hoc modo admonet, ut verbum Dei abundet in Christiano populo, non solùm in doctrinâ, sed etiam in psalmodiâ, et hymnis, et canticis spiritualibus, quibus invicem excitemur ad devotionem, etc.

7. Secundò principaliter constat hæc traditio ex Patribus, Clement., libro 8, per totum, præcipuè cap. 34: *Precationes facite manè*, etc., ubi horas canonicas numerat, ut infrà videbimus; quòd autem illa esset oratio publica, et communis, patet ex his quæ subjungit: *Quòd si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis, Episcope, in domo aliquâ, ne ingrediatur pius in Ecclesiam impiorum;* et infrà: *Quòd si neque in domo, neque in Ecclesiâ congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, canat, oret, saltem duo simul, aut tres.* Et infrà ait, non debere fideles orare cum hæretico, imò nec cum catechumeno, quia nondùm est Ecclesiæ membrum; supponit ergo illam orationem esse communem unius corporis Ecclesiæ per membra sua et ministros suos. Justinus Martyr., Apolog. 2, pro Christianis, in fine, postquàm usum baptismi solemnis tradiderat, subdit: *Nos autem posteaquàm ita abluimus, expiavimusque eum, qui credidit, et assensus est, eum ad eos, qui fratres dicuntur, ducimus in eum locum, quò convenerunt comprecandi causâ contentis animis, et pro se, et pro eo, qui illustratus est, et pro omnibus aliis, qui ubique sunt.* Et infrà inter alia inquit: *Tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostris precibus, panis, ut dixi, vinumque et aqua offeruntur*, etc., ubi considerandum est verbum *comprecandi* bis repetitum, nam rectè declarat conjunctionem omnium ad unam orationem fundendam.

8. Hoc enim declaravit Tertullianus in Apolog. cap. 29, in verbis suprà citatis: *Corpus sumus de conscientiâ religionis*, etc., *convenimus in cœtum, ut ad Deum quasi manu factâ*, etc., id est, ut quasi uno ore, et uno impetu vim faciamus; et similia sumi possunt ex eodem lib. 2, ad uxorem, cap. 4 et 5, ubi indicat fuisse consuetudinem Christiani populi convenire in Ecclesiâ, etiam noctu ad communes orationes, quas nocturnas convocationes seu vigilias appellat, et specialiter meminit solemnis pernoctationis in vigiliâ Paschæ, cujus etiam est frequens mentio in Patribus, quos ibi refert Pamelius, et plura Durantus, de Ritib. Eccles., lib. 3, cap. 4, et videri potest concilium Aquisgranense, cap. 130, et Isidorius, lib. 1 de Div. Offic., cap. 22; deinde ad easdem publicas, et communes orationes pertinet, quod idem Tertullianus refert in cap. 2 Apolog., ex Plinio secundo in quâdam epist. ad Trajan., ubi de Christianis ait: *Præter obstinationem non sacrificandi nihil aliud de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo, et ad confœderandam disciplinam.* Habetur hæc epistola apud Plinium, lib. 10, epist. 97, et ex utroque retulit Eusebius, lib. 3 hist., cap. 27, aliàs 32, et de eâdem consuetudine videri potest Arnobius, lib. 1, Adver. Gent.; Epiphanius contra hæres., lib. 3, in fine, ubi inter alia inquit: *Matutini etiam hymni in ipsâ sanctâ Ecclesiâ perpetuò fiunt, et orationes matutinæ, lucernalesque simul psalmi, atque orationes;* et infrà: *Preces assiduè imperat cum omni sedulitate et prolixitate, et geniculatione in ordinatis diebus, noctu, atque interdiù ad Deum fundere.*

9. Insigne verò testimonium est apud Basilium, epist. 93, Apolog. ad clerum Neocæsar., ex quâ sequentia verba referre judico opportunum: *Quid jam obtinuerunt ritus? omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt, et consoni; de nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum orationis petit, et in labore, tribulatione, ac lacrymis indesinentibus factâ ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur, et nunc quidem in duas partes divisi, alternis præcinentes psallunt*, etc.; et infrà: *Illucescente jam die pariter omnes velut uno ore et corde confessionis psalmum Domino offerunt.* Et infrà vocat has *vigilias, ac preces, communesque psalmodias*, quas dicit fuisse apud omnes orientales ecclesias *in magno pretio.* Favent ad hoc confirmandum verba Hieronymi, epist. 84 ad Sabinianum circa medium: *Tota Ecclesia nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, et in diversarum gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat.* Ad eamdem consuetudinem alludit Augustinus, serm. 251 de Tempore, dicens: *Veniant ergo cuicumque possibile sit, ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, et oret ibi in conventu Ecclesiæ pro veccatis suis Deum.* Idem, lib. 50, homil. in 26, et lib. 9 Confess., cap. 7, cujus verba infrà cap. 4 referam, ubi alia Patrum adjungam testimonia; nam omnia, quæ de antiquitate horarum canonicarum, et cantûs ecclesiastici dicenda sunt, hanc veritatem confirmant.

10. Tertiò potest hæc veritas rationibus ostendi. Prima est, quia Ecclesia est unum corpus mysticum, in quo omnes unum sumus in Christo, ideòque debet per modum unius Deum colere et venerari; atque hâc ratione in nomine totius Ecclesiæ unum offertur sacrificium, et ubicumque offertur, à totâ Ecclesiâ offertur, ut alibi ostendimus. Sic ergo tota debet per modum unius deprecari, ut hoc etiam nobilissimo modo communi nomine Deum colat. Secundò talis oratio, cæteris paribus, est magis acceptabilis Deo et Christo, quia ab ejus sponsâ offertur, quæ non esse potest non sancta, et sibi grata, etiamsi in eâ multi mali sint et indigni. Tertiò hic modus orationis multùm fovet totius Ecclesiæ charitatem, cùm omnes discunt communi spiritu pro omnibus esse orandum, præterquàm quòd hæ orationes publicæ, et communes ad devotionem et compunctionem singulos movent, ut in sequentibus latiùs dicemus. Atque hæ rationes concludunt, non solùm in unâquâque Ecclesiâ particulari, vel in singulis sedibus, et communitatibus fieri orationes communes nomine totius populi, sed etiam à totâ universali Ecclesiâ fieri aliquas orationes communes, quæ reverà totius Ecclesiæ nomine Deo funduntur. Quia licèt particulares Ecclesiæ suo modo sint plures, et unaquæque earum suam habeat peculiarem unitatem, et ita specialiori modo possit communiter

Deum precari, nihilominùs omnes sunt partes unius Ecclesiæ, quæ simpliciter una est, et Deo charior quàcumque Ecclesiâ particulari; ejus enim sanctitas, et major, et certior, ac infallibilior est; ideòque tota etiam simul orare debet, et pro omnibus suis filiis intercedere. Ad illam etiam maximè pertinet pro totius conservatione, et augmento sollicitam esse; et ita non solùm pro suis membris, sed etiam pro infidelibus interdùm orat, ut ad Deum convertantur.

11. Dices: Quomodò potest universa Ecclesia in unum convenire ad unam orationem communem proferendam? Respondetur primò, hâc ratione institutos esse ejusdem Ecclesiæ ministros et sacerdotes, qui nomine totius Ecclesiæ orent, quibus Ecclesia commisit vices suas, ut nomine totius corporis orationes fundant. Et hoc est optimum signum hujus communis orationis; quocirca licèt sacerdotium à Christo Domino in Ecclesiâ sit institutum, ac subinde ex ejusdem Christi ordinatione habeat sacerdos evangelicus, ut possit in ejus personâ offerre, et orare, et impetrare nomine illius; ultra hoc etiam habet ex institutione et commissione Ecclesiæ, ut suo nomine pro se et suis filiis ac membris oret. Et hâc ratione potuit Ecclesia excommunicatos omninò excludere à participatione suarum communium orationum, tam efficaciter, ut licèt minister tentet pro eis orare nomine Ecclesiæ, mentiatur, nihilque faciat, nullumve fructum excommunicato conferat. Signum ergo est, Ecclesiam totam per modum unius ad Deum orare per ministrum suum tanquàm per legatum vel nuntium à se constitutum. Potest enim respublica hoc modo loqui, et scribere ad alterum principem per legatum à se missum; ut autem talis minister auctoritatem ad sic orandum ab Ecclesiâ accipiat, non est necesse ut per suffragia singulorum illam recipiat; sed satis est quòd auctoritate publicâ et supremâ totius Ecclesiæ illam habeat; nam Ecclesia est corpus monarchicum, cujus monarchia non est ab hominibus, sed ab ipso Christo instituta, qui suo vicario commisit totam potestatem et auctoritatem quæ universo corpori expediebat. Et ita solus Pontifex potestatem habet constituendi hoc ministerium deprecandi nomine totius Ecclesiæ, et committendi illud sacerdotibus et ministris à se deputatis, et ita fit ut orationes per hos ministros oblatæ nomine totius Ecclesiæ fiant.

12. Hinc ulteriùs factum est (quod est aliud hujus communis orationis signum) ut ejusdem Ecclesiæ auctoritate institutæ sint peculiares deprecationes, quæ nomine illius offerantur. Sicut enim princeps legatum mittens ad alium principem, solet certam ac præscriptam formam petitionis vel pacti aut legationis illi tradere, saltem quoad substantiam ejus, licèt interdùm aliqua accidentalia illi committat; et sicut sorores Lazari, cùm ad Christum misérunt nuntium, conceptis verbis petitionem dederunt: *Ecce quem amas infirmatur*, Joan. 11, ita Ecclesia universalis, quia per suos publicos ministros suo et communi nomine orare intendit, ideò certam orandi formam illis præbuit, ut omnia puriùs et sincériùs fiant. Hæc ergo institutio apertè indicat communitatem orationis ecclesiasticæ, quam docemus, et similiter ostendit orationes communes Ecclesiæ illas propriissimè esse, quæ in recitandis horis canonicis per ministros Ecclesiæ funduntur, ut notavit D. Thomas, quodlib. 7, art. 18. Hæ autem preces, sic ab Ecclesiâ institutæ, horæ canonicæ appellantur, de quo nomine in cap. 3 dicemus; appellantur etiam quasi per antonomasiam *officium divinum* in cap. *Dolentes*, de Celebr. miss., et in concilio Aquisgranensi primo, tempore Ludovici. cap. 151; est enim præcipuum officium Christianorum, et maximè ecclesiasticum, orare Deum, quod meritò divinum nominatur, quia totum pro cultu Dei est institutum. Dicitur etiam *ecclesiasticum officium* in Clem. 1 de Celebr. miss., quia per Ecclesiam approbatum est, et traditum, ut in personâ Ecclesiæ recitari possit, ut constat ex cap. *In die*, de Cons. d. 5, quod est Gregorii cum concilio generali, idemque habetur in duobus præcedentibus capitulis ex concilio Agathensi, cap. 50, et Gerundensi, cap. 10; et in concilio Toletano IV, cap. 2, sic statuitur: *Unus ordo orandi atque psallendi à nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conservetur*, etc.; et similiter in concilio Milevitano, cap 12, prohibentur dici in Ecclesiâ orationes quæ per concilium approbatæ non fuerint; idem in concilio Bracharensi I, cap. 19, cap. *Placuit*, d. 12.

13. Dices, ex his decretis potiùs inferri posse non esse has orationes communes totius universalis Ecclesiæ, sed unamquamque Ecclesiam vel congregationem proprio utentem officio, pro se communiter orare. Nam licèt objectivè unaquæque oret pro omnibus, et privatæ etiam orationes possint et debeant esse communes, ut Cyprianus docet in initio expositionis orationis Dominicæ, nihilominùs videtur unaquæque Ecclesia suo nomine specialiter orare per ministros suos, cùm proprium officium unaquæque sibi designet et approbet, quo sui ministri uti debeant, ut ex decretis citatis constat. Respondeo inprimis, totum ecclesiasticum officium, quo Ecclesia catholica utitur substantialiter esse unum, id est, ex eâdem materiâ proximâ, ut sic dicam, et eisdem partibus principalibus constans, ut ex dicendis patebit, idque satis esse, ut tota hæc Ecclesiæ deprecatio una sit, et in personâ totius Ecclesiæ universalis fundatur, licèt in aliquibus accidentalibus et minutioribus ritibus sit aliqua varietas, quæ unitatem non minuit in corpore mystico, sed ornat potiùs. Deinde dico hanc ipsam varietatem ita esse permissam in Ecclesiâ, maximè in hoc officio divino, ut ejusdem Ecclesiæ auctoritate et supremâ potestate tacitè vel expressè sit approbanda. Per se enim pertinet ad apostolicam Sedem hos ritus præscribere, si universales sint pro totâ Ecclesiâ, vel approbare particulares et proprios aliquarum nationum, seu Ecclesiarum, interdùm verò tacitam approbationem indicat consuetudo vel traditio particularis alicujus Ecclesiæ, tolerata à pontificibus illam non ignorantibus. Nunc autem de hâc re habemus expressam Ecclesiæ declarationem, et quasi

institutionem à Pio V, in Bullâ breviarii traditâ, et à Clemente VIII recognitâ et confirmatâ, ut infra suo loco videbimus. Est ergo hoc officium verè commune et ecclesiasticum, ac de se universale; unde etiam *canonicum* dicitur, quia juxta regulam ab Ecclesiâ approbatam celebratur.

CAPUT II.

Utrùm materia proxima, ex quâ divinum officium componitur, conveniens sit?

1. Materiam orationis vocalis nunc appellamus verba ipsa quæ ad precandum assumimus; nam licèt res postulata vel significata per verba, esse debeat materia circa quam mens orantis præcipuè versetur, tamen oratio ipsa, quatenùs vocalis est, ex vocibus ipsis, quatenùs tales res vel affectus significant, componitur. Unde certum est ad substantiam et honestatem orationis maximè pertinere ut hæc materia sit ad divinum cultum, et ad finem orationis accommodata, et ideò hoc maximè ostendendum est de materiâ ex quâ divinum officium componitur, ut à calumniis hæreticorum illud defendamus, et aliquam ejus intelligentiam Catholicis proponamus. Sunt autem proxima materia hujus officii partes illæ, quasi heterogeneæ, ut sic dicam, ex quibus ritè ordinatis tale officium componitur, et in Breviario Romano hæ specialiter numerantur: Psalmi, cantica, hymni, lectiones, responsoria, versiculi, benedictiones, absolutiones, capitula, invitatorium, antiphonæ, collectæ, seu orationes ecclesiasticæ, Oratio Dominica et Angelica, antiphonæ peculiares pro Virgine, quæ sunt quasi salutationes ejus, cum aliquâ oratione ad Deum adjunctâ, ac denique Symbolum fidei; ex his enim omnibus rectè ordinatis, totum officium divinum et ecclesiasticum componitur.

2. Potest ergo inprimis referri error reprehendens hanc materiam eâ ex parte quâ ab hominibus confecta est. Qui error adeò antiquus est, ut referat Eusebius, lib. 7 Historiæ, cap. 24, aliàs 26, Paulum Samosatenum Psalmos qui ad Domini nostri Jesu Christi gloriam decantari in Ecclesiâ solent, tanquàm novos, et à viris recentioris memoriæ editos, explosisse; ubi sine dubio non loquitur de Psalmis Davidicis, sed de ecclesiasticis hymnis; nam Psalmi Davidici, nec novi, nec ab hominibus spiritu humano compositi, reputari potuerunt. Videtur ergo ille Paulus rejecisse hymnos alios ab ecclesiasticis viris compositos, non tamen illos abstulit, quia ab hominibus erant compositi, sed solùm ex malitiâ et ambitione; abstulit enim hymnos qui in Christi laudem erant compositi, ut in suam laudem inanes cantilenas in Ecclesiam introduceret, ut Eusebius refert. Alii verò, quorum tacitis nominibus in concilio Toletano IV, cap. 11, mentio fit, hymnos rejiciebant, eò quòd de Scripturis canonicis non essent, nec apostolicâ traditione haberentur. Itaque volebant illi materiam totam hujus orationis esse debere canonicam, id est, in sacrâ Scripturâ contentam, vel apostolicâ traditione ita approbatam, ut infallibilem contineat auctoritatem. Non invenio autem proprium hujus erroris auctorem, qui ex hâc parte hoc sacrum officium reprehenderit. Nam licèt Waldensis, lib. 3, de Sacram., cap. 20 et sequentibus, et illustrissimus Bellarminus, tom. 3, lib. 1 de bonis Oper., cap. 12, Peltanus, lib. 3 de tribus bon. Oper., cap. 8, et alii referant Wiclefum, Lutherum, et alios novos hæreticos reprehendisse et abrogâsse ritum ecclesiasticum deprecandi, non tamen referunt ob defectum in materiâ ejus inventum illud calumniatos fuisse, sed aliis titulis, quibus postea respondebimus.

3. Videtur autem sententia illa habere quamdam speciem pietatis, quia officium quod auctoritate totius Ecclesiæ publicè canitur, constare debet veritate infallibili, quia valdè incongruum est ut universa Ecclesia approbet, ad laudandum et colendum Deum, falsitatem aliquam; ergo nulla pars in tali officio admitti debet, in quo possit misceri falsitas: nam si talia sunt verba, ut falsa esse possint, sæpè etiam erunt falsa; ergo ut divinum officium infallibilem veritatem contineat, oportet ut solum ex Scripturâ canonicâ constet, vel traditione Apostolicâ, quæ Scripturæ æquivalet in infallibilitate. Confirmatur: nam experientiâ compertum est in lectionibus historicis multa referri non solùm incerta, sen interdùm falsa, cujus signum est quia quod in uno tempore approbatur, reprobatur in altero. Similiter in homiliis quæ ex sanctis Patribus leguntur, sæpè continentur expositiones Scripturæ incertæ, vel etiam minùs veræ; sæpè etiam nonnullæ sententiæ, quæ aliàs frequentiùs non probantur nec recipiuntur; illud autem videtur contra decentiam divini officii; ergo ad hoc evitandum solùm ex divinâ Scripturâ lectiones essent sumendæ, prout statum videtur in concilio Loadicensi, cap. 59, eademque ratio est de cæteris partibus, ut videtur etiam ordinatum in concilio Bracharensi I, cap. 30.

4. Aliunde possumus contra hanc materiam argumentari, quia multa continet quæ ad munus orandi non pertinent; ergo incongruè ad materiam divini officii assumuntur, cùm totum officium tantùm ad orandum Deum ordinetur. Antecedens declaratur, quia juxta doctrinam Pauli, 1 Timoth. 2, oratio præsertim publica solùm ex illis partibus constare debet, quæ vel ad orationem et elevationem mentis in Deum, vel ab obsecrationem et instantiam seu rationem deprecandi, vel ad postulationem et petitionem ipsam, vel ad gratiarum actionem, quæ laudem Dei comprehendit, pertineant. At multa in hoc officio continentur, quæ ad nullam ex his partibus pertinent. Inprimis historiæ, præsertim humanæ de vitis sanctorum; deinde multæ lectiones Scripturæ et sanctorum, quæ ad instructionem et doctrinam sunt optimæ, ad orationem autem non deserviunt, ineptè ergo pro materiâ orationis et deprecationis assumuntur. Opus enim orationis longè diversum est ab opere legendi vel addiscendi aut refricandi memoriam; hìc autem unum cum alio confunditur, et ex utroque unum coagmentari videtur

5. Tertio contra hanc materiam objici potest Christi mandatum, Matth. 6 : *In oratione nolite multùm loqui :* nam in hoc officio nimia videtur esse loquacitas, non solùm quia satis grave est (unde etiam ex parte materiæ in quantitate videtur excedere), sed etiam quia in eo multæ fiunt repetitiones ; quæ videntur etiam esse contra consilium Sapientis, Ecclesiast. 7 : *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, et ne iteres verbum in oratione tuâ.* Accedit quòd hæc materia nimis varia est et multiplex, quod etiam videtur esse incongruum, quia vocalis oratio ad hoc potissimùm ordinari debet, ut mentis attentionem et devotionem promoveat ; hæc autem tanta varietas distrahit potiùs mentem. Nec satis est respondere totam illam varietatem esse intra latitudinem piarum cogitationum orationi deservientium ; nam licèt inde possit à malitiâ excusari, non tamen ab incongruitate et impedimento devotionis, quia, ut devotio augeatur, imò ut sit efficax et fructuosa, oportet ut in eodem affectu perduret, et augeatur, atque confirmetur ; ad hoc autem necesse est ut verba ipsa orationis eumdem affectum excitent, et cogitationes offerant, quæ ad illum eumdem pertineant, quòd non fit per tam variam et multiplicem materiam.

6. Dicendum nihilominùs est omnes illas partes materiæ, ex quibus divinum officium constat, aptissimas esse, et sanctè ac prudenter fuisse ad hoc divinum officium componendum assumptas. Hanc assertionem simpliciter acceptam, et quoad illas partes in genere, ut ita dicam, sumptam tanquàm de fide tenendam censeo ; et quoad minutissimas etiam partes censeo esse tam certam, ut sine gravi temeritate negari non possit. Et inprimis ad hoc probandum sufficit universalis Ecclesiæ auctoritas, quæ consuetudine et traditione illas omnes partes probavit ; nam ut supra ex Augustino dicebam, *contra universalem Ecclesiæ consuetudinem disputare, insolentissima insania est.*

7. Deinde, partes illæ habent magnum fundamentum in Paulo, 1 Corinth. 14, ubi latè loquitur de orationibus publicè in Ecclesiâ fundendis, et de laudibus Dei, et gratiarum actionibus, illas distinguens à doctrinâ et prophetiâ, seu concione et interpretatione Scripturarum ; unde postea concludit : *Quid ergo est, fratres? Cùm convenitis, unusquisque vestrùm Psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim* (id est, revelationem), *habet, linguam habet, interpretationem habet ; omnia ad ædificationem fiant.* Et in fine iterùm concludit : *Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere* (utique ad laudandum Deum). *Omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant.* Approbat ergo usum Ecclesiæ, qui jam tunc erat publicè colendi Deum in Ecclesiæ conventu, per varios Psalmos, et devotas orationes, dummodò omnia ad ædificationem, et honestè fierent. Hoc etiam optimè fundatur in locis supra tractatis ad Ephes. 5 et ad Coloss. 3, ubi admonet fideles, ut Deum glorificent in hymnis et Psalmis, et canticis spiritualibus. Deinde illud etiam, 1 ad Timoth. 2 : *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones,* induci potest, juxta quamdam piam exposition em, quam indicavit Waldensis supra, cap. 20, exponens verbum illud, *fieri,* ut non solùm significet idem quòd proferri in oratione, seu fundi, aut precari ; sed significet componi, et in certam formam redigi. Juxta quem sensum monet Paulus, ut fiant in Ecclesiâ variæ orationes vel precationum formulæ, quarum aliæ orationes dicantur, ut sunt collectæ, aliæ postulationes, ut litaniæ, aliæ obsecrationes, ut sunt etiam in litaniis posteriores precationes, *Per passionem tuam,* etc., aliæ gratiarum actiones, ut hymnus, *Te Deum laudamus,* et similia Cantica. Quam interpretationem sumit ex concilio Toletano IV, c. 11, cujus sententiam infra referemus.

8. Tertiò, potest hæc veritas ostendi discurrendo per singulas partes, et uniuscujusque antiquitatem et probitatem indicando, quod breviter faciemus, quantùm satis sit ad scholasticum institutum, et ad hujus operis complementum, quia multi alii diligentissimè in eâ re laborârunt. Potissimè verò Bellarminus dicto lib. 1, cap. 14 et 15 ; Durantus, lib. 3, de Ritib. à cap. 13 usque ad 20, et ex antiquioribus Isidorus, lib. 1 de Eccles. offic. ; Amalarius Fortunatus, lib. 4, de eisdem ; Alcuinus, lib. de eisdem offic. ; et Rabanus, lib. 2 de Instit. Clericor. ; præcipuè verò dicemus de quatuor primis partibus, cæteras verò percurremus.

9. Prima ergo pars divini officii est psalmodia, quæ in se summæ auctoritatis est, cùm sit Scriptura canonica veteris Testamenti. Nec enim alii Psalmi in officiis ecclesiasticis permittendi sunt, ut constat ex usu Ecclesiæ, et expressè est declaratum in concil. Laodicensi, cap. 59, *Quòd non oporteat,* inquit, *plebeios psalmos in Ecclesiâ cantare ;* et in concilio Bracharensi I, cap. 30, omninò prohibentur recitari in Ecclesiâ Psalmi non canonici. Quod intelligendum est tantùm de propriis psalmis, non de aliis canticis, vel hymnis, ut mox dicemus. Hic autem usus recitandi Psalmos Davidicos in Ecclesiâ antiquissimus est, ut ex eisdem conciliis probatur, et ex Dionysio, cap. 3, de cœlesti Hierarch., ubi initium celebrandi missam hinc sumi dicit, quòd sacerdos *conversus ad divinam aram, Psalmos canere incipit, cantantque cum eo omnes ecclesiastici ordines.* Et infra sic inquit : *Sacra Psalmorum modulatio, quæ omnibus ferè pontificiis mysteriis essentiæ instar, et necessariò adhibetur, ab eò quòd sanctitate omnibus præstat, abesse non debuit.* Ubi expendo verbum illud, *essentiæ instar ;* nam reverà quasi basis et substantia hujus divini officii sunt Psalmi ; reliqua verò adduntur quasi ad ornatum et complementum ; unde eleganter Chrysostomus, hom. 6, de Pœnit., admiratur : *Cujus rei gratiâ præ cæteris veteris Testamenti, novique Scripturis, librum David sic adamârunt omnes Christiani, atque hunc solum ore voluerunt versari.* Et infra : *Omnes enim hunc odoriferi unguenti loco circumferimus ore, in Ecclesiis pernoctantibus primus et novissimus et medius est David. Diluculò quæruntur hymnorum modulationes, et primus, et medius, et novissimus est David ; si pausæ in funeralibus*

et primus, et medius, et novissimus est David, etc., quæ elegantissimè prosequitur. Et tandem rationem reddit, quia in psalmis omnes perfectissimæ orationis affectus inveniuntur, et omnis generis petitiones, omnibus statibus accommodatæ, peccatoribus, justis, incipientibus, proficientibus, perfectis, laudationes, et gratiarum actiones Dei mirabiles, affectus compunctionis, et amoris ardentissimi, et supremæ contemplationis, et unionis cum Deo : et præsertim frequens recognitio humanæ fragilitatis, et necessitatis divini auxilii, ejusque postulatio. Hinc dixit Basilius in Proœm. ad homil. in Psalmos, unum Psalmorum librum omnia in se complecti : *Historicam continet narrationem, leges sancit vitæ sanctiùs instituendæ, bonæ omnis doctrinæ uberrimum quoddam est, et commune promptuarium;* et infra, *idque cum peramœnâ quâdam deductione ac moderatâ jucunditate animorum, quæ et menti honestas inserat cogitationes.* Et infra hinc colligit, et egregiè describit psalmi seu psalmodiæ utilitatem, eamque dicit esse *vocem Ecclesiæ, quæ festos illustriores reddit, ac perfundit gaudio.* Pluraque infra de cantu agentes afferemus.

10. Quoniam verò Psalmorum usus antiquior est, quàm lex gratiæ, ut propriam ejus perfectionem participaret, et ita fieret Psalmus (ut ita dicam) consummatus, non sine speciali Dei providentiâ factum est, ut ex institutione Ecclesiæ in fine uniuscujusque Psalmi adderetur Trinitatis confessio, et glorificatio per illa verba : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Quæ quidem verba antiquissima sunt, nam illorum facit mentionem Athanasius libro de Virginit., ubi Virginem instituit, ut surgens à mensâ gratias agat, trinis vicibus dicens : *Miserator, et misericors Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Et has videtur intelligere nomine glorificationum, cùm ibidem ait : *Serva ista, et fac glorificationes in mensâ, eritque tibi cibus et potus sanctificatus :* et ita loquitur etiam Cassianus, lib. 2 de Instit., cap. 8, et de eisdem videtur loqui Basilius, libro de Spiritu sancto, cap. 7, cùm ait : *In glorificationibus dici gloriam Patri cum Filio, in gratiarum actionibus gloriam Patri per Filium.* Et cap. 24 et 25, ostendit eodem modo esse Spiritum sanctum conglorificandum cum Patre et Filio. Ac denique cap. 27, significat hunc morem canendi gloriam sanctissimæ Trinitatis, esse ex apostolicâ traditione. Quod optimè confirmatur ex Liturgiâ Jacobi, ubi Sacerdos ad altare ingrediens primam orationem inchoat dicens : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, trino et uni.* Unde non videtur probandum, quod Nicephorus, lib. 18 Histor., cap. 51, dixit, Flavianum Antiochenum, jubente Chrysostomo, glorificationem illam gloriosissimæ Trinitatis introduxisse; nam sine dubio antiquior est, nisi fortè dicat usum adhibendi illam in fine Psalmorum à Flaviano incœpisse, quod ipse etiam indicat, lib. 9, capite 24, cum Sozomeno, libro 3 Histor., capite 19. Quod est probabile; nam Cassianus, lib. 2 de Instit., cap. 8, refert sibi visum fuisse novum, cùm in Ægypto vidit, in clausulâ Psalmorum omnes astantes conclamare : *Gloria Patri*, etc. *Quod nunquàm*, inquit, *per omnem orientem audivimus, sed omnium silentio ab eo, qui cantat finito Psalmo, et orationem succedere; hâc verò glorificatione Trinitatis tantummodò solere antiphonam terminari.*

11. Quamvis igitur glorificatio illa fuerit antiquior, tamen occasione arianismi videtur aucta, et ita potuit Antiochiæ incipere usus addendi illam in fine Psalmorum. Præsertim quia, ut ex Basilio et Nicephoro supra, et Theodoreto, lib. 2 Hist., cap. 24, intelligitur, Ariani procurârunt illam corrumpere, non æqualiter glorificando personas per simplicem copulationem, sed interponendo particulas : *Per Filium*, vel, *in Filio*, aut *in Spiritu sancto*, ut aliquam inæqualitatem indicarent; et ideò catholici episcopi introduxerunt morem frequentiùs acclamandi : *Gloria Patri, et Filio*, etc. Hinc etiam Hieronymus in epist. ad Damasum, quæ inter gesta Damasi refertur in 1 tomo Concilior., Pontificem precatur, *ut in fine Psalmi cujuslibet sive matutinis sive vespertinis conjungi præcipiat : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum, amen; ut fides*, ait, *trecentorum decem et octo Episcoporum Nicæni concilii in vestro ore pari consortio declaretur.* Et licèt illa epistola ab aliquibus incerta habeatur, tamen ab aliis frequentiùs creditur esse Hieronymi, et est satis verisimile : nam morem illum in Romanâ Ecclesiâ Damasum introduxisse, in Pontificali, et in ejus Vitâ legitur apud Platinam, et ita more postea servatum est, ut constat ex epistolâ Vigilii Papæ ad Eleutherum, cap. 2, qui fuit ferè ducentis annis post Damasum; et post centum alios annos ejusdem consuetudinis in nostrâ Hispaniâ meminit Conc. Tolet. IV, cap. 13 et 14. Præcipit tamen illud concilium, ut dicatur : *Gloria et honor Patri*, etc.; tamen consuetudo Romana prævaluit : ibi etiam omittuntur illa verba : *Sicut erat in principio, et nunc et semper;* solùmque dicitur : *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui sancto in secula seculorum, amen;* tamen, ut supra retuli, Hieronymus omnia illa verba postulavit à Damaso dici in fine Psalmorum, et ita institutum ab ipso est, et observandum disertè præcipitur in concilio Vasensi II, cap. 5 : *Quia non solùm in Sede Apostolicâ, sed etiam per totum Orientem, et per totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, quâ Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, post «Gloria Patri,» etc., dicitur : « Sicut erat in principio. » Ita et nos in universis Ecclesiis nostris faciendum decrevimus.* Denique additur in illo concilio Toletano illam glorificationem gloriosissimæ Trinitatis non solùm in fine Psalmorum, sed etiam in Responsoriis esse dicendam, quod etiam nunc observari videmus, et in introitu missæ qui loco Psalmorum successit, ut alibi notavi, et principio horarum, et sæpè aliàs Ecclesia illâ glorificatione utitur.

12. Atque ex hâc ipsâ glorificatione prædictum Toletanum concilium sumit argumentum ad improbandum eorum errorem qui ecclesiasticos hymnos, e

quòd essent ab Ecclesiâ compositi, despiciebant, inferens tanquàm absurdum, inde sequi hanc glorificationem esse tollendam. Nihil ergo refert, quòd verba illa in Scripturâ formaliter non reperiantur, cùm res ipsa, et veritas, quam Ecclesia per illa verba confiteri vult, in Scripturâ reperiatur. Quod enim Isaias, cap. 6, vidit Seraphim cantantes, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloriâ ejus*, hoc ipsum canit Ecclesia dicens : *Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto*. Quòd autem hæc fidei confessio, et glorificatio, sæpiùs ac sæpiùs repetatur, et in fine Psalmorum, vel in aliis locis, et quòd quibusdam temporibus dicatur ad ostensionem lætitiæ, aliis omittatur ad ostensionem tristitiæ, licèt humana institutio sit, sancta est, et prudens, neque potest pati calumniam, nisi apud illos hæreticos qui veram personarum Trinitatem et æqualitatem ac æternitatem non agnoscunt.

13. Hoc igitur ipsum de hymnis ecclesiasticis dicendum est ; nam licèt non sint compositi à Scriptoribus canonicis, ut fatemur, semper tamen habent auctorem aliquem gravem, ut Ambrosium vel Hilarium, quorum mentionem fac.t dictum concilium Toletanum, et de Hilario id refert Hieronymus de Script. Eccles., de Ambrosio, Augustinus 1 Retract., cap. 11, et idemmet Ambrosius, Orat. in Auxent. de non tradendis basilicis, ubi etiam commemorat in hymnis à se editis semper in fine additam esse glorificationem et confessionem Trinitatis ; quod in cæteris hymnis servatum videmus. Rursùs addit concilium Turonicum ante mille annos celebratum, canone 24, aliorum etiam auctorum hymnos probari in Ecclesiâ posse et decantari. *Quoniam quâ fide constiterint*, inquit, *dicendi rationi non obstant*. Atque ita Ecclesia admisit hymnos à glorioso Thomâ compositos et ab aliis ; et à principio Ecclesiæ fuit in illâ hujusmodi hymnorum usus, ut sumitur ex Paulo ad Ephes. 5, et ad Coloss. 3, ubi hymnos, ut distinctos à Psalmis numerat, per Psalmos Davidicos fortassè intelligens, per hymnos, sacras laudes ab aliis carmine compositas. Unde Philo lib. de Vitâ contemplat., non longè à principio, de antiquis Christianis contemplativam vitam profitentibus, ait : *Non solùm contemplantur, sed etiam cantica, et hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum et carminum genere*, etc., quæ refert etiam Eusebius, lib. 2 Histor., cap. 16, aliàs 17. Et Dionysius, cap. 2, de Divinis nominibus circa finem ait apostolos, et cum eis Hierotheum in die funeris beatissimæ Virginis ad præsentiam corporis ejus pro viribus laudes divinæ potentiæ decantâsse. Quod referens Nicephorus, lib. 2, cap. 22, ait hymnos in Dei laudem protulisse, et cap. 4, mentionem fecit idem Dionysius hymnorum ab Hierotheo compositorum. Et plura ex antiquitate infra, cap. 5, afferemus.

14. Idem constat dicendum esse de canticis, quanquàm hæc majori ex parte ex Scripturâ sumpta sunt, et ita eadem est ratio de illis et de Psalmis. Solum canticum, *Te Deum laudamus*, ab Ambrosio et Augustino compositum creditur, referente Dacio, lib. 1, Chronici, cap. 10, quod statim ab Ecclesiâ in officio recipi cœpit : nam Divus Benedictus in regul. cap. 11, in fine matutinorum post lectiones canticum illud dici jubet. Unde eadem ratio de illo est quæ de hymnis. Imò in Breviario Romano non canticum, sed hymnus appellatur. Hæc enim tria, Psalmus, hymnus, et canticum, vix apparet, in quo distinguantur, quia omnia significare videntur orationem carmine aliquo compositam ad canendas Dei laudes, et ita interdùm videntur pro eodem sumi, præsertim canticum, et hymnus, ut videre licet apud Augustinum, 9 Confess., c. 6 et 7, et Psal. 72, ubi ait *Hymnum esse laudem Dei eum cantico*. Paulus etiam, 1 Corint. 14, cùm ait : *Unusquisque vestrûm doctrinam habet, Psalmum habet ;* Psalmum indifferenter videtur accipere pro omni metro, quod in laudem Dei cantari potest, ut D. Thomas, et alii significant. De differentiâ item illorum trium Psalmi, hymni et cantici, multa scribuntur à Hieronymo et expositoribus ad Ephes. 5 ; Hilario, Euthymio et aliis in principio Psalmorum, Isidoro, lib. 6 de Originibus, cap. 19, et aliis, scribentibus de ritibus et officiis ecclesiasticis ; nihil tamen ex eis colligere possum omninò firmum, et quod vel in impositione certâ, vel in propriâ ipsarum rerum differentiâ fundatum sit.

15. Ideòque ad explicandum partem, seu materiam ecclesiastici officii, quod ad nos pertinet, in hoc judicio sistendum, quòd *Psalmi* dicuntur illi tantùm qui in Scripturâ continentur, et sub libro Psalmorum Davidis, sive ipse solus illum composuerit, sive non, parùm enim refert ad rem præsentem. Inter quos Psalmos quidam sunt historici, alii divinam laudem continent, alii gratiarum actiones, alii sunt quasi morales, continentes multam doctrinam et exhortationem ad opera virtutum. Unde non possunt coarctari ad aliquem particularem finem ex dictis, nec per illum distingui à canticis vel hymnis, nisi fortassè tanquàm universale à particulari. *Canticum* verò, licèt interdùm significet ipsam actionem canendi, tamen hìc sumitur pro materiâ ipsâ seu carmine quod ad canendum laudes datur. Et juxta usum Romani officii etiam est ex Scripturâ canonicâ ; nam canticum : *Te Deum laudamus*, ut notavi, potiùs vocatur hymnus ; et licèt Psalmi sint etiam cantica, quia sunt carmina, quæ composita fuêre ut certis instrumentis musicis decantarentur, ut eruditè tractat Alphonsus Mendoza in quodlib. quæst. 3 positivâ, num. 7 et sequentibus, nihilominùs nomen cantici accommodatum est ad significandum alia particularia cantica, ad beneficia Dei prædicanda, et laudanda in specialibus occasionibus decantata vel prolata. Qualia sunt illa decem, quæ in Scripturâ continentur, septem in veteri Testamento, et tria in novo, quæ omni in hoc officio sacro inferuntur ; tria nova quotidiè in laudibus, vesperis et completorio, alia verò per hebdomadam in laudibus. *Hymnus* verò dicitur carmen etiam continens laudem Dei cum cantico, ut ex Augustino diximus, et est commune, unde Psalmi Davidis, præsertim laudatorii, hymni dici possunt, sicut vocantur 2 Paralip. 7, ubi priùs

dicitur : *Stabant Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David ad laudandum Dominum;* et statim subjungitur : *Hymnos David canentes per manus suas ;* et 1 Esdr. 3 : *Statuerunt Levitæ ut laudarent Deum per manus David, et concinebant in hymnis et confessione Domino.* At in Ecclesiâ videtur accommodata hæc vox ad significandum ecclesiasticum carmen, non canonicum, sed in Ecclesiâ compositum et ab eâ receptum ad laudandum Deum in publico ecclesiastico officio.

16. Quarto loco lectiones sacras posuimus, quæ potissimùm in matutinis leguntur, ordine et modo in Breviario posito, qui mos antiquissimus est, ut constat ex Gregorio Papâ VII, in cap. *In nomine*, de Consecr., d. 5, qui allegat vetustiorem consuetudinem, cujus meminit Gelasius in cap. *Sancta Romana*, d. 15, ubi tradit has lectiones partim ex sacrâ Scripturâ, partim ex homiliis sanctorum desumi, atque etiam ex gestis sanctorum, ut indicat, et clariùs statuit concilium Carthaginense III, cap. 47; in concil. autem Laodicense his antiquiori, cap. 17, diserté dicitur expedire ut Psalmi non dicantur continuè, sed aliqua lectio sacra interponatur? Quod etiam in veteri lege fuisse usitatum non obscurè colligitur ex illo Act. 13 : *Voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt;* et cap. 15, dicitur, *ubi per omne sabbatum legitur*, scilicet, Moyses in synagogis Judæorum. Quid ergo mirum quòd lectio sacra fuerit in Ecclesiâ Christi semper usitata, non solùm in missâ, ut alibi docuimus, sed etiam in divino officio, ut semper fuit in Ecclesiâ observatum? Quoad numerum verò vel modum varietas fuit : nam in dicto concilio Laodicensi additur post unumquemque Psalmum lectionem aliquam esse interponendam; usus verò obtinuit ut in feriis omnes Psalmi priùs dicantur, postea lectiones; in diebus verò festis post tres Psalmos, tres subjunguntur lectiones; sed hoc non pertinet ad materiam, sed ad formam et ritum orandi, qui cùm pendeat multùm ex humano arbitrio, magnam varietatem in Ecclesiâ habuit, ut adnotârunt Socrates, lib. 5 Hist., cap. 21; Niceph., lib. 12, cap. 34.

17. His partibus adjunguntur aliæ, vel per modum præparationis, vel ad majorem concentum et ornatum, vel ad magis excitandos animos ad devotionem, aut convenientem finem orationi imponendum. Inchoari ergo solent horæ canonicæ per orationem Dominicam et Angelicam, et interdùm additur Symbolum, quæ secretè dicuntur, quasi ad colligendos animos ministrorum et adstantium per privatam aliquam orationem, quæ optimè fit per orationem Dominicam, convenientissimè verò additur Angelica propter specialem Virginis cultum et intercessionem. Symbolum verò specialiter adjungitur in matutino et primâ, ut initium orandi in nocte et die à confessione fidei sumatur : et videri possunt quæ de Symbolo diximus tractando de Missâ. Deinde divinum adjutorium in principio omnium horarum postulatur cum glorificatione adorandissimæ Trinitatis, quo nec sanctius nec utilius initium excogitari potest, ut latè et optimè tractat Cassianus, collat. 10, cap. 10; videri etiam potest Benedictus, in regulâ, c. 9, et Abulensis in cap. 10 Numerorum, ad finem, ubi circa illa verba : *Cùmque elevaretur arca, dicebat Moyses : Surge, Domine, et dissipentur inimici tui*, etc., ait : *Ex illis verbis inolevit in Ecclesiâ consuetudo, quæ jam pro lege suscepta est, scilicet ut in principiis canonicarum horarum dicatur : « Deus, in adjutorium meum intende, » in quo petimus ut Deus surgat ad adjuvandum nos, sicut Moyses petebat in principio cujuslibet profectionis castrorum, ut Deus surgeret ad dissipandum hostem.* Quod ampliùs ipse non probat; atverò illa analogia ad initium cujuscumque actionis accommodari potest, verba autem ipsa potiùs sumpta sunt ex Psalm. 69, in principio. Præter hæc verò in principio matutinorum illa petitio præmittatur : *Domine, labia mea aperies*, et in principio completorii, illa : *Converte nos, Deus, salutaris noster.* Cujus rationem investigat Turrecremata ad cap. 9 Regulæ S. Benedicti; sed fortè illa prior additur, quia in matutino incipiunt horæ canonicæ illius diei, et ideò specialiter postulatur ut dignè aperiantur labia in laudem Dei; completorium verò est hora ultima, quâ præparamur ad noctem quietam, et ideò specialiter conversio cordis in ejus initio postulatur.

18. Adduntur etiam in principiis Psalmorum *antiphonæ;* est autem antiphona, ut ait Isidorus, lib. 6 Origin., cap. 19, juxta proprietatem Græcæ linguæ, *vox reciproca alternatim canentium*, quo modo totus Psalmus, quatenùs alternatim per versus reciprocè à duobus choris canitur, dici potest antiphona, de quo more canendi Psalmos cap. 4 dicemus. Jam verò antiphona dicitur brevis sententia, quæ Psalmo præcinendo præmittitur, quæ ordinariè continet, aut versum aliquem ejusdem Psalmi, aut sententiam aliquam utilem in laudem Dei aut Virginis, aut spiritualem affectum bonum, vel quid simile : unde ex parte materiæ reprehendi non potest. Inventa verò est ad ornatum, et *ut secundùm illius modulationem, seu symphoniam, cantus totius psalmi sumatur, et ita totus chorus in illâ uniatur*, ut notat Amalarius, lib. 4 de Offic. ecclesiast., cap. 7. Quàm verò sit antiquus hic usus antiphonæ in hoc sensu, nec ipse Amalarius dicit, nec ab aliis adnotatur. Invenio tamen illius mentionem ante mille centum annos in concilio Agathensi, cap. 30; sub antiphonis verò comprehendi potest invitatorium, quod specialiter in principio matutini præmitti solet.

19. Post Psalmos sequitur capitulum in laudibus et aliis minoribus horis, quod est lectio brevis, de quâ eadem ratio est quæ de aliis lectionibus, et in hoc minor est difficultas, quia semper ex Scripturâ sumitur. Et his capitulis videtur fieri mentio in dicto concilio Agathensi, canon. 30, et habetur in capite *Convenit*, de Consecr., distinct. 5, ubi priùs dicitur : *Studenaum est, sicut ubique fit, ut post antiphonas, collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur.* Ita enim legendum est, ut in originali habetur, et non

collationes, ut legit Gratianus; per *collectiones* autem Glossa ibi capitula intelligit, quæ sunt quasi breves lectiones; Turrecremata verò et alii intelligunt orationes, quæ collectæ dici solent. Postea verò ibidem additur : *In conclusione matutinarum, vespertinarum et missarum post hymnos capitella* (ita enim in concilio legitur), *de psalmis dicantur;* Gratianus verò legit *capitula*, ubi videtur de his capitulis loqui, quamvis nunc non dicantur post hymnos semper; nam in laudibus, vesperis et completorio dicuntur ante hymnos, nec sumuntur ex Psalmis ordinariè, nec in missis dicuntur. Unde Rodulphus Tungrensis, libro de Canonum observantiâ, proportione 13, per capitula intelligit versiculos parvos qui ex Psalmis sumuntur, quos dicit in Ambrosiano et multis libris antiquis capitula appellari. Jam verò capitula propriè dicuntur lectiones illæ breves, quarum, sub nomine lectionum et capitulorum facit mentionem S. Benedictus in suâ Regulâ, cap. 13 et 17.

20. Post lectiones solent sequi responsoria; varii etiam versiculi in diversis locis interponuntur, de quibus multa fit mentio apud citatos Patres et alios scriptores ecclesiasticorum officiorum; nobis pro præsenti instituto satis est omnes illos continere laudes Dei, vel orationes sanctas et pias, et frequentiùs solere ex Scripturâ desumi, licèt interdùm sint per Ecclesiam compositi seu probati; unde non est dubium quin sint convenientissimi ad ornandam ecclesiasticam psalmodiam. Tandem in fine uniuscujusque horæ dicitur oratio, quæ *collecta* vocari solet, quia dùm ab uno sacerdote nomine omnium astantium dicitur, omnium orationes in eâ colliguntur, ut ex concilio Agathensi indicatur in cap *Convenit*, de Consecr., d. 5, et sumitur ex Cassiano lib. 20, cap. 8, et latiùs declarat Hugo, lib. 2 de Officiis ecclesiast., cap. 16. Alia de his orationibus diximus tractando de Missâ, ubi etiam diximus de confessione, quæ in aliquibus partibus divinorum officiorum interponi solet, scilicet in primâ et completorio, ut in fine noctis, ac principio diei, ut in fine diei ac principio noctis remissionem peccatorum procuremus. Denique post collectam in fine uniuscujusque horæ recitari solet oratio Dominica, quod de matutinis et vespertinis horis statutum fuit in concilio Gerundensi, cap. 10, et habetur cap. *Id semper*, de Consecr., dist. 5, et ad aliquas horas additur aliqua beatæ Virginis antiphona, ut *Salve Regina*, vel aliæ æquivalentes, de quibus eadem est ratio, neque de illis aliquid addendum occurrit, sed videri possunt dicta ubi de invocatione Virginis.

21. Ad primam ergo dubitandi rationem respondetur nec necessarium nec moribus humanis satis accommodatum fuisse, ut divinum officium ex solis Scripturis canonicis quoad omnes partes et singula verba componeretur, quia homines delectantur varietate quâdam, et oportuit orandi onus fieri suave ac delectabile; interdùm etiam exempla recentiora, magisque nobis propinqua, et quodammodò magis nostra plus nos movent. Oportet etiam ipsi Scripturæ aliquam interpretationem adjungere, ut meliùs percipiatur, quam vel sanctorum lectiones tradunt, vel alia Ecclesiæ verba sæpè indicant. Item in orationibus privatis, non semper necesse est loqui Scripturæ verbis, sed interdùm propriis, et prudenter excogitatis ab ipso orante; ergo in orationibus publicis non est necessarium Ecclesiam uti solis Scripturarum verbis, sed potest Ecclesia uti aliis ab ipsâ inventis, seu a suis doctoribus desumptis, et publicâ auctoritate approbatis. Neque in hoc est periculum alicujus noxiæ falsitatis. Varia enim sunt locutionum seu propositionum genera, quæ in ecclesiastico officio extra Psalmos et lectiones canonicas referuntur. Quædam sunt propriæ orationes, postulationes et obsecrationes. Et in his necessaria sunt verba propria ipsius Ecclesiæ accommodata rebus quas postulat, et explicantia modum, affectum et rationem postulandi et medium, aut intercessionem, quam interponit. In his autem non potest esse periculum falsitatis, quia illæ propriè ac formaliter non affirmant aliquid vel negant; ut verò indicant desiderium, veræ sunt, quia universali Ecclesiæ non desunt talia desideria. Et alioqui Ecclesia non potest errare in dirigendâ oratione ad verum Deum per verum mediatorem, qui est Christus, nec in modo postulandi intercessionem sanctorum, neque in rebus quas postulat, quia semper verâ fide et spiritu Dei orat. Quòd autem hoc fiat his vel illis verbis, parùm refert, dummodò apta et accommodata sint, quòd facilè fieri potest modo humano cum prudentiâ et sapientiâ, quæ in Ecclesiâ non deest; aliæ item sunt locutiones continentes gratiarum actiones et laudes Dei, quæ supponunt quidem fidem veram, et ab illâ procedunt, non tamen propriè ac formaliter significant verum vel falsum, quia etiam non affirmant vel negant, nec proferuntur per indicativum modum, sed per optativum vel quasi imperativum, in quo non est falsitas formalis, nec interpretativa erit, si ex animo fiat oratio, ut ab Ecclesiâ semper fit. Quapropter etiam ex hâc parte possunt orationes componi ab Ecclesiâ per homines sine periculo erroris aut deceptionis.

22. Præterea sunt aliæ partes hujus divini officii, continentes doctrinam fidei aut morum, quæ interdùm sumuntur ex libris non canonicis, semper tamen sunt ex libris et Patribus ab Ecclesiâ receptis, et magno cum delectu desumptis, ita ut in illis nullum periculum noxiæ doctrinæ possit esse. Quòd autem non singula verba, vel sententiæ illorum sint infallibilia et canonica, non obstat, quia non proponuntur ut omnia ita credantur, sed ut illuminent et instruant Ecclesiam et populum more humano. Quod enim Paulus ait primo Corinth. 14 : *Unusquisque vestrùm Psalmum habet, doctrinam habet*, etc., non intelligit de solâ lectione Psalmorum vel lectionum Scripturæ sed etiam de catholicâ illorum expositione et doctrinâ vel interpretatione; nam omnia hæc esse possunt ad ædificationem, ut statim exposuit. Tandem alia leguntur in hoc officio, quæ sunt historica, non tantùm canonica, sed etiam humana, continentia vitas apostolorum, martyrum, virginum, doctorum alio-

rumque sanctorum. Quæ similiter non proponuntur ut infallibilia in omnibus et singulis, etiam minimis, sed ut pia et humano modo credibilia, et moraliter certa, quæ prodesse possunt inflammando corda fidelium ad charitatem, et excitando ad bonorum operum studium, et nihil nocere possunt. Unde in his quæ pertinent ad substantialem cultum ac venerationem alicujus sancti semper habent infallibilem veritatem ex approbatione, et canonizatione Ecclesiæ; et similiter in his quæ spectant ad imitationem, semper proponunt exempla honestissimarum virtutum; in circumstantiis verò accidentalibus potest fortassè interdùm esse incertitudo aut varietas, sed id neque ad pietatem, neque ad sanctitatem hujus divini officii quidquam obstat, ut per se notum est; aliàs nec esse deberent in Ecclesiâ sacræ conciones aut lectiones, nec exempla sanctorum essent narranda fidelibus, neque proponenda ad imitandum, quia non semper habent auctoritatem canonicam et infallibilem, quod non solùm erroneum, sed contra omnem sensum humanum est.

23. Quod ergo in concilio Laodicensi statutum fuit, ut in Ecclesiâ non legerentur libri, præter Canonicos, fortasse in eâ provinciâ fuit tunc expediens, propter hæreticorum, præsertim Arianorum turbationem. Et cardinalis Baronius in Appendice ad 4 tom. suspicatur id factum esse occasione abusûs, quem Paulus Samosatenus circa illa tempora inducere tentaverat, ut supra meminimus. Certum est tamen illum canonem à Provinciali concilio editum nunquàm fuisse ab universali Ecclesiâ receptum, sed contrarium fuisse et ante et post illa tempora observatum. Nam Hieronymus de Scriptor. Ecclesiast. in Clemente et Polycarpo refert eorum epistolas solitas esse legi in Ecclesiis Asiæ, et ex Augustino, lib. 22, de Civit., cap. 8, constat suo tempore solitas esse legi in publico Asiæ conventu historias et miracula sanctorum, vel in ipso divino Officio, vel extra illud : hoc enim parùm refert. Idque statutum fuerat in concilio Carthagin. III. cap. 47, et ibi etiam signatim dicitur ut nihil præter Scripturas canonicas in Ecclesiâ legatur: *Sub nomine sacrarum Scripturarum*, quarum ibi catalogus subjungitur. Et fortassè hæc etiam limitatio subintelligi posset in canone Laodicenæ synodi, ubi etiam catalogus canonicorum librorum supponitur, ut ita unus canon per alium explicetur. Magis verò placet sententia cardinalis Baronii : juxta quam etiam interpretor canonem concilii Bracharensis I; dùm enim allegat *præcepta canonum*, ad concilium Laodicenum (quod paulò antea præcesserat) videtur alludere; in nullo enim alio ecclesiastico canone legitur talis prohibitio; vel fortassè etiam tantùm loquitur de Psalmis, hi enim nunquàm fuerunt in usu Ecclesiæ, ex libro David; non verò prohibet quin hymni et alii versus aliunde compositi, et ab Ecclesiâ probati in eâdem possint decantari.

24. In secundâ objectione petitur cur in hoc officio ecclesiastico orationi et deprecationi sacra lectio misceatur, et nunc ab oratione ad lectionem, et rursùs ad orationem à lectione transitus fiat? Ad quod breviter respondemus, non sine magnis rationibus ita fuisse ab Ecclesiâ constitutum, et ubique ac semper generali traditione observatum, ut constat ex Cassiano, lib. 2 de Institut. Renunt., cap. 6, et Benedicto in suâ Regul.; Isodoro, lib. 1, de divin. Offic., cap. 10, et aliis. Ratio autem est quia, ut supra cum Bernardo diximus, lectio ad meditationem valdè necessaria est; Ecclesia autem non intendit solùm ad orationem vocalem fideles provocare, sed etiam ad internam meditationem et considerationem eos instruere. Unde Cassianus ait Patres addidisse lectionem, *pro studentibus habere continuam meditationem sacrarum Scripturarum*; Isidorus verò sic inquit : *Est autem lectio non parva audientium ædificatio, unde oportet, ut quando psallitur, psallatur à cunctis, cùm oratur, oretur ab omnibus, quando lectio legitur, facto silentio æquè audiatur à cunctis.* Et infra : *Obtentu orationis ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cùm orandi potestas in promptu sit.* Ubi egregiam rationem indicat hujus ecclesiasticæ providentiæ : nam quia lectio sacra omnibus potest esse valdè utilis, voluit etiam omnibus in publico officio proponi, ut multi eâ frui possent, qui aliàs fortè illam paratam non haberent; et ut majori attentione et reverentiâ susciperetur, eam sapienter interposuit orationi, itemque, ut ipsa oratio per lectionem pingueseeret, ut idem Isidorus adjungit dicens : *Ne putes parvam nasci utilitatem ex lectionis auditu, siquidem oratio fit ipsa pinguior, dùm mens recenti lectione saginata per divinarum rerum, quas nuper audivit, imagines currit;* accedit etiam, quòd hâc varietate delectatur orantium, et audientium animus, et diuturnæ psalmodiæ labor levatur, ac fastidium, vel tædium impeditur : neque unquàm Paulus prohibuit cum oratione conjungere aut interponere lectiones, sed potiùs oppositum indicat 1 Corinth. 14, cùm Psalmum, doctrinam et alia conjungit. Quia non oportet hoc officium esse simplex aut homogeneum, ut sic dicam, sed artificiosiùs cum varietate compositum est ad fructum animarum, ac subinde ad meliorem cultum Dei.

25. Hinc facile est ad tertiam objectionem respondere : in quâ inprimis notatur longitudo et onus hujus officii, et afferuntur verba Christi, in oratione *nolite multùm loqui*. Quorum verborum sensus, ut ibi notavit Chrysostomus, homil. 19, non est, ut oratio non sit diuturna, sed ut loquacitas in illâ non sit nimia, nec vitiosa; est autem vitiosa et nimia, quando est de inutilibus rebus, vel cum inutili prolixitate. Atverò totus sermo hujus sacri officii est utilissimus, et de rebus ad divinum honorem et salutem animæ maximè pertinentibus. Neque est cur grave, aut nimis longum reputetur. Nam inprimis est principaliter institutum pro his hominibus, qui divino cultui dicati sunt, quos decet magnam diei et noctis partem in divinis laudibus consumere, et deinde si privatim dicendum est, vix diei vigesimam partem occupat; si autem in Ecclesiâ publicè recitatur, aut canitur, cùm Ecclesia habeat ministros ad illud munus peculiariter deputatos,

licèt magis diuturnum sit pro illis non potest reputari grave onus, nec etiam pro aliis fidelibus cùm eos Ecclesia non cogat ad totum illud officium audiendum, sed invitet volentes, eisque abundantes epulas apponat, ut unusquisque quod sibi benè placitum fuerit, sumat.

26. Notantur deinde repetitiones, quæ in hoc officio fiunt, et adducitur dictum Sapientis : *Ne iteres verbum.* Sapiens autem non prohibet eadem verba sæpè in oratione repetere, vel ex abundantiâ devotionis, vel ad eam excitandam et confirmandam, sed vel prohibet repetitionem verborum ex quâdam infidelitate, quasi necessarium sit verba repetere, ut ea Deus possit audire, vel ne temerè et sine fructu fiat repetitio, sicut Ecclesiast. 5, dicitur : *Ne temerè quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo*, etc. Repetitiones ergo illæ quæ in hoc officio fiunt ad excitandum spiritum et devotionem ordinantur, suntque summâ prudentiâ et arte compositæ, etiam ad sublevandos et recreandos animos oranium, et ad meliorem concentum ; item propter mysticam significationem ; nam hæ repetitiones maximè fiunt in responsoriis, quæ opera bona significant, quæ sæpiùs iteranda sunt, ut sumitur ex Amalario in Antiphonario, cap. 4, et Turrecrematâ, tract. 66, ad Regul. sancti Benedicti, et aliis, in quibus multa alia de his versibus et antiphonis, quæ repetuntur, videri possunt.

27. Tandem notatur varietas partium ex quibus hoc officium componitur ; hæc autem objectio solùm eò tendit, ut sub colore spiritualis contemplationis, vocalis oratio contemnatur. Respondetur ergo varietatem illam sapientissimè fuisse inventam. Primò, ut diuturnitas orationis tolerabilior fiat. Deinde, quia hæc oratio publica est, et omnibus proponitur, et quidam delectantur ac moventur hoc genere precationis, laudis aut lectionis, et alii alio. Denique quia ex hâc varietate multiplices etiam excitantur affectus, quod regulariter necessarium est ad colligendas mentes orantium vel audientium. Pauci enim sunt qui in eodem affectu, aut in eàdem simplicis veritatis intuitione, vel ad breve tempus immorari possint. Quòd si aliqui fuerint adeò spirituales et contemplativi, ut in Deum ipsum rapiantur, et in ejus contemplatione firmentur, parùm vel nihil ex illâ varietate verborum impedientur ; possunt enim ad verba ipsa tenacissimè attendere, et in suâ internâ contemplatione persistere ; vel certè, ut significavit Bernard., sermone 49, in Cant., licèt aliquantulùm tunc impediantur, propter majus commune bonum vel obedientiam, ferendum est ; nam bonus affectus non carebit suâ mercede coram Deo, et privatis orationibus ac meditationibus poterit compensari.

CAPUT III.

Utrùm ecclesiasticum officium in nocturnum, et diurnum convenienter divisum sit ?

1. Explicatâ materiâ, et minutioribus partibus hujus divini officii, oportet explicare partes alias principaliores, quarum singulæ ex illis prioribus partibus componuntur, et horæ canonicæ vocantur, quarum unaquæque per se spectata, est veluti quædam integra oratio, seu officium integrum pro aliquâ certâ horâ designatum, ex omnibus verò componitur unum integrum officium divinum secundùm regulam ecclesiasticam recitandum. Atque hinc partes illæ horæ canonicæ dictæ sunt. Putârunt verò aliqui dictas esse horas canonicas ab orando, ut Abbas in cap. 1 de Celebrat. missar. in principio, et Zabarella in Clement. 1, de Celebrat. missar. Joannes de Lignano, tract. de Horis canonic., et alii : certum tamen est, canonicas preces horarum nomen ab horâ, prout pars temporis est, desumpsisse, ut Navarrus et alii notârunt. Quod vel ex ipsâ scriptione constat, nam cum aspiratione horæ dicuntur. Ex traditione item est res evidens, ut videbimus. Quamvis autem hora temporis varias habeat significationes, ut ex Latinis constat, tamen ad rem præsentem duæ tantùm conferre possunt ; una est quâ hora dicitur quodlibet tempus opportunum vel designatum alicui operi faciendo : juxta illud Joannis 5 : *Venit hora et nunc est*, et cap. 7 : *Nondùm venit hora ejus ;* et ita dici possunt horæ canonicæ, quia certa habent, et designata tempora, in quibus dici debeant. Propriùs tamen, et magis ad rem præsentem et ad communem usum, hora significat certam diei vel noctis partem aliquotam, nimirùm vigesimam quartam diei naturalis, juxta communiorem usum ad hæc usque tempora retentum, vel duodecimam partem diei aut noctis artificialis, juxta quemdam antiquum usum. Ab horâ ergo in aliquâ ex his acceptionibus sumptâ, canonicæ preces horæ appellatæ sunt, quia partes illæ principaliores hujus divini officii, per certas diei horas distributæ sunt, ut videbimus. Canonicæ autem dicuntur eàdem ratione quâ divinum officium, quia secundùm certam regulam dicendæ sunt.

2. Ut autem illa divisio horarum meliùs intelligatur, advertendum est diem interdùm sumi pro naturali die, interdùm pro artificiali. Naturalis dies dicitur qui integrâ solis circulatione perficitur, complectiturque noctem cum die artificiali ; juxta illud Genes. 1, *et factum est vespere et mane dies unus*, et declarat Beda, lib. de Divisionibus temporum, capite de Die, et lib. de Ratione computi, cap. 2 et 3, et lib. de Temporum ratione, cap. 2 et 3 ; Isidorus, libro 5 ; Origin., cap. 30, ubi naturalem diem vocat legitimum, artificialem autem abusivè. Idem lib. de Natur. rerum, cap. 1. Qui etiam indicat, in nocte non habere locum illam partitionem, quia nox solùm dicitur à solis absentiâ, et ita in nullâ acceptione complectitur partem temporis lucidam ; dies autem dicitur à solis præsentiâ, et ideò à meliori parte totus dies naturalis dies denominatur, etiamsi ex parte lucidâ et tenebrosâ componatur. Uterque igitur dies potest per horas dividi, tum quia dies artificialis est quasi dimidia pars diei naturalis, licèt non semper æqualis ; ideòque sicut naturalis dies in viginti quatuor partes dividitur, ita artificialis in duodecim, et in totidem dividitur nox, quæ illi diei correspondet : utraque ergo ex his

partibus hora appellatur, sed diverso modo, nam hora diei naturalis vocatur hora æquinoctialis, quia est tanta, quanta esse solet hora, quæ est pars duodecima tam noctis, quàm diei artificialis in æquinoctio. Possent etiam dici horæ æquales, quia semper sunt ejusdem magnitudinis seu durationis. Possent item dici horæ naturales per respectum ad diem naturalem, quem componunt. Unde è converso aliæ dici possent horæ artificiales : communiter autem dicuntur horæ inæquales, quia licèt ejusdem diei artificialis horæ inter se comparatæ semper sint æquales, tamen in diversis temporibus anni sunt inæquales, nam horæ diei æstivalis majores sunt quàm horæ diei hyemalis, et è converso in noctibus. Consequenterque horæ diei artificialis per totum annum sunt inæquales horis noctium, interdùm majores, interdùm minores, præterquàm in æquinoctio, quando sunt æquales.

3. Utraque autem significatio in Scripturâ reperitur, expressiùs tamen hæc posterior : nam de priori intelligi possunt illa loca, in quibus hora simpliciter ponitur, ut mensura alicujus actionis ; nam quia mensura debet esse certa et invariabilis, optimè similia loca de horâ æquinoctiali intelliguntur, ut illud Job. 11 : *Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam*, et cap. 12 : *Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum;* item illud Luc. 22 : *Facto spatio quasi horæ unius;* et illud Matth. 26 : *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Hæc tamen loca non ita cogunt quin possint exponi de horis artificialibus, seu inæqualibus, quæ tunc occurrebant, quando illa, quæ narrantur, acciderunt. Parùm autem refert, quia illa horæ acceptio sicut naturalissima est, ut sic dicam, ita communissima et prorsùs indubitata est. Altera verò, quæ magis pendet ex arte et usu, evidentiùs convincitur ex Scripturâ ; nam Christus Dominus, Joan. 11, dixit : *Nonne duodecim horæ sunt diei?* quod non potest nisi de die artificiali et horis inæqualibus intelligi, ut omnes notant, et eodem modo sumitur Joannis 1, cùm dicitur : *Hora autem erat quasi decima*, et cap. 5 : *Heri horâ septimâ reliquit eum febris;* et ex Matth. 20, idem convincitur, ut statim dicam.

4. Tertiò supponendum est, ultra istas partitiones diei, addi solere tertiam, quoniam nox olim dividi solebat in quatuor partes æquales inter se, inæquales verò in se, id est, majores vel minores, juxta noctium longitudinem vel brevitatem. Quæ quatuor partes non inveniuntur appellatæ nomine horarum, ita ut tota nox quatuor horis constare dicatur ; sed appellantur vigiliæ noctis, prima, secunda, tertia et quarta, quarum quælibet tribus horis constabat, et de his vigiliis loquitur Lucas, cap. 2, cùm ait : *Pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum ;* et Christus Luc. 12 : *Si venerit in secundâ vigiliâ, et si in tertiâ vigiliâ venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi ;* et Matth. 14, de Christo dicitur : *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos ambulans super mare ;* et de eisdem vigiliis fit mentio, Exod. 14, Judic. 7, et Reg. 11, et videri potest Hieronymus, Epist. 139, ad Cyprianum, et Augustinus, serm. 14 de Verbis Domini. Hæc ergo noctis divisio certa est, et sumpta creditur ex disciplinâ et ordine militari. Cum eâdem ergo proportione credunt multi artificialem diem divisum esse in quatuor partes, quæ quatuor stationes dicebantur. Ita tenet Censorinus, lib. de Natali die, cap. 10 et 11, et plures moderni tractantes de horâ crucifixionis et Passionis Domini ; tribuique solet Isidoro, lib. 1 de Offic. eccles., cap. 19. Ille verò solùm in fine capitis loquitur de divisione noctis in quatuor vigilias. Alii autem Patres infra referendi expressiùs illam divisionem posuerunt, loquuntur tamen de usu Ecclesiæ et religioso, non de militari. Et ideò nonnulli moderni negant, fuisse in usu inter gentiles vel Judæos, illam divisionem diei in quatuor partes, etiam pro ordine militari, quia nec de illâ est mentio in antiquis auctoribus, nec in die erat illa necessitas quæ est in noctibus. Sed certè etiam in die solent militares custodiæ per certa tempora distingui et commutari, et ideò non est improbabile eamdem fuisse partitionem diei et noctis, licèt non eisdem nominibus appellaretur.

5. Quidquid verò sit de ordine militari, et de consuetudine Gentilium, negare non possumus quin inter Judæos fuerit consuetudo dividendi diem in illas partes, saltem in ordine ad orationem, vel occasione quatuor temporum diei, quæ ad peculiarem orationem erant designata. Hoc aliqui colligunt ex Matth. 20, ubi dicitur Paterfamiliâs exiisse *primo mane, horâ tertiâ, sextâ et nonâ;* verùm tamen ille locus non potest commodè ita exponi, quia additur etiam hora undecima, quæ non potest esse nisi propria hora diei. Unde sicut horæ diei artificialis dicuntur duodecim, et una dicitur decima, alia undecima in propriâ mensurâ, ita etiam illa hora, quæ est tertia in ordine, præcisè sumpta dicitur tertia hora diei, ut Actor. 2, et sic de cæteris ; nihilominùs tamen negare non possumus quin aliquando extendantur hæ voces ad significandas quatuor diei partes, sibi aliquo modo proximè et immediatè succedentes, ac subinde excedentes unius horæ artificialis spatium, et totum diem aliquo modo complectentes. Ad hoc enim cogunt nos Evangelistæ, Joannes et Marcus, loquentes de horâ crucifixionis Domini ; nam Joannes vocat illam sextam, Marcus verò tertiam, quod non potest aliâ ratione conciliari, nisi quia illæ horæ contiguæ erant, et finis unius erat initium alterius, et ideò idem tempus potuit ab utrâque denominari, præcipuè cum particulâ diminutivâ *quasi*, ut latiùs alibi tractavi. Sive ergo illæ partes diei nomine horarum, vel stationum significatæ aliquando fuerint, sive non, tamen sub nomine tertiæ, sextæ et nonæ, non est dubium quin significentur sæpè tres partes diei, quæ primam aliquam supponunt ; et ita illa partitio insinuatur in Scripturâ, licèt ejus non tam expressa mentio fiat.

6. Maxima ergo conjectura, et, quantùm arbitror, verissima est, apud Judæos primam diei horam fuisse ad orationem peculiariter destinatam, ut colligitur ex 1 Paralipom., cap. 23, ubi præcipitur ut Levitæ

stent manè in templo ad confitendum Domino. Unde David, Psalm. 87, aiebat: *Et manè oratio mea præveniet te;* et Psalm. 5: *Manè exaudies vocem meam, et manè astabo tibi*, etc.; Et similia sunt multa in Scripturis. Post illam verò primam horam erant etiam tertia, sexta et nona, quæ celebriores erant ratione orationis, ad quam videntur fuisse peculiari lege vel consuetudine designatæ. Hæc enim sunt illa tria tempora diei, in quibus Daniel juxta consuetudinem suam adorâsse et orâsse dicitur, contempto edicto regis, Daniel. 6, ut Hieronymus exponit, et alii Patres infra referendi. Et in Actibus, cap. 3, expressè dicitur: *Petrus et Joannes accendebant in templum ad horam orationis nonam;* cap. 10 de Petro dicitur, *ascendisse ad superiora, ut oraret circa horam sextam.* De tertiâ verò non invenio tam expressum locum pro horâ orationis; nam quod ab aliquibus citatur ex Actor. 2: *Cùm sit hora diei tertia*, de propriâ horâ temporis meliùs intelligitur, tum quia expressè additur: *Cùm sit hora diei*, tum quia id conducit ut ratio Petri majorem habeat efficaciam; tamen in loco Marc. 15: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*, apertè constat non significare simplicem diei horam; sed peculiari alio usu et significatione, quæ non potest habere aliud fundamentum, nisi quòd etiam esset hora ad orationem designata, et ex proportione ad sextam et nonam idem fit satis verisimile. Censeo autem omninò verum, tempora illa ad has orationes designata non habuisse initium in principio illius horæ diei, à quâ nomina sumunt, sed à fine: ut, verbi gratiâ, tertiam pro oratione incœpisse currere finitâ tertiâ horâ diei, et sextam finitâ sextâ, et similiter nonam, quod sentiunt multi, ut ibi retuli, et licèt à Marcello Francolino contemnatur, est ferè necessarium ad commodam concordiam Evangelistarum. Et per se est valdè credibile, si advertamus non esse consuetum horam numerare nisi postquàm finita est ut prima hora diei naturalis apud nos censetur, quando sonat signum ejus, transactâ horâ post medium noctis. Et Romæ dicitur hora prima noctis, postquàm sol per horam integram abest. Unde quando actio aliqua, vel lectio, vel oratio horâ tertiâ vel quartâ fieri dicitur, semper inchoatur finitâ tali horâ, secundùm cursum diei naturalis; sic ergo tertia orationis hora incipiebat, finitâ horâ tertiâ diei artificialis, idemque est cum proportione de sextâ et nonâ. Et hinc fortassè ortum est ut oratio, quæ manè fiebat, non inveniatur appellata *prima*, nec quòd fieret horâ primâ, quia fieri poterat vel debebat statim in ortu solis ante transactam seu auditam primam diei horam: quod enim factum esse oportet, quando signum primæ horæ auditur, non dicitur propriè fieri in horâ primâ, sed ante illam.

7. Denique in hoc puncto considerandum est, quamvis oratio uniuscujusque horæ ex his non necessariò duraret per tres horas diei artificialis (hoc enim neque cum fundamento affirmari potest, neque per se videtur verisimile, aliàs toto die sine intermissione esset continuanda oratio), nihilominùs totum illud tempus in quo oratio legitimè fieri poterat, humano et morali modo appellatum esse tempus orationis. Unde quia inter unam et alteram illarum orationum non interponebatur alia, tempus totum ab unâ ad aliam denominabatur ab oratione, seu dicebatur tempus illius orationis, quæ in illo vel quàlibet parte ejus, aliquantulùm postponendo, vel etiam anticipando, fieri poterat. Hic enim est moralis modus operandi, et ita nunc contingit, et verisimile est semper contigisse. Ita ergo habent fundamentum in Scripturâ partitiones diei, tam per naturales, vel artificiales horas, quàm per horas, seu tempora orandi per diem, præter vigilias noctis.

8. His suppositis dico ab Ecclesiâ convenientissimè fuisse divinum officium distributum in partem nocturnam et diurnam. Hæc assertio habetur ex Jure in cap. *Dolentes*, de Celebrat. missar., ibi: *Præcipientes*, etc., *ut divinum officium nocturnum, pariter et diurnum*, etc., *celebrent.* Similis partitio habetur in Clem. 1, eodem tit. Aliis verò locis *matutinum, et vespertinum officium* vocatur, ut in cap. *Placuit*, d. 12, et cap. ult, d. 92, et in cap. *Si quis episcopus in concilio*, 11, quæst. 3. Sed in eodem sensu intelligenda est divisio, ut infra dicam; est ergo hæc ecclesiastica institutio. Quòd autem sit convenientissimè facta, probatur primò ex Scripturâ. 1 Paralipom. 9, dicitur constitutos fuisse levitas ad canendum in domo Domini, *ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent;* Psalm. 118, vers. 55, ait David: *Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam;* et vers. 62: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* De diurnâ verò oratione sunt infinita ejusdem Prophetæ testimonia. Psalm. 54: *Vespere, mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudies vocem meam;* et Psalm. 118, vers. 148: *Prævenerunt oculi mei ad te diliculo*, etc. et hoc sensu ait Psalm. 33: *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc. Christus etiam usum frequentem orationis nocturnæ docuit verbo, et monstravit exemplo, Matth. 14, Marc. 6, Luc. 6: *Et erat pernoctans in oratione Dei*, et in hoc sensu monuit Discipulos vigilare, et orare semper, Luc. 12 et 22. De orationibus item diurnis à Christo usitatis constat passim ex Evangelio; in Actibus etiam Apostolorum orationum primorum Christianorum tam noctis, quàm diei sæpè mentio fit, cap. 16: *Paulus et Silas mediâ nocte surgentes laudabant Deum.* Et hæc exempla imitatam fuisse Ecclesiam, ipsa profitetur dicens in hymno quodam: *Mentes, manusque tollimus. Propheta sicut noctibus, nobis gerendum præcipit, Paulusque gestis censuit.*

9. Præterea hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem in orationibus publicis tam nocturnis, quàm diurnis manifestum est ex Tertulliano in Apolog. ex libr. de Virginit. circa finem; Basilio in Regul. longioribus in 37. et Epist. 1 ad Gregorium Naz.; Cypriano in Orat. Domini; Hilario, Psal. 118, vers. 62; et ibidem Ambrosio et lib. 7 in Lucam; Hieronymo, Epist. 7. *Assuescat exemplo ad orationem et Psalmos nocte consurgere, manè hymnos canere*, etc. Similia in Epist. 8, 22 et 28; Chrysostomo, Homil.

26 in Actor. et 41 et 42 ad Popul.; Augustino, serm. 56 de Tempore, et in Psal. 32, et Cassiano, lib. 2 de Institut., 1, an nunc de nocturnis precibus, in tertio loco de diurnis disserit. Idem videre licet in regulâ S. Benedicti, et in aliis antiquis Patribus, quorum verba et loca omitto, quia diligentissimè multi ea referunt; et videri possunt Cardinalis Bellarminus, lib. 1 de Bonis oper., cap. 13; Baronius, tom. 1 Annal., anno Christi 34, num. 251 et sequentibus, anno 51, n. 68 et seq., et sæpèque in illo opere, et in Martyrolog. circa vigiliam Epiphan. nonnulla de antiquitate vigiliarum congerit. De quibus egregiè etiam Durantus, lib. 3 de Ritib., cap. 5 et 6, et de cæteris temporibus in cap. sequent., et Marcelius Francolinus, lib. de Hor. Canon., cap. 2, 12, 13, et sequent., et Ferdinandus Mendoca, lib. 3, in Concilium Elibiritanum, cap. 4.

10. Tandem supervacaneum videtur adjungere rationes, quia oratio per se laudabilis actus est, et maximè necessarius universæ Ecclesiæ, tum ad impetrandum auxilium pro continuis, et universalibus necessitatibus ingruentibus, tum ad gratias agendas pro continuis Dei beneficiis, tum propter ipsius Dei cultum, et alios innumeros fructus orationis; ergo meritò designantur tempora tam noctis, quàm diei, ut hoc sanctum opus nomine totius Ecclesiæ ab illius ministris exerceatur. Et diurnæ quidem preces necessariæ fuerunt pro totius populi Christiani peculiari utilitate, et quasi usu, ut divinis officiis adesse possent omnes qui vellent. Nocturnæ autem preces olim etiam pro toto populo videntur fuisse institutæ, quantùm ex historiis et Patribus colligimus. Et aliqui pii viri contendunt fore conveniens, illum morem retinere, et conservare. Non tamen sine prudenti ratione, et causâ regulariter jam in Ecclesiâ id non servatur, sed solùm in vigiliâ Natalis Domini, et aliquâ ex parte in nocte Paschæ, et aliquibus feriis hebdomadæ sanctæ, propter majora incommoda vitanda. Nihilominùs tamen semper conservantur in Ecclesiâ preces nocturnæ, vel in aliquibus Ecclesiis secularibus, quia pertinet ad majorem Dei laudem, ut hoc grave ministerium nunquàm in corpore Ecclesiæ desit, etsi in modo, et circumstantiis aliqua variatio contingat.

CAPUT IV.

De divisione nocturni officii in partes suas.

1. Dicendum inprimis est, Ecclesiam convenientissimè distribuisse nocturnam orationem publicam in varias partes vel tempora. Hoc facilè constat declarando distributionem, ejusque antiquitatem et rationem; nam ad hanc orationem nocturnam pertinet matutinum cum laudibus, ut colligitur ex dicto cap. *Dolentes*, et Clement. 1, de Celebrat. missar.; nonnulli verò canonistæ volunt comprehendi, etiam in hoc officio nocturno completorium, et primam, ut Joannes Andreas, Hostiensis, Abbas, et alii in cap. 1, de Celebr. missar. et Archidiaconus in cap. *Presbyter*, distinct. 91. Sed, licèt quæstio sit de nomine, non habent fundamentum in jure, ut constat ex eodem cap. 1 de Celeb. missarum. Quia prima, et completorium consueverunt in die dici, ut infra ostendemus, et ex hymnis illarum horarum intelligi potest; nam in primâ dicitur : *Jam lucis orto sidere :* in completorio verò : *Te lucis ante terminum.* Solùm ergo matutinum, et laudes sub nocturno officio comprehendimus. Quinimò si rigorosiùs loquamur, solent interdùm laudes diurno officio attribui, ut ex dicto cap. 1 de Celebrat. missar. colligi potest, et cap. seq. ponderabimus. Aliquando verò è converso sub matutinali officio comprehenduntur omnes horæ antemeridianæ, id est, à matutino usque ad nonam, ut quando matutinum officium à vespertino distinguitur; nam tunc sub vespertino officio nona, vesperæ et completorium includuntur, juxta Gloss. in cap. ult., dist. 92, quæ ita intelligenda est, ut ibi Hugo notavit. Sed hoc parùm refert, quia solùm spectat ad usum vocum, nunc de re loquimur, et de proprio officio nocturno, prout est in usu Ecclesiæ.

2. Hæc ergo partitio nocturni officii ex institutione Ecclesiæ constat. Matutinum enim strictè sumptum à laudibus adeò distinguitur, ut tempore etiam separari soleat, et propriâ oratione concludi, ut infra dicetur, unde diversa etiam initia et hymnos distinctos habent; matutinum autem interdùm uno nocturno duodecim Psalmorum, cum tribus lectionibus, totidemque responsoriis concluditur, interdùm tribus nocturnis constat, et singuli tribus Psalmis, et lectionibus totidem componuntur, præterquàm in dominicis diebus, in quibus duodecim Psalmi in primo nocturno dicuntur. Cujus diversitatis variæ rationes mysticæ traduntur ab his, qui de divinis officiis scribunt : moralis verò et litteralis ratio esse videtur, quia pro diversitate solemnitatum oportuit aliquam variationem fieri, et illa est satis aptè, et prudenter instituta. Et credibile est in ternario numero habitum fuisse respectum ad gloriosissimæ Trinitatis mysterium, ex Cypriano serm. 6, vel ad tres primas vigilias noctis, ut dicemus; duodenarium autem numerum observatum esse, vel propter ejus universalitatem, ut illo significetur omnibus modis laudandum esse Deum, vel propter duodecim horas noctis, ut per tale officium totius noctis tempori satisfieri videatur, eò quòd homines propter debilitatem non possint totam noctem in divinis laudibus consumere. Lege Isidorum, lib. 1 de Divin. offic., cap. 19; Hugonem, lib. 2, cap. 9; Amalarium, Alcuinum, et alios.

3. Dubium tamen est, an hæ partes nocturni officii in suî initio ita fuerint distinctæ, ut tempore etiam disjungerentur : multi enim affirmant quando tres dicebantur nocturni, primum fuisse solitum dici in primâ noctis vigiliâ, secundum in secundâ, tertium in tertiâ; laudes verò in quartâ jam propè auroram In feriis verò quando unus nocturnus tantùm dicitur, non habebat locum hæc partitio, unde certum est, totum continuè fuisse dictum in principio tertiæ vigiliæ, id est, mediâ horâ noctis; laudes verò eodem modo disjunctæ dici poterant. Potestque hæc senten-

tia sumi ex his auctoribus qui aiunt tres nocturnos correspondere tribus primis vigiliis noctis, et laudes, quartæ ; non enim putandum est continuè per totas vigilias nocturnos durâsse ; nam id humana conditio non tulisset ; ergo oportet dicere, discretè fuisse dictos singulos in aliquâ parte uniuscujusque vigiliæ. Afferunt autem illam rationem vigiliarum Isidorus lib. 1 de Divin. offic., cap. 10 ; Hugo de S. Victor. lib. 2 de eisdem offic., cap. 9.; Amalar. lib. de Ord. Antiphonar.; D. Thomas, lect. 6, in 1 Corinth. 14 ; Waldens. de Sacram., c. 24 et 28.

4. Potestque hæc sententia ex Hieronymo colligi Epist. 22 ad Eustochium ibi : *Bis et ter nocte surgendum est :* nam videtur hoc dicere propter diversa tempora nocturnorum ; unde quando unus tantùm dicebatur, bis surgendum erat, semel in mediâ nocte ad matutinum, et iterùm in quartâ vigiliâ ad laudes : quando autem erant tres nocturni dicendi, oportebat tertiò surgere ante mediam noctem ; nam primus nocturnus ante cubitum dici poterat ; favet etiam Ambrosius lib. 7 in Lucam, c. 11, ubi ait : *Non solùm mediâ nocte Dominus, sed omnibus propè singulis docet vigilandum esse momentis*, et infra circa illud : *Quis vestrùm habebit amicum*, etc. Præterea additur conjectura ex libro secundo Esdræ, cap. 9, ubi dicitur populus Israel adorâsse Deum quater in die, et quater in nocte, ut referunt et accommodant doctores statim citandi ex Bedâ ibi, et Amalarius lib. de Ecclesiast. offic., c. 7. Denique ex ipso numero nocturnorum videtur verisimile fuisse dici solitos temporibus diversis, et cum aliquâ temporis interpositione. Quod tenent Guillelmus Durandus lib. 5 Rational. divin. Offic., c. 3 ; Marcellinus Francolinus lib. de Hor. canon., c. 1, n. 14 ; Navar. dicto Enchir. de Orat., c. 3, n. 28 ; Durantus lib. 3 de Ritib., c. 5 ; Sotus lib. 10, q. 5, de Just., art. 1, c. 5, et alii antiquiores, quos ipsi referunt.

5. Nihilominùs hanc sententiam in dubium revocat Azor, lib. 10 suarum Instit., c. 2, dicitque inprimis, non affirmari ab antiquis doctoribus et Patribus, quos moderniores referunt. Nam verba Hieronymi non multùm cogunt, quia post illa verba : *Bis aut ter nocte surgendum est*, addit, *revolvenda quæ de Scripturis mĕmoriter retinentur*, utique ad meditandum in illis ; ad hoc ergo significat esse surgendum bis aut ter ; loquitur ergo ibi de meditatione privatâ, non de oratione publicâ horarum canonicarum ; Ambrosius etiam solùm generaliter ibi suadet frequentiam orationis, et proponit necessitatem semper vigilandi, *quia Dominus in vespertinâ* (id est, primâ) *et in secundâ, et in tertiâ vigiliâ venire solet ;* de consuetudine autem vel modo dicendi nocturnos, nihil ibi tradit. Et eodem modo loquitur de his vigiliis tractans eadem verba Christi Lucæ 11, Isidorus dicto lib. 1 de divin. Offic. c. 21 ; in cap. verò 19, non satis apertè loquitur ; significat enim tres nocturnos institutos esse, ut loco trium vigiliarum Deo consecrentur, non tamen dicit in tribus vigiliis separatim, et discretè dici solitos. Sicut paulò antea dicebamus, duodecim Psalmos in uno nocturno dici pro duodecim horis noctis, non quia per singulas horas, sed quia pro singulis horis, id est, ad satisfaciendum pro illis, tot Psalmi dicantur. Ita ergo dici possunt tres nocturni pro tribus vigiliis noctis, etiamsi divisim in illis non dicantur. Et hunc sensum evidentiùs expressit Hugo de S. Vict. dicto capite 9 ; ita enim ait, tres nocturnos dici pro tribus vigiliis noctis, sicut in singulis nocturnis tres Psalmi dicuntur pro singulis horis noctis. *Unde*, inquit, *et trium nocturnorum singulum tres habet Psalmos, quibus nos totidem horis noctis Dei servitio præsentamus.* Et infra dicit, per tres nocturnos etiam repræsentari tempus ante legem, in lege et post legem, quod verum est etiamsi continuè dicantur. Et in fine capitis sentit, illud totum fuisse unum officium integrum, distinctum à laudibus, quod propriâ oratione concludebatur, unde potiùs sentit, continuè dictum fuisse ; Amalarius etiam magis mysticè, quàm historicè loquitur, et l. 4 de divin. Offic., cap. 9, potiùs significat, totum matutinum officium solitum fuisse inchoari post mediam noctem ; ex quo, ut statim dicam, magnum argumentum sumitur, fuisse potiùs consuetudinem dicendi omnes Psalmos, seu nocturnos sine intermissione. Et in cap. 7, totum matutinum ponit tanquàm unum nocturnum officium, et longè aliter accommodat locum Esdræ, de quo statim dicetur, quia sine fundamento adducitur.

6. Ex his ergo potest hæc sententia suaderi primò, quia totum matutinum, ut condistinctum à laudibus, et constans ex tribus nocturnis dicebatur per modum unius officii, et suâ oratione concludebatur ; ergo verisimilius est semper fuisse dictum continuè, et non per partes. Secundò, quia in feriali officio, in quo unus tantùm nocturnus oblongior dicitur, non est dubium, quin continuo tempore diceretur in unâ vigiliâ noctis, secundâ, vel tertiâ ; ergo idem credendum est de officio trium nocturnorum quod loco illius dicitur in diebus festis, quia solùm videtur esse differentia in numero Psalmorum, lectionum, et responsoriorum, propter majorem solemnitatem, non verò in horarum aut temporum diversitate. Tertiò, officium illud inchoatur in mediâ nocte, ut colligitur ex Hieronymo, Ambrosio et aliis Patribus adductis ; et ex cap. 1 de Celebr. miss., ubi post numeratas alias horas à laudibus usque ad completorium, subditur : *Nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait : Mediâ nocte surgebant ad confitendum tibi*, etc. Sentit ergo vigilias illas solitas esse inchoari post mediam noctem, et per modum unius officii solitas esse dici. Nam profectò post mediam noctem aliter dici non poterant, cùm duæ vigiliæ noctis jam essent transactæ. Et hoc apertè supponit S. Benedictus in suâ Regulâ, cap. 9 ; nam matutinum præcipit inchoari tempore hyemis horâ octavâ noctis ; in æstate verò tempore commodo, ita ut paulò ante auroram possit finiri, et apertè supponit totum continuè esse dicendum, usque ad laudes exclusivè. Et cap. 11, licèt præcipiat in diebus dominicis paulò maturiùs inchoari, nocturnos verò continenter esse dicendos significat.

7. Quartò, quia aliàs fuisset onus intolerabile, toties somnum interrumpere, et ipsum officium non posset cum debitâ devotione et attentione celebrari. Tacitè verò respondet Sotus supra, quòd in primitivâ Ecclesiâ clerus in tres partes dividebatur, ita ut unaquæque unum nocturnum per singulas vigilias diceret, et in cæteris quiesceret, ut in quartâ omnes ad laudes convenirent. Sed hoc ab ipso nullo testimonio asseritur, ideòque meritò à Duranto, Marcello, et aliis non probatur, quia singuli de clero integrum officium recitare obligantur; et hic fuit semper mos Ecclesiæ; ergo non est verisimile fuisse distributos nocturnos per distinctas personas, seu partes cleri. Adde difficilè fieri potuisse, ut in principio Ecclesiæ tanta esset multitudo cleri in singulis Ecclesiis vel populis, ut posset eo modo in tres partes dividi ad singulos nocturnos recitandos. Unde alii potiùs respondent, tantum fuisse tunc fervorem ministrorum Ecclesiæ, ut pondus illud sine fastidio sustinerent. Imò Waldensis addit quòd antiqua Ecclesia totas noctes in laudibus expendebat, dividendo noctem in quatuor distinctas vigilias cum intercisis spatiis trium horarum, significans non tantùm omnes ministros Ecclesiæ, qui ex officio ad illud opus tenentur, sed etiam populum solitum fûisse ad omnes nocturnos convenire. Et Amalarius in lib. de Ord. in Antiphon., cap. 4: *In militiâ*, inquit, *seculari vicissim dormiunt milites, et vicissim vigilant, in militiâ verò Christianorum dictum est in Evangelio Marci : Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Ipse verò statim subdit has vigilias significari per tres nocturnos, et per eos admoneri christianum populum, ut semper vigilet, et sit paratus, ut si venerit Dominus et pulsaverit, confestim aperiat ei. Quod non oportet materialiter de corporali somno et vigiliâ illi oppositâ, sed de spirituali intelligi.

8. Mihi sanè non satis exploratum est, qualis fuerit antiquior et frequentior Ecclesiæ consuetudo. Tamen non est cur negemus aliquando vel alicubi ita factum esse ut tres nocturni in tribus vigiliis noctis, interjectis etiam aliquibus horis, dicerentur. Id enim affirmat D. Thomas, nec patitur supra dictam expositionem; nam expressè dicit : *Antiquitùs dicebantur nocturna divisim secundùm tres vigilias noctis* ; ubi dicendo, *divisim*, declarat non tantùm significatione, sed reipsà et executione fuisse divisa, præsertim, quia subjungit : *Nunc autem dicuntur simul ;* utique tempore continuo; nam significatione vel compensatione, ut sic dicam, etiam nunc dicuntur pro tribus vigiliis noctis ; Waldensis etiam clarissimè loquitur, et citat quemdam Valerianum lib. 1 de Offic., cap. de Matutin., dicentem : *Tunc et vigilias tribus horis dispertimus nocturnis, ut non solùm verbo, sed et facto tres vigilias prædicemus*. Neque conjecturæ in contrarium adductæ probant hanc consuetudinem fuisse impossibilem aut incongruam, quia illa partitio, licèt non semper fieret in feriali officio, fieri poterat in diebus festis ad majorem quamdam solemnitatem et devotionem, et sic tolerabilius esse poterat vigiliarum pondus. Et ita ordinariè surgebatur mediâ nocte ad confitendum Domino; in festis autem non tantùm mediâ nocte sed etiam in prioribus vigiliis. Quid autem censendum tunc esset de unitate officii, dicam seq. cap. Quantùm verò temporis illa consuetudo duraverit, et quibus in locis fuerit, et præsertim an Romana Ecclesia eam aliquando amplexa fuerit, non constat. Quoad hoc verò ultimum, probabile satis est, in Romanâ Ecclesiâ non fuisse hanc consuetudinem, ut ex sequenti puncto constabit.

9. Simile dubium tractari potest de laudibus, an separatim et tempore discreto à nocturnis olim dicerentur. In quo certius est, antiquum morem fuisse, ut nocturni separatim dicerentur nocte intempestâ, postea verò in galli cantu propè auroram dicerentur laudes tempore distincto ac separato. Hoc tanquàm certiùs affirmant, qui nocturnos etiam dividunt. Hinc Hugo Victorinus lib. 2 de Offic., ecclesiast., cap. 1 et 9, in fine, agens de officio nocturnorum, sic inquit : *Hoc officium secundùm usum monachorum oratione, sicut cætera terminatur, in quo primariam servare videntur institutionem ; nostra autem consuetudo humanæ necessitati parcens, et labori, officio prædicto laudes matutinas continuat, et oratione unâ, duo claudit officia*. Ecce, secundùm primariam institutionem non tantùm distinctis temporibus, sed etiam tanquàm duo officia hæc dicta fuisse. Idem habet in Speculo Ecclesiæ, cap. 3, Rodulph. in lib. de Canon. observ. propos. 14; Amalarius lib. de Ordine antiphonarii, cap. 7, et lib. 4, de eisdem officiis, cap. 7, volens distinguere quatuor officia nocturna inter ea numerat *vesperam* et *completorium*, et alia duo esse dicit, *nocturnum* et *laudes*, quas ibi vocat *matutinum*, et sub eodem nomine de eisdem agit in cap. 10, cujus sententiam non probamus quoad illam quaternariam partitionem, quæ in loco Esdræ (quem ipse ita accommodat) non habet fundamentum, ut infra cap. 6, ostendam, et licèt aliquod haberet, non oporteret vesperas nocti tribuere, sed potiùs tres nocturni cum laudibus possent illum quaternarium numerum explere.

10. Quod verò ad præsens punctum spectat satis indicat Beda, et clariùs tradit Amalarius laudes separatim à nocturno, vel nocturnis dictas fuisse in primævâ institutione; apertè colligitur ex Regulâ Benedicti, cap. 2, laudes dicendas esse propè auroram separatim à nocturnis, quos ibi matutinum appellat. Denique idem habetur ex cap. 16 ejusdem regulæ, quod refertur in cap. 1 de Celebrat. missar; ubi priùs septem horæ diei numerantur, et inter eas ponitur matutinum, et postea additur nocturnum officium, unde necesse est per matutinum laudes intelligere, quod tanto tempore à nocturnis discernebatur, ut quasi diurnum respectu alterius censeretur. Erat ergo antiqua consuetudo dicendi laudes propè auroram tempore disjuncto à nocturno vel nocturnis. Ratio autem hujus institutionis esse potuit, humana quidem, ut faciliùs posset labor vigiliarum sustineri, et aliqua requies daretur inter nocturnos et laudes; moralis

verò, ut in fine vigiliarum noctis laudes canantur Deo, et pro beneficiis susceptis gratiæ agantur; spiritualis esse potest, quia illâ horâ resurrexit Dominus. Unde per nocturnos vel nativitatem Christi, quæ mediâ nocte contigit, vel ea quæ in nocte passionis Christus pro nobis passus est, vel quietem ejus in sepulcro commemoramus: per laudes verò pro illius resurrectione gratias agimus, ut significat Cyprianus, lib. de Orat. Domini, ad finem. Quòd enim Christus circa auroram resurrexit alibi ostensum est. Et hinc laudes inter diurnas horas, multi computant, quia in auroră dicebantur, ut sumitur ex Hugone de S. Victore, lib. 2 de divin. Offic., cap. 1, et Cassiano, lib. 3 de Instit., cap. 3. Jam verò usus obtinuit ut laudes continuè dicantur, finitis nocturnis; quod etiam non esse novum, sed antiquum constat ex his quæ ex Hugone Victorino retuli, imò in Ecclesiâ Romanâ semper creditur hæc consuetudo observata, ut laudes proximè post matutinum continuè dicantur, ut refert Amalarius, lib. de Ordin. antiph. in Prologo, et cap. 4, in fine. Atque ex his satis declarata et probata relinquitur assertio posita.

CAPUT V.

De partitione officii diurni.

1. Statuendum inprimis est diurnum officium convenientissimè ab Ecclesiâ in varias partes seu horas distributum esse. Hæc assertio ex dictis ferè satis probata est; majorem tamen aliquam declarationem et confirmationem breviter adhibebimus. Habetur ergo assertio in multis juribus: nam in cap. 1, de Celebrat. missar. numerantur septem partes hujus diurni officii. *Prophetâ*, inquit, *dicente, septies in die laudem dixi tibi, hic septenarius numerus à nobis impletur, matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ et completorii tempore;* et infra: *Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Mediâ nocte surgebam*, etc. Ergo priora verba David videtur ibi exponi, non de die naturali, sed de artificiali latiùs sumpto, ut comprehendit crepuscula, seu auroram, et per matutinum laudes intelligi, quas inter horas diurnas computant. Eademque partitio eisdem ferè verbis habetur in capite *Presbyter*, distinct. 91, et est desumpta ex regulâ sancti Benedicti, cap. 16. In horum autem textuum expositione multùm laborant canonistæ, sed illorum sententiam attingemus cap. sequenti; nunc prædictum sensum, ut facilem et planum supponamus: omitto autem matutinum seu laudes, de quibus jam diximus in præcedenti cap., quia secundùm præsentem usum et communiorem modum loquendi sub nocturno officio comprehenduntur, et illud, ut constans ex nocturnis et laudibus, propriè matutinum dicitur, ut constat ex usu breviarii, et ex cap. *Dolentes*, de Celebr. missar. et Clem. 1, eodem: omissis ergo laudibus, sex reliquæ partes ad diurnum officium pertinent, quidquid aliqui canonistæ dicant, vesperam, et completorium, vel etiam primam sub nocturno officio computantes, sine ullo fundamento, ut supra attigi, et ex sequentibus apertiùs constabit.

2. Ex illis ergo sex partibus tres videntur esse celebriores, et notiores apud antiquos Patres, scilicet, tertia, sexta et nona. Nam inprimis hæ horæ sub his nominibus peculiariter notatæ sunt in Scripturâ tanquàm horæ orationis, ut supra notavimus ex Act. 3 et 10, et Marci 15, et Dan. 6. Deinde ubicumque antiqui Patres diurnas horas indicant, has inprimis nominant, ut videre licet in Clemente, Basilio, Hieronymo, Benedicto, Isidoro, et aliis. Tertiò, hæ horæ sunt à Deo quasi sanctificatæ, et consecratæ peculiaribus mysteriis; nam horâ tertiâ Christus ad crucem damnatus est, et ideò in eâ specialiter precandum est, *ut* dixit Clemens, lib. 8 Const., cap. 34, et eâdem horâ Spiritus sanctus descendit, et ideò ait Rupertus, lib. 10 de divin. Offic., cap. 18, illustriorem esse cæteris; sextâ horâ Christus Dominus crucifixus est, et ideò peculiari oratione consecrari debuit, ut Athanasius, lib. de Virginit., et Cyprianus, lib. de Oratione Domini, notârunt. Denique, ut iidem Patres, et multi alii scriptum reliquerunt, hora etiam nona peculiari oratione consecrata fuit, quia per totam illam Dominus in cruce pependit, et illâ expletâ, expiravit.

3. Præter has, vespertina hora est etiam satis nominata pro munere orandi, et in Scripturâ, et in Patrum antiquitate. Nam hùc spectat illud Davidis, Psal. 54: *Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam*; et Psalm. 140: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Ubi Chrysostomus notat ob hunc versiculum Psalmum illum solitum fuisse dici semper in officio vespertino; cujus meminit etiam ipse Chrysostomus, homil. 59, ad populum, et aliis locis; item Hieronymus, Epist. 27, et aliis locis supra citatis; Isidorus item, et alii, ac denique concilium Laodic., cap. 28, ante mille ducentos annos preces in vesperâ, sicut in nonâ recitari præcipit. Habet autem hæc hora ferè easdem rationes mysticas suæ institutionis, quas habent reliquæ: nobis illa sufficit, quòd illa hora Christus Dominus de cruce depositus creditur: addunt alii etiam per illam orationem in memoriam revocari mysteria cœnæ Domini, quæ in illâ horâ inchoata est. Propriè autem et moraliter loquendo, hæ quatuor horæ divinæ videntur institutæ ad consecrandum totum diem publicis Dei laudibus et orationibus. Ut, sicut matutinum officium in tres nocturnos et laudes distributum pro totâ nocte, seu pro quatuor vigiliis noctis institutum est, ita quatuor istæ horæ divinæ pro quatuor stationibus seu principalibus partibus dici artificialis consecratæ censeantur.

4. De primâ verò et completorio, earumque antiquitate non est tam certa notitia. Et ratio ambiguitatis fuisse videtur, quia licèt in Scripturâ, et Patribus frequens habeatur mentio orationis faciendæ ad auroram, seu mane, vel circa ortum solis, et similiter de oratione faciendâ ad solis occasum; nihilominùs quia laudes ad auroram etiam dicuntur, et similiter vesperæ, juxta nomen suum, occidente sole dicuntur, ideò difficile est discernere in antiquis Patribus, an loquantur de primâ et completorio, ut de horis à lau-

dibus, et vesperis distinctis, necne : nam possunt facilè eisdem vocibus significari. Sicut patet ex verbis David. Psal. 54 : *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo*, etc.; ubi unicâ voce declarat vespertinam et matutinam orationem, quæ per laudes et vesperas sufficienter posset expleri. Et ita ponens David extremas partes diei cum medio, totum diem comprehendit, juxta illud Psal. 33 : *Benedicam Dominum in omni tempore :* quod per singulas orationes illorum temporum sufficienter expletur ; et ita potest intelligi illud Psal. 129 : *A custodiâ matutinâ usque ad noctem speret Israel in Domino ;* et illud Psal. 33 : *In matutinis meditabor in te.* Hinc Rodulphus, de Canon. obsecr., propos. 14, dixit, has horas non fuisse à principio distinctas ; sed postea fuisse additas; Marcellus etiam, lib. de Hor. canon., cap. 14, credit, Patres antiquiores Cassiano loquentes de oratione matutinâ, vel summo mane faciendâ, non loqui de horâ distinctâ à laudibus, propter locum Cassiani statim referendum. Atverò Durantus, lib. 3 de Ritibus, cap. 7, existimat, non minùs antiquam esse primæ institutionem, et à temporibus Apostolorum, quàm tertiæ, atque aliarum.

5. Videamus ergo inprimis quod Cassianus referat, et postea videbimus quomodò cum aliis antiquioribus Patribus convenire possit. Cassianus igitur lib. 2 de Instit. renunt., cap. 4, in principio sic inquit : *Sciendum tamen, hanc matutinam, quæ nunc observatur, occiduis maximè regionibus, canonicam functionem, nostro tempore, in nostroque monasterio primitùs institutam.* Loquitur autem ut statim declarat, de quodam monasterio Bethlehemitico in quo ipse religiosum statum susceperat; per matutinam autem orationem, primam à laudibus distinctam intelligit, ut omnes fatentur, et ex contextu constat. Nam in fine capitis tertii dixerat de matutinâ, in quâ dicitur Psalmus : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo,* qui in laudibus dicitur ; in quarto autem capite refert fuisse consuetudinem consummandi illam matutinam paulò post nocturnos ; et cessandi ab horis usque ad tertiam, unde fiebat, ut clerici, vel monachi toto illo tempore somno torperent, et ideò decretum esse, ut ad ortum solis alia matutina hora diceretur, quæ non potest esse, nisi prima. Unde etiam addit fuisse compositum ex tribus Psalmis, et orationibus instar tertiæ et aliarum, et per illam fuisse completum, quod David ait : *Septies in die laudem dixi tibi ;* quasi antea numerus septem horarum completus non esset. Est ergo clarum testimonium Cassiani, cui simpliciter fidem adhibet Isidorus, lib. 2 de divin. Offic., cap. 23, et Isidori sententiam refert ac recipit concilium Aquisgranense I, cap. 129. De Cassiano enim dubitare non possumus, quin ex animo et formaliter, ut sic dicam, veritatem retulerit. Clarum etiam videtur non potuisse decipi in eo quòd affirmat in suo monasterio Bethlehemitico morem illum suo tempore fuisse introductum, quia de hoc potuit esse testis ocularis, et ut talis videtur id referre; idem videtur de eo quod statim subjungit, morem illum de Oriente in Occidentem fuisse propagatum ; nam potuit ipse in monasterio, quod in Galliâ instruxit, morem illum inducere, et inde fortassè ad alia propagari. Et idem potuit in Oriente contingere ; idem tamen refert in multis antiquissimis monasteriis Orientis non fuisse morem illum receptum, quia vetustiorem modum, seu regulam observare volebant. Potuit autem decipi Cassianus existimans morem illum ante institutionem illius monasterii nullibi observatum fuisse. Et hoc oportet examinare et conjicere ex verbis antiquorum Patrum, et aliis conjecturis

6. Primò ergo de Ecclesiâ Græcâ seu moribus Orientis ex Patribus Græcis sumenda sunt testimonia. Ex quibus Athanasius, libro de Virginit., sic ait : *Oriens sol videat librum in manibus,* et postea subjungit, *ut tertiâ, sextâ et nonâ oretur.* Videtur ergo in illis verbis loqui de libro Psalterii ad dicendam primam. Hoc verò non cogit, nam in proximè præcedentibus verbis dixerat : *Meditare in sacris Scripturis, habe Psalterium, Psalmos disce;* et subjungit : *Oriens sol videat librum in manibus;* utique ad discendum Psalmos, vel meditandum, non ad primam recitandum. Magis videntur urgere verba, quæ in fine habet : *Matutino tempore Psalmum dicito : Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* ubi apertè de laudibus loquitur ; et tamen subjungit : *Ubi diluculum fuerit, recitabis hunc Psalmum : Benedicite omnia opera Domini Domino,* etc., ubi aliam orationem in ortu diei faciendam ponit distinctam à laudibus, quæ non potest esse nisi prima. Nec refert quòd Psalmus ille nunc etiam dicatur in laudibus, nam potuit esse tunc alia institutio ; quòd verò illa oratio, et hora recitandi fuerit distincta, clarè videtur ex contextu constare. Fateor tamen ibi non loqui de publicâ institutione vel oratione, sed dare consilia, etiam privatè servanda; magna verò inde conjectura fit, fuisse tunc illam consuetudinem in publicâ oratione. Hoc item confirmat Basilius in dicto cap. 37, Regul. fusior., ubi loquens de precibus, quæ in Conventibus certis temporibus præscriptæ erant, et solemniter atque quotidiè observabantur, primo loco ponit *Matutinum,* per quod primam horam, quæ post totam noctem finitam dicitur, planè videtur intelligere : tum ex ratione quam subdit : *Ut primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque ullius rei curæ ante aditum ad nos demus, quàm nos in cogitatione de Deo oblectaverimus, sicut scriptum est, memor fui Dei, et delectatus sum. Neque corpus priùs ad functionem muneris alicujus moveamus, quàm illud fecerimus quod dictum est : Orabo ad te, Domine, mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi.* Hæc enim omnia propriissimè de primâ horâ diei dicuntur, de laudibus verò non ita, tum quia post laudes non inchoabant statim actiones diei, sed redibant ad quietem et somnum. Tum etiam postea numerat cæteras diei horas, usque ad completorium, ut infra videbimus, et postea tractat de tempore dimidiæ noctis, ad orationem necessario. Et tandem subjungit : *Post antevertendum diluculum est, et ad orationem surgendum,* ubi de laudibus clarè loquitur, quæ ante ortum diei dicebantur. Ergo matutinum illud, quod primo loco posuit, erat hora distincta à laudibus, quam nunc primam ap-

pellamus, ergo jam tempore Basilii erat illa institutio in conventibus Basilii; sive ab ipso inventa fuerit, ut indicat, sive ex antiquitate usurpata.

7. Venio ad Patres Latinos, ex quibus referri solet Hieronymus Epist. 7 ad Lætam, dicens : *Assuescat exemplo ad orationem nocte consurgere, mane hymnos canere, tertiâ, sextâ, et horâ nonâ.* Ubi Victorius *mane*, primam interpretatur; et est verisimile, non tamen dissentit à narratione Cassiani. Nam Hieronymus vix per quindecim annos Cassianum antecessit, ille enim anno Domini 420, hic verò anno 435, obiisse leguntur; et uterque in Bethlehem religiosam vitam egit, Cassianus juvenis, ut ipse testatur, Hieronymus autem senior, ergo potuit optimè Hieronymus de primâ horâ loqui, etiamsi in illo Bethlehemitico monasterio fuisset primitùs instituta. Additur præterea Ambrosius, lib. 5 Exam., cap. 14, et serm. 43, dicens : *Quis sensum hominis gerens non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere et adoriri?* Ita referunt hunc locum citati auctores; tamen in Ambrosio non invenio particulam illam, *et adoriri*, quæ ad rem præsentem faciebat. Et licèt illam admittamus (quia videtur ab illo subintellecta in exemplo, quo utitur) adhuc posset responderi per orationem, quæ in laudibus fit, illi satisfieri. Præterquàm quòd ibi non agit de horis canonicis, sed in universum de quâcumque oratione in principio, et fine diei faciendâ. Maximè movere potest locus Clementis I, in lib. Constit., cap. 34, in quo Marcellus supra vult etiam primam cum laudibus confundere, sed vim facit textui; sic enim habet : *Precationes facite mane, tertiâ, sextâ, et nonâ, et vespere, atque ad galli cantum;* ubi per *mane* primam intelligo, non laudes : primò quoniam oratione subjunctâ ita explicatur : *Mane gratias agentes quòd illuminaverit nos Deus, nocte sublatâ et redito die.* Quæ ratio propriissimè ad primam accommodatur, ad laudes non item, quia et ante perfectam diem ordinariè absolvebantur, et post illas ad quietem et somnum redibatur usque ad ortum ferè solem. Secundò, quia per orationem ad galli cantum laudes intelligere videtur; nam pro ratione subdit, *quòd ea hora nuntiet adventum diei ad facienda opera lucis :* quod propriè dicitur de illâ postremâ parte noctis, quæ diei est vicina, in quâ laudes dici consueverunt, vel prope illam : unde etiam juxta communem partitionem noctis tertia vigilia solet gallicinium nuncupari, ut patet ex Isidoro, Etymol., cap. 31, et Hugone Victorino, lib. 2, de Offic. ecclesiast., cap. 9, et ita possunt sub illâ oratione etiam matutinum, seu nocturnus, aut nocturni comprehendi, quia usque ad illam horam durabant, et paulò post laudes dicebantur; atque ita optimè intelligitur mane in primo loco positum, esse orationem illam quam nunc primam appellamus.

8. Est ergo mihi valdè probabile primam esse antiquiorem quàm fuerit institutio illa monasterii Bethlehemitici à Cassiano commemorata. Et præsertim in Ecclesiâ Romanâ credo fuisse à temporibus apostolorum observatam, tum propter auctoritatem Clementis, tum etiam quia in Ecclesiâ Romanâ semper fuit mos dicendi matutinum cum laudibus continuè et per modum unius horæ, ut supra vidimus, et in sequenti capite iterùm dicemus. Non est autem verisimile, caruisse unquàm Ecclesiam Romanam, vel propriâ oratione pro principio, seu ortu diei : vel integro numero septem horarum Canonicarum mysteriis pleno, et in Scripturis commendato. Quamvis autem hoc non sit certum, ad hujus horæ commendationem sufficit universalis consuetudo, plùs quàm mille annorum. Unde sub nomine primæ illa hora commendatur in Regulâ Benedicti, cap. 16, quæ in jure canonizata est in cap. 1 de Celebrat. missar., et cap. *Presbyter*, dist. 91, sub nomine etiam Augustini habetur in Regul. 2 monachorum illi attributâ; item in Regulâ monachorum attributâ Hieronymo, capit. 33, et in concil. Cabilonensi II, cap. 59, ut Isidorum et alios recentiores omittam. Rationes item tam mysticæ, quàm morales hujus horæ canonicæ satis multæ tactæ sunt referendo testimonia Sanctorum Patrum; estque res satis per se nota, institutionem fuisse sanctam et utilissimam Ecclesiæ, et ideò necesse non est in eâ commendandâ immorari. Solùm adverto Isidorum supra pro ratione institutionis hujus horæ afferre, quòd fuerit ad repræsentandam Christi Domini resurrectionem. Id verò intelligendum est de resurrectione, prout cœpit Ecclesiæ in Magdalenâ et discipulis manifestari, *orto jam sole :* nam resurrectio in se priùs facta est, ut alibi tractavimus, unde per laudes propriè commemoratur.

9. Similis difficultas superest de horâ completorii, quia ejus proprium nomen non videtur admodùm antiquum, et res ipsa sub aliis nominibus difficilè discernitur ab horâ vesperarum. Unde in loco Clementis proximè citato nulla fit mentio completorii, ut patet ex verbis allegatis; neque in Cassiano dicto lib. 3, capite 3 et 4, ubi de his horis tractat; nihilominùs resolutio eadem esse debet; nam etiam hæc hora est valdè antiqua, et in Ecclesiâ Romanâ credendum est, nunquàm defuisse, et per se spectata habet convenientissimam institutionem. Quam inprimis significavit Ambrosius dicto lib. 5 Exam., cap. 12, argumentum sumens ex avium cantu in noctis initio, et colligens *non esse concludendum diem sine Psalmorum cantu;* Cyprianus etiam libr. de Orat., priùs numerat illas orationis horas, et postea inquit : *Recedente item sole ac discedente, necessariò rursùs orandum est*, ubi in primo verbo vesperas, in secundo completorium videtur intelligere; nam postea ponit nocturnas preces. Ambrosius etiam in lib. 3 de Virginibus, inter alia tempora orandi ponit *horam incensi*, pro vesperis, et, *cùm pergimus cubitum*, pro completorio. Pro quâ horâ cum aliis, hymnos etiam composuit. Præterea, istam horam indicavit Basilius dictâ regulâ 37, ubi sic priùs ait : *Completo verò jam die gratiarum actio succedat*, etc., ubi sine dubio de vesperis agit, quæ completo die, eo tamen durante in ultimâ parte, vel horâ ejus dicebantur; subjungit verò statim : *Tum autem primis se jam noctis intendentibus tenebris, sequatur petitio, ut*

quies quam sumus capturi, inoffensa et ab omni perturbatione ac vitio libera sit, quâ horâ etiam necessariò recitari nonagesimus Psalmus debet; quem nunc etiam in completorio dicimus; indicat ergo hanc horam, licèt subobscurè; nam alio in loco illam prætermittit, serm. 1, de Instit. monachorum; et ibidem aliqua tribuit vespertinis horis, quæ nunc in completorio dicuntur, ut confessionem peccatorum, et petitionem veniæ pro commissis culpis allegando Psalm. 4; potuit ergo in hoc esse varietas. Simile argumentum potest sumi ex Cassiano : nam dicit per adjectionem primæ fuisse completum numerum septem horarum, quod non ita esset, si deesset completorium. Sed hoc argumentum non omninò cogit, quia fortassè nocturnos, et laudes pro duabus horis computabat, juxta ea, quæ dicemus capite sequenti.

10. Sed quidquid sit de particulari usu hujus vel illius provinciæ aut Ecclesiæ, loquendo absolutè de usu Ecclesiæ, non dubito, quin fuerit antiquior Cassiano et Basilio, quia non videtur verisimile id quod Basilius ordinavit fuisse novum inventum ejus, sed traditionem fuisse secutum. De Ecclesiâ autem Romanâ sumo idem argumentum, quia non constat de initio; et Benedictus in suâ Regulâ expressam mentionem facit completorii. Et Isidorus, cap. 21, de eâdem horâ loquitur, ut de re jam constante et antiquâ. Ratio moralis est optima, ut per orationem præparemur ad noctem sanctè et honestè transigendam. Et ideò hæ duæ horæ, prima et vesperæ, sibi cum proportione respondent : aliæ enim sunt propriissimè diurnæ vel nocturnæ orationes, quæ tempus diei et noctis inter se dividunt et Deo consecrant; hæ verò sunt quasi pro terminis vel initiis diei ac noctis. Et ideò sicut per primam consecrantur Deo actiones diei, ita per completorium actiones noctis. Et sicut in primâ postulatur venia pro delictis in nocte commissis, ita in completorio pro perpetratis in die; et ideò in utràque horâ confessio dicitur, et in utràque innocentia pro sequenti die vel nocte proponitur, et gratia ad illam postulandam postulatur. Vide Rodulphum, lib. de Canonum observat., proposit. 14.

CAPUT VI.

Quis numerus horarum canonicarum ex dictis partitionibus resultet, et quàm antiqua hæc institutio sit.

1. Duo sunt in priori puncto certa. Primum est horas canonicas non esse pauciores, quàm septem, ut patebit facilè ex earum numeratione : nam tertiam, sextam, nonam, et vesperas inter se distinctas esse, notissimum est ex dictis; similiter matutinum, ut constat ex nocturnis et laudibus, esse horam distinctam ab his manifestè patet ex tempore et modo quo dicitur; denique primam distingui à laudibus, et completorium à vesperis, in præcedenti capite ostensum est; quòd autem distinguantur à cæteris horis, est per se manifestum, ergo ad minimum numerantur septem horæ canonicæ. Idque magis ex dicendis constabit, explicando unde sumenda sit propria unitas et distinctio horæ canonicæ.

2. Secundò certum est horas canonicas non esse plures quàm octo. In hoc conveniunt omnes auctores statim referendi. Et probatur, quia ultra horas numeratas non sunt aliæ : illæ autem non possunt excedere numerum octonarium, ergo; major constat ex omnibus Patribus et doctoribus de hâc materiâ scribentibus, et ex usu Ecclesiæ et ex Breviario Romano. Non possumus enim nos liberè fingere horas canonicas, præter eas quæ traditæ sunt : nobis autem tantùm illæ numeratæ traditæ sunt. Licèt enim in Breviario alia officia, vel preces, aut psalmodiæ contineantur, tamen non sunt horæ Canonicæ, sed interdùm sunt aliquid quasi annexum prædictis horis, earumque numerum non augent. Hujusmodi sunt officium Beatissimæ Virginis, officium mortuorum, Psalmi graduales, Psalmi pœnitentiales cum litaniis, et si qu d pium aliud hujusmodi invenitur. Hæc namque officia per se non spectant ad horas canonicas, unde infra ostendemus posse horas canonicas dici integrè sine his omnibus, et horæ canonicæ antiquiores sunt his officiis : nam horæ canonicæ antiquissimæ sunt, ut vidimus et paulò infra distinctiùs declarabimus; officium autem Virginis creditur institutum ab Urbano II, in concilio Claromontano, ante quingentos et paucos annos, ut referunt Antoninus, 2 part. Hist., tit. 16, cap. 1, § 23; Rodulphus in lib. de Can. observat., cap. 24, et Guillel. Durandus in rationali lib. 6, cap. 2, et easdem habet horas quas officium canonicum; et ideò non multiplicant illas, sed eisdem annectuntur, et cum eis dicuntur, ubi ex obligatione recitantur, ut infra videbimus. Idem est de officio defunctorum, quod vesperas habet, et matutinum, de quibus eadem est ratio. Est autem hoc officium satis antiquum, et Ecclesiæ traditione, et institutione satis probatum, vide Rodulphum loco proximè citato. Et de Psalmis pœnitentialibus cum gradualibus in proposit. 21; constat enim esse laudabiles preces, et ab Ecclesiâ approbatas, et interdùm ex obligatione dicendas, ut infra videbimus, non tamen esse horas canonicas, sed cum illis conjungi ad augmentum solemnitatis, vel devotionis, seu orationis. Minor verò, seu altera propositio, videlicet, quòd dictæ horæ non possint excedere octonarium numerum constat, quia tantùm possunt matutinum et laudes in duas horas distingui, quæ cum aliis numerum octonarium ad summum efficient. Hìc verò occurrebat objectio, cur tres nocturni, quando separatim dicebantur, non possent tres horæ canonicæ judicari, quo posito crescet numerus horarum usque ad denarium, hujus verò dubii resolutio ex sequentibus constabit.

3. Itaque tota dubitatio est an horæ canonicæ sint septem tantùm, vel octo; et tota ratio dubitandi est an matutinum, id est, nocturnus seu nocturni (ita enim illâ voce in hoc dubio utimur, est enim ambigua, ut ex dictis constare potest, et paulò post dicemus) sint hora distincta à laudibus, et utraque sit per se integra hora, nam quòd utraque sit distincta à cæteris, clarum est. Prima ergo opinio affirmat has esse horas integras, et inter se distinctas, et consequenter horas canonicas octo esse secundùm primævam, et antiquam institutionem. Ita tenet Archidiaconus in cap. *Pro-*

sbyter, 91 dist., et ibi Turrecremata, q. 1, et Navarrus in Enchir. de orat., cap. 3, num. 27, nec dissentit Antoninus, 3 p., tit. 13, cap. 4, in principio, licèt in 2 part., tit. 9, cap. 12, § 1, sub distinctione et obscurè loquatur. Pro hâc sententiâ inducunt Navarrum, et alii locum Esdræ supra tactum, quòd populus orabat quater in die, et quater in nocte; quod sumpserunt ex Bedâ statim citando. Verùmtamen ex hoc loco nihil colligi potest, primò, quia in Scripturâ non habetur particula illa, *In nocte*, et ita inde non colligitur oratio aliqua nocturna, nedùm quaternaria; verba enim sunt: *Et consurrexerunt ad standum, et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, et quater confitebantur Domino, et adorabant Dominum Deum suum;* in quibus verbis nulla fit mentio de quadripartitâ oratione vel lectione in noctibus factâ. Sed apertus sensus esse videtur, quòd quater stabant in templo ad legendum (utique per diem), et quater etiam confitebantur Domino, eisdem, scilicet, temporibus successivè, seu respectivè, quia finitâ lectione statim adorabant et laudabant Dominum. Solùm apud Bedam, lib. 3 Exposit. allegor. in Esdram, cap. 28, invenio additam illam particulam, *In nocte*, et loco verbi *adorabant*, verbum *orabant;* et ita ipse etiam utitur illâ accommodatione, licèt non explicet quæ sint quatuor horæ noctis; sed non est hoc admittendum, cùm in sacro textu non habeatur. Secundò, admissâ illâ lectione, difficile est accommodare illum numerum nocturnarum orationum ad horas canonicas; dicere enim quis poterit illum quaternarium numerum compleri per tres nocturnos et laudes, et consequenter si inde colligitur pluralitas horarum, illas esse quatuor, et ita esse decem horas canonicas, vel si nocturni sunt una hora, sequitur vel primam et completorium esse nocturnas horas, vel ut alii volunt, vesperam et completorium; nihil autem horum cum probabilitate dicitur.

4. Majori cum verisimilitudine fundatur hæc sententia in cap. *Presbyter*, d. 91, et c. 1 de Celebr. miss., adjunctis verbis Psalmi 118: *Septies in die laudem dixi tibi;* apertè enim exponuntur ibi hæc verba de die artificiali, et impleri dicuntur eadem verba in Ecclesiâ per septem horas diurnas, quæ ibi numerantur à matutino (id est, laudibus) usque ad completorium; et postea subjungitur: *Nam de nocturnis vigiliis ab eodem prophetâ dictum ibidem est:* « *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi;* » quasi dicat per nocturnos Psalmos hoc posterius impleri. Ergo, præter septem diurnas horas, ponitur oratio nocturna tanquàm hora distincta, ac subinde numerantur octo horæ. Et inde fortassè factum est ut ferè omnes antiqui, et graves scriptores ecclesiasticorum officiorum septem numerent horas canonicas, et præter eas addant, vel nocturnale officium, ut loquitur Amalarius, lib. 4, capite 2, et lib. de Ordin. antiph., cap. 7; vel nocturnas vigilias, ut Raban., lib. 2 de Instit. clericor., cap. 3 et sequentibus, et Rupertus, lib. 1 de divin. Offic., et apertiùs Rodulphus, de canonum Observatione, proposit. 14, octo horas vocat. Et eodem modo loquitur Hugo Victorinus in Specul. Eccles., cap. 3, et lib. de eccles. Offic. cap. 1 et 9. Ratione tandem confirmatur, quia nocturni et laudes habent propria initia horarum, qualia esse solent in horis distinctis, et hymnos distinctos, et laudes habent suam propriam lectionem seu capitulum, et alia omnia quæ ad integritatem horæ in quâcumque aliâ reperiuntur. Est etiam sufficiens divisio nocturnorum à laudibus, maximè secundùm antiquam consuetudinem, quando non solùm tempore separabantur, sed etiam nocturni propriâ oratione concludebantur: sicut nunc etiam in nocte Natalis Domini fieri videmus; ergo et inter se habent sufficientem distinctionem, et unaquæque habet per se quidquid ad rationem integræ horæ necessarium est. Nec videtur referre quòd jam nunc in consuetudinem abierit, ut laudes immediatè post nocturnos dicantur, nullâ oratione, vel proprio fine, seu termino matutinum claudendo; id enim accidentarium est, semperque retineri potest antiqua institutio, quotiescumque voluerimus illâ uti; semper ergo illæ horæ secundùm se distinctæ sunt, licèt per accidentalem usum per modum unius dicantur.

5. Et ex hâc ratione solvuntur præcipuæ objectiones quæ contra hanc sententiam fieri solent: una est ex loco illo Psalmi: *Septies in die*, etc., et ex omnibus mysteriis et rationibus quæ in septenario numero considerantur, de quibus statim dicetur, quia omnia evertuntur augendo numerum. Alia objectio est, quia si laudes sunt hora distincta à nocturnis, eâdem ratione nocturni etiam inter se erunt horæ distinctæ, quia temporibus diversis ex suâ institutione dicebantur, et ita erit denarius horarum numerus. Ad primum verò ex dictis respondetur verba illa intelligi de die lucis seu artificiali, et ita septenarium numerum ad orationem diurnam in totâ suâ amplitudine sumptam applicandum esse, et in illâ oratione habere locum omnia mysteria quæ in septenario numero considerantur, et ita ex hâc parte nihil diminui. Ex aliâ verò augeri, seu addi posse mysteria, quæ in octonario orationum totius diei naturalis facilè considerari possunt. Nam etiam octonarius numerus perfectus est, ut et Ambrosius aliàs notat: *Pro octavâ multi inscribuntur Psalmi, et mandatum accipis octo illis partem dare.* Et per octavum numerum æterna requies significari solet. Ad alteram verò objectionem negatur sequela, quia primus nocturnus non habet proprium finem unius horæ, sed quasi suspensus manet; secundus verò neque initium neque finem horæ distinctæ habet; tertius autem initio proprio caret, et propriam clausulam ac terminum habere potest; et ideò eamdem horam conficiunt, uno principio et uno termino clausam. Adde non satis esse certum, juxta primam institutionem nocturnos institutos esse ut separatim distinctis temporibus dicerentur, eò vel maximè quòd sæpè nocturnum illud officium uno nocturno concluditur, quia continuè dicitur; quando ergo propter majorem solemnitatem tres dicuntur, per modum unius horæ dicuntur, etiamsi diversis temporibus dicantur ad augmentum solemnitatis. Nam sola temporis interruptio in his rebus moralibus non sufficit ad

tollendam unitatem, quando aliàs eumdem quasi fluxum et successionem habent licèt discretam; sic enim vocatur unus motus discretus angeli; et fluvius diceretur unus, si ab eodem fonte càdem viâ flueret, etiamsi non continuè, sed certis quibusdam horis eodem tenore manaret atque flueret. Secùs verò est de laudibus, quæ proprium initium, compositionem et terminum habent.

6. Nihilominùs communior sententia est tantùm esse numerandas septem horas canonicas, quæ adeò est vulgò et communi modo loquendi totius Ecclesiæ recepta, ut priorem omninò audiendam non esse censuerit Sotus lib. 10 de Just., quæst. 5, art. 4, tenentque Glossa et doctores canonistæ communiter in dicto cap. *Presbyter*, d. 91, et cap. 1 de Celebrat. missar., et Clem. 1, eodem, summistæ etiam, verb. *Hora*, Silvester, Angelus, Tabiensis, etc.; et favet concilium Cabilonense II, sub Carolo Magno, cap. 59, ubi septem horæ numerantur tantùm. Sex à primâ usque ad completorium inclusivè, et matutinum, quâ voce significatur ibi una hora constans ex nocturnis et laudibus. Quæ significatio est in jure magis usitata, ut constat ex capite *Dolentes*, de Celebr. missar., et ex Clement. 1, de Reliq. et Vener. sanctorum; et nunc est receptissima in Breviario Romano et reliquis; secundùm illam communiter in eisdem Breviariis septem tantùm horæ numerantur. Et hoc est unicum hujus sententiæ fundamentum, quia non sunt plures horæ canonicæ, quàm à Romanâ Ecclesiâ sunt institutæ; sed hæ sunt tantùm septem; ergo. Major patet, quia hæ horæ habent suum esse ab institutione Ecclesiæ; ergo et numerum. Minor verò constat, quia institutio horarum in Breviario continetur, et in illo tantùm est septenarius numerus. Confirmatur, quia de his rebus moralibus loqui debemus juxta communem et usitatum morem; sed tota Ecclesia ita loquitur de septem horis canonicis; ergo. Tandem addi possunt congruentiæ; nam septem horæ censeri possunt institutæ, ut septem petitionibus orationis Dominicæ responderent; unde omnes congruentiæ, quæ pro illo septenario numero adductæ sunt, hìc accommodari possunt. Item accommodatur hic numerus septem diebus creationis mundi, ut per illas horas perfectè gratiæ agantur pro illo beneficio; vel magis correspondere censentur beneficio redemptionis; nam per horas commemorantur septem præcipua tempora et mysteria passionis, mortis et resurrectionis, vel etiam incarnationis et Nativitatis Christi Domini; nam mediâ horâ noctis priùs incarnatus et natus est, et postea ludibria magna passus; circa auroram priùs continuavit passionem suam, et postea resurrexit; in ortu solis fortè priùs flagellatus est, et postea resurrectionem suam manifestare cœpit. Horâ tertiâ condemnatus ad crucem est, sextâ crucifixus, nonâ obiit; vesperâ priùs mysteria cœnæ perfecit, et postea die sequenti depositus est de cruce, et horâ completorii fortè priùs comprehensus est, et postea quievit in sepulcro, de quibus multa videri possunt in citatis auctoribus, quæ in summam redigit Glossa, cap. 1 Celebr. missar.; si quis autem rectè consideret, tam facilè possunt hæc mysteria accommodari ad octonarium numerum, sicut ad septenarium. Addendum verò est omnes nocturnas Christi passiones post comprehensionem ejus, per modum unius passionis continuæ peractas fuisse sine notabili divisione aut mysterio aliquarum actionum, et ideò per unam horam nocturnam magis extensam repræsentari, sive illa ex nocturnis et laudibus, sive ex solis nocturnis constare dicatur.

7. Propter utriusque opinionis fundamentum alii doctores distinctione utuntur, dicuntque olim fuisse octo horas canonicas, quando nocturni proprià oratione concludebantur, et laudes postea diverso tempore dicebantur, quia hoc probant motiva primæ opinionis; et ita tunc fuisse septem horas diurnas, et unam tantùm nocturnam: at nunc duas horas nocturnas, scilicet, et primam diurnam in unam nocturnam coaluisse, et sic jam tantùm esse septem, unam noctis, et sex diei, vel unam noctis, et quatuor diei, et duas duorum crepusculorum. Ita ferè Turrecremata in Regulâ S. Benedicti, tract. 73, et in dicto cap. *Presbyter*, 91 dist., et sequitur Azor., lib. 10, cap. 1, et favet Hugo Victorinus, lib. 2 de eccles. Offic., cap. 2, qui ait nunc non dici orationem in fine nocturnorum, quia non separantur à laudibus, sed conjunctim et per modum unius dicuntur; et cap. 9, post relatam antiquam consuetudinem, secundùm quam erant octo horæ, subdit: *Nostra autem consuetudo humanæ parcens infirmitati, et labori, officio prædicto* (id est, nocturnis) *laudes matutinas continuat, et oratione unâ duo claudit officia;* utique in unum illa redigens. Hanc ferè distinctionem sequitur Marcellus, cap. 6, num. 15, licèt aliter illam explicet: ait enim apud monachos octo esse horas canonicas, et non septem, quia separant omninò nocturnos à laudibus, et proprià oratione illam nocturnam horam concludunt. Et aliàs faciunt quasi propriam matutinam, inchoantes laudes, quando stella matutina oriri solet. At juxta Romanæ Ecclesiæ morem horas canonicas esse septem, contrariâ ratione, juxta quam distinctionem oportet ut hi auctores fateantur in die saltem Nativitatis Domini octo horas canonicas à Romanâ Ecclesiâ decantari, quia tunc nocturni antiquo more à laudibus separantur, et proprià concluduntur oratione.

8. Urget etiam contra distinctionem hanc textus ille in cap. 1 de Celebr. missar.; nam in eo servatur distinctio octo horarum canonicarum; et tamen editus est juxta institutionem Ecclesiæ Romanæ, et juxta consuetudinem, quæ nunc servatur; nam tempore Gregorii IX, auctoris Decretalium, eadem consuetudo quoad hoc in Ecclesiâ Romanâ servabatur. Unde in illo textu declarando mirè laborant canonistæ, quorum opiniones refert Marcellus, et benè confutat, et ideò eas omitto, non enim sunt probabiles; ipse autem Marcellus obscurè satis nodum solvit, ita ut vix intelligatur. In summâ verò dicere videtur non ideò post septem horas ibi fieri mentionem vigiliarum noctis, quia sint hora distincta à matutino (quinimò putat

matutinum ibi non laudes tantùm, sed totam horam compositam ex nocturnis et laudibus significare), sed quia nominata fuerat illa hora ab ultimâ parte illius, et ita solùm implicitè erant vigiliæ noctis comprehensæ, ideò putat explicatum esse nocturnis vigiliis compleri, quod à David dictum fuerat: *Mediâ nocte surgebam*, etc. Sed si quis consideret unde textus ille desumptus est, facilè intelliget considerationem illam non esse ad sensum verborum, neque consequenter propositam, juxta distinctionem ab eodem auctore datam; sumpta enim sunt verba illius textûs ex Regulâ monachorum S. Benedicti, cap. 16, ut dictum est, et omnes fatentur; ibi enim habentur, et non in aliquo concilio Agathensi, quod in titulo ponitur; sed juxta institutum monachorum, ut ille auctor fatetur, horæ canonicæ octo sunt; et vox hæc *matutinum*, solas laudes significat, et non compositam horam ex illis et nocturnis (et sine dubio illa fuit primæva impositio illius vocis); ergo in illo etiam textu hoc significant illa verba. Unde necessariò fatendum est Pontificem ibi usurpando Regulam monachorum, juxta eorum morem fuisse locutum; non tamen propterea voluisse illas preces tanquàm horam distinctam ponere, juxta morem Ecclesiæ Romanæ; sed tantùm voluisse clarè docere esse dicendas, sive sint hora distincta, sive non.

9. Hæc verò controversia tota videbitur esse de nomine, nisi moralem aliquam utilitatem, et doctrinam afferat. Item, ut firma posset esse doctrina, oporteret priùs explicare quid requiratur ad unitatem unius horæ canonicæ, et pluritatem, seu distinctionem earum inter se, quod nullus ex dictis auctoribus declarat, et ita nullum constans fundamentum afferunt; moralis ergo quæstio hìc solùm esse posse videtur, an matutinum, ut constans ex solis nocturnis et laudibus, ita distinguatur à laudibus, ut possit licitè ab illis separari, et per se dici ac concludi tanquàm hora distincta. Et quoad hoc censeo veram primam opinionem simpliciter et sine distinctione temporum et rituum monachalium aut clericalium; quamvis non negaverint, in modo publicè dicendi officium in choro, servandam esse consuetudinem uniuscujusque Ecclesiæ. Itaque secundùm primævam institutionem licitum fuisse hoc modo separare illa officia certum est: existimoque non tantùm monachis, sed etiam clericis in suis Ecclesiis licuisse, quia non constat de contrario præcepto vel consuetudine universali, et aliòquì res per se bona erat, et habebat convenientem institutionem. Confirmatur ex Amalario supra referente, cùm Romæ esset, interrogâsse de consuetudine Ecclesiæ Romanæ in hoc ritu, et ibi intellexisse sine interruptione fuisse solitas dici laudes post nocturnos. Ex hâc enim narratione colligo, illam consuetudinem, neque notam fuisse, neque ubique observatam. Dividere ergo matutinum à laudibus, generatim loquendo, semper licuit ex vi primævæ institutionis. Quòd autem etiam nunc liceat, constat ex communi consuetudine, præsertim extra chorum, ut notavit Navarrus supra dicto capite 23, numero 64, nullus enim doctus et timoratus de hâc divisione, ac separatione laudum à nocturnis scrupulum format. Imò addit Navarrus si anticipatio, vel divisio facienda est, meliùs esse in principio noctis dicere nocturnos, et relinquere laudes pro matutinâ horâ, quàm laudes simul cum nocturnis anteponere. Item cùm hæc sit primæva institutio, reductio ad illam per se loquendo bona est, cùm nulla sit aperta prohibitio in contrarium.

10. Dices: Hâc ratione probaretur etiam esse licitum dividere nocturnos. Respondeo primùm non ita constare de consuetudine dicendi separatim nocturnos sicut laudes. Deinde, non est nunc consuetudo separandi nocturnos, sicut est de laudibus pro solo arbitrio et voluntate. Denique dico, interdùm etiam posse licere in nocturnis interponere aliquod tempus inter unum et alium nocturnum; est tamen differentia, quòd in nocturnis non videtur id licere, nisi ex aliquâ justâ causâ, saltem sine culpâ veniali: in laudibus verò nulla est causa necessaria, sed per se id licet, quia est multùm conforme institutioni. Hæc autem maximè procedunt in privato recitandi modo: nam in choro consuetudo semel introducta et approbata, videtur servanda, quia novitas, aut varietas in his ritibus publicis, non potest fieri privatâ auctoritate. Alioquì facilè sequentur perturbationes et scandala; plus enim offendet novitas, et mutatio, quàm possit prodesse observatio antiqui ritûs, quantùmvis bonum videatur, et ideò in choro nocturnale officium, nec propriâ oratione finiendum est, nec à laudibus separandum; nisi ubi publicâ consuetudine observatur, vel ubi regulæ ipsæ breviarii admonent; solùm autem id fieri jubent in nocte natalis Domini, et ideò tunc tantùm fieri potest in choro juxta commune jus.

11. Hâc verò resolutione stante, solùm de nomine videtur esse quæstio, an hæ horæ dicendæ sint una vel duæ, hoc vel illo modo dictæ. Si verò ad normam philosophicam, vel metaphysicam hoc definire voluerimus, probabiliter dicitur ad distinctionem vel unitatem horarum non satis esse quòd tempore continuo, vel potiùs contiguo, aut per longæ moræ interruptionem dicantur. Nam vesperæ et completorium, verbi gratiâ, distinctæ horæ sunt, etiamsi tam in choro, quàm extra frequentissimè dicantur contiguè et sine intermissione. E contrario verò licèt contingat Psalmos unius horæ interrumpi tempore, non ideò desinit esse una hora, ut infra dicam; et de nocturnis idem supra diximus. Igitur sicut in dialecticâ dicitur illa quantitas esse una et finita, quæ propriis terminis clauditur, ita hìc moraliter dicitur illa hora esse una, quæ proprium principium et finem horæ canonicæ habet, et inter hos terminos suam obtinet compositionem huic muneri accommodatam; et consequenter omnem psalmodiam cum reliquis adjacentibus partibus, quæ sub eodem initio dicitur, donec communi fine terminetur unam esse horam, etiamsi contingat non habere continuam seu contiguam successionem, sed discretam. Juxta quam regulam fatendum est matutinum, ut nunc regulariter dicitur, esse unam horam, et olim apud monachos vel alios, duas fuisse. Ac subinde nunc etiam dici posse ad modum duarum,

vel reverà fieri duas. Quia non est inconveniens, ea quæ sunt unum, quando habent terminos communes, dividi, et fieri duo, si recipiant proprios terminos, et è converso ex duobus fieri unum per unitatem in uno termino, seu per continuationem. Quia verò hæc moralia accipiunt denominationem ex frequentioribus, et magis communibus et publicis, ideò nunc simpliciter dicitur matutinum totum esse una hora, et consequenter omnes esse septem, quia in publicis officiis semper, et in privatis frequentiùs ita dicuntur.

12. Hinc consequenter infertur, cùm talis divisio fit, dicendam esse orationem in fine nocturnorum, et consequenter, *Pater noster*, juxta regulas breviarii. Ita docent communiter Navarrus et alii, et observat Ecclesia Romana in nocte nativitatis. Ratio verò est quia tunc finitur matutinum nocturnum, ut hora in se una, et à sequentibus distincta, ergo debet proprio termino, et fine claudi, proprius autem finis uniuscujusque horæ est collecta, cui de more adjungitur oratio Dominica; ergo. Unde rectè infert Navarrus ibidem, quando inchoantur laudes separatim, præmittendam esse orationem Dominicam et Angelicam more aliarum horarum, propter eamdem rationem cum proportione applicatam, quia inchoantur, ut hora distincta et per se una.

13. Aliud verò dubium, quod ibidem tractat Navarrus, an tunc dicendus sit hymnus, *Te Deum laudamus*, in fine nocturnorum, vel initio laudum, nullum dubium habet, quia dicendus semper est in fine ultimæ lectionis ante collectam claudentem illam horam, sicut fit in nocte nativitatis. Nec etiam dubitari potest quin hymnus ille, quando dicitur, sit pars ultimi nocturni; sicut nonum responsorium, quando dicitur, vel tertium etiam, quando unus tantùm nocturnus dicitur, est pars ejusdem nocturni, vel tertii vel unici: nam loco illius responsorii in diebus festis, et in dominicis non luctuosis dicitur *Te Deum laudamus*, et ita eamdem horam componit. Neque obstat, quòd in cap. *Consuluit*, de Celeb. missar. Innocentius III ait hymnum *Te Deum laudamus* dici, vel omitti *In laudibus matutinis*, in quo videtur supponere esse partem laudum; non, inquam, hoc obstat, quia utraque vox illa ambigua est; matutinum enim, ut supra diximus, interdùm sumitur pro solis laudibus, interdùm pro solis nocturnis, interdùm pro toto composito. Ibi ergo non accipitur in primâ acceptione, quæ valdè antiqua est, et nunc jam parùm usitata, et maximè juxta morem Romanum. Potest ergo accipi tertio modo, qui, ut etiam supra dixi, est valdè usitatus in jure, et sic clarum est esse partem totius matutini. Potest etiam accipi secundo modo, et verum facere sensum. Nam nomen etiam laudum accipi potest, ut proprium unius horæ canonicæ ab aliis omnibus distinctæ, et non oportet ibi accipi in hoc sensu. Potest item accipi, ut et generale munus horarum canonicarum, in omnibus enim laudes Dei decantantur, et hoc modo laudes illæ quæ in hymno continentur ad matutinum officium pertinent, sive per se spectatum, ut distinctum ab horâ laudum, sive ut unam horam cum illis componit.

14. Atque hinc facilè potest expediri quod secundo loco propositum est de antiquitate hujus ritûs, seu institutionis istarum horarum. Quidàm enim hanc institutionem tribuunt Pelagio I, alii Pelagio II, alii Gregorio I, alii Gelasio, alii Damaso. Multa verò possunt in hoc instituto distingui, scilicet, ipsum officium ecclesiasticum absolutè sumptum secundùm se, et quasi substantialiter, vel quoad formam, partitionem et numerum horarum, quam nunc habet, vel quoad præceptum et obligationem dicendi illud, vel denique quoad modum dicendi illud cantando, aut aliter. Igitur quantùm ad primum ex dictis satis constat, institutionem antiquiorem esse, et à temporibus apostolorum incepisse; ut ex Clemente I, Cypriano, Basilio et aliis probatum est. Quantùm ad secundum verò non habuit certum initium, sed à principio incepit in aliquâ formâ, quæ nunc nobis non satis nota est, paulatim verò perfectum est usque ad illam formam, quam nunc habet. Ita docent Waldensis, dicto capite 21, Rodulph., dictâ propos. 14; Guillielmo, Durando, lib. 5, cap. 2; Walafrido, lib. de Reb. eccles., cap. 25; Smaragdo in cap. 16 Regul. S. Bened., et constat ex magnâ varietate, quæ in his horis recitandis in Ecclesiâ fuit, ut ex dictis intelligi potest, et ex Cassiano libro 2 de Instit., cap. 4, et ex Nicephoro, lib. 12 Histor., cap. 34; Socrate, lib. 5, cap. 21. Unde etiam de Romano officio Pius V in Bullâ suâ sic inquit: *Divini officii formula piè olim ac sapienter à summis pontificibus, præsertim Gelasio ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem VII reformata, ad pristinam orandi regulam conformata, revocatur.* De aliis verò duobus punctis, præcepto scilicet et cantu in sequentibus capitulis dicendum est.

CAPUT VII.

Utrùm modus dicendi horas canonicas psallendo et cantando convenienter in Ecclesiâ institutus sit.

1. Commemorat D. Augustinus, lib. 2 Retractationum, cap. 11, Hilarium quemdam tribunitium laicum maledicâ reprehensione lacerâsse morem canendi hymnos et Psalmos in Ecclesiâ, asserentem fieri non oportere. Contra quem librum quemdam se scripsisse refert, qui non exstat. Nec de Hilario illo absolutè dicit, reprehendisse cantum in Ecclesiastico officio, sed morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur, sive ante oblationem, sive cùm distribueretur populo, quod esset oblatum. Atverò Waldensis et Wiclefus et similes hæretici, vel omninò vocalem orationem, ut præcedenti libro vidimus, vel specialiter horas canonicas, et maximè modum illas dicendi canendo reprehendunt. Eo quòd vel videamur vociferari ad Deum, quasi non possit ille aliter sensa nostra percipere; vel quòd frustra in eo munere tempus teratur, cùm hoc munus nullius utilitatis esse appareat; vel quòd sit contra ecclesiasticam libertatem hoc onus clericis imponere, vel denique quòd indecorum sit ecclesiasticas

personas in Ecclesiis publicè canere. Hæc enim fere sunt capita hujus hæresis, ut intelligi potest ex Waldensi, lib. 3 de Sacram., cap. 21, et sequentibus, Castro, verbo *Horæ canonicæ*, et verbo *Oratio*, Duranto, Bellarmino et aliis qui hunc errorem impugnârunt. Nos autem breviter cum D. Thomâ, 2-2, quæst. 83, artic. 12, et quæst. 101, art. 2, tria in hoc modo dicendi hoc officium distinguimus; unum est quòd dicatur voce sensibili; secundum, quòd altâ voce, quæ à plebe percipi possit; tertium, quòd canendo dicatur; et omnia hæc honesta et sancta esse dicimus, licèt non omnia fuerint æquè necessaria. Ut autem hoc declaremus, supponamus hanc orationem in personâ totius Ecclesiæ fundi; et hoc sensu vocari per se publicam, et nihilominùs respectu aliorum posse fieri privatim, ut cùm sacerdos in suo cubiculo orat, et publicè, ut quando pro aliorum usu hoc officium in Ecclesiâ dicitur.

2. Dico ergo primò: De necessitate hujus orationis ut ab Ecclesiæ ministris dicitur, est, ut voce sensibili proferatur, ita ut hoc sit quasi de substantiâ hujus moralis actionis. Hæc assertio est D. Thomæ dicto artic. 12 et omnium. Ratio inprimis sumenda est ex institutione, quia ita est ab Ecclesiâ præceptum his qui ex hoc officium persolvere tenentur: obligantur enim ex vi illius legis non solùm corde, sed etiam voce orare, ut constat ex capite I, et cap. *Dolentes*, de Celebr. missar., et Clem. I, eodem tit. et infra latiùs dicetur; hæc autem lex in ipsâ rei naturâ quodammodò fundata est, et ideò dicimus in hâc oratione esse vocem, quasi de substantiâ et essentiâ ejus, quatenùs per se publica seu communis est. Quia, cùm Ecclesia sit corpus mysticum, sensibile ac visibile, non potest convenienter orare per suos ministros, nisi aliquo signo sensibili ipsi exprimant orationem Ecclesiæ. Item Ecclesia non judicat de interioribus actibus animæ, quia illos non cognoscit; ergo nec communiter orare potest, nisi per signa quæ huic corpori Ecclesiæ possint esse nota; hæc autem signa in voce sensibili consistunt; nam alia quæ in scriptis vel factis consistere possunt, accommodata non sunt, ut est per se notum. Confirmatur quia talis oratio semper præcepta est ecclesiasticâ lege, Ecclesia autem non precipit actum merè internum per se ac nudè sumptum. Unde non placet, quod Navarrus, cap. 20, num. 14, in Enchirid. de Orat. ait, disputando sustineri posse (licèt ipse non consuleret) ea quæ jubentur dici secretè in Missâ, vel horis canonicis, posse dici mentaliter, satisfaciendo præcepto. Hoc enim practicè probabile non est, propter rationem factam, et quia nullo auctore, vel fundamento nititur, nec oportet præbere occasionem introducendi novos ritus.

3. Dico secundò: Quando clericus privatim orat, quia non tenetur pro usu aliorum fidelium in ecclesiâ publicè recitare, tunc non est necesse altâ voce orare per se loquendo, sed satis est submissâ voce officium dicere. Ita D. Thomas, et omnes, et est per se notum, quia tunc nec ex naturâ rei, nec ex præcepto Ecclesiæ oritur obligatio altiùs orandi. Et in hoc modo orandi verum esse potest, quod aiunt Cyprianus in exposit. Orat. domin. et Chrysostomus, homil. 13 Imperfect. in Matth., Annam ita submissè orantem, *ut vox penitùs non audiretur*, 1 Reg. 1, fuisse typum Ecclesiæ modestè ac tacitè orantis. Quamvis enim rectè possit ad Ecclesiam referri, quatenùs in suis membris multiplices privatas orationes fundit, quia sic tunc Anna orabat, tamen etiam adaptari potest ad Ecclesiam fundentem etiam communem orationem per ministros suos secretè orantes quoad modum, quia Anna non orabat mentaliter tantùm, sed vocaliter, licèt submissè; non enim dictum est: *Et vox penitùs non formabatur*, sed *non audiebatur*, cùm tamen labia moverentur; potuit ergo esse typus Ecclesiæ. Neque inde potest inferri non posse Ecclesiam alio etiam modo orare, sed solùm colligitur hunc modum esse bonum et convenientem, quando aliunde specialis ratio aut necessitas non occurrit: nam et Anna ipsa, quæ tunc sic orabat, poterat honestè et sanctè in aliis opportunitatibus aliter orare. Et ideò in assertione non dixi non posse ministros Ecclesiæ, cùm sic orant, altè orare, si velint; sed dixi non esse necessarium altâ voce orare, quia submissa sufficit; liberum autem est unicuique majorem sonum adhibere, si velit, et circumstantiæ non occurrant, ratione quarum prudentia dictet non esse hìc et nunc altiùs orandum, vel ne aliis impedimento simus, vel ne scandalum aliquod præbeamus, dùm videmur devotionem ostentare, vel quid simile. Et in his casibus intelligenda sunt quæ contra clamorosam orationem scribit Chrysostomus, homil. 13 et 19 in Matth.: loquitur enim contra eos qui non rectâ fide vel intentione illam affectant, et imprudenter et ubique illâ utuntur, ac si clamor ille esset per se necessarius ad movendum Deum, vel ad gloriam captandam, non verò simpliciter eam damnat, ut ex contextu satis constat.

4. Extra hos ergo casus unusquisque recitare potest altâ voce, quantùm ad excitandam devotionem in seipso utile judicaverit. Neque incidet in reprehensionem Baalitarum, ut hæretici calumniantur, quia non sic orat ex falsâ de Deo existimatione, sed quia homo sensibilis est, et sensibilibus signis promovetur. Quin potiùs etiam licitum est homini sic oranti cantare, si velit, et locum habeat accommodatum, et inde magis ad devotionem excitatur, quia hoc prohibitum non est, nec ex se habet talis actio unde reprehensibilis sit, ut ex quartâ assertione cum proportione patebit; item quia in privatis orationibus, quas unusquisque suâ devotione et auctoritate recitat, licitum est cantu uti, si quis velit; quod in antiquis et devotis fidelibus usitatum fuisse indicavit Tertullianus, lib. 2 ad uxorem, dicens: *Quid maritus illi, et quid illa marito cantabit?* et cap. 9, in fine: *Sonant inter duos Psalmi et hymni, et mutuò provocant quis melius Deo suo canat;* et lib. Exhort. ad castit. cap. 10: *Si psalmum canit, placet sibi.* Tota ergo hæc varietas licita est, etiam in secretâ oratione, etiamsi alioqui per se publica sit, absolutè verò alta vox necessaria non est.

5. Solet autem quæri quæ vox necessaria sit vel

sufficiat in hujusmodi oratione. Duo enim extrema in hoc invenio : unum est oportere tam altam esse vocem ut ab aliis possit audiri. Ita sentit Medina, quæst. 7, ubi non loquitur in particulari de recitantibus privatim officium divinum ; tamen loquitur absolutè de recitantibus ex obligatione, et indicat tam necessariam esse tantam vocis expressionem, quàm est necessaria vox. Et potest pro hâc sententiâ citari D. Thomas, dicto art. 12 ; Cajetanus autem ibi declarat voces esse de præcepto, conditionem verò ejus, ut audiri possit, esse de decentiâ. Potest verò opinio Medinæ suaderi ratione supra factâ, quia in hâc oratione communi ideò vox est necessaria, ut sit sensibilis respectu Ecclesiæ ; non est autem sensibilis nisi per auditum ; debet ergo esse talis ut ab aliis audiri possit. Alia sententia extremè contraria est, satis esse vocem formare, labia movendo, etiamsi à nemine, neque ab ipsomet proferente audiri possit, quia Ecclesia non præcipit quantitatem vocis, sed tantùm ut voce oretur ; ergo, si id fiat, sufficit ; nam quòd à nemine sentiri possit, accidentarium est. Sed media via tenenda est ; et primò distinguendum est an quis recitet solus vel cum socio : nam si oret cum socio, tenetur quisque tam altè dicere ut ab alio audiri possit, quia unusquisque tenetur dicendo vel audiendo totum officium explere ; quamvis in hoc possit esse aliqua diversitas, quando socius non tenetur ad horas canonicas recitandas, vel voluntariè alium adjuvat : tunc enim ut is qui ex obligatione recitat, suo muneri satisfaciat, necessarium est, ut possit percipere quæ alter dicit, et tunc licèt socius absolutè non teneatur recitare, tamen ex suppositione quòd vult alium juvare ad pensum solvendum, debet ita dicere ut alius percipiat, ipse verò socius non tenetur tunc alium audire, quia simpliciter recitare non tenetur (ut in casu supponitur), et ideò neque ex illo capite necessarium erit ut alter tam altè recitet. Aliunde verò est moraliter necessarium ut possit convenienter officium peragi, quia nisi socius audiat, non potest convenienti tempore aut modo respondere.

6. Secundò addendum est, quando quis recitat solus, non teneri ex præcepto ad dicendum tam altè ut ab assistentibus percipi possit. Ita Navarrus, dicto capite 20, num. 14, et sentit Cajetanus, et hoc probatur benè illâ ratione, quòd vera oratio vocalis esse potest, etiamsi ad aliorum sensum non possit applicari, id enim per accidens est, et ideò non obstat quominùs per illam satisfiat præcepto. Tertiò verò addo moraliter necessarium esse ut quis ita loquatur, ut ipse saltem seipsum possit audire. Probatur ex concilio Basiliensi, sess. 21, dicente eos qui privatim recitant, non debere *in gutture vel inter dentes dictiones formare*. Item ratione factâ, quia esse debet vox audibilis ; ergo saltem ab ipso orante ; nam profectò (etiam physicè loquendo) vix potest formari vox quæ ab ipso loquente audiri non possit, seclusis impedimentis quæ erunt per accidens ; moraliter etiam videtur id necessarium, ut possit quis humano modo explere illud præceptum, et certus fieri quòd illud sufficienter executioni mandaverit. Et ideò licèt quantitas vocis non præcipiatur, tamen in ipso præcepto orandi vocaliter intrinsecè includitur obligatio ita orandi ut possit quis percipere orationem suam per se loquendo, et certus reddi, quòd eam protulerit.

7. Dico tertiò : Quando officium canonicum pro usu fidelium in ecclesiâ recitandum est, conveniens ac necessarium est altâ voce illud proferre. Hoc etiam docent D. Thomas et omnes ; et ratio est clara, quia modus actionis debet esse accommodatus fini ejus ; sed finis hujus orationis publicæ est ut fideles illam audiant et percipiant, et per illam ad devotionem, petitionem vel laudem Dei excitentur, ad quem finem necesse est ut ab eis percipi possit, et consequenter ut altâ voce recitetur ; ergo talis modus est non solùm conveniens, sed etiam necessarius in hujusmodi oratione. Atque hoc etiam confirmat usus Ecclesiæ, ut à fortiori ex dicendis in sequenti capite constabit. Possumus autem exemplis divinæ Scripturæ id declarare ; nam Matth. 15 et 20 legimus Chananæam et duos cæcos clamâsse petendo à Christo, quia volebant ab illo sensibiliter audiri ; turbæ etiam, et pueri Hebræorum à Spiritu sancto moti clamabant ad Christum : *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, Marc. 11, Luc. 19, quia voluit Spiritus sanctus ut ab omnibus audirentur ad confundendam duritiem Judæorum, et testimonium publicum de Christo dandum ; Christus etiam ipse in cruce oravit cum clamore valido, Matth. 27, Hebr. 5, quia orationem illam faciebat, non solùm ut à Patre audiretur, sed etiam à nobis, sicut etiam Joan. 11, tam altè oravit, quantùm necesse fuit ut ab astantibus percipieretur, et propter circumstantes sic orabat, ut ipsemet dixit. Sic ergo cùm Ecclesia hanc orationem suam ad fructum audientium fidelium ordinet, meritò in eâ postulat altam vocem, quæ à populo percipi possit. Unde constat modum hunc orandi publicè, et loco et populo esse accommodandum, neque posse aliam certam regulam assignari circa modum seu magnitudinem aut moderationem vocis in hoc munere adhibendo.

8. Occurrebat autem hìc statim difficultas jam alibi tacta ; nam si alta vox est necessaria propter populum, eâdem ratione erit necessaria lingua vulgaris, quæ à populo intelligatur ; nam si populus significationem verborum non intelligit, quid interest quòd sonitus verborum audiat? Respondetur negando sequelam, quia in his rebus moralibus non semper id expedit, quod aliquam utilitatem afferre potest ; nam possunt aliunde majora incommoda sequi, vel meliora commoda impediri, et ideò nomina pensanda sunt, ut quod magis expedit eligatur. Usus ergo vulgaris linguæ in divinis officiis, licèt propter aliquam majorem intelligentiam posset esse utilis, tamen habere posset majora incommoda et pericula, tum quia mysteria sacra vilescerent ; tum quia esse posset occasio errandi indoctæ plebi ; putaret enim se intelligere sententias et veros sensus, vel lectionum, vel Psalmorum, eo quòd significationem verborum apprehenderet, et tamen frequentissimè conciperet errores, vel cortici litteræ

adhærendo, ubi sensus altior est, vel obscura mysteria non penetrando; tum denique quia vulgaris plebs non est capax multarum rerum et sententiarum, quæ in Latinâ linguâ aptissimè et decentissimè dicuntur. Ob has ergo et alias causas, quas alibi attigimus, non fuit expediens vulgari linguâ uti in publico divino officio; nihilominùs tamen fuit conveniens ita dici in Ecclesiâ ut à populo percipi et audiri possit, quia in hoc nullum est inconveniens, et potest esse multiplex fructus; nam populus audiens, saltem in communi intelligit laudari vel orari Deum, et ipse adjungit cor suum et orationem suam prout potest. Item licèt non omnia intelligant singuli de populo, semper tamen aliqui intelligunt aliqua, quidam plura, alii pauciora, et nullus est qui non intelligat saltem cùm glorificatur Trinitas, cùm laus Deo dicitur, cùm misericordia postulatur, et similia. De hoc argumento legi potest Franciscus Costerus in suo Enchir., cap. ult., ubi succinctè et eruditè rem comprehendit.

9. Dico quartò, sanctissimam esse consuetudinem, ut horæ canonicæ cum cantu et psalmodiâ in Ecclesiâ dicantur. Conclusio est de fide, ut consuetudo, et traditio Ecclesiæ satis confirmat, et declaravit concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 18. Habetque inprimis exemplum et fundamentum in sacrâ Scripturâ, ut Augustinus notavit Epist. 119 ad Januar. cap. 18, et lib. 1 Retract., cap. 19; nam à tempore Moysis fuit consuetudo canendi divina cantica, Exod. 15, et Deuter. 32. Postea verò à temporibus David cœpit usus canendi Psalmos et laudes Dei in citharâ, ut sumitur ex 2 Reg. 7, et 1 Paralip. 5 et 6, et notavit Augustinus, 17 de Civit., cap. 14, et Isidorus, lib. 2 de divin. Offic., cap. 22, et Innocentius III, in lib. 1 Myster. Evangelicæ leg., cap. 2. In novo etiam Testamento legimus Mat h. 26 et Marc. 14, Christum in nocte passionis, post cœnam dixisse hymnum cum discipulis suis. Est autem hymnus laus Dei cum cantico, ut Augustinus dixit enarr. Psalm. 72, unde multi piè credunt in illo hymno Christi cantum non defuisse, ut apertè sentit Chrysostomus, homil. 83 in Matth., dicens: *Hymnum cecinit, ut et nos similiter faciamus.* Paulus etiam ad Ephes. 5, et ad Colossens. 3, fideles cohortatur ad cantandum Psalmos et hymnos Deo; de quibus testimoniis in superioribus dictum est.

10. Secundò fuit hæc consuetudo ab initio nascentis Ecclesiæ, tam in Oriente quàm in Occidente. Nam in can. 43 et 69 Apostolorum, hujus ritûs canendi in Ecclesiâ mentio fit; et ejusdem meminit Clemens, lib. 8 Constitut., cap. 34. De consuetudine verò Orientis testatur Philo in lib. de Vit. contempl., ut cap. 2 retulimus; item Dionysius, cap. 3 de cœlesti Hierarch., *sanctam Psalmorum modulationem* ait *omnibus sacris mysteriis conjungi*; item Ignatius, Epist. ad Philadelph.; Justinus, quæst. 107 ad Orthodoxos; Basilius, Epist. 63; Nazianzenus, orat. 32, in fin.; Chrysostomus, homil. 27 in 1 ad Corinth. De consuetudine autem Ecclesiæ Latinæ testis est Augustinus, lib. 9 Confes., cap. 6 et 7, et lib. 10, cap. 32, significatque suo tempore cantum fuisse introductum in Ecclesiâ Latinâ secundùm morem Orientalium et in Pontificali tribuitur Damaso. Tamen fortassè tunc fuit aucta consuetudo, vel ad meliorem formam redacta: nam quòd antiquior fuerit, ex Tertulliano colligitur in Apolog., cap. 2 et 39 (vide ibi Pamelium); ejusdem consuetudinis meminit Hieronymus, Epist. 4 ad Rusticum, et 17 ad Marcellam: *Tot*, inquit, *ferè psallentium chori, quot gentium diversitas.* Idem ferè Ambrosius, lib. 7 in Lucam, cap. 15; denique quoties antiqui Patres de usu psalmodiæ loquuntur, cantum ecclesiasticum commendant; nam ut Nazianzenus dixit in carmine Iambico, 15: *Cum cantione Psalmus est psalmodia.* Est autem psalmodia laudatissima apud Patres.

11. Tertiò ostenditur ratione, quia inprimis modus hic orandi et laudandi Deum, non habet per se et naturâ suâ circumstantiam aliquam malam, vel à rectâ ratione alienam; quæ enim fingi vel excogitari potest? Nec etiam est specialiter Christianis in lege gratiæ prohibitus, quia nullum est de hoc divinum jus scriptum vel traditum, nec etiam ecclesiasticum, ut satis ex dictis constat; nec etiam est otiosus aut infructuosus modus ille laudandi Deum cum cantico ut hæretici objiciunt, sed magnam habet utilitatem: primò enim, ut Isidorus ait lib. 3 Sentent., c. 7: *Psallendi utilitas tristia corda consolatur, graviores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta invitat.* Multaque similia Basilius habet in Psal. 1. Secundò ait Justinus supra: *Excitat hæc res animum ad ardentem cupiditatem ejus, quod in carminibus canitur, sopit insurgentes ex carne affectiones, cogitationes malas expellit, irrigat animam.* Tertiò Nazianzenus, orat. 40, in fine, *psalmodiam* ait *præludium cœlestis gloriæ et hymnodiæ.* Quartò utilis est ad deteriores delectationes vitandas; Nazianz., orat. 4 contra Julian.: *Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro fœdis modulationibus et cantibus*, etc., et in Iambico 19: *Præstat quibusvis organis psalmodia, ut quæ supremis rebus animum copulet.* Denique hujus instituti utilitatem experimento se sæpius cognovisse testatur Augustinus, *dùm ad voces suaviter sonantium Psalmorum æstuabat cor* (ejus) *et lacrymæ profluebant.* Quòd si hoc efficiebat cantus in sanctissimo ac perfectissimo viro, multò magis eam utilitatem habebit in animis imperfectorum; unde divus Thomas, 2-2, quæst. 91, art. 1, ad 2, et art. 2, ait: Cantum in divinis laudibus meritò fuisse institutum, ut animi infirmorum ad devotionem excitarentur. Addit præterea in eodem artic. 1, cantum ad hoc fuisse ordinatum, ut homo occupatus in laudibus Dei, ab his quæ sunt contra Deum retrahatur juxta illud Isaiæ 48: *Laude meâ infrænabo te, ne intereas.* Unde graves etiam Doctores affirmant, inter alias utilitates psalmodiæ unam esse, homines qui vel nesciunt vel non valent diù mente solâ orare, otiosi non sint, sed in Dei laudibus occupentur. Eo vel maximè quòd officium hoc non solùm propter utilitatem, sed etiam per sese propter honestatem divini cultûs, quàm in se habet, meritò institui potuit. Sic dixit Damascenus, lib. 4, cap. 13: *Quia ex visibili et invisibili naturâ constamus, duplici adorationis genere rerum omnium parentem*

afficimus, quemadmodùm videlicet et mente et corporis labiis psallimus, et Isidorus dicto cap. 7 : *Bonum est corde semper orare, bonum est etiam et sono vocis Deum spiritalibus hymnis glorificare.* Quia ergo solâ mente diù orare paucorum est, ideò præter alias utilitates, ad honestam etiam occupationem tam psallentium, quàm audientium introducta est psalmodia, ut in sequenti cap. iterùm dicemus.

12. Ad hæreticos ergo non oportet respondere per singula capita quæ attingunt : nam de primo jam satis diximus quâ fide loquendum sensibiliter sit cum Deo, sive altâ, sive submissâ voce, non quia ipse indigeat sed quia nobis expedit. De secundo verò jam constat, non frustra fieri, quod tot modis Ecclesiæ potest esse utile. De tertio autem quoniam attingit obligationem, et præceptum recitandi horas canonicas, dicturi sumus latè in sequentibus capitulis, nunc uno verbo dicitur, ecclesiastica præcepta non esse contra ecclesiasticam libertatem, ut in materiâ de Legibus latiùs ostensum est. De quarto etiam puncto dicimus, quæ scilicet personæ huic ministerio applicandæ sint ; nunc breviter dicitur, opus hoc adeò esse religiosum et sacrum, ut angelis ipsis in summo honore esse possit, nedùm hominibus in quantâvis dignitate constitutis ; quantæ verò perfectionis hoc opus sit, mox inquiremus.

CAPUT VIII.

Duo dubia circa ecclesiasticum cantum expediuntur.

1. Duo in superiori puncto explicanda supersunt. Primum est, qui modus canendi decens, atque licitus sit in Ecclesiâ et horis canonicis, ubi non inquirimus de materiâ, seu rebus, quæ cantari possunt, ac debent : de hoc enim dicemus in cap. 10, sed de modo cantandi seu modulandi, et specialiter est dubium de cantu quem organicum seu figuratum appellant, an licitum sit eo uti in his officiis. Et ratio dubitandi est, quia in extravag. unic. de Vit. et Honest. clericorum, inter communes, Joannes XXII videtur prohibuisse usum hujus cantûs organici in his officiis ; nam licèt hoc nomine non utatur, tamen simpliciter prohibet omnem cantum præter illum, quem ecclesiasticum simplicem vocat, nam hunc servari decernit, solùmque per modum exceptionis addit : *Ut interdùm, præcipuè diebus festis sive solemnibus, liceat proferre supra cantum simplicem ecclesiasticum, aliquas consonantias* (quas contra punctum vocant). *Sic tamen ut ipsius cantûs integritas illibata permaneat, et nihil ex hoc de benè memoratâ musicâ immutetur.* Cùm ergo exceptio firmet regulam in contrarium, videtur ibi omnis alius cantus prohibitus. Atque ita cantum organicum in missâ et divinis officiis ibi esse prohibitum affirmat Navarrus in dicto Enchirid. cap. 16, num. 53 ; unde in num. 32, affirmat hodiè communiter peccare cantores, qui in horis canonicis, et in missâ canunt cantum organicum propter varias circumstantias, quas ibi expendit, et propter dictam prohibitionem. Et quia magis canunt ad demulcendas aures, quàm ad excitandam devotionem, quod est contra finem hujus instituti, ut supra dictum est, et tradit D. Thomas, 2-2, q. 91, art. 2. Imò videtur per se malum (ut ibi notat Cajetanus, art. 1) intendere cantui in rebus divinis, præcipuè propter sensibilem delectationem ex ipso cantu, et non potiùs propter spiritualem devotionem ex re cantatâ. Cui consonat illud Augustini lib. 10 Confess., cap. 33, ubi se accusans de aurium voluptatibus, subjungit : *Cùm mihi accidit ut me ampliùs cantus quàm res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem.* Hoc autem incommodum maximè sequi videtur ex cantu organico, quia frequentiùs non intelligitur, quod sic cantatur ; atque ita fit ut delectatio sumatur ex cantu, non ex re cantatâ.

2. Nihilominùs dicendum est cantum hunc etiam in missâ et divinis officiis, nec per se malum esse, nec simpliciter jure ecclesiastico prohibitum. Hæc resolutio certa est, quam Navarrus non negat, ut videre licet in discursu illius capitis. Sufficiensque argumentum est, quòd in universâ Ecclesiâ hic usus retinetur, et in ipsâmet Ecclesiâ Romanâ, et Pontificio sacello hoc modo divina officia sæpè cantantur. Ratio autem prioris partis est quia in hoc cantu per se spectato nulla est intrinseca deformitas, quæ contra decentiam clericorum, vel contra sanctitatem talium officiorum esse videatur ; nam experientiâ ipsâ constat, ubi cum debitâ moderatione et gravitate fit, majestatem divinorum officiorum condecorare, et audientium animos ad reverentiam et devotionem excitare. Quòd verò interdùm Psalmi vel hymni hoc modo decantati non tam perfectè et integrè percipiantur, vel non est tam frequens, quando cantus est moderatus et gravis, vel interdùm potest sine culpâ tolerari, propter alios sanctos fines, ut propter majorem solemnitatem, quæ in populo excitet admirationem et majorem quamdam æstimationem, vel alicujus mysterii vel alicujus sancti. Maximè quia etiam Psalmus sic confusè perceptus, ratione ipsius concentûs sæpè magis excitat spiritualem devotionem seu elevationem mentis in Deum, quàm idem Psalmus simpliciter cantatus, et benè perceptus, quia hæc sensibilia sæpè magis nos movent. Sicut non rarò vox quædam prædicatoris vehemens aut dulcis magis movet animum ad terrorem vel affectum, quàm gravis sententia tepidè aut insuaviter dicta. Neque etiam obstat quòd moraliter ac frequenter peccetur per aliquem excessum vel perturbationem in ejusmodi cantu, propter multitudinem vociferantium, et varias hujusmodi ministrorum conditiones, nam hæc accidentaria sunt, et regulariter sunt levia, ubi ecclesiastica disciplina servatur, et ideò valdè expedit, ut hujusmodi cantus per clericos ipsos benè institutos vel personas religiosas fiat, ut concilium Aquisgranense monet cap. 132 et 133. Videri etiam potest Lindanus lib. 4 Panopliæ, cap. 78. Denique non obstat quod interdùm videatur populus magis invitari et trahi ad delectationem sensûs, quàm ad devotionem spiritûs. Quia ex intentione Ecclesiæ hoc non ita est, neque ex naturâ actionis, quia tota illa delectatio sensûs per se est apta ad excitandam devotionem mentis. Intendere autem hoc modo voluptatem ipsius cantûs non est malum, quia ipsa de se indifferens est, et

ordinatur ad bonum finem. Ita enim olim Prophetæ per instrumenta musica excitabantur ad spiritum prophetiæ recipiendum, mediâ elevatione mentis in Deum. Unde peccatum illud, quod Augustinus in se recognoscit, vel non erat propria culpa, sed *pœnale peccatum*, ut ipse loquitur, id est, motus surreptionis ex fomite, qui plus justo interdùm sensibilibus delectatur, vel poterat esse veniale peccatum, non servando omninò debitum ordinem in hoc genere delectationis. Per se autem non semper peccatum est, plus moveri cantu ipso, quàm re cantatâ; nam potest esse hoc naturale, et non pendens ex hominis libertate. Ideòque si quis benè utatur illâ naturali conditione, aut complexione, ordinando illam ad spiritualem profectum non malè facit. Atque ita hic cantus semper potest de se habere bonum, et spiritualem usum; non est ergo per se malus, etiam ad res divinas applicatus.

3. Quòd verò nec jure positivo prohibitus sit, ex eodem usu Ecclesiæ satis constat. Quapropter dicendum est vel per illam extravagantem non fuisse simpliciter prohibitum, sed solùm indecentem modum ejus, vel non fuisse jus illud in alio sensu receptum, aut per consuetudinem fuisse derogatum quoad ea omnia quæ per se mala non sunt. Neque in aliis decretis talis prohibitio invenitur. Regula igitur in hâc materiâ servanda est, ut cantus indecentes et modulationes indecoræ in hoc cantu omninò vitentur; censentur autem indecentes, non solùm illæ quæ turpes sunt (nam illæ etiam in humanis recreationibus indecentes sunt) sed etiam illæ quæ fiunt cum gestibus aut motibus indecentibus, vel quæ ratione usûs profani, aut propter peculiarem modum flectendi vocem aut melodiam quærendi, profanas cogitationes aut indecentes motus excitare solent. Et hujusmodi ferè sunt omnes circumstantiæ cantûs, quæ in illâ extravaganti numerantur et prohibentur; et juxta hæc intelligenda sunt multa, quæ Navarrus citato loco in particulari prosequitur. Neque in hoc potest certior regula dari, quàm illa Pauli 1 ad Corinth. 14: *Æmulamini prophetare, et loqui linguis nolite prohibere, omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant;* et iterùm: *Omnia ad ædificationem fiant.* Et sic dixit Innocentius, lib. 1 de Mysteriis missæ, cap. 2: *Debent cantores consonis vocibus et suavi modulatione concinere, quatenùs animos audientium ad devotionem Dei valeant excitare.* Videri etiam potest Cajetanus in Summâ, verbo *Organorum usus,* qui benè de hâc materiâ loquitur, et ejus sententiam in cap. 3 magis explicabimus.

4. Alterum dubium est an in hoc cantu liceat uti musicis instrumentis: nam D. Thomas, 2-2, quæst. 91, art. 2, ad 4, absolutè negat esse utendum in cantico ecclesiastico his instrumentis, sumitque argumentum ex Aristot. lib. 8 Polit., c. 6, dicente *non esse recipiendas tibias in disciplinâ, neque aliud artificiosum instrumentum, ut cithara, et si quid aliud tale, sed quæcumque faciunt auditores bonos,* etc. Nam si hoc sentit philosophus de morali disciplinâ, multò magis de ecclesiasticâ dicendum idem erit. Objectioni autem quòd in veteri templo erant in usu hæc instrumenta, ut constat, Psalm. 32, et Psalm. 150, et 1 Paralip. 6, respondet D. Thomas illud pertinuisse ad imperfectionem et umbram illius legis, quia ille populus erat magis durus et carnalis, ideòque per hæc instrumenta sensibilia erat permovendus et instruendus, sicut per alia sensibilia signa. Id ita simpliciter secutus est Paludanus in 4, dist. 15, quæst. 5, art. 2; confirmarique potest testimonio Justini ad quæstionem 107 orthodoxorum, quæ erat, cur cantica in lege gratiæ introducta sunt, quæ est lex perfectionis, cùm in veteri lege videantur inducta propter mentis infantiam, et respondet: *Canere non omninò pueros decet, sed canere cum inanimis instrumentis, et cum saltatione et crotalis. Itaque ex templis explosus est, et sublatus usus instrumentorum ejus generis aliorumque quæ pueris digna sunt, relictusque est et retentus cantus omninò;* quæ responsio valdè conformis est responsioni D. Thomæ.

5. Nihilominùs dicendum est, usum horum instrumentorum gravem et moderatum, nec per se indecentem esse pro ecclesiastico officio, nec ab Ecclesiâ esse prohibitum, sed in eo eamdem regulam servandam esse, quam de cantu vocis tradidimus. Probatur breviter ex usu Ecclesiæ; nam ferè in universo orbe christiano hæc consuetudo, vel approbatur vel toleratur ut honesta, quamvis alicubi non recipiatur, ut in capellâ summi Pontificis, non quia mala sit, sed quia fortassè non judicatur tam gravis aut necessaria. Quòd ergo per se non sit mala, necessariò convincit exemplum veteris legis, neque enim putandum est ex dispensatione Dei id factum esse. Effectus etiam, qui inde sequebatur, evidenter id persuadet, quia provocabat homines ad devotionem, et Prophetas elevabat ad spiritualem contemplationem; hunc ergo effectum etiam nunc habere potest. Et quamvis lex gratiæ perfectior sit, tamen in eâ sunt multi imperfecti, et plebs christiana multùm etiam movetur ad spiritualia sensibilibus adjumentis. Præterea organa instrumenta musica sunt, organorum autem usus antiquissimus est in Ecclesiâ, ut testatur Stephanus Durantus, lib. 1 de Ritibus Ecclesiæ, cap. 13, ex Juliano in cap. 31 Job, qui sanctum Gregorium longo intervallo antecessit, et ex Platinâ, et aliis asserentibus organorum usum jam fuisse in Ecclesiâ tempore Vitaliani Papæ. Et quamvis vox organum communiter jam recipiatur pro peculiari instrumento musico sic vulgariter dicto, tamen vox de se generalis est, ut constat ex Hieron., epist. 28 ad Dardanum, et ex Isidoro, lib. 3 Origin., cap. 19, 20 et 21. Neque satis constat an usus antiquus organorum in Ecclesiâ generaliter etiam accipiendus sit, vel de tal. instrumento in specie, utcumque tamen intelligatur, ex specie colligimus instrumenta musica de se non esse contra ecclesiasticam decentiam vel utilitatem. Quòd verò nec sint per Ecclesiam prohibita, præter usum constat ex concilio Tridentino, sess. 22, cap. de Observandis in celebratione missæ, ubi sic inquit: *Ab Ecclesiis verò musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur,* etc., *prohibet sancta synodus;* ergo musicas honestas et puras, etiamsi organo fiant, non prohibet. Eodem ferè modo loquun-

tur concilium Senonense et Coloniense; nomine autem organi, vel instrumentum musicum simpliciter intelligitur, vel certè eadem ratio est de his omnibus in quibus decentia et gravitas reperiri potest; ergo in uno organo sunt approbata reliqua instrumenta musica, dummodò in eorum usu nulla sit indecentia; vel certè satis est quòd non inveniantur reprobata jure positivo, cùm aliàs per se mala non sint, ut ostendimus.

6. Hinc colligunt aliqui, tempore D. Thomæ non fuisse in Ecclesiâ organorum usum. Ita Cajetanus, 2-2, quæst. 91, Notab. 2, et Navarrus in dicto Enchirid., cap. 16, num. 46. Hoc autem subsistere non potest, cùm ostensum sit organorum usum multò antiquiorem esse; unde Soto lib. 10 de Just., quæst. 5, art. 2, in fine, sentit D. Thomam non fuisse locutum de organis, sed de aliis instrumentis musicis, de quibus etiam illum explicat, ut solùm dicat, quod antiquo populo magis, quàm nobis congruebat. Et sanè D. Thomas non dixit usum talium instrumentorum esse malum, sed indicavit non esse necessarium, neque propter perfectos adhiberi, non tamen negat, quin propter juvandam infirmitatem imperfectorum possint admitti. Neque contra hoc obstat dictum philosophi, quia majorem improportionem habet musica instrumentorum cum disciplinâ, in quâ scientia addiscitur, quàm cum oratione et internâ devotione, quæ ex suavitate musicæ interdùm excitatur. Et ideò non obstat, quòd instrumenta musica proximè delectent, si delectatio talis est, ut benè disponat animum ad devotionem. Sicut etiam cantus vocis proximè generat delectationem, vel suavitatem aliquam, unde etiam ille non est ita proportionatus ad disciplinam scientiæ, sicut est ad publicam orationem et Dei cultum.

7. Unum verò addendum superest, scilicet valdè conveniens esse, quando pars aliqua, aut versus divini officii per organum, vel aliud instrumentum musicum dicitur, ut non fiat sine aliquo cantu vocis, quo idem versus ita distinctè exprimatur, ut ab assistentibus percipi possit; tum quia hoc modo suavitas instrumenti non erit per se intenta, sed ut res ipsa quæ cantatur suaviùs concipiatur, et magis moveat; et ita non tam delectet cantus, quàm res cantata; tum etiam, ut integritas orationis vocalis perficiatur; nam per solum sonum instrumentorum non videtur sufficienter fieri oratio vocalis, qualis esse debet oratio chori. Et ideò, quando in solo organo sine ullo cantu dicitur versus, solet chorus sine cantu recitare versum illum; quod sufficit quidem ad integritatem horæ, non tamen videtur ita conveniens ad satisfactionem populi et publicæ orationis; imò quando id fit in symbolo, Navarrus supra, num. 44 et 45, et clariùs 49, indicat esse peccatum. Dixi autem, *quando pars aliqua, aut versus divini officii dicitur*, quia interdùm inter unum Psalmum et alium, vel dùm secreta missæ mysteria peraguntur, solet tangi organum, aut aliud instrumentum sine ullâ voce, quod non est per se malum, quia ex objecto est indifferens, et potest habere religiosum finem, et medium est de se proportionatum tali fini, ut sæpè dictum est. Cavendum est autem, ne sonus indecens fiat, ut benè notavit Cajetanus supra; de quo infra, cap. 10, dicemus. Item cavendum est, ne illâ occasione nimiùm dividantur partes officii, et totum officium plus justo prolongetur; nam hoc solet tædium generare, et finem orationis impedire. Et juxta hæc moderanda sunt multa quæ de his instrumentis dicit Navarrus in loco proximè citato.

CAPUT IX.

Ad quas personas pertineat, horas canonicas in choro publicè canere seu recitare.

1. Hactenùs explicuimus institutionem et rationem horarum canonicarum, eas in se, ut ita dicam, speculando, et quasi earum naturam, vel potiùs artificium, compositionem, unitatem et distinctionem explicando, jam ergo de usu earum et de moralibus obligationibus, quæ ad eas pertinere possunt, dicendum superest; et quamvis publica oratio non semper fiat cantando, sed interdùm altâ voce recitando, juxta plebis aut communitatis aut loci capacitatem vel consuetudinem: brevitatis gratiâ nomine cantûs, omnem hunc modum comprehendemus, quoniam latâ significatione ita solet appellari. Dicemus autem priùs de personis, ad quas hoc spectat officium, deinde de circumstantiis in illo servandis, prout in choro fit, seu fieri debet. Duo autem circa personas inquiri possunt; unum est, quæ sint capaces, juxta morem Ecclesiæ et decentiam ejus, ut eis hoc ministerium, seu officium committatur. Alterum est, quibus ex obligatione et præcepto impositum sit, et de his sigillatim dicemus.

2. Circa propositam ergo quæstionem dicendum est primò: munus hoc canendi publicè horas canonicas ad ecclesiasticas personas, seu peculiares Ecclesiæ ministros, per se loquendo pertinere. Hoc constat ex usu Ecclesiæ, quem declarando, facilè conclusio constabit; supponimus ergo ex antiquo usu officium hoc cantandi, seu recitandi horas canonicas publicè, non pertinere ad totam fidelium plebem et communitatem, ita ut omnes canere, seu vociferari debeant in Ecclesiâ, prout nonnulli novi hæretici in suis conventiculis introduxerunt, ut aliqui referunt; est enim illud novum et inusitatum in Ecclesiâ, quæ semper in hoc observavit, quod Apostolus monet 1, Corinth. 14: *Omnia ad ædificationem fiant;* et iterùm: *Omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant.* Rectus autem ordo postulat, ut sacra officia publica per selectas personas, et aliquo modo sacras, et peculiari curâ ad id deputatas fiant. Cantus enim ecclesiasticus simul est, et ad Dei cultum institutus, et ad excitandum populum ad devotionem cum quâdam reverentiâ et admiratione. Et ideò studium semper Ecclesiæ fuit servandi gravitatem et auctoritatem in his Ecclesiasticis officiis, ut rudis populus, qui his rebus sensibilibus maximè movetur ad colendum Deum, cum majori reverentiâ et devotione excitaretur. Atverò si ab universâ plebe horæ decantarentur, statim munus illud vilesceret, præterquàm quòd non posset sine magnâ confusione, et perturbatione fieri. Hinc semper in Ecclesiis Christianorum observatum est, ut locus sepa

ratus constituatur, qui chorus dicitur, in quo clerus, seu ministri divinorum officiorum recipiantur, et separati sint à populo. De quo fit mentio in concilio Toletano IV, cap. 18, ubi ordinatur ut sacerdos, et Levita ante altare communicet, clerus in choro, populus extra chorum, et in cap. 1, de Vitâ et Honestat. clericor. de hoc choro sermo est, cùm dicitur : *Pars illa quæ cancellis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat clericis;* quæ verba referuntur ex concilio Moguntino, cap. 13. Inveniuntur autem ferè illa verba in concilio Turonico II, circa tempora Pelagii I, cap. 4, ubi sic dicitur : *Ut laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur inter clericos tam ad vigilias quàm ad missas stare penitùs non præsumant, sed pars illa quæ à cancellis versùs altare dividitur, choris tantùm psallentium pateat clericorum.* Et concordat cap. *Sacerdotum*, de Consecrat., d. 2; et Clemens, lib. 2 Const., cap. 57, ordinavit ut locus clericorum separatus sit à loco laicorum, quia nimirùm ad illos semper pertinuit divina officia peragere, et horas canonicas decantare, ad populum autem in suo loco sistere et audire.

3. Objici verò potest ex Alberto IV, dist. 24, art. 20, quia officium cantandi in Ecclesiâ est officium orandi et laudandi Deum, à quo nullus excludendus est, unde ibi ille concludit hoc esse officium communitatis, et totius corporis Ecclesiæ in devotione Deo servientis, et non officium ministrorum, ut ministri sunt, ac subinde totum conventum fidelium posse esse chorum, et respondere præcinentibus in laudem Dei. Potestque hoc confirmari ex Basilio, epist 63, referente, totam plebem fidelium ad nocturnas preces concurrentem, solitam fuisse ad psalmodiam instrui, et illucescente die omnes veluti uno ore solitos fuisse Deum confiteri. Et Baronius, tom. 1 Annalium ann. 60, num. 28, dicit olim populum promiscuè cum clericis in Ecclesiâ cantâsse, et sacerdoti oranti consuevisse respondere, *amen*, juxta illud Hieronymi in Præfatione lib. 2 ad Galatas : *Ad similitudinem cœlestis tonitrui, amen reboat.* Quod notavit etiam Gloss. in d. cap. *De iis*, d. 12, verb. *Civis*, ex hoc eodem verbo illud colligens, sed vera lectio habet, *Pontifices*, et ita nihil potest in eâ fundari; expressè verò id affirmat Augustinus, lib. de Cathechiz. rudib., cap. 9, in cap. *Sedulò*, d. 38.

4. Priusquàm respondeamus, dicimus secundò, hoc munus cantandi divinum officium, licèt ad totam plebem fidelium non pertineat, nihilominùs non esse ita proprium clericorum, ut illi soli ad illud assumantur; possunt enim aliqui non ordinati ad hoc ministerium deputari. Unde Isidorus, lib. 2 de divin. Offic., cap. 12, mentionem faciens de psalmistis quos Ecclesia alere solet et instruere ad cantandi ministerium, in fine subjungit, posse presbyterum sine conscientiâ episcopi quinque ad officium cantandi sibi deligere; dicit autem, *sine conscientiâ episcopi*, quia non oportebat eos priùs ab episcopo ordinari, seu in gradu aliquo ecclesiastico constitui. Non intelligo autem, cur ad quinque cantores illum numerum limitaverit; nam in concilio Carthaginensi IV, cap. 10, cap. *Psalmista*, d. 23, absolutè dicitur : *Psalmista*, id est, cantor, *potest absque scientiâ episcopi solâ jussione presbyteri officium cantandi suscipere, dicente sibi presbytero, vide ut quod ore cantas corde credas, et quod corde credis operibus comprobes.* Constat ergo hoc officium seu ministerium non pertinere per se ad ordinem aliquem, quandoquidem per solam jussionem presbyteri potest conferri. Eò vel maximè quòd in eodem concilio priùs omnes ordines majores, et minores numerantur, et postea subjungitur Psalmistarum munus.

5. Unde omnes theologi concludunt Psalmistam per se non esse clericum, neque constituere proprium ordinem clericorum, ut patet ex Alberto loco citato et D. Thomâ, ibi quæst. 2, artic. 1, quæst. 2, ad 5, et latiùs Bonaventurâ, artic. 2, quæst. 2, et Turrecrematâ, in cap. *Psalmista*. 23 distinct., artic. 1. Qui etiam à primâ tonsurâ psalmistarum distinguunt, quia etiam prima tonsura licèt propriè ordo non sit, cum ordinibus in hoc convenit, quòd per specialem ritum, et per se à solo episcopo confertur; officium autem psallendi potest committi à presbytero per solam electionem, seu jussionem suam; idem in re tenet Guillielmus Durantus, in Rationali, lib. 2, cap. 2; tamen in cap. 3 ait, psalmistam esse illum, qui ordinatus est primâ tonsurâ. Sed ibidem declarat, nomen esse æquivocum, et interdùm accipi in illâ significatione, sed licèt afferat jura in quibus tonsurati clerici appellantur, ut cap. *Cùm contingat*, de Ætat. et qualit. cap. *Cùm inter*, de Re judic., nullum tamen adducit, in quo Psalmistæ vocentur. Fatetur verò, Psalmistam, ut est idem, quod cantor, ut in dicto concilio Toletano, non esse nomen ordinis, sed officii, et hoc est, quod ad rem spectat. Tandem confirmatur ex cap. 1 de Celebrat. miss. ubi monentur rurales presbyteri ut suis horis faciant horas canonicas publicè expleri, *per se vel per scholares;* at hujusmodi scholares non videntur esse clerici, sed filii fidelium, qui in Ecclesiâ docentur et instruuntur, juxta cap. *Ut quisque*, de Vit. et Honest. clericor. Verum est Innocentium et Hostiensem ibi per scholares intelligere clericos in minoribus; quod sequitur etiam Durantus, lib. 3 de Ritib.. cap. 23, num. 7, sed licèt id sustineri possit, nihil est quod cogat, ut dicamus necessarium esse, omnes hujusmodi scholares esse ordinatos vel tonsuratos, ut possint in hoc ministerio adjuvare.

6. Albertus ergo in citato loco rationem reddit cur cantare et psallere in Ecclesiâ non sit officium per se alicui ordini deputatum, quia hoc officium de se commune est omnibus Christianis. Unde quantùm est ex vi muneris posset esse communis toti cœtui fidelium, qui ad horas canonicas conveniunt, nisi aliunde ad majorem decentiam et meliorem ordinem pertineret, ut ad munus recitandi, legendi vel canendi, pauci aliqui eligantur, et separatim in loco altiori, digniori et quodammodò secretiori collocentur, reliquus autem populus assistat tantùm attentè audiens et per alios orans, vel privatim etiam proprias orationes fundens, si velit. Quod ergo Albertus ait totum cœtum fidelium posse esse chorum, non de morali potestate, ut

sic dicam, et pensatis omnibus circumstantiis et consuetudine Ecclesiæ intelligendum est, sed solùm de quâdam non repugnantiâ, quantùm est ex parte actionis; hoc enim sufficit intentioni ejus, nec plus ejus ratio probat, nec in alio sensu admittenda est ejus sententia. Unde cautiùs divus Thomas in eodem loco supra citato dixit : *Cantor non est nomen ordinis specialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet specialem relationem ad Eucharistiæ sacramentum, tum quia officium quoddam est, quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque;* ubi non dixit cantare pertinere ad totum populum, sed ad totum chorum, in quo possunt aliqui, etiam non ordinati convenire, semper tamen debet constare ex aliquibus ad id munus specialiter deputatis, quo sensu inter clericos cantor vel psalmista computatur : Basilius etiam non dicit totum populum convenire, et omnes instrui, ut cantent, sed verba ejus sunt : *Populus domum precationis petit, et factâ ad Deum confessione tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur.* Quod potest intelligi, vel de solis ministris, qui ad psallendum accedunt, vel de omnibus accommodatâ partitione; nam omnes quidem instituuntur, præparantur, ac se disponunt ad psalmodiam, hi quidem ad id dicendum, seu canendum, illi verò ad audiendum, atque eodem modo ait inferiùs : *Omnes velut ore uno, et corde uno confessionis Psalmum Domino offerunt.* Quamvis enim soli ministri canant, et alii assistant, omnes uno corde, et veluti uno ore Deum laudant. Denique licèt olim fuerit consuetudo ut populus in fine collectæ responderet *Amen*, non sequitur potuisse psallere in reliquâ parte officii, sed illud fortassè permittebatur ad ostendendam unionem et consensionem animorum unicâ dictione, et hoc ipsum ob vitandam confusionem in desuetudinem abiit.

7. Atque hinc intelligitur meritò in Ecclesiâ institutum esse ut non solùm per clericos, sed etiam laicos, et per religiosos horæ canonicæ publicè recitentur seu canantur, etiam nomine totius Ecclesiæ; imò non solùm per viros, sed etiam per feminas, ut in monasteriis monialium fieri videmus, et idem fiebat olim in monasteriis monachorum, quamvis clerici non essent in initio vitæ monasticæ, ut infra suo loco videbimus. Semper tamen observatum videtur ut personæ ad hoc ministerium deputatæ sint ecclesiasticæ personæ; si enim seculares personæ sint, aut sunt clerici saltem in minoribus ordinati, aut sunt familiares ecclesiæ peculiari aliquo modo ad divinum obsequium destinati; si verò sint religiosi, eo ipso inter ecclesiasticas personas computantur, etiamsi feminæ sint, ut nunc suppono; loquimur autem de his qui aliquo modo stabili, et quasi ex officio ad hoc ministerium sunt deputati. Nam absolutè non est seculari personæ prohibitum in choro canere cum clericis ex illorum permissu, et quasi juvando illos; nullâ enim prohibitio positiva Ecclesiæ circa hoc invenitur, nec scripta, nec consuetudine introducta; nec est etiam per se malum ita fieri, ut est per se notum, et ex discursu Alberti supra satis etiam constat.

8. Unde tertiò dicere possumus munus hoc, et ad seculares clericos, et ad religiosos pertinere, quamvis diverso titulo et ratione. Prior pars satis nota est ex dictis, et ex usu Ecclesiæ, et ampliùs cum secundâ declarabitur, advertendo, chorum duplici ratione, seu sine proximo solitum esse introduci in Ecclesiâ, scilicet, vel principaliter propter audientes, vel præcipuè propter ipsosmet canentes in choro. Quamvis enim semper principalis finis chori sit laus Dei et communis Ecclesiæ deprecatio, et ad devotionem excitatio, juxta doctrinam divi Thomæ, 2-2, quæst. 83, art. 12, et quæst. 91, art. 1, tamen interdùm in tali loco, ecclesiâ, seu congregatione, introducitur principaliter ad usum populi, ut habeat divina officia publica, quibus interesse possit, et Deum precari, vel laudare per communes ministros ejus suo modo cooperando seu assentiendo. Aliquando verò in aliquâ congregatione instituitur, primò ac principaliter propter usum talis congregationis et personarum ejus quæ ad chorum deputantur, ut in illo religioso ac præstantissimo actu occupentur. Priori modo est chorus ordinariè institutus in ecclesiis clericorum secularium, in quibus clerici constituuntur tanquàm ministri publici divinorum officiorum pro commoditate et usu totius populi. Et de hoc intelligo quod divus Thomas, opusculo 19, cap. 5, dixit : *Orationibus et Psalmis vacare in ecclesiâ divinum officium celebrando, est quoddam opus publicum ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum.* Posteriori autem modo videtur principaliter institutus chorus in religionibus quibus ex proprio instituto convenit profiteri chorum : nam licèt contingere possit ut ministri deputati ad cantum pro usu totius populi religiosi sint, vel quòd religio aliqua assumat hoc munus ad inserviendum populo, tamen per se sine hoc respectu ad populum audientem, solet hoc munus institui in religionibus monachalibus ad ipsorum religiosorum laudabilem occupationem : nam quia divino cultui omninò dedicantur, et non semper possunt internæ meditationi vel contemplationi intenti esse, nec labore manuum aut aliâ exteriori actione semper occupantur, institutus est eis chorus, in quo sanctè et utiliter otientur et occupentur, etiamsi nullus sit populus propter quem canant, neque eorum vita et institutum ad aliorum usum per se ordinetur. Hinc Gerson, lib. de Orat. et ejus Valore, in fine, aliàs p. 3, alphab. 78, litt. G : *Sunt*, ait, *rarissimi valdè inter homines tam religiosos quàm seculares, præcipuè in adolescentiâ et juventute idonei ad contemplationis adeptionem. Propterea sancti Patres videntes imperfectum nostrum, et attendentes quàm difficile est otio bono uti, voluerunt occupationem bonam dare hominibus suis, feceruntque hoc in orationibus et canticis multis.* Similem ferè doctrinam habet idem auctor in lib. de Cantic., in 1 tomo illius, circa finem, aliàs 3 p., alphab. 79, litt. N, ubi rationem illam extendit ad illos cantus qui propter populum in Ecclesiis fiunt. *Multæ*, inquit, *sunt causæ multiplicationis psalmodiarum vocalium in ecclesiis : una est vitæ laicorum laudabilis occupatio*, etc. Alia similia verba habet in lib. de myst.

Theolog., quæ inferiùs, tractando de choro religiosorum, afferemus, ubi etiam ex D. Thomâ et aliis Patribus alia referemus.

9. Quartò dicimus, non omnes clericos occupandos esse in hoc ministerio cantandi in choro, sed illos tantùm qui in gravioribus Ecclesiæ ministeriis seu officiis occupati non sunt. Quæ regula in religiosis etiam personis servanda est. Ita monet D. Thomas, dictâ quæst. 91, art. 2, ad 3, et Gerson, loco ultimo proximè citato, et alii multi infra citandi, qui ad hoc referunt sententiam Gregorii in cap. *In sanctâ Romanâ*, 92 dist., et lib. 4 Registri, cap. 88, ubi Gregor. prohibet ne sacri altaris ministri (id est, diaconi) in munere cantandi occupentur; verba ejus sunt: *Consuetudo valdè reprehensibilis exorta est, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatûs ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium et eleemosynarum studium vacare congruebat;* et infra: *Constituo ut in hâc sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solùmque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant; Psalmos verò et cæteras lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigat, per minores clericos exhiberi.* Qui textus accuratiùs à nobis expendendus est, quia ad ea quæ diximus explicanda multùm confert; item quia difficile creditu videtur Gregorium simpliciter prohibuisse ne diaconi cantent in choro, cùm etiam presbyteri et episcopi ipsi munus illud altissimum obire possint, sicut credendum est Basilium, Chrysostomum, Augustinum et ipsummet Gregorium sæpè illud exercuisse. Item aliàs malè essent institutæ religiones canonicorum vel mendicantium, in quibus et diaconi et presbyteri ex vi instituti esse debent choro addicti.

10. Dicunt ergo aliqui Gregorium solùm prohibuisse ne diaconi modulationi inserviant, id est, cantui indecoro, et ad aures plebis demulcendas ordinato. At hoc extra mentem Gregorii est, quia immoderata seu indecora modulatio in choro ecclesiastico non diaconis tantùm, sed omnibus ministris Ecclesiæ prohibita est; at Gregorius ibi quam modulationem prohibet diaconis, jubet per inferiores ministros fieri; non ergo loquitur de indecorâ.

11. Aliter igitur responderi potest Gregorium ibi non prohibere simpliciter diaconis ne in choro cantent, sed ne illo tempore in quo in missâ solemniter inserviunt, cantent in choro, sed tantùm in missâ Evangelium tunc cantent. Ita limitat Glossa proximè ante illud cap., verbo *Exempti*, et in ipso cap., verbo *In hâc sede*, et Turrecremata ibi, art. 3, hanc limitationem probare videtur, licèt non satis constanter loquatur, ut ostendam. Verùm neque hæc expositio satisfacit, primò quia Gregorius absolutè vult reprobare consuetudinem; consuetudo autem non erat ut diaconi tantùm tempore missæ solemnis cantarent in choro, sed simpliciter quòd cantui tanquàm principali ministerio deputarentur, et quòd in eis eligendis præcipuè observaretur aptitudo ad cantandum. Hoc ergo absolutè reprobat, unde in verbis Constitutionis illa limitatio: *Inter missarum solemnia*, non ponitur ad verba prohibitiva: nam illa omninò absoluta et generalia sunt: *Constituo ut in hâc sede sacri altaris ministri cantare non debeant;* quis enim dicat facere hæc verba sensum quasi compositum, ut sic dicam, id est, non cantent, dùm altari deserviunt? ubi enim potuit esse unquàm talis consuetudo, ut qui solemniter ministrat in altari, simul veniat ad cantandum in choro? vel si hoc in aliquo pago rarissimè contingit fieri, quid necesse erat propter hoc prohibitionem universalem facere? Adde etiam esse indecorum et indecens ut subdiaconus, dùm solemniter in altari ministrat, officium cantandi in choro simul exerceat, et tamen id quod ibi prohibetur diacono, subdiacono imperatur.

12. Prohibitio ergo illa absolutè et sine tali limitatione fit; illa verò determinatio additur in alterâ parte affirmativâ, seu concessivâ, ut cantent diaconi Evangelium in missarum solemniis. Deinde Gregorius duplicem rationem insinuavit, ob quam diaconi illi muneri cantandi addicti esse non debent: Una est, ut ei prædicandi officio et pauperum curæ ac sollicitudini vacare possint; ad hoc autem necesse est ut non tantùm liberi sint à debito cantandi, dùm inserviunt altari, hæc enim nulla est exemptio: nam per ministerium altaris satis erat pro tunc à choro liberari et impediri, ne de pauperibus vel de studio prædicationis curare possent; ergo voluit illos esse liberos simpliciter à cantandi munere, etiam pro aliis horis. Aliam rationem insinuat, nimirùm diaconos non esse ad cantum eligendos, *ne in eis blanda vox potiùs quàm vita* (adde etiam et doctrina) *quæratur;* at hæc ratio probat simpliciter de munere cantandi in divinis officiis, quia aliàs illud inconveniens non evitaretur.

13. Atque ita intellexit textum illum Gratianus ibi; nam ante illum præmittit hæc verba: *Ab officio cantandi et psallendi diaconi inveniuntur exempti, ne dùm vocis modulationi student, altaris ministeria negligant;* et in hujus assertionis confirmationem textum Gregorii supponit. Similiter D. Thomas non solùm approbat eamdem expositionem, sed etiam doctrinam ampliat, dicens: *Nobilior modus est provocandi homines ad devotionem per doctrinam et prædicationem, quàm per cantum, et ideò diaconi et prælati, quibus competit per prædicationem et doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent captibus insistere, ne per hoc à majoribus retrahantur;* et in hujus doctrinæ confirmationem adducit statim verba Gregorii, intelligens planè Gregorium in eodem sensu fuisse locutum; supponit autem D. Thomas ibi, cùm Gregorius ait ad diaconum pertinere prædicationis officium, propriè loqui de officio docendi populum, non de solo cantu vel lectione Evangelii, ut quidam exposuerunt, et non improbat ibi Glossa; tamen sine dubio prior sensus est verus, ut idem D. Thomas, 3 p., quæst. 67, art. 1, ad 1, distinctè declaravit, et ibi Cajetanus, et videri potest Bellarminus, lib. 1 de Clericis, cap. 13. Eamdem doctrinam ex eodem textu Gregorii colligit Gerson in Canticordo, in fin. alphab. 79, litt. N, ubi

sic ait : *Beatus Gregorius de instituto isto canticorum ita censuit, ut indicaverit indignum, si dediti verbo Dei, studium suum in istis, tempusque darent.* Sic etiam Guillel. Durandus, lib. 2; Rational., cap. 2; Dionysius Carthusianus, lib. 3 Summæ fidei, art. 155; Stephanus Durantus, lib. 3 de Ritib., cap. 21, in fin., referens Gregorium et D. Thomam.

14. Addendum verò his omnibus est, ut difficultati propositæ satisfaciamus, hanc Gregorii prohibitionem non ita esse intelligendam, ut simpliciter intelligatur interdictus diaconis cantus in choro; constat enim neque nunc esse, neque unquàm fuisse in hoc sensu latam prohibitionem illam, quia neque actio hæc talis est, ut omninò prohiberi debeat aut possit, præsertim ecclesiasticis personis, neque ratio quam Gregorius adducit in eo sensu ostendit necessitatem talis prohibitionis, et hoc etiam convincit objectio facta; intelligendum ergo est prohibitum fuisse à Gregorio ne diacono imponatur onus cantandi tanquàm ex debito officii sui, ad quod vel ordinetur, vel principaliter eligatur; item ne in eo munere ita occupetur, ut à munere docendi, vel certè ab studio ad docendum necessario, eà de causâ impediatur. Atque in hunc sensum optimè quadrant rationes et verba Gregorii, eumque propterea omnes dicti auctores secuti sunt. Quod verò in eodem textu Gregorius ait, hoc officium committendum esse subdiaconis, vel in necessitate inferioribus clericis; non ideò est quia subdiaconatus vel alius proprius ordo clericorum sit per se necessarius ad officium cantandi, sed quia decet per clericos fieri, quando commodè potest, et præsertim ut hi qui habent illius muneris præcipuam curam, clerici sint; et quoniam subdiaconus superior est cæteris clericis post diaconum, et ex vi sui ordinis non habet munus aliquod majoris momenti, quo possit ab officio cantandi divinum officium impediri, ideò hæc cura illi præcipuè committenda dicitur.

15. Denique intelliguntur hæc omnia ex vi ordinis, et supposito antiquo more, quo diaconis ordinariè officium prædicationis verbi Dei committebatur, ut diximus, et colligitur etiam ex epistolis Clementis primâ et tertiâ, cap. *Audire*, 25, d. cap. *Sicut enim*, junctâ Glossâ, verb. *Per diaconos*, 11, quæst. 1. Hæc autem consuetudo nostris temporibus ferè cessavit; nullum enim ferè aliud munus exercent, nisi cantandi solemniter Evangelium, cùm in missâ sacerdoti solemniter ministrant, ideòque jam illa prohibitio Gregorii cessâsse videtur, non solùm quoad diaconos, ut tales sunt, sed etiam quoad presbyteros, qui aliunde non obligantur ad prædicandum, vel ad alia graviora Ecclesiæ munera, quæ cum obligatione chori repugnant. Atque ita facilè solvitur objectio, quæ de religionibus fiebat, in quibus et diaconi et presbyteri ad chorum sanctè ac utiliter destinantur. Id enim verum est, quia vel tales religiones ad officium prædicationis, aut alia ministeria spiritualia non sunt principaliter institutæ, sed ad vitam purè contemplativam, quæ per psalmodiam multùm juvatur, vel certè quasi corpus religionis utrumque munus amplectitur, illud in varias ac distinctas personas partitur, quasdam dedicando choro, et alias aliis ministeriis; semper tamen necesse est ut qui gravioribus destinantur ministeriis, non ita graventur onere chori, ut à propriis muneribus impediantur. Et ita lex et doctrina Gregorii formaliter, ut sic dicam, semper integra manet, quia in ipsâ ratione naturali fundata est, licèt materialiter, ut sic dicam, in diaconis cessaverit. Quam rem tractando de statu religioso tam in genere quàm in specie latiùs explicatur, quatenùs specialiter ad illum statum pertinere potest.

CAPUT X.

Quæ personæ, et quo in loco horas canonicas publicè dicere teneantur.

1. Superest dicendum de personis quæ ad hunc modum dicendi divinum officium obligantur, et cum eis locum conjungimus, quia hæc, ut videbimus, connexa sunt. Et inprimis dubitari potest an hæc oratio publica cadat sub propriam obligationem præcepti clericorum vel ministrorum Ecclesiæ. Nam licèt clerici in sacris teneantur pensum horarum canonicarum persolvere, tamen singuli satisfaciunt illi muneri, privatim eas dicendo, ut infra dicemus; nullus ergo in particulari designari potest qui ad hoc munus cantandi ex generali præcepto teneatur; ergo nec respectu ipsius cleri cadit hic modus orandi sub obligationem, quia non potest communitas obligari præcepto, nisi quatenùs singulæ personæ obligantur; quia obligatio, quæ est ex præcepto, in personam veram, et non fictam cadere primariò debet, ut inde possit in corpus mysticum redundare. Et confirmatur : nam vel hoc præceptum est divinum, vel ecclesiasticum; primum constat non esse verum, quia nec in Scripturâ habetur, nec ex traditione constat, nec certâ aliquâ ratione id colligi potest; secundum suadetur non esse, quia quoties præceptum ecclesiasticum fertur, datur cum determinatione modi, circumstantiarum, et personarum : hìc autem non ita est; ergo. Declaratur minor, quia horæ canonicæ recitari possunt voce altâ sine cantu vel simplici aut figurato, variisque modis ejus; non constat autem ex ordinatione Ecclesiæ, quomodò debeant horæ publicè dici. Item non constat an quotidiè cantandæ sint, vel diebus festis, vel aliquæ quibusdam diebus; et in aliis omnes. De tempore etiam et modo horarum nihil invenitur definitum. Denique neque certis personis onus hoc impositum reperitur; ergo signum est non esse rem obligationis, sed devotionis, pendentem ex arbitrio pastorum Ecclesiæ.

2. Nihilominùs dicendum inprimis est munus hoc publicè dicendi horas canonicas in ecclesiâ, esse sub obligatione præcepti impositi Ecclesiæ ministris et clericis ad hoc officium deputatis. Conclusio colligitur ex capite ultimo, distinct. 92, ubi presbyter, diaconus vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, vel in quolibet loco ubi Ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis aut vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponendus dicitur, si correctus ab episcopo non emende-

tur. De quo textu in sequentibus plura dicemus, nunc ex eo solùm colligimus obligationem quæ in ecclesiis est ad hoc munus psallendi divinum officium : nam si non esset talis obligatio, non tanto rigore cogerentur clerici ad illud munus implendum. Per *matutinum* autem et *vespertinum officium* non intelliguntur tantùm duæ horæ quas nunc strictâ significatione sic appellamus, sed totum canonicum officium ; nam matutinum comprehendit omnes horas quæ ante prandium dicuntur, scilicet à matutino vel laudibus usque ad sextam; vespertinum verò comprehendit cæteras horas quæ à prandio dicuntur, ac si in vulgari diceretur : *A las horas de la manana, y de la tarde.* Idem præceptum colligitur ex capite primo de Celebrat. missar., ubi priùs datur facultas clerico rusticano anticipandi horas ex causâ, et postea additur limitatio his verbis : *Ita tamen ut horis competentibus juxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur.* Supponit ergo hoc esse necessarium ut sub obligatione : et idem colligitur ex capite *Dolentes*, eodem titulo, ibi : *Districtè præcipientes, ut divinum officium celebrent.* Præcipuè enim loquitur de hâc publicâ celebratione. Ratio denique est quia ad hoc principaliter institutum est hoc officium ut in ecclesiâ publicè dicatur, non pro sacerdotibus seu clericis tantùm, sed pro universo populo, ut illi omnes possint assistere et illo frui ; ergo necessarium fuit ad commune bonum Ecclesiæ, ut hoc publicum officium sub lege et præcepto constitueretur. Item ad hoc sunt instituta beneficia magnâ ex parte, et de hoc officio maximè intelligitur quod in jure dici solet. beneficium dari propter officium, cap. *Quia per ambitiosam*, de Rescript., in sexto, et cap. *Cùm secundum*, extra de Præbend. : nam licèt interdùm impleatur per recitationem privatam, illud tamen est quasi accidentarium, et in defectum alterius. Denique consuetudo Ecclesiæ ad hanc obligationem sufficeret.

3. Dico secundò : Hoc præceptum obligat, quoad ecclesias seculares, ut quotidiè fiat hoc officium in cathedralibus et collegiatis, in aliis verò ecclesiis solùm diebus Dominicis et festis, nisi aliud habeat consuetudo. Ita docet Turrecremata, dicto cap. ultimo, d. 92, quæst. 1, et idem sentit Silvester, verb. *Hora*, quæst. 10, Angelus, num. 25, Armilla, num. 21, Tabiena, Cajetanus, et prima pars apertè colligitur ex Clement. I, de Celebr. miss., ibi : *In cathedralibus et collegiatis ecclesiis ;* et ex aliis decretis citatis, et ex universali Ecclesiæ consuetudine ; et ratio est quia hæ sunt principales ecclesiæ, quæ ad hunc divinum cultum publicum sunt institutæ. Alia verò pars de inferioribus ecclesiis ab eisdem auctoribus asseritur ; ex nullo autem jure exceptionem, seu limitationem, vel probationem adducunt, cùm tamen quoad ecclesias parochiales contrarium videatur colligi ex dicto cap. 1 de Celebrat. missar., in citatis verbis ; nam ibi sermo est de presbytero parochiali et rurali, et tamen ab eo exigitur ut in ecclesiâ publicè horas persolvat. Et ita Innocentius ibi indistinctè id de ecclesiis intelligit. Et Turrecremata etiam id fatetur ; sed limitat hoc ad dies Dominicos et festivos. At hæc limitatio non habetur in textu, nec ipse aliunde illam probat ; cum ergo textus indifferenter loquatur, non videtur limitandus. Adde illum loqui de diebus ferialibus ; nam permittit hujusmodi presbytero, *ut exeat ad opus rurale*, quod non licet in die Dominico vel festivo, et tamen pro illo eodem die ponit conditionem supra dictam. Præterea in Clem. I, de Celebr. missarum, priùs jubetur *ut in ecclesiis cathedralibus, regularibus et collegiatis, horis debitis devotè psallatur ;* postea verò additur : *In aliis verò convenienter, et debitè celebretur divinum officium, diurnum pariter et nocturnum,* etc. ; ergo, licèt in prioribus ecclesiis majori cum solemnitate horæ dicendæ sint, tamen etiam in aliis ecclesiis publicè sunt celebrandæ. Nam de hâc celebratione necesse est ibi tractari, tum quia præcipitur ut sit in ecclesiâ ; oratio autem non fit necessariò in ecclesiâ, nisi quando publicè et propter populum facienda est ; tum etiam quia hoc modo tantùm fit debitè et convenienter, ut ibi præcipitur.

4. Nihilominùs consulenda est consuetudo et institutio singularum ecclesiarum ; nam ab his duobus capitibus hoc maximè pendet, si jus positivum expressum non inveniatur ; atque hoc est quod docti auctores docere voluerunt, à quorum sententiâ non recedimus. Ultra ecclesias ergo cathedrales et collegiatas duo genera ecclesiarum secularium distinguere possumus : quasdam parochiales, alias simplices, seu capellas vocare possumus. In prioribus si rigorem juris attendamus, reverà essent in eis dicendæ omnes horæ canonicæ aliquo modo publico, sive canendo, sive altâ voce sufficiente pro capacitate populi illas dicendo. Hoc enim probant dictum q. 1 et dicta Clement. 1, de Celebrat. missarum ; et ratio reddi potest, quia istæ ecclesiæ ex propriâ ratione suâ sunt institutæ, ut in eis integrè celebrentur divina officia pro usu et commoditate totius populi ; in his autem divinis officiis post missæ sacrificium primum locum tenent horæ canonicæ, et ideò beneficia parochialia propter hoc officium etiam dari videntur ex vi primævæ institutionis suæ. Unde ubi talis fuerit consuetudo, ut in talibus ecclesiis, tametsi parochialibus omnes horæ canonicæ dicantur, omninò servanda est ; nam ibi maximè ecclesiasticum præceptum censetur obligare. Solent autem hujusmodi esse pinguiores ecclesiæ, maximè quando habent plura beneficia suo servitio deputata, et quando habent copiosum, vel nobilem populum : nam tunc major solet esse necessitas, seu communis utilitas ac decentia.

5. Atverò in omnibus ecclesiis parochialibus, ubi parvus est populus, et tenuis census, communiter obtinuit consuetudo ut officium canonicum in eis non dicatur publicè, præterquàm in diebus festis, et in eis etiam non solet dici totum officium, sed tantùm missa ante prandium, et vespere post prandium. In his ergo servari potest consuetudo sine scrupulo. Imò addit Cajetanus etiam in collegiatis servari posse, si sit immemorialis, et redditus tenues sint, qui derogatum, ait, ibi esse censetur juri communi, ex rationabili prælatorum tolerantiâ. Vocat autem rationabilem quia

ratio dictat ut minuatur onus, ubi stipendium tenuissimum est, cùm semper maneat obligatio aliàs dicendi officium integrum, et inserviendi Ecclesiæ in aliis oneribus. Et meritò necessarium judicatur, cùm tales circumstantiæ concurrant, ut consuetudo rationabilis reputetur, quoniam aliàs non posset contra jus, et præsertim contra integritatem, ut sic dicam, divini cultûs prævalere.

6. Denique in aliis Ecclesiis, quas simplices vocamus, seu in capellis nihil ex vi juris communis statutum esse credo, quia de illarum institutione, quoad hoc nihil videtur esse jure communi definitum. Et ideò earum statutis et institutionibus approbatis standum est. Solent autem hujusmodi ecclesiæ vel capellæ erigi ab aliquibus patronis secularibus vel ecclesiasticis cum certo onere et obligatione ut in eis dicantur, vel quotidiè, vel certis diebus, horæ canonicæ, vel aliquæ, vel omnes. Et tunc quando de institutione constat et est sufficiens, et cum commodis stipendiis, omninò servanda est, nec facile est contra illam admittenda consuetudo, nisi gravis causa intercedat, quia aliàs non videtur esse solùm contra jus positivum, sed etiam contra jus naturale, quia est contra justum pactum et justam voluntatem testatoris vel dantis stipendia sub tali conditione. Et ad hoc confirmandum faciunt quæ Navarrus adducit, in dicto Enchir., cap. 5, dist. 2 et 5, ut probet servandas omninò esse voluntates testatorum, seu instituentium capellas, vel capellanias, vel alia pia legata, ut missas, preces, vel officia divina in talibus locis sacris tali modo ac tempore ab Ecclesiâ approbatis dicantur; nam juxta hanc verissimam regulam de his Ecclesiis censendum est. An verò ex justâ causâ possit episcopus hoc mutare, vel Papa etiam sine causâ, ad præsentem locum non spectat. Quamdiù enim non invenitur facta mutatio, institutio servanda est; ubi verò mutata inventa fuerit, per solam consuetudinem, sine expressâ prælatorum approbatione vel dispensatione, attentè considerandum est an justa causa intervenerit, ita ut consuetudo credi possit rationabilis, et quasi præscriptionem contrariam induxisse, quia, ut dixi, est aliquo modo contra naturalem æquitatem, et ideò nisi ex causâ honestetur, et ex diuturnitate temporis cum bonâ fide præsumptâ, non poterit prævalere.

7. Tertiò principaliter dicendum est de ecclesiis regularibus, in eis etiam esse obligationem dicendi publicè horas canonicas in choro, juxta uniuscujusque institutum et consuetudinem. Ita docent communiter auctores, et sumitur ex dictâ Clement. I, de Celebrat. missar., ubi cum ecclesiis cathedralibus et collegiatis numerantur regulares, supponendo in his esse eamdem obligationem psallendi divinum officium, quæ est in prioribus. Dico autem, juxta uniuscujusque institutum vel consuetudinem, quia religiosi non tenentur dicere officium in choro ratione proprii beneficii, ut constat, nec etiam qui aluntur ex eleemosynis vel ecclesiasticis bonis, quia non aluntur sub hâc conditione, neque ad hunc finem, sed ut Deo serviant juxta suum institutum. Nec etiam est ullum canonicum jus quod hoc onus omnibus religionibus imponat : nam in dictâ Clementinâ potiùs supponitur aliunde illa obligatio, et præcipitur ut debito modo fiat; obligatio ergo supponenda est ex peculiari instituto vel consuetudine Unde dubitari non immeritò potest de gradu obligationis, id est, an sit sub mortali culpâ, vel tantùm ex regulâ, et consequenter an excedat communem obligationem regulæ; sic enim non erit rigorosum præceptum, nisi ubi regula id explicaverit, vel votum aliquod de hoc directè fiat. Sed in hoc quid dicendum sit de singulis personis infra declarabo. Loquendo autem simpliciter de toto conventu, seu Ecclesiâ regulari, in quâ est consuetudo regulariter dicendi hoc officium, videtur esse sub obligatione gravi, quia saltem per consuetudinem videtur ita receptum et acceptatum illud onus, et magnum esse scandalum si omitteretur, quamvis interdùm aliquâ dispensatione uti ex causâ, non sit ita scandalosum, nec facilè damnandum.

8. Quartò dicitur hanc obligationem principaliter cadere in prælatum vel rectorem aut superiorem unius cujusque ecclesiæ respectivè, descendere verò etiam ad singulos, qui sunt membra talis communitatis, quamvis non eodem modo ad omnes, sed cum proportione. Prima pars ex ipsâ rei naturâ constat, et ex ratione dubitandi in principio positâ. Nam quoties obligatio aliqua cadit in aliquod mysticum corpus alicujus communitatis, caput talis corporis ratione sui muneris maximè tenetur curare, ut obligatio illa impleatur; quia ad rectorem pertinet monere inferiores ad operandum, et quia aliàs non posset moraliter tale corpus tali obligationi satisfacere. Specialiter verò hæc obligatio explicata et aucta est in dictâ Clement. I de Celebrat. missarum ubi ordinariis, rectoribus et superioribus dicitur, ut sollicitam diligentiam adhibeant, ut debitis horis convenienter hoc officium psallatur vel celebretur : *Si Dei, et Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint*, quæ verba manifestè indicant præceptum. Duplicem verò obligationem in his superioribus distinguere necesse est : una est sollicitè curandi ut hoc munus in tali ecclesiâ per hanc communitatem convenienter fiat; altera obligatio esse potest assistendi personaliter et psallendi cum aliis tale officium : nos in assertione de priori obligatione loquimur : et de hâc est sermo in dictâ Clement., et ratio etiam facta de hâc procedit. De posteriori autem non videtur prælatus majorem habere obligationem assistendi choro, quàm cæteri; quantùm attinet ad rigorem præcepti, nisi fortassè ratione exempli et majoris scandali vitandi ob circumstantiam personæ; nam aliunde nullum caput appareret ex quo obligatio major possit oriri, an verò sit eadem, vel faciliùs excusari possit, statim dicam.

9. Secunda ergo pars, quòd nimirùm obligatio psallendi vel dicendi officium in choro, descendat ad singulos in communi clara est, quia est etiam moraliter necessaria, ut talis obligatio à totâ communitate efficaciter impleri possit. Ratio autem, et modus obligationis ostendetur faciliùs descendendo ad varios modos obligationis hujus. Aliter enim de illâ in secu

laribus clericis, aliter in religiosis, ut sic, judicandum censeo, quia longè diversus est titulus obligationis. Clerici ergo non obligantur ratione solius ordinis ad hoc pensum horarum in choro solvendum. Non dico ad recitandas horas canonicas; hoc enim longè diversum est, de quo infra dicemus, sed loquor de modo recitandi publicè, in choro psallendo. Et ita est communis et clara sententia, et constat ex usu et consuetudine Ecclesiæ; non enim omnes simplices sacerdotes tenentur choro assistere; ergo signum est non oriri hanc obligationem ex vi ordinis. Probatur etiam ex dicto cap. ult. d. 92, ibi.: *Si quis presbyter, diaconus, aut clericus Ecclesiæ deputatus;* ex illâ enim ultimâ particulâ colligitur, solùm presbyteratum, diaconatum aut clericatum sine deputatione ad Ecclesiam, hoc est, ad exercendum hoc munus in illâ, non inducere hanc obligationem. Et ita tenet ibi Turrecremata, dub. 1, concl. 4, Silvester et Angelus supra, et notat bi Glossa ex sententiâ aliquorum. Ipsa verò addit: *Quemlibet clericum teneri ad hoc, licèt non teneatur ad hanc vel illam Ecclesiam;* et citat cap. *Super eo*, extra de Regular. Idem sentit ibi Archidiaconus (referens Hugonem) de ordinatis in sacris, non verò de inferioribus, de quibus solis intelligit in textu vocem, *clericus*, et cum eâ solâ dicit esse conjungenda illa verba: *Ecclesiæ deputatus.* Itaque sentiunt clericos in sacris absolutè obligari, minores verò solùm, si deputati sint; unde etiam aiunt hanc obligationem oriri ex triplici titulo: *Ordinationis, intitulationis et beneficii.*

10. At enim, si intelligant *teneri ad hoc*, id est, ad recitandas horas canonicas, verum quidem est, quod dicunt, sed extra rem, et extra textum illum, nihil enim ibi de hâc generali obligatione agitur: si verò intelligant (ut reverà Glossa sentit) teneri omnes clericos ex vi ordinationis suæ officium dicere in choro Ecclesiæ, licèt voluntarium illis sit in hâc vel illâ Ecclesiâ cantare, quando aliqui non sunt addicti, falsum et sine fundamento est quod dicitur; nec caput *Super eo* aliquid pertinens ad hanc materiam tractat; nec ille triplex titulus quoad hanc obligationem invenitur, sed solus ille qui in textu illo proponitur, et per illam determinationem *Ecclesiæ deputatus* declaratur. Quæ determinatio cum omnibus præcedentibus vocibus potiùs conjungenda est, nam propriissimè potest, et cùm materia sit onerosa, est potiùs restringenda quàm amplianda. Maximè cùm illa obligatio, quæ clericis in sacris imponitur, nullo firmo vel rationabili fundamento nitatur. Addo ex illâmet expositione sequi, saltem subdiaconos non teneri ad chorum, nisi sint deputati ad certam ecclesiam, quia cùm solùm presbyteros et diaconos nominàsset, sub cæteris clericis illos comprehendit. At si aliqui essent obligandi ratione ordinis, maximè subdiaconi, juxta sententiam Gregorii in cap. *In sanctâ Romanâ* supra tractatam. Ex quo etiam textu optimè probari potest, non habere presbyterum, vel diaconum talem obligationem, ex vi suæ ordinationis.

11. Sed quæres, quid sit clericum esse deputatum alicui Ecclesiæ, ita ut inde nascatur hæc obligatio. Respondeo nihil aliud esse, nisi habere in tali ecclesiâ aliquod beneficium, quod propter tale servitium Ecclesiæ specialiter detur, vel quod annexam habeat obligationem hanc. Priori modo obligantur canonici et præbendarii ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum et aliqui beneficiarii ad hoc specialiter deputati etiam in inferioribus ecclesiis. Inter quos solet esse differentia, nam interdùm sunt addicti ratione proprii beneficii ecclesiastici, interdùm solùm ratione stipendii temporalis, et ad nutum auferibilis, et utrumque sufficit ad obligationem ministrandi, licèt in modo possit aliqua differentia notari, ut infra declarabimus. Posteriori autem modo videtur obligari parochus in suâ ecclesiâ regulariter loquendo, nisi ex peculiari institutione, aut consuetudine aliud alicubi observetur. Quamvis quia parochus habet alia ministeria, vel occupationes possit per alios hoc ministerium implere ex quâcumque causâ rationabili, utrum que enim colligitur ex cap. 1 de Celebr. miss. cujus verba superiùs expensa sunt.

12. De episcopo etiam dubitari potest, an ex vi sui muneris, seu beneficii teneatur choro interesse, si commodè potest, quia ipse etiam est suæ Ecclesiæ deputatus, et consequenter videtur depuratus quoad hæc ecclesiastica officia, quæ sunt præcipua? Et ita tenet Silvester dictâ quæst. 10, et Angelus, num. 26, ex cap. *Episcopus*, 41, d. et c. *Pervenit* 7, quæst. 1, sed nihil probant: nam in priore solùm dicitur ut episcopus sit moderatus in supellectili, victu et vestitu, *et ut hospitium non longè ab ecclesiâ habeat;* in altero verò solùm dicitur debere episcopum in Ecclesiâ suâ resi dere. Sed aliud est residere in suâ Ecclesiâ, et prope illam habitare, aliud choro assistere, ut per se notum est, à diversis autem non fit illatio, videtur tamen huic sententiæ favere Innocentius in cap. 1, de Cele brat. missar. quatenùs in genere de Prælatis ait, posse ex causâ legitimâ abesse à choro, supponit ergo per se teneri. Et eodem modo loquitur Turrecremata in dicto cap. ult., dub. 2.

13. Nihilominùs simpliciter assero, episcopos non teneri per se loquendo ad chorum, nisi fortassè certis quibusdam diebus festis. Vel solemnibus, in quibus consuetudo et publica ædificatio id postulat. Hoc sumo inprimis ex eodem capite ult., d. 92, ubi numerantur presbyter et inferiores clerici, et non fit mentio de episcopo, tanquàm in altiori ordine constituto, et gravioribus occupationibus impedito. Secundò id sumo ex cap. *Episcopus*, de Consecrat., d. 3, ubi sic dicitur: *Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiæ cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet.* Ex quo textu saltem per argumentum à contrario colligitur, aliis diebus posse abesse sine excusatione infirmitatis, sub quâ intelligitur quælibet alia æquivalens, quidquid Silvester et Angelus dicant. Incredibile enim est quòd propter solam causam infirmitatis possit episcopus diebus dominicis abesse, ut ipsi restringunt; possunt enim esse aliæ causæ et occupationes æquè legitimæ, ut per se notum videtur, et usus ipse satis

docet Sub illâ ergo intelligitur quælibet legitima causa; ergo aliis diebus non est necessaria specialis causa, sed obligatio sui muneris satis excusat, vel potiùs non secum compatitur aliam obligationem. Imo ex vi verborum illius textûs non videtur ibi declarari rigorosa obligatio, sed ex quâdam decentiâ, tum quia verbum *debet*, non habet majorem vim, ut ex materiâ de Legibus constat; tum etiam quia non loquitur de propriâ Ecclesiâ, sed de ecclesiâ viciniori; unde solùm videtur attendisse ad quamdam decentiam, quæ sine dubio est in hoc, ut episcopus saltem ad missam solemnem eat in ecclesiam sibi vicinam. Et ita textus ille nihil probat de horis canonicis, etiam pro dominicis diebus, quia potest de missâ sufficienter intelligi, et onera sunt restringenda.

14. Deinde id colligo ex dicto cap. *In sancta*, 92, d. Addita doctrina D. Thomæ, 2-2, quæst. 91, art. 2, ad 3, ubi ait, *prælatos qui docere populum ex officio tenentur, non debere ad chorum obligari, ne per hoc à majoribus retrahantur;* cujus sententia communiter recepta est, ut supra dixi, maximèque habet locum in episcopis, quibus et prædicare convenit ex officio, et multiplex alia Ecclesiarum suarum sollicitudo; nec refert, quòd de facto concionentur, necne; nam ad intelligendam obligationem officii propria ejus ratio secundùm se spectanda est. Præterea adjungo episcopum ad hoc non teneri ratione stipendii, seu redditui, quia multa alia habet onera sui officii, propter quæ ab Ecclesiâ alatur; maximè cùm ad recitandas horas simpliciter teneatur, ut infra videbimus; nec etiam tenetur ratione specialis præcepti, nullum enim ex jure colligitur; neque etiam ex consuetudine potest talis obligatio colligi, quia nulla talis consuetudo, ut arbitror, reperitur; imò nullum credo esse episcopum qui hanc obligationem agnoscat; et rarus est, qui hoc munus frequenter subeat. Et hâc ratione, præesse in choro commissum est quasi ex officio Decano, vel primæ dignitati; non est ergo episcopis imponenda talis rigorosa obligatio, maximè cum continuâ vel frequenti assistentiâ in choro. Satis ergo est si dicamus teneri aliquando adesse, quantùm ad sui muneris satisfactionem judicaverit expedire, quod ejus prudenti arbitrio relinquendum videtur. Optimum autem consilium videbitur, ut nisi causa urgens impediat, adsit diebus dominicis, et festis, et in diebus solemnioribus poterit fortassè intervenire obligatio saltem pro tempore missæ, vesperarum, vel etiam matutino, consuetudinis etiam habenda est ratio, ac denique cavere debet prælatus, ne videatur hanc curam omninò negligere. De prælatis item inferioribus, si episcopale munus et jurisdictionem exerceant, idem cum proportione sentiendum videtur, si verò minores sint, consideranda erit qualitas beneficii et institutio ejus, vel consuetudo, et juxta illam erit judicandum: et hanc existimo fuisse sententiam Innocentii in loco allegato.

15. De religiosis autem, qui chorum profitentur, existimo non teneri ex vi generalis legis seu præcepti obligantis sub culpâ mortali, ad canendum in choro, nisi ubi fuerit speciali constitutione hoc præceptum ita expressè declaratum et impositum, vel si alicubi proprium votum de hoc fieret, quod in nullâ religione credo fieri; neque etiam scio in aliquâ esse consuetudinem illo modo obligantem; nec enim consuetudo chori est in hoc sensu in religionibus introducta, sed solùm ut horæ omninò in choro dicendæ sint, et omnes adesse debeant juxta regulam, et quòd in hoc deficientes, pœnæ subjaceant, non verò quòd in hoc graviter peccent, dummodò aliàs horas recitent, quod infrà videbimus, quàm necessarium sit. Seclusis autem his capitibus, non est unde illa rigorosa obligatio in eis nascatur. Dices: Ex obligatione chori in toto corpore existente, sufficienter nascitur hæc obligatio in singulis. Respondeo non ita esse absolutè, et immediatè, ut sic dicam, loquendo. Nam satis est quòd cura providendi ut chorus non deficiat, sit apud prælatum, et quòd ipse possit cogere subditos, ut in choro non desint, nec horas omittant. Quamdiù verò superior non imponit speciale ac personale præceptum, non est talis obligatio in singulis ex præcepto; nec superior debet illam imponere sine causâ, quando publicæ obligationi ex vi regulæ fit satis, et non desunt qui religiosè ac voluntariè suæ professioni satisfaciant. Si autem tanta esset negligentia subditorum, ut videretur præceptum necessarium, tunc imponendum esset. Imò si contingeret ipsum etiam prælatum esse negligentem, et ideò solere horas publicè amitti ex defectu ministrorum; tunc certè præceptum commune singulos obligaret, quia jam esset publica necessitas, in quâ omnes obligantur; hic autem casus, vel nunquàm, vel rarò accidere potest, et ideò moraliter loquendo regula posita vera est, quæ ex auctoribus citatis et referendis colligitur.

16. Atque ex his sequitur facilìùs posse excusari religiosum ab hoc onere canendi in choro, sine culpâ levi, quàm possit clericus secularis excusari à culpâ mortali, quando alioqui ratione beneficii ad illud tenetur. Ratio quoad religiosum est, quia unusquisque religiosus in particulari solùm tenetur ad existendum et canendum in choro ex vi regulæ, quæ ordinariè non obligat sub reatu culpæ, sed tantùm pœnæ; et ideò licèt practicè ac moraliter vix violetur sine aliquâ culpâ levi, tamen si aliqua moderata causa intercedat, poterit omnem culpam excusare, dummodò recitatio canonici officii, saltem privata non omittatur; hoc enim supponendum est semper, quoties de omissione chori tractamus; agimus enim de illâ præcisè; nam de omissione absolutâ privatæ recitationis horarum infra dicendum est. Atque ita in religiosis facilè admitto quamdam Cajetani doctrinam in verbo *Horæ canonicæ*. Quam Armilla et alii communiter sequuntur verba Cajetani sunt: *Ubi contemptus deest, et propter meam absentiam non notabiliter lædìtur divini cultus officii, et prælati dissimulant, parùm de his quæ Dei sunt curantes, non incurro mortale peccatum ex hoc quòd desum horis canonicis in Ecclesiâ meâ, quia contra præceptum juris positivi propriè non venio, nec notabile damnum infero divino cultui. Graviter tamen pecco, si sine rationabili causâ me debitis horis subtraho, quia gravis*

laribus clericis, aliter in religiosis, ut sic, judicandum censeo, quia longè diversus est titulus obligationis. Clerici ergo non obligantur ratione solius ordinis ad hoc pensum horarum in choro solvendum. Non dico ad recitandas horas canonicas; hoc enim longè diversum est, de quo infra dicemus, sed loquor de modo recitandi publicè, in choro psallendo. Et ita est communis et clara sententia, et constat ex usu et consuetudine Ecclesiæ; non enim omnes simplices sacerdotes tenentur choro assistere; ergo signum est non oriri hanc obligationem ex vi ordinis. Probatur etiam ex dicto cap. ult. d. 92, ibi.: *Si quis presbyter, diaconus, aut clericus Ecclesiæ deputatus;* ex illâ enim ultimâ particulâ colligitur, solùm presbyteratum, diaconatum aut clericatum sine deputatione ad Ecclesiam, hoc est, ad exercendum hoc munus in illâ, non inducere hanc obligationem. Et ita tenet ibi Turrecremata, dub. 1, concl. 4, Silvester et Angelus supra, et notat bi Glossa ex sententiâ aliquorum. Ipsa verò addit: *Quemlibet clericum teneri ad hoc, licèt non teneatur ad hanc vel illam Ecclesiam;* et citat cap. *Super eo*, extra de Regular. Idem sentit ibi Archidiaconus (referens Hugonem) de ordinatis in sacris, non verò de inferioribus, de quibus solis intelligit in textu vocem, *clericus*, et cum eâ solâ dicit esse conjungenda illa verba: *Ecclesiæ deputatus.* Itaque sentiunt clericos in sacris absolutè obligari, minores verò solùm, si deputati sint; unde etiam aiunt hanc obligationem oriri ex triplici titulo: *Ordinationis, intitulationis et beneficii.*

10. At enim, si intelligant *teneri ad hoc*, id est, ad recitandas horas canonicas, verum quidem est, quod dicunt, sed extra rem, et extra textum illum, nihil enim ibi de hâc generali obligatione agitur: si verò intelligant (ut reverà Glossa sentit) teneri omnes clericos ex vi ordinationis suæ officium dicere in choro Ecclesiæ, licèt voluntarium illis sit in hâc vel illâ Ecclesiâ cantare, quando aliqui non sunt addicti, falsùm et sine fundamento est quod dicitur; nec caput *Super eo* aliquid pertinens ad hanc materiam tractat; nec ille triplex titulus quoad hanc obligationem invenitur, sed solus ille qui in textu illo proponitur, et per illam determinationem *Ecclesiæ deputatus* declaratur. Quæ determinatio cum omnibus præcedentibus vocibus potiùs conjungenda est, nam propriissimè potest, et cùm materia sit onerosa, est potiùs restringenda quàm amplianda. Maximè cùm illa obligatio, quæ clericis in sacris imponitur, nullo firmo vel rationabili fundamento nitatur. Addo ex illâmet expositione sequi, saltem subdiaconos non teneri ad chorum, nisi sint deputati ad certam ecclesiam, quia cùm solùm presbyteros et diaconos nominâsset, sub cæteris clericis illos comprehendit. At si aliqui essent obligandi ratione ordinis, maximè subdiaconi, juxta sententiam Gregorii in cap. *In sanctâ Romanâ* supra tractatam. Ex quo etiam textu optimè probari potest, non habere presbyterum, vel diaconum talem obligationem, ex vi suæ ordinationis.

11. Sed quæres, quid sit clericum esse deputatum alicui Ecclesiæ, ita ut inde nascatur hæc obligatio. Respondeo nihil aliud esse, nisi habere in tali ecclesiâ aliquod beneficium, quod propter tale servitium Ecclesiæ specialiter detur, vel quod annexam habeat obligationem hanc. Priori modo obligantur canonici et præbendarii ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum et aliqui beneficiarii ad hoc specialiter deputati etiam in inferioribus ecclesiis. Inter quos solet esse differentia, nam interdùm sunt addicti ratione proprii beneficii ecclesiastici, interdùm solùm ratione stipendii temporalis, et ad nutum auferibilis, et utrumque sufficit ad obligationem ministrandi, licèt in modo possit aliqua differentia notari, ut infra declarabimus. Posteriori autem modo videtur obligari parochus in suâ ecclesiâ regulariter loquendo, nisi ex peculiari institutione, aut consuetudine aliud alicubi observetur. Quamvis quia parochus habet alia ministeria, vel occupationes possit per alios hoc ministerium implere ex quàcumque causâ rationabili, utrum que enim colligitur ex cap. 1 de Celebr. miss. cujus verba superiùs expensa sunt.

12. De episcopo etiam dubitari potest, an ex vi sui muneris, seu beneficii teneatur choro interesse, si commodè potest, quia ipse etiam est suæ Ecclesiæ deputatus, et consequenter videtur depuratus quoad hæc ecclesiastica officia, quæ sunt præcipua? Et ita tenent Silvester dictâ quæst. 10, et Angelus, num. 26, ex cap. *Episcopus*, 41, d. et c. *Pervenit* 7, quæst. 1, sed nihil probant: nam in priore solùm dicitur ut episcopus sit moderatus in supellectili, victu et vestitu, *et ut hospitium non longè ab ecclesiâ habeat;* in altero verò solùm dicitur debere episcopum in Ecclesiâ suâ resi dere. Sed aliud est residere in suâ Ecclesiâ, et prope illam habitare, aliud choro assistere, ut per se notum est, à diversis autem non fit illatio, videtur tamen huic sententiæ favere Innocentius in cap. 1, de Celebrat. missar. quatenùs in genere de Prælatis ait, posse ex causâ legitimâ abesse à choro, supponit ergo per se teneri. Et eodem modo loquitur Turrecremata in dicto cap. ult., dub. 2.

13. Nihilominùs simpliciter assero, episcopos non teneri per se loquendo ad chorum, nisi fortassè certis quibusdam diebus festis. Vel solemnibus, in quibus consuetudo et publica ædificatio id postulat. Hoc sumo inprimis ex eodem capite ult., d. 92, ubi numerantur presbyter et inferiores clerici, et non fit mentio de episcopo, tanquàm in altiori ordine constituto, et gravioribus occupationibus impedito. Secundò id sumo ex cap. *Episcopus*, de Consecrat., d. 3, ubi sic dicitur: *Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, ecclesiæ cui proximus fuerit, die dominico deesse non debet.* Ex quo textu saltem per argumentum à contrario colligitur, aliis diebus posse abesse sine excusatione infirmitatis, sub quâ intelligitur quælibet alia æquivalens, quidquid Silvester et Angelus dicant. Incredibile enim est quòd propter solam causam infirmitatis possit episcopus diebus dominicis abesse, ut ipsi restringunt; possunt enim esse aliæ causæ et occupationes æquè legitimæ, ut per se notum videtur, et usus ipse satis

docet Sub illâ ergo intelligitur quælibet legitima causa; ergo aliis diebus non est necessaria specialis causa, sed obligatio sui muneris satis excusat, vel potiùs non secum compatitur aliam obligationem. Imo ex vi verborum illius textûs non videtur ibi declarari rigorosa obligatio, sed ex quâdam decentiâ, tum quia verbum *debet*, non habet majorem vim, ut ex materiâ de Legibus constat; tum etiam quia non loquitur de propriâ Ecclesiâ, sed de ecclesiâ viciniori; unde solùm videtur attendisse ad quamdam decentiam, quæ sine dubio est in hoc, ut episcopus saltem ad missam solemnem eat in ecclesiam sibi vicinam. Et ita textus ille nihil probat de horis canonicis, etiam pro dominicis diebus, quia potest de missâ sufficienter intelligi, et onera sunt restringenda.

14. Deinde id colligo ex dicto cap. *In sancta*, 92, d. Addita doctrina D. Thomæ, 2-2, quæst. 91, art. 2, ad 3, ubi ait, *prælatos qui docere populum ex officio tenentur, non debere ad chorum obligari, ne per hoc à majoribus retrahantur;* cujus sententia communiter recepta est, ut supra dixi, maximèque habet locum in episcopis, quibus et prædicare convenit ex officio, et multiplex alia Ecclesiarum suarum sollicitudo; nec refert, quòd de facto concionentur, necne; nam ad intelligendam obligationem officii propria ejus ratio secundùm se spectanda est. Præterea adjungo episcopum ad hoc non teneri ratione stipendii, seu reddituum, quia multa alia habet onera sui officii, propter quæ ab Ecclesiâ alatur; maximè cùm ad recitandas horas simpliciter teneatur, ut infra videbimus; nec etiam tenetur ratione specialis præcepti, nullum enim ex jure colligitur; neque etiam ex consuetudine potest talis obligatio colligi, quia nulla talis consuetudo, ut arbitror, reperitur; imò nullum credo esse episcopum qui hanc obligationem agnoscat; et rarus est, qui hoc munus frequenter subeat. Et hâc ratione, præesse in choro commissum est quasi ex officio Decano, vel primæ dignitati; non est ergo episcopis imponenda talis rigorosa obligatio, maximè cum continuâ vel frequenti assistentiâ in choro. Satis ergo est si dicamus teneri aliquando adesse, quantùm ad sui muneris satisfactionem judicaverit expedire, quod ejus prudenti arbitrio relinquendum videtur. Optimum autem consilium videbitur, ut nisi causa urgens impediat, adsit diebus dominicis, et festis, et in diebus solemnioribus poterit fortassè intervenire obligatio saltem pro tempore missæ, vesperarum, vel etiam matutino, consuetudinis etiam habenda est ratio, ac denique cavere debet prælatus, ne videatur hanc curam omninò negligere. De prælatis item inferioribus, si episcopale munus et jurisdictionem exerceant, idem cum proportione sentiendum videtur, si verò minores sint, consideranda erit qualitas beneficii et institutio ejus, vel consuetudo, et juxta illam erit judicandum: et hanc existimo fuisse sententiam Innocentii in loco allegato.

15. De religiosis autem, qui chorum profitentur, existimo non teneri ex vi generalis legis seu præcepti obligantis sub culpâ mortali, ad canendum in choro, nisi ubi fuerit speciali constitutione hoc præceptum ita expressè declaratum et impositum, vel si alicubi proprium votum de hoc fieret, quod in nullâ religione credo fieri; neque etiam scio in aliquâ esse consuetudinem illo modo obligantem; nec enim consuetudo chori est in hoc sensu in religionibus introducta, sed solùm ut horæ omninò in choro dicendæ sint, et omnes adesse debeant juxta regulam, et quòd in hoc deficientes, pœnæ subjaceant, non verò quòd in hoc graviter peccent, dummodò aliàs horas recitent, quod infrà videbimus, quàm necessarium sit. Seclusis autem his capitibus, non est unde illa rigorosa obligatio in eis nascatur. Dices: Ex obligatione chori in toto corpore existente, sufficienter nascitur hæc obligatio in singulis. Respondeo non ita esse absolutè, et immediatè, ut sic dicam, loquendo. Nam satis est quòd cura providendi ut chorus non deficiat, sit apud prælatum, et quòd ipse possit cogere subditos, ut in choro non desint, nec horas omittant. Quamdiù verò superior non imponit speciale ac personale præceptum, non est talis obligatio in singulis ex præcepto; nec superior debet illam imponere sine causâ, quando publicæ obligationi ex vi regulæ fit satis, et non desunt qui religiosè ac voluntariè suæ professioni satisfaciant. Si autem tanta esset negligentia subditorum, ut videretur præceptum necessarium, tunc imponendum esset. Imò si contingeret ipsum etiam prælatum esse negligentem, et ideò solere horas publicè amitti ex defectu ministrorum; tunc certè præceptum commune singulos obligaret, quia jam esset publica necessitas, in quâ omnes obligantur; hic autem casus, vel nunquàm, vel rarò accidere potest, et ideò moraliter loquendo regula posita vera est, quæ ex auctoribus citatis et referendis colligitur.

16. Atque ex his sequitur faciliùs posse excusari religiosum ab hoc onere canendi in choro, sine culpâ levi, quàm possit clericus secularis excusari à culpâ mortali, quando alioquì ratione beneficii ad illud tenetur. Ratio quoad religiosum est, quia unusquisque religiosus in particulari solùm tenetur ad existendum et canendum in choro ex vi regulæ, quæ ordinariè non obligat sub reatu culpæ, sed tantùm pœnæ; et ideò licèt practicè ac moraliter vix violetur sine aliquâ culpâ levi, tamen si aliqua moderata causa intercedat, poterit omnem culpam excusare, dummodò recitatio canonici officii, saltem privata non omittatur; hoc enim supponendum est semper, quoties de omissione chori tractamus; agimus enim de illâ præcisè; nam de omissione absolutâ privatæ recitationis horarum infra dicendum est. Atque ita in religiosis facilè admitto quamdam Cajetani doctrinam in verbo *Horæ canonicæ*. Quam Armilla et alii communiter sequuntur verba Cajetani sunt: *Ubi contemptus deest, et propter meam absentiam non notabiliter læditur divini cultus officii, et prælati dissimulant, parùm de his quæ Dei sunt curantes, non incurro mortale peccatum ex hoc quòd desum horis canonicis in Ecclesiâ meâ, quia contra præceptum juris positivi propriè non venio, nec notabile damnum infero divino cultui. Graviter tamen pecco, si sine rationabili causâ me debitis horis subtraho, quia gravis*

est ratio divini debiti. Prior enim pars in religiosis verum habet, ubicumque ex aliquâ speciali constitutione aut consuetudine alicujus religionis contrarium non constiterit. Posterior autem pars, ne sit contraria priori, intelligenda est de gravi peccato in latitudine venialis, et est vera, quando nulla probabilis causa excusat.

17. Atverò in clericis qui in suis Ecclesiis ad hoc officium in Ecclesiâ dicendum tenentur, longè diversa ratio est, quia hi tenentur per se loquendo hoc ministerium præstare Ecclesiæ suæ sub reatu culpæ gravis ex suo genere, et ideò nisi ex levitate materiæ aut ex gravi causâ legitimè excusentur, mortaliter peccant, suum debitum non solvendo. Antecedens patet, quia tenentur ex lege justitiæ ratione beneficii et stipendii, quod propter hoc officium ab Ecclesiâ accipiunt, ut ex dictis supponimus; lex autem justitiæ ex suo genere obligat sub reatu culpæ mortalis. Atque hoc satis ostenditur ex gravi pœnâ, quæ propter talem transgressionem ponitur in dicto cap. ult. d. 92. Qui textus, ut dixi, loquitur de clericis, qui ratione beneficii, vel stipendii justi ad hoc munus, certæ alicui Ecclesiæ deputati sunt. Nec oportet illum extendere ad religiosos, de quibus reverà non loquitur. Atque ita sentiunt de clericis beneficiatis Turrecremata ibi, quæst. 2, et sumitur ex Innocentio in cap. 1 de Celebrat. missar. et ex Paludano 4, d. 15, quæst. 5, art. 1; Silvestro, Angelo et Armillâ supra, et Graffis, cap. 52, num. 4, et 6. Qui sanè nimis confusè loquuntur, nihil in hoc distinguentes, inter clericos beneficiatos et religiosos, cùm tamen sit magna differentia, quia religiosi reverà non canunt propter stipendium, sed propter suam regulam vel institutionem. Quamvis autem in clericis beneficiatis obligatio gravis sit, transgressio potest esse levis ex parvitate materiæ, quia hoc generale est in materiâ justitiæ, ut infra explicabitur.

18. Præterea, licèt hæc obligatio ex justitiâ sit, potest admittere legitimam causam excusationis, quia obligatio ratione stipendii non est tam rigorosa, ut excusationem moralem non admittat, quod docent omnes et per se notum est. Oportet tamen ut causa sit vera, et ut bonâ fide procedatur. Item quando causa est diuturna, oportebit ut superioris legitima facultas vel dispensatio intercedat. In quo nulla melior regula assignari potest, quàm ut serventur constitutiones justæ, vel consuetudines singularum Ecclesiarum, et quæ de distributionibus et residentiâ in choro statuuntur in concilio Tridentino, session. 21, capite 3, et sessione 22, capite 3, et sessione 24, cap. 12, adjuncto capite unico de Clericis non residentibus in 6. Et juxta hanc doctrinam intelligendum est quod dicti auctores dicunt prælatos posse abesse à choro sine gravi culpâ, ex justâ causâ. Nam de prælatis religiosorum eadem ratio quoad hoc est, quæ de aliis religiosis; nam illi licèt peculiari obligatione teneantur curare, ut horæ in choro non omittantur, tamen ad præsentiam personalem non magis illi obligantur ex voto vel rigoroso præcepto, quàm inferiores. Sed ad summum ob circumstantiam personæ et ob aliorum exemplum intra obligationem regulæ magis tenebuntur, quamvis in eis possint etiam frequentiùs occurrere causæ legitimæ ad excusandum, propter plures, et graviores occupationes. De prælatis autem Ecclesiarum secularium jam diximus, eos ordinariè ex vi sui muneris esse obligatos ad chorum, et ita non indigent speciali excusatione ut frequenter abesse possint. Qui verò inferiores prælati sunt, et ex speciali institutione et munere obligantur, et intelliguntur accipere beneficium propter hoc officium, illi indigebunt excusatione ab eis bonâ fide probandâ. Si tamen hi tales sint, ut suas distributiones in choro habeant, eâdem lege, quâ cæteri tenebuntur quoad hoc, quia jura indifferenter de omnibus loquuntur, eademque ratio in illis locum habet.

19. Denique, si beneficiatus per se obligatus ad chorum, aliàs etiam tenetur ex vi sui officii ad inserviendum in sacristiâ vel alibi, clarum est non peccare recipiendo stipendium beneficii integrum, etiamsi pro illo tempore in choro non resideat, quia non potest ad incompossibiles actiones obligari. Unde cùm quis ex vi beneficii vel stipendii ad plura ministeria obligatur, semper intelligitur quatenùs illæ actiones inter se incompatibiles non sunt; ita sumitur ex Paludano, Turrecremată, Innocentio et aliis in locis citatis. Et est res per se satis clara; subintelligitur tamen semper ut privatim recitare debeant horas, quibus in choro non intersunt.

20. Atque ex his colligitur, canonicos et alios beneficiatos, qui quotidianas distributiones recipiunt propter assistentiam in choro, non posse illas tutâ conscientiâ recipere, nec receptas retinere, si choro non intersint. Ita declaratur in dicto cap. unic. de Cleric. non resident. in 6, ubi sic dicitur: *Qui aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit, rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imò ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi constitutionem receperit, teneatur.* Quæ constitutio renovatur in concil. Trident., sess. 24, cap. 12. Quod addit, ut qui assistunt distributiones accipiant quibus alii absentes privantur: *Quâvis collusione, aut remissione exclusâ*, quæ duo verba rigorosa sunt, et multùm notanda; collusio enim propriè dicitur esse simulata concertatio inter duos, ut inter actorem et reum, quæ vox optimè hîc accommodata est ad reciprocas condonationes, quas faciunt præbendati, quando mutuò et invicem sibi mulctas remittunt. Nàm per hanc fictionem, et legi canonicæ et cultui divino derogant. Vult ergo concilium, ut non obstante hâc collusione absentes non faciant distributiones suas, etiamsi alii conniveant. Quia verò concilium sub disjunctione ait, quâvis collusione aut remissione, dubitari potest an idem per illa significetur, vel aliquid per posteriorem dictionem addatur? Quod est quærere utrùm non solùm, quando est propria collusio per mutuam condonationem, sed etiam quando est simplex remissio, et bonâ fide fit alicui personæ propter rationabilem causam, vel gravem occupationem, non valeat, nec possit ille cui fit

remissio, distributionem tutâ conscientiâ retinere, quando non est ex his casibus, qui in dicto cap. unico numerantur his verbis : *Exceptis illis quos infirmitas aut justa corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusarent.* Nam videtur nimiùm rigorosum dicere, quòd alii præbendati non possint id quod sibi accrescit liberaliter condonare absenti, etiam ex rationabili causâ, et sine collusione vel gravi Ecclesiæ detrimento, ut supponitur. Nihilominùs disjunctio illa, et distinctio vocum, diversa in proprietate significantium, cum illo distributivo signo, *quâvis remissione*, videtur valdè urgere, ut dicamus omnem remissionem irritam esse illis verbis, extra casus in alio decreto expressos, ut in eodem concilio subjungitur : *Juxta constitutionem Bonifacii VIII*, etc. Unde hæc pars videtur in rigore verborum vera : *Et in congregatione Romanâ, his verbis declarata est : Non licet capitulo aliquo prætextu distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quâvis collusione remittere alicui, qui vel ab Ecclesiæ servitio abfuerit, vel alio quovis modo distributiones legitimè debeat amittere, nec fas sit cuipiam eas recipere, et si acceperit suas ne faciat, sed eas restituere omninò cogatur illicò distribuendas fabricæ Ecclesiæ quatenùs indigeat, aut alteri pio loco episcopi arbitratu.* Et in aliâ declaratione additur, etiam remissionem quæ fieri solet in die Cœnæ Domini, ad hunc effectum non valere.

21. Ultimò dicendum est teneri clericos ad dicendum hoc officium in ecclesiis et templis ad hoc munus deputatis. Ita statuunt prædicta jura, dùm dicunt in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, regularibus et aliis; et notant Turrecremata, Silvester, Angelus, Armilla et alii. Et ratio est, tum quia ad hoc sunt templa dicata; et hic est unus ex præcipuis finibus eorum, propter quod Christus templum vocavit domum orationis, Matth. 21, tum quia ad decentiam et ornatum sacri officii solemniter ac publicè nomine totius Ecclesiæ decantandi hoc pertinet; tum quia ad Christiani populi convenientem usum hoc necessarium est; tum quia in illo loco Deus censetur peculiariter assistere, et faciliùs ab eo impetrari, 2 Paralip. 7. Unde et angeli ipsi creduntur peculiariter ibi adesse, et Deum cum psallentibus collaudare, eorumque orationes juvare, juxta illud Psal. 67 : *Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum, in Ecclesiis benedicite Deo Domino;* mysticè intellectum; unde Chrysostomus, hom. 24, in Acta : *Nescis,* ait, *quòd cum Angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis,* et homil. 15, ad Hebr. *plenas,* dicit, *esse Ecclesias incorporeis virtutibus;* tum denique quia locus Ecclesiæ ad devotionem et quietem orationis aptior est, et dæmonibus est formidabilis propter loci sanctitatem, præsertim si corpus Domini adsit, et sanctorum venerabiles imagines ac reliquiæ, quæ omnia juvant, ut dæmon minùs perturbare audeat, et Deus majus auxilium ad benè orandum præbeat. Ideòque antiquissima semper Ecclesiæ consuetudo fuit ut hæc officia quotidiè in templis dicerentur, nisi necessitas aliud facere cogeret; id enim semper etiam facere licuit, et nunc licet. Unde Clemens Romanus, lib. 8 Const., cap. 34, post præceptum de horis canonicis publicè dicendis subjungit : *Quòd si ad Ecclesiam prodire non licuerit, propter infideles, congregabis, episcope, in domo aliquâ, ne ingrediatur pius in Ecclesiam impiorum; non enim locus hominem sanctificat, sed homo locum.*

CAPUT XI.

Quodnam officium divinum in choro recitandum sit.

1. Explicatâ substantiâ et obligatione horarum canonicarum, oportet ut de circumstantiis et quasi accidentibus eorum dicamus, quod faciemus, discurrendo per communes circumstantias actuum moralium; et quoniam de personis, et loco jam diximus, simulque declaravimus obligationem absolutam dicendi has horas, quam possumus vocare obligationem quoad exercitium actûs, explicando cæteras circumstantias, declarabimus obligationem, quam solemus vocare, quoad specificationem actûs, id est, ut talis oratio rectè et honestè, et prout decet, fiat, quod maximè pendet ex modo qui in his horis dicendis servari debet. Hic autem modus internus esse potest, seu pendens ex actu interiori, qui est attentio vel devotio; et externus consistens in prolatione ipsâ vocis, in materiâ, seu oratione quæ profertur in integritate, in ordine et similibus : et licèt modus ille interior in se principalior sit, tamen per exteriorem manifestatur, et ad illum applicari debet, et ideò ex hujus cognitione pendet, ac propterea de circumstantiis externis sermonem præmittimus, et præsertim de his quæ ad substantiam hujus actûs proximè accedunt, ut sunt, quid cantandum sit, quid sit ab omnibus vel à singulis canendum, deinde verò quæ ad integritatem, ordinem et tempus spectant; de quibus sigillatim dicemus.

2. In præsenti ergo capite non est quæstio de materiâ hujus orationis in generali, nam constat ex dictis illam esse horas canonicas, constantes ex partibus quas in superioribus declaravimus; sed est quæstio de talibus horis in specie (ut sic dicam) et de nonnullis partibus earum; sub genere enim horarum canonicarum sunt varii ritus orandi; aliter enim Græci, verbi gratiâ, aliter Latini orant, et suas horas componunt, aliter clerici, aliter monachi, aliter in hoc episcopatu, aliter in illo, vel in diversis regnis vel provinciis. Rursùs in eodem Breviario pro diversis festis vel temporibus sunt assignati varii modi dicendi singulas horas. Item ordo horarum, et debita continuatio sine nimiâ interpolatione videtur ad ritum hujus officii pertinere, et ideò hæc omnia comprehendit quæstio proposita.

3. Primò ergo inquiri potest, quam formam divini officii teneantur singulæ Ecclesiæ in suis choris observare, id est, an teneantur officium dicere juxta formas Breviarii, hujus vel illius episcopatûs; vel secundùm formam Ecclesiæ Romanæ. Cui quæstioni breviter satisfieri potest per Constitutionem Pii V in bullâ confirmationis sui Breviarii ubi priùs revocat omnes alios recitandi modos in aliis Breviariis contentos, his exceptis, qui *ex institutione à Sede Apostolicâ approbatâ, vel consuetudine, quæ, et ipsa institutio ducentos annos antecedat, retenti fuerint.* Deinde præcipit in hunc mo-

dum: *Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam exemptis in quibus officium ex more et ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salvâ prædictâ institutione vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus observari.* Et deinde declarat quocumque alio modo recitetur, non satisfieri huic obligationi. Postea verò Clemens VIII, licèt novum Breviarium imprimi fecerit, formam illam non immutavit, sed à mendis quæ irrepserant expurgavit, paucis additis, vel immutatis. Huic ergo legi standum est, et secundùm hanc formam est in choro psallendum, vel juxta Breviarium Pii V, quo uti licet, quamdiù libri priùs impressi non consumuntur, vel juxta Breviarium Clementis, juxta cujus formam in posterum sunt Breviaria imprimenda, sicut ipse statuit. Unde grave peccatum esset quâcumque aliâ formâ uti in Ecclesiis tam secularibus quàm regularibus sub illâ exceptione non comprehensis, quia præceptum est satis expressum, et materia satis gravis, pertinensque ad substantiam divini officii.

4. Circa limitationem autem in eâdem lege additam, de his Ecclesiis quæ Breviario approbato per consuetudinem ducentis annis antiquiorem, quod ad usum chori attinet, certum est non teneri ad recitandum officium in choro, juxta Breviarium hoc Romanum, quia in ipsâ lege excipiuntur; certum secundò est posse illud acceptare, si velint ex consensu episcopi et totius capituli, quia in ipsâ etiam constitutione hoc expressè conceditur. Cui addo tertiò, quòd si semel hoc modo acceptetur, non poterit postea sine Pontificis auctoritate relinqui, quia per illam acceptationem antiqua consuetudo revocata est, et priùs Breviarium quasi abolitum, et privilegio in illâ exceptione contento fuit renuntiatum, et ideò ad antiquam consuetudinem iterùm propriâ auctoritate rediri non potest, sed lex Pii V jam ibi obligat. Quartò assero sine consensu episcopi et totius capituli non posse in illis diœcesibus pro usu chori recedi ab antiquo usu, ac subinde ibi servandum esse jus commune, quod habet, omnes inferiores Ecclesias conformari debere metropolitanæ, cap. penult. et ult., d. 12. Quæ regula cum proportione ad regulares Ecclesias applicatur, ut unaquæque sui ordinis ritum sequi debeat, quando illâ antiquitate gaudet, eamque vult retinere. Quòd si ex simili et æquè antiquâ consuetudine diœcesis episcopalis proprium habuerit Breviarium, credo posse illud retinere, et non posse mutari, nisi cum prædictâ conditione, et consensu episcopi et totius capituli, quia Pius V expressè loquitur de Breviariis ab episcopis in suis diœcesibus pervulgatis, et postea illa comprehendit in exceptione, et ut relinqui possint, non postulat metropolitani consensum, sed episcopi et universi capituli; cùm autem dicit *universum*, non postulat ut omnes de capitulo, nullo discrepante, consentiant, id enim moraliter expectandum non est, nec vis verbi hoc postulat, sed solùm quòd consensus præstetur à capitulo, ut capitulum est, id est, per modum unius corporis mystici ad hoc congregati, et tunc universum consentit, quando major pars vincit, nisi jure expresso amplius requiratur.

5. Neque in hoc puncto nova difficultas occurrit: solùm video quæri posse an hæc lex Pii V nunc obliget ubique, et occasio dubitandi est quia potest alicubi non esse recepta nec moribus introducta, non titulo antiquæ consuetudinis, sed ex negligentiâ vel resistentiâ episcoporum, seu prælatorum; quæ in initio potest esse iniqua, usu tamen et duratione prævalere; cùm enim hæc lex humana sit, poterit consuetudine contrariâ abrogari; ergo non repugnat alicubi ita accidisse; ibi ergo non obligabit hæc lex, retinerique poterit aliud Breviarium, etiam pro usu chori, licèt non excedat ducentorum annorum antiquitatem. Dicendum est tamen inprimis, hactenùs non fuisse per novam consuetudinem contrariam huic legi alicubi derogatum, quia pontifices nunquàm consenserunt tali consuetudini, vel expressè, vel tacitè; quin potiùs Clemens VIII statuit ut quod Pius ordinavit ratum et inviolatum conservetur. Deinde dico illam legem non tantùm esse præcipientem, sed etiam irritantem omnia alia Breviaria, quæ infra ducentos annos initium habuêre; quare nullâ consuetudine restitui possunt, ac subinde officium illud jam non potest esse canonicum, neque aptum ut per illud obligationi chori satisfiat; et ex hâc parte existimo omnes posteriores consuetudines ita esse per hanc legem reprobatas, ut contra eamdem legem prævalere non possint. Unde fit si in aliquâ provinciâ, similis consuetudo vel Breviarium non ita antiquum, ut postulatur in brevi Pii V, contra illius dispositionem indebitè retineatur, non obligari clericos vel parochos ad illum recitandi modum, sive in choro, sive extra illum, sed potiùs per se loquendo obligari lege pontificiâ, ut infra latiùs dicam.

6. Potest verò secundò quæri an hoc præceptum obliget, non solùm ad dicendum officium juxta tale Breviarium generatim, ut sic dicam, sed etiam ad dicendum in particulari tale officium temporis vel diei, prout in ipso Breviario designatur. Verùmtamen quæstio hæc majus habet dubium in recitatione privatâ quàm in publicâ, et ideò de illâ communiter tractatur ab auctoribus, et à nobis infra disputabitur. Dico ergo hoc præceptum per se obligare determinatè ad tale officium, prout ad singulos dies in Breviario applicatur; ideòque maximè obligare in publicâ oratione chori, quia de illâ maximè loquuntur jura, in cap. *De iis*, et cap. ult., d. 12, et cap. *Convenit*, de Consec., d. 5, et secundùm illum publicum dicendi modum maximè attendi potest et debet Ecclesiæ consuetudo et necessaria uniformitas. Item quia illa mutatio non fit sine aliquâ notâ vel scandalo, quando tam publicè fit. Et propter hoc censeo hanc mutationem esse rem gravem ex suo genere in hâc publicâ oratione, et ideò vix posse fieri scienter in notabili parte officii sine gravi culpâ ejus, qui fuerit causa illius; ex levitate autem materiæ, vel ex inadvertentiâ facilè excusari, saltem à culpâ gravi. Addunt etiam frequenter docto-

tes posse prælatum ordinarium in hoc dispensare ex rationabili causâ, etiamsi dispensare non possit quominùs officium dicatur. Ita Antoninus 4 p., tit. 15, cap. 4, § 2; Tabiena, num. 16; Armilla, num. 13, qui refert quemdam Magistrum Vincentinum; et idem sentit Navarrus, cap. 27, num. 217. Quod facilè admitti potest quoad hanc mutationem officii diei in unâ vel aliâ occasione gravi; tamen in mutatione totius Breviarii clarum est non posse dispensare, neque illam facere aut permittere, nisi juxta constitutionem Pii V, ut ex dictis satis patet. Nec etiam potest quasi permanenter dispensare aut legem facere, ut tali vel tali die aliter dicatur officium quàm in Breviario Romano sit præscriptum, ubi illud servandum est; sed oportebit tunc ad Papam accedere. Et eâdem proportione non potest prælatus religionis utentis proprio officio talem dispensationem permanentem facere, et sic de aliis, servatâ proportione.

7. Tertio loco spectat ad præsentem quæstionem explicare an hoc præceptum obliget ad servandum ordinem in dicendis horis canonicis in choro, tam inter ipsas horas inter se quàm inter partes uniuscujusque horæ. Et ratio dubitandi esse potest, quia communiter auctores dicunt ordinem non pertinere ad substantiam hujus præcepti, et ideò non violari graviter, etiamsi prætermittatur. Dico tamen auctores frequentiùs loqui de recitatione privatâ, de quâ inferiùs videbimus; at verò de illâ quæ publicè in choro fit, omninò dicendum est, in dicendis horis servandum esse earum ordinem ex præcepto. Et primum de singulis horis quoad partes earum inter se patet, tum ab inconvenienti, quoniam aliàs posset arbitrio prælatorum dici hymnus in fine, quando dicendus est in principio, et è converso, et capitulum, vel Psalmi ordine præpostero, quæ tamen sine dubio fieri non possunt sine culpâ ex suo genere gravi, nisi vel materiæ levitas, vel aliqua inadvertentia excuset; tum etiam à priori, quia in his artificialibus unitas rei et quasi esse illius consurgit ex tali ordine, ita ut possit dici de substantiâ illius, ut tale artefactum est; talis autem est unitas uniuscujusque horæ canonicæ, unde invertere ordinem, est illam destruere et alium ritum introducere. Denique in publicâ recitatione de se est hoc offensivum populi, nullo ergo modo licet. In ordine verò diversarum horarum inter se non videtur esse tam intrinseca connexio, quia non ita componunt unam horam, unde in mutatione illius ordinis non statim apparet tam gravis difformitas. Nihilominùs ille ordo etiam est per se intentus ex vi talis ritûs et institutionis, quia ex omnibus illis horis ita ordinatis unum integrum officium componitur, quod suo modo unum est, et de illo unum præceptum datur. Unde non dubito, quin talis ordo etiam comprehendatur sub tali præcepto, et quòd sit culpabile illum mutare voluntariè et sine causâ cogente. Et in oratione publicâ habet majorem difformitatem, quia magis videtur institutio contemni, quando publicè omittitur, et per se majus scandalum inde generatur; item quia quodammodò eluduntur mysteria quæ per has horas et earum ordinem significantur; nam propter orationes publicas maximè institutæ sunt.

8. Tandem inquiri hìc potest de interpolatione in his horis factâ, an sit contra debitum orandi modum, et quàm gravis culpa sit, quando in choro committitur? Quæ dubitatio non intelligitur de interpolatione distinctarum horarum inter se; illa enim absolutè loquendo bona est et consentanea institutioni. Nam licèt sint partes unius officii diei, non sunt partes continuæ, sed discretæ; nam ipsum officium non est unum ad modum quantitatis continuæ, sed discretæ, sicut est oratio. Discernuntur autem seu dividuntur partes illæ per interpolationem, et ideò bonum est ut cum interpolatione dicantur. Verum est tamen in hâc interpolatione modum seu mediocritatem requiri, ita ut neque nimia sit, nec nimis parva; hoc autem pendet ex antepositione et postpositione talium horarum, quantùm enim in his peccatum fuerit, tantùm in illo peccabitur, quid verò de illis circumstantiis dicendum sit, infrà tractando de tempore horarum videbimus. Hìc ergo solùm agitur, de interpolatione, quæ fieri potest inter partes ejusdem horæ, ut inter unum psalmum et alium, vel inter psalmos, et lectiones, aut inter partes ejusdem psalmi. Distinguere autem oportet interpolationem à pausâ; nam pausa, quæ nimia non sit, potiùs est commendata in choro, quàm prohibita, ut constat ex concilio Basilicnsi, sess. 21, § 2, ubi monet cantum fieri, *cum pausâ decenti, præsertim in medio cujuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solemne ac feriale officium differentiam.* Interpolatio verò est, quando fit nimia et inusitata partium discretio. Hæc autem duobus modis fieri potest, primò omninò cessando à choro pro aliquâ notabili morâ, et ad alias actiones vel cogitationes omninò extraneas divertendo (loquimur autem de cessatione aut interpolatione totius chori; nam in singulis non potest esse sola interpolatio, si chorus officium prosequatur, sed erit simul mutilatio quoad eam partem, ad quam aliquis non concurrit, ut statim explicabo). Secundò potest contingere intermissio hæc non cessando omninò, sed cantando aliquid vel legendo, illo intermedio tempore, quod totum ad Deum et elevationem mentis in ipsum aliquo modo referatur, non sit tamen pars illius horæ vel officii, quod canitur. De hoc posteriori modo dicam cap. 13.

9. De primo dicendum est interpolationem factam præter institutionem, in quâcumque horâ esse peccaminosam de se. Dico, *præter institutionem*, ut excludam interpolationem inter tres nocturnos, vel inter se vel à laudibus; illa enim non est absolutè præter institutionem, et ideò peculiarem difficultatem habet, an nunc liceat, necne; quæ supra tractata est. De omni verò aliâ ratio est quia est contra unitatem moralem uniuscujusque horæ, et contra communem consuetudinem, à quâ discrepare in publicâ celebratione ex suo genere grave est. Denique est contra ritum et institutionem, quæ non parùm violatur per hanc interpolationem, quando notabilis est. An verò hæc culpa gravis aut levis sit, ex circumstantiis expendendum

est? Moraliter verò non potest accidere ex merâ voluntate, sed ex aliquâ necessitate, vel probabili ignorantiâ; et tunc necessitas poterit excusare omninò, et ignorantia magnâ est parte, nisi valdè crassa sit, et scandalum grave sequatur. Secluso verò scandalo, et posità bonâ fide ortâ ex aliquâ occasione probabili, videtur facilè posse excusari gravis culpa in hujusmodi interpolatione.

10. Et hinc constat quid dicendum sit de interruptionibus, quas singulæ personæ assistentes in choro facere possunt, potissimè enim fieri solent per verba nullo modo ad officium pertinentia, rarò namque vel nunquàm fieri possunt in choro hæ interruptiones per alias actiones ab officio extraneas, nisi fortè per rixam, quæ ex verbis ordinariè nascitur, interdum verò fieri potest per cessationem à cantu, vel omninò a recitatione vocali, vel etiam ab attentione et auditione morali eorum quæ dicuntur. Et quidem de his posterioribus modis nihil est quòd de novo dicamus, quòd pertineat ad specialem defectum interruptionis: nam cessatio à cantu, si recitatio aliqua ejus quod canitur, non desit, non est propriè interruptio horæ, sed solius cantûs, et est potiùs omissio illius actionis, quoad aliquam partem ejus; nam pars illa semel omissa non potest postea expleri quoad cantum. Et ita culpæ gradus erit, et pro ratione obligationis cantandi, de quâ supra dictum est, et juxta quantitatem partis omissæ, quod prudentis arbitrio relinquendum est. Si autem non tantùm cantus, sed etiam recitatio exterior omittatur, necesse est ut moraliter æquivaleat partiali omissioni alicujus partis divini officii, quæ gravior culpa est quàm interruptio, et nisi fiat animo repetendi postea omissum, facilè erit gravis culpa: et adhuc cum illâ intentione non est parva culpa intra latitudinem venialis, quia est magna inversio partium officii, simul cum interruptione. Dico autem æquivalere illam taciturnitatem omissioni, quia chorus semper in officio suo procedit, et quod semel perditur, non potest in eodem tempore recompensari; erit enim major confusio et perturbatio officii; et ideò omnes doctores admonent, ut, si aliqua particula officii præteriit, sive culpabiliter sive inculpabiliter, non repetatur, durante officio chori, sed vel nulla ratio ejus habeatur, si parva fuit, vel reservetur repetenda post expletum officium. Unde quia hoc per se est contra debitum ordinem, si voluntariè fiat et sine causâ cogente, non fit sine aliquâ culpâ. Atque hæc tota resolutio majori ratione locum habet, quando aliquis non solùm non canit neque ore recitat, sed etiam non attendit voluntariè ad ea quæ in choro dicuntur: nam tunc gravior est omissio, ut per se notum est. Et infra tractando de excusationibus latiùs declarabitur.

11. Atverò quando interruptio est per commissionem positivam, loquendo vel agendo aliquid incompossibile cum divino officio, tunc multis modis gravior est culpa. Primò, quia id specialiter prohibitum est in cap. *Dolentes*, de Celebrat. miss. et in Clement. 1, eodem tit. et sumitur ex cap. *Nullus*, de Consec., dist. 1. Secundò, quia est irreverentia interrumpere sermonem cum Deo, humanis colloquiis, tertiò aggravatur maximè hæc culpa, si colloquia sint indecentia et profana, et talia esse possunt, ut aggravent mortaliter culpam, ut si sint turpia, etc. Quartò, hoc non fit sine impedimento aliorum, quantùm est ex parte loquentium, vel aliquid simile operantium, quam inordinationem latè exaggerat, et minutissimè per varia exempla et circumstantia explicat Navarr. cap. 15 de Orat. Quintò, non sit hoc in choro sine aliquo scandalo, tum clericorum in eodem choro adstantium, tum laicorum audientium vel videntium. Sextò denique est in tali actione tota inordinatio interruptionis et partialis omissionis, quæ in purâ omissione explicata est; quapropter regulariter non excusatur à gravi culpâ veniali, potest verò etiam esse mortalis, si aggraventur circumstantiæ. Quod quidem in generali certum est, quia materia est gravis, et suo modo divina; in particulari verò arbitrio prudenti determinandum est.

CAPUT XII.

Utrùm satisfaciant clerici in choro alternis versibus psalmos canendo, et quid in hoc servare teneantur?

1. Priusquàm quæstioni respondeamus supponendum est antiquâ Ecclesiæ consuetudine receptum esse, ut in horis canonicis Psalmi alternatim per singulos versus à psallentibus dicantur: quæ alternatio antiphona à Græcis vocatur. Quamvis enim hæc vox *antiphona*, nunc aliam significationem habeat, ut notavimus cap. 2, tamen secundùm primævam impositionem significat alternationem illam est enim antiphona idem quod vox contra sonans, quod fieri videtur in vicissitudine illâ canendi versus alternatim. Dicunt ergo multi antiphonas Psalmorum in hoc sensu incœpisse à tempore Constantii, et Flavianum Antiochenum in suâ Ecclesiâ illius inventorem fuisse. Ita Theodoretus, lib. 2, Histor., cap. 24, et sequuntur Sigebertus, et alii. Verùmtamen in Græciâ antiquiorem fuisse morem illum indicat Dionysius, cap. 3 de Eccles. Hierarch., loquitur tamen de officio missæ solemnis; et solùm dicit pontifices inchoare psalmodiam, prosequi verò cæteros ecclesiasticos ordines cum eo canentes. Unde magis recepta sententia est Ignatium hunc morem introduxisse; ferunt enim, audivisse angelos hymnos in laudem Trinitatis alternatim decantantes, et inde motum fuisse, ut eum morem Ecclesiæ Antiochenæ traderet, et inde per Orientem propagatum esse. Unde ejusdem consuetudinis mentionem fecit Basilius Flaviano antiquior, epist. 63, significatque vetustiorem esse ipsomet Basilio, quia non ut à se inventam, sed ut ab aliis visitatam illam commemorat: inde verò creditur ab Ambrosio fuisse Mediolani introductam, ut ex Augustino colligitur, atque eodem ferè tempore Damasum illam probâsse, et Romanæ Ecclesiæ imperâsse, ideòque illi etiam specialiter attribui in Pontificiali. Ita de origine ab Ignatio sentiunt Radulphus, prop. 12; Amalarus, lib. 4, cap. 7; Walfridus, de Reb. Eccles., cap. 28, ex Nicephoro, lib. 13

Histor., cap. 8; Socrate, lib. 6, cap. 8. Addunt Isidorus, lib. 1 de Eccles. offic. cap. 7, Alcuinus et alii morem hunc originem duxisse à Seraphinis, quos Isaias vidit clamantes : *Sanctus, sanctus*, etc.; nam Scriptura dicit, *quòd clamabant alter ad alterum*, id est, uno priùs dicente, et altero respondente. Tamen Isidorus apertè docet hanc fuisse institutionem Græcorum, fuisse verò adumbratam in illâ visione, seu ad imitationem illorum Seraphinorum introductam. Nam reverà licèt non intercèssisset alia canentium Angelorum visio, illa sufficeret ad excitandum pium animum ad inveniendum hunc ritum laudandi Deum, qui per sese adeò est honestus et decens, ut commendatione non egeat.

2. Ex hâc ergo consuetudine constat, unumquemque psallentium aut recitantium publicè suo muneri satisfacere, dùm quisque, postquàm versum ad se pertinentem dixit, alium dicentem attentè audit. Quia eadem Ecclesia, quæ præceptum hoc imposuit, ita illud temperavit, ac meritò. Primò, quia illa varietas oblectat audientes; et majorem devotionem provocat; secundò, quia hoc modo labor canendi faciliùs sustinetur : Quam rationem attigit Cassianus, lib. 3 de Instit., cap. 8, ibi : *Ideòque eas tripartitis distinguunt officiis, ut labor hâc diversitate divisus, delectatione quâdam defectionem corporis relevet.* Dicit autem *tripartitis*, fortè quia ultra versuum alternationem in principio et fine omnes stantes antiphonam simul concinunt, ut sequentibus verbis declarat. Tertiò, quia dùm lingua paululùm cessat, spiritus magis excitatur, unde faciliùs mentalis oratio cum vocali admiscetur : quod significavit Basilius supra dicens : *Alternis canunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem et meditationem corroborant.* Quartò, in illâ mutuâ responsione significatur, et quodammodò exercetur mutua excitatio ad laudandum Deum, et in fine per communem antiphonam seu sententiam animorum concordia declaratur, ut in superioribus dictum est. Quapropter non solùm per consuetudinem declaratum, et quasi ex parte remissum est hoc præceptum, sed etiam directè et ex institutione Ecclesiæ ita est constitutum, sive à principio instituti chori ita fuerit ordinatum, sive postea per Damasum, vel per alios pontifices additum fuerit.

3. Hâc ergo veritate suppositâ, explicandum est, quomodò se genere debeat clericus ex vi præcepti, quod nunc explicamus, tam in proferendis versibus Psalmorum qui ad chorum suum pertinent, quàm cùm alii versus in alio choro decantantur. Circa priorem enim partem quæri potest, an peccet graviter ex suo genere, qui omninò omittit versus ad se pertinentes, ita ut nec illos cantet, nec omninò voce proferat. Ad quod respondeo, dupliciter hoc posse fieri : primò cum proposito iterùm recitandi privatim officium canonicum, vel cum proposito non ampliùs recitandi, sed satisfaciendi cum solo proposito non ampliùs recitandi, sed solâ chori assistentiâ et audiendo tantùm. Si fiat hoc posteriori modo dicendum est illum non satisfacere obligationi recitandi horas canonicas, et consequenter incurrere, vel debitum restituendi, vel aliam pœnam non recitantibus impositam, quantùm ad illum spectare possunt, de quibus infra videbimus. Probatur, quia hoc præceptum non est de audiendis horis, sed de recitandis, modo aliquo ab Ecclesiâ recepto, seu probato, ille autem non recitat, sed audit, quia non dicit versus suos, nec alios, ut suppono in casu; ille verò modus recitandi non est ab Ecclesiâ receptus, nec probatus; neque ex naturâ rei potest dici recitatio; ergo in hoc nulla potest esse ratio dubitandi. Atverò si tunc taceat, animo dicendi postea privatim officium, eadem ratio erit de illo, atque de eo qui non psallit, licèt submissè proferat.

4. Secundò ergo inquiri potest an is qui socios non adjuvat canendo versus suos, submissè tamen illos recitat, satisfaciat suo muneri. De quo duo quæri possunt, an satisfacit muneri recitandi canonicum officium, vel an expleat debitum servitium chori, et ex hâc parte mortaliter peccet ex suo genere. Prima opinio negat eum mortaliter peccare, quia jura canonica solùm præcipiunt assistere choro, et ad summum recitare in Ecclesiâ, non canere, at ille assistit, atque etiam recitat in Ecclesiâ; ergo. Major sumi potest ex cap. ult. dist. 92, cum similibus. Atque hæc opinio tribui solet Cajetano in Summ. verbo *Hora*, § *Ultimo* sed id non absolutè dicit, nec retractat sententiam quam alibi tenuit. Citatur etiam Tabiena, verbo *Hora*, quæstione 33, aliàs ultim., qui loquitur in priori sensu tantùm.

5. Aliorum sententia est, ex vi juris communis, clericos qui ita sunt addicti alicui Ecclesiæ, ut inde obligentur ad chorum, non satisfacere; dicendo submissè, sed teneri ad canendum cum aliis. Ita Cajetanus, in Summ., ubi supra : nam refert se alibi id dixisse utique tom. 1 Opusc. tract. ult. respons. 8, et ibi non retractat, licèt addiderit aliquid quod infra commemorabo; sequitur Armilla, num. 22, et Navarrus in Enchirid. cap. 10, num. 47, et cap. 11, num. 43, ex cap. 21, Miscel. 79. Ratio Cajetani, quam multùm commendant Navarrus et Armilla, est quia qui sic recitat versus suos non communicat alteri choro, quia sibi recitat, et non aliis; ergo non implet præceptum recitandi, quia debet impleri per mutuam communicationem recitantium. Quilibet enim beneficiatus tenetur ad totum officium dicendum cap. 1, de Celebr. missar.; ergo vel per se, vel per communicationem cum alio; cùm autem dicit totum per se, tunc potest sibi submissè dicere; ut autem totum cum alio dicat, oportet ut illi communicet orationem suam, quod non facit quando sibi soli dicit, et ideò non satisfacit. Confirmatur primò, quia ut satisfaciat, necesse est, ut dicat partem suam, non tantùm materialiter, ut sic dicam, sed ut partem illius communis orationis, at non sic dicit, qui sibi dicit. Confirmatur secundò, quia aliàs posset quis satisfacere præcepto, audiendo in choro vel ab alio legente, dimidiam partem officii, et aliam dimidiam in cubiculo suo recitando, quod est ridiculum.

6. Quidquid verò sit de veritate conclusionis, hæ rationes mihi displicent, quia nimis confusè proce-

dunt, et si validæ essent, nulla consuetudo posset contra eas prævalere, quod tam Cajetanus quàm Navarrus negant, et sequela patet, quia nulla consuetudo potest prævalere contra obligationem recitandi integrè totum officium; sed, si rationes illæ sunt validæ, non recitatur integrum officium; ergo. Secundò, si illæ rationes essent validæ, non solùm ille non satisfaceret chori servitio, verùm nec simpliciter horas canonicas recitaret, et teneretur restituere tanquàm non recitans : quod non solùm nimiùm rigorosum videtur, sed etiam contra communem sensum et consuetudinem, ut Tabiena notavit. Tertiò sequitur eum qui privatim recitat cum socio, qui ad dicendum officium non tenetur, non satisfacere officio, nec verè recitare, si suos versus ita submissè dicat, ut ab alio audiri non possit, consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia etiam ille non communicat alteri orationem suam. Minor probatur, tum quia viri pii et timorati sæpè ita recitant, vel ut minùs fatigentur, vel quia ita magis devotionem provocantur, tum etiam quia ille verè dicit partem suam, et alteram audit, et quod alter non audiat, contra nullum præceptum est, cùm supponamus, illum non teneri ad recitandum. Quartò, si tres simul privatim recitent, et duo efficiant chorum, non oportet tertium qui alium chorum refert, audire utrumque, ut satisfaciat (quod infra dicemus); ergo si unus illorum altè dicat, et alter submissè, omnes satisfacient, quia omnes dicunt suam partem, et audiunt aliam; et hoc satis est. Quintò, ratio mataphysica Cajetani, scilicet, quòd cùm alii cantant, et ego submissè profero, illa communicant mihi partem suam, licèt ego meam illis non communicem, non probat; nam inde solùm sequitur, illos non dicere totum officium mecum ex vi recitationis meæ, quod verum est; dicent tamen totum, quia alios audiunt, et cum illis communicant etiam in parte ad illos pertinente. Non verò sequitur, eum qui sibi tantùm dicit partem suam, non dicere totum, quia reverà dicit illam partem, et in aliâ communicat cum aliis, ut enim partem quasi communicatam b aliis recipiat, non est necesse ut ille illis communicet suam; neque enim oportet ut hæc sit veluti relatio mutua, præsertim respectu singulorum; satis enim est quòd sit respectu communitatis.

7. Unde ad rationem Cajetani in formâ respondendo, distinguo majorem; qui submissè dicit non communicat, etc.; distinguo : non communicat alteri partem suam, concedo; non communicat ab altero partem ejus, nego; ut autem totum officium dicat, satis est quòd habeat unam partem à se, et alteram communicatam à sociis; nec repugnat participare partem aliorum, etiamsi illis non communicet suam. Unde ad primam confirmationem respondeo, distinguendo etiam illam particulam, *ut partem :* non dicit suos versus ut partem publici et solemnis officii, vel non dicit, ut partem suæ integræ recitationis. In priori sensu admitto propositionem; inde verò non sequitur, non satisfacere officio recitandi horas; in posteriori autem sensu, nego illam : nam reverà illa est pars cujusdam integræ recitationis saltem privatæ, et ut talis dicitur. Ad secundam verò confirmationem nego sequelam, quia is qui primam partem officii illo modo audit, nullo modo eam recitat. Neque Ecclesia absolutè permittit, partem officii dicere, et partem audire, sed solùm alternando per versus Psalmorum. Quod facit qui singulos versus ad se pertinentes dicit, licèt submissè, et alios audit alternatim, non verò is qui dimidiam partem Psalmorum audit, et aliam dicit. Sicut etiam in ipso choro non satisfacerent clerici, si unus chorus diceret prius integrum nocturnum continuè, et alius secundum, etc.

8. Dico ergo eum qui sic recitat, sine dubio recitare integrum officium canonicum, in quo non videtur posse dubitari, aliàs esset obligandus iterùm illud recitare, quod dici non potest cum probabilitate; et in hoc est differentia magna inter eum, qui submissè saltem dicit, et eum qui omninò non dicit. Videndum tamen adhuc superest an satisfaciat ille prior debito servitio chori? Hæc enim sunt valdè distincta, omittere horas canonicas quoad recitationem integram simpliciter, vel omittere debitum servitium in choro, possuntque habere effectus morales valdè diversos. Quoad omissionem ergo servitii debiti, censeo esse simpliciter veram posteriorem sententiam, sed aliter probanda est, et primò adduci solent concilium Basiliense, sess. 21, §. 3, et concilium Aquisgranense secundum sub Ludovico, cap. 131, sed ex illis nihil probatur; nam in priori de recitatione etiam privatâ sermo est, et solùm dicitur : *Ut non in gutture, nec inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictionem, fiat :* in alio verò loco potiùs sub disjunctione dicitur : *In ecclesiâ cum timore et veneratione stantes, aut orent aut cantent, aut audiant.* Infra verò dicitur : *Laudes Deo in commune persolventes pro suis, populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent.* et infra : *In persolvendis divinis laudibus promptiores ac devotiores existant,* et infra : *Qui has horas frequentare, et in his cœleste neglexerit officium persolvere, dignâ invectione corripiatur.* Sed hæc licèt aliquid juvent, nimis generalia sunt ad colligendam rigorosam obligationem in casu proprio, de quo tractamus. Ex jure igitur communi probari hoc potest, primo ex dicto cap. ultim., distinct. 92, ubi dicitur : *Ut ad quotidianum psallendi officium in ecclesiam conveniant clerici, qui tali ecclesiæ deputati sunt.* At hæc verba faciunt sensum formalem, ut sic dicam, non materialem; nam *convenire ad officium psallendi,* non est convenire in loco, quo psallitur, nec est convenire ad audiendam psalmodiam, sed est convenire ad psallendam cum psallentibus. Et præter verborum proprietatem materia, et antecedentia, et consequentia postulant hunc sensum, quia non deputantur clerici, ut audiant, vel ibi appareant, sed ut ministrent et inserviant, et ita conveniant ad psallendi officium.

9. Secundò probari potest ex concilio Tridentino, sess. 24, capit. 12, ubi loquendo de habentibus in ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis dignitatem, canonicatûs præbendas aut portiones, ait : *Omnes divinâ*

per se et non per substitutos compellantur obire officia, et episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti adsistere et inservire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare. Quæ verba licet fortè non omninò convincant, multùm tamen juvant, quia videtur loqui concilium de modo distinctè laudandi Deum choro accommodato, et vel ponit, vel supponit obligationem hæc faciendi, non enim præciperet concilium, hos omnes ad hæc compelli, nisi ipsi tenerentur, unde à fortiori constat, inferiores beneficiatos similiter addictos choro eâdem obligatione teneri. Tertiò est ratio à priori, quia his personis dantur redditus ecclesiastici specialiter ut choro inserviant; sed si non canunt, non serviunt, nec implent officium suum, ergo contra justitiam peccant, atque adeò ex genere suo mortaliter. Dices, non dari stipendium cum obligatione canendi, sed assistendi choro: Respondeo falsum hoc esse et incredibile, præsertim si ad primam et juridicam (ut sic dicam) institutionem respiciamus. Quia non conducitur operarius ad vineam, ut ibi assistat, sed ut in eâ laboret, nec parocho datur beneficium, ut sit præsens in suâ ecclesiâ, sed ut in eâ ministret, nec præsentia propter se postulatur, sed propter ministerium: alioquin, quantùm est ex vi muneris, possent omnes ibi adesse et tacere, vel obmurmurare. Quomodò ergo divinum officium impleretur? Est igitur obligatio canendi in illis hominibus, et non est major ratio de uno quàm de aliis, ergo est in singulis; alioqui unusquisque excusari posset, quòd non teneretur canere ratione sui muneris: ac subinde non esset divino servitio sufficienter provisum.

10. Atque hinc sequitur, qui non canunt partem suam, etiamsi submissè recitent illam, non solùm peccare, sed etiam non facere suas distributiones, quæ assistentibus choro dantur. Probatur, quia illud peccatum est contra justitiam commutativam, ergo obligat ad restitutionem, ergo saltem ad illam partem distributionum quæ debentur ratione ministerii cantandi. Atque in hoc sensu dicit Navarrus hos præbendatos non implere præceptum recitandi horas ad lucrandum distributiones quotidianas, per quod additum videtur limitare rigorem, qui sequi videbatur ex ratione Cajetani supra improbatâ. Et adhuc (consideratâ solâ naturali ratione, et obligatione muneris) ego limitarem hanc sententiam quoad hanc partem de distributionibus, ut non procedat de integris, seu totis distributionibus, sed de aliquâ earum parte, quæ, prudenti arbitrio rem æstimando, videtur esse dimidia: quia ille qui ita se gerit in choro, non in totum deest suo muneri, nam illa præsentia aliquid est, et in Dei cultum et chori honorem, et auctoritatem redundat, partem etiam cantûs implere videtur, audiendo cum attentione ac devotione, ut suppono; ergo ratione alterius defectus in canendo pro parte suâ, satis videtur ex naturâ rei, ut dimidiam partem distributionem suam non faciat. Quidam autem dicunt ex constitutione Pii V, quæ incipit *Ex proximo Lateranensi concilio* in eo casu omnes distributiones amitti. Nam ibi decernit Pontifex: *Ut canonicus, qui non psallit in choro, licèt præsens adsit, fructus amittat, quos lucrifecisset, si cantásset.* Sed hoc non existimo verum. Primò, quia etiamsi illa verba in illâ constitutione haberentur, solùm sequeretur amitti distributiones correspondentes cantui illius partis quæ non cantatur. Contendimus autem illi non respondere integras distributiones, sed partem earum. Secundò, quod caput est, Pontifex non dicit: *Canonicus, qui non psallit*, sed dicit: *Tamen, si aliquis choro addictus non recitans omnibus noris canonicis, cum aliis præsens adsit*, etc., longè autem diversum est, ut dixi, non recitare, vel non psallere, verba autem in rigore proprio, tenenda sunt in lege pœnali. Tertiò, est evidens necessitas, quia de illo non sic recitante, non solùm dicit Pontifex, ut amittat distributiones, sed ut amittat etiam fructus pro ratâ, juxta generalem modum ibi declaratum pro omnibus non recitantibus. Nemo autem unquàm dixit eum qui non cantat partem suam, si aliàs recitet, non facere alios fructus præbendæ suos. Imò etiam est certum quòd licèt omninò in choro non canat, nec recitet, et ideò distributionem non lucrifaciat, si aliàs horas canonicas recitet, non incurrere in pœnam constitutionis concilii Lateranensis, nec declarationis ibi factæ à Pio V, quoad amissionem cæterorum fructuum. Nulla ergo specialis privatio fructuum, vel distributionum ibi ponitur pro casu quem tractamus. Et ideò credo veram esse limitationem à nobis positam, circa distributionum amissionem in his qui submissè recitant.

11. Imò ulteriùs addo hanc partem limitandam esse, nisi juxta statuta, consuetudinem, aut fundationem sola præsentia sufficiat ad lucrandas distributiones. Hæc limitatio colligitur ex dictâ constitutione Pii V, ut etiam Navarrus sensit, ibi enim supponit Pontifex aliquos excusari illis titulis ab obligatione canendi, et licèt expressè non approbet excusationem, non tamen eam reprobat, sed dicit quòd, eâ non obstante, si tales interessentes non recitent horas, non faciant fructus suos pro ratâ: de recitantibus autem et non canentibus nihil dicit, et tacendo videtur titulos illos approbare: vel saltem certum est non reprobare, quod satis est, quia illi per se non sunt injusti: et inprimis ab ultimo incipiendo, si Ecclesia et præbendæ illo modo fundatæ sint, jam distributiones non dantur propter cantum, sed præcisè propter præsentiam; talis enim esse videtur à principio conventio inter fundatorum, seu ecclesiam et præbendatos. Quæ potest non esse irrationabilis, tum quia præbendæ possunt esse valdè tenues, tum quia possunt esse alii ministri et inferiores clerici specialiter cum illo canendi onere præbendati, vel stipendiati, et alii majores solùm ad decorem et auctoritatem chori pro videri, et ut voluntariè canant, vel assistendo orent. Talis ergo fundatio, non est contra jus naturale, nec etiam est contra jus aliquod positivum, de quo mihi hactenùs constiterit. Nam cap. ult., d. 92, nihil contra hoc facit; nam loquitur de clericis addictis ecclesiæ,

et intelligendum est respectivè, et cum distributione accommodà, ut scilicet, unusquisque in ecclesiâ implere debeat id ad quod deputatus est. Possunt autem esse aliqui adstricti ad canendum, alii ad interessendum : neque in alio canone, vel in illo prohibitum est, ne aliqui clerici possint addici choro, et psalmodiæ tantùm, ut ibi adsint et orent, prout voluerint, vel audiendo, vel canendo, vel recitando, ut ex concilio Aquisgranensi supra notabamus.

12. Nec etiam concilium Tridentinum adversatur huic fundationi : nam in d. cap. 12, sess. 24, loquitur de ecclesiis cathedralibus et collegiatis, quæ juxta commune jus fundatæ sunt, non tamen prohibet quin possint aliæ alio modo fundari. Præsertim, quia nec ibi expressè obligat concilium ad cantandum, sed ad laudandum devotè, distinctè, ac reverenter, quod videtur satis impleri, si à toto choro fiat, et à singulis eo modo, quo ex vi sui muneris, et fundationis unusquisque tenetur. Eò vel maximè quòd concilium de distributionibus mentionem faciens, solùm dicit : *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, reciviant.* Et sess. 21, cap. 3, dicit : *Ut distributiones inter dignitates obtinentes, et cæteros divinis officiis interessentes dividantur.* In sessione autem 22, cap. 3, requirit : *Ut unusquisque personaliter competens ibi servitium juxta formam ab episcopis præscribendam quolibet die statuto impleat.* Non tamen declarat quale debeat esse hoc servitium, et potest multa complecti : nam interdùm tenentur ministrare in altari, interdùm in choro sacris vestibus indui, vel capitulum dicere, vel etiam cum choro cantare, non verò sunt omnia semper necessaria ex vi cujuscumque fundationis. Unde quædam declaratio cardinalium circa 24 sessionem, cap. 13, dicit : *Teneri canonicos per seipsos missas in diebus festis canere, prout ex institutis ecclesiæ suæ, vel consuetudine tenentur;* et in sess. 22, cap. 3, alia declaratio habet : *Non posse episcopum dignitatibus, personatibus, et officiis statuere certam officii et servitii formam, præter solitam, pro lucrandis distributionibus.* Estque notatione dignum, quòd cùm ad hæc loco concilii multæ declarationes cardinalium datæ sint, quas attentè legi, nullam inveni, in quâ dicatur, vel indicetur, concilium voluisse obligationem imponere præbendatis omnibus ad ita assistendum in choro, ut in eo cantent; ergo potest esse legitima illa exceptio de fundatione.

13. De consuetudine Cajetanus in Summâ tandem fatetur consuetudinem bonorum esse optimum legum interpretem, et ideò ubi timorati consueverunt sic recitare, standum esse consuetudini. Ratio autem alia quam subjungit, quòd majores in choro non debant cantare, sed meditari quæ ab inferioribus cantantur, nobis non probatur, ut infrà tractando de excusationibus dicemus. Navarrus verò dicit consuetudinem rationabilem et præscriptam posse auferre hanc obligationem, quantùm ad id quod est juris humani, non verò quantùm ad naturalem obligationem ex pacto justo. Idem sequitur Azor., dicto lib. 10, capit. 11, quæst. 6, qui benè explicat quomodò talis consuetudo non sit contra jus naturæ. Ratio tamen breviter est, quia hæc consuetudo semper debet esse talis, ut non minuat notabiliter divinum cultum, alioqui esset irrationabilis, et contra religionem, et contra justitiam, quia non fieret officium, propter quod beneficium datur. Debet ergo provideri ecclesiæ sufficienter de cantoribus, ita ut officium pro dignitate fiat. Atque ita nullibi prævaluit illa consuetudo, nisi ubi cum canonicis, et dignitatibus portionistæ, capellani, aut alii ministri instituti, vel conducti sunt, qui omninò cantare tenentur, et coguntur, et cantus majorum nihil, vel parùm ad concentum, vel sonum totius officii confert. Et verisimile creditur stipendia, vel portiones, aut fructus, qui his cantoribus dantur ex redditibus, qui ad canonicos pertinere debuissent, determinatos esse, atque ita sicut divisum est emolumentum, ita et onus. Et hinc consequenter fit ut licèt illi corpori totius chori, seu talis cleri dentur stipendia, ut cum decore, honore ac devotione cantet officium, non tamen dari singulis de illo choro ut canent per seipsos, sed quibusdam hoc titulo, aliis ut assistant, et per alios cantent. Quod pactum non est injustum, et ubi non certò constat de particulari fundatione, aut institutione expressè contrariâ, et consuetudo talis reperitur, credendum est, vel talem fuisse institutionem, vel mutatam esse per contrariam præscriptionem. Atque ita completur prima conditio, quam meritò postulat Navarrus, scilicet, ut talis conditio rationabilis sit : verum est etiam, per eam non mutari id quod est de jure naturali, potest tamen mutari materia, quæ fundabat aliquam obligationem naturalem, et consequenter potest cessare talis obligatio sine violatione juris naturalis, ut in præscriptione constat, et in multis aliis. Quod autem Navarrus requirit, ut hæc consuetudo fit immemorialis, ab aliis non postulatur, nec video cur sit necessarium; satis ergo erit illa quæ ad præscriptionem ecclesiasticam sufficit.

14. Laborat autem Azor, in explicando quomodò hæc consuetudo non sit contra constitutionem Pii V et contra concilium Trident., fateturque esse contra illa, sed potuisse illis tanquàm humanis juribus derogare. Sed ego non video in hâc consuetudine aliquid repugnans statuto Pii V, quia, ut dixi, Pius V non loquitur de non canentibus in choro, sed de his, qui omninò non recitant, etiamsi præsentes in choro sint. Consuetudo autem de quâ loquimur talis non est, nec illa potest esse rationabilis. Et quando posset esse talis, quæ excusaret à propriâ pœnâ legis, non verò quæ excusaret à culpâ contra justitiam, et consequenter nec à restitutione, quæ ex violatione justitiæ nascitur, ut infra dicemus tractando de his qui non recitant, etiam privatim. Neque etiam est in illâ consuetudine aliquid contra concilium Tridentinum, tum quia concilium non præcipit expressè ut singuli præbendati cantent, sed ait omnes cogendos esse, ut in choro ad psallendum instituto, adsint, et Deum reverenter laudent; hoc autem faciunt personaliter assistendo, et per alios cantando, seu quasi componendo

corpus illud quod Deum laudat, et illi consentiendo, et suo modo moraliter cooperando. Neque etiam obstant illa verba : *Omnes verò divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia;* nam hæc non intelliguntur de cantu in choro, sed de officio dicendi missam, Evangelium, vel epistolam, vel de aliis similibus personalibus obligationibus : nam de choro postea loquitur. Et ita exponitur in declarationibus cardinalium in locis supra allegatis.

15. Dices : Ergo possent canonici in choro non solùm cantare per substitutos, sed etiam adesse per illos. Respondetur negando consequentiam, tum quia præsentia et assistentia non potest suppleri per alium; concilium autem sæpè postulat præsentiam, et prohibet absentiam à choro, non tamen præcipit cantum personalem, ut patet ex locis allegatis cum declarationibus etiam citatis; tum quia licèt canonici tunc dicantur cantare per alios, non tamen propriè dici possunt cantare per substitutos seu vicarios in munere proprio; supposità enim dictà consuetudine, jam non sunt ipsi obligati ad illud munus, et ita omnes personæ illius chori sua debita munera implent, tanquàm membra unius corporis, etiamsi non omnia cantent vel altè loquantur. Unde etiam constat quomodò talis consuetudo non sit contra dictum cap. ult. 92, d.; nam licèt possit dici, illi juri potuisse derogari per consuetudinem, non est necessarium; nam ibi tantùm dicitur, ut conveniant ad officium psallendi in choro omnes clerici tali Ecclesiæ deputati, hoc autem verè faciunt canonici in eo casu, supposità consuetudine, quia ad officium conveniunt, et ad faciendum id ad quod jam sunt deputati secundùm consuetudinem.

16. Denique, hinc etiam patet tertium membrum limitationis de statuto. Oportet enim, ut statutum sit sufficienti auctoritate factum, et quòd sit rationabile, ideòque ex parte materiæ, seu objecti, aut modi introducendi morem illum, oportet ut servet illas circumstantias, quas in consuetudine declaravimus. Nam lex et consuetudo æquiparantur. Et eâdem ratione placet, quod Navarrus ait, oportere ut tale statutum sit à Papâ confirmatum, quia cùm communi juri et ordinariæ institutioni Ecclesiarum repugnet, si Ecclesia à primævâ fundatione non habet illum modum institutionis, nec sufficienti consuetudine introducta reperitur, ut per statutum denuò introducatur, auctoritas pontificia necessaria est. Sicut etiam consuetudo ipsa præsumitur, vel ab ipsâ fundatione duxisse originem, aut per tacitam prælatorum tolerantiam fuisse à pontificibus confirmata.

17. Superest ut dicamus quomodò clerici vel canonici unius chori se gerere debeant, quando versus in alio choro cantatur. Potest enim inprimis interrogari, an teneantur hi de quibus agimus, submissâ voce dicere, versus quos alii canunt : ita enim nonnulli facere solent, vel quia ignoranter scrupulosi sunt, putantes se non satisfacere, nisi omnia dicant; vel quia sunt negligentes et tepidi et nolunt esse attenti quamdiù durat cantus alterius versûs, et ideò breviter illum proferunt, ut in reliquo tempore loqui vel otiosa cogitare possint, sine gravi peccato. Et ad utrosque deterrendos audivi doctum virum aliquando docentem, hos non satisfacere obligationi recitandi horas canonicas illo modo recitando, scilicet unum versum recitando, et alium cantando, quia neutro modo integrè recitant, et ex modis adeò diversis non potest componi una integra recitatio. Et posset hic applicari ratio Cajetani, quòd tunc ille non communicat cum aliis in eo versu, et ita non videtur saltem choro satisfacere, etiamsi recitet. Sed hæc per exaggerationem dicta videntur.

18. Dicendum ergo est primò non teneri clericos unius chori, dùm alius chorus cantat, quidpiam loqui, sed audire, et quasi per alios canere. Hoc est certissimum, quia hæc fuit intentio Ecclesiæ, cùm hunc morem introduxit; et quia hic est mos omnium prudentium ac timoratorum; et quia hæc est propria antiphona, seu alternatus cantus. Addo minimè expedire, dùm alii cantant obmurmurando recitare, imò non rectè id fieri, et sæpè fortassè non sine aliquâ culpâ veniali, nisi excuset ignorantia et bona intentio. Probatur, quia inprimis hoc est magis conforme huic institutioni, nam per se ordinatur ad hoc, ut quidam cantent, alii attendant, ut sic omnia ordinatè fiant; ergo non expedit hunc ordinem immutare. Item id non fit sine aliquâ perturbatione sic orantis et circumstantium; orantis quidem, quia nec commodè potest secretè recitare, dùm alii cantant, nec potest attendere ad ea quæ cantantur; et sic nihil perfectè facit circumstantium verò, quia vel distrahuntur verbis et murmure orantis, vel commoventur aliquo modo contra illum vel tædio afficiuntur, vel interdùm exemplo illius ducuntur, et sic chori quies et silentium perturbatur. Ergo ex hoc capite potest hoc sæpè esse veniale peccatum levis cujusdam scandali et perturbationis. Et ideò antiqui Patres valdè commendant quietem et silentium in choro, ne quidam alios perturbent, vel distrahant à divinâ contemplatione vel meditatione. Unde Cassianus, lib. 2, c. 10, de antiquis Monachis sic refert : *Cùm celebraturi conveniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, ut cùm in unum tam innumerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitùs adesse credatur.* Et Joann. XXII Extravag. unicâ. de Vitâ et Honest. cler. inter communes : *Docta,* inquit, *sanctorum Patrum decrevit auctoritas, ut in divinæ laudis officiis, quæ debitæ servitutis obsequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, sermo non esset, et modesta psallentium gravitas placida modulatione decantet.* Hinc Navarrus de Orat. cap. 15. n. 5, et sequentibus, simpliciter dicit esse peccatum recitare in choro, dùm alii cantant, propter perturbationem et occasionem distractionis, quæ aliis præbetur. Quod ibi latissimè prosequitur innumera in hoc multiplicando genera peccatorum, quæ sunt cum grano salis sumenda. Ita ut inprimis de venialibus tantùm intelligantur ex genere suo, quia ferè omnes illæ sunt circumstantiæ leves; deinde ut cum moderatione accipiantur, quando videlicet, recitatio non fit ex aliquâ causâ vel necessi-

tate, et cum prudenti circumspectione, ut aliis offendiculum vel occasio distractionis non præbeatur, quod sæpè ita fieri potest, ut omnis culpa etiam venialis evitetur.

19. Unde addendum est, eum qui submissè recitat versum qui in alio choro cantatur, sufficienter implere præceptum recitandi horas et inserviendi choro per se loquendo, etsi bonâ fide, intentione et modo id faciat, posset nihil peccare. Prima pars est certissima, quia ille totum officium vocaliter et per se orat. Quòd autem quosdam versus oret cantando, alios recitando, est impertinens, quia uterque modus sufficit ad implendum præceptum, et quòd sit mixtus nullâ lege prohibitum est, nec repugnat compositioni mortali seu artificiali; nam etiam in missâ, et officio canonico quænam dicuntur altâ voce, alia secretò. Secunda pars probatur, quia per illam brevem ac privatam prolationem versûs, orans non impeditur quominùs communicet cum canentibus versus, et per illos canere censeatur. Dixi autem, *per se loquendo*, quia oportet ut sit attentus, sicut statim declarabo; per recitationem autem non impeditur attentio ad Deum, ut constat, et illa satis est. Tertia item pars facilis est, quia illa actio non est per se mala, nec impedit attentionem ad orationem communem sufficientem, et fieri potest ut dixi, cum circumspectione, ut aliis non sit onerosa, nec occasio scandali, nec etiam est aliquo jure prohibita; non est ergo tam severè damnanda.

20. Solùm oportet explicare an teneantur clerici unius chori, dùm cantatur versus in alio choro, attentionem sufficientem servare, sive interim omninò sileant, sive aliquid recitent; vel possint recitare versus privatim, et postea voluntariè distrahi. Et omissis rationibus dubitandi, quæ hinc inde fieri possent, assero teneri ad servendam attentionem toto eo tempore. Suppono enim ad hoc officium implendum, necessariam esse attentionem, ut infra dicemus: eamdem ergo assero esse necessariam, dùm alius chorus cantat quæ necessaria est in canentibus, dùm proprius cantat chorus. Et eâdem ratione dico, si qui sunt præbendati, qui ex consuetudine satisfaciunt choro per præsentiam, licèt nihil cantent, teneri saltem ad attendendum et audiendum more orantium. Dico autem hoc esse necessarium ad vitandam culpam et satisfaciendum muneri quo ad chorum astricti sunt; an verò sit necessarium ad faciendum fructus suos, infra tractando de attentione dicemus; nam eamdem habet difficultatem. Ratio ergo hujus obligationis est, quia ex vi hujus præcepti, obligantur hæ personæ ad recitandum publicè, et in choro totum officium canonicum integrè aliquo modo, id est, sive totum dicendo, sive totum audiendo, sive partim dicendo, partim audiendo, prout ex officio unicuique incumbit, sed qui non est attentus, eo ipso non concurrit ullo modo ad partem illam, ad quam non attendit, ergo illam omittit, et consequenter non satisfacit integrè muneri suo. Neque satisfacit, eam partem privatam dicendo, quia tenetur satisfacere non tantùm orationi privatæ, sed etiam publicæ totius chori, et totam debet facere suam; hoc autem non facit, quando soli privatæ recitationi attentus est, et postea vagatur. Confirmatur ac declaratur; nam is qui non recitat privatim versu alterius chori, sed audit illos, tenetur attendere quamdiù dicuntur; ergo etiam alter qui privatim dicit, debet reliquo tempore attendere, quia non debet libertatem evagandi acquirere ex privatâ recitatione, quæ vel non licet, vel saltem non expedit, neque alius debet plùs gravari, quia meliùs se gerit; estque hæc occasio abutendi recitatione privatâ ad comparandam illam libertatem. Denique, qui solemnem missam audit in die festo, non potest sine aliquâ culpâ recitare breviter symbolum, dùm cantatur, et postea liberè vagari, sed licèt suam recitationem finiat, tenetur attendere, dùm symbolium canitur; et idem de Evangelio, et aliis partibus missæ, idem ergo in præsenti dicendum, nam est similis obligatio. Et hactenùs de alternâ psalmodiâ.

21. Ex his verò quæ de Psalmis diximus, facilè intelligitur, quid de cæteris omnibus partibus divini officii dicendum sit. Nam pro regulâ habendum est ut ecclesiasticus ritus, et consuetudo servetur; nam illud et sufficit ad implendum præceptum, ut per se constat, et ordinariè, vel est necessarium vel magis expediens, quia est magis consentaneum regulis orandi ab Ecclesiâ præscriptis. Itaque extra Psalmos quædam dici solent ab uno tantùm, ut lectiones, initia antiphonarum, vel Psalmorum, oratio, seu collecta, capitula, et siquid aliud est hujusmodi. Et in his satis est dicentem seu canentem audire, neque oportet, aut expedit illa privatim legere saltem voce, sicut de Psalmis dictum est. Si quis autem velit ut meliùs percipiat, attendendo habere præsentem librum, dùm lectio cantatur, non est malum, si absque aliorum incommodo vel perturbatione fieri possit, quamvis omnem singularitatem in choro vitare melius sit. Aliqua verò cantatur à duobus ut aliqui versiculi, alia à tribus, vel pluribus, ut responsoria aliqua, et interdùm aliqui Psalmi ad organum, et in his omnibus regula posita locum habet, quòd audiendo fit satis, et quòd magis expedit. Quædam autem dicuntur à toto choro simul, ut antiphonæ in fine Psalmorum, et responsiones ad versiculos, et similia. Et in his cantare debent omnes qui ad cantum obligati sunt, quia illo modo, et non alio integrè implent officium suum. Si contingat verò aliquid horum omitti ab aliquo, vel casu præteriti, non est scrupulosè agendum, nec oportet eum esse sollicitum de illâ parte repetendâ, quia et materia levis est, et sæpè potest sine culpâ omitti per justam occasionem, etiam valdè levem, et licèt fuerit aliqua levis culpa, non emendatur per illam repetitionem, sed potiùs impediuntur sequentia, quod latè admonet Navarrus dicto cap. 15. Denique aliqua dicuntur ab omnibus secretò, ut *Pater*, et *Ave*, in principio et fine, et interdùm Symbolum, vel confessio, et hæc à nullo omittenda sunt, ut constat.

CAPUT XIII.

De culpâ quæ omittendo, vel mutilando divinum officium in choro, vel aliquid illi addendo committitur.

1. Supponimus, sermonem esse de Ecclesiis in

quibus est obligatio ad officium canonicum in choro dicendum ; nam ubi nulla fuerit talis obligatio, constat non esse locum huic quæstioni propositæ, et ubi fuerit ad unam vel aliam horam, ut ad vesperas, vel quid simile, cum proportione poterit resolutio applicari. Primò ergo dicendum est privare Ecclesiam omnibus horis Canonicis per integrum diem naturalem, peccatum esse mortale. Hoc necessariò sequitur ex præcepto et obligatione quam supponimus, quia præceptum est grave, et materia unius diei est satis gravis, ut à fortiori constabit ex dicendis infra de recitatione privatâ. An verò hoc peccatum sit unum vel septem pro numero horarum, eodem modo resolvendum est, sicut dicemus de privatâ recitatione. Quòd si quis interroget, cui tunc sit imputandum tale peccatum, respondeo, primò ac præcipuè illi cui cura Ecclesiæ incumbit ; nam ad illum ex officio pertinet curare ut in choro horæ dicantur, cap. 1 de Celebrat. missar. Cum eo verò peccant qui tali omissioni causam dederunt, vel ad illam cooperantur ; illi verò, per quos non stat, quia soli non possunt dicere, nec sunt in causâ, ut alii suo muneri desint, non peccant, si alioqui privatim recitent, quatenùs obligari poterunt, juxta inferiùs tractanda.

2. Dico secundò : Omittere quamcumque horam divini officii in choro, id est, in toto officio publico, ita ut simpliciter non dicatur, gravis transgressio est, nec prælatus particularis potest in hoc dispensare, nisi ubi tam gravis necessitas urget, ut prudenter judicetur præceptum non obligare in tali causâ. Prior pars colligitur ex sententiâ communiori doctorum, qui censent omissionem unius horæ, etiam in recitatione privatâ, esse materiam gravem peccati mortalis ; ergo à fortiori illam relinquere in choro, ubi est obligatio dicendi publicè totum officium, gravior materia peccati erit, tum quia etiam ipsa materialis seu corporalis actio est gravior et magis laboriosa, tum maximè quia respectu Dei est gravior cultus, et respectu Ecclesiæ gravius detrimentum, et suo modo contra commune bonum. Et hæc ratio probat idem dicendum esse de parte notabili uniuscujusque horæ. Nam illa quæ fuerit gravis pars respectu omissionis privatæ, erit à fortiori respectu omissionis ejusdem partis in choro. Solet autem judicari pars gravis cujuslibet horæ, tertia pars ejus, ut infra videbimus. Ergo verò in præsenti censeo minorem posse sufficere in choro, quia, ut dixi, totum ipsum officium gravius est.

3. Addo etiam gravitatem partis omissæ non esse pensandam ex quantitate, ut ita dicam, proportionali, seu respectivâ, id est, quòd sit tertia, vel quarta, vel alia similis pars aliquota horæ, sed ex quantitate, dignitate, vel gravitate suâ absoluta, quia semper magis hinc pendet gravitas culpæ. Sicut in missâ gravius est omittere verbum unum in Canone, quàm orationem integram extra illum. Et ita existimo in hâc mutilatione alicujus horæ, quoad publicam recitationem in choro, inprimis considerandam esse publicam deformitatem, ut sic dicam, quæ inde nascitur, ut si inchoetur hora sine illo initio : *Deus, indjutorium meum intende*, vel quid simile, statim generabit publicam admirationem et deformitatem ; si autem tres vel quatuor versus Psalmi transiliantur, non est tam publicus defectus. Similiter *Magnificat* in vesperis omittere gravior erit defectus quàm omittere alium Psalmum etiam majorem. Itaque primùm consideranda est dignitas vel singularis necessitas partis omissæ ; deinde etiam absoluta quantitas ejus consideranda est : nam certè integer Psalmus videtur sufficiens quantitas pro publico officio, si voluntariè omittatur : nam quando hi defectus ex inadvertentiâ contingunt, non facilè sunt judicandi peccata mortalia, nisi sit nimiùm negligens, crassa et supina, neque de hoc possunt certius aliquid dicere.

4. Hæc autem omnia procedunt de omissione, vel mutilatione quæ simpliciter fit in officio chori, ut publicè est à toto choro, quod, ut tale est, non potest recompensari per privatam recitationem. Contingit autem ut, licèt horæ dicantur integrè, non dicantur vel audiantur integrè à singulis qui tenentur ex officio et ratione beneficii vel stipendii canere vel adesse choro, quia vel non adsunt, vel tardè veniunt, vel citò discedunt priusquàm hora finiatur, vel egrediuntur et ingrediuntur dùm dicitur, vel similibus modis partem omittunt. De quibus dubium non est quin peccent per se loquendo, nisi si habeant justam executionem, de quâ infra. Ratio est quia non implent totum quod tenentur ex justitiâ, et religione, ac Ecclesiæ præcepto. Quando verò hoc peccatum mortale sit, dubitari potest. Circa quod considerandum est duobus modis posse aliquem omittere officium vel partem ejus in choro, primò cum intentione supplendi illud postea per recitationem privatam, secundò simpliciter omittendo. Quando hoc posteriori modo fit, constat illam materiam, quæ fuerit gravis in omissione officii in privatâ recitatione, à fortiori fore gravem in his qui ratione beneficii tenentur canere in choro, quia illi præter recitationem omittunt etiam cantum, ad quem peculiariter tenentur ; ergo in eis gravior est culpa ; unde sine dubio minor pars officii ab eis omninò omissa erit sufficiens ad peccandum mortaliter ; quæ autem sit illa, ex dicendis infra de omissione in privatâ recitatione conjectare quis poterit ; nam certa regula dari non potest.

5. Quandò verò pars illa omittitur animo supplendi illam, difficilius est assignare materiam quæ ad peccandum mortaliter sufficiat. Unde Navarrus, cap. 10 de Orat., num. 43, generalem regulam tradit, *omnes et solos illos peccare mortaliter, omittendo aliquam partem divinorum officiorum, qui id agunt per contemptum vel cum notabili scandalo, aut omittunt partem notabilem per negligentiam, absque proposito supplendi, ut debent ;* ergo, qui omittit partem notabilem animo supplendi, non peccat mortaliter ; nam secludimus contemptum et scandalum, quæ sunt per accidens. Et ratio reddi potest, quia ille non omittit partem illam quoad substantiam, sed tantùm quoad modum, qui defectus non videtur tam gravis, maximè quia Ecclesia vel chorus non privatur tunc integritate officii, nec prout dicitur

in choro, nec prout dicitur à tali personâ, sed solùm privatur cooperatione quam posset et deberet adhibere talis persona in publicâ recitatione talis partis officii; hoc autem non videtur esse grave detrimentum, nec sufficiens materia peccati mortalis. In contrarium verò est quia clericus in hoc casu tenetur ex justitiâ cantare in choro ratione stipendii, vel saltem assistere et audire totum officium juxta varias opiniones, vel consuetudines, aut institutiones supra tractatas. Ergo, si notabilem partem sui muneris omittit, graviter peccat. Unde in jure, qui hujusmodi officium omittit in choro, deponi præcipitur, cap. *Clericus*, d. 91, et cap. *Si quis presbyter*, d. 92; neque ibi habetur ratio, an postea dicat privatim officium, necne. Et simile argumentum sumi potest ex cap. *Dolentes* de Celebrat. missar.; et ex Clement. I, eodem titulo.

6. Quocirca non videtur posse dubitari quin hæc omissio vel mutilatio possit esse peccatum mortale, nisi ex levitate materiæ fiat veniale, etiamsi sit cum proposito postea supplendi defectum recitationis, quia ille defectus concurrendi cum choro vel ad chorum nunquàm suppletur, nec suppleri potest per privatam recitationem. Dices : Potest compensari assistendo alio die in choro, in quo non tenetur. Respondeo : Quando est locus huic compensationi, non est illa omissio, sed est commutatio vel potiùs est applicatio privilegii vel facultatis non assistendi in choro tot diebus anni ad hunc diem potiùs quàm ad alium; hìc verò agimus de omissione factâ in tempore nullo modo feriato, seu privilegiato. Illà enim semel admissâ, recompensari non potest, quia illa actio transiit, et suo modo publicè fit, et per recitationem privatam non suppletur defectus publicus.

7. Verùmtamen si hæc absentia à choro pro aliquâ parte horæ non sit tanta ut sit digna privatione distributionis correspondentis illi horæ, certum est non sufficere ad peccatum grave; verbi gratiâ, solet esse statuto vel consuetudine receptum ut qui chorum ingreditur ante finitum primum Psalmum horæ, non mulctetur, etiamsi circa finem illius Psalmi ingrediatur; et habetur in concilio Basiliensi, sess. 21, § 2, et aliquid simile apud Cassianum, lib. 3 de Institut., cap. 7, et in concilio Aquisgranensi, sub Ludovico, cap. 131. Dico ergo illam absentiam non esse peccatum mortale; quod etiam sentit Navarrus, dicto cap. 7, n. 3, tum quia non est verisimile tam facilè fuisse id permittendum, si æstimaretur peccatum mortale, tum etiam quia per se statim apparet non esse illam partem notabilem horæ. Unde si ex legitimâ causâ fiat illa mora, facilè poterit excusari omnis culpa; si verò ex solâ negligentiâ, et quâdam facilitate leviter peccandi fiat, quia impunè potest fieri, erit peccatum veniale. Intelligo tamen hoc considerando particulam illam per se, sine conjunctione cum aliis; nam si quis haberet formale vel virtuale propositum semper omittendi in singulis horis partes illas, quas sine mulctâ omittere potest, certè non videtur securus in conscientiâ, tum quia illud objectum simul sumptum grave est, et cùm servitium choro debitum sit quasi quoddam totum, magna et gravis pars ab illo subtrahitur illo modo; tum etiam quia ille affectus ostendit quemdam servilem animum inserviendi choro solùm timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem quoties sine jacturâ lucri omitti potest, ex deliberato animo omittitur. Oportet ergo bonâ fide procedere animo integrè serviendi, et tunc licèt sæpè ac sæpiùs illæ particulæ horarum omittantur, solùm erunt multiplicata venialia.

8. Hinc verò videtur inferre Navarrus, si omittatur major pars horæ quàm sit illa quæ sine mulctâ omitti potest, jam peccari graviter, sic mutilando chori servitium. Sed illatio non est formalis, quia mulcta non est signum certum peccati mortalis, tum quia etiamsi per modum pœnæ consideretur, non est tam gravis pœna, quin possit propter negligentiam venialem imponi, tum etiam quia cùm distributiones sint veluti proxima stipendia præsentiæ seu servitii horarum, est in potestate designantis stipendium sub hâc vel illâ conditione non iniqua illud designare, etiamsi peccatum mortale non interveniat. Deinde assertio ipsa videtur nimis rigorosa. Et ad summum posset habere locum quando illa major pars omitteretur sine proposito supplendi illam per recitationem privatam; et in hoc etiam sensu est res incerta, et scrupulosa, ut infra dicam; nam qui ingreditur ad matutinum finito Psalmo : *Venite exultemus*, solet perdere distributiones, et tamen difficile creditu est quòd peccet mortaliter qui in privatâ recitatione matutini illam vel æquivalentem partem omittit. Multò autem certius mihi est non peccare mortaliter qui tantùm in servitio chori illam partem omittit, supplendo illam per recitationem privatam, quia non est gravis læsio justitiæ in servitio chori, et debito religionis satisfit per recitationem privatam, et per eamdem satisfit generali debito justitiæ, quod potest considerari respectu Ecclesiæ ratione stipendii cujuscumque beneficii. Imò nec propter absentiam unius horæ integræ à choro, cum suo onere amittendi partem distributionum, videtur statim peccari mortaliter, si aliàs hora illa privatim recitetur. Imò aliqui docti existimant etiam unius diei absentiam non esse rem gravem, quando regulariter servitium chori diligenter ac strenuè fit; nam Graffis, dicto cap. 52, ait semel aut bis deesse in choro, non esse mortale; idemque sentit Silvester statim citandus. Quod certe non videtur improbabile.

9. Ergo verò nolo esse fautor hujus licentiæ, neque in hoc judicium meum interponere; nam difficile profectò est in his rebus moralibus in particulari definitum arbitrium proferre, et ideò consulo ut hæc licentia non facilè vel frequenter sumatur, quia est grave periculum peccandi mortaliter. Quæ culpa non excusatur eò quòd distributiones amittantur, quia non excusatur culpa ratione pœnæ, et quia Ecclesia privatur servitio sibi debito ratione talis beneficii. Et ideò rectè dixit Silvester, verb. *Hora*, q. 2, d. 4, cum Innocent., Host. et aliis, beneficiatum, qui officium dicit in camerâ, omissâ ecclesiâ, non satisfacere debito suo. Et in quæst. 10 declarat esse hoc peccatum mortale in duplici casu :

primus est si ex consuetudine fiat, in quo judicat etiam unius diei absentiam non esse per se et solam peccatum mortale. Secundus, si Ecclesia magnam jacturam inde patiatur; nam hinc materia levis poterit gravis fieri; ideòque cavendum maximè est hoc detrimentum, ut si hâc occasione multi absint à choro, vel si præbendati pauci sint, et uno vel altero deficiente non possit officium pro dignitate cantari, vel si ex his absentiis, et tardo ingressu in chorum perturbationes aut scandala oriri soleant, nam ex iis et aliis circumstantiis potest multùm aggravari culpa. Unde in Clement. I, de Celebrat. missar., inter alia quæ graviter reprehenduntur, sunt : *Tardè ad chorum venire, vel ab ecclesiâ ante finitum officium sine legitimâ causâ discedere.* Cavendum denique est ne quis fingat legitimam excusationem à choro, quem reverà non habet, solùm ut mulctas evitet, quia tunc contra justitiam distributiones accipit, et inde aggravatur culpa pro materiæ quantitate, cum obligatione restituendi illas.

10. Tandem ex dictis colligitur omnem modum canendi horas in choro cum aliquâ mutilatione versuum aut verborum, de se peccaminosam esse, et licèt ordinariè tantùm videatur in illo intervenire culpa venialis, interdùm posse esse mortalem, si nimia sit verborum mutilatio. Hæc assertio colligitur ex cap. *Dolentes*, de celebr. missar.; ubi reprehenduntur graviter Clerici qui priùs confabulationibus et somno diditi, postea recitant, *transcurrendo undique continuatâ syncopâ matutinam;* et subditur in fine : *Hæc, et similia sub pœnâ suspensionis penitùs inhibemus, districtè præcipientes*, etc.; similiter in Clement. I, eodem tit., ponuntur illa duo verba *Transcurrendo, syncopando*, et postea subjungitur prohibitio; ex his ergo evidens est prima pars proposita : nam omnis mutilatio verborum aut versuum, syncopa dici potest; at hæc prohibetur expressè in dictis locis; ergo omnis talis mutilatio est prohibita, ac subinde peccaminosa. Præterea etiam seclusâ hâc speciali prohibitione ex naturâ rei hoc sequitur : nam qui debet totam aliquam quantitatem, non satisfacit dando partem, et quamcumque subtrahat, invito creditore, peccat; sed clericus tenetur in choro dicere integrum officium; ergo quæcumque mutilatio talis officii peccaminosa est de se, id est, si sit voluntaria, et per inadvertentiam vel aliam justam causam non sufficienter excusetur. Secunda item pars facilè suadetur, quia ordinariè talis mutilatio non est continua in aliquâ notabili parte officii, sed in uno vel alio verbo, et ita ordinariè est materia levis, et peccatum consequenter est veniale. Nihilominùs timenda est interdùm gravis culpa, ut in tertiâ parte asseruimus cum Navarro, cap. 10 de Orat., n. 9 et sequentibus. *Nam interdùm*, inquit, *qui cantant, aut recitant, omittunt tantam partem versuum psalmorum, vel deglutiendo, vel corrumpendo et syncopando verba, syllabas vel litteras, ut ex ita omissis fieret pars notabilis horæ.* Tunc ergo erit peccatum grave contra integritatem officii in parte notabili. Et certè in dicto, cap. *Dolentes*, et dictâ Clement. I, verba tam gravia et acerba sunt, ut satis indicent defectum illum interdùm esse graviter culpabilem.

11. Circa hunc verò defectum considerandum est graviorem culpam esse cùm fit à toto choro quàm cùm fit ab uno vel altero tantùm; nam ut fiat priori modo, necesse est ut omnes vel ferè omnes canentes in choro, illo modo cantent, et publicum ac scandalosum peccatorum committant, et irreparabilem mutilationem, quoniam in choro non potest convenienter repeti publicè quod semel cantatum est, licèt malè fuerit pronuntiatum. Participat autem illam culpam præcipuè qui cantum gubernat, et qui choro præest, et suo etiam in gradu, qui cooperantur vel non obsistunt convenienti modo canendo, si possunt; si autem non possunt, excusabuntur à privatâ culpâ, quamvis illa publica actio, ut est ab illo corpore mystico, mala sit. Unde si quis hunc committat defectum, quando solus nomine totius chori canit, dicendo lectionem vel orationem, turpior est defectus, cùm sit in oratione publicâ ut talis est : atverò, quando canendo cum aliis, aliquis privatim ex suâ negligentiâ defectum hujusmodi committit, et quasi solitarius peccat, poterit ordinariè excusari à culpâ mortali, si totum chorum non perturbat, vel occasionem præbet introducendi pravam consuetudinem in toto choro; nam hoc scandalum grave est, et potest multùm augere culpam. Tamen hic defectus in mutilatione vel corruptione verborum officii divini suppleri potest à privatâ personâ, iterùm recitando Psalmos illos. An verò ad id teneatur, dicemus infra tractando de privatâ recitatione.

12. Ad hunc denique defectum reducuntur alii qui in modo pronuntiandi divinum officium committi solent, qualis est nimia celeritas in percurrendo versus Psalmorum, vel dictiones; nam hæc moraliter non fit sine syncopâ vel corruptione aliquâ verborum; et ideò concil. Basil., sess. 21, § 2, ait dicendum esse officium in choro, *prolatione non præcipiti, sed distinctâ*, et infra, *non cursim ac festinanter.* Potest verò interdùm esse nimia velocitas, etiamsi nihil ex verbis omittatur vel corrumpatur, quando impedit ne audientes possint verba percipere et sensum; nam id est contra fructum per cantum intentum. Item sæpè impedit attentionem non solùm audientium, sed etiam orantium. Denique interdùm celeritas, licèt non sit nimia absolutè, potest esse nimia respectivè; nam in solemnioribus festis major pauca in canendo adhibenda est, ut concil. Basil. supra monet. In his ergo omnibus facilè venialiter peccatur; rarò autem mortaliter, nisi vel contemptus, aut grave scandalum, aut notabilis deformatio verborum in toto cantu fiat.

13. Hìc verò ulteriùs exquiri potest an omittere in choro officium parvum beatæ Mariæ, vel officium de functorum, vel Psalmos graduales vel pœnitentiales in illis diebus in quibus secundùm rubricas Breviarii dicenda sunt, sit mutilatio divini officii, vel gravis culpa? Respondeo breviter propriè non esse mutilationem canonici officii, quod in septem horis canonicis dici naturalis consistit; illæ autem non sunt partes,

sed sunt quasi appendices vel adjectiones ad illud officium. Deinde dicendum est hodiè non esse culpam illa omittere in choro, nisi juxta modum præscriptum in Bullâ Pii V, circa suum Breviarium; in quâ obligatio dicendi hæc officia etiam in choro simpliciter tollitur, et sub consilio relinquitur, ut infra, circa recitationem privatam, latiùs dicemus. Additur verò exceptio pro solo officio beatæ Virginis, et pro illis tantùm Ecclesiis in quibus antea ex consuetudine dicebatur; nam illam consuetudinem abrogare noluit Pontifex, sed in eâ vi illam relinquere quam habebat. Itaque in illis Ecclesiis ubi erat antea talis consuetudo, quæ vim legis haberet, erit etiam nunc culpa illud omittere, et sine dubio erit gravis, si totùm omittatur, vel pars notabilis cum proportione ad ea quæ de officio canonico diximus; in aliis verò Ecclesiis, ubi ex tali consuetudine non erat obligatio, non erit culpa illud non dicere. De aliis autem precibus nulla fit exceptio, et ita, etiamsi antea fuisset consuetudo dicendi Psalmos graduales vel pœnitentiales, nunc abrogata est, et ablata obligatio, et consequenter etiam culpa seu fundamentum ejus.

14. Hæc autem gratia seu abrogatio obligationis, illis tantùm Ecclesiis conceditur, quæ illo Breviario Romano utuntur; non verò illis quæ antiquum suum ritum retinent, juxta permissionem ejusdem Pii V; num illis nulla remissio fit. Quod patet primò ex verbis constitutionis, in illâ clausulâ in quâ hæc remissio fit, quæ ita incipit: *Quod verò in rubricis hujus nostri officii præscribitur, quibus diebus officium beatæ Virginis*, etc., *dici ac psalli oporteat, nos*, etc., *peccati periculum ab eâ præscriptione removendum duximus.* Ergo tantùm à rubricis sui Breviarii illam vim obligandi aufert, et solùm quoad utentes illis revocat obligationem etiam per antiquas consuetudines introductam quoad alias preces seu officia parva, excepto officio beatæ Virginis; ergo Ecclesiæ quæ non gubernantur per rubricas hujus Breviarii, non possunt hâc remissione uti. Secundò, est hoc consentaneum rationi, quia qui non suscipit onus, nec indulgentiam sentire debet, et Ecclesiæ quæ antiquum usum retinere volunt, meritò integram suam consuetudinem et ritum observare coguntur. In illis ergo ecclesiis quæ Breviario Romano novo non utuntur, consulenda est consuetudo vel formula recitandi, aut specialia statuta; nam ex his pendet hæc obligatio; universalis enim non est nec fuit unquàm; et cum proportione ad obligationem, erit judicium de culpâ. Vide Navarrum, cap. 10 de Orat., num. 3 et 4, ubi alios refert, et communiter summistas, v. *Hora.*

15. Tandem inquiri hìc potest an per contrarium extremum peccari possit, addendo in choro vel cantu aliquid divino officio, quod in illo secundùm Ecclesiæ ritum non continetur. Potest autem hæc additio variis modis fieri vel intelligi: primò addendo aliquid quod sit veluti pars ipsius officii quasi perpetuo ritu hoc statuendo. Et talis additio directè est prohibita in brevi Pii V, ubi sic dicitur: *Statuentes Breviarium ipsum nullo unquàm tempore, vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum esse.* Talis ergo additio ex suo genere grave peccatum esset tum contra hoc præceptum, tum quia esset usurpata jurisdictio; nemo enim talem ritum introducere vel mutare valet, nisi Pontifex, et quamvis additio non esset in parte aliquâ magni momenti, eo ipso quòd fieret, modo permanente, et veluti ritu perpetuo esset res gravis censenda. Alio verò modo potest fieri hæc additio; etiam per modum partis alicujus horæ, non ad mutandum ritum simpliciter, sed solùm in aliquâ occasione ex aliquâ devotione indiscretâ, ut si quis vellet in choro fieri commemorationem alicujus sancti in solemni die, quando juxta ritum Breviarii facienda non esset. Aut si proprias antiphonas vel hymnos alicujus sancti cantari faceret, qui in Breviario non continentur, vel aliquid simile. Et hoc etiam sine dubio esset malum et peccatum, nisi ignorantia excusaret. Secluso autem scandalo et contemptu excusari posset à mortali, quando id quod adjungitur sanctum esset, et ex Scripturâ vel Patribus sumptum, aut illis conforme, et esset in re minimâ; si autem materia esset alicujus momenti, peccatum esset grave, præsertim si talis additio fieret cum omissione aliquâ, ut si omissis lectionibus quas breviarium dicere præcipit, aliæ loco illorum proprio arbitrio substituerentur; nam tunc ex duplici capite peccaretur, quia illa esset partialis omissio seu mutilatio, et simul esset monstrosa additio, quia id quod loco alterius additur, non potest esse pars officii, cùm ex auctoritate non fiat; nam illa compositio pendet ex institutione, et institutio ex potestate. Et consequenter non potest supplere partem omissam, cùm non sit pars, nec ad officium ecclesiasticum, quod nomine Ecclesiæ dicendum est, pertineat. Atverò quando nihil omitteretur, sed tantùm adderetur aliquid, esset culpa tantùm ex uno capite, et ideò minor, tamen etiam poterit esse gravis modo prædicto.

16. Tertio autem modo potest aliquid addi in divino officio, ad illud non pertinens, non formaliter, ut sic dicam, seu per modum partis, sed concomitanter, et quasi adjacenter ad majorem solemnitatem. Et sic solent in aliquibus festis et Ecclesiis inter Psalmum et Psalmum aliquid extra officium cantari ad organum vel aliud instrumentum musicum, quod interdùm est aliunde sumptum ex eodem Breviario, interdùm ex Scripturâ, aliquando est ab aliquo eruditè compositum, et nonnunquàm est in linguâ vulgari, quod *motetum* vocant. Hunc ergo usum aliqui absolutè improbant, ut Paludanus, 4, d. 15, quæst. 5, art. 2, ubi specialiter loquitur contra eos *qui canunt motetos in festis; quia cantus*, ait, *non debet esse tragedicus*; cap. *Cantantes*, 92 d. *Ne audientes ad lasciviam potiùs quàm ad devotionem excitentur, quod est contra finem orationis.* Verùmtamen hæc ratio habet locum tantùm quando cantus, vel lascivus est, vel omninò profanus, cujusmodi esse solent *theatrales moduli et cantica*, de quibus loquitur dictum cap. *Cantantes.* Potest enim duobus modis talis canticus esse indecens in Ecclesiâ, scilicet, vel ratione materiæ, quia est res profana, vel

ratione soni, quia est lascivus vel valdè secularis; et in priori modo ferè semper committitur peccatum mortale, quia est magna irreverentia. In posteriori autem potest esse venialis culpa, vel ratione minimæ materiæ, vel ex bonâ intentione et inadvertentiâ, ut Cajetanus dixit, 2-2, quæst. 91. Atverò si ea quæ cantantur extra officium ecclesiasticum ob devotionem et solemnitatem ejus pia sint, et cantus sit gravis et provocans ad devotionem, nullum peccatum erit illa intermiscere partibus officii. Et hoc probat consuetudo multarum Ecclesiarum, quæ per pios, et prudentes, ac doctos prælatos et viros gubernantur et administrantur. Et ratio est quia hoc nullibi invenitur prohibitum, nec est per se malum, nec alienum à consuetudine Ecclesiæ primitivæ, quando singuli fideles proprios hymnos à se compositos in Ecclesiâ cantare solebant. Nec interruptio illa vel mora quæ tunc fit inter partes alicujus horæ, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione quæ per cantum illum excitari intenditur; et ita cantus ille potest censeri, veluti dispositio ad sequentia, et solemnis ac congrua terminatio præcedentium et ornatûs totius horæ.

17. Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum interniscendi in divinis officiis sonum organorum sine ullo cantu, solùm cum suavitate musicæ instrumentorum, ut fit interdùm in missâ solemni vel in horis canonicis inter Psalmos, quia tunc ille sonus non est pars officii, et fit ad solemnitatem et reverentiam ipsius officii, et ad levandos animos fidelium, ut faciliùs ad devotionem assurgant seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet ut sonus ipse gravis sit et aptus ad excitandam devotionem, et non alia phantasmata et motus indignos illo loco et officio, ut graviter et benè Cajetanus docet loco citato; accuratè distinguens quando hoc sit peccatum mortale, quando veniale, ut in eo videri potest: nam si fiat ex intentione excitandi impuram vel vanam delectationem, est peccatum mortale ex suo genere, vixque excusari posset ab illâ gravitate, nisi per ignorantiam, aut ex levitate materiæ, quando non est impura, sed vana, et non intenditur formaliter tanquàm cultus Dei, sed admiscetur ad delectandos audientes vano illo modo. Si autem fiat bonâ intentione provocandi ad devotionem, imprudenter utendo illo medio provocante ad alia indecentia vel vana, ex usu vel accommodatione talis soni, tunc ordinariè erit peccatum veniale. Quod limitandum censeo, nisi tantus sit usus illius soni, et accommodatio ad materiam lascivam, ut moraliter non possit ignorari, nec excusari

CAPUT XIV.

De attentione ac devotione servandâ in choro, et circumstantiis externis quæ ad illam pertinent.

1. Diximus in superiori libro attentionem esse de ratione orationis vocalis, unde necessariò fit, ut qui ex præcepto recitare vocaliter tenetur, etiam ad attendendum aliquo modo teneatur. Habet autem dubitationem, an tanta, et tam gravis sit obligatio ad attendendum, sicut ad voce proferendam orationem, quam dubitationem infra de recitatione privatâ horarum tractabimus; nunc autem supponimus, saltem attentionem illam quæ necessaria est ad substantiam et esse, ut sic dicam, orationis, cadere sub idem præceptum recitandi horas canonicas, et sub eâdem obligatione reatûs mortalis. Hic ergò specialiter de attentione in choro adhibendâ, explicandum est præceptum latum in cap. *Dolentes*, de Celebr. missar. his verbis: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, et diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter ac devotè.* Propter quæ verba quidam dixerunt, hic tradi duo præcepta distincta: unum de actu exteriori integrè et sine defectu recitandi, quod significatur per particulam *studiosè*, aliud de attentione adhibendâ, quod significatur per particulam, *devotè*. Ita insinuat ibi Gloss. dicens: *Studiosè, quoad officium oris, devotè quoad officium cordis*, licèt illa Glossa in antiquis codicibus non habeatur, ut in codice Gregoriano notatur. Non declaratur autem in illâ Glossâ, qualia sint illa præcepta, nec quantùm obligent; et ita in hoc sunt duæ opiniones. Unde Hostiensis ibi, qui habet eadem verba quæ Glossa. Ipse autem non putat illa verba continere præceptum, sed consilium. Quod colligit ex illis verbis: *Quantùm Deus eis dederit*, eumque sequuntur Antonius et alii.

2. Alii verò dicunt esse duo præcepta, et utrumque obligare ad mortale, et in hoc magis inclinat Panormitanus ibi; sentit enim utrumque esse in præcepto simpliciter, nam relatis opinionibus concludit, quantitatem reatûs esse juxta modum contemptûs, vel negligentiæ, pro hâc opinione citat Sylvester supplementum. Et possunt citari auctores qui tenent esse peccatum mortale dicere horas sine attentione, saltem virtuali, sed illa opinio non arctatur ad hanc expositionem hujus textûs, ut infra dicam.

3. Tertia nihilominùs expositio est, ut illa verba contineant rigorosum præceptum, non tamen de interiori actu: duos enim defectus priùs retulerat circa orationem chori; unus erat, recitare syncopando, et transcurrendo; alius miscere confabulationes in choro, et ad illas auditum applicare: contra primum ergo præcipit *studiosè* orare, id est, integrè et sine defectu; contra secundum autem *devotè*, id est, nullum externum impedimentum attentioni contrarium opponendo Et obligatio ad hæc duo, est ex genere suo sub mortali, licèt ex levitate materiæ possit esse levis. Unde ibi non præcipitur denuò recitatio septem horarum: antiquius enim erat hoc præceptum, ut ibi notat Glossa, sed præcipitur modus, quoad hæc exteriora. Et hunc sensum indicat Glossa in Clem. 1, de Celebr. mis. verbo *Fructus labiorum*, Silvester verbo *Hora*, q. 11, et alii. Quarta opinio est, ibi esse unum præceptum præcipiens simul non solùm actum et modum externum, sed etiam internum, quàm optimè explicat Cajetanus in Summâ verbo *Horæ*, 3, et sequuntur Sotus, Navarrus, et alii communiter.

4. Ergo inprimis existimo in illis verbis ferri rigorosum præceptum, et omninò proprium, ut patet ex illis verbis : *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ.* Hæc enim sunt potissima verba, quibus explicari solet, et potest proprium et rigorosum præceptum; verba autem illa, ut ex contextu litteræ constat, cadunt in totum id quod subjicitur, *ut divinum officium*, etc., per quod non præcipitur divinum officium celebrari, sed *studiosè celebrari pariter*, etc. Ergo totum hoc cadit sub proprium præceptum. Et confirmatur quia aliàs lex illa sine fructu retulisset illa vitia solita in recitatione committi, et subdidisset postea illa verba : *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ*, etc., si per hæc verba tantùm præciperet dicere divinum officium, et non modum dicendi studiosè et devotè, saltem quatenùs illis vitiis contrarius est, vel, quod idem est, prohibendo illos defectus, quatenùs huic modo contrarii sunt; neque obstant verba illa, quantùm eis Deus dederit. Quia non sunt ad enervandum vel tollendum præceptum, sed ad limitandam, vel declarandam materiam ejus. Declaratur enim per illa verba non præcipi hìc devotionem aliquam peculiarem, quam conferre est etiam specialis Dei auxilii, sed solùm illam, quam homo potest, et debet præstare, se ad orandum voluntariè applicando cum attentione, et nullum impedimentum debitæ attentioni voluntariè apponendo.

5. Secundò assero, in illo decreto non duo, sed unicum tantùm præceptum contineri, licèt in eo explicentur duæ conditiones necessariæ ad complementum hujus præcepti, quæ sunt integritas orationis et attentio, quarum prior commendatur per particulam, *studiosè*, posterior per particulam, *devotè*, ut rectè tertia opinio declaravit, et supponunt Soto, lib. 10, de Just., quæst. 5, artic. 5 et 6. Navarrus, cap. 13, de Orat. et alii infra referendi. Declaratur autem in hunc modum, quia in illo textu duæ inveniuntur clausulæ continentes præceptum. Una est : *Hæc igitur et similia sub pœnâ suspensionis penitus inhibemus.* Alia est, quæ proximè sequitur : *Districtæ præcipientes*, etc. Hæc ergo videri possunt præcepta distincta, quia unum est negativum et aliud affirmativum, quæ magna est distinctio, et unum habet pœnam adjunctam suspensionis ferendæ, non latæ, aliud nullam continet pœnam. Nihilominùs tamen, ut opinor, non traduntur ibi illa duo, ut omninò condistincta præcepta, sed ut ita inter se colligata, ut unum in alio virtute contineatur, quatenùs ad officium canonicum spectant (nam quòd ibi in secundâ clausulâ textûs agitur, de celebratione missarum quater in anno, id præsens non spectat, nec de illo præcepto quoad illam partem loquimur, sed quoad recitationem officii), et sic dicimus prohibitionem et præceptum in unum coalescere. Nam licèt affirmatio et negatio formaliter contraria videantur, tamen affirmatio unius continet virtute negationem contrarii, qui enim præcipit amare, satis prohibet odisse. Ita ergo cùm præcipitur studiosa et devota celebratio divini officii, virtute prohibentur contraria; qualia sunt, syncopare verba, quia hoc non est studiosè dicere, item auditum effundere ad indebitos sermones, quia hoc modo non devotè celebrantur divina. Ergo ex hoc capite non oportet distinguere præcepta. Ubi obiter adverte per verba illa : *Hæc et similia inhibemus*, non prohiberi omnia et singula, quæ in priori parte textûs narrata fuerant secundùm se spectata, sed solùm ut opponuntur studiosæ ac devotæ celebrationi officii; nam in primâ clausulâ textûs narratæ fuerant pravæ consuetudines consumendi magnam partem noctis in comessationibus superfluis, et fabulationibus illicitis. Hæc ergo si ita fiant, ut eis non obstantibus, matutinum sine syncopâ et defectu impleatur, erunt secundùm se mala, non tamen ibi specialiter prohibita vel punita, quia solùm ibi hæc commemorantur in ordine ad vitandum defectum in divinorum celebratione. Idem clarius est de applicatione auditûs ad vana colloquia, quia si fiat, quando attentio ad orationem non impeditur, quia tunc non oratur, erit secundùm se malum, non tamen ibi prohibitum. Sic ergo tota illa prohibitio in affirmatione includitur, et propter illam fit, et commissio contraria illi prohibitioni ideò mala est, quia tollit positivum actum vel conditionem ejus per affirmationem præceptam. Ac denique culpa commissa contra utrumque præceptum una est quæ interdùm potest esse sola omissio, interdùm habere commissionem conjunctam.

6. Præterea in quâcumque illarum clausularum possunt duæ partes subdistingui; nam per verbum, *Inhibemus*, prohibetur syncopa et distractio voluntaria; per verbum autem, *districtè præcipimus*, mandatur studiositas, et devotio in orando. Neutro autem ex his modis sunt ibi duo præcepta. Nam si illa duo referentur, ut probabile est, ad externas conditiones actûs orandi; sic solùm prohibent vel mandant diversas circumstantias bonas, vel malas ejusdem actûs orandi. Propter declarationem autem plurium circumstantiarum non variantur, vel multiplicantur præcepta, quando ex omnibus illis unus actus moralis unius bonitatis specificæ consurgit. Nam præceptum restituendi, et integrè restituendi non sunt duo, et prohibitio non consumendi partem aliquam rei restitutioni obnoxiæ, non est novum præceptum, et sic de aliis. Ita verò se habent illæ circumstantiæ orationis horarum canonicarum; nam ibi includitur integritas et attentio, et excluduntur contraria, seu voluntaria impedimenta. Si autem illa duo quæ in affirmativo præcepto maximè continentur ad internum actum cordis, et externum oris referuntur, ut prima et secunda opinio volebant, etiamsi hoc detur, quod tolerari potest, non erunt duo præcepta, sed unum declarans duas etiam circumstantias quas includit unam internam, et alteram externam, quarum prior ad substantiam orationis; alia ad integritatem pertinet. Et sic etiam procedit ratio nuper facta, quia præceptum jubens fieri actum quoad omnia quæ sunt de substantiâ et integritate ejus, non multiplicatur, eò quòd circumstantiam, vel partes talis materiæ declaret. Accedit hìc peculiaris ratio; nam actus interior non

poterat ecclesiasticâ lege per se, et directè præcipi, sed solùm, ut unum actum moraliter componit cum exteriori, ut ex materiâ de Legibus suppono. Ergo etiam ex hoc capite non sunt ibi duo præcepta, sed unum. Unde unum tantùm peccatum committitur, sive sola integritas, sive sola attentio necessaria, sive utraque simul voluntariè omittatur. Sed illud erit magis vel minùs grave juxta materiæ quantitatem et alias circumstantias.

7. Hinc colligo præceptum illud, ut per illud præcipitur modus internus in recitatione horarum servandus, non fuisse ibi de novo latum, sed fuisse tam antiquum, quàm est antiquum præceptum recitandi septem horas canonicas, licèt Cajetanus aliud sensisse videatur. Probatur verò illatio, quia in præcepto orandi includitur intrinsecè ille modus, quia non oratur Deus ore sine corde, ut dicitur cap. *Cantantes*, d. 92; ergo ille modus, antiquo præcepto orandi horas, jussus erat. Sed ex vi cap. *Dolentes*, non obligantur clerici ad novum modum internæ attentionis præter illum qui ad substantiam orationis necessarius est; ergo. Confirmatur, quia tunc oportet esse duo præcepta, et unum directè, et præcisè versari circa illum actum internum denuò præceptum; tamen in utroque verum esse ostendimus. Neque propterea superfluum est illud præceptum, quia explicat magis quid in illo præcepto orationis vocalis contineretur; et fortassè addit naturali legi majorem obligationem, vel aliquid peculiare exteriùs observandum, quod postea videbimus.

8. Dico tertio: Præceptùm hoc, quatenùs internam attentionem præcipit (nam de integritate jam dictum est, quod ad chorum pertinet), etiam ad modum recitandi in choro obligat, unde interdùm cum mortali peccato violari potest. Prima pars ab omnibus recepta est. Nam jus illud præcipuè videtur statutum propter orationem publicam chori; nam in recitationibus privatis, nec sunt tam frequentes ab usus illi qui ibi referuntur, nec sunt tam scandalosi aut cogniti. Item id constat ex illis verbis: *Chori silentium fugientes, intendunt exteriùs collocutionibus laicorum, dùmque aditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina.* Item, verbo *Celebrandi divina*, simpliciter magis dicitur de ratione publicâ in choro ecclesiæ, quàm de privatâ, licèt utrumque modum possit comprehendere. Præterea, in Clem. 1, de Celebr. missar. expressiùs fit mentio de his defectibus in choro, et de psalmodiâ et cantu, et idem præceptum ponitur devotè psallendi, et celebrandi hæc divina officia. Item in cap. *Cantantes*, 92 d. hoc sensu dicitur Deo non ore tantùm, sed corde esse cantandum, quæ non est lex, sed sententia Hieronymi explicans potiùs jus divinum ac naturale, quàm humanum condens.

9. Ut autem aliæ partes explicentur, suppono (quod libro præcedenti dictum est) distractionem naturalem, id est, non liberam nec voluntariam, non reddere orationem peccaminosam (etiamsi præcepta sit) nec impedire veritatem orationis vel impletionem præcepti; tunc ergo peccatur quando attentio voluntariè omittitur; unde ex defectu perfecti voluntarii potest hoc peccatum esse veniale tantùm; nam mortale requirit plenam deliberationem. In quo eadem est ratio de hoc defectu in choro, et extra chorum, et ideò infra hoc distinctiùs tradetur. Rursùs præmitto (quod supra etiam notavi) duobus modis posse beneficiarium residentem in choro voluntariè distrahi; primò, sine animo iterùm recitandi, vel totam horam, vel partem illam in quâ penitùs attentus non est; secundò, cum proposito supplendi defectum per privatam recitationem. In priori modo constat, culpam mortalem committi, si pars omissa notabilis fuerit, quia etiam in oratione privatâ est tale peccatum, ergo magis in publicâ. Unde omnia quæ de hoc puncto infra dicemus de oratione privatâ, ad hanc transgressionem in choro factam, accommodata intelligantur. Solùm adverto non censeri distractum ab oratione chori, qui alicui ministerio ejusdem chori ibidem incumbit; eique convenienter præstando attendit, ideòque ad cantum vel voces pro tunc non advertit. Ille enim suo modo tali orationi cooperatur, et ad Deum pro tunc attendit eo modo quo debet, et ideò ut membrum illius chori cum toto corpore orat, sic audit missam, qui in illâ ministrat, et licèt interdùm ad sacristiam eat, vel aliud simile faciat, non censetur moraliter missam interrumpere. Si verò exiret quis è choro levandi animi gratiâ, etiam ex verâ necessitate, et propterea partem omitteret, si esset notabilis, oporteret illam repetere. Et ita intelligenda censeo, quæ de hoc tractat Navarrus, cap. 10, de Orat., num. 70, et cap. 16, num. 66.

10. In alio verò modo admittendi distractionem voluntariam in choro, cum animo repetendi ea quæ tunc dicuntur, videri potest non peccari mortaliter, etiamsi distractio sit per horam integram, vel per partem notabilem horæ alicujus. Et inprimis hoc paret in his, si qui fortè sunt, qui licèt teneantur adesse in choro, non tenentur cantare, quia illi solâ præsentiâ satisfaciunt illi muneri, et obligationi, ergo licet sint distracti, non peccant specialiter contra obligationem, ad quam ex justitiâ tenentur ratione beneficii, sed ad summum peccabunt venialiter, quia indebito modo ibi assistunt, ergo si habeant propositum iterùm recitandi, et illud postea impleant, omninò excusabuntur à culpâ mortali. Præterea idem videtur, etiamsi cantare teneantur; nam canendo, licèt non cantent attentè, videntur eidem obligationi justitiæ satisfacere, ex quo reliqua consequuntur. Confirmatur, quia cantores mercenarii qui Ecclesiasticum beneficium non habent, sed purum stipendium propter cantum, si sufficienter cantent, etiamsi nullam attentionem habeant, non peccant mortaliter, nec restituere aliquid tenentur, etiamsi postea non recitent, ergo qui ratione beneficii tenentur in choro canere, si ex unâ parte cantent, et assistant in choro integrè, licèt sine attentione, et ex aliâ recitare privatim proponant, et ita faciant, non peccabunt mortaliter, nec tenebuntur restituere, quia per posteriorem orationem satisfaciunt oneri beneficii, ut sic

et per cantum, vel assistentiam publicæ functioni, in quâ æquiparantur stipendiariis, suppositâ recitatione privatâ. Atque hæc pars fiet probabilior juxta opinionem eorum qui dicunt ob solum defectum attentionis non obligari aliquem ad restitutionem, etiamsi mortaliter peccet, ut infra videbimus : multò enim apparentiùs id dicitur de solâ assistentiâ vel cantu chori, quando aliàs præceptum orandi septem horas impletur alio modo.

11. Nihilominùs contrariam sententiam indicat Navarrus cap. 13, de Orat., num. 17, ubi sic ait : *Secundò sequitur non mereri, imò peccare, et non lucrari distributiones quotidianas coram Deo, ideòque in foro conscientiæ esse obligatos eas restituere, qui recitant, vel propositum habent recitandi suas horas domi, seu extra chorum, et ad eum vadunt animo non attendendi ad ea quæ ibi dicentur, vel cantabuntur, etc.* Quod non aliter probat, nisi inferendo illud ex generali assertione, quod recitatio sine illâ attentione saltem virtuali non est sufficiens ad satisfaciendum præcepto. Videtur autem supponere canonicos et alios hujusmodi beneficiarios teneri ex præcepto justitiæ ad canendum vel recitandum in choro, non solùm materialiter, ut sic dicam, sed etiam verè orando. Et potest hoc confirmari ex cap. *Dolentes*, et ex Clem. 1, de Celebr. missar., nam præcipiunt cantare, psallere, aut recitare devotè et studiosè, præcipiunt ergo ut in choro verè et propriè oretur. Et confirmatur, quoniam aliàs omnes qui in choro assistunt possunt non attendere neque orare ibi sine peccato mortali; quia non est major ratio de uno quàm de omnibus sigillatim sumptis, et consequenter neque simul, quia non potest chorus ut sic obligari; nisi obligando omnes, vel saltem aliquos in particulari : consequens autem videtur absurdum, nam sic malè esset provisum Ecclesiæ de recitatione chori, sæpè enim nulla ibi fieret vera oratio ad Deum, sed solùm clamorosa vociferatio, unde nec posset tunc Ecclesia dici orare ad Deum per tales ministros, cùm ipsi non orent.

12. Propter hæc est valdè probabile non excusari à culpâ mortali beneficiarios qui choro intersunt sine proposito ibi orandi, vel attendendi, sed tantùm cantandi materialiter, vel assistendi ne lucrum amittant. Non est tamen hoc certum, sed satis dubium, quando habent propositum et usum privatim recitandi. Nec Navarrus in citatis verbis apertè docet oppositum, nam posset intelligi de eo qui habet propositum recitandi, sive in choro, sive extra chorum, non attendendo ad ea quæ dicuntur : ita ut in neutrâ recitatione velit habere attentionem, non enim videtur ibi loqui de eo qui proponit supplere defectus per legitimam recitationem ; nam de hoc dixerat in cap. 10, num. 43, 49, 58 et 70, omittere partem nobilem etiam cum proposito supplendi, non esse mortale, ergo à fortiori idem dicendum erit de omissione solius attentionis ; et ibidem, et cap. 13, sæpè docet hos defectus in choro commissos, si sint in parte notabili, supplendos postea esse per recitationem privatam, unde videtur sequi quòd si à principio illud supplementum habetur in proposito, potest excusare præsentem lapsum à culpâ mortali : cùm aliàs satisfiat exteriori, et quasi materiali actioni chori. Unde saltem quoad restitutionem distributionum, ego non imponam hoc onus propter hunc solum defectum, ei qui aliàs recitaverit legitimè. Nam concilium Lateranense, cùm de restitutione loquitur, eam solùm imponit non recitantibus : et Pius V tantùm dicit non recitantes debere restituere, etiamsi choro assistant quoad corporalem præsentiam, et ex consuetudine illa sufficere credatur ad lucrandas distributiones ; non verò dicit quòd aliàs recitantes teneantur restituere, si in choro non orent, vel non attendant. Imò per argumentum à contrario videtur significare oppositum. Et hoc tenuit Bartholomæus Medina in suâ Instruct., cap. 14, § 11. Quod verò attinet ad culpam, fortassè illa est gravis, maximè propter cap. *Dolentes*, et Clem. 1, de Celebrat. Missar., tunc autem dicendum est peccatum illud esse contra præceptum religionis, non justitiæ, vel si est contra justitiam esse tantùm ratione modi, qui postea suppletur sufficienter per privatam orationem, et ideò non nasci inde obligationem ad restituendum ex naturâ rei, et aliàs non esse injunctam per jus ecclesiasticum in illo casu, et ideò nullam esse.

13. Maximè verò erit hoc peccatum mortale, si in actiones exteriores prodeat, impedientes chori attentionem, præsertim in illas quæ in dicto cap. *Dolentes*, et Clem. 1, recensentur et prohibentur, nam quoad hæc fortassè aliquid specialiùs et rigorosiùs per illa jura, quàm ex naturâ rei, esse prohibitum. Præterquàm quòd etiam ex naturâ rei in illâ oratione publicâ, vix possunt fieri actiones illæ externæ, impedientes attentionem sine gravi scandalo et impedimento aliorum adstantium in choro ; hinc ergo potest sæpè illud peccatum esse grave, ut latè Navarrus in cap. 2 de Oratione, num. 4, et cap. 13, num. 26, 33, et sequentibus, et cap. 15, num. 5, et sequentibus. Atverò quando in exteriori modo assistendi, vel canendi in choro, nulla datur aliis offensio, neque ponitur impedimentum attentioni, et interior attentio omittitur, non est contemptu, sed ex quâdam negligentiâ vel remissione animi propter temporis diuturnitatem, cum proposito iterùm legitimè recitandi, non facilè damnanda est illa culpa ut mortalis. Unde constat clericos aliòs, non in sacris, vel cantores, qui beneficium non habent, sed nudam mercedem, nec teneri ad restituendum, nec peccare mortaliter per se loquendo, propter similem distractionem voluntariam, etiamsi propositum recitandi non habeant, quia non tenentur recitare ex vi alicujus tituli, et muneri sui stipendii satisfaciunt, ut supponimus. Neque obstabit illa difficultas (quod poteri accidere, ut nullus verè oret vocaliter in illâ oratione publicâ), quia satis est quòd totum corpus illud oret, quia principales ministri et clerici semper illùc conveniunt animo laudandi et precandi Deum nomine Ecclesiæ, et non potest non aliquis eorum attendere, saltem ad ipsam materialem litteram, et licèt unus

distractus sit, alius attendet, et è converso ; quod satis est, ut oratio illa, ut fit à choro, sit vera oratio, etiamsi singulares personæ in attentione necessariâ ad orationem magnâ ex parte deficiant.

14. Tandem ex dictis intelligitur an obligentur recitantes in choro ad externa signa devotionis in gestu et habitu corporis. De quâ re nihil habemus ex jure ecclesiastico dispositum in particulari affirmativè, ut sic dicam, sed tantùm negativè, ut vitentur actiones indecentes, sermones profani, et similia, et ad summum possunt quædam generalia verba ex jure sumi, ut quòd in choro servetur *modesta gravitas*, Extravag. unic. de Vitâ et Honest. cler. Quoad externum etiam habitum invenio in concilio Basiliensi, sessione 21, § 2, declaratum, ut qui ad orandum Deum in choro conveniunt, *habitu honesto, et vultu decenti* seipsos componere studeant. Et in particulari quoad vestimenta additur ibidem : *Horas canonicas dicturi cum tunicâ talari, ac superpelliciis mundis ultra medias tibias longis, vel cappis, juxta temporum et regionum diversitatem ecclesiam intrent*, etc. ; et infra : *Qui cùm in choro fuerint, gravitatem servent quam et locus et officium exigunt*. Quod decretum licèt vim legis non habeat, quia illud concilium non est in omnibus legitimum vel confirmatum, nihilominùs gravissimum est, et per se valdè consentaneum rationi. In rigore autem legis illud observandum est quod vel ratio prudens ac religiosa dictaverit, ad quod deservient ea quæ de oratione vocali in genere quoad has circumstantias diximus ; vel etiam attendendum est quidnam consuetudine præscriptâ fuerit introductum ; maximè quando contraria novitas scandalum ingereret ; vel denique, quod statutis specialibus aut mandatis prætatorum fuerit præceptum ; id enim omninò servandum est. Reliqua sunt in concilio, et interdùm erunt veniales defectus ob leve scandalum vel indecentiam ; de quâ re videri potest latè Navarrus, cap. 15, de Orat.

CAPUT XV.

De tempore singulis horis canonicis præscripto pro publico officio chori.

1. Hæc sola circumstantia superest nobis explicanda circa chorum ; nam de loco jam supra diximus, et de cæteris, quæ vel ad materiam, vel ad actionem, vel ad personas pertinent. Igitur de tempore supponimus, juxta propriam institutionem, has horas canonicas in distinctis diei vel noctis temporibus dicendas esse, quod satis constat ex his quæ cap. 3 et 4 de illis diximus, et ex cap. 1 de Celebr. missar., ubi licèt permittantur horæ dici summo mane privatim, de publicâ recitatione statim subditur : *Ita tamen ut horis competentibus publicè compleantur ;* et in Clem., eod. tit., ratione ejusdem præcipitur *ut in ecclesiis horis debitis devotè psallatur*, et similiter in concilio Basiliensi, sess. 21 : *Horis debitis signis congruâ pulsatione præmissis, per singulas horas laudes divinæ reverenter ab omnibus persolvantur*. Non est ergo dubium quin habeant horæ canonicæ certa tempora ex institutione Ecclesiæ designata, in quibus singulæ dicendæ sunt ex speciali obligatione chori. Tria ergo vel quatuor videnda sunt, primùm quæ sint hæc tempora pro singulis horis vel ex consuetudine, et quanta sit obligatio servandi hæc tempora in publicâ recitatione horarum ; ac denique an ex causâ possit hoc tempus mutari, et quæ sufficiat ?

2. Circa primum discurremus breviter per singulas horas, incipiendo à matutino, quia est prima hora diei naturalis, ut supra diximus. Matutinum ergo, si jus ipsum attendamus, proximè post mediam noctem inchoandum est ; ita sumitur ex cap. 1 de Celebr. missar., in fine, ubi dicitur per hanc horam, quoad eam maximè partem quem à laudibus distinguitur (et speciali modo solet matutinum appellari), expleri illud Psalmi 118 : *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi ;* quod propriè sancti Patres intellexerunt, exercuerunt et consuluerunt, ut videre licet in Dyonisio, epist. 8 ad Demophilum, ubi circa finem refert Carpum fuisse solitum circa mediam noctem ad Psalmos Dei recitandos vigilare. Quod etiam consulit Athanasius, lib. de Virgin., Basilius, regulâ 37 ad Gregorium, et alii supra relati. Solùm potest difficultatem nonnullam inferre, quod ibidem diximus, solitos fuisse nocturnos matutinales diversos per vigilias noctis dici ; unde necesse est fateri solitum fuisse inchoari matutinum ante dimidiam noctem in primâ, vel saltem in secundâ vigiliâ ejus. Ad hoc tamen jam ibi responsum est ordinariè matutinum fuisse inchoatum post mediam noctem, per occasionem verò solitum fuisse anticipari, vel postponi aliquantulùm, vel pro temporum, vel pro solemnitatum varietate. Sic ergo quando tres nocturni divisum dicebantur, inchoabatur matutinum ante dimidiam noctem, ut ex variis doctoribus ibidem vidimus ; ubi etiam probabiliùs judicavimus in Romanâ Ecclesiâ vel nullam vel raram fuisse illam consuetudinem ; imò multi censent, in quocumque tempore vel locum matutinum et laudes per modum unius horæ dici cœperunt, semper matutinum fuisse inchoatum post horam noctis mediam. Non est tamen scrupulosè accipienda media nox, sed prout significat partem illam noctis quem post dimidiam noctem inchoatur, et includit totum illud tempus noctis in quo illud officium ad auroram absolvi potest, ut ex Regulâ sancti Benedicti, cap. 7, sumitur, et ibi notavit Turrecremata, tract. 73, ex quâdam doctrinâ D. Thomæ, 3 p., q. 51, art. 4, ad 2, dicentis solere mediam noctem appellari, non tantùm punctum quod dividit noctem in partes æquales, sed etiam pars tota illa noctis quæ ab illo puncto auroram vergit. Tempus enim pro matutinis laudibus maximè proprium, fuit semper initium auroræ, ut ex supra dictis constat.

3. Quamvis autem hæc fuerit prima hujus temporis institutio, magnâ ex parte per consuetudinem immutata est. Et vix extra religiosorum monasteria, in Ecclesiis secularibus, cathedralibus, vel collegiatis conservatur, quanquàm non desint aliquæ Ecclesiæ morem illum religiosè observantes, ut Parisiensis in Galliâ, Segobiensis et Conchensis in Hispaniâ. Ex aliis

verò quædam differunt matutinum usque ad auroram, quo finito cum laudibus, statim primam decantant. Et hunc modum servat Romana Ecclesia, etiam in capellâ Pontificis. Et ferè per totam Italiam observari existimo, et eumdem in Galliâ conspexi, et in Hispaniâ videtur esse frequentior. Aliquæ verò Ecclesiæ non tantùm regulares, sed etiam seculares, ut Salmantina (et aliæ fortassè) anticipant, matutinum inchoant post solis occasum ferè per horam, et cum illo laudes conjungunt, quia juxta Romanum usum per modum unius horæ totum hoc officium dicunt. Omnes ergo hæ consuetudines, et si quæ sunt aliæ dicendi hanc horam in primâ, secundâ, tertiâ, vel quartâ parte noctis honestæ sunt, et unaquæque Ecclesia potest, et debet suam consuetudinem servare. Quæ varietas (ut pii doctores annotârunt) licèt occasione humanæ imbecillitatis evenerit, non sine Spiritûs sancti providentiâ in Ecclesiâ introducta est, ut omnibus temporibus noctis, in variis locis, et Religionibus ac Ecclesiis publicè laudetur Deus. Et hæc de matutini tempore.

4. Reliquæ horæ juxta nomina habent etiam tempora determinata. Prima enim in primâ horâ dici dicenda est, illudque est legitimum tempus suum; et in rigore videtur inchoanda orto jam sole, juxta principium hymni ejus : *Jam lucis orto sidere*. Quamvis enim in hoc ipso ortu possit esse latitudo, tamen propriè non dicitur ortus sol, donec supra nostrum horizontem ascendit. Quoniam verò hæc moraliter et accommodatè ad humanum usum accipienda sunt, credo legitimum tempus esse, etiamsi per totam primam horam post ortum solem prima dicatur, sive inchoetur in fine ejus, sive in medio, sive in principio, sive dimidiâ horâ ante ortum solis. Ita enim habet consuetudo variarum Ecclesiarum, vel ejusdem in diversis temporibus; citiùs enim solet inchoari prima tempore hyemis, quando sol tardè nascitur, quàm tempore æstatis, quando noctes sunt brevissimæ. Nec credo in hoc factam esse magnam mutationem ab antiquitate. Nam licèt Patres sæpè dicant, manè esse hymnos et Psalmos canendos Deo; tamen satis incertum est an per *manè* intelligant crepusculum matutinum, quando est satis lucidum ante solis ortum; an verò de tempore post solis ortum loquantur. Addo denique solùm ubi matutinum totum inchoatur paulò ante ortum solis, ut est frequens consuetudo, legitimum tempus dicendi primam esse statim finitis laudibus, et tunc rectè, et sine ullâ culpâ vel indecentiâ, quasi continuè dici, quamvis si consuetudo habeat parvam moram interponere, nihil habeat incommodi.

5. De aliis tribus sequentibus horis constat suis nominibus tempus suum satis designare. Tertia ergo in horâ tertiâ diei (quæ in hyeme incipit ferè circa horam decimam diei naturalis, et æstate circa octavam) est inchoanda, et sic cæteræ cum proportione. Quod tempus facilè supputari potest in provinciis diversis juxta varias consuetudines numerandi horas diei naturalis, vel à mediâ in mediam noctem vel ab initio unius diei usque ad initium alterius, vel ab initio unius noctis usque ad initium sequentis. De quo videri potest Marcellus, qui diligentissimè hæc expedit. Solet autem quæri an hæc tres horæ dicendæ sint in initio horarum quas designant, vel in fine earum; quidam enim in principio putant, quia prima ita dicenda est. Alii in fine, quia ita solent horæ in horologiis designari. Ego adverto has voces, *tertia*, *sexta*, *nona*, ad horas temporis relatas posse significare, vel integram quartam partem diei artificialis (quæ inæquales dicuntur) vel posse significare tantùm unam horam ex his duodecim diei artificialis, quæ sine dubio videtur fuisse prima illarum vocum significatio. Loquendo ergo in priori sensu, constat non esse has horas dicendas, elapsis illis temporibus, aliàs nona dicenda esset finito die artificiali, et tertia in meridie, et sexta in medio tempore pomeridiano, id est, horâ tertiâ pomeridianâ, quæ manifestè sunt absurda : tamen in hoc sensu etiam non est necesse has horas dici in initiis suarum partium diei, ut jam dicam. Loquendo autem in secundo, et magis proprio sensu, existimo tempora talium horarum intelligi in fine singularum, seu unaquâque jam elapsâ, tum quia hic est modus numerandi horas usitatus inter omnes homines, et aptior ad explicandam horam mortis Christi Domini, et ad concordiam Evangeliorum, ut alibi dixi; tum etiam quia omnes fatentur horam sextam in meridie dici; in meridie autem finitur hora sexta artificialis diei; tempus autem tertiæ antecedit cum proportione per tres similes horas; tempus verò nonæ per tres similes subsequitur. Atque hoc modo etiam cum primâ servatur proportio, quia etiam illa inchoatur tribus horis ante tertiam, si ipsa in principio primæ horæ diei, et tertia in fine horæ tertiæ inchoetur. Et hæc proportio magis attendenda est, quàm alia de fine, vel initio illius horæ temporis, quæ pro unaquâque horâ orationis signata est : nam quia prima hora designata est, ut initium diurnæ orationis, maximè in ejus initio destinata est; aliæ verò cum proportione designatæ videntur pro principiis secundæ, tertiæ, et quartæ partis diei artificialis, quæ principia à finibus præcedentium horarum nominantur tertia, sexta, nona. Et hæc satis sunt de accuratâ ratione distinguendi has horas; nunc enim longè alia est consuetudo, ordinariè namque solet sexta cum tertiâ conjungi, vel tertia ante missam majorem, sexta immediatè post illam dici; nona verò vel dicitur post missam maximè in hieme; vel in æstate horâ primâ pomeridianâ, præsertim in aliquibus regionibus. Quæ omnia juxta exceptas consuetudines servari possunt et debent.

6. Dicendum jam est de officio vespertino, de cujus legitimo tempore juxta primævam institutionem nonnullum majus dubium est. Quod inprimis oriri potest ex ipso nomine vespera, quod valdè ambiguum est; interdùm enim pro crepusculo noctis accipi solet, interdùm pro aliquâ parte vel horâ temporis illi proximâ, aliquando verò totum vespertinum tempus, præsertim à secundâ horâ pomeridianâ, usque

ad initium noctis compleri solet, ut ex usu constat, et ex his quæ notavimus alibi. Et ita dubium manet, in quâ propriâ parte totius pomeridiani temporis officium illud dici consueverit. Ad minimum autem certum est, tempus hujus officii fuisse semper post expletam horam nonam diei artificialis, quia tunc dicenda erat nona. Unde ut fiat proportionalis distinctio, ab omnibus supponitur vespertinum officium non fuisse solitum dici ante finitam horam nonam diei artificialis. An verò diceretur in initio duodecimæ, vel illâ elapsâ, et post occasum solis controversum est.

7. Multi existimant post occasum solitas fuisse dici vesperas, idque colligi videtur ex his quæ antiqui Patres de lucernario scribunt, de quo fit mentio in concilio Toletano I, cap. 9, et apud Isidorum in Regulâ monachor. cap. 6, ubi postquàm de tertiâ, sextâ et nonâ sermonem fecit, subjungit : *In vespertinis autem officiis primò lucernarium, deinde Psalmi duo, responsorius unus, et laudes, hymnus atque oratio dicenda est.* Et postea ponit completorium suo tempore dicendum. Unde per lucernarium ibi initium vespertini officii, vel primam ejus partem intelligere videtur. Atque ita exposuit illustrissimus Loaysa, Annot. ad dictum concilium I. Toletanum, cap. 9, id declarans ex regulâ sancti Benedicti, cap. 17, ubi dicitur vespertinum officium quatuor Psalmis cum antiphonis terminari; conjectat ergo duos primos Psalmos lucernarium dici, quia in lucernarium accensione et gratiarum actione vespertini luminis fiebant. In regulâ verò secundâ quæ sub nomine Augustini in fine tomi primi habetur, fit mentio lucernarii, et significatur esse hora distincta à cæteris; nam priùs de cæteris horis à matutino usque ad nonam præscribitur, ut proprii Psalmi in eis dicantur, et postea additur : *Hoc idem in vesperis et completoriis servetur*, et statim : *Ad lucernarium autem Psalmus, responsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres*, et infra : *Faciant opus usque ad horam lucernarii.* Unde ex illâ regulâ Augustini, colligi non potest, an vesperæ ante, vel post lucernarium dicerentur, tamen ne dicamus fuisse horam separatam, quod novum valdè esset, videtur potiùs ad primam partem vesperarum illud officium revocandum. Unde in concilio Emeritano, cap. 2, expressè dicitur vespertinum officium solitum fuisse dici post lumen ablatum; at lumen non solet accendi ante solis occasum; ergo. Potestque conjectura confirmari; nam reliquæ horæ ita erant distributæ, ut inter initia earum tres horæ diei artificialis intercederent; at nona inchoabatur tribus horis ante solis occasum, in initio illius quartæ partis diei, inchoante horâ diei decimâ, ut diximus, ergo vesperum inchoandum erat finitâ horâ duodecimâ, inchoante jam primâ vigiliâ noctis. Et ita multi canonistæ cap. 1, de Celeb. missar. vesperas inter nocturna officia computant. Et eodem modo loquitur Amalarius, lib. 4 de Officiis ecclesiast., cap. 7.

8. Nihilominùs alii censent, tempus proprium hujus horæ olim fuisse horam ultimam dici, ante occasum solis, in ejus initio, vel illâ currente. In quam sententiam Athanasius, Hieronymus, Cyprianus, et alii afferuntur, qui tamen ita loquuntur, ut non possit ex eis colligi, nisi in fine diei dicendum fuisse vespertinum. Quo modo loquitur etiam Isidorus, lib. 1, de Offic., cap. 20, Hugo, Rupertus et alii : Cassianus autem lib. 3, cap. 3, vespertinum officium opponit matutino, id est, laudibus, unde etiam est incertum an velit quòd sicut laudes dicuntur ante ortum solis, ita vesperæ sint dicendæ post ejus occasum, vel potiùs etiam ante occasum, utrumque enim habet aliquam proportionem. Tamen indicat in fine lucernariam horam significari per undecimam, in quâ paterfamiliâs exiit conducere operarios in vineam suam. Constat autem illum exivisse in fine undecimæ, inchoante duodecimâ; nam operarii unâ horâ laborârunt, ut in Evangelio dicitur. Ex quo loco conjectura alterius sententiæ multùm enervatur; nam poterant lucernæ in ecclesiis accendi in horâ duodecimâ, quia licèt sol nondùm occubuerit, jam solet esse necessarium lumen lucernæ ad legendum intra Ecclesiam. Unde facilè potest hæc posterior pars sustineri. Sed de anteriori tempore est aliquod dubium, quia in regulâ sancti Benedicti, cap. 14, ordinatum legimus ut vesperæ dicantur tali tempore, ut absque lumine candelæ absolvi possint. Verum est ibi esse sermonem de vesperis Quadragesimæ, quando vesperæ dicuntur ante prandium. Ibi tamen statuitur ut monachi tempore Quadragesimæ comedant horâ vesperarum, et tamen subjungitur, ut post vesperas possit etiam cœnari cum luce solis absque lucernis; ergo jam tunc dicebatur officium vesperarum ante lucernarium tempus. Postea verò successu temporum longè major mutatio facta est; nam quod olim erat tempus ad nonam designatum nunc ferè vesperarum tempus opportunum est; nam frequentiùs dici solent in hieme horâ secundâ post meridiem, in æstate verò horâ tertiâ. Neque in hoc est uniformis consuetudo, sed magna varietas, quam etiam olim fuisse ex antiquorum relatione adnotat Durantus, lib. 3, de Ritibus, cap. 11.

9. Denique de horâ completorii eadem ferè ambiguitas est. Cùm enim constet, in principio dici fuisse solitum post solis occasum, an diceretur ante noctem, vel nocte jam inchoatâ, vel omninò post tenebras ejus ad finem primæ horæ noctis, necne, potest esse varia conjectura. Nam ex Isidoro, dictâ Regulâ monachor., cap. 6, planè colligitur tempus completorii fuisse omninò nocturnum; nam post finitas vesperas horâ lucernariâ, refert fuisse consuetum divinis lectionibus, meditationibus et sanctis colloquiis ac quæstionibus vacare, *usque ad horam*, inquit, *completorii* Item apud monachos institutio est, ut completorium post cœnam, et omnes dici actiones diceretur, ita ut statim hora silentii et nocturnæ quietis inciperet, ut constat ex Basilio, Regulâ 47, ex longioribus, et Benedicto, c. 42 Regulæ, et Hugone Victorino, lib. 2, nis Officiis, ubi ait completorium dici, quia in eo complentur, quæ usque ad dormitionem complenda sunt·

oportebat ergo esse jam noctis initium. Aliunde verò ex ipso hymno completorii : *Te lucis ante terminum*, etc., colligitur non fuisse omninò extra crepusculum noctis tempus illud, sed intra ipsum, et fortassè in ultimâ parte illius, quod etiam est valdè probabile. Quamvis hæc temporis latitudo tanta non sit, quin potuerit esse arbitraria, vel varia pro regionum, vel religionum, seu modorum vivendi varietate et commoditate. Jam verò in hoc etiam facta est mutatio; nam completorium ordinariè proximè post vesperas dicitur, et quando separatur, ut maximè fit in Quadragesimâ, vel etiam in æstate dici solet ante solis occasum, præsertim ubi matutinum in principio noctis dicitur. Unde in hoc etiam erit servanda consuetudo.

10. Tandem, ex his facile erit intelligere, quanta sit nunc obligatio servandi perfectè et exactè hæc tempora in publicâ chori recitatione horarum quæ dicuntur; observandum enim omninò esse ut suis temporibus congruis dicantur; id enim in jure statutum est, ut in principio retuli ex cap. 1 et Clementinâ 1, de Celebr. missar.; tempora autem debita et congrua in unaquâque regione seu provinciâ juxta receptam consuetudinem præscribenda sunt, nec potest certior assignari regula, ut notavit Cajetanus verbo *Horæ*, cap. 4, qui addit mutationem aliquam facere in his horis, etiam in publico officio chori non esse peccatum mortale, etiamsi magna negligentia interveniat, dummodò communiter servetur consuetudo. Itaque aliquando tardiùs inchoare matutinum, verbi gratiâ, tantùm ad indulgendum corpori et somno, vel nimiùm anticipare vesperas, solùm recreationis liberioris causâ, non censet Cajetanus esse peccatum mortale dummodò id in consuetudinem non trahatur, nec interveniat contemptus : *Quoniam hæ circumstantiæ*, ait, *non pertinent ad substantiam materiæ præceptæ*. Quæ ratio sæpiùs ab ipso in his materiis repetita, non satisfacit, ut sæpè etiam indicavi, quia si circumstantia præcipiatur, ut reverà hìc præcipitur, multùm pertinere potest ad substantiam præcepti, etiamsi non pertineat ad substantiam actionis præceptæ, ut sacrificare mane et non vesperi, talis circumstantia est, ut sit de substantiâ illius præcepti, et tanta potest esse illius circumstantiæ violatio, ut sit peccatum mortale, etiamsi substantia actionis sacrificandi integrè impleatur. Deinde non est dubium quin major causa requiratur ad mutanda hæc tempora horarum in publicâ recitatione quàm in privatâ. Unde in capitulo primo de Celebratione missarum, anticipatio horarum facilè conceditur in privatâ recitatione, non tamen in publicâ; ergo major etiam culpa est voluntariè vel negligenter hanc mutationem facere in publico officio, quàm in privato, cæteris paribus; ergo, si sit magna mutatio, et in re gravi, poterit esse mortale.

11. Alii ergo tenent hanc mutationem in choro facere sine rationabili causâ, esse peccatum mortale. Ita tenet Silvester, verbo *Hora*, quæst. 6, dicens, peccare mortaliter prælatos, si fine causâ rationabili hoc faciant, et subditos, si causam dent tali mutationi Idem ferè tenet Angel., num. 22, Tabiena, n. 25, Navarrus, cap. 3 de Oratione. num. 63, et num. 22 indicat optimam rationem, quia hæc tempora pro publicâ recitatione horarum definita sunt in favorem utilitatis publicæ, ut populus, si velit, possit ad illam convenire; ergo de se est res gravis et pertinens ad commune bonum; nam quòd in aliquo loco privato illa ratio cesset, est per accidens.

12. Hæc ergo sententia simpliciter eligenda est, nimirùm hanc obligationem esse gravem ex suo genere; ideòque in ejus præcisâ transgressione posse mortale peccatum committi. In particulari verò non est nimiùm restringenda, quia sine dubio tempus hoc horarum, secundùm communem praxim, magnam habet latitudinem, ut ostendit usus, et omnes citati doctores fatentur. Sicut ergo ipsarum horarum propria tempora ad consuetudinem tandem revocantur, ita judicium de gravitate antepositionis vel postpositionis legitimi temporis, ex eâdem consuetudine et communi æstimatione multùm pendebit; ideòque unius horæ temporis præventio aut dilatio, non censebitur gravis mutatio, nisi vel grave scandalum sequatur, vel totum ecclesiasticum officium eâ de causâ nimiùm perturbatur; quod rarissimè continget pro unâ vel aliâ simili negligentiâ, quæ in consuetudinem, non abeat. Alverò si matutinum differretur usque ad horam missæ, vel completorium diceretur ante prandium, res gravis, et absurda valdè videretur. Imò cùm in diebus quadragesimalibus vesperæ sint ante prandium dicendæ, juxta capitulum *Solent*, de Consecrat., distinct. 1, illas post prandium differre in publico officio, gravis transgressio videtur. Et indicat Navarrus supra, num 41, cum Silvestro, et aliis, sed in hoc, ut dixi, consuetudo est consulenda.

13. Tandem addunt omnes auctores citati, non obstante hâc obligatione, posse prælatos ex rationabili causâ in hâc circumstantiâ temporis dispensare : ut si eundum sit ad processionem, quæ anticipet antemeridianas horas, vel quoties simile quid occurret. Advertit autem Navarrus supra, num. 71 (id quod jam significavimus) majorem requiri causam ut hæc mutatio publica legitimè fiat, quam ut fiat in privato officio. Quod etiam est per se manifestum, quia major est dispensatio, et ideò majorem causam requirit; hæc tamen prudenti arbitrio prælatorum necessariò relinquenda est.

CAPUT XVI.

An clerici omnes ex vi ordinationis suæ ad horas canonicas recitandas teneantur.

1. In hoc capite non agimus de clericis beneficiariis, nec de religiosis, sed simpliciter de clericis in aliquo ordine constitutis, quos in duos ordines distinguere oportet : quidam sunt ordinati in sacris, seu in majoribus ordinibus, alii in minoribus tantùm.

2. De clericis ergo in sacris, certum est teneri ex præcepto ad septem horas canonicas quotidiè recitandas, etiamsi beneficium non habeant, neque ex officio

neque ex peculiari obligatione choro assistere teneantur. Quamvis enim aliqui olim dixerint clericum etiam in sacris non deputatum alicui certæ ecclesiæ, sed ordinatum ad titulum patrimonii, non teneri ad recitandum officium, ut refert Glossa 1, in cap. ult., d. 32, nihilominùs oppositum est certum, ut omnes auctores statim citandi docent, et sufficienter probatur ex communi usu et consensu totius Ecclesiæ. Intelligitur autem hæc obligatio per se et seclusis legitimis impedimentis, seu excusationibus; de quibus infra. Et fortassè auctores quos illa Glossa citat, non negabant hanc obligationem, sed solùm peculiare onus recitandi in choro, de quo ille textus loquitur, ut statim dicam; in illo autem sensu non errabant, ut supra visum est.

3. Difficultas verò inprimis est, quo jure obligentur clerici ad horas canonicas recitandas; quidam canonistæ indicant teneri ex jure divino, Abbas, cap. 1, de Celebr. missar., n. 3, quatenùs ait Papam non posse dispensare cum clerico, ne officium recitet, licèt possit dispensare, ut mutet officium, *quia hoc*, inquit, *est de jure humano;* supponit ergo obligationem ipsam esse de jure divino. Idem tenet Turrecremata, in capite *Eleuterius*, dist. 91, ad 5, q, ubi refert Guillelmum Laudunensem, et cardinalem Zabarelam; idem Angelus, verbo *Hora*, num. 6, et Rosella, num. 13, qui omnes allegant illud Psal. 118: *Septies in die laudem dixi tibi.* Et in idem planè inclinat Navarrus de Orat., cap. 7, n. 2, et fundamentum ejus est quia clericus sacris initiatus jure naturali obligatur ad referendum Deo majores gratias quàm laicus. Itaque mens istorum auctorum potissimùm fuisse videtur jure divino connaturali tali statui teneri clericum in sacris peculiarem aliquem modum orandi plus quàm laicum, hunc autem orandi modum determinatum fuisse ab Ecclesiâ ad horas canonicas; neque ab hâc sententiâ abhorret Sotus, lib. 10, de Just., quæst. 5, art. 3, adducens illud Isaiæ 43: *Omnem illum, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum*; nam clericus ex vi sui statûs ad laudes Dei deputatus est: et sumpsit ex D. Thomâ, quodlib. 6, art. 8, magisque id declarat Sotus in solutione ad 3.

4. Simpliciter tamen loquendo verius est nullum dari tale jus divinum immediatè obligans clericos ad aliquod officium divinum recitandum. Ita tenuerunt Laurentius, et Joannes de Lignano, ut Panormitanus refert in Clem. 2 de Celebrat. missarum, et Cardinalis in Clem. 2, eodem titulo; Silvester, verb. *Hora*, quæst. 4 et 6; Tabiena, num. 15; Amilla num. 11, et sumitur ex Antonino, 3 part., tit. 13, cap. 4; Pahudano in 4, distinct. 5, quæst. 5; Majore, distinct. 12. Ratio est quia tale jus neque est positivum, ut omnes fatentur quia neque scriptum invenitur; neque constat esse ab Apostolis traditum. Neque etiam hoc jus est naturale, neque connaturale ipsi ordini: quod patet primò quia nullo discursu evidenti, neque ratione efficaci potest hæc obligatio colligi ex solo charactere clericali; aliàs etiam minores ordines inducerent aliquam obligationem, supponendo illos imprimere characterem, ut est verior sententia. Item subdiaconatus non fuit semper ordo sacer; ergo illi secundùm se non est connaturalis hæc obligatio. Item, si hæc obligatio sequitur ex vi sacri ordinis, quò sacratior est ordo, deberet ex illo sequi major obligatio, seu ad majorem orationem; non autem ita est, neque enim diaconatus novam obligationem recitandi secum affert, et sic presbyterio, et episcopatu.

5. Prætereà, dubitari non potest quin institutio canonicarum horarum ecclesiastica sit; ergo præceptum de tali materiâ datum, ecclesiasticum etiam erit. Respondebunt esse ecclesiasticum quoad determinationem, secundùm se autem et in genere divinum. Sed contra: ergo saltem in illâ determinatione certum est posse Papam dispensare, quod etiam auctores contrariæ sententiæ non negant. Ponamus ergo clericum aliquem dispensatum esse à Papâ simpliciter in hâc obligatione, quatenùs ecclesiastica est, et relictum cum solâ obligatione naturali; et inquiramus ad quid ille teneatur. Certè sine probabilitate dicitur teneri ad septies in die orandum, tum quia licèt David dixerit se ita fecisse, non explicuit nobis naturale jus, sed consuetudinem suam narravit; aliàs dicere quis posset etiam reges illâ lege teneri, tum etiam quia probabile est non semper in Ecclesiâ fuisse morem septem horas recitandi, sed successu temporis crevisse, et consummatum fuisse per hanc constitutionem.

6. Secundò dici non potest cum fundamento hujusmodi clericum jure divino teneri ad recitandum aliquid quotidiè, quia nullâ certâ ratione potest tanta determinatio fieri ex solo jure naturæ: nam licèt fateamur hunc clericum specialiùs ad laudandum Deum obligari ratione sui statûs, tamen quòd teneatur ex vi juris divini ad recitandum aliquid quotidiè ex illâ speciali obligatione, non video quali speciali ratione suaderi possit. Addo quòd licèt abstrahamus à circumstantiâ temporis aut frequentiæ, solùmque dicamus hunc clericum ex vi juris divini teneri ad dicendum aliquod divinum officium, non satis intelligitur quo sensu dicatur, nec etiam quomodò ad praxim applicari possit, ablatâ obligatione juris ecclesiastici. Cur enim non satisfaciet ille clericus naturali obligationi, recitando aliquoties orationem Dominicam, vel Rosarium, aut aliquid hujusmodi? Quòd si dicatur hæc comprehendi sub nomine divini officii, interrogabo ulterius cur non satisfaciat, quamvis non recitet secundùm aliquam formulam verborum præscriptam, sed tantùm juxta devotionem suam pro Ecclesiâ et proximis deprecando? Quòd si hoc etiam concedatur, et omnis oratio vocalis dicatur comprehendi nomine divini officii latè sumpti, prout ex naturali jure postulari potest, urgebo rursùs, interrogando cur idem non satisfaceret, si mente tantùm Deum sæpiùs laudaret et deprecaretur? Nam seclusâ injunctione, et quasi delegatione Ecclesiæ, non tenetur in personâ ejusdem Ecclesiæ orare, sed ad summum privatâ oratione magis Deum colere, et pro Ecclesiâ intercedere, quod munus per orationem mentalem sufficienter expletur.

Denique si hi sacri ordines considerentur, prout ex divino jure ad aliquos actus externos divini cultûs per se primò ordinantur, non videntur per se ordinari ad orationem, quatenùs est actus distinctus à sacrificio; sed sacerdotium per se primò ordinatur ad sacrificium, diaconatus et subdiaconatus etiam determinantur ad sua ministeria in ordine ad aliud sacrificium, et distincta à recitatione divini officii; hæc ergo obligatio etiam in communi ad orationem vocalem non videtur satis haberi ex jure divino.

7. Dico ergo ministerium hoc recitandi horas canonicas habere quamdam magnam decentiam respectu talium clericorum ex divino jure, propriam tamen obligationem præcepti non solùm quoad determinationem temporis aut modi, sed etiam quoad substantiam ejus, ex ecclesiastico præcepto manare. Priorem partem suadent sufficienter priores auctores, quorum opinio fortassè in hoc sensu explicari potest; posteriorem verò partem probant omnia quæ diximus. Dubitari autem solet an hoc præceptum in jure canonico habeatur expressum; canonistæ affirmant, afferuntque tria decreta, cap. *Presbyter*, dist. 91, quod etiam habetur in cap. 1 de Celebrat. missar., et cap. *Si quis presbyter*, dist. 92; sed inprimis hoc ultimum caput nihil probat de recitatione privatâ ex vi ordinationis, quia non solùm dicit: *Si quis presbyter aut diaconus*, sed addit: *Vel quilibet clericus;* sub quâ voce etiam clericos minores comprehendit; non ergo loquitur de clerico, ut clericus est, sed *ut Ecclesiæ deputatus est*, ut statim addit. Unde non solùm præcipit recitare, sed convenire ad ecclesiam ad psallendi officium; loquitur ergo de obligatione ad chorum, quæ nascitur ex beneficio, non ex solâ ordinatione.

8. In aliis verò duobus decretis (quæ in re unum sunt) inprimis non est sermo de diacono et subdiacono, atque ita de illis non erit expressum præceptum in jure. Respondent Glossæ, Panormitanus et alii nomine presbyteri comprehendi ibi diaconum et subdiaconum: nam interdùm dicunt accipi in jure hoc modo: nam in c. 2 de Cohab. cleri et mulier., sic dicitur: *Si quisquam sacerdotum, id est, presbyter, diaconus et subdiaconus*, etc. Verùmtamen hæc ipsa interpretatio ostendit non esse hoc præceptum quoad diaconum et subdiaconum satis in jure expressum, quia nullum jus est quod illam expositionem sequi nos cogat, imò neque in jure fundari potest, tum quia in dicto cap. 2 non ponitur nomen *presbyteri*, sed *sacerdotis*, quod de se ampliorem significationem habet; dicitur enim sacerdos quasi dans sacra vel faciens, quod cum aliquâ proprietate convenit diacono et subdiacono, et aliquando specialiùs accommodatur sacerdoti et diacono, excluso subdiacono, ut in cap. *Unico*, dist. 52, et interdùm per antonomasiam tribuitur episcopo, cap. *Legimus*, dist. 93; nomen autem presbyteri licèt ab ætate sumptum sit, usu Scripturæ, et Ecclesiæ impositum est ad significandum aliquid majus diacono, teste Hieronymo, epist. 85 ad Evagrium, cap. *Legimus*, dist. 63; neque in jure canonico invenitur (quod sciam) in aliâ generali significatione. Adde necessarium fuisse in dicto cap. 2 de Cohabit. cleric., etc., addi expressè illam declarationem, ut lex illa, quæ pœnalis erat, posset ita extendi; at verò in dicto cap. *Presbyter*, non fit talis declaratio, et licèt lex illa pœnalis non sit, tamen si in eâ imponitur hæc obligatio, onerosa est, et ita non esset extendenda. Eò vel maximè quòd ex illo videtur colligi contraria restrictio, quatenùs præcipit presbytero, ut jejunus maneat tempore competenti, utique ut possit, si necesse sit, sacrificium facere.

9. Quapropter de diacono et subdiacono alii fatentur non esse hoc præceptum in jure expressum, sed consuetudine extensum esse, vel ita declaratum. Tenet Navarrus de Orat., cap. 7, num. 2, quem sequitur Azor, tomo 1, lib. 1, cap. 5, estque probabilis opinio; nam immemorialis consuetudo ad hoc præceptum inducendum sufficit; quòd autem sit talis consuetudo dubitari non potest. Imò de presbytero posset quispiam dubitare, quia illud caput videtur satis expressè loqui de presbytero ratione solius ordinis; nam loquitur de presbytero parochiali alicujus Ecclesiæ; ideò enim illi præcipit ut curet officium canonicum in Ecclesiâ compleri per se, vel per scholares, et ut jejunus eat ad opus rurale, ut postea, si opus sit, aliis obligationibus satisfaciat. Deinde non videtur loqui de recitatione privatâ; nam apud Gratianum sic habetur: *Presbyter manè matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo primam, tertiam, sextam, nonam persolvat;* canere autem non est privatè recitare; nihilominùs probabilius est, in illis primis verbis sermonem esse de recitatione privatâ, quia ibi datur facultas anticipandi horas diurnas tanto tempore, ut non videatur verisimile dari pro publicâ recitatione, sed pro privatâ; unde in cap. 1, de Celebr. missar., omittitur verbum, *canendo*, et additur vespera inter eas horas quæ summo mane anticipari possunt, quæ hora in alio textu omittitur; non est autem verisimile, vesperam tam maturè dici posse in choro; præsertim quia statim subjungit, ut postea horis competentibus publicè dicatur officium; ergo priùs de recitatione privatâ sermo fuerat. Manifestè ergo supponitur in illo textu teneri presbyterum ad solvendum pensum horarum canonicarum per se privatim solvendum, etiam anticipando tempus, si necessitas urserit, licèt per alios horæ sint in choro publicè dicendæ. Atque ita etiam constat haberi ibi rationem hujus obligationis ex vi presbyterii, et non tantùm ratione officii seu beneficii: verum est tamen ibi non condi hoc jus, sed potiùs supponi ex traditione et consuetudine antiquâ. Et hoc modo meminit hujus obligationis, et de omnibus clericis in sacris constitutis, concilium Basiliense, sess. 21, sub titulo: *Qualiter extra chorum horæ canonicæ dicendæ sint*, dicens: *Quoscumque alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos, cùm ad horas canonicas teneantur, admonet hæc sancta synodus*, etc.

10. Secundò dicendum de clericis in minoribus constitutis, de quibus communis resolutio est non teneri ad horas canonicas dicendas. Ita docent Sotus, lib. 5 de Just., q. 5, art. 3; Medina, tr. de Orat., q. 7; Le-

desmius in 4, p. 2, q. 16, art. 4, dub. 6; Navarrus, de Orat., cap. 7, num. 12 et 13; Turrecremata, in principio d. 91, q. 3, et Archidiaconus in c. *Si quis presbyter*, d. 92, et Paludanus in 4, d. 9, q. 5. Et ratio à priori est, quia isti non tenentur jure divino, neque ecclesiastico scripto, neque consuetudine; ergo nullo titulo tenentur. Prima pars antecedentis à fortiori probatur ex dictis de clericis in sacris : nam illorum ordinatio magis sacra est, si ergo jure naturali non sequitur ad illam talis obligatio, multò minùs sequetur ex inferioribus ordinibus, et hæc ratio probat de jure canonico scripto, suppositis quæ diximus de diacono et subdiacono. De consuetudine verò statim dicemus.

11. Oportet enim advertere aliquos canonistas consequenter sentire teneri hos clericos ex jure divino ad officium divinum recitandum. Indicat Glossa in d. cap. *Si quis presbyter*, dicens, *quemlibet clericum teneri ad hoc*, et Innocentius in cap. 1 de Celeb. missar., dicens : *Quilibet clericus etiam in non sacris constitutus omni die debet dicere officia divina, vel audire;* ubi etiam Panormitanus, num. 6, ait ex vi juris divini, imò et humani teneri hos clericos ad dicendum officium, quia etiam per ordines minores assumitur quis in sortem Domini, et transfert se in Deum, et Ecclesiam, cap. *Clericus*, cap. *Cui portio*, 12, q. 1, et nihilominùs subjungit contrarium habere generalem consuetudinem. *Quæ*, inquit, *ut credo, non dicentes excusat.* In quo certè non sibi constat; nam si consuetudo est contra jus divinum, quomodò excusat? Præsertim quia oporteret tale jus naturale esse. Præterea hæc consuetudo, neque contra jus humanum esse potest. Aut enim hoc jus est scriptum; et hoc non, quia nullibi invenitur; aut est jus introductum consuetudine, et ita est repugnantia, si intelligantur consuetudines esse simul. Si autem supponatur, consuetudinem aliam aliquando fuisse, nunc verò esse per contrariam consuetudinem ablatam, id certè parùm ad causam refert, et illud de antiquiori consuetudine sine fundamento et probatione asseritur.

12. Opinio ergo illa de jure divino vel humano scripto improbabilis est, quia nullum prorsus habet fundamentum. Unde cùm constet consuetudinem non obligare hos clericos, apertè etiam convincitur esse improbabile hoc onus illis imponere. Et fortassè Glossa illa non loquitur de quolibet clerico in minoribus, sed solùm intendit quemlibet teneri, et si sit alicui Ecclesiæ deputatus; intelligere autem deberet tunc teneri, quando sufficienter ordinatus est. Innocentius autem, cùm loquatur sub disjunctione *dicere*, vel *audire*, non potest loqui de hâc obligatione, nescio tamen, ubi aliam invenerit, nisi fortassè per verbum, *debet*, non obligationem, sed decentiam quamdam indicare voluerit. Meliùs Hostiensis ibi pro regulâ statuit hos clericos minores non teneri, nisi beneficium ecclesiasticum habeant; et eamdem tradit Archidiaconus, in d. c. *Si quis presbyter :* illamque esse communiter receptam dixit Panormitanus supra. Denique concilium Basiliense supra illam amplexum est, quia solùm beneficiatos aut clericos in sacris nominat, loquitur autem de secularibus clericis.

13. Objici verò potest cap. *Dolentes*, de Cel. miss.; ibi : *Non solùm quidam minores clerici*, etc. Verùmtamen particula, *minores*, non sumitur ibi absolutè, ut sic dicam, sed comparativè ad prælatos, et ita comprehendit etiam clericos in sacris. Qui sensus patet ex verbis, *Dolentes referimus, quòd non solùm quidam minores clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum prælati*, etc. Præceptum ergo quod in fine illius textûs ponitur dicendi officium divinum, non datur ibi de exercitio actûs, ut sic dicam, sed de modo, seu specificatione, id est, ut studiosè et devotè dicatur, ut supra circa chorum explicatum est, et infra applicabitur ad recitationem privatam. Nulli ergo clerico imponitur ibi obligatio, qui antea illam non haberet; unde si velimus particulam illam, *minores* extendere etiam ad illos clericos, qui in sacris non sunt; intelligi debet de illis qui ratione beneficii poterant esse obligati, sicut etiam intelligitur dictum cap. *Si quis presbyter*, dùm addit, *vel quilibet clericus;* nam statim etiam addit limitationem, *Ecclesiæ deputatus*, ut supra explicuimus circa recitationem in choro, de quâ ibi sermo est.

14. Quæri autem circa hos clericos solet, esto non teneantur ad dicendas horas canonicas, teneanturne aliquid aliud ex præcepto recitare. Quidam dicunt teneri ex vi juris divini, licèt quid orandum sit prudenti eorum arbitrio relinquant. Fundant autem obligationem, vel in debito divini cultûs, cui sunt specialiter destinati, vel in gratitudine ad Ecclesiam, quæ ministros suos illos constituit. Tenent à fortiori canonistæ supra citati; et inclinat Paludanus dicens, quia divino cultui ascribuntur, ad aliquid ampliùs teneri, quàm laicos, et quia gaudent privilegio clericali, teneri ad recompensandum aliquo servitio : idem habet Silvester supra. Sed hoc rejiciunt Sotus et Medina supra; et meritò, quia obligatio naturalis juris imponenda non est sine cogente ratione; illa verò nulla est, nam communiter ministrando in suis muneribus, poterunt se ostendere, et cultores Dei speciali modo, et gratos Ecclesiæ, et multis aliis modis potest cultus exhiberi, et gratitudo ostendi, quando ejus occasio occurrerit. Denique si isti clerici minores beneficium habeant, ratione illius tenentur ad horas canonicas, ut infra dicemus; si verò beneficium non habent, et actu inserviunt Ecclesiæ in propriis muneribus, necessariò habent adjunctum aliquem proprium cultum Dei, et assistere debent aliquibus divinis officiis; ergo non est ex naturâ rei unde obligentur ad specialem precationem. Si verò sint omninò remoti à mysteriis Ecclesiæ, et tanquàm laici se gerant, jam non sunt proximè divino cultui dicati, et ideò pro tunc ad nihil speciale obligantur. Unde tunc fori privilegio non gaudent juxta Tridentinum, sess. 22, cap. 6, de Reform.

15. Alii dicunt hos clericos ex consuetudine teneri ad dicendum parvum officium Virginis, vel septem Psalmos pœnitentiales, vel quindecim graduales, si tantùm sit clericus primæ tonsuræ. Ita refert Paludanus supra; dicit tamen illud non esse authenticum,

Soto etiam simpliciter negat esse talem consuetudinem vel obligationem, imò negat episcopum posse illam imponere. Non tamen negat Soto (ut aliqui ei imponere videntur) quin possit talis consuetudo introduci; cur enim non posset, cùm actio sit honesta, et non nimis gravis, neque illi statui dissentanea? Atque ita docent Medina, Ledesmius, et alii. Imò Navarrus dubitat an alicubi sit talis consuetudo; fatetur tamen generaliter et ordinariè non esse; fatetur etiam cum Soto, non posse episcopum suâ auctoritate hujusmodi clericos jam ordinatos obligare ad illas preces recitandas, posse tamen eos non ordinare, nisi priùs talem obligationem acceptent, ad quam postea tenebuntur ratione pacti. Mihi tamen non videtur justa conditio, neque posse episcopum suâ auctoritate adjungere hoc perpetuum onus suæ ordinationi, sed hoc pertinere ad pontificem; quia est nimis gravis conditio. Secùs verò esset, si tantùm præciperet ter vel quater hæc recitare, vel aliquid simile, quod moderatum sit et ab illâ actione non alienum. Ubi autem fuerit consuetudine introducta talis obligatio, poterit episcopus ad illius observationem cogere : nam hoc ad illius munus spectat.

CAPUT XVII.

An religiosi professi teneantur horas canonicas recitare, etiamsi in sacris ordinati non sint.

1. Primò suppono ex vi religiosæ professionis in genere, non sequi ex naturâ rei, vel divino jure, obligationem dicendi horas canonicas, etiam suppositâ earum institutione in Ecclesiâ. Hoc certum est, quia professio religiosa per se et ex necessitate non ordinatur ad hoc ministerium, sed ad perfectionem quæ sine hoc medio potest per alia comparari. Item quia professio tantùm obligat ad tria vota juxta regulam, fieri autem potest ut hoc medium non contineatur in regulâ. Neque invenitur aliqua lex ecclesiastica quæ ad hoc obliget omnes religiosos vel omnes religiones. Imò neque est universalis consuetudo; nam quædam sunt non deputatæ ad chorum, quæ non assumunt hanc peculiarem obligationem, quia vel sunt religiones laicorum tantùm ad corporalia opera misericordiæ deputatæ, ut sunt aliqui hospitalarii, vel sunt religiones militares, quæ ut tales sunt (id est, quoad milites) non inducunt hanc obligationem, quia non profitentur ad chorum, sed ad militiam, ut benè Navarrus dicto cap. 7, num. 21, dicit, unde solent per suas constitutiones ad quasdam orationes obligari, cujus obligationis modus erit juxta modum regulæ. Item sunt religiones clericorum ad alias spirituales actiones, et studia vel contemplationem extra chorum ordinatæ, quæ illud peculiare onus non assumunt, donec religiosi sint in sacris ordinati; de his ergo religiosis non est disputatio, quia certum est, eos non teneri, ut à fortiori ex dicendis patebit.

2. Quæstio ergo est de religionibus, quæ ex vi sui statûs chorum profitentur, et ad illum in communi obligantur ut in superioribus declaratum est. Inquirimus autem an religiosus non ordinatus in sacris, qui in choro non recitavit, teneatur privatè horas canonicas dicere. Et de his est communis et recepta sententia affirmans eos teneri. Ita docent auctores citati in capite præcedenti : non comprehenduntur novitii sub hâc lege, quia reverà religiosi non sunt, neque in onerosis sub illâ voce comprehenduntur. Et quod caput est, nulla est lex vel consuetudo quæ illos obliget; et ita sentiunt citati doctores, excepto Paludano, quia gaudent, inquit, privilegio clericorum, et aliquibus privilegiis religiosorum, et ex eorum redditibus vel eleemosynis vivunt. Sed hæc nimis remota sunt ad inferendam illam obligationem, sufficit enim ad illos effectus, quòd sint in viâ ad professionem, et quòd voluntariè subjiciantur ordini et actionibus religionis sub disciplinâ religiosâ. Deinde non comprehenduntur sub eâ regulâ religiosi talium religionum, qui laici seu conversi dicuntur, etiamsi professionem solemnem faciant, quod omnes fatentur; quia isti non sunt ad chorum deputati. Paludanus autem, Antoninus et alii quos Silvester sequitur, quæst. 2, dicunt hos teneri ad recitandum aliquid loco horarum canonicarum, quia aluntur eleemosynis laicorum, quibus aliquo modo recompensare tenentur. Verùmtamen si intelligant teneri ex regulâ, erit verum juxta modum et exigentiam regulæ, unde si regula aliàs non obligat ad culpam, neque in hoc obligabit, nisi specialiter id exprimat, ut per se constat. Si verò intelligant teneri ex jure communi, vel ex consuetudine, id non admittimus, quia jus nullum invenitur, nec de consuetudine constat; imò contrarium testantur communiter doctores, Silvester, Antoninus, Soto, supra, et Navarrus, cap. 7, ubi, num. 21, idem affirmat de monialibus conversis : nam de monialibus professis ad chorum, idem quod de monachis similiter professis affirmandum est, ut etiam docuit Turrecremata, dictâ dist. 91, in principio, art. 10, et moderni communiter sequuntur.

3. Difficultas ergo semper est, quo jure vel ratione obligentur isti religiosi professi ad horas dicendas. Quidam dicunt obligari ex divino jure naturali pertinente ad divinum cultum et religionem, quia sunt ad hunc cultum peculiariter dicati per professionem. Sed hoc fundamentum insufficiens est, quia cultus Dei latissimè patet, et multis aliis modis potest exhiberi; et potissimè, quia licèt religiosus profiteatur vivere secundùm regulam, non tamen imponit sibi necessariam obligationem ad determinatas actiones cultûs divini, nisi quatenùs illas expressè vovet, vel per regulam strictè præcipiuntur, vel per prælatum; hæc autem actio recitandi, neque expressè vovetur, neque in regulâ specialiter præcipitur, ut supponimus, nec etiam præceptum prælati nunc consideratur, agimus enim de permanente et regali obligatione; ergo.

4. Alii dicunt hanc obligationem esse ex naturali lege justitiæ, respectu christiani populi. Nam hi religiosi, qui in ordine ad chorum professionem emittunt, ad hoc instituuntur ab Ecclesiâ, et approbantur, ut sint ministri ejus ad orandum suo nomine pro ipsâ, et propter hanc causam aluntur à christiano populo. Ita ferè Navarrus, dicto cap. 7, § 4, ex D. Antonino, dicto

cap. 4, § 1, et Paludanus, ubi supra. Sed hæc origo hujus obligationis ferè est tam incerta sicut præcedens, quia religiosi non aluntur à populo propter hanc vel illam determinatam actionem vitæ religiosæ sed simpliciter ut in tali statu perfectionis vivat; inde autem non obligantur rigorosè, et ex præcepto ad alias actiones suæ professionis in particulari; ergo neque ad istam. Item non aluntur quasi ex pacto justitiæ, et per modum stipendii, sed vel per modum eleemosynæ, vel absolutæ donationis, nisi fortè quando in ipsâ donatione vel fundatione peculiaris conditio vel actio in partum deducitur; nunquam autem solet recitatio horarum canonicarum hoc modo deduci in pactum. Præterea, Ecclesia approbans instituta religionis, per hoc non imponit ei specialem obligationem ad hoc ministerium potiùs quàm ad alias actiones religiosas, sed tantùm approbat vel acceptat voluntariam obligationem quam ipsi in suâ professione assumunt; si ergo in illâ voluntariâ obligatione non includitur hæc de recitandis horis, profectò nec per institutionem Ecclesiæ imponitur. Denique admisso illo fundamento, ad summum concluderetur esse in corpore religionis, seu in conventibus singulis obligationem ad dicendas horas in choro, quam supra explicavimus; non verò quòd hæc obligatio descendat ad singulos qui choro non adsunt, maximè quando legitimè excusantur vel dispensantur quoad chorum.

5. Dicet aliquis, ex hâc obligatione ad chorum, quæ est in hoc conventu vel corpore religioso, derivari ad singulos absentes obligationem privatim recitandi, quia illa obligatio communis non potest executioni mandari nisi per singulos, et ideò in his qui absunt quasi commutatur recitatio chori in privatam, et veluti sub onere excusantur. Sed contra, nam potiùs hinc augetur difficultas, quia diximus supra quòd licèt conventus teneatur ad chorum, singuli non obligantur ex vi præcepti, sed ex communi obligatione regulæ aut ordinis religiosi, nisi in casu quòd per prælatum major obligatio aliquibus imponatur; ergo ex illâ obligatione non potest obligatio præcepti de recitatione privatâ descendere ad singulos absentes à choro, nec ad illos qui in choro sine ullâ attentione recitârunt. Unde illa commutatio, præterquàm quòd sine probatione asseritur, et ideò incerta est, nihilominùs licèt admittatur, non inducet obligationem ex præcepto, sed ad summum ex regulâ, quia subrogatum sapit naturam ejus cujus loco subrogatur.

6. Addendum ergo necessariò est hanc obligationem fundari in consuetudine præscriptâ, ut docuit Cajetan., verb. *Horæ canonicæ*, Medina in suâ instructione, capite 14, Sot. et alii communiter. Estque hoc sufficiens fundamentum, quia de consuetudine ferè omnes testantur, et materia gravis est, et ex modo consuetudinis constat esse acceptatam ut necessariam ad implendum debitum in illo statu. Ita ferè Silvester, verb. *Hora*, quæst. 2, et ibi alii summistæ, Navarrus, dicto cap. de Orat.; Durantus, lib. 3, de Ritib., cap. 22, num. 5; Panorm. et alii canonistæ, in cap. *Licèt* de Voto. et in cap. 1, de Celebrat. missar., et in Clem. 1, eod. tit., et in cap. ult. d. 92, ac denique Paludanus Antoninus et alii supra citati in obligatione asserendâ, conveniunt, saltem ex fundamento consuetudinis, licèt in aliis non consentiant. Solùm invenio Aragonium in 2-2, quæst. 83, art. 11, dub. 4, qui indicat hanc obligationem non esse tam rigorosam sicut in clericis in sacris; unde ait non peccare mortaliter monachum professum ad chorum, semel aut iterùm divinum officium omittendo, et refert Medinam in cod. de Orat., q. 7, absolutè dicentem monachos non teneri. At ille solùm addit non teneri ex vi professionis, sed vel ratione regulæ, si hoc præcipiat, vel ratione consuetudinis, *si in religione talis sit*; in quo ultimo verbo videtur de consuetudine dubitare. De quâ (quod mirum est) expressiùs dubitat Cajetanus dicens: *De quâ nihil scio*, quem sequitur Armillanus, n. 4; sed in re tam gravi non videtur tutum, hanc licentiam dare religiosis, et januam aperire, ut excusationes chori quærant, et simul officia omittant contra communem consuetudinem valdè pertinentem, ad munus talium religionum. Et præterea quia vel consuetudo talis est ut æquivaleat præcepto recitandi horas canonicas, vel non est hujusmodi; inter hæc enim medium non potest reperiri. Si autem primum affirmetur, sequitur peccare mortaliter monachum professum qui semel officium totum omittit, vel notabilem partem ejus, quia illa est materia gravis, ut omnes fatentur respectu clerici in sacris, et infra dicemus. Nec potest intelligi quòd respectu unius sit gravis, et non respectu alterius, cùm præceptum ejusdem virtutis et rationis sit, et consuetudine sit etiam introductum in clericis in sacris, saltem infra presbyteros. Si autem illa religiosorum consuetudo nondùm præceptum induxit, profectò non peccabit mortaliter talis religiosus, etiamsi crebrò et longo tempore officium negligenter omittat, quia non agit contra præceptum. At tunc excusare illum non audet ipse Aragonius, quia judicio et consensu bonorum et sapientûm virorum non excusatur, ut rectè dicit; ergo oportet ut fateatur hâc consuetudine esse introductum præceptum obligans hos religiosos ad recitandas horas canonicas; ergo illud præceptum obligat eos ad recitandas illas quotidiè, tum quia per talem consuetudinem introductum est, tum etiam quia est introductum ad instar præcepti clericorum; tum etiam quia non potest moraliter aliud tempus, neque alia frequentia recitandi ex vi illius præcepti determinari; ergo inducit hæc lex æqualem obligationem in monachis professis, et in clericis in sacris.

7. Sed objicit Aragon. quia si monachus professus ad chorum transferatur ad statum conversorum, seu fratrum laicorum, eo ipso non tenetur recitare horas canonicas, ergo signum est neque antea fuisse obligatum. Probatur consequentia, quia sola prælati voluntas est sufficiens ad faciendam illam mutationem; non esset autem sufficiens ad tollendam obligationem præcepti. Respondetur negando consequentiam, quia licèt prælatus non posset auferre obligationem, manente fundamento ejus, tamen si possit auferre fundamen-

tum, ablato illo, auferret etiam obligationem; sicut si clericus in minoribus habeat beneficium, non potest episcopus illum liberare ab onere recitandi pro suo arbitrio; si tamen aliquo justo titulo possit auferre beneficium, illo ablato, consequenter etiam auferet onus. Tantùm ergo probat illud argumentum, rationem fundamentalem hujus obligationis in monacho non esse nudam professionem; nam hæc eadem manet in tali personâ, sed esse professionem cum tali munere, seu deputatione ad chorum adjunctâ consuetudine, quæ utramque conditionem ad obligationem requirit.

8. Dices : Ergo si talis monachus aliàs deputatus ad chorum, et nondum in sacris ordinatus à Papâ dispensetur, ut in seculo vivat, jam non tenebitur officium recitare, quia extra chorum factus est. Consequens est falsum, quia ille non liberatur aliis oneribus religionis quæ extra claustra potest implere, nisi in eis etiam specialiter dispensatus sit. Respondeo simpliciter negando sequelam quia licèt ille sit separatus ab actuali usu chori, semper manet in statu religiosi professi ad chorum; et ideò non est similis ratio, quia in hoc non fuit ablatum fundamentum obligationis, quæ non consistit in usu, sed in statu. Distinguunt tamen aliqui de dispensatione perpetuâ vel temporali. Et in temporali fatentur procedere rationem factam, non verò in perpetuâ, quia per hanc omninò liberatur à choro, cùm liberetur perpetuò ab usu ejus. Sed contrarium credo esse securius et probabilius, quia licèt dispensatio manendi perpetuò in seculo consequenter liberet ab usu chori, non ideò facit mutationem in statu religiosi clerici in religiosum laicum, cui statui annexa est obligatio dicendi officium ex consuetudine. Unde si ipsa religio vel generalis ejus dispensaret (suppositâ potestate) cum aliquo religioso hujusmodi, ut nunquàm iret ad chorum, nihilominùs obligatus maneret ad officium dicendum. Quòd autem per illam dispensationem Papæ non fiat mutatio in prædicto statu, potest à signo colligi ex habitu et coronâ; nam si ille religiosus maneat in seculo, retento habitu, non assumet habitum laicorum, etiamsi distinctus sit, neque deponet capitis coronam. Item si Pontifex revocet dispensationem, ille redibit ad religionem in statu choristarum, et non laicorum; ergo dispensatio non fecit mutationem in statu; ergo neque abstulit obligationem recitandi, nisi hoc in ipsâmet dispensatione fuerit expressum.

9. Et hinc à fortiori sequitur hujusmodi religiosum, si fugitivus sit, non liberari ab hoc onere propter fugam, quamdiù extra monasterium vivit quia non debet commodum ex suâ iniquitate reportare, et quia semper retinet fundamentum obligationis, et de se obligatus est ad servandam consuetudinem talium religiosorum, quam potest observare etiam extra claustra, ut benè notavit Navarrus, dicto cap. 7, num. 19 et 20, qui addit idem judicandum esse de religioso per sententiam ejecto. Et meritò (quidquid dicat Sotus dicto art 3), quia eadem ratio obligationis in eo manet, etiamsi sit ad triremes condemnatus; semper enim manet religiosus talis statûs et ideò licèt pro tunc sit impeditus ab usu chori, tenetur recitare, si commodè potest.

CAPUT XVIII.

Utrùm clerici beneficium habentes teneantur ad horas canonicas recitandas.

1. Generalis regula est beneficium ecclesiasticum secum afferre hanc obligationem, etiam si persona, quæ illud habet, religiosa non sit, neque ordinata in sacris. Ita docent omnes. Soletque probari primò ex cap. *Si quis presbyter*, dist. 92, ibi : *Vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus.* Illud enim decretum licèt non sit Martini Papæ, ut à Gratiano inscribitur, sed ex Collectis à Martino Bracharensi episcopo, ubi est sexagesimum tertium, creditur sumptum ex concilio Toletano I, cap. 5; verum est tamen, in illo concilio non dici : *Si ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit*, etc. Ubi in rigore de solo sacrificio missæ videtur esse sermo; in alio verò decreto extensum est, vel declaratum etiam de sacrificio laudis, quod per horas canonicas Deo offertur. A quo autem, vel quâ auctoritate illa declaratio et verborum mutatio facta sit, mihi non constat; utcumque tamen sit, decretum illud, prout apud Gratianum habetur, pro lege ab omnibus suscipitur. Adhuc tamen responderi potest ibi esse sermonem de obligatione assistendi vel canendi in choro. Sed ex unâ altera illata est; nam si in choro non impletur, saltem privatim idem officium dicendum est. Probat etiam hanc obligationem Navarrus ex cap. *Quod à te*, et cap. *Diversis*, de Cler. conjug. ubi clerici conjugati inepti censentur ad beneficia ecclesiastica retinenda, quia non possunt Deo et seculo convenienter servire : nam hæc ratio supponit eos ratione beneficii esse obligatos ad divina officia persolvenda. Sed illa jura apud me non cogunt, tum quia ex generali obligatione ministrandi vel serviendi in ecclesiâ non infertur particularis dicendi officium divinum : tum etiam quia clericus conjugatus non est moraliter impeditus ad privatim recitandum officium divinum. Expressiùs hoc probatur ex concilio Lateranensi sub Leone X, session. 9, in Bullâ reformationis, sub titulo *Reformationes curiæ*, § *Statuimus*, ubi privat fructibus beneficiorum eos qui divinum officium non dicunt, et non est lex purè pœnalis, ut constat; ergo supponit illam esse gravem culpam; quod etiam significant illa verba, *eos tanquàm injustè perceptos*, et illa : *Si in simili negligentiâ contumaciter permanserint*, etc. Quæ verba planè significant, illam esse gravem culpam; ac subinde contrarium actum esse præceptum; illamque constitutionem confirmavit et auxit Pius V, const. suâ 138, in Bull. Rom. ut infra latiùs videbimus.

2. Dubitari autem solet an hæc obligatio sit non solùm de jure positivo, sed etiam de jure naturali. Multi enim censent esse de jure naturæ. Ita Ulrichus, quem refert et sequitur Turrecremata, distinct. 91 in principio, quæst. 5, et indicat Antoninus, 3 part., tit. 13, cap. 4, § 51, et sequitur Navarr., cap. 7, de Orat., num. 3, Durantus, lib. 3, de Ritib., cap. 22,

qui citat Glossam pragmaticæ sanctionis, § 1, et Cajetanus, verb. *Horæ canonicæ*, qui non expressè id affirmat, sed quatenùs asserit, teneri clericum beneficiatum ad horas dicendas ratione stipendii, quod per beneficium datur; obligatio autem, quæ ex stipendio nascitur, naturalis justitiæ est. Atque hoc modo potest pro hâc sententiâ referri Tabienna, verb. *Hora*, quæst. 1 et 15. Rosella, num. 13, Armilla, num. 11, et Soto, lib. 10, de Just., quæst. 5, art. 3, et alii. Fundamentum ergo hujus sententiæ est, quia *beneficium datur propter officium*, juxta cap. ult., de Rescript. in 6, et cap. *Cùm secundùm*, de Præb.; qui autem officium non implet, injustè accipit emolumentum beneficii, cap. *Si quis sacerdotum*, et cap. *Eos etiam*, dist. 81. Hoc autem jus naturale est, ut mercenarius, qui non servit, stipendium non recipiat; ergo etiam è contrario, qui accipit stipendium, jure naturæ obligatur ad opus implendum; ergo eodem jure naturæ obligatur quilibet clericus habens beneficium ecclesiasticum, ad divinum officium dicendum.

3. Hæc verò sententia videtur in suo discursu committere defectum supra notatum ex genere speciem affirmativè colligendo : cùm enim dicitur beneficium dari propter officium; sub nomine officii, comprehenditur quodlibet spirituale ministerium, seu servitium Ecclesiæ, vel fidelium, sub quo officio multa alia includuntur præter recitationem horarum canonicarum, ut ministratio sacramentorum, prædicatio verbi Dei; ministerium altaris; spirituale regimen Ecclesiæ et similia. Ergo possunt dari beneficia propter alia officia præter horas canonicas; ergo saltem in illis non habebit locum hæc obligatio. Imò, ut supra vidimus, aliqui probabiliter censent, canonicos vel dignitatem habentes assistentes, et non cantantes in choro, satisfacere obligationi officii propter quod accipiunt beneficium, et stipendium etiam distributionum; ergo ex vi naturalis justitiæ non obligarentur in rigore ad dicendum officium, nisi alio speciali præcepto obligatio imponeretur.

4. Nihilominùs dicendum est, hoc officium recitandi horas canonicas, tale esse, talique modo ab Ecclesiâ institutum, et acceptum ut cuilibet beneficio ecclesiastico, quod per proprium titulum spirituale confertur, annexum sit, non obstante quâcumque obligatione ad aliud officium, ex vi talis beneficii impositâ. Itaque licèt episcopatus detur propter spirituale regimen animarum, et propter verbum Dei, simul datur propter officium canonicum; idem est de beneficio parochiali, et de quocumque alio, etiam simplici. Hæc autem veritas supponitur ab omnibus allegatis auctoribus potiùs quàm probetur; quia ex solâ rei naturâ probari non potest, ut argumentum factum probat, sed necessaria est institutio, ac voluntas Ecclesiæ : hæc autem institutio in jure canonico, et communi non videtur sufficienter probari, quia nullibi inventur ita expressè proposita et declarata, ut etiam Sotus significavit. Nihilominùs ad illam probandam sufficit communis consensus, et traditio Ecclesiæ; videtur item mihi illam declarâsse concilium Lateranense loco proximè citato : nam postquàm statuit, ut beneficiati non recitantes priventur fructibus, vel si contumaces sint post legitimam admonitionem, etiam ipsis beneficiis priventur, rationem subdit : *Cùm propter officium detur beneficium* : ergo intelligit, et declarat propter hoc officium recitandi dari omne beneficium : nam de omnibus planè loquitur, ut ex principio illius statuti constat, dum ait : *Ordinamus ut quilibet habens beneficium cum curâ, vel sine curâ*, etc.

5. Suppositâ ergo hâc institutione, rectè infertur esse hanc obligationem ex instantiâ naturali, ut probant dicti auctores : si quis autem rectè consideret, totum hoc tandem reducitur ad ecclesiasticum præceptum, ideò enim censetur dari beneficium propter hoc officium, quia Ecclesia voluit, ut hoc esset quasi primum et fundamentale officium, propter quod beneficium quodlibet datur. Et ita sensit Silvester, verb. *Hora*, quæst. 8. Addit verò quòd si Ecclesia non determinâsset hoc officium, ut ratione cujuslibet beneficii recitaretur, teneretur clericus beneficiatus ad recompensandum benefactoribus, quia hoc est de jure naturæ : quod etiam multi canonistæ supra citati docuêre. Verumtamen nisi vel ex institutione ipsâ beneficii, vel ex consuetudine, vel ex præcepto, et declaratione Ecclesiæ, constet de ministerio, vel actione spirituali aut ordinatâ ad spiritualia, ratione cujus datur beneficium, non possumus cum fundamento aliquam obligationem ex justitiâ imponere ad actionem determinatam, ratione beneficii, sed ad summum erit obligatio gratitudinis, cui posset beneficiatus satisfacere per quodcumque genus orationis vocalis aut mentalis, ut supra dicebam, vel per communia opera religionis, ut dicendo, vel audiendo missam. Ad obligationem enim justitiæ, necesse est ut formale, vel virtuale pactum intercedat, quo aliquis ratione stipendii ad certam actionem obligetur : et ideò ut ex beneficio nascatur obligatio recitandi horas canonicas, necessarium fuit, vel consuetudine, vel lege Ecclesiæ esse declaratum, hoc esse officium, propter quod beneficium datur. Atque ita explicati sunt omnes tituli, ex quibus obligatio ad horas canonicas nascitur; sunt enim tantùm tres numerati, sacer ordo, solemnis professio ad chorum, et beneficium ecclesiasticum : hos enim titulos, et nullum alium omnes auctores agnoscunt. Non agimus autem de peculiari obligatione, quæ ex voto oriri potest, vel interdùm ex hominis præcepto; nam illa non pertinet ad jus commune, de quo agimus, sed ex particulari facto nascitur.

6. Circa propositam autem regulam multa explicanda supersunt, quæ in sequentibus capitibus prosequemur; nunc una tantùm difficultas expedienda est. Nam videtur sequi ex dictâ regulâ, si unum beneficium obligat ad recitandum semel totum officium, duo beneficia obligare, ut bis dicatur, et plura, ut sæpiùs : nam proportio videtur in hoc servanda, attentâ ratione justitiæ. Quæ difficultas petit vulgare dubium, an qui habet plura beneficia teneatur pluries in die canonicum officium dicere, vel satisfaciat utrique aut

omnibus, et justitiæ, ac præcepto Ecclesiæ, semel recitando : sunt enim in hoc contrariæ opiniones. Navarrus enim in Miscel. 60, de Orat. in eam partem inclinat, quæ affirmat, teneri beneficiatum toties dicere officium, quot beneficia habet : quod etiam senserunt Guillelmus Parisiensis in tractat. de Collat. benef. et Carthusianus, Opusc. contra pluralitatem beneficiorum, art. 1. Navarrusque multa affert argumenta; summa verò eorum est; quia unumquodque beneficium per se obligat ad recitandam, et per conjunctionem in unâ personâ non fiunt unum, ergo inducunt duas obligationes, sed per unam recitationem non satisfit utrique ad æqualitatem, nec multiplicatio solutionum est impossibilis; ergo cadit sub obligationem. Sicut qui habet plures capellanias certum numerum missarum, aut certum servitium postulantes, tenetur duplicatas missas dicere, vel duplex servitium exhibere, quòd si talia sint servitia, ut sint incompatibilia, vel non detur in eis locus receptioni, ut si obligent ad dicendum missam quotidie per se, et non per alium, tunc non poterit quis tutâ conscientiâ capellanias illas simul retinere, quia non potest ad æqualitatem utrique satisfacere; ergo idem cum proportione dicendum est de pluralitate beneficiorum; unde si quis tantam multitudinem beneficiorum accipiat, ut moraliter non possit toties in die officium dicere, contra justitiam et æquitatem beneficia illa tenebit. Nec satisfaciet, dicendo semel per se, et totics per alios, quia, ut diximus supra et inferiùs etiam dicemus, hoc est onus personale, quod per alios solvi non potest.

7. Contraria sententia communis est, quam docuit D. Thomas, quodlib. 1, art. 13, et secuti sunt Paludanus, in 4, dist. 15, quæst. 5; Major, distinct. 12, quæst. 6; Turrecremata, dist. 91, in principio; Albertus de Ferrariis, tract. de Horis canonicis; et Joannes de Lignano in Clem. 1, de Celebr. missar., estque tam universali et indubitatâ consuetudine recepta, ut non possit in moralem dubitationem adduci. Ratio autem à priori est, quia licèt Ecclesia præceperit recitare officium habenti beneficium, nullibi præcepit recitare pluries idem officium habenti plura beneficia; et consuetudo sufficienter interpretatur non esse hanc mentem illius præcepti. Et declaratur à simili, quia licèt Ecclesia præceperit ut qui habet ordinem sacrum, totum officium semel in die dicat, non ideò præcepit, ut qui habet plures ordines sacros, pluries dicat officium. Et hoc exemplum facilè solvit fundamentum alterius sententiæ : nam licèt aliquis titulus sit sufficiens ratio obligationis, non semper multiplicatio titulorum multiplicat obligationes, sed auget eamdem, ut pluribus titulis debeatur. Ut sacerdos religiosus habens beneficium regulare tribus rationibus professionis, ordinis, et beneficii ad recitandum tenetur, et tamen non propterea tenetur ad tria officia, sed ad unum tribus titulis. Itaque hoc ex institutione pendet; institutio autem Ecclesiæ non est, ut eadem persona obligetur ad recitandum sæpiùs in eodem die, etiamsi ex pluribus capitibus teneatur. Neque in hoc aliquid peculiare afferri potest, quod in jure ecclesiastico, vel naturali fundatum sit. De ecclesiastico constat, quia scriptum non invenitur, et consuetudo est in contrarium : de naturali verò patet, quia hæc res non est naturalis juris, sed humani, vel, ut sit naturalis obligatio, supponit humanam institutionem.

8. Dices, suppositis stipendiis, jus naturæ obligare. Sed contra, quia vel stipendium consideratur respectu fidelium, qui vel ex bonis suis conferunt ad hæc stipendia solvenda ministris Ecclesiæ, vel fuerunt patroni, vel institutores talium beneficiorum; vel consideratur respectu ipsius Ecclesiæ, aut pontificis ordinantis modum hujus obligationis ad officium ratione beneficii. Prior consideratio non sufficit ad hanc obligationem in particulari imponendam, quia licèt fideles solvant decimas ad sustentandum ministros Ecclesiæ, et ideò ipsi teneantur ex justitiâ populo ministrare; tamen determinare materiam hujus obligationis, et distribuere onera ministrorum ad Ecclesiam pertinet; Ecclesia autem nunquàm voluit, ut propter quoscumque redditus eadem persona sæpiùs dicat officium in die, etiamsi propter varios beneficiorum titulos, illos recipiat. Et quamvis aliqua beneficia patrimonialia ex voluntate instituentium interdùm habeant peculiaria onera designata, nunquàm invenietur de onere divini officii aliquid peculiariter in hujusmodi institutionibus declaratum, neque Ecclesiæ consuetudo illud fert, sed semper supponitur hæc obligatio ut annexa beneficio; ergo nec propter voluntatem specialem instituentium dici potest ex pluribus beneficiis hujusmodi oriri obligationem dicendi pluries officium. Et fortassè si aliquis tentaret hoc onus imponere, censeretur tam alienum ab usu Ecclesiæ, ut non admitteretur, neque justum reputaretur.

§ 9. Tandem adjungere possumus considerationem aliam, juxta opinionem eorum qui putant quòd recitatio divini officii, etiamsi pro pluribus fiat, non minùs valet singulis, quàm si pro uno tantùm diceretur, ut sentit Hieronymus citatus in capit. *Non mediocriter*, de Consec., dist. 5, dicens : *Cùm pro cunctis animabus psalmus vel missa dicitur, nihil minùs quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur :* quod est intelligendum quoad vim impetrandi, quæ in his orationibus publicis, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, præcipuè consideranda est. Nam in eis non per se attenditur meritum, vel satisfactio particularis personæ recitantis officium : nam si ille sit in statu peccati mortalis, nihil meretur, vel satisfacit, et tamen verè implet præceptum, et munus suum, solvendo pensum orationis suæ. Verèque impetrat, seu impetrare potest, non tam attentâ conditione suæ personæ, quàm spectatâ Ecclesiæ sanctitate, in cujus nomine orat, et Dei liberalitate, et speciali dilectione ad Ecclesiam suam. Quoad hunc ergo effectum probabile est, etiamsi talis oratio fundatur pro multis, non minùs impetrativam esse pro singulis, quia cùm ad hunc effectum non attendatur valor, quem oratio habet à personâ orante, non minuitur in singulis, eo

quòd ad plures extendatur, quia dignitas Ecclesiæ est sufficiens ad omnes, et non minuitur acceptabilitas, ut sic dicam, intercessionis ejus apud Deum pro aliquo, eo quòd pro pluribus intercedat. Sic ergo, quamvis aliquis officium canonicum semel dicat pro pluribus Ecclesiis aut populis, prout necessarium fuerit ad solvenda debita plurium beneficiorum, pro omnibus sufficienter satisfaciet. Et quamvis opinio illa incerta sit, quoad æqualem vim, quam tribuit orationi factæ specialiter pro uno, vel factæ pro multis respectu singulorum, etiam in personâ Ecclesiæ, quia etiam ex hâc parte est finiti valoris; nihilominùs præsenti instituto satis est, quòd illa precatio pro multis, prout fit in personâ Ecclesiæ, est apud Deum magnæ efficaciæ pro singulis: nam hoc satis est ad satisfaciendum illi obligationi, quia non tenetur is qui habet beneficium ita orare pro illis quibus obligatur, ut perfectissimo modo, seu totaliter, ut sic dicam, totam Ecclesiæ auctoritatem ad impetrandum interponat, quia nulla est naturalis ratio hujus obligationis, neque Ecclesia illam imposuit, ut ostensum est.

10. Ad rationes Navarri jam ferè responsum est ex dictis, quia licèt in aliis casibus possit quis teneri ad distinctas solutiones plurium debitorum, vel per plures res, vel per plures actiones, ut dicendo, vel audiendo bis missam, quando vel ex verbis præcepti, vel ex naturâ talis materiæ id satis constiterit; nihilominùs sæpè etiam contingit ut unâ actione duplici obligationi satisfiat, ut eodem jejunio, vel eâdem missâ, vel eâdem peregrinatione. Præsens ergo obligatio hujus posterioris generis est ut aliis exemplis magis similibus est declaratum. Solùm est advertendum, sermonem esse de illo qui legitimè possidet duo beneficia, ita ut utriusque verum jus habeat; nam si utrumque, vel alterum injustè et indebitè possideat, clarum est non posse recitando satisfacere pro illo vel illis, quorum non est dominus, nec justus possessor: quod verum est, etiamsi sæpiùs in die recitet, quia deest illi fundamentum, ut possit facere fructus suos. Dicunt tamen Paludanus et Major tunc quodam modo indirectè teneri ad plura officia, quia defraudat illis Deum et Ecclesiam. Sed hæc obligatio immediatè solùm est ad dimittendum beneficium malè possessum, et restituendum fructus, non verò specialiter ad recitandum iterùm ratione illius; unde si ex suppositione quòd malè retinet beneficia, obligetur ad recitandum, vel ut vitet scandalum, vel ut Ecclesiæ in publico officio satisfaciat; tunc semel tantùm recitando satisfaciet. Majori ergo ratione idem dicendum est de omni clerico, qui legitimè utrumque obtinet, sive quia talia sunt, ut jure communi non sint incompatibilia, et sine fraude vel surreptione sunt obtenta, sive quia ex legitimâ dispensatione comparata fuerunt. Nam eo ipso illi concessum est, ut semel recitando, fructus utriusque beneficii obtinere possit, dummodò si beneficia alia officia, vel servitia postulant, illis, juxta exigentiam eorum, per se vel alios satisfaciat; nam hæc obligatio naturalis est, supposità beneficiorum institutione.

CAPUT XIX.

Utrùm beneficium obligèt ad recitandum ex visolius tituli, vel possessionem etiam requirat.

1. Quoniam in beneficio inveniuntur, et jus ad fructus, et fructus ipsi, declarandum necessariò est, an jus sine fructibus, vel fructus sine jure ad hanc obligationem sufficiant. Primum in hoc capite; secundum in sequenti expediemus. Jus autem beneficii acquiritur titulo, et quasi consummatur possessione: loquimur autem de jure in re, nam jus ad rem potest antecedere titulum per provisionem nondùm acceptatam vel præsentationem, aut nominationem. Certum est autem hoc jus ad beneficium, non sufficere ad obligationem recitandi, quia illud jus non est beneficium, neque qui illud habet, potest beneficiarius appellari. Atque ita etiam est certum, ante acquisitum titulum beneficii non oriri obligationem recitandi. In reliquis verò sunt plura dubia, videlicet an solus titulus ante possessionem obliget ad recitandum; item an saltem possessio sufficiat sine fructibus et sine spe illorum, vel an sint necessarii fructus, et an illi debeant esse sufficientes vel satis sint exigui.

In hâc ergo materiâ variæ sunt opiniones. Prima est, titulum solum beneficii sine actuali possessione ejus, imò etiamsi pro tunc haberi non possit, sed violenter impediatur, sufficere, ut aliquis teneatur ratione beneficii ad recitandum, dummodò habeatur moralis spes obtinendi possessionem. Ita tenet Navarrus, cap. 7, de Orat., num. 28 et 29, ubi ait, provisum ad beneficium, priusquàm suum consensum præbeat, non teneri ad recitandum, quia nondùm habet jus in beneficium, licèt habeat aliquod jus ad illud, quatenùs est ei debitum, juxta cap. *Si tibi absenti*, de Præbend., in 6. Atverò statim ac præbet consensum, et ei facta est collatio, jam teneri ad recitandum etiam ante acceptam possessionem, quia jam habet jus in re et dominium beneficii, et ex eo tempore ei debentur fructus, quamvis eos non sit obtenturus, donec possessionem accipiat. Semper autem Navarrus ultra titulum requirit expectationem moralem, non solùm possessionis, sed etiam fructuum respondentium illi tempori, in quo non habuit possessionem, ita ut si fructus illius temporis non speraret, non teneretur in illo recitare, in quo convenit cum tertiâ sententiâ statim referendâ. Ita declarat in dicto loco, et in Manuali, cap. 25, num. 103 et sequentibus.

3. Secunda sententia est, ad obligationem recitandi ex beneficio, necessariam quidem esse possessionem cum titulo beneficii; hanc tamen sufficere sine fructibus, et sine illâ spe illorum, etiam pro illo tempore, pro quo quis ad recitandum obligatur. Ita sentire videntur Paludanus, in 4, dist. 15, quæst. 5, et Turrecremata, dist. 91, in principio, quæst. 14. De priori parte hujus sententiæ statim dicemus. Ratio verò alterius partis esse videtur, quia jura dicunt teneri ad recitandum, qui habet beneficium; sed qui titulum et possessionem recepit, verè ac simpliciter habet bene-

ficium, quia fructus vel spes eorum non pertinent ad substantiam beneficii; unde ille potest gaudere honoribus, et privilegiis clericorum habentium beneficium, et poterit habere sedem in choro, et suffragium in capitulo, si beneficium tale sit; ergo ille tenetur ad recitandum, quia jus aliam conditionem non requirit, nec limitationem adhibet, et ubi jus non distinguit, nos distinguere non debemus.

4. Tertia sententia est, titulum et beneficium non sufficere ad obligationem recitandi pro eo tempore pro quo aliquis non accipit, neque expectat habere aliquos fructus, vel quia per Papam fuerunt alteri applicati, vel quia ex consuetudine vel alio titulo non debentur pro primo vel secundo anno possessionis beneficii, vel quia servire non potest, et cogitur servire per alium cum congruâ sustentatione, vel per vim et injustitiam impeditur, ne illos accipiat sine spe recuperandi. Ita Cajetanus, in Summâ, verbo *Hora*, Soto, lib. 10, de Justitiâ, quæst. 5, art. 3; Armilla, verbo *Hora*, num. 1, ubi inclinant etiam Silvester, et alii summistæ. Fundamentum est quia moraliter et humano modo loquendo, ille perinde se habet pro eo tempore ac si non haberet beneficium, cùm stipendio illius non fruatur. Et confirmatur, quia cùm dicitur *beneficium dari propter officium*, maximè intelligitur de beneficio quoad fructus, qui sunt veluti stipendium propter officium; ergo cùm dicitur beneficium obligare ad recitandum, intelligi debet de beneficio fructuoso. Nam qui *altari deservit, ex illo debet vivere*, seu participare, 1 ad Corinth. 9; ergo qui de illo non participat, non obligatur recitare. Neque ab hâc sententiâ videtur dissentire Medina, quæst. 7, de Orat.; nam licèt affirmet teneri ad recitandum eum qui nullos fructus ex beneficio accipit, quia accipit illud cum pensione solvendi omnes fructus alteri, totum hoc fundat in voluntariâ acceptatione cum illo onere; unde si invitus id faceret, fortassè oppositum sentiret, quia videtur sequi per argumentum à contrario, quamvis ipse distinctè hoc non declaret.

5. Atque hoc modo tenent eamdem opinionem Ledesma, in 4, part. 2, quæst. 16, art. 4, dub. 5; Aragonus, 2-2, quæst. 83, art. 12, et Corduba, in Summâ, quæst. 186, et potest sumi ex Silvestro, verbo *Hora*, quæst. 2, dicto 2. Et cum hâc limitatione suadetur hæc sententia: primò, quia in illo casu reverà ille habet beneficium, et jus ad fructus; quòd autem illos non lucretur, voluntate ejus factum est, licèt de licentiâ Pontificis; ergo apud illum manet tota obligatio divini officii, quia nec Pontifex illam abstulit, ut per se constat, nec ipse potuit à beneficio illam separare suâ voluntate. Et confirmatur; nam tenetur, cui reservatur pensio, non ex vi illius canonicum officium dicere, ut infra videbimus; ergo necesse est ut qui recipit beneficium, hanc etiam obligationem recipiat, non enim debet Ecclesia suo servitio privari. Confirmatur secundò; nam ille qui hoc modo acceptavit beneficium, tenetur ad quodcumque aliud servitium debitum ex vi beneficii, etiamsi fructus non percipiat; ergo etiam tenebitur ad hoc servitium recitandi horas. Atverò si contingat aliquem accipere beneficium illo modo non voluntate suâ, sed jussu Pontificis, hi auctores sentiunt in eo casu non obligari, quia tunc nec per se, nec per alium recipit fructus, nec per illum stat, quominùs eos recipiat, sed per Pontificem qui beneficium illo modo contulit. Et ita declarant hanc sententiam expressè Aragon. et Ledesma, atque ita in re non dissentiunt à tertiâ opinione, sed illam limitant ut intelligatur quando fructus involuntariè non percipiuntur. Quæ limitatio, et per se est rationi consentanea et non est aliena à mente auctorum primæ opinionis. Nam ipsi asserunt tunc aliquem deobligari ab onere divini officii propter fructus non perceptos, quando per illum non stat, quominùs illos recipiat; quoties autem voluntariè illis renuntiavit expressè vel tacitè, per illum stat quominùs eos recipiat; ergo. Item qui voluntariè suscipit officium onerosum, renuntians stipendio ejus, obligatus manet ad satisfaciendum et implendum officium, et multò magis, si consentiat, ut stipendium detur alteri, pro quo ipse vult laborare; ergo à fortiori tenebitur beneficiatus in dicto casu ad dicendum officium, quia non tantùm hoc modo se obligat; sed etiam accipit in se jus perpetuum, quod aliquando poterit sibi prodesse ad percipiendos fructus, ut si pensionarius moriatur.

6. Præter has opiniones, non invenio aliquem dixisse, solum titulum beneficii sine spe possessionis, vel etiam cum spe illius, et sine spe fructuum obligare ad recitandum. Ideòque hoc inprimis supponimus tanquàm fundamentum certum, quia nullo jure vel consuetudine probari potest talis obligatio, et ideò cùm ab auctoribus non asseratur, non est facilè imponenda. Et hìc maximè habet locum illa ratio, quòd ille potiùs nomine quàm re habet beneficium, et ideò non comprehenditur sub lege obligante habentes beneficium; quæ, cùm onerosa sit, restringenda potiùs est quàm extendenda. Et hoc etiam confirmat fundamentum tertiæ sententiæ; et ex sequenti assertione à fortiori confirmabitur. Sit ergo certum, ultra titulum requiri saltem probabilem et moralem spem possessionis acquirendæ.

7. Ultra hoc verò dico primò: Beneficium non obligat ad recitandum officium ratione solius tituli ante acquisitam possessionem, nisi per beneficiatum stet habere illam. Hæc assertio licèt sit incerta propter auctoritatem et rationem Navarri, nihilominùs est probabilior, illam enim apertè supponunt Turrecremata et Paludanus supra, et Major, in 4, distinct. 12, quæst. 6, ad 9. Docet ex professo Flaminius, lib. de Resignatione beneficiorum, quæst. 9, num. 15, cujus sententiam probabilem judicat Azor., lib. 10, cap. 4, quæst. 7. Adducit autem Flaminius in hujus sententiæ favorem eumdem Navarrum, concil. 17, de Celebratione Missarum; sed immeritò, quia ibi loquitur de eo cui nondum erat collatum beneficium, nec habebat jus, seu titulum in re, sed tantùm ad rem, unde potiùs sentit quòd si facta esset collatio, obligaretur ille ad recitandum, et ita ibi confirmat, quod in aliis locis dixerat. Addit etiam ille auctor, ita esse usu re-

ceptum in Curiâ Romanâ, de quo mihi non constat, si tamen id constiterit, pro lege sufficiet, maximè cùm nullum sit jus in contrarium, et hæc res maximè pendeat ex positivo jure vel consuetudine. Nam ex solâ rei naturâ opinio Navarri non sufficienter probatur, primò quia in jure non censetur quis perfectè et quasi consummatè habere beneficium, donec pacificam ejus possessionem habeat, vel saltem per illum stet, quominùs habeat, argumento capitis *Licèt episcopus*, de Præbend., in 6. Secundò, quia licèt quis habeat dominium, ut ita dicam, radicale, seu proprietatis beneficii à die collationis, nondùm tamen habet dominium utile, ut sic dicam, et ideò non immeritò potest non obligari statim ad laborandum in vineâ, donec utilitatem ex illâ accipiat, vel ad hoc habeat quasi proximam potestatem. Neque satis est quòd postea sit percepturus fructus illius temporis, tum quia hoc non est universale, ut patet in canonicatibus et aliis similibus præbendis; tum maximè quia hæc ipsa spes est semper incerta, quantùmvis probabilis sit; sæpe enim provisio fit et acceptatur Romæ, et postea, in Hispaniâ, verbi gratiâ, mille impedimenta inveniuntur, quia vel alius intrusus est colorato titulo, vel alius priùs impetraverat, et similia; ergo non debet quis obligari ad persolvendum officii canonici debitum priusquàm perfectè sit assecutus beneficium et possessionem ejus, tunc enim moraliter potest esse certus de fructibus, et non aliter.

8. Videtur ergo hæc opinio satis probabilis. Addita verò est illa restrictio, dummodò per illum non stet, quominùs possessionem beneficii consequatur; quia si vel malitiosè moras prætendat, aut negligenter se gerat, non debet fraus vel negligentia illi prodesse, neque Ecclesia privanda est officio suo propter culpam beneficiati. Atverò si moralem diligentiam adhibeat, rationabiliter excusatur ab onere recitandi, donec possessionem accipiat. Quòd si tunc inveniat aliquos fructus correspondentes priori tempori, ex quo titulum accepit, id accidentarium est; nam sæpe etiam contingere potest ut nulli sint, et nullum est inconveniens, quòd pro illo tempore stipendium aliquantulùm augeatur; nam interdùm etiam contingit, ut successori reserventur omnes fructus, non solùm à tempore accepti tituli, sed etiam à tempore vacationis beneficii, quo tempore futurus successor recitare non tenebatur. Denique si debitum usum et institutionem beneficii consideremus, illud augmentum in commodum Ecclesiæ et usum pauperum maximâ ex parte redundare debet, et non est à ratione alienum, ut inde etiam possit juvari beneficiatus ad majores aliquas expensas, quæ in initio suscepti beneficii fieri solent.

9. Ex hâc verò resolutione à fortiori infertur, quoties aliquis recepto titulo et acquisito jure in beneficium, per litem impeditur ne possessionem accipiat, non teneri pro eo tempore ad recitandum ratione solius tituli. Patet ex illo principio, quòd caret possessione, et per eum non stat. Et ita tenent auctores proximè citati. Contrarium tamen tenet Navarrus, dicto capite 7 de Oratione, numero 28, dicens, habentem justum titulum beneficii, si pro illo ejusque possessione litigat, et habità sententiâ adepturus sit fructus illius temporis, obligari ex vi tituli ad recitandum, *secundùm omnes*, inquit, *etiamsi non accepisset, neque accipere posset possessionem, quidquid præfati tanquàm magis theologi, quàm canonistæ senserint.* Ipse verò neminem in particulari pro suâ sententiâ refert; ad illam tamen videtur accessisse Ledesma, in 4, part. 1, quæst. 16, art. 4, dub. 5, propos. 6, quamvis non explicet an loquatur de illo qui possessionem non habet. Præterea, quod me magis movet, Navarrus nullum jus, seu decretum adducit quod theologum cogat à jurisconsultis dissentire. Sed hâc tantùm ratione utitur, quòd *fructus recepti saltem post litis contestationem actori debentur, si vincat, etiamsi contra possessorem supra proprietatem litiget tam in spiritualibus quàm in profanis.*

10. Verùmtamen hæc ratio non cogit; nam, esto debeantur fructus, si vincat, multis tamen modis fieri potest ut non vincat, etiamsi justum titulum habere videatur, cur ergo in illo dubio obligabitur quis ad recitandum, cùm in jure expressè cautum non sit? Item hujusmodi lites non tam solent esse diuturnæ ac morosæ ut sit valdè consuetum, et fortassè optimum consilium, non obstante justo titulo, compositionem facere cum intruso, et relinquere illi fructus quos accepit, vel magnam eorum partem; ergo illud debitum est valdè incertum, et morale est, ut non perducatur ad effectum; ergo non est satis ut statim ac sine morâ quis obligetur. Præterea, vel alius litigans possidet beneficium, vel neuter possidet; si alius possidet, ille tenetur pro tunc recitare, quia tenetur ad totam administrationem beneficii, et quia necesse est ut saltem habeat titulum coloratum, et actu fruitur beneficio, ratione possessionis et actualis ministerii, et ob illum exteriorem titulum, ut sic dicam, seu speciem veri tituli; ergo non est cur pro eo tempore alter obligetur, quia omninò est ab administratione remotus, et quia non oportet ut hoc peculiare onus duobus imponatur. Si verò neuter possidet, cur ille qui putat se habere justum titulum obligandus est ad statim recitandum, cùm nihilominùs res sit dubia, et per illum non stet quominùs litiget vel careat beneficio, et labores multos et expensas pati priùs debeat quàm beneficium pacificè possideat? Et profectò videretur potiùs obligandus ad recitandum is qui injustè litigat, et impedit alium, quia ille etiam injuriosus est Ecclesiæ, quam privat suo debito ministro, et ideò videtur obligandus, ut subeat onera, quibus possit aliquo modo Ecclesiæ incommodum recompensare. Vel certè si uterque litigans putat se habere jus, et bonâ conscientiâ litigat, necesse est ut causa sit dubia, idcòque difficile videtur, aut utrumque obligare ad recitandum, cùm beneficium non postulet duplex officium, neque tunc sit divisum inter duos; aut obligare unum potiùs quàm alterum, cùm moraliter non appareat major ratio, quando uterque invincibiliter putat, ut supponimus, se habere jus. Neuter ergo videtur obligandus; et quòd tunc Ec-

clesia patiatur, et careat illo servitio vel officio, est per accidens : nam tunc est beneficium quasi vacans. Est ergo hæc pars satis probabilis, suppositâ probabilitate prioris fundamenti, quòd pacifica possessio requiratur ad obligationem recitandi titulo beneficii.

CAPUT XX.

An justè possiaens beneficium, et non recipiens fructus, excusetur, vel obligetur recitare.

1. Dico primò : Post titulum et pacificam possessionem beneficii, statim quis tenetur recitare, quamvis fructus beneficii non statim accipiat, si habet moralem spem certam obtinendi illos. Ita docent Navarrus, Turrecremata, Paludanus, Corduba, Silvester, ac Medina locis citatis et Toletus, libro 2 suæ Instructionis, capite 14, in fine, quamvis ille etiam de non habente possessionem loqui videatur. Tamen post acceptam possessionem ferè omnes doctores videntur in hoc convenire, et probari potest ex jure : nam ille tenetur ad recitandum qui habet beneficium ; sed ille jam perfectè et completè habet, quandoquidem et est dominus, et possidet ; ergo tenetur ad recitandum : nam jura obligant habentem beneficium. Deinde, ad hanc obligationem non est necessaria anticipata perceptio fructuum; aliàs nisi quis cum possessione beneficii inveniat fructus quos statim accipiat, non obligabitur statim ad recitandum, quod ridiculum est ; sufficit ergo expectatio fructuum beneficii jam possessi. Quòd autem hæc expectatio brevior vel longior futura sit, non potest variare obligationem, cùm nullus terminus certi temporis in hoc sit jure præscriptus, nec ratione possit designari. Satis ergo est quòd expectatio sit moraliter certa, licèt executio moras aliquas, vel difficultates habeat. Tandem ille qui sic possidet beneficium, habet administrationem ejus, et tenetur ad alia onera beneficii ; ergo etiam ad hoc onus recitandi. Imò, si beneficio inserviat, ut potest, vix potest non habere aliquod emolumentum, vel distributionum vel oblationum, quæ ad altare fiunt, vel aliud simile pro qualitate beneficii ; hoc autem per se satis est ad obligationem recitandi.

2. Dico secundò : Qui beneficium et administrationem ejus acceptat et recipit cum onere solvendi alteri omnes fructus in pensionem, licèt integrè illos solvat, non liberatur ab obligatione recitandi horas canonicas, ratione talis beneficii. Hæc assertio in ordine ad externam praxim, ut ita dicam, videri potest non multùm referre, quia si beneficiati esse solent clerici in sacris, et ita si non recitent, non excusabuntur à culpâ mortali, et semper excusabuntur ab obligatione restituendi cùm fructus non percipiant. Nihilominùs tamen, et erit gravior culpa, si utroque titulo ordinis et beneficii tenentur, et sæpè poterunt non esse clerici in sacris, præsertim in canonicatibus et aliis similibus præbendis, et tunc ex solâ obligatione beneficii pendebit tota ratio culpæ. Probatur ergo assertio primò in ordinario modo obtinendi hæc beneficia per voluntarium consensum : nam qui sic recipit beneficium voluntariè et quasi ex pacto obligatur ad illius beneficii administrationem, et cedit juri suo, quoad fructus in favorem alterius ; ergo tenetur integrè administrare beneficium ; ergo et recitare ; nam hæc est una ex potissimis partibus illius administrationis. Patet consequentia, quia volenti et consentienti non fit injuria, et quia unusquisque tenetur implere pacta et promissa, et quia neque Papa sic conferens beneficium, intendit auferre illi hoc onus, neque ipse potest suâ se voluntate liberare, cùm sit intrinsecum ipsi beneficio.

3. Et confirmatur primò, quia sicut fructus beneficii dantur propter officium recitandi, ita etiam dantur propter officium ministrandi sacramenta, si sit beneficium curatum, vel propter assistentiam in choro, si sit canonicatus, et sic de aliis ; sed non obstante pensione omnium fructuum, ille tenetur ad cætera munia beneficii, et ad residendum ; ergo eâdem ratione tenebitur ad recitandum. Confirmatur secundò, quia pensionarius postquàm omninò reliquit beneficium, non tenetur ad officium canonicum recitandum, ut infra dicemus ; ergo oportet ut qui accipit beneficium, illam obligationem in se recipiat ; alioqui et divinus cultus notabiliter minueretur, et Ecclesia debito officio, et suffragio privaretur, quod est contra justitiam et religionem ; confirmatur tertiò, quia hujusmodi beneficiatus tenetur ad assistendum in choro, si sit canonicus, vel si servitium in choro sit quocumque modo annexum beneficio ; ergo juxta regulam supra positam tenebitur etiam recitare officium, si choro non satisfaciat. Tandem quamvis pensio omnium fructuum reservetur, nunquàm privatur beneficiatus aliquo emolumento, vel distributionum chori, si in illo sit præbendatus, vel oblationum ad altare, si sit parochus, vel alicujus recompensationis sui servitii, si illud exhibeat, quia hoc jure nunquàm privatur propter pensionem omnium fructuum, quæ semper intelligitur, deductis necessariis oneribus et expensis ecclesiæ ; ergo hoc satis est ad obligationem recitandi, supposito beneficio.

4. Ex quo infero non esse necessariam limitationem quam Ledesma et Aragon. posuerunt, à quâ Navarrus non omninò dissentit, nimirùm, ut hoc procedat quando acceptatio talis beneficii cum illâ fructuum reservatione est voluntaria, non verò quando est à Papâ injuncta ex obedientiâ. Dico enim etiam tunc teneri beneficiatum ad recitandum, quia nunquàm ita obligatur ad fructus alteri tradendos, quin saltem quotidianas distributiones vel aliquid in sustentationem recipere possit et debeat, si inserviat, quod satis est ut ad recitandum obligetur. Nam si servire noluerit, et ideò nihil acceperit, jam non ex necessitate, sed ex voluntate caret stipendio, ideòque tenetur nihilominùs recitare, cùm beneficium retineat, et possideat. Neque admitto casum in quo Pontifex præcipiat recipere beneficium cum administratione et servitio ejus sine ullo subsidio, temporali servitio accommodato, et absque voluntario consensu recipientis : nam tale præceptum esset contra naturalem æquitatem, nisi ipse Pontifex aliunde de stipendio convenienti illi provide-

ret, vel ex propriis bonis, vel ex alio beneficio simplici aut pensione, aut alio modo simili. Et tunc clarum est intentionem Pontificis esse obligare illum ad totam administrationem beneficii, sub quâ etiam recitatio horarum comprehenditur.

5. Magis ergo necessaria limitatio in hoc casu adhibetur, per illam particulam, quam in assertione posuimus : *Beneficium et administrationem ejus;* nam si aliquis habens beneficium, illud resignat in alterum, ex consensu Papæ, reservando sibi omnes fructus cum administratione beneficii, et alteri nudum titulum seu beneficium tribuendo, tunc reverà obligatio recitandi manet apud pensionarium, et beneficiatus pro tunc non obligatur, ut rectè docuit Navarrus in Manuali, cap. 25, num. 104, et dicto cap. 7 de Oratione, num. 28 et sequentibus; et Corduba, supra, casu 186, et Toletus, dicto cap. 14, in ultimis verbis. Et ratio est jam tacta, quia obligatio manet apud pensionarium; ergo non est cur transferatur in beneficiatum. Item, quia beneficiatus ille non potest deservire, etiamsi velit sine consensu pensionarii, et consequenter non potest aliquam sustentationem ex beneficio accipere; cur ergo deberet tunc ad recitandum obligari? Itaque renuntiatio illa videtur esse quasi jus succedendi in obligatione beneficii et fructibus ejus; tamen quia hoc jus non datur nisi transferendo beneficium ipsum in successorem, ideò acquirit quidem statim jus in re quoad beneficium ipsum, seu proprietatem ejus, non verò suscipit onera beneficii, sicut nec emolumentum ullum, et ideò pro tunc non obligatur ad recitandum. Alius verò, qui beneficio renuntiavit, retentâ pensione et administratione, non ratione pensionis secundùm se spectatæ, ut argumentum supra factum probat, sed ratione administrationis, ad quam manet obligatus, horas canonicas dicere tenetur; pars enim illius administrationis est officii canonici recitatio.

6. Dico tertiò : Habens et pacificè possidens beneficium, cujus fructus non recipit primo vel secundo anno ex præscriptâ et justâ consuetudine, sicut tenetur beneficio inservire, ita etiam tenetur illo tempore recitare, in quo fructus non recipit. Hanc assertionem docere videtur Navarrus, cap. 7 de Oratione, num. 30, quia tamen in eâ non omninò persistit, nec proprium sensum et fundamentum declarat, ut intelligatur, suppono, variis modis posse hunc casum contingere, quatenùs ex variis causis potest introduci privatio fructuum pro illo tempore, quæ videntur ad quatuor reduci. Una est, ut illi fructus episcopo, verbi gratiâ, vel simili prælato reserventur, et ita augeantur redditus ejus; secunda, ut illi fructus inter alios capitulares distribuantur, et cedant in augmentum stipendii eorum; tertia, ut ipsimet beneficiato post mortem ejus reserventur, ut vel possit testari de illis, vel ejus funeri, animæ aut etiam hæredibus inserviant; quarta, ut illi fructus applicentur alicui operi pio, ut hospitali, verbi gratiâ, aut cuipiam simili.

7. Secundò sciendum est per Extravagant. *Suscepti* Joan. XXII, quæ est secunda de Electione, et per aliam unicam, *Ne sede vacante*, inter communes, prohibitum esse, ne in aliquo istorum casuum privetur beneficiatus pro illo tempore omnibus fructibus beneficii, sed ad summum dimidiâ parte eorum. Quòd si illa constitutio servaretur, non esset necessaria conclusio posita, nam est evidens illud fore sufficiens ad obligationem recitandi. Verumtamen illa non servatur, sed per contrariam consuetudinem abrogata est, et omnibus illis modis solent beneficiati privari penitùs fructibus illius temporis, etiamsi beneficio inserviant. Ait autem Navarrus has consuetudines iterùm reprobatas esse per Pium V, in quâdam Extravag. *Durum* (ita enim legendum est, non *Dudum*, ut per errorem typographi legitur in nostro Navarro), estque constitutio centesima sexta Pii V, in Bullario Romano. *Sed quia aliquot Ecclesiæ* (ait Navarrus) *non receperunt eam* (scilicet Pii constitutionem) *nec volunt recipere, credo quòd novus canonicus excusaretur à recitando, etiamsi jure deberentur illi dimidiati fructus, quia cùm non posset eos sine impensâ fructibus majore, et lite molestissimâ contra suam Ecclesiam exigere, satis videtur non posse eos recipere.* Verumtamen constitutio Pii V non est facta ad renovandam Extravagantem Joannis 22, sed solùm ad tuendum, et denuò statuendum decretum concilii Tridentini, session. 24, cap. 14. In quo non in universum reprobantur illæ consuetudines, sed illæ tantùm quæ videntur speciem aliquam simoniæ continere, ut sunt illæ, *quibus observatur, ut in electione, præsentatione*, etc., *vel admissione ad possessionem*, etc., *certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ*, etc., *interponantur.* Quas concilium vocat, *Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habentes*, et ideò quomodò permittendæ non sint, ibi statuit, et illud statutum tantùm confirmavit, et auxit Pius V, ut ex tenore constitutionis ejus constat.

8. Ex his ergo descendendo ad quatuor modos consuetudinum supra numeratos, prima, in quâ fructus alieni beneficii episcopus pro aliquo tempore accipit, reprobata est per concilium Tridentinum, et Pium V, tanquàm simoniaca vel irrationabilis : et ita declaratum sæpiùs invenio à congregatione cardinalium. In quibus etiam declaratur, non posse tales fructus exigi pro usu fabricæ, vel servitio sacristiæ, nec pro solvendis debitis antiquis Ecclesiæ, etiam factis pro reparatione, et melioratione bonorum. Adde in his casibus non solùm esse prohibitum, privare beneficiatum omnibus fructibus alicujus anni, sed etiam parte eorum, ut ex motu Pii V, constat. An verò contraria consuetudo possit honestari, tractavi supra tractat. 3, lib. 4, cap. 48, et sanè vix potest, maximè quoad omnes fructus. Nihilominùs tamen si de facto alicubi retinetur illa consuetudo, et novus canonicus privatur primo anno omnibus fructibus, admittitur tamen ad chorum cum suis distributionibus; illud satis est, ut obligetur ad recitandum, etiamsi moraliter non possit, nec habeat spem obtinendi fructus. Quia beneficium cum emolumento distributionum sufficit ad obligationem recitandi ex omnium sententiâ; nam ille recipiendo

distributiones, tenetur officio canonico adesse in choro, ergo et recitare, si per illum stet, quominùs eas habeat per voluntariam absentiam. Si verò etiam distributionibus injustè privaretur, et nihilominùs cogeretur residere et inservire, ut transacto anno posset incipere fructibus beneficii gaudere, tunc valdè probabile videtur per se non obligari ad recitandum ex vi beneficii, et ideò in assertione tantùm locutus sum de consuetudine justâ; et ratio illius sententiæ est, quia tunc per quamdam moralem violentiam privatur omni fructu, et subsidio sui beneficii. Et nihilominùs etiam in eo casu hoc mihi incertum est, sed de hoc generaliter inferiùs dicam.

9. In secundo casu, in quo fructus distribuuntur inter alios canonicos, seu beneficiatos, censeo, eodem modo esse reprobatas similes consuetudines per concilium Tridentinum, et Pium V. Nam hujusmodi consuetudo videtur comprehendi sub illis, quæ ibi dicuntur *Turnorum lucra*. Unde Pius V expressè etiam prohibet *hanc applicationem fructuum fieri mensæ capitulari, seu inter alios canonicos, et personas ecclesiæ seu capituli dividi*. De quâ lege, et consuetudine contrariâ etiam dixi, in d. cap. 48, ubi autem contraria consuetudo retinetur, idem dicendum est, quod in primo casu, nam est eadem ratio. Et addi hìc potest peculiaris consideratio. Nam licèt in præsenti tempore novus canonicus sentiat incommodum carentiæ fructuum pro illo anno, tamen postea sentit commodum ex fructibus modernorum Canonicorum post ipsum intrantium, nam admittetur ad partem eorum, quod commodum non sentit in priori casu, quando fructus applicantur mensæ episcopali. Ratione ergo hujus commodi obligabitur ad recitandum statim, quia licèt differatur solutio, non omninò aufertur. Sed in hâc etiam consideratione discretione opus est, duobus enim modis potest retineri illa consuetudo; primò ut semper sit iniqua, et consequenter exactio injusta, ita ut retineri non possint, quæ ex vi illius accipiuntur, juxta motum Pii V. Et tunc tale commodum expectatum non obligabit ad recitandum, quia reverà nullum est, nec retineri potest, nec Ecclesia vult illud donare, ergo multò minùs vult ratione illius ad recitandum obligare. Quin potiùs obligat talem canonicum, ne in futurum aliquid recipiat de fructibus intrantium, et ad restituendum, quidquid sic receperit, quia non potest ab aliis denuò venientibus recuperare, quod ab antiquioribus per vim sibi sublatum est. Ergo in eo casu judicium ferri debet, ac si nullum lucrum expectaretur, sicut in præcedenti puncto. Atverò si alicubi esset illa consuetudo sufficienter præscripta, ut honesta (non est enim improbabile id accidere, vel tolerari posse), tunc optimè procederet dicta consideratio, quia tunc justa esset expectatio futuri emolumenti, et habere posset rationem sufficientem stipendii, supposito titulo, et possessione, et aliis honoribus, seu commodis canonicatûs, ut sunt habere sedem in choro, suffragium in capitulo, et certum gradum, et locum honoris in Ecclesiâ.

10. In tertio casu censeo, consuetudinem non esse reprobatam per illa jura, et tali consuetudine suppositâ, evidentem esse conclusionem positam, quòd tunc teneatur canonicus recitare. Priorem partem probo, quia nec in concilio Tridentino, neque in motu Pii V inveniuntur verba, quibus illa consuetudo, vel simile statutum reprobetur, et ideò leges illæ ad illam extendendæ non sunt. Maximè, quia nec similitudo rationis intercedit. Quia in tali consuetudine nullum est vestigium simoniæ, aut turpis avaritiæ, cùm nec episcopus, neque alii canonici aliquid inde lucrentur. Atque ita invenio declaratum in dictâ congregatione Romanâ his verbis: *Neque hoc decreto, nec bullâ Pii V super hâc eâdem re editâ prohibentur statuta Ecclesiarum deserviendi per annum, vel aliquod tempus, nihil percipiendi interim de massâ grossâ, nisi peracto integro servitio, idque post obitum hæredibus deberi, cùm sit potiùs differre quàm auferre.* Et ex his verbis probatur apertè altera pars. Quia si illa est dilatio, et non ablatio, ergo ex tunc acquiritur jus ad illos fructus beneficii, ergo et servitium officii, in quo servitio maximè comprehenditur horarum recitatio, ergo statim urget obligatio illas recitandi. Secundò quia illa consuetudo non debet, nec potest privare distributionibus, ut indicatur apertè in illâ declaratione, ibi, *et nihil percipere inde de massâ grossâ*, nam in hâc massâ non includuntur distributiones, et ideò supponitur quòd statutum (et idem est de consuetudine), ut sit justum, non debet comprehendere distributiones quæ ad obligationem recitandi sufficiunt, ut sæpe dictum est. Verumtamen si alicubi contingeret, etiam distributiones negari jure, vel injuriâ; nihilominùs prior ratio de jure acquisito ad fructus, posteà recipiendos, omninò sufficit ad obligationem recitandi, ut ostensum est: præsertim quia illa dilatio non multùm refert, et sæpè cedit in majus commodum temporale, et spirituale ipsius beneficiati. Adverto tandem in illâ declaratione apertè supponi, Extravagantem Joannis 22, quoad hanc partem non obligare, sed vel abrogatam esse, vel omninò non fuisse receptam, aliàs non posset statutum privatæ ecclesiæ contra illm prævatæ Ecclesiæ contra illam prævalere, et idem animadverti poterit ex sequenti puncto.

11. Quartus item modus reprobatus non est per concilium Tridentiuum, nec Pium V, sed potiùs in concilio apertè excipitur in illis verbis: *Sancta synodus mandat episcopis ut quæcumque hujusmodi in usus pios non convertuntur*, etc. Pius autem V expressè illam approbat; moderatur tamen eam his verbis *Et nihilominùs statuimus ut ubicumque hujusmodi fructus, et distributiones fabricæ vel sacristiæ, aut alterius loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi sacristiæ, ve fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram ver beneficiati prædicti integram percipiant.* Ubi ergo fueri hæc constitutio hoc modo servata, clara est etiam obligatio; nam quotiescumque recipiunt dimidiam partem fructuum, satis est ad obligationem, ut per se constat. Unde fit ut licèt sex primis mensibus nihil

accipiant, nihilominùs tunc recitare teneantur, quia sequentibus sex mensibus percipient integros fructus dimidii anni, et ita pro toto illo primo anno recipient saltem dimidiam partem massæ grossæ illius anni ultra distributiones, tunc ergo dubitari non potest de obligatione. Potest autem contingere, ut non obstantibus illis verbis Pii V alicubi præscriptum sit, ut pro anno integro, vel longiori tempore omnes fructus applicati sint ad aliquod opus pium, ita ut honestè et justè id jam fiat; tunc ergo etiam procedit conclusio posita, nimirum, ut tali consuetudine honestâ non obstante, teneatur novus canonicus etiam illo primo anno recitare.

12. Probatur autem in hunc modum, quia, per illam consuetudinem non est factum, ut officium pro illo beneficio debitum minuatur, sed potiùs est factum ut illud idem onus et officium imponeretur beneficiato cum illo minori lucro, atque adeò, ut futuri fructus posteriorum annorum acceptentur ex tunc, et expectentur, ut sufficiens stipendium totius temporis, et servitii beneficii à primo die possessionis ejus, sed ille qui accipit tale beneficium, voluntariè illud acceptat, ergo ad totum illud onus obligatur. Consequentia est evidens, et minor ex facto ipso, ut nota supponitur. Major autem probatur primò quia hi præbendati tenentur illo tempore ad assistendum vel canendum in choro, et ad satisfaciendum aliis functionibus suæ præbendæ, ergo signum est non fuisse diminutam obligationem officii quoad alia munia, ergo neque quoad recitationem horarum. Patet consequentia, tum quia non est hoc officium pejoris conditionis, cùm sit præcipuum, tum etiam quia qui ratione beneficii, et ex vi sui muneris tenetur adesse, seu canere in choro, à fortiori tenetur privatim recitare horas, quando in choro non explet obligationem suam. Et confirmatur, quia non est verisimile consuetudinem illam introductam esse cum diminutione divini cultûs: sic enim neque pia neque rationabilis æstimanda esset, ergo potiùs introducta est cum diminutione stipendii et cum aliquo onere ipsius beneficii. Neque in hoc est aliqua injustitia, nam futuri fructus solent esse adeò copiosi ut ad satisfaciendum oneri totius illius temporis sufficiant. Quod autem exigatur officium quasi anticipatum pro aliquo tempore ante solutionem stipendii, cùm à principio sit quasi voluntaria pactio, non continet injuriam. Eò vel maximè quòd aunquàm isti præbendati ita privantur fructibus pro illo tempore, quin saltem distributiones quotidianas accipiant, quæ solæ sufficiunt ad obligationem recitandi, ut infra dicemus. Quòd si quis per voluntariam vel necessariam absentiam, illas amittat, accidentarium est, nec propterea excusabitur ab obligatione recitandi. Ita ergo veluti inductione factâ constat, quoties ratione justæ consuetudinis privatur quis omnibus fructibus sui beneficii, pro aliquo tempore, non propterea excusari ab obligatione recitandi horas canonicas. Si autem in eo casu quis privaretur etiam distributionibus horarum, certè videretur consuetudo injusta, et ideò dubitari potest, an tunc admitti possit excusatio, de quo statim generaliter dicemus.

13. Dico quar ò, quando quis non recipit fructum ex suo beneficio, suâ voluntate, vel culpâ, non propterea excusatur ab onere recitandi. In hâc assertione non dissentiunt auctores citati: et ratio generalis est, quia non debet Ecclesia privari suo servitio propter voluntatem vel iniquitatem ministri. In particulari verò potest declarari, nam tribus ferè modis potest hoc contingere. Primò, quia beneficiatus cedit fructibus, ut pater, nepos, aut amicus, vel creditor illis fruatur, et tunc non potest dici non recipere fructus, quia licèt per se non recipiat, recipit per alium, et ideo clarum est teneri ad omnia onera beneficii. Secundò contingere potest ex voluntate ipsius beneficiati, quia non potest obtinere fructus, nisi resideat seu serviat, et non vult inservire nec residere; tunc enim sibi imputet, quia per ipsum stat, quominùs fructus recipiat. Nam supra dicebamus cum communi sententiâ, quòd si per beneficiatum, qui jam habet verum titulum, stet, quominùs possessionem etiam habeat, nihilominùs tenetur ratione tituli recitare, ergo multò magis, qui jam pacificè possidet, obligabitur, etiamsi fructus non recipiat, quia per eum stat. Et hâc ratione excommunicatus, suspensus à beneficio, vel alius similis, qui suâ culpâ non facit fructus suos, ad recitandum tenetur, ut diximus ubi de censuris, disp. 12, sect. 2, num. 13 et sequent., et disp. 26, sect. 2, in principio.

14. Tertiò, potest contingere ut beneficiatus non fruatur fructibus ex incapacitate personæ ad inserviendum beneficio. Contingit enim alicui ex indulgentiâ seu dispensatione dari beneficium in eâ ætate, vel carentiâ litteraturæ, aut simili defectu, ratione cujus ineptus est ad serviendum, in quo casu cogitur vicarium ponere, qui serviat, dando illi, si necesse sit, omnes fructus beneficii (ut si sit tenue, et omnes sint necessarii ad congruam sustentationem vicarii). Tunc ergo dominus beneficii recitare nihilominùs tenetur, nisi in hoc etiam sit specialiter dispensatus, vel nisi ad hoc etiam sit omninò ineptus, quia fortassè non pervenit ad usum rationis, quod necesse est à dispensante non ignorari, ut dispensatio valida sit, et ita tunc etiam toleratur ille defectus ratione dispensationis, et censetur tota administratio beneficii, etiam quoad recitationem horarum, commissa vicario beneficii. Seclusâ verò dispensatione speciali, obligatio recitandi semper manet apud beneficiatum. Ratio est quia hæc obligatio recitandi personalis est, et ideò per ipsum beneficiatum impleri debet; nam intrinsecè et per se oritur ex ipso beneficio. Et impedimentum fructuum in illo casu non oritur aliunde quàm ex conditione ipsius habentis beneficium; sed sibi debet illud imputare; nam voluntariè suscepit beneficium cum illâ ineptudine, ideòque non potest exonerari intrinseco debito beneficii, quod per se potest solvere et debet;

15. Eò vel maximè, quòd licèt tunc non fruatur fructibus beneficii, expectat aliquando frui, quando

ablato impedimento, possit per se ipsum inservire, et illa spes cum titulo et honore beneficii, est sufficiens recompensatio oneris recitandi. Imò licèt fingamus casum in quo etiam illa spes desit, quia impedimentum est perpetuum (quamvis non videatur moraliter contingere, ut vel talis dispensatio detur, vel quòd velit aliquis onerari beneficio, ex quo nunquàm fructum sperat), illo tamen casu posito, non credo illum accipere beneficium sine onere recitandi, propter principalem rationem factam, quòd hæc obligatio est per se annexa beneficio, et sola voluntas sic accipientis beneficium, non potest illam separare. Præterquàm quòd qui in tali casu beneficium acceptat, aliquod commodum invenit, vel in honore beneficii, vel in privilegiis ejus, vel in aliquâ aliâ ejus qualitate, et ideò mirum non est quòd aliquod etiam onus sentire debeat; ergo maximè onus recitandi, quod est quasi primum et fundamentum aliorum. Ex quibus à fortiori colligitur nunquàm excusari beneficiatum ab onere recitandi, eò quòd per alium serviat in omnibus aliis actionibus et oneribus beneficii, quantùmvis licitè id faciat, vel ex dispensatione, vel ex consuetudine præscriptâ, vel ex ipsâ institutione simplicis beneficii, quia obligatio recitandi personalis est, ut ex Ecclesiæ consuetudine, et juribus citatis colligitur, sicut obligatio audiendi missam personalis est, nec potest per alium impleri, et hæc est communis sententia theologorum locis citatis, et canonistarum in cap. 1 de Celebrat. missar., præsertim Joannis Andreæ, Innocentii et Panormitani, licèt alii contrarium senserint, quorum sententiam dixit Silvester supra, quæst. 2, fortè veram esse, quando nullam utilitatem ex beneficio quis accipit, quod Angelus et aliqui Thomistæ sequuntur, sed etiam in eo casu oppositum ostendimus esse verius, quod tenet Turrecremata in cap. *Eleutherius*, distinct. 91, quæst. 6, et alii.

16. Dico quintò: Licèt clericus habens beneficium per potentiam, coactionem vel injustitiam privetur fructibus beneficii, non propterea semper excusatur justè ab onere recitandi, quamvis in aliquo casu probabiliter id possit sustineri. Hæc assertio quoad primam partem difficultatem non habet, quoties is qui aliquo tempore privatur fructibus beneficii quod possidet, sperat aliquando illos recuperare, ut omnes fatentur, vel quia quod differtur non aufertur, vel quia illa spes pretio æstimabilis est, vel certè quia ipsum beneficium pacificè possessum est sufficiens ratio obligandi, et ideò non debet privari suo servitio saltem in casu dubio de futuro eventu fructuum, quia in dubio melior est conditio ipsius beneficii, seu Ecclesiæ; invenitur autem tale dubium, quoties manet illa spes. Difficultas ergo est quando quis privatur fructibus sine ullâ spe illos recuperandi; nam in eo casu Navarrus, Cajetanus, Sotus, Ledesma, Corduba, et ferè omnes indistinctè docere videntur, illum non teneri ad recitandum ex vi beneficii, quando fructus non percipit, quorum opinionem si quis sequi velit in praxi, tutus erit.

17. Videtur tamen mihi probabile quòd si ablati fructuum non est perpetua, sed pro aliquo tempore, etiamsi sit violenta et injusta, et sine spe recuperationis, non sufficiat ad excusationem recitandi, quod videntur sentire Silvester et Medina, supra. Probatur primò quia si per furtum vel rapinam privetur beneficiatus fructibus, non est propterea excusandus ab administratione beneficii, neque ab administrandis sacramentis, si sit curatus; ergo neque ab onere recitandi, quod non minùs est per se conjunctum beneficio. Secundò, ponamus per casum fortuitum vel sterilitatem temporum, beneficium aliquo vel aliquibus annis nullos reddere fructus, numquid propterea excusandus est beneficiatus, ne recitare teneatur? Non videtur profectò æqua conditio; nam si contingat uberiores vel duplò majores esse fructus unius anni, non propterea majus onus suscipit. Qui ergo beneficium semel acceptat, sicut illud facit sibi proprium, et ratione illius habet jus ad omnes fructus beneficii, quotquot illi fuerint, ita etiam recipit in se onera beneficii tanquàm propria, et similiter suscipit pericula saltem ordinaria et moralia, ut interdùm fructus vel minuantur vel auferantur; et cum illis periculis obligat se ad onera beneficii. Et hoc videtur justissimum pactum quod tacitè intervenit inter beneficiatum et Ecclesiam; ergo licèt pro aliquo tempore injustè privetur fructibus, non statim potest licitè officium suum deserere, et consequenter neque horas canonicas omittere; eò vel maximè quod fortassè prioribus annis tot redditus accepit, qui possent sufficere pro justo stipendio plurium annorum, et in futuro tempore alios similes annos expectat; ergo moraliter omnia computando sufficiunt illi fructus pro justo stipendio totius illius temporis continui, etiam demptis illis qui pro aliquibus annis per vim auferuntur. Unde considerando jus ad fructus, quod per beneficium datur, videtur sufficiens ratio obligandi ad continuum officium et servitium, etiamsi hujusmodi infortunia interdùm accidant.

18. At verò si quis ita privetur fructibus, ut illa privatio sit quasi perpetua spoliatio beneficii, quia non sperat ampliùs posse aliquod emolumentum ex beneficio capere, tunc videtur probabile non teneri ampliùs onere recitandi ratione talis beneficii, quia tunc perinde se habet moraliter ac si stipendium non haberet; nam quod ad usum attinet, videtur quasi ablata facultas percipiendi fructus ex tali beneficio. Et hoc maximè videtur accidere inter hæreticos occupantes bona Ecclesiæ et redditus beneficiorum. Et propter hos et similes casus addidi ultimam partem, seu limitationem assertionis positæ; nam in illis maximè videtur procedere communis sententia, dicens eum qui omninò privatur fructibus, non obligari ad recitandum ratione solius beneficii; et ita tandem videtur illam limitare Paludanus, in 4, distinct. 15, quæst. 5, num. 15, quem sequitur Turrecremata, distinct. 91, in principio, quæst. 14.

CAPUT XXI.

Utrùm habens beneficium tenue ad horas canonicas recitandas teneatur.

1. Hoc dubium ex dictis nascitur; nam ex illis

videtur sequi pars negans, quia onus recitandi non sequitur ex beneficio, nisi cum ordine ad fructus, unde si beneficium nullos haberet fructus, talem obligationem inducere non posset (quanquàm illud nec propriè beneficium dici posset); sed in moralibus parum quasi nihil reputatur ; ergo tam tenues possunt esse fructus, ut beneficium non magis obliget quàm si nihil redderet. Et confirmatur hæc pars; nam justitia postulat ut qui non accipit justum stipendium, non teneatur laborare; sed fructus tenuissimi non sunt stipendium condignum clerici. Quod declaratur ex illo 1. Corinth. 9 : *Qui altari deservit, ex altari vivere debet* ; nam clericus non potest vivere tenuissimis fructibus ; ergo neque ad serviendum, seu recitandum, obligandus est. Atque hanc sententiam tenuit Soto, lib. 10 de Just., quæst. 5, art. 3, quem sequitur Aragon., 2-2, quæst. 83, art. 12, qui ait recentiores theologos communiter sequi hanc opinionem; idem ferè Emmanuel Rodriguez in Sum., cap. 140, num. 3; qui auctores addunt beneficium tenue in jure pro non beneficio reputari ex cap. *Is cui*, de Præbend., in 6, ubi dicitur eum qui ex apostolico indulto potest uni personæ de idoneo beneficio providere, non posse alicui illud conferre *habenti beneficium sufficiens*. Per quod significatur posse illud dare habenti beneficium tenue, ut Glossa ibi notat ; signum est ergo beneficium tenue, pro non beneficio reputari.

2. Si autem in hâc opinione quæratur quod dicendum sit beneficium tenue, quoad hunc effectum non obligandi ad recitandum, quidam extendunt ad omne beneficium insufficiens ad vitam clerici sustentandam. Sed hoc non dixit Soto, nec est practicè probabile ; aliàs redditus triginta vel quadraginta aureorum non sufficerent ad hanc obligationem, quod admittere valdè perniciosum esset. Item, non est id consentaneum rationi ; nam pensum horarum canonicarum non est adeò grave, neque tam magnam diei partem occupat, ut sit dignum integrâ sustentatione personæ, imò nec pro majori parte ejus. Unde Soto ad summum suam opinionem extendit ad quantitatem decem aureorum ; Aragon. verò dicit relinquendum esse prudenti arbitrio ; videtur tamen requirere ut obliget, quod adjuvet *bonæ parti sustentationis clerici*, ut ipse loquitur. Bona autem pars dici non potest nisi tertia, vel ad summum quarta, quæ hodiè existimari non potest minor triginta aurourum, etiam respectu clerici infimæ conditionis. Et hæc notari potest ut prima difficultas hujus opinionis, quia sine lege facit exceptionem à lege, et talem exceptionem, quæ cùm sit interminata, relinquenda est prudentis arbitrio, et ita aperitur via ad derogandum graviter legi, et paulatim extenuandum graviter obligationem ejus.

3. Est ergo secunda sententia, quæ simpliciter affirmat, ex beneficio quantùmvis tenui oriri obligationem recitandi. Hæc est communis opinio canonistarum cum Glossâ in cap. *Clericus*, 1, d. 91, quam sequuntur Hostiensis, Joannes Andreas, Panormitanus et alii in capite primo de Celebrat. missarum, et alii in Clement. 1. eodem titulo, et in dicto cap *Clericus*, et Turrecremata, in principio d. 91, quæst. 6; Navarrus, in cap. 7 de Orat., num. 27, et cap. 11, num. 11; Covarruvias, lib. 3 Variar., cap. 13, num. 8, § *Duodecimo*, qui alios refert ; Albertus de Ferrariis, in tractatu de Horis canonicis, quæst. 8, num. 10; Hostiensis, in Summ., tit. de Consecr. eccles., § *A quibus*, vers. *Dic secundùm Goffredium ;* Toletus, lib. 2, Instruction., cap. 14, num. 4; Azor., lib. 10, cap. 3, quæst. 3; Valentia, 3 tom., disput. 6, quæst. 2, puncto 10, § 7 ; summistæ, verbo *Hora ;* Silvester, quæst. 2 ; Rosella, n. 1 ; Tabiena, n. 1 ; Armilla num. etiam 1 ; Antonin., 3 p., tit. 13, cap. 4, § 1 ; Graffis, lib. 2 suarum Decisionum, ca. 49, n. 28. Idem tenet Medina, quæst. 7 de Orat., et Ledesma, 1, part. 4, quæst. 16, art. 4, dub. 5, prop. 4, discens esse communem sententiam doctorum, et ponens exemplum, si solùm reddat quatuor aut quinque aureos ; et idem sumitur ex Paludano, in 4, d. 15, quæst. 5. Alii verò hoc non attigerunt, unde inter theologos qui scripta sua typis mandârunt, non potest dici prior sententia communis.

4. Ut fundetur hæc sententia, supponendum est beneficium, quantùmvis tenue, verum beneficium esse, et ut tale absolutè et simpliciter in jure reputari. Hoc apertè supponunt auctores hujus sententiæ, et colligitur ex eodem cap. *Is cui*, quod in contrarium citatur, et ex eodem verbo *Beneficium sufficiens ;* ideò enim addit *sufficiens*, quia si absolutè dixisset *beneficium*, etiam insufficiens et tenue comprehenderet, ut ibi Glossa significavit, ubi Archidiaconus idem dicit. Et addit, ei qui habet insufficiens beneficium, posse conferri aliud ex vi illius indulti, dummodò in collatione faciat mentionem de primo, juxta caput *Collatio*, de Offic. legati, in 6, ubi solùm dicitur ut collatio secundi beneficii teneat, oportere mentionem facere *de alio beneficio*, ergo sub hâc voce etiam beneficium tenue in jure comprehenditur. Ratione etiam patet, quia beneficium, quantumvis tenue, confert verum spirituale jus, quod est principale in beneficio ; ergo, licèt accessorium sit tenue, est simpliciter verum beneficium. Unde sufficiet ad fruendum omnibus privilegiis quæ conceduntur clerico minorum ordinum habenti ecclesiasticum beneficium. Dicet aliquis auctores prioris sententiæ non negare quoad substantiam illud esse et reputari verum beneficium, quoad obligandum verò ad pensum orandi horas canonicas, pro beneficio non reputari. At profectò in hoc sensu non rectè fundatur illa sententia in hoc principio, quia solùm est repetitio assertionis illius sententiæ; quòd enim tale beneficium ad illum effectum non reputetur beneficium, non habetur in jure nec ex dicto cap. *Is cui*, colligitur, neque etiam habetur ex communi existimatione prudentum : nam omnes auctores secundæ opinionis reputant illud, ut beneficium, etiam in ordine ad hunc effectum ; qui ergo non reputant, solùm sunt auctores prioris sententiæ; dùm ergo pro fundamento suæ assertionis asserunt illam æstimationem seu reputationem, nihil aliud afferunt quàm judicium et opinionem

suam. Loqui ergo debemus de illo beneficio quoad esse simpliciter beneficii, et quoad modum quo sub tali voce in jure comprehenditur, quoties de beneficio sermo est.

5. Ex hoc ergo fundamento subinferimus, quando jus dicit, *Beneficium dari propter officium*, cap. ultimo, de Rescript., in 6., non solùm loqui de beneficio sufficiente, sed etiam de tenui, quia indistinctè loquitur; et vox illa omnia beneficia comprehendit. Sicut etiam quando aliquis in jure suspenditur ab officio et beneficio, non minùs suspenditur à beneficio tenui, quàm à pingui, et sic de aliis. Cùm ergo in concilio Lateranensi sub Leone X et communi sensu Ecclesiæ declaratum sit officium propter quod datur beneficium, primò ac per se esse officium recitandi horas canonicas, planè concluditur etiam beneficium tenue dari propter hoc officium, ac subinde, qui tale beneficium acceptat, ad illud officium obligari.

6. Responderi potest juxta primam sententiam, omne beneficium dari propter officium, tamen servatâ justitiæ æquitate, quæ postulat ut non exigatur grave officium cui datur leve beneficium, et ideò licèt tenue beneficium detur propter officium, non tamen ut statim, vel ut ex vi illius solius beneficii totum officium dicatur, sed ut clericus per tale beneficium aliquo modo Ecclesiæ servitio incipiat deputari, et cùm primùm obtento alio, competentes fructus habuerit, officium suum expleat, interim verò satis videri, si aliquid suo arbitrio specialiter oret, vel ad summum aliquam partem horarum dicat. Sed contra hoc instatur quia ubi voluntarium pactum intervenit, non est injustitia, *quia scienti, et volenti non fit injuria*, sed in præsenti inter clericum et Ecclesiam tacitum pactum intervenit, nam lex ab Ecclesiâ declarata est, se nolle dare alicui beneficium, nisi eâ conditione, ut ad totum officium canonicum obligetur; qui autem recipit beneficium, voluntariè acceptat conditionem; ergo obligatus manet et nulla ei fit injuria; sibi enim imputet, si tantum onus cum tam parvâ remuneratione acceptavit. Et in hâc ratione, et voluntariâ acceptatione magnam vim faciunt auctores hujus sententiæ. Eamque confirmant exemplis : nam qui sciens et volens acceptat uxorem pauperem, tam obligatus manet ad munera matrimonii, ac si divitem accepisset. Et miles qui declaratâ conditione acceptavit militiam cum parvo stipendio, militare obligatur; ergo similiter in præsenti. Maximè quia in ipso jure canonico videtur ita declarata hæc conditio, nam in cap. *Clericus victum*, dist. 91, de clerico paupere dicitur, ut *artificiolo, vel agriculturâ victum, et vestitum sibi paret, absque officii sui detrimento*. In quo textu apertè supponitur, teneri clericum ad officium suum, etiamsi non possit ex beneficio victum et vestitum habere, quod beneficium necesse est esse valdè tenue. Verum est posse textum illum exponi de clerico, qui ratione ordinationis sacræ tenetur officium dicere, etiamsi nullam sustentationem ab Ecclesiâ habeat; Glossa verò, et omnes id intelligunt de officio Ecclesiæ debito ratione beneficii, et textus ipse generaliter loquitur, et in cap. *Presbyter* ejusdem dist., quod est primum Extrav. de Celebrat. missar., idem indicatur.

7. Adhuc verò non quiescit animus in hâc doctrinâ. Primò quia hìc non est considerandum, quòd beneficiarius acceptans beneficium tenue, non patiatur injuriam, quia sciens et volens admittit conditionem, sed considerandum est an res ipsa æqua et justa sit, quia non est credendum Ecclesiam imponere onera ultra naturalem æquitatem; si ergo secundùm se non est æqualitas inter illud stipendium, et hoc onus, non est verisimile Ecclesiam velle obligare ad tale onus, etiamsi alius voluntariè acceptet beneficium. Eò vel maximè quòd videretur ibi esse quædam moralis coactio respectu pauperum clericorum vel scholasticorum, qui cùm vix possint aliter vivere, coguntur similia beneficia acceptare. Et tunc durissimum esset, inæqualem conditionem eis imponere, ut si rex nollet promittere ministris suis vel militibus, nisi vilissima et insufficientia stipendia, quia scit non defuturos qui illa acceptent; vel si paterfamiliàs cum famulis pauperibus ita paciscatur, in quo casu multi sentiunt non teneri famulam ad servandum integrè pactum, sed posse vel ex suis operibus aliquid subtrahere in suam utilitatem, vel bonis domini, ut possit sustentari. Nec satisfaciet qui dixerit non esse hanc æqualitatem ita necessariam inter spirituale ministerium et stipendium materiale, sicut inter meredem et laborem corporalem; nam licèt non intercedat idem modus justitiæ vel contractûs, quia non est hæc posterior propria commutatio unius rei pro aliâ, sicut est prior, nihilominùs secundùm suum modum postulat proportionem seu æquitatem, quatenùs is qui servit, sustentatione indiget. Unde si sacerdoti, ut sacrificium pro me offerat, nimis parvam eleemosynam tribuam, injustè ago, neque ille tenebitur integrâ obligatione, ut sic dicam, sed poterit uno sacrificio pro pluribus eleemosynis talibus satisfacere; sic ergo in præsenti servanda est æquitas, nec sufficit voluntaria acceptatio, si in re est inæqualitas, tum quia non est verisimile Ecclesiam talem inæqualitatem velle, nec consensum in illam exigere, tum etiam quia videtur intervenire quædam moralis coactio, ut declaratum est.

8. Deinde est alia difficultas in illâ responsione, quia sequitur eum qui sufficiens beneficium acceptavit, quia cum illo habebat congruam sustentationem, si postea beneficium fiat tenue in perpetuum, non teneri ad idem onus recitandi, quia ille non acceptavit voluntariè beneficium tenue, ergo ratione voluntariæ acceptationis non obligatur, si res ipsa secundùm se non est sufficiens ad obligandum. Neque quoad hoc est simile de matrimonio cum sponsâ divite, quæ postea fit pauper, quia dos vel divitiæ accidentaria sunt in matrimonio, neque obligatio ad onera ejus ex illis per se nascitur, atverò in præsenti fructus, seu stipendium censentur pertinere ad intrinsecam rationem hujus obligationis. Et ideò non desunt qui hoc argumento coacti distinguendum putent inter beneficium, quod receptum est pingue, et factum tenue discursu temporis, vel quod jam erat tenue, quando receptum

est. Et de primo fatentur desinere obligare, postquàm factum est tenue; de secundo verò aiunt obligare propter voluntariam acceptationem. Sec hoc certè non dicitur consequenter, nam si primum beneficium factum tenue desinit obligare, ideò est quia fructus competentes sunt per se, et intrinsecè necessarii ad hanc obligationem, ergo in quolibet beneficio erunt necessarii, ergo etiamsi à principio tale sit beneficium ex se non est inductivum obligationis; ergo nec propter acceptionem voluntariam, illam inducet, quia censetur acceptari juxta exigentiam suæ conditionis. Unde alii potiùs censent contrario modo de illis duobus membris, nam qui beneficium pingue accepit, se in perpetuum obligavit ad onera talis beneficii, et sicut eo ipso acquisivit jus ad quodcumque augmentum fructuum, sine augmento onerum, ita assumpsit etiam periculum sustinendi quamcumque diminutionem fructuum, sine diminutione obligationum, nam hoc postulat æquitatis ratio. Et ideò licèt beneficium fiat tenue, imò licèt nullos fructus reddat (ait Turrecremata, dictâ quæst. 6 et 14), semper recitare tenebitur. Atverò, quando beneficium à principio receptum est tenue, homo non obligatur ex vi illius, neque ibi habet locum illa consideratio, vel compensatio spei et periculi, sed est certa insufficientia reddituum; et ideò cessat ibi ratio obligationis. Unde maximè confirmari videtur opinio Soti, juxta opinionem valdè probabilem Cajetani, et aliorum, qui dicunt, quando ex beneficio non percipiuntur fructus neque aliquando recuperandi sperantur, non obligari ad recitationem, tum quia locum habet eadem proportionalis ratio, quando fructus sunt tam tenues, ut pro nihilo moraliter reputentur, nec possint prudenter judicari justum stipendium; tum etiam quia juxta illam opinionem necessarium est adhibere distinctionem aliquam vel limitationem in lege, dicente dari beneficium propter hoc officium: oportet enim intelligi de beneficio cum redditibus; ergo poterit etiam addi, ut intelligatur de beneficio cum redditibus commodis, seu habentibus moralem proportionem cum tali onere.

9. Quocirca si vim rationis expendamus, non potest negari quin prior sententia rectè applicata ad beneficium verè tenue, probabilis valdè sit, speculativè considerata; existimo tamen vix posse ad praxim applicari, servatâ illâ ratione æquitatis et justitiæ, quam illa sententia considerat, et ideò in praxi regulariter esse servandam sententiam communem. Hoc ut declarem, adverto duplex esse posse beneficium, unum adeò simplex, ut ad nullum servitium obliget, præterquàm ad recitandum officium canonicum; aliud, quod habet servitium annexum in aliquâ Ecclesiâ. De priori censeo non posse moraliter habere tam tenues fructus quin obliget ad recitandum. Ratio est, quia cùm nullum aliud servitium postulet, et non detur nisi propter aliquod officium, necesse est ut saltem propter horas detur; atverò solum onus horarum non est adeò grave, ut per tenues fructus compensari non possit, etiamsi rigorosam æquitatem inter stipendium, et laborem considerare velimus. Nam ex recitatione solum occupatur clericus per horam temporis, et paulò ampliùs per totum diem, et non prohibetur neque impeditur, quin aliquo modo honesto necessaria corpori quærat; ergo etiamsi beneficium tantùm octo, vel decem aureos reddat, sufficient pro illo parvo onere. Eò vel maximè, quòd præter hoc stipendium, habet clericus, ratione talis beneficii multa alia commoda honoris exemptionis et aliorum privilegiorum; ergo in omni rigore æquitatis potest ita obligari. Unde cùm jura indistinctè loquantur, et ratio æquitatis non cogat ad distinctionem faciendam in hoc casu, nullo modo facienda est.

10. De beneficio autem habente aliud servitium annexum, adhuc subdistinguendum videtur. Aliquando enim est tale, ut licèt quis actu nec per se, nec per alium inserviat, et ideò amittat certas distributiones, nihilominùs fructus aliquos ex beneficio accipit per modum grossæ. Et ejusdem rationis censendum est quando necessarium est servire saltem per alium, qui distributionibus fruitur, proprietario autem servatur aliqua pars quasi grossæ, licèt tenuis. Et in his casibus non est dubium, quin beneficiarius teneatur recitare, tum quia quoad illam partem, quam reportat, illud est tanquàm beneficium omninò simplex, et nullum habens servitium; tum maximè quia per illum beneficiarium stat quominùs habeat uberiores fructus. Unde vix contingere potest ut detur beneficium speciale servitium requirens, ut si serviatur in illo, tam parvos reddat fructus, et distributiones, aut ex oblationibus altaris, aut ex aliis emolumentis, ut possit simpliciter tenue reputari, ita ut non sufficiat saltem ad tertiam partem sustentationis, si autem hanc conferat, dubitari non potest de obligatione recitandi. Et propterea dixi moraliter loquendo non posse opinionem Soti ad praxim applicari, quia omnia beneficia, vel sunt simplicia, vel servientia, et in prioribus non sufficit tenuitas, in posterioribus verò tanta non invenitur.

11. Possunt verò excogitari beneficia obligantia ad alia servitia Ecclesiæ, quæ sint tam tenuia, ut licèt quis integrè illis inserviat et accipiat omnes distributiones, et quidquid emolumenti ad illa pertinet, adhuc non sufficiant ad sustentationem personæ, etiam quoad tertiam vel quartam partem, et si qua sunt hujusmodi, censeo valdè probabile et securum, non obligare ad recitandum, quia justè reputari possunt non esse beneficia data illo munere, sed tantùm pro alio servitio, unde respectu recitationis se habent tanquàm beneficia non habentia ullos redditus; et ideò mirum non est quòd sub generali lege non comprehendantur. At que hoc probabilius fiet ex his quæ dicemus de restitutione fructuum in iis qui non recitant. Nec video, quomodò possit in eo casu imponi obligatio, nisi dicendo, in obligatione recitandi propter beneficium, nullam haberi considerationem fructuum, sed solius tituli, et ad summum possessionis. Et quidem non dubito quin potuerit Ecclesia, servatâ omni æquitate, ita hoc instituere et præcipere. Sicut obligationem recitandi conjunxit cum ordine sacro, etiamsi nullam

emolumentum temporale secum afferat, per se loquendo. Ita enim per beneficium peculiari modo quasi sacratur persona, et magis ecclesiastica efficitur, ita ut in privilegiis et multis aliis æquiparetur clerico in sacris, et ideò justè etiam potuisset Ecclesia similiter conjungere obligationem recitandi cum beneficio nullâ habitâ consideratione fructuum. Verùmtamen non creditur ita fecisse, juxta doctrinam magis receptam, et ideò si tenues fructus beneficii alteri servitio æquissimè correspondent, merito censetur non esse tale beneficium ad recitandum datum, et fortassè auctores secundæ opinionis hoc non negarent. Extra hunc verò casum eorum sententiam servandam esse, etiam in praxi censemus.

12. Unde facilè expeditur novum dubium nobis propositum, si quis habeat plura beneficia ita tenuia, ut nullum per se sufficiat obligare juxta opinionem Soti, omnia verò simul reddant competentes fructus, an obligetur ad recitandum? Respondeo enim, omninò obligari, quod in omni sententiâ censeo esse indubitatum; nam de posteriori, et nostra per se patet : de priori probatur, tum quia ille habet ab Ecclesiâ stipendium sufficiens titulo beneficii, vel beneficiorum, hæc enim differentia impertinens est; nec minuit, sed potiùs quodammodò auget obligationem; tum etiam quia licèt tenue beneficium per se non obligat, juxta illam sententiam, inchoat saltem obligationem, et ad aliquam orationem vel partem horarum obligat, ut supra dicebam; ergo si plura beneficia compleant sufficiens stipendium, integrè obligabunt

CAPUT XXII.

Utrùm clericus habens redditus ab Ecclesiâ sine beneficio, teneatur horas canonicas recitare.

1. Diximus de beneficio ecclesiastico, prout separari potest a fructibus, nunc è converso dicendum est de fructibus, quando separantur à beneficio; et jus ad percipiendos illos alicui confertur. In quâ re facillimè fertur judicium, quando sufficienter constat jus illud, quod ad fructus datur, non esse beneficium; plura verò dubia in hâc materiâ nascuntur, quia incertum vel obscurum est an illud constituat veram rationem beneficii.

2. Itaque primò certum est, quoties fructus beneficii alicui etiam clerico dantur per modum stipendii propter actionem temporalem, illum non obligari ad dicendum officium divinum. Ita docent omnes doctores in hâc materiâ. Paludanus, dictâ quæst. 5, num. 12; Turrecremata, dist. 91, in principio quæst. 5; Silvester, verb. *Hora*, quæst. 2, et reliqui. Exempla sunt de illo qui ad docendam theologiam, verbi gratiâ, conducitur : nam etiamsi integram præbendam canoniæ accipiat, si non sit canonicus, non tenetur recitare, quia beneficium non habet, secus verò est, si beneficium ipsum accipiat cum onere legendi, juxta cap. 1, de Magistris : ponunt etiam dicti auctores exemplum in matricularîis, id est, qui redditus habent in Ecclesiâ, ut pulsent campanas, vel similia officia faciunt. Item in sacristiâ, qui sine peculiari beneficio propter illud ministerium suos habet redditus. Ratio horum et similium est, quia lex ecclesiastica solùm obligat habentes beneficium, et quia isti habent sua peculiaria officia, vel servitia, pro quibus accipiunt proportionata stipendia; item regulariter quasi per accidens est, quòd sint clerici : nam possent actiones illæ per laicos fieri, et interdùm fiunt.

3. Hinc secundò certum est eos qui habent ab Ecclesiâ pensionem, seu portionem ex fructibus Ecclesiæ, non ut clerici, sed aliquo titulo communi laicis, non teneri ad dicendum officium, ut qui per modum simplicis eleemosynæ habent certam portionem in aliquo monasterio ad vitæ sustentationem, etiamsi pro totâ vitâ consignatam habeant : nam illa non est beneficium, sed temporale quid : nam etiam pretio emi potuisset. Idem est de pensione datâ à Papâ alicui laico per modum gratitudinis propter servitia parentum in Ecclesiæ utilitatem, vel aliquid simile. Ratio est, quia licèt ille habeat aliquod jus ad redditus Ecclesiæ, illud jus non est beneficium, quia non datur propter aliquod ministerium sacrum. Et hoc à fortiori probari potest ex motu proprio Pii V, statim tractando.

4. Potest enim esse nonnulla difficultas de quibusdam pensionibus, quæ videntur dari titulo clericali, ut quando exigunt in personâ clericalem statum, saltem per primam tonsuram; nam isti videntur habere fructus cum spirituali jure et titulo, ac proinde tenere ad clericorum officium, quod est recitare horas canonicas. Nihilominùs de his etiam semper fuit constans sententia, eos non teneri ad dicendum officium canonicum. Ita tenuit Medina, quæst. 7, de Orat.; Navarrus, cap. 7, de Orat., num. 25; Soto, lib. 10, de Justitiâ, quæst. 5, art. 3; Ledesma, in 4, p. 1, quæst. 16, art. 4; Gigas, quæst. 30, de Pensionibus, qui citat Hieronymum Paulum in libro, *Provinciale omnium Ecclesiarum*, et alios. Et sumitur etiam ex Paludano, et aliis supra citatis, quamvis generaliùs loquantur sub nomine portionum, seu præbendarum, quæ tantùm ad sustentationem vitæ dantur. Et hanc sententiam confirmavit planè Pius V, statim citandus; nam imponendo his pensionariis novum quoddam opus distinctum ab horis canonicis clarè significavit, eos non obligari ad pensum horarum.

5. Ex hoc ergo principio inferebant consequenter citati auctores, pensionarium non teneri ad aliquid recitandum : quod fuit verum ante tempus Pii V, et optimè inferebatur, quia Ecclesia tunc nemini imposuerat præceptum recitandi aliquid propter usumfructum, ut sic dicam, aliquorum reddituum ecclesiasticorum. Imò extra officium missæ, et septem horarum canonicarum, nullum præceptum de aliquâ certâ oratione vocali inveniebatur in Ecclesiâ, datum pro his qui ad recitandum officium canonicum non tenebantur; cùm ergo ante Pium V, pensionarii non tenerentur ad dicendum officium canonicum, ad nullam omninò orationem vocalem ex vi pensionis tenebantur. Ratio verò erat, quia talis pensio reverà non est beneficium : item quia tunc non dabatur propter aliquod officium. Dices, ergo injustè dabatur. Respondetur,

negando consequentiam, quia ex justâ dispensatione Papæ poterat dari, vel in gratitudinem, ut dicebamus, vel in eleemosynam; vel ad juvandos juvenes in studiis litterarum, vel in ordine ad militiam Ecclesiæ defensioni necessariam, vel aliis de causis. Pius autem V, suâ constitutione præcepit pensionariis clericis, quando, ut clerici percipiunt, ut officium parvum beatæ Virginis recitent, et aliter non faciant fructus suos, juxta proportionem infra declarandam, capite ultimo. Quod præceptum sine dubio obligat, nec potest aliquis excusari dicens constitutionem illam non esse usu receptam; nam pontificia constitutio ipsa obligat, ut recipiatur, et hanc vim semper habet, quamdiù per contrariam consuetudinem, sciente, et connivente Pontifice, abrogata non est, quod de illâ constitutione dici non potest: nam ex tunc theologi, et canonistæ docti, et pii semper docuerunt esse servandam, sicut reverà à timoratis servatur. Et qui illam transgressi sunt fructuum compensationem à Pontifice postulare solent, quæ non facilè, nec sine competenti satisfactione conceditur, ut mihi constat, saltem de Hispaniâ. Quod est apertum signum, legem illam non esse ex tacito consensu Pontificis abrogatam.

6. Additur autem in eâdem lege limitatio, ut solùm eos obliget qui *ut clerici* pensionem accipiunt. Dicuntur autem accipere ut clerici, quando status clericalis in eis requiritur, ut sint talis pensionis capaces; si ergo pensio detur sine hâc conditione, non inducit obligationem recitandi officium Virginis, etiamsi detur personæ regulari laicæ, ut militi sancti Joannis, etiamsi aliquo modo ratione professionis ecclesiastica persona sit, et licèt illi, ut regulari detur, quia nihilominùs non datur ut clerico: hoc enim propriè et rigorosè accipiendum est. Adverto tandem circa hoc præceptum, non ita limitari ad preces Virginis, quin si pensionarius velit, possit canonicum officium recitare, per quod meliùs satisfaciet suo muneri, quàm si preces Virginis diceret, quia intentio Pii V in illâ lege non fuit excludere officium canonicum, sed solùm non imponere tantum onus. Quod ex ipsâ materiâ et fine præcepti est satis notum. Quapropter non dubito quin clericus in sacris habens pensionem, satisfaciat, dicendo horas canonicas etiamsi preces Virginis non dicat, quia si sacerdos habens propium beneficium ad ampliùs non obligatur, non est verisimile voluisse Pium V pensionario clerico majus onus imponere. Idemque est de clerico in minoribus habente simul beneficium et pensionem: unde dicendum est tulisse Pium V legem illam propter eos clericos qui alio titulo ad canonicum officium non obligantur, et illis non interdixisse quin possint canonicum officium dicere, et illo satisfacere, si velint, sed solùm noluisse ad hoc illos obligare, sed tantùm ad Virginis preces.

Dubium incidens de præstimoniis.

7. Statim verò hic annectitur dubium de præstimoniis, quæ in Hispaniâ maximè sunt in usu, an in hoc ordine pensionum sint annumeranda? Aliquorum enim opinio est hæc non esse beneficia ecclesiastica, sed pensiones: sunt enim portiones quædam a reddi tibus beneficiorum abstractæ, et designatæ ut per modum subventionis, vel adjutorii ad studia peragen da juvenibus conferantur, ut eo modo possint commodè erudiri, ut postea Ecclesiæ inserviant; unde considerato fine talis institutionis non videntur hæc beneficia ecclesiastica, quia non dantur propter aliquod sacrum ministerium, quod sit quasi finis proximus, et officium propter tale stipendium aliquando exercendum, sed tantùm propter studium ordinatum ad sacrum ministerium tanquàm ad finem remotum, ad quod ministerium potea non obligatur quis ex vi solius præstimonii, nisi quatenùs per aliud beneficium proprium ei collatum, vel per sacram ordinationem fuerit obligatus. Atque ita sensit de his præstimoniis Medina, quæst. 7, disput. 9; Gigas etiam quæst. 28, de Pension., num. 5, videtur apertè negare, præstimonium esse beneficium; et idem habet Sylva, tractat. de Beneficiis, part. 1, quæst. 3, num. 10. Sentit etiam Felinus, cap. *Postulâsti*, et cap. *Ad audientiam*, 2, de Rescript., et Caccialupus in tractat. de Pension., quæst. 30, quatenùs negant præstimonium esse beneficium. Juxta hanc verò sententiam dicendum nunc esset, habentem præstimonium teneri ad dicendas preces Virginis, juxta motum Pii V, quia præstimonium, si non est proprium beneficium, saltem erit pensio, et maximè clericalis, ut sic dicam, quia nemini datur nisi ut clerico, et ut in clericatu proficiat.

8. Probabilior tamen sententia est eum qui habet præstimonium teneri ad dicendum officium canonicum. Ita tenet Navarrus, cap. 21, de Oratione, num. 9; Sotus, lib. 10, de Just., quæst. 5, art. 3; et sine dubio hoc sensit Gigas, quæst. 30, de Pensionibus, num. 1, dicens: Pensionem intitulatam, ad aliquam partem fructuum alterius beneficii esse ecclesiasticum beneficium, et ideò qui illam habet, teneri ad officium recitandum. Præstimonium enim propriissimè dici videtur pensio intitulata; nam portio illa, quæ præstimonium dicitur, erecta est, ut conferatur speciali, et spirituali titulo. Quæ sententia probari potest ex cap. ultim. de Concessione præbend. in 6, ubi præstimonium cum aliis beneficiis ecclesiasticis annumeratur. Item induci potest ex cap. *Quamvis*, de Præbendis in sexto ubi dicitur litteras super obtinendis beneficiis impetratas restringi debere, restrictio autem per hæc verba explicatur: *Ei non in pensione, sed in beneficiis ecclesiasticis tantùm volumus provideri.* Ubi solam pensionem à beneficiis ecclesiasticis distinguit, et sub illis præstimonium comprehendit; nam et vi illius rescripti provideri quis potest, et debet de præstimonio. Et confirmatur ex cap. *Conquerente*, de Clericis non residentibus, ubi similis portio separata ab alio beneficio cum jure ad illam, et sine obligatione ad servitium, beneficium ecclesiasticum appellatur, quod profectò esse non potest aliud, nisi præstimonium. Et sermonem ibi esse de proprio beneficio sentit ibi Abbas, et Gigas supra, illum referens, et quæst. 28, num. 20, ubi etiam allegat doctores in

Clement. 1, de supplendâ negligendâ prælatorum. Possuntque ad hanc sententiam confirmandam multa sumi ex Panorm., vol. 2, cons. 47, ubi probat præstimonium esse beneficium, quia habet omnes qualitates proprii beneficii : numerat autem quatuor aut quinque proprietates, scilicet, quòd tantùm personæ ecclesiasticæ, per ecclesiasticum prælatum dari possit, purè, et sine pacto, et in perpetuum, et quòd habeat aliquid spiritualitatis, cui annectatur, seu officium aliquod divinum, propter quod detur, quas omnes dicit reperiri in præstimonio, quod tamen ipse non probat, præsertim de ultimâ, in quâ est difficultas. Unde si quis rectè consideret, ille supponit, quod hìc probare intendimus, et ex annexione, seu obligatione ad officium divinum, infert esse beneficium ; auctores autem primæ sententiæ potiùs à contrario, quia putant non esse beneficium, inferunt non obligare ad officium.

9. Denique hæc res fortassè esse poterat dubia de jure antiquo : nam ex nullo textu sufficienter probatur præstimonium esse propriè beneficium ecclesiasticum, secundùm rigorosam et strictam appellationem, quamvis interdùm sub eâ voce generaliùs sumptâ comprehendatur, quod solùm probat dictum cap. ultimum de Concess. præbend. ; in alio autem capite *Quamvis*, incertum est an præstimonium sub pensione vel sub beneficio debeat comprehendi, et ita posset textus ille in contrarium induci, quia multi putant sub litteris de obtinendo beneficio non comprehendi præstimonium. Imò Panormitanus, in dicto consil. 47, expressè definit in litteris gratiæ concessis etiam expressè ad beneficium cum curâ vel sine curâ sub his vocibus non comprehendi præstimonium, *præsertim*, inquit, *cùm in eis sit facienda stricta interpretatio propter ambitionem comprimendam, juxta dictum cap. Quamvis*. Cùm ergo lex concilii Constantiensis etiam loquatur de habentibus beneficium cum curâ vel sine curâ, et materia illius legis sit restringibilis, non comprehendit præstimonium. Et omnia quæ ibi adducit Abbas ad illam resolutionem confirmandam, hanc partem suadent. In alio autem capite *Conquerente*, incertum est an portio de quâ ibi fit mentio, fuerit simplex præstimonium, et Panormitanus sentit fuisse potiùs beneficium ad servitium Ecclesiæ et adjutorium parochi institutum. Non constat igitur satis ex jure ad quem finem et quomodò fuerint præstimonia instituta, atque an habeant propriam beneficiorum naturam, quæ est dari propter aliquod divinum officium. Unde etiam inter canonistas multi negant præstimonia in titulum, sive pro titulo beneficii assignari, ut refert Rebuffus in Pract. cancellariæ apostolicæ sub titulo : *Notabilia super vacantibus non reservatis*, § *Beneficii appellatione*, quamvis alii oppositum senserint, quos ibi etiam commemorat ; ipse autem rem ambiguam relinquere videtur. Erat ergo res dubia, et ideò non erat improbabilis opinio Medinæ.

10. Ad tollendam autem hanc dubitationem addidit Pius V, in suo motu proprio hæc verba : *Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*. Jam ergo dubitare non licet, sive hoc sit, quia illa beneficia discursu temporis, et usu prælatorum, et (quod caput est) confirmatione Pontificis, mutârunt naturam, et cùm antea non essent propter officium instituta, jam propter illud dantur propriâ collatione, et spirituali titulo. Sive quia hanc eamdem rationem à principio habuerunt, quia non repugnat, quòd erecta fuerint ad juvandos juvenes in studiis, et quòd habuerint annexum onus recitandi.

11. Aliud dubium hìc esse solet de capellaniis, an qui capellaniam habet recitare teneatur ; et ratio dubii est, quia videtur recipere fructus per modum cujusdam stipendii et mercedis, non verò propter proprium titulum beneficii. Sed in hoc communis resolutio est, duplices esse capellanias quasdam quas collativas vocant ; alias non collativas, id est, quæ à patronis etiam laicis conceduntur sine collatione ecclesiastici prælati. Quæ duo genera capellaniarum ab institutione habent distinctionem ; interdùm enim laici relinquunt bona sua cum hoc onere, ut certa quædam pensio quotannis alicui clerico detur, ut tot missas dicat : inde ergo consurgit capellania non collativa, quæ in eo statu perseverat, quamdiù institutio consuetudine aut auctoritate prælatorum Ecclesiæ non mutatur. Collativa autem fit, quando auctoritate episcopi erigitur, etiamsi ex bonis laicorum dotata sit, et jus præsentandi personam sit patrono laico reservatum. Capellania ergo collativa sine dubio inducit obligationem recitandi officium canonicum, quia est verum ecclesiasticum beneficium, habet enim omnes conditiones ad beneficium requisitas, ut facilè unicuique patebit, applicando illas, quas ex Panormitano dubio præcedenti retulimus.

12. Capellania autem non collativa non obligat ad officium canonicum ob contrariam rationem, quia non est beneficium ecclesiasticum, ut patebit etiam easdem conditiones applicando ; ex quibus illa est maximè nota, quòd non datur per provisionem et auctoritatem prælati ecclesiastici ; repugnat enim beneficium ecclesiasticum institui, vel conferri à laico sine interventu spiritualis potestatis. Ita ferè Medina, dictâ quæst. 7 ; Navarrus, cap. 20, de Orat., num. 17 ; Ledesma in 4, p. 2, quæst. 16, art. 4, dub. 5. Et hoc videntur intendere summistæ, qui declarant beneficium obligare ad recitandum, etiamsi sit de patrimonio institutum, ita ut patrimonium factum sit beneficium, et non aliàs, ut ait Silvester ex Zabarel., verbo *Hora*, quæst. 2, § *Secundum* ; Tabienna, numero 1, et Armilla, numero 1. Qui etiam advertunt, quod licèt is qui habet capellaniam collativam non possit per se illi satisfacere in missis, vel aliis oneribus persolvendis, quia est puer, vel impeditus, et ideò per alium inserviat, non excusatur ab obligatione dicendi officium per se ; tum quia, ut sæpè dixi, hoc est onus personale, et *sacrificium laudis, et fructus suorum labiorum*, ut dicitur in Clement. 1. de Celebr. miss., tum etiam quia ille alius, per quem dicuntur missæ, vel simile aliud

officium non tenetur ex vi stipendii, quod recipit, dicere officium canonicum, quia respectu illius illud non est beneficium; ergo onus dicendi officium canonicum manet apud capellanum.

13. Hinc verò nascitur aliud dubium de his qui recipiunt servitium beneficii in commendam, an teneantur recitare canonicum officium, videntur enim non teneri, quia non sunt beneficiati, cùm non habeant proprietatem beneficii, sed tantùm servitium; cujus etiam argumentum est, quia sæpè hæc commendatio fit ad tempus, ut patet in vicariis qui ad annum vel simile tempus constituuntur, et ad nutum amoveri possunt. Idemque videtur esse de his beneficiis regularibus (manualia interdùm vocantur) quæ conferuntur religiosis à suis prælatis, ut ibi inserviant, quamdiù suis prælatis placuerit, et ad nutum eorum revocentur: nam isti omnes non possunt dici habere beneficium ecclesiasticum, de cujus ratione est ut sit perpetuum, et per institutionem canonicam conferatur, cap. 1, de Reg. Jur. in 6. Denique idem esse videtur de capellano quem parochus sibi asciscit, ut in ministrando ipsum adjuvet; nam ille etiam non tenebitur officium recitare, quia reverà beneficiatus non est, sed stipendiarius et mercenarius conductus, non ad recitandum officium, sed ad ministranda sacramenta, vel missas dicendas, et similia publica onera supportanda.

14. Ad hæc breviter dicendum est primò eum qui habet beneficium integrè commendatum quoad totam administrationem ejus, teneri ad dicendum officium, etiamsi commissio illa seu commendatio Ecclesiæ non sit erecta in titulum beneficii, neque in perpetuum conferatur. Ita docent Medina, Ledesma et Navarrus supra, num. 16. Et præcedenti etiam capite à nobis dictum est de illo qui renuntiat alteri beneficium retentâ totâ administratione cum fructibus. Idem enim est in præsenti, nam parùm refert, quòd fructus sint plures vel pauciores, quia hæc obligatio non nascitur veluti per se ex fructibus, sed obligatione susceptâ ad totam administrationem. Itaque licèt hìc non obligetur ratione beneficii, quod ipse habeat, obligatur, quia subrogatus est loco habentis beneficium cum totâ obligatione beneficii ab ipso acceptatâ, pro tunc enim illa obligatio æquivalet titulo beneficii, quoad omnia ejus onera; nam pactum humanum quod ibi tacitè intervenit, hanc vim habet. Sicut etiam ille tenetur ad sacramenta ministranda, et alia officia beneficii exequenda.

15. Dixi autem, *integrè commendatum, quoad totam administrationem*, quia si solùm commendetur quoad exteriora et publica servitia Ecclesiæ ex vi hujus commendationis, non tenebitur ad dicendum officium canonicum, ut, verbi gratiâ, si beneficiatus proprius, abfuturus ab Ecclesiâ suâ propter negotia, illam commendet amico, aut mercenario clerico seculari, aut religioso, ut pro se toto illo tempore inserviat, non tenebitur substitutus ille ex vi oneris quod in se suscipit, officium dicere, nisi quatenùs publicè in Ecclesiâ illud canere necessarium fuerit, juxta ejusdem Ecclesiæ morem seu qualitatem. Ratio est quia solùm publicum et externum ministerium est illi commendatum. Item, quia obligatio recitandi privatum officium semper manet apud proprietarium, ita ut non possit alteri illam delegare, ut ex dictis colligitur. Ergo substitutus non tenetur illâ obligatione, quia non debet multiplicari sine causâ et necessitate, unde nisi ex speciali pacto satis expresso, substitutus in eo casu ad hoc obligetur, non est censendus ita obligari, quando autem intervenerit tale pactum, substitutus quidem obligabitur ex justitiâ pacti, non tamen propterea exonerabitur proprietarius suâ obligatione: nam est personalis, et ex beneficio, quod semper habet. Et hujusmodi videtur esse talis substitutio vel commendatio quoties propriâ voluntate et auctoritate ipsiusmet beneficiarii fit ad supplendam ejus absentiam; secùs verò est, quando tota administratio beneficii commendatur auctoritate Pontificis, vel prælati, aut quia beneficium est unitum alicui religioni militari, vel alteri cum onere constituendi ibi vicarium, qui portet omnia onera beneficii, quæ vicaria si perpetua sit, beneficium ecclesiasticum reputatur, et per prælatum ecclesiasticum conferenda est. Si verò ad tempus tantùm detur, pro eo tempore qui recipit illam commendam, recitare tenetur propter rationem jam dictam. Et idem est de illo cui auctoritate Papæ commendaretur tota Ecclesiæ administratio, quamdiù beneficiatus puer, ex dispensatione factus, recitare non valet, quia tunc totum onus beneficii, etiam quoad recitationem intelligitur vicario commissum, ne Ecclesia ullo officio privetur. In hoc ergo sensu locuti sunt citati auctores, idemque est, quando vacante Ecclesiâ parochiali, episcopus ibi vicarium constituit, et in similibus casibus, ubi eadem ratio intervenit.

16. Atque hinc constat à fortiori idem dicendum esse de habentibus beneficia manualia: nam sine dubio tenentur ad officium recitandum. Quia sive illa sint propriè beneficia, sive non, in se suscipiunt totam beneficii administrationem, ad quam, ut sæpè dixi, pertinet etiam divini officii recitatio. Eò vel maximè quòd hæc beneficia aliquo modo perpetua sunt, quatenùs non dantur ad definitum tempus, sed de se durare semper possunt, licèt includant dependentiam à prælato, à quo auferri seu revocari possunt, juxta Clem. unic. de Supplendâ neglig. prælator. in quo quamdam majorem proprietatem beneficii participant, juxta ea quæ Silvester notat verb. *Dignitas*, in principio. Denique pro eo tempore necesse est ut onus illud recitandi, quod illi beneficio respondet, ad aliquam determinatam personam pertineat, quia aliàs non esset sufficienter tali Ecclesiæ provisum, sed non cadit in alium, nisi in hujusmodi administratorem seu beneficiarium, ergo ille tenetur recitare ratione talis beneficii.

17. Secùs verò est de capellano seu coadjutore conducto vel dato proprio parocho seu beneficiario, ut ab ipso juvetur in Ecclesiæ administratione: nam de illo videtur esse eadem ratio, quæ de vicario relicto solum, ut suppleat absentiam parochi in externâ Ec-

clesiæ administratione. Unde non obstante illo adjutorio, quod attinet ad recitationem officii totum munus integrum manet apud proprietarium, et alter solùm est stipendiarius, non ut relevet proprietarium ab onere recitandi, sed solùm ab aliis ministeriis; ergo talis coadjutor vel capellanus, ex vi stipendii sui non tenetur recitare. Et ita docet Medina, quæst. 7, de Orat. Addit verò limitationem, de quâ statim dicetur.

18. Tandem hìc occurrit ordinarium dubium de coadjutoribus beneficiorum, prout nunc sunt in usu, an teneantur recitare officium canonicum, ex vi coadjutoriæ. Est autem de his specialis ratio dubitandi, quia non sunt tantùm quasi stipendiarii ad tempus, seu ad vitam proprietarii, sed etiam sunt successores in beneficio ipso facto, et sine novâ collatione, unde videntur jam habere titulum beneficii, et nonnullos redditus, quia semper habent aliquam congruam portionem designatam, habent etiam sedem in choro, et vocem in capitulo; cur ergo non tenebuntur recitare? Confirmatur primò, quia coadjutor hujusmodi est verè canonicus; ergo habet obligationem recitandi ex vi canonicatûs, cujus jam suo modo habet titulum et possessionem, et ratione illius habet administrationem, saltem secundo loco, et in absentiâ proprietarii. Consequentia videtur clara, et antecedens patet, quia ille admittitur ad honores et actus proprios talis beneficii. Confirmatur quia institutus est in canonicum, ita ut habeat sedem in choro; et vocem in capitulo, licèt sit ita institutus sine præbendâ, ut primam vacantem obtineat, tenetur ad horas recitandas, maximè si distributiones recipit; ergo à fortiori tenebitur coadjutor. Antecedens docent Paludanus, 4, dist. 5, quæst. 5, num. 5; Turrecremata, distinct. 19, in princip., quæst. 14. Quia ille verè habet beneficium ecclesiasticum argumento cap. *Cùm M.* de Const.; ergo idem erit in præsenti. Confirmatur tertiò, quia coadjutor datus episcopo auctoritate Papæ est verè episcopus, ut sentit Glossa per textum in cap. *Non autem*, 7, quæst. 1, verbo *Ut non succederet*. Quam probant Panormitanus, in cap. *Quoniam*, de Officio ordin., num. 4, et Cardinalis, cons. 70; ergo similiter coadjutor datus canonico auctoritate Papæ est verè canonicus; ergo obligatur.

19. Nihilominùs dicendum est hos coadjutores non teneri ad officium canonicum recitandum. Ita tenet Medina, de Orat., cap. 7, non sine fermidine; ita enim concludit: *Hoc videtur tenendum soli rationi innitendo, interim quòd aliqua determinatio in oppositum occurat.* Idem tenet Navarrus, cap. 2, de Orat., num. 18. Probatur primò, quia obligatio recitandi semper manet apud proprietarium; ergo non obligat coadjutorem. Probatur consequentia, ex uno beneficio non obligantur duo ad recitandum. Item principalis et coadjutor non obligantur ad missas, et alia officia duplicata, sed si unus implet, alter non tenetur; ergo si onus recitandi manet apud proprietarium, non transit ad coadjutorem. Secundò est propria ratio à priori, quia coadjutoria non est beneficium ecclesiasticum; ergo non obligat ad recitandum. Probatur consequentia, quia in dictis constitutionibus concilii, et Pii V, nec specialiter nominatur, nec sub generali nomine beneficii ecclesiastici comprehenditur. Antecedens autem esse omnium, nemine contradicente, docet Navarrus, in cap. *Si quando*, de Rescript., prælud. 5, num. 10. Idem sentit Thomas Campesius, tract. de Coadjut. episcop., num. 8; Gambarus, de Offic. et Potest. legat., lib. 4, num. 285, et Redoanus, tractat. de Simon., 2 p., cap. 28. Tradit Abbas in cap. *De Rectoribus*, cum tribus sequentibus de Cleric. ægrot. minis. Et ibi communis, in cap. *Grandi*, de Supplend. neglig. prælat., in 6, et ex eisdem juribus hoc sumitur. Nam licèt illa jura et eorum interpretes loquantur de coadjutore tantùm ad tempus, vel ad vitam dato sine futurâ successione, hoc nihil obstat, quia futura successio non dat jus in re, sed ad rem, ut ipsum nomen præ se fert. Et constat, quia princeps filius regis, licèt futuram successionem habeat, nondùm est rex, nec successor imperatoris est imperator, et sic de aliis. Confirmatur quia unum beneficium non potest simul esse in duobus, sed principalis retinet integrum beneficium; ergo coadjutor ex vi solius coadjutoriæ nullum beneficium habet; ergo nec ad recitandum obligatur. Denique ita declaratum est à S. D. N. Paulo V, ad petitionem hujus Ecclesiæ cathedralis Conimbricensis, in quodam brevi anni 1606, in quo inter alia declarat, coadjutores canonicorum non esse verè canonicos, nec pro talibus habendos, viventibus coadjutis: idem ergo est de coadjutoribus, in quibuscumque aliis beneficiis.

20. Et ita facilè patet responsio ad rationes in contrarium. Ad primam enim negamus coadjutorem habere titulum beneficii in re, sed tantùm in spe, seu jus ad rem. Neque obstat quòd succedat sine novâ collatione, quia per concessionem talis coadjutoris, fit collatio quasi sub conditione, seu pro tali eventu, et ideò illo eveniente, seu impletâ conditione, ipso facto perficitur collatio, quæ priùs erat quasi pendens. Neque obstat quòd coadjutor ex vi coadjutoriæ habeat vocem in capitulo, quia id non est ex vi tituli, sed quia ei conceditur, ut etiam quoad hoc proprietarium juvet. De sede autem in choro ordinatum est, ut coadjutor non in loco proprietarii, sed ultimo loco post proprios canonicos sedeat, quia reverà non est canonicus; et ita solùm conceditur ille locus ratione actualis ministerii.

21. Et ita etiam patet responsio ad confirmationem primam; negatur enim assumptum, scilicet, coadjutorem esse verè canonicum, quia licèt vulgò ita nominetur propter jus ad succedendum, verè non habet canonicam, neque præbendam, neque habet titulum vel possessionem canonicatûs, sed coadjutoriæ tantùm, et quoad illam habet jus in re, quoad canonicatum autem tantùm ad rem. Cujus etiam signum est, quia post decessum proprietarii novam possessionem accipere debet, ut in d. brevi habetur, unde etiam incipit facere propriam residentiam novorum canonicorum, nisi speciali indulto antea fuerit illi

concessa. Unde ad probationem dicitur coadjutorem tantùm admitti ad actus administratoris, et quasi vicarii, seu capellani, et ad honores huic ministerio proportionatos. Ad secundam confirmationem negatur similitudo, quia institutus in canonicum, cum jure ad primam præbendam, licèt nondùm illam sit consecutus, est verè canonicus, et habet actu beneficium quoad spirituale jus, et licèt non habeat præbendam, aliquas distributiones recipit; coadjutor verò non habet beneficium. Ad tertiam confirmationem idem dicendum est de coadjutore episcopi, quia non est prælatus nec episcopus quoad beneficium, licèt fortè consecratus sit, ut nunc esse solet. Hoc tamen intelligitur de jure ordinario. Nam de potentiâ absolutâ fortè posset Pontifex concedere coadjutorem episcopo, qui verè et actu simul cum alio esset prælatus et episcopus, quod intendunt Glossa et Panormitanus ibi citati. Et de facto legimus Augustinum ordinatum fuisse episcopum simul cum Valerio; inde tamen non potest sumi solidum argumentum, quia non per dispensationem Papæ, sed per ignorantiam factum est, ut ipse Augustinus postea cognovit et conquestus est, ut Possidius in Vitâ August., cap. 8, refert, et latè Baronius, tom. 5 Ann., an. Christi 395, num. 31 et 32.

22. Quæri verò potest an coadjutor teneatur recitare, saltem eo tempore quo onus ecclesiæ sustinet pro principali. Medina enim supra simpliciter affirmat, art. 1; Navarrus, d. capite 10, num. 18, id negat, nisi datus sit coadjutor ad dicendum horas nomine alterius, vel omnes vel aliquas; secùs verò, si tantùm sit datus ad cantandum vel ministrandum sacramenta. Unde loquendo de coadjutoribus prout nunc sunt in usu, dicendum est non teneri nisi ad satisfaciendum in choro vel simili servitio ecclesiæ, in quo adjuvare obligantur. Ratio est quia proprietarius, licèt excusetur à servitio chori et ecclesiæ, serviendo per coadjutorem, non tamen ab onere recitandi, quia hoc est onus personale, sequens beneficium, quod ipse retinet integrum. Neque est verisimile proprietarium, retinendo beneficium totum cum fructibus, posse se exonerare etiam ab onere recitandi, id faciendo per alium, neque hoc habet consuetudo, nec potest præsumi talis intentio Pontificis, nisi ubi fuerit expressa concessio; ergo onus hoc non imponitur coadjutori, quia non est in duobus, nec quoad illud est coadjutor. Item quia in aliis ministeriis, quæ principalis potest per coadjutorem implere, eo ipso quòd administratio committitur coadjutori, principalis liberatur per ministerium ejus; ergo cùm ministerium recitandi tale sit, ut per alium impleri non valeat, signum est illam obligationem nunquàm cadere in hujusmodi coadjutorem, etiam dùm actu administrat. Nam licèt teneatur, verbi gratiâ, ad chori assistentiam, satisfaciet suo muneri assistendo vel canendo, licèt in genere non recitet, juxta superiùs dicta. Hæc autem intelliguntur ex vi solius coadjutoriæ, prout est in usu communi et ordinario. Nam si Papa velit ad hoc extendere coadjutoriam, sine dubio posset ex rationabili causâ, qualis esset impotentia proprietarii, obligare etiam ad horas dicendas. Sed tunc ille non erit coadjutor, de quo nunc loquimur, sed esset vicarius, cui tota administratio beneficii commissa est, de quo jam diximus, teneri tunc non ratione proprii beneficii, sed ratione pacti, ut dixit Navarrus, qui non aliud sentire visus est.

23. Tandem quæri potest an isti coadjutores teneantur saltem dicere officium beatissimæ Virginis tanquàm pensionarii, juxta motum Pii V. Ad hoc verò, juxta principia posita, brevissimè dicendum est, si coadjutor habeat propriam pensionem super beneficium, sine dubio teneri ad officium Virginis, nisi aliàs canonicum recitet, quia recipit talem pensionem, ut clericus, ut per se notum est; suppono enim esse coadjutorem in spiritualibus. Si verò solùm recipiat ex fructibus beneficii aliquam sustentationem per modum stipendii, non tenebitur, quia non comprehenditur sub motu Pii V, et aliàs satisfacit suæ obligationi, suum ministerium implendo, sicut de capellanis dictum est.

CAPUT XXIII.

Quodnam officium divinum teneantur dicere clerici, cùm privatim recitant.

1. Diximus de personis quæ ad privatim recitandum divinum officium, quando illud in choro publicè non dicunt, obligantur; nunc modum explendi hanc obligationem declarare necesse est, quod prosequemur discurrendo per omnes circumstantias hujus actionis, incipiendo ab objecto, seu materiâ ejus, sicut de publicâ oratione fecimus. Primùm ergo omnium occurrit quæstio illa superiùs inculcata, utrùm recitare juxta hoc vel illud Breviarium, seu juxta hujus vel illius Ecclesiæ ritum, cadat sub præceptum; in quo ritu possumus loqui, vel de ipsâ substantiâ horarum, ut sic dicam, in communi, et comparando diversa ritualia, seu Breviaria inter se, vel possumus loqui de eodem ritu ejusdem Breviarii applicato ad varia tempora, vel ad hos vel illos dies, et ad hos vel illos sanctos, ut quòd tali tempore et die de tali sancto, aut mysterio, aut de feriâ fiat officium. Quod ergo ad substantiam officii spectat, loqui possumus, aut de jure communi, aut de speciali jure Pii V, supra explicato. Et quidem si hoc jus Pii V fuisset omninò universale vel ubique receptum, sufficeret dicere illud esse observandum, etiam in privatâ recitatione, tamen quia non ubique obligat, et ubi non obligat, jus antiquum servandum est, ideò de utroque breviter dicere est necesse; et quoniam ex antiquo jure facilè intelligetur particulare, seu novum, illud priùs explicabimus.

2. Dico ergo primò: Unusquisque clericus, qui ad horas canonicas privatim dicendas obligatus est, tenetur eas dicere (stando in jure communi), juxta Breviarium in suâ diœcesi vel ordine approbatum et receptum; et alioqui suo muneri non satisfacit. Hæc assertio sumitur ex cap. *De iis*, et cap. *Placuit*, d. 12, in quibus in eâdem diœcesi, metropoli, archiepiscopatu, seu provinciâ idem psallendi ordo servari præ-

cipitur. Verum est ibi esse sermonem de recitatione publicâ et in choro. Unde videtur sumi argumentum, vel à paritate rationis, vel quia recitatio privata quasi subrogatur loco publicæ in his qui choro non tenentur assistere, vel de facto non intersunt, et ideò debet secundùm eamdem regulam dici, vel quia membrum debet corpori conformari. Unde in concilio Agathensi, cap. 30, de hoc officio dicitur : *Convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri;* idem cap. *Convenit*, de Consecr., d. 5. Et hâc ferè ratione utitur D. Thomas, quodlib. 1, art. 13, ubi concludit unumquemque debere conformari eorum consuetudini cum quibus vivit. Et ita Cajetanus, verb. *Horæ*, § 2, magis ex consuetudine quàm ex jure hanc obligationem colligit. Tandem optimè videtur hoc confirmari ex Clement. 2, de Celebr. missar., ubi conceditur clericis secularibus et religiosis commensalibus cardinalium et aliorum pontificum, ut possint illis conformari in officio, et ut non teneantur aliud dicere, ubi Glossa, verbo *Indulgemus*, rectè notat absque illo privilegio id non licuisse ; tenebatur ergo antea unusquisque suo ordini, vel diœcesi, vel metropoli, prout habuerit consuetudo, conformari. Nec videtur posse in hoc certior regula præscribi, stando in antiquo jure. Et ita docuit Cardinalis, cap. penult. et ult., d. 12 ; et ibidem Archidiaconus et Turrecremata ; Soto, lib. 10 de Justit., quæst. 5, art. 4 ; Navarrus, de Orat., cap. 19, n. 211 et sequentibus ; concordat Tabiena, num. 10 et 16, licèt lubricè. Alii etiam auctores in generali regulâ conveniunt ; addunt tamen exceptiones, quas expendere necesse est.

3. Quidam ergo dixerunt semper licuisse cuicumque clerico vel religioso juxta formam Breviarii Romani recitare, et ita prædictæ regulæ esse hanc limitationem addendam, scilicet, nisi quis malit Romano Breviario uti in recitatione privatâ, quia Romana Ecclesia est mater omnium. Ita Cajetanus, verbo *Horæ;* qui non fundatur in prædictâ ratione, sed in hoc quòd substantia præcepti est de septem horis, reliqua verò sunt accidentia, et ita non negat esse peccatum veniale grave, sed negat esse mortale. At si ratio valet, idem dicere debet de mutatione in quodcumque aliud officium approbatum, itaque non peccaret graviter monachus sancti Benedicti, omittendo proprium officium, et recitando juxta regulam sancti Dominici, vel aliam ; quod est destruere regulam positam, juxta mentem auctorum omnium. Omnes enim censent hanc esse obligationem sub mortali, ut clarè sentit Soto, supra, art. 4, et expressiùs Tabiena, num. 16, in fine, et Navarrus id colligit ex pœnâ gravi, quæ in dictis juribus imponitur. Itaque ratio illa admittenda non est, quia mutatio in totâ formâ officii satis gravis est, et proximè ipsam substantiam attingit. Altera verò ratio habebit locum, si Pontifex Romanus ita approbet officium Romanum, ut pro toto orbe illud proponat, et servandum præcipiat vel concedat, quod ante Pium V, jure communi factum non legimus. Nam licèt in capite *In die*, de Consec. d. 1, Gregorius VII aliquid innuere videatur, tamen reverà non facit statutum generale de toto officio, nec universale pro totâ Ecclesiâ, sed de quodam particulari puncto pro Ecclesiâ tantùm Romanâ. Nec etiam invenitur consuetudine receptum, ut unaquæque Ecclesia privata possit conformari Ecclesiæ Romanæ, et matricem relinquere ; imò oppositum colligitur ex dicto capite *In die*, et cap. penult. et ult., d. 12, et optimè ex capite *Novit*, eâdem distinct., ubi Gregor. clarè dicit in his rebus non oportere sequi consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, sed quod in unaquâque Ecclesiâ institutum est.

4. Alii excipiendos putant clericos seculares ordinatos ad titulum patrimonii, nullive Ecclesiæ addictos. Nam illi, aiunt, non tenentur ad certum Breviarium sequendum, sed uti possunt quo voluerint, dummodò legitimâ auctoritate approbatum sit in aliquâ provinciâ, diœcesi aut religione. Quorum fundamentum fuisse videtur, quia illi non tenentur ad inserviendum certæ alicui Ecclesiæ in hoc munere recitandi, sed tantùm Ecclesiæ Dei. Ergo satis est, si dicant aliquod officium in Ecclesiâ approbatum. Ita Angelus, verbo *Hora*, num. 12 et 14, cum Directorio juris, tit. 8, quod citat ; idem Silvester quæst., 1. Sed non videtur admittenda exceptio, ut meliùs Navarrus et alii tradiderunt, quia nullo jure fundatur, nullum enim adducitur ; nec etiam fundatur consuetudine (ex quâ maximè hoc negotium pendet) ; consuetudo enim habet ut clericus dicat officium juxta morem Ecclesiæ in quâ residet, seu habet beneficium nullâ distinctione factâ de ordinato ad titulum beneficii vel patrimonii. Nullâ etiam ratione efficaci fundatur exceptio, quia licèt ille clericus non teneatur choro assistere, tenetur tamen conformari corpori, tanquàm pars illius cleri. Confirmatur, quia episcopus posset illum justè cogere ad sequendum ritum Ecclesiæ suæ, et punire, si non obediret ; ergo signum est illum teneri, quia episcopus non potest in hoc ponere novam obligationem. Denique rectus ordo Ecclesiæ hoc postulat, aliàs occasio scandali et abusus facilè oriri possent.

5. Tertiò circa dictam regulam inquiri potest de illo clerico qui in unâ Ecclesiâ habet beneficium, in alterâ vero diœcesi, ubi officium diversum est, residet, et habet firmum domicilium, cui debeat conformari. Quidam dicunt illum ratione beneficii esse addictum tali Ecclesiæ, et ideò teneri morem illius sequi in recitando, ubicumque resideat. Indicat D. Thomas, quodlib. 6, art. 8, ubi ait : *Licèt clericus in sacris obligetur ad divinum officium absolutè ;* tamen ut clericus beneficiatus in hâc Ecclesiâ, tenetur ad dicendum officium secundùm modum illius Ecclesiæ. Idem sumi potest ex quodlib. 1, art. 13.

6. Mihi probabilius videtur recitare debere juxta morem Ecclesiæ in quâ residet. Primò ex illâ ratione generali, quòd valdè expedit imitari honestos mores eorum inter quos vivimus ; deinde, quia ad hujusmodi usum et actionem potentius videtur vinculum domicilii et residentiæ quàm beneficii. Denique quia beneficium non videtur posse ad hoc obligare ; vel enim obligat ad residentiam, vel non ; si non obli-

gat ad serviendum Ecclesiæ, non est cur obliget ad ritum ejus in recitando sequendum, in loco distanti, et secluso domicilio. Si autem obligat ad inserviendum Ecclesiæ, ulteriùs peto, an ille absit legitimè necne, in priori casu cessat obligatio, quia vel per alium inservire potest, et tunc jam per alium satisfacit quoad ritum; vel si legitimè dispensatus est, cessat obligatio servitii, et consequenter etiam servandi ritum. Atverò si ille clericus injustè absit à suâ Ecclesiâ, vix est casus admittendus, quia vix potest ille habere alibi firmum domicilium. Si tamen illud habere supponatur, cùm non magis satisfaciat suæ obligationi inserviendi suæ Ecclesiæ, reciando uno modo quàm alio, et alioqui ratio præsentiæ et residentiæ in alio loco majorem moralem necessitatem inducat, etiam in hoc casu videtur probabilius debere sequi morem loci, in quo residet, quia tunc est ibi subditus, et membrum illius corporis. Fateor tamen non esse tam claram obligationem in toto hoc casu, quin possit facilè optio permitti.

7. Et idem dicendum censeo in simili dubio, de clericis unius provinciæ, qui in aliâ commorantur ratione studii, cujus Ecclesiæ morem in recitando sequi teneantur. Quidam aiunt debere imitari suam diœcesim, ubi habent firmum domicilium, quia simpliciter sunt illius membra, et subditi prælatis et legibus talis episcopatûs. Ego verò existimo pro tempore, quo in academiâ resident, posse dicere officium juxta morem illius Ecclesiæ, quia pro tunc habent ibi quasi domicilium, et in spiritualibus utuntur sacramentis, et ministris illius Ecclesiæ. Et tunc etiam prævalet illa ratio, quòd oportet conformari honestis moribus eorum, inter quos vivimus. Unde credo, hoc esse magis consulendum; non videtur tamen imponenda rigorosa obligatio, quia non apparet efficax fundamentum ostendens præceptum, et contraria opinio probabilis est. Quoties ergo D. Thomas ait, clericum habentem beneficium in aliquâ Ecclesiâ, debere officium dicere juxta morem illius Ecclesiæ, intelligendum existimo, si cætera sint paria, quoad residentiam, vel absentiam à tali Ecclesiâ, vel ejus diœcesi.

8. Unde etiam hinc resolvendum est dubium de illo qui habet plura beneficia in distinctis Ecclesiis, in quibus modus recitandi diversus est. Quod specialiter tractat D. Thomas dicto quodlib. 1, art. 13, et supponit, illum unicâ recitatione utrique satisfacere, quod supra etiam diximus. Ait ergo, si in aliquâ illarum resideat, illum debere sequi in modo dicendi officium, in quâ residet. Si verò in neutrâ, tunc si unum beneficium dignius sit, illius Ecclesiæ conformari debere, si verò utrumque sit æquè dignum, tunc digniorem Ecclesiam esse præferendam : si verò etiam Ecclesiæ sint æquales, tunc liberam esse optionem. Et hanc resolutionem videntur sequi Silvester, Angelus et Tabiena, supra; Soto verò uno verbo ait, hujusmodi beneficiarium illam Ecclesiam sequi debere, cui magis tenetur inservire, sed hoc videtur parùm referre cùm supponatur de facto neutri servire, et modus privatim recitandi, et in absentiâ ad servitium Ecclesiæ distantis nihil interesse videtur. Alii verò dicunt ordinem à D. Thomâ positum esse in consilio, et meliorem, non verò esse necessarium. Ego tamen juxta dicta respondendum puto, hujusmodi beneficiatum recitare debere, juxta morem illius Ecclesiæ in quâ residet, et habet domicilium; nam hic titulus præferendus est singulis beneficiis per se spectatis, ut dixi; ergo et utrique simul, quia non efficiunt unum, neque intensivè, ut sic dicam, augent obligationem beneficiorum. Quocirca si contingat, Ecclesiam unius beneficii convenire in Breviario cum Ecclesiâ domicilii, sine dubio illa est præferenda, saltem ad meliùs esse, si verò in omnibus sit diversus orandi modus, res est magis arbitraria, et poterit unusquisque in praxi eligere quamcumque ex dictis sententiis.

9. Dico secundò : Juxta novum jus Pii V, omnes ecclesiastici qui tenentur ex præcepto recitare horas canonicas, tenentur eas dicere juxta formam à Pio V seu Clement. VIII, reformatam et approbatam; his demptis, qui pertinent ad illas diœceses, vel religiones in eâdem constitutione Pii V, exceptas eò quòd habent antiquiorem recitandi modum ex institutione vel consuetudine, quæ ducentos annos excedat, approbatâ. Hoc tam clarè habetur in dictâ Bullâ Pii V, ut nulla aliâ declaratione vel probatione indigeat. Solùm quæri potest circa hanc exceptionem an clerici vel religiosi talium Ecclesiarum, vel ordinum aliud antiquius Breviarium retinentium, possint, si velint, privatim recitare juxta Pii V Breviarium. Ad quod juxta opinionem Cajetani supra citatam dicendum est posse; at juxta nostram sententiam negandum est; videturque hoc colligi ex illis verbis ejusdem Bullæ : *Quibus, ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si fortè hoc nostrum, quod modò pervulgatumi est, magis placeat, dummodò episcopus, et universum capitulum in eo consentiat, ut id in choro dicere, psallere possint, permittimus.* Non ergo licet unicuique privatâ auctoritate uti illo Breviario Romano, ubi aliud legitimè retinetur. Dices hæc verba non multùm cogere propter particulam illam, *in choro*, imò ex eâ posse argumentum à contrario, vel ab speciali sumi, quia solùm ad usum chori requiritur consensus capituli et episcopi. Ergo ad privatam recitationem non postulatur, sed unicuique intelligitur permissa. Respondemus, esto ex illis verbis immediatè non colligatur esse necessarium consensum episcopi et capituli in eo casu ad privatum usum, colligi nihilominùs mediatè, quia illa constitutio nullam mutationem facit in illis Ecclesiis, nisi ipsæ voluntariè eam faciant, ergo ibi relinquitur integrum jus commune, sed jus commune est, ut singuli in recitando sequi debeant matricem, seu ordinem suum, ergo illud jus ibi durat. Item in illis diœcesibus non possunt parochi in suis Ecclesiis introducere Breviarium Romanum suâ auctoritate, at illi cùm recitant, tenentur sequi morem Ecclesiæ suæ, ut visum est, ergo. Et hoc quidem videtur per se verius, nihilominùs tamen propter opiniones, et quia res non vi-

detur magni momenti, non auderem damnare mortalis peccati eum qui oppositum faceret.

10. Sed quid si alicubi non esset receptum Breviarium Pii V, non quia de se ibi etiam non obligaret, sed ex negligentiâ prælatorum, qui licèt non uterentur priùs Breviario antiquiori ducentis annis novum Romanum introducere et promulgare neglexerunt? Suppositis autem, quæ de choro diximus, hoc parvam habet dubitationem. Dixi enim, consuetudinem illam pravam esse, èt contra hoc præceptum, seu Breviarium non prævalere. Unde consequenter assero, ubi id accidisset, posse licitè omnes clericos privatim recitare juxta Romanum Breviarium, quia non possunt obligari ad imitandum ritum, iniquâ consuetudine retentum, et pontificiâ auctoritate efficaciter abrogatum. Imò assero clericos singulos ad hoc teneri, si commodè possint, quia per se obligantur præcepto pontificio, quod non pendet ex episcopi vel matricis Ecclesiæ acceptatione, nec ex novâ promulgatione in partibus singulis factâ, quia Romæ facta sufficit, cùm ex ipsâ expressè aliam non requirat, sed contrarium expressè decernat.

11. Tertiò videndum est, an in hoc ipso Breviario (idemque est de quolibet alio, cujus usus sit legitimus) pertineat ad rigorem præcepti, servare formam ejus, ut applicatam ad tale tempus vel diem, id est, an sit in præcepto in adventu, officium adventûs dicere, in Quadragesimâ, de illâ. Et similiter in die sancti Stephani de illo dicere, et non de feriâ, vel è contrario; et sic de aliis. Quidam absolutè negant hoc esse in præcepto, ac subinde asserunt non esse peccatum mortale scienter, et sine cogente causâ hanc mutationem facere ex indiscretâ devotione, vel ex quâdam acediâ, seu remissione animi, ut facilièus aut breviùs officium expediant. Ita Silvest., verb. *Hora*, q. 12; Major m 4, d. 12, q. 6; Cajetanus in Sum. verbo *Hora*, § 3. Fundamentum est, quia substantia hujus præcepti est de recitandis septem horis canonicis, quod verò fit hoc modo vel illo, id est, de feriâ, vel sancto, etc., pertinet ad accidentalem modum, et ideò in illius mutatione non est gravis transgressio præcepti, quæ ad mortale peccatum sufficiat. Quam rationem indicavit etiam Antoninus, 3, p. tit. 13, cap. 4, § 3, et ideò solet pro hâc sententiâ referri, sed ibi non de hoc agit, et oppositum potiùs sentit.

12. Hæc autem sententia, et ejus ratio nunquàm mihi probari potuit. Dico ergo tertiò : Malum de se ac peccatum esse, mutare officium diei in recitandis horis canonicis, et genere suo posse esse mortale peccatum, posset autem esse leve ex parvitate materiæ, vel omninò excusari ex gravi causâ, aut justâ dispensatione. Hanc assertionem in sententiâ docet Navarrus, de Orat., cap. 19, num. 211, usque ad 219, eamdem insinuat Antoninus supra, § 2 et 5, Cardinalis, in Clement. 2, de Celeb. missar., notab. 6, ut Navarrus refert; Tabiena etiam verbo *Hora*, q. 10, verba Antonini in dicto § 2 transcripsit, et q. 16, concludit, non evadere grave peccatum, qui ad libitum suum mutat consuetum officium; Armilla etiam num. 13, dicit esse peccatum, sed non declarat esse mortale; Angelus, n. 14, dicit esse mortale, licèt addat limitationem, nisi in ordinatis ad titulum patrimonii, sine fundamento, ut supra dictum est, et benè probat Navarrus. Prima ergo pars, nimirùm, hoc esse peccatum, probatur, quia est contra præceptum ecclesiasticum. Nam sive dicatur hoc esse præceptum de substantiâ actûs, sive de circumstantiâ, non potest negari, quin obligatio præcepti ad hoc extendatur. Aliàs etiamsi voluntariè omitteretur, nullum esset peccatum, quod alii doctores affirmare non audent. Præterea, in decretis supra citatis, cap. *De iis*, et cap. ult. d. 12, absolutè præcipitur conformitas in modo recitandi; et in cap. *Convenit*, de Consecr., d. 5, absolutè dicitur : *Convenit Ecclesiæ ordinem ab omnibus custodiri*, tractat autem de ordine in modo dicendi officium. Et Pius V præcipit officium dici juxta formam ab ipso præscriptam; ad formam autem illam pertinet distributio officii per tempora, festivitates seu solemnitates et dies; tota ergo illa forma de se sub præceptum cadit; ergo qui illam voluntariè muta., peccatum committit.

13. Unde considerandum est hoc præce; tum, licèt una lex sit, tamen virtute continere multæ, esseque veluti causam universalem, quæ ad varios dies applicata non inducit uniformem obligationem, sed tempori et diei proportionatam. Non est ergo præceptum hoc quasi homogeneum, sed ut ita dicam, heterogeneum ex diversis partibus constans. Vel certè si præcepta singulorum dierum considerentur ut numero distincta, non sunt omninò similia, sed unumquodque obligat ad determinatum officium talis diei. Alioqui merè liberum et voluntarium esset dicere unum potiùs quàm aliud, sed ad summum esset opus concilii, vel supererogationis, et ad meliùs esse, quod profectò à communi sensu, et à debitâ institutione officii abhorret. Unde quoad hoc parùm valet fundamentum contrariæ sententiæ, tum quia ut dicebam sive præceptum sit de hâc determinatione tanquàm pertinente ad substantiam, sive ad modum actûs, satis quòd modus ille præcipiatur; tum maximè, quia licèt substantia præcepti in genere sit de septem horis in genere, tamen substantia præcepti in particulari, et in individuo, prout tali tempore et die applicatur, est de septem horis talibus, et quoad talem substantiam in individuo, id est, quòd constet ex his Psalmis, his lectionibus; sicut constare ex his carnibus et ossibus, pertinet ad substantiam individuam Petri. Sic ergo pertinet ad substantiam hujus præcepti, etiam modus officii de tali tempore, die, etc. Et hoc confirmat sententia illa D. Thomæ quodlib. 1, art. 13 : *Parùm refert, quoad Deum dicere :* Dixit Dominus *vel* Laudate pueri, *dummodò dicatur id quod statutum est ;* quando ergo lege determinatum est, quod est dicendum, multùm refert illud dicere, et non aliud.

14. Ex his facilè probatur secunda pars, nimirùm hoc peccatum esse mortale ex suo genere. Nam illud peccatum dicitur mortale ex genere, quod intra suum genus et speciem, sine additione circumstantiæ mu-

tantis speciem, potest esse mortale, ut suppono ex materiâ de peccatis; tale autem est hoc peccatum. Quod probo primò, quia si quis vellet omni tempore dicere paschale officium quia brevius est, sine dubio graviter peccaret item qui omnibus feriis diceret officium feriæ tertiæ quia brevius. item qui semper, et quotidiè eodem modo recitaret, ut memoriter et facilè diceret; quæ omnia juxta priorem opinionem possunt fieri sine peccato mortali, quod mihi nunquàm persuaderet potui, etiam ut probabile. Unde Navarrus supra fatetur, peccare mortaliter eum qui frequenter has mutationes facit ad libitum. Præcipuè tamen peccare videtur, qui officium mutat, solùm ut aliquam notabilem partem orationis diminuat. Si enim aliquis dicendo Matutinum de Dominicâ, et officium illius diei, omitteret in primo nocturno novem Psalmos, et tres tantùm diceret mortaliter peccaret, sicut visum est supra; quomodò ergo est credibile, non peccare mortaliter, qui in dominicâ recitat officium feriæ tertiæ, solùm ut brevius officium dicat? Præterea, præceptum hoc ex genere suo, pertinet ad gravissimam virtutem, quæ est religio; ergo isto ex capite continet gravem obligationem, et alioqui de se cadere potest in materiam gravem, nam ex vi talis præcepti in individuo continetur totum hoc, videlicet ut hi Psalmi, hæ lectiones et cætera talia dicantur; et licèt hæc non omittantur omninò, quando commutantur, tamen fieri potest ut in illâ commutatione fiat enormis læsio, seu gravis deceptio contra præceptum. Et ex hoc capite puto esse expendendam gravitatem culpæ, utique ex gravitate materiæ, quæ prudentis arbitrio pensanda est.

15. Unde possunt etiam aliæ partes facilè declarari; nam ex levitate materiæ potest hoc peccatum esse veniale, ut si officium sit æquivalens in quantitate vel ferè; et mutatio non fiat ex contemptu, neque animo eam sæpè faciendi pro libito; sed ex aliquâ occasione levi, minùsque rationabili. Deinde, quoties hæc mutatio fit ex inadvertentiâ, quamvis non sit invincibilis, sed culpabilis, non videtur culpa gravis, nec tenetur quis iterùm, matutinum repetere, vel quid simile; quamvis si officium omissum esset notabiliter majus, necessarium videatur aliquam compensationem facere. si potest intra eumdem diem, ut si pro matutino Dominicæ dictum sit officium sancti, deberent addi, saltem ex nocturnis Dominicæ novem Psalmi, ne tanta pars officii omitteretur. In aliis verò casibus ordinariè jactura est levis, et ideò si mutatio jam invenitur inadvertenter facta, et culpa levis censenda est, et non manet obligatio illam emendandi cum novo gravi onere. Atque hinc ulteriùs fit, ut ex justâ causâ possit interdùm hæc mutatio fieri sine ullâ culpâ, ut omnes ferè doctores dicunt: puta, si necesse sit juvare alium, quando charitas vel prudentia dictat expedire, vel si nunc non est copia alterius Breviarii; et postea nimiùm gravabor recitando, vel impediar ab studio necessario vel alio simili opere pietatis.

16. Est autem ulteriùs advertendum circa hoc punctum et præcedens, supra citatos doctores fere unanimiter asserere, non solùm Papam, sed etiam episcopos posse ex juxtâ causâ in hoc dispensare. Et de Pontifice quidem non habet hoc dubium; de episcopo verò aut alio prælato habente episcopalem jurisdictionem, non videtur hoc tam certum, nec eodem modo ad omnes applicandum. De Pontifice ergo assero posse inprimis dispensare cum quocumque clerico vel monacho, ut officium Romanum recitet, etiamsi aliàs teneretur juxta regulam, vel Ecclesiam suam recitare. Imò censeo hanc licentiam et validè et licitè dari, vel propter solam devotionem, vel ob decentiam aliquam illius personæ cui conceditur per modum cujusdam privilegii, seu exemptionis, vel quia Pontifex habet supremam potestatem extendendi legem suam ad personas quas voluerit, vel suæ obedientiæ reservare quos voluerit; unde illa non tam est dispensatio quàm reductio ad jus commune, et ideò sine causâ justè fieri potest. Atverò si Papa velit cum aliquo dispensare, ut non recitet officium Romanum, ad quod antea tenebatur, oportet ut ex legitimâ causâ id faciat; aliàs malè faciet, licèt dispensatio futura sit valida, juxta communem doctrinam de dispensatione legum humanarum. Et pari ratione, si cum eo qui tenebatur recitare juxta regulam sancti Benedicti, verbi gratiâ, dispenset, ut non secundùm illam, nec secundùm Romanum ritum alterius Ecclesiæ vel religionis recitet, necessaria erit causa, ut justè id fiat, quia illa etiam est pura dispensatio in communi jure, quæ non debet fieri sine causâ.

17. Atverò episcopus vel similis prælatus non potest sine causâ dispensare cum eo qui tenetur juxta ritum Pii V recitare, ut aliter recitet, quia illa obligatio nascitur ex lege superioris, in quâ non potest inferior dispensare, saltem sine causâ, unde si ita dispenset, non solùm injusta, sed etiam invalida est dispensatio. Nihilominùs ex justâ causâ probabile est posse id facere, ut Navarrus et alii dicunt, quia communiter solet hæc potestas esse concessa episcopis in his ecclesiasticis legibus. Crediderim tamen posse quidem dari causam ad sic dispensandum in uno, vel alio occurrente casu; tamen ad concedendam dispensationem permanentem, ut quis possit semper et pro arbitrio suo id facere, non dari potestatem in episcopo, moraliter loquendo, quia non potest episcopus hoc modo dispensare in aliis legibus ecclesiasticis, nec ad id potest moralis necessitas occurrere. Præterea, ubi dispensatio daretur ad mutandum officium propriæ religionis vel diœcesis, ad quod aliquis obligatur, tunc si prælatus facultatem faciat subdito non recitandi illud, sed Romanum, facilè poterit justificari dispensatio, quia veluti intrinsecè secum affert honestatem quamdam, et in recitatione privatâ non habet inconveniens magni momenti, nec quoad illam est limitata potestas prælatorum per constitutionem Pii V; semper verò erit aliqua causa necessaria ne acceptio personarum fiat. Major verò causa necessaria erit, si detur licentia ad faciendas mutationes alias communi juri, et consuetudini repugnantes; adeò ut ob hanc ratio-

nem videatur nulla, si à tali prælato absque causâ concedatur.

CAPUT XXIV.

An facere aliquam mutationem in ordine, vel continuatione horarum in privatâ recitatione, grave peccatum sit.

1. Duo in hoc titulo insinuantur : unum de perversione ordinis ; aliud de interruptione horarum ; quæ breviter expedientur, quia leviora sunt. Inversio ergo ordinis inter horas est quando illa quæ naturâ suâ seu institutione est prior, posteriùs dicitur, et è converso. Et ideò ante omnia videndum est unde sumatur initium divini officii, et qualis sit ordo præscriptus.

2. De initio dixerunt aliqui sumi à vesperis præcedentis diei ; quod D. Thomas docuisse videtur in quodlib. 5, art. ult., ad. 1; et hoc maximè videtur probari, quia in diebus solemnioribus officium habet duas vesperas, et ita officium incipit à primis ; ergo signum est officium de se inde inchoari. Alii dicunt inchoari officium à matutino, quia juxta institutionem in mediâ nocte inchoandum est ; dies autem naturalis, juxta Ecclesiæ usum, à mediâ nocte in mediam noctem computatur, ut etiam D. Thomas testatur, 3 p., q. 80, art. 8, ad 5, et in 4, d. 13, quæst. 1, art. 2, quæst. 4, ad 3. Ergo officium diei incipit à matutino, cùm in primâ horâ diei inchoatur. At officium canonicum est integrum officium unius diei naturalis, ut supra visum est ; ergo tale officium à matutino incipit. Sed hìc non potest esse quæstio de re ; quantùm verò ad præsens institutum spectat, hic posterior modus loquendi est simpliciter verus et melior. Ut tamen clariùs res constet, distinguere possumus officium illud, quod est materia hujus præcepti, obligatque singulis diebus, et officium quod fit in cultum vel honorem alicujus sancti. Hoc posteriori modo dici potest officium Ecclesiæ incipere à primis vesperis, non tamen simpliciter officium diei, sed officium talis sancti vel mysterii. Neque etiam semper eodem modo, sed in aliquibus ab initio primarum vesperarum, in aliis à capitulo earumdem vesperarum, ut in simplicibus ; sed hoc parùm refert ad præceptum, quia eo non obstante, vesperæ priores semper pertinent ad præceptum, prout obligat eo die in quo dicuntur, de matutino autem sequente est quasi distinctum præceptum ; ita ut, si quis omittat hodiè vesperas sancti Matthiæ, cujus festum cràs celebratur, et sequenti die matutinum omittat, duo peccata mortalia committat, etiamsi cæteras minores horas sequentis diei recitet, cùm tamen si omittat matutinum et reliquas horas sequentis diei unum tantùm peccatum mortale committat, ut infra dicemus. Ergo signum est, matutinum in ordine ad præceptum componere unum officium cum vesperis sequentibus, non cum antecedentibus, atque ita totum hoc officium, ut est unum, ex horis septem constans, inchoari à matutino, et absolvi in completorio cum certo ordine horarum intermediarum, qui satis notus est. Quando ergo anticipatur celebritas à vesperis, non componunt unum officium cum horis sequentis diei, sed Ecclesia vult officium integrum cum dimidio, ut sic dicam, in honorem talis sancti, vel memoriam talis mysterii celebrare. Sicut interdùm extendit solemnitatem per octo dies, et non ideò ex omnibus fit unum officium ; et interdùm finit officium sancti in nonâ, non tamen officium diei. Hìc ergo de officio diei agimus.

3. Unde quod ad primum punctum propositum spectat, triplex ordo potest in hoc officio considerari : unus est inter officium unius diei et alterius ; alius est inter horas ejusdem diei ; tertius inter partes ejusdem horæ, quoad primum clarum est rectum ordinem postulare ut non inchoetur officium diei sequentis ante expletum officium diei præcedentis ; et consequenter, si aliter fiat, voluntariè et sine causâ, nonnullum peccatum committi : ut si quis dicat hâc nocte matutinum diei crastinæ priùs quàm dicat vesperam et completorium diei præsentis. Ratio esse videtur, quia licèt ex officio diei præsentis et sequentis non componatur unum officium, et ideò non videantur habere inter se ordinem, tamen ex institutione et intentione Ecclesiæ ita est ordinata series officiorum diversorum dierum, ut priùs expleri debeat præcedens quàm sequens inchoetur, et ita etiam habet consuetudo. Accedit quòd regulariter non fit talis inversio, nisi nimiùm postponendo vel anticipando alteram illarum horarum. Unde si spectemus originariam institutionem, non incipiebat legitimum tempus ad inchoandum officium sequentis diei, donec esset integrè absolutum tempus horarum præcedentis diei ; nam tempus inchoandi horas diei est media nox, et tunc finitur tempus aptum ad officium præcedentis diei. Quamvis enim in principio noctis legitimè finiantur, ut supra vidimus, reliquum tempus noctis usque ad mediam noctem potest in rigore sufficere, ut in eo compleatur quod dilatum fuerit. Nunc verò ex usu anticipatum est tempus ad matutinum sufficiens, ut supra dictum est, et statim iterùm dicetur. Videtur autem eodem usu illa licentia anticipandi matutinum, sub eâ conditione data, quòd officium præcedentis diei priùs fuerit consummatum. Ergo inversio illius ordinis non fit sine aliquâ culpâ ; communiter tamen illa culpa censetur venialis, quia non derogat substantiæ orationis, nec minuit illam, et alioqui non continet deformitatem gravem, sicut statim de aliis dicemus. Quapropter si rationabilis causa intercedat, poterit excusari omnis culpa, ut jam dicemus in puncto simili.

4. Altera mutatio est in ordine horarum ejusdem diei, de quâ etiam certum est per se loquendo, non fieri sine peccato, quia est inversio ordinis debiti, et fit aliquo modo contra institutionem. Nihilominùs omnes etiam judicant, secluso contemptu, illam non esse materiam gravem, quæ ad mortale peccatum sufficiat, quia in substantiâ impletur præceptum, et defectus est in quodam accidente, et est privatus defectus, quo parùm offenditur Ecclesia, et scandalum non timetur. Unde addunt ex morali causâ, prudenti arbitrio ponderandâ, posse interdùm fieri sine ullâ culpâ, ut adjuvandum infirmum vel prælatum, vel ut horæ meliùs dicantur in aliis circumstantiis gravioribus, quando

aliàs timetur impedimentum vel incommoditas. Illud denique certum est, si casu accidat ut hora posterior ante priorem dicta sit, per incogitantiam, vel oblivionem etiam negligentem, non esse necessarium repetere horam jam dictam, sed satis esse supplere prætermissam tempore habili, id est, eodem die, quia quoad Deum integra fit oratio, et æquè potest Ecclesiæ prodesse, et non obligatur quis cum tanto onere ad restituendum ut sic dicam seu redintegrandum horarum ordinem; et in his conveniunt summistæ, et alii doctores superiùs citati, quos omitto, quia res facilis est. Qui sanè loquuntur de recitatione privatâ, de publicâ verò, quæ in choro fit, nihil dicunt, tamen in illâ gravior est materia, ut supra dixi.

5. Tertia denique mutatio esse potest inter partes ejusdem horæ, ut si quis mutet ordinem Psalmorum, vel inter se, vel cum lectionibus, capitulis, aut hymnis, et similia. Et de hâc mutatione idem ferè est judicium, et ita auctores indifferenter de his omnibus loquuntur. Videtur autem mihi hæc mutatio si voluntariè et cum advertentiâ fiat, multò magis irrationabilis, quia vix potest habere apparentem prætextum excusationis aut honestatis, unde videtur continere quamdam speciem contemptûs, pulchritudinem et artificium horarum corrumpendo; nam illud in ordine partium, et compositione earum inter se maximè consistit; et ideò hæc inversio non fit voluntariè sine gravi peccato veniali, et si fiat ex contemptu, erit mortale. Aliquando verò potest rationabilis causa intervenire, ut si quis dicat laudes expletis Psalmis matutinis, quando deest copia libri ad dicendas lectiones, quia postea graves et justæ occupationes possunt impedire laudes, si reserventur, vel quidpiam simile. Frequentiùs verò hoc accidere potest per oblivionem alicujus partis, quæ postea suppleri potest sine repetitione aliarum, licèt ordo non servetur.

6. Occurrit autem inquirendum hoc loco de ordine inter matutinum et missam, an sit peccatum mortale dicere missam, non dicto matutino? Ita enim affirmârunt quàmplures summistæ et canonistæ, ut retuli ubi de Sacram. disput. 82, sect. 1, quibus nunc addo Durandum, lib. 3 de Ritib., cap. 24; Graffis, lib. 2, c. 4; Azor, tom. 1, lib. 10, c. 10, q. 4, et cap. 28, q. 17, qui alios allegant. Qui non addunt probationem novam præter consuetudinem. Contrariam verò sententiam, scilicet ex objecto, et secluso contemptu, non esse peccatum mortale, dicere missam ante matutinum, tenuerunt Silvester et Soto, quos citato loco retuli, quos non solùm sequitur Aragon, 2-2, q. 83, art. 12, dub. 5, sed etiam priorem sententiam procul dubio falsam esse dicit, et sine ratione assertam. Valentia autem suo 3 tom., disp. 6, q. 2, punct. 10, § 5, solùm dicit hanc partem esse probabilem. Quam simpliciter tradiderunt Lud. Lop., 2 p. Instruct., cap. 79, § *Denique neque hic*, et cap. 105, § *Nunc autem*, Carbo., lib. 9 de Legib., d. 9; Emmanuel Rodrigues in Q. regul., tom. 1, q. 43, art. 3, in fin., et in Sum., p. 1, cap. 244, num. 22; Leonard. Lessius, lib. 2, de Just., cap. 37, notat. ult.; Henriques, lib. 9, de Missâ, cap. 24, num. 17, ubi plures theologos Salmanticenses allegat. Toletus etiam lib. 2, cap. 1, Instruct., priùs simpliciter negat esse hoc peccatum mortale, postea verò indicat, non esse omninò tutam hanc opinionem, quia contraria est valdè communis. Et quidem dubium non est, quin sit meliùs praticè sequi priorem sententiam; tamen nihilominùs posterior est simpliciter secura et in rigore vera, quod latè probavi alibi, ubi præcipuè ostendi consuetudinem non fuisse introductam intuitu talis ordinis, nec quia recitatio matutini sit dispositio per se requisita ad missam, sed quia ex temporibus ab Ecclesiâ designatis ad matutinum et missam, moraliter loquendo sequitur ut matutinum dicatur ante missam; sicut etiam est consuetudo dicendi vesperas post missam, quæ ex eodem principio orta est, et ideò per se non obligat ad talem ordinem.

7. Objicitur autem quia hinc sumunt clerici occasionem differendi matutinum. Respondeo, ut aliàs etiam dixi, occasionem esse acceptam, non datam, neque propter abusum paucorum esse introducendam gravem obligationem, ubi neque lex neque materia cogit. Deinde non diximus hoc nullum esse peccatum; si absque rationabili causâ fiat, sed tantùm dicimus non esse mortale, secluso contemptu, erit tamen veniale, tum quia non potest vel matutinum vel missa, vel utrumque non dici intempestivo tempore, quod (factum sine causâ) sufficit ad venialem culpam; tum etiam propter rubricas Missalis. Quia verò aliqui ex illis etiam colligunt, hoc esse peccatum mortale, breviter hoc expendendum est. Ponderant enim quòd Pius V, in suo brevi, in principio Missalis, directè, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipit missam dici juxta ritum Missalis, et ut alias cæremonias addere, vel mutare non præsumant. Et postea in principio rituum servandorum in missâ, dicitur : *Prævià confessione cùm opus fuerit, et saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulùm vacet.* Unde concludunt, sub priori generali præcepto hoc particulare præmittendi matutinum contineri, et ita esse peccatum mortale illud violare. Sed collectio est parvi momenti, tum quia illud generale præceptum non obligat cum illo rigore ad observandas singulas regulas et ordinationes Missalis in particulari, sed generaliter ad utendum illo ritu et non introducendum alium; in particulari verò ad singula juxta modum, quo unaquæque res præcipitur, ordinatur aut consulitur, et juxta gravitatem ejus; in illâ autem particulari regulâ non ponitur verbum indicans præceptum grave, et potiùs præsuppositivè, ut sic dicam, quàm præceptivè proponitur, qui modus dicendi etiam in rebus consilii servari solet; unde quod ibi simul ponitur de vacando aliquantulùm orationi, consilium est, vel simplex quædam directio. Præterea illa propriè non pertinent ad ritus missæ ibi institutos et præceptos, sed præsupponuntur juxta eam convenientiam vel obligationem, quæ secundùm se habent, ibi verò ex vi illorum verborum nulla adjungitur obligatio.

8. Magis movere potest, quod infra sub titulo de

Defectibus in celebratione missæ, cap. 10, de Defectibus in ministro, etc., inter illos defectus ponitur: *Si celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit;* uti etiam præsupponitur hunc esse defectum, et consequenter peccatum : nam in primo capite ejusdem tituli dictum fuerat : *Alii verò sunt defectus, qui in missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem sacramenti non impediant, possunt tamen cum peccato aut scandalo contingere,* sed in his ultimis verbis expendo inprimis, non dicere, *cum peccato mortali*, sed simpliciter, *cum peccato*, quod etiam dicitur de veniali. Secundò licèt diceret, *cum peccato mortali*, non dicit semper ita fieri, sed posse fieri; quod verè dicitur de hoc defectu : nam sine dubio fieri potest cum peccato mortali aut ratione scandali, vel etiam propter contemptum. Per se autem dicimus esse defectum, qui si sine justâ causâ fiat; culpabilis est, quia non fit sine aliquâ negligentiâ aut mutatione circumstantiæ temporis debiti matutino vel missæ, nec sine aliquâ irreverentiâ circa divinum cultum, non tamen est peccatum mortale secluso scandalo et contemptu. Quia matutinum non postulatur, ut necessaria animæ dispositio ad celebrandum, nec inter eas ponitur in Missali, in dicto titul., capite 8, de Defectibus dispositionis animæ (quod notandum est); neque ordo inter missam et matutinum est per se, nec mutatio ejus est res gravis, magis quàm dicere omnes minores horas, etiam completorium ante matutinum vel ante missam et similia. Unde etiam constat, minorem defectum esse dictis nocturnis dicere missam ante laudes, quia minor est materia et mutatio; nihilominùs aliqualis est defectus, ut in eâdem rubricâ supponitur; faciliùs tamen et ex leviori causâ poterit à culpâ excusari. De primâ autem facilior est excusatio, quia ibi non ponitur inter defectus, unde immeritò Paludanus dictâ dist. 13, quæst. 2, art. 2, et Antoninus, 3 parte, titulo 13, cap. 6, § 4, in fine; eodem modo de primâ, quo de matutino loquuntur; reliqui verò auctores nullam in primâ obligationem agnoscunt, magis quàm in aliis horis. Unde solùm oportet observare ut singula dicantur sine magnâ temporum mutatione, vel ut rationabilis causa intercedat.

9. Quinta mutatio in dicendis horis canonicis esse potest interruptio horarum per aliquam temporis moram. Quæ potest intelligi, vel inter diversas horas, vel in unâ et eâdem. De priori non agimus, quia certum est in illâ interruptione per se nullam esse culpam, sicut supra de choro dictum est; si verò inde oriatur dilatio temporis in alterâ horâ, est per accidens, et culpa inde secuta non excedet gravitatem quæ est in temporis dilatione, de quâ postea videbimus. Præterea non agimus de interruptione matutinorum à laudibus, quatenùs per modum duarum horarum dici possunt : nam in hoc etiam nullam culpam agnoscimus, ut supra tractatum est; item eâdem ratione non agimus de interpolatione nocturnorum inter se, quia si non sit nimia, sed moderata, et proportionata antiquæ consuetudini, sine peccato fieri potest, præsertim si quælibet rationabilis occasio, vel commoditas meliùs recitandi interveniat, de quo etiam satis est in superioribus dictum. Agimus ergo de interruptione aut inter Psalmos ejusdem horæ vel nocturni, aut inter Psalmos et lectiones, vel capitulum et de aliis similibus.

10. De hâc ergo interruptione generalis regula est, si sit notabilis, et moralis, et sine rationabili causâ fiat, sine peccato non fieri. Ita docent omnes, et ratio est, quia unitas uniuscujusque horæ pertinet ad lemnem ritum et formam præscriptam in his horis recitandis : illa autem unitas tollitur, vel multùm minuitur per hanc interruptionem; ergo. Dixi autem oportere ut interruptio notabilis sit, utique quoad temporis moram, quia si sit brevissima, pro nihilo reputatur : quando autem notabilis sit prudentis arbitrio relinquitur; nam in longiori horâ, verbi gratiâ, in matutino major temporis mora necessaria erit, ut censeatur notabilis interruptio, quàm in tertiâ, etc. Itaque cum proportione ad horam quæ dicitur, et ad partem officii, in quâ fit interruptio, pensanda erit moræ quantitas : nam aliquid majus permitti potest inter psalmum et psalmum, quàm in medio ejusdem psalmi, et sic de aliis. Dixi etiam debere esse moralem, quia debet esse voluntaria et libera; nam si ex necessitate aliquâ contingat, non censebitur moralis interruptio. Unde quia justa causa inducit quamdam necessitatem moralem, idcò potest excusationem afferre, ut omnes etiam fatentur, ne interruptio moralis censeatur. Addunt aliqui, ut interruptio sit moralis, imò ut sit interruptio, necessariam esse intentionem finiendi horas inchoatas post talem moram : nam si intermittat recitationem inchoatam animo iterùm inchoandi illam, non erit interruptio, neque ulla culpa. Sed fortè cum hâc intentione poterit aliquando esse interruptio, ut infra dicam. Et non caret omni culpâ hoc modo intermittere inchoatum officium ex levitate animi et sine causâ Argum. cap. *Illud*, et cap. *Nihil*, 7, quæst. 1, quia non caret irreverentiâ aliquâ erga Deum, leviter omittere colloquium cum illo inchoatum, etiamsi fiat cum animo iterùm colloquendi, non erit tamen talis culpa mortalis, si postea hora dicatur, vel compleatur, ut statim dicam.

11. Ut autem hanc culpam et quantitatem vel excusationem ejus declaremus, duo possunt in hâc interruptione considerari : unum est cessatio ab inchoatâ recitatione, per quam formaliter, ut sic dicam, fit interruptio. Aliud est actio, quæ, loco orationis eo tempore fit : nam moraliter loquendo illa cessatio non est per puram omissionem, sed occasione alterius actionis quæ tunc fit. Ex qualitate ergo hujus actionis multùm pendet, vel quantitas culpæ vel excusatio. Interdùm enim fit interruptio per alia verba et colloquia cum homine, et tunc si verba sint profana, et non necessaria, nec valdè utilia augent culpam, et specialiter sunt prohibita in cap. *Nullus*, de Consecrat., d. 5, et clariùs in cap. *Dolentes*, de Celebrat. missar. sive interruptio fiat loquendo, sive intendendo ad verba similia quæ alii loquuntur, et ex naturâ rei constat, esse indecorum interrumpere sermonem cum

Deo propter inutilia verba, unde addo, tam turpia, vel indecentia verba esse posse, ut sit gravis et mortalis culpa contra religionem, propter irreverentiam in Deum, esto non ita hoc sit contra præceptum recitandi, quin possit postea eadem hora compleri post illam actionem moraliter peccaminosam, quia sunt præcepta, et malitiæ diversarum rationum. Aliquando verò possunt verba esse honesta et necessaria, et brevia, et tunc poterit facilè excusari omnis culpa, ut latè prosequitur Navarrus, cap. 16, num. 66, et sequentibus. Interdùm possunt esse verba devotionis cum socio, et utilia, vel ad intelligentiam eorum quæ dicuntur, vel ad majorem attentionem et devotionem in reliquâ parte officii excitandam, et tunc si prudenter et moderatè fiat, non solùm non est culpa; verùm etiam non est interruptio, quia totum hoc deservit officio. Et simili modo dùm quis solus recitat, licèt verba aliqua jaculatoria ad Deum intermisceat, vel per aliquam moram in eis detineatur ex piâ devotione, totum hoc sine culpâ fieri potest, nec reputatur moralis interruptio, quia juvat orationem ipsam, et est consentaneum fini ejus, semper tamen est necessaria prudentia et moderatio. Idem ferè dicendum est quando interruptio fit per alias actiones. Nam si sint actiones vanæ vel impertinentes, peccaminosa est interruptio; si verò actio sit honesta, et intercedat aliqua rationabilis causa ut non differatur, nulla erit culpa. Maximè verò honestare potest interruptionem, si aliquid fiat ad tollendam aliquam occasionem distractionis, ut si aliquid interiùs sollicitat mentem, et ideò breviter notetur, seu scribatur, aut famulo præcipiatur, vel quid simile.

CAPUT XXV.

Utrùm qui privatim recitant, teneantur integrè horas canonicas recitare, vel aliquid præter illas, et quomodò hoc non implendo peccent.

1. Tria in hoc titulo proponuntur quæ breviter in hoc capite explicanda sunt. Unum est de integritate in orando. Aliud, quid pertineat ad hanc integritatem. Tertium est de violatione hujus integritatis. Circa primum generatim loquendo, manifestum est eum qui hoc præcepto astringitur, teneri ad recitandas integrè septem horas canonicas, sicut qui tenetur audire missam, tenetur integram audire. Quia æquè datur hoc præceptum de totâ illâ precatione, sicut aliud datur de audiendâ missâ. Et de hoc sunt expressa jura cap. 1, et cap. *Dolentes*, de Celebrat. missar. Et Clemen. 1, eod. titulo, et consentiunt omnes doctores. Interrogari verò hìc potest, an unusquisque qui privatim recitat, obligetur suo ore proferre totum hoc officium vel satisfaciat cum socio recitando, et partim dicendo, partim audiendo. Respondeo, sine dubitatione satisfacere posse utroque modo, et liberum ei esse, prout voluerit, recitare. Hoc constat ex praxi Ecclesiæ, et ex communi omnium sententiâ. Et prior pars per se nota est, quia si quis solus recitat, tunc per se omnia dicit, et ita etiam ex parte subjecti, ut sic dicam, et quasi materialiter integrè recitat. Suppono enim quòd ex parte objecti, seu materiæ omnia dicat quæ dicenda sunt. Secunda verò pars ex recitatione in choro derivata videtur; cùm enim in choro Ecclesia introduxerit usum alternis recitandi, et privata oratio quasi subrogata sit loco publicæ pro his qui ad publicam non concurrunt, idem modus recitandi cum proportione pro privatâ oratione concessus est. Ad quod probandum sufficit consuetudo. Unde concilium Basiliense, sess. 21, § 4, sub titulo: *Quomodò horæ canonicæ extra chorum dicendæ sint. Admonet ut non in guttere, neque inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiones, vel colloquia, aut risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati, diurnum, nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant.*

2. Atque hinc sequitur, quando privatim recitatur cum socio, posse recitantes in hâc alternatione officii modum recitandi in choro imitari, imò illum esse optimum recitandi modum, qui servatâ proportione, erit choro similior, nisi fortè in aliquo aliud habeat consuetudo. Itaque recitari potest cum socio, sive ille obligatus sit ad recitandum, sive liber ab illâ obligatione, ut cum scholari, vel famulo, tum quia etiam in choro id fieri potest, ut constat ex cap. 1 de Celeb. missar., tum quia ita habet consuetudo, tum etiam quia ut ego satisfaciam meæ obligationi, parùm refert quòd alter ex obligatione recitet, necne, dummodò ita pronuntiet, ut possim ego omnia percipere, et quasi per illum dicere. Dubitari autem potest an socius tunc teneatur sub mortali ad attendendum his quæ recitat? Respondeo, non teneri, quia nec ad audiendum alterum tenetur, ut supra dixi, nec ipse se obligat quasi ex voto ad orandum, sed solùm ex naturâ orationis voluntariæ, nec ab Ecclesiâ ei imponitur specialis obligatio; nec ex naturâ rei sequitur propter cooperationem cum alio, qui obligatur, quia alter per se implet totam suam obligationem, partim dicendo, partim audiendo attentè, quæ alius recitat; ergo ex vi cooperationis solùm necessarium est, quòd ita legat, ut alius possit attentè audire.

3. Prætereà sequitur posse hoc officium privatim recitari à tribus, quatuor, vel pluribus, quia est eadem ratio. Potestque sumi ex Clemente Papa in lib. 8 Constitut., cap. 34, ubi monet, ut quando non possunt in ecclesiam ad horas dicendas convenire, *unusquisque psallat sibi, canat, aut oret, saltem duo simul, aut tres.* Sicut ergo duo possunt dicere alternis, ita et tres, vel plures. Oportet tamen advertere tunc non licere eis in recitandis psalmis plures, quàm duos choros facere, id est, sigillatim juxta numerum personarum versus dicere, ita ut semper unus tantùm dicat, et alii audiant: ita enim fieret, ut singuli non diceret, nisi tertiam, vel quartam versuum, quod non sufficit, quia est contra usum Ecclesiæ, debent ergo dicere unus ex unâ parte, et duo ex aliâ, vel bini, et bini, aut unus in uno choro, et reliqui in alio, ita ut alternis dicant. Et tunc satis erit quòd unusquisque, dicto suo versu, percipere possit versum alterius chori, sive ab uno tantùm, sive ab omnibus simul audiat; id

enim nihil refert. Hoc autem locum habet in psalmis, nam in lectionibus, capitulis et orationibus, satis est quòd uno dicente, alii audiant, nam ita in choro fit, et ratio lectionis hoc magis postulat, estque melior ordo, nam si plures simul legerent, confusionem parerent, et ita habet consuetudo, et docent auctores infra referendi.

4. Solet autem interrogari an necesse sit, quando duo recitant, alternatim lectionem dicere, vel si sint tres, vel plures, ut suo ordine dicant; vel possit unus omnes dicere. Respondeo communem usum esse, ut omnes per vices suas dicant, quia id videtur magis accommodatum et urbanum. Absolutè verò dico non esse necessarium; sed posse omnes lectiones ab uno dici. Ratio est, quia in choro satisfaciunt ferè omnes, audiendo omnes lectiones, licèt nullam dicant, ergo ad integritatem officii ex hàc parte satis est lectionem audire attentè; nam quòd socii, congregati ad recitandum, plures sint, vel pauciores, accidentarium est. Item in ipso choro posset unus, plures, vel omnes lectiones dicere, si id magis esset gratum omnibus audientibus, nulla est enim lex quæ hoc prohibeat, nec refert aliquid ad integritatem officii et recitationis omnium, qui adsunt, idem ergo fieri poterit in privatà oratione, si id commodius sit.

5. De antiphonis verò interrogari solet, licèt in principio psalmi ab uno tantùm inchoari debeant, an in fine, vel quoties integrè dicuntur, debeant ab omnibus recitantibus simul dici, quia ita fit in choro, et ideò ita esse faciendum aliqui summistæ docuerunt. Sed licèt possit ita fieri, non est necessarium, quia communior usus est, ut unus tantùm dicat antiphonam, postquàm alter psalmum finivit, et hic rursùs inchoet antiphonam pro psalmo sequenti, ita ut antiphonæ subeant vicem versuum, et alternatim, seu successivè dicantur. Qui modus videtur optimus, et satis expeditus, et cum proportione idem servari potest in responsoriis, et versiculis. Et in universum in hàc privatà oratione videtur commodiùs, ut uterque chorus nunquàm conjungatur in dicendo, sed per mutuas vices, seu alternis omnia dicantur: sic enim distinctio, et clarior fit oratio. Unde hoc habet locum in his quæ altè recitantur; nam ea quæ secretè, ut *Pater*, *Ave*, symbolum, *Salve*, et si quid est aliud, à singulis dici debent, quia tunc non potest unus audire ab alio, et ideò necesse est ut ipse dicat. Atque hæc doctrina sumitur ex Silvestro, verbo *Hora*, quæst. 7, et Navarro, cap. 10, de Orat., q. 17, et uterque alios refert, qui parùm aut nihil dicunt.

6. Et ex dictis in hoc puncto constat, in privatà recitatione necessarium esse servare, quæ circa modum recitandi præcipiuntur in dicto cap. *Dolentes*, et Clem. 1, de Celebr. missar., et breviter attinguntur in concilio Basiliensi, supra, et in Aquisgranensi sub Ludovico, c. 131, nimirum ut distinctè, et intelligibiliter omnia dicantur, quando cum socio dicuntur: item ut non dicantur verba syncopando, vel corrumpendo illa, *non præscindentes verba dimidia*, *non integra transilientes*, ut dixit Bernardus, serm. 47, in Cantica: ac denique non tantâ celeritate dicendo, ut attentio impediatur. Ratio omnium est, quia præterquam quòd hæc omnia sunt in jure distinctè præcepta, pertinent ad integritatem et debitum modum talis orationis, et ideò in ipso præcepto virtute continentur. Quantùm verò in hoc peccetur, quando fit aliqua diminutio in verbis aut versibus, paulò inferiùs explicabimus. Regulariter tamen quando non fit propria mutilatio, sed aliqualis corruptio, et mutatio potiùs in desinentiis syllabarum, quàm in omissione earum, non est peccatum mortale, secluso scandalo, et contemptu, quia tota oratio dicitur integra quoad substantiam, et modus ille non mutat significationem verborum, nec impedit ut communiter intelligatur, quid per ea significetur, et ideò cum tali defectu impletur præceptum, nec oportet illud repetere, quamvis cavendus omninò et reprehendendus sit, quod benè notavit Azor, lib. 10, cap. 7, q. 11.

7. Circa secundum punctum propositum tractari possunt omnia, quæ de officio parvo B. Virginis, officio defunctorum, psalmis gradualibus, septem psalmis pœnitentialibus, et litaniis in superioribus quoad chorum tractata sunt, tamen ex ibi dictis facilis est hìc resolutio, quæ ad duas regulas reducitur. Una est, ubi Breviarium Romanum à Pio V traditum obligat, extra chorum non est obligatio dicendi hæc officia ordinariè, id est, nisi quando in ipsomet Breviario specialiter præcipitur. Regula hæc constat ex ipso brevi Pii V, ubi declarat, se auferre obligationem ad hæc dicenda sub discrimine peccati, licèt exhortetur ad hæc dicentia juxta Breviarii regulas, et indulgentias id facientibus concedat.

8. Hæc autem immunitas ab illâ obligatione extenditur ad omnes, qui uti debent, vel de facto licitè conformantur Breviario Pii V, in ritu recitandi, nam sicut suscipiunt onus ab ipso impositum, ita etiam gaudent levamine ab eodem concesso. Sed quid? si non obstante concessione Pii V Ecclesia voluntariè retineat usum dicendi has preces in choro, numquid clerici, aut beneficiarii ejus privatim recitantes, tenebuntur illa parva officia dicere? Respondeo non teneri, quia Pius abstulit obligationem, et devotio capituli, vel cleri dicendi illa officia in choro, non potest singulis imponere obligationem quoad privatam recitationem. Dixit autem *ordinariè*, quia non obstante illâ concessione, obligantur omnes ad dicendum officium defunctorum præter horas canonicas diei, in anniversario defunctorum, primâ die post festum omnium sanctorum: item obligantur ad dicendas litanias cum precibus annexis in die sancti Marci, et tribus diebus ante ascensionem, nisi adsint publicis processionibus.

9. Ratio est, quia hæc specialiter præcipiuntur in eodem Breviario, et ideò non intelliguntur comprehensa in illo brevi quoad illam indulgentiam. Nam inprimis ibi non fit mentio litaniarum, quatenùs per se, et separatim à psalmis pœnitentialibus dici præcipiuntur, ut fit in illis quatuor diebus anni, et non in aliis. Et præterea, in tribus diebus Rogationum specialiter ad præcipitur in proprio officio illorum dierum ea

demque admonitio, quæ in breviario Pii V prætermissa fuerat, addita est in breviario Clementis in die sancti Marci, quamvis res ipsa semper ita intellecta, et observata fuerit. Et similiter in die secundâ novembris specialiter designatur officium defunctorum, quare certum etiam est, non comprehendi in brevi sub clausulâ generali, nam illa intelligitur de rubricis generalibus, quæ habentur in fine Breviarii, ad quas etiam fit remissio in ultimâ rubricâ ex generalibus, quæ habentur in principio Breviarii.

10. Altera regula est, eos qui non utuntur Breviario Pii V, sed retinent antiquum morem recitandi, si priùs ex consuetudine habebant obligationem recitandi hæc officia, eodem modo nunc teneri. Suppono enim ante hoc breviarium clericos fuisse obligatos ad dicenda hæc parva officia quandò aliàs tenebantur recitare juxta ritum suarum Ecclesiarum, in quibus hæc officia, ex consuetudine præscripta, vel statuto approbato dicebantur in choro, quia tenentur clerici in recitando sequi regulam suæ Ecclesiæ, ut supra *visum* est. Et de officio defunctorum id explicavit D. Thomas, quodlib. 6, art. 8; Turrecremata, d. 91, in principio, num. 15 et 16; Navarrus cum aliis, quos refert cap. 10 de Orat., n. 3 et 4. Deinde suppono ex supra dictis in Ecclesiis, in quibus antea erat talis obligatio ex ritu antiquo, quem modò retinent, et non utuntur Breviario Pii eamdem obligationem perdurare. Clerici ergo, qui nunc sequuntur regulas talium Ecclesiarum, eâdem obligatione tenebuntur, nec fruentur remissione Pii V, si Ecclesiæ suæ non fruuntur illâ, nam juxta communem doctrinam, proportionem inter se observant, secluso speciali jure, et quasi privilegio, quod nec in dictis Ecclesiis, nec in clericis earum locum habet.

11. Disputari autem hìc solet, an obligatio ad dicendum officium Virginis, ante Pium V, fuerit de jure communi, vel solùm juxta consuetudinem Ecclesiarum, sed jam non est necessaria quæstio, et reverà (quidquid Navarrus contendat) vel illud jus commune nunquàm fuit latum ab Urbano II, ut ipse dicit, vel certè non fuit receptum, nec de illo satis constat, et ita nunquàm videtur fuisse illa obligatio universalis. Multò verò minùs nunc est, sed tantùm modo declarato. Quomodò autem ex peculiari jure Pii V habentes pensionem obligentur ad parvum officium Virginis recitandum, jam supra explicatum est, quomodò verò in illius omissione, vel indebitâ recitatione peccare possint, partim ex supradictis in præcedenti puncto, partim ex sequente, servatâ proportione, sumendum est.

12. Circa tertium ergo punctum de violatione hujus præcepti, vel integritatis ejus, fuit opinio cujusdam Henrici Anglici, quam refert Angelus, verbo *Hora*, num. 10, qui dixit non esse peccatum mortale ex negligentiâ omittere integrum unius dici officium canonicum, sed tunc solùm est mortale, quando vel ex contemptu, aut tædio rerum divinarum, aut ex consuetudine fit. Quam opinionem ait Angelus humaniorem esse, et tacitè videtur eam approbare, licèt nihil amplius dicat. Hodiè verò est hæc sententia practicè improbabilis et planè esset temerarium illam asserere, quia est contra omnes doctores sine fundamento. Dicendum ergo inprimis est, supposito præcepto, esse gravè peccatum voluntariè omittere integrum officium canonicum unius dici, sive cum contemptu, aut tædio, sive ex solâ negligentiâ, dummodò omissio humana ac libera et voluntaria sit, et sine legitimâ excusatione. Hæc assertio est communis doctorum; ut statim referam.

13. Ratio verò est quia præceptum hoc ex genere suo obligat sub reatu mortalis culpæ, quia est de gravissimâ virtute, et respicit divinum cultum, et totius Ecclesiæ utilitatem: materia item integra unius officii totius diei naturalis, est satis gravis, ut omnium sapientûm judicio constat. Item omittere missam in die festo, vel unius diei jejunium præceptum frangere, ex suo genere, et ex tali materiâ, peccatum mortale est, juxta communem Ecclesiæ consensum; ergo et omissio omnium horarum est peccatum mortale, suppositâ obligatione talis præcepti. Quæ ratio procedit in illis tribus generibus personarum, quæ hâc lege obligantur, clericis in sacris, beneficiatis, et religiosis professis ad chorum. Neque oportet inter eos aliquam distinctionem in hoc facere, ut quidam tentârunt, quorum opinionem supra rejecimus. Poterit autem esse gravior, vel minùs gravis culpa in eo, qui pluribus titulis, vel paucioribus ad hoc pensum solvendum obligatus fuerit, si cætera paria sint, quia plures tituli augent obligationem, et consequenter etiam aggravant transgressionem.

14. Secundò conveniunt omnes omittere notabilem partem officii unius diei, esse de se peccatum mortale; dico autem de se ad excludendas causas excusantes, de quibus infra dicendum est: atque ita docent communiter doctores ex eodem fundamento, quòd pars notabilis est etiam materia gravis judicio prudentûm, item ob hanc causam non solùm est peccatum mortale omittere in die festo totam missam, sed etiam notabilem partem ejus, juxta cap. *Missas*, 2, de Consecr., dist. 1, ut alibi latiùs tractavi. Item facit, quod officia divina non sunt imperfecta relinquenda, cap. *Illud*, cap. *Nihil*, 7, q. 1, si ergo mutilatio gravis sit, peccatum erit grave. Ita Navarrus, dicto cap. 7; cum Paludano, 4, d. 15, q. 5; Turrecremata in cap. *Eleutherius*, d. 91, in 1 et 2, a.; Henricus, quodlib. 11, q. 30, ubi etiam de toto officio, et de singulis horis loquitur, et indistinctè de clericis in sacris, beneficiatis et religiosis: Silvester, verbo *Hora*, q. 12, præsertim dicto 5, et omnes summistæ, et Soto supra. Qui etiam fatentur, si pars non sit notabilis, sed parva, peccatum esse veniale ex materiæ levitate, nam hoc commune est omnibus peccatis, quæ ex materiæ quantitate augmentum vel diminutionem recipiunt.

15. Dubitant tamen quæ pars officii judicanda sit ita notabilis ut illius omissio ad peccandum mortale sufficiat: conveniuntque omnes quamcumque ex septem horis, etiam minimam, ut tertiam, vel completorium, esse partem notabilem et sufficientem, ut ejus omissio sit lethalis. Ratio est quia judicio prudentum

ita æstimatur; potestque declarari, quia illa est notabilis deformitas, ac mutilatio divini officii, item quia quælibet hora est materia sufficiens, si sola præciperetur, et sub reatu mortalis culpæ imponeretur; sed nunc ita præcipiuntur singulæ horæ, ac si unaquæque sola, et per se præciperetur. Addit præterea Navarrus, dicto cap. 7, num. 44, in unaquâque horâ dimittere notabilem partem ejus, esse grave peccatum; notabilem autem partem uniuscujusque horæ esse tertiam partem ejus dixit Antoninus, ibi ab eodem Navarro relatus. Ipse autem, cap. 10, de Orat., num. 43 et 44, censet esse partem notabilem in primâ, vel tertiâ omittere totum initium usque ad primum Psalmum inclusivè; *quia illa est*, inquit, *circiter tertia pars*, unde non solùm tertiam partem minimæ horæ, sed etiam minorem partem sentit esse notabilem. Sumit etiam argumentum ex eo quòd in choro designatur illa tanquàm pars sufficiens ad non lucrandam totius horæ distributionem, scilicet, si quis non ingrediatur chorum ante primum Psalmum finitum, juxta communem consuetudinem probatam etiam in concilio Basiliensi, sessione 21, § 3; ergo signum est illam æstimari partem notabilem. Sed hoc argumentum, ut supra attigi, non est efficax, quia illud statutum vel consuetudo, non fundatur necessariò in mortali culpâ, sed in prudenti gubernatione chori, quia multi homines magis moventur timore pœnæ, vel incommodi, quàm culpæ, nam interdùm non est peccatum mortale abesse à choro per integram horam, licèt justè quis distributione illius privetur; est etiam valdè rigorosum, damnare homines in perpetuum propter omissionem partis tam parvæ minimæ horæ.

16. Quocirca non videtur gravitas hujus materiæ pensanda ex quantitate alicujus partis aliquotæ, id est, ex eo quòd sit tertia, vel quarta pars alicujus horæ, sed ex quantitate, vel magnitudine absolutâ ejus partis quæ omittitur, consideratâ etiam dignitate ejus, et deformitate quam per se affert in officio divino secundùm prudentem æstimationem. Itaque si totum matutinum cum laudibus est una hora, unus nocturnus ex tribus, erit quarta pars totius illius horæ; et nihilominùs mihi videtur materia gravis et sufficiens ad peccatum mortale, si omittatur, quia fortassè est major pars officii totius diei, quàm sit nona, vel completorium, et quòd respectu horæ proximæ, cujus est pars, sit minor, quàm tertia pars, parùm videtur referre. Quare si è contrario quis omitteret ferè dimidiam partem completorii, non auderem dicere illum peccare mortaliter, quia reverà respectu totius officii diei, illa non videtur notabilis pars; nec in se et absolutè videtur tam gravis materia. Unde non sequitur: tertia pars horæ est notabilis respectu talis horæ; ergo est notabilis simpliciter ad peccandum mortaliter; quia est collectio à *secundùm quid*, ad *simpliciter*; et ratio est quia una hora non est adæquata materia hujus præcepti, sed totum officium unius diei. Non est ergo pro regulâ sumenda hæc proportio, sed absolutè est materia consideranda, et prudenti arbitrio æstimanda. Et saltem videtur necessarium, ut nulla hora integra dimittatur, neque pars alicujus horæ, quæ æquivaleat minimæ horæ, vel dimidiæ parti ejus. Si autem hanc non attingat, non videtur esse peccatum mortale

17. Præterea, dubitari solet hoc loco an omittere omnes horas unius diei, sint septem peccata, vel unum, quod dubium debet intelligi de peccatis consummatis et externis; nam interna possunt numero multiplicari, etiam circa unam, et eamdem horam, sicut potest quis sæpiùs peccare mortaliter in die festo, dimittendo missam, repetendo internam voluntatem non audiendi, in temporibus distinctis cum interruptione morali. Igitur de omissione externâ et consummatâ quidam dicunt, esse septem peccata, si unius diei septem horæ omittantur, sicut si in septem diebus omitterentur singulæ horæ, vel in Quadragesimâ integrâ hebdomadâ jejuniorum, essent sex peccata. Ita Tabiena, verbo *Hora*, quæst. 18, et ratio est quia putat tot esse præcepta precandi in die, quot sunt horæ canonicæ.

18. Contraria sententia est communis, scilicet, hoc tantùm esse unum peccatum, ut constat ex Silvest., quæst. 12; Navarro, cap. 7, num. 6, cum Antonino, Turrecremată et aliis quos referunt. Ratio eorum est quia præceptum de toto officio unius diei unicum est et omnes horæ sunt partes unius officii, tanquàm unius actionis moralis integræ, et ideò illius totius una est omissio integra, atque ita unum peccatum. Licèt omittere officia duorum dierum vel partes eorum sint peccata distincta, quia ex horis diversorum dierum non componitur unum officium, nec potest unum cum altero moraliter continuari, cujus signum est, quia intra eumdem diem potest impleri obligatio dicendi quamcumque horam illius diei, non verò in altero die. Atque hic modus dicendi melior est, et in rigore verus, licèt quoad effectus morales non multùm referre videatur, sic vel aliter loqui. Nam apud Deum, si cætera sint paria, ex parte voluntatis, non minùs peccat, nec minorem pœnam meretur iste, sive dicatur semel peccâsse, sive septies. In ordine etiam ad confessionem, non puto satisfacere, qui omisit septem horas, dicendo: *Peccavi graviter contra hanc obligationem*, sed oportet ut dicat septem horas omisisse, quia notabiliter inde aggravatur culpa, et judicium de illâ, et ita in ordine ad confessionem, sive dicantur esse unum, sive septem peccata, eodem modo possunt aperiri. Per ordinem autem ad censuras potest aliqua utilitas in hoc considerari.

19. Quod ut explicem, inquiro rursùs, quando peccatum hoc omissionis in re ipsâ et in effectu consummetur; dico in re et in effectu, quia in effectu consummatur statim ac homo deliberat illo die non recitare, vel omnes vel aliquam horam, quod peccatum, ut dixi, potest multiplicari per moralem interruptionem et multiplicationem internorum actuum non solùm circa diversas, sed etiam circa unam horam. Tamen ipsum peccatum omissionis non statim consummatur, cujus aliquale signum est, quia si sit lata excommunicatio propter talem omissionem, non statim

incurritur, ut mox dicam. Propterea ergo inquiritur quando consummetur omissio hæc. Et videtur non consummari usque ad finem diei, quando omissio illa ita in re posita est, ut non possit jam non esse vel fuisse. Unde qui toto mane non recitavit matutinum, animo non dicendi illud eo die, nondùm reipsà omisit, quia si mutet voluntatem, et à prandio dicat, verum est dicere reipsà non omisisse, et ideò non incurret censuras, vel alias pœnas contra omittentes impositas. Et idem argumentum fieri potest de singulis horis diei usque ad ultimam. In ultimâ verò quasi uno continuo tractu consummatur omissio omnium horarum per modum unius, ideòque propriè dicitur esse unum peccatum, quod non est perfectè consummatum, donec tempus omnium horarum præteritum sit; nam si circa finem diei retractaret quis voluntatem, et unam horam diceret, non esset peccatum ita consummatum, nec sufficeret ad censuram, si absolutè propter omissionem præcepti recitandi omnes horas lata esset; nam debet restringi ad consummatam et integram culpam, nisi aliud explicetur. Hoc igitur modo rectè intelligitur illud esse unum peccatum mortale externum et consummatum. Et cessant objectiones; nam omissio unius diei sive integra, sive partialis nullo modo continuatur cum omissione diei alterius. Unde si lata esset excommunicatio contra omnes peccantes mortaliter, contra hoc præceptum qui in uno die horas omnes omitteret, unam tantùm excommunicationem incurreret; si autem in duobus diebus duas tantùm horas omitteret, duas censuras contraheret, quia bis illam incurreret, et duplici titulo.

20. Unde infero non rectè sentire qui asserunt, licèt omittere omnes horas diei sit unum peccatum, nihilominùs omittere aliquas tantùm earum quasi discretas, et distantes inter se, esse plura peccata, vel plures omissiones. Sicut occidere hominem, est unum peccatum, et tamen mutilare illum, abscindendo partes distinctas et actionibus moraliter discretis, sunt plura peccata. Sic, aiunt, integra omissio horarum est unum peccatum; tamen omittere nunc primam, et postea dicere tertiam, sextam et nonam, et rursùs omittere vesperam, duo peccata sunt, quia sunt veluti duæ mutilationes in partibus diversis, et non unitis, sed discretis, et consequenter per omissiones omninò distinctas. Hoc autem non rectè consideratum est, quia licèt illæ partes distinctæ sint secundùm se, et discretæ, id est, non immediatè sibi succedentes ex vi institutionis · nihilominùs omissio in re ipsâ fit quasi continuato tempore, et per modum unius transgressionis; quia nulla hora omittitur simpliciter omissione externâ, eò quòd non dicatur suo tempore, etiam animo nunquàm dicendi, vel etiam si aliæ posteriores recitentur, quia quamdiù durat naturalis dies, est tempus habile ad implendam substantiam præcepti quoad actum externum, et si homo mutet voluntatem, et intra illam diem recitet horam quam prætermiserat, non potest dici illam omisisse: ergo signum est per priorem transgressionem non omisisse illam simpliciter, sed in proposito, nec in re completè, sed tantùm pro tunc. Unde in fine diei quasi continuè, et per modum unius consummatur omissio illarum duarum horarum, quæ jam tunc possent immediatè dici una post aliam, suppositâ recitatione aliarum horarum; et sic impleretur præceptum, et vitaretur utriusque omissio. Semper ergo omissio horarum unius diei, unum peccatum est, sive omnes, sive plures earum omittantur, et ibi etiam computatur matutinum, etiamsi incipiat omitti à nocte antecedentis diei cum pravo proposito, quia semper omissio in sequenti, et quasi proprio die consummatur.

CAPUT XXVI.

Utrùm in recitatione privatâ necessaria sit attentio ad implendam obligationem tam ecclesiastici præcepti, quàm justitiæ, seu proprii beneficii.

1. Non agimus de his horis quando ex privatâ devotione, et non ex obligatione dicuntur, quia tunc non est major obligatio orandi attentè in illis, quàm in quâcumque oratione vocali, quæ quidem non transcendit obligationem culpæ venialis, ut supra visum est. Et quòd oratio fiat per hanc formam orandi, si ex obligatione non fit, non addit rationem vel circumstantiam, quæ ex solâ rei naturâ ita aggravet obligationem, ut ad transgressionem mortalem sufficiat. Hinc ergo dixerunt aliqui præceptum hoc recitandi horas canonicas non violari mortaliter, eò quòd sine attentione oretur, dummodò totum officium voce ipsâ integrè proferatur. Fundamentum esse potest quia Ecclesia non præcipit actum internum per se et ex vi sui præcepti, sed externum, quia sicut non judicat de occultis, ita nec illa per se potest præcipere. Præcipit ergo per se tantùm actum externum orandi; ad hunc autem sequitur necessitas attentionis interioris, non ex præcepto Ecclesiæ, sed ex naturâ rei, ergo non sequitur cum majori obligatione, quàm ex ipsâ rei naturâ consequatur. Et ex naturâ rei obligatio ad attentionem adhibendam in oratione, solùm est sub veniali peccato; ergo qui integrè recitat horas canonicas sine attentione, implet præceptum Ecclesiæ, quoad substantiam ejus, et ita non peccat mortaliter; peccabit autem venialiter contra naturale præceptum debito modo orandi.

2. Confirmatur, quia cap. *Dolentes*, in quo videtur hoc præceptum expressiùs contineri, vel explicatur sufficienter de externâ devotione, ut multi volunt, vel certè non continet præceptum quoad illa ultima verba: *Studiosè pariter et devotè*, quia non simpliciter præcipiuntur, sed cum illâ limitatione, *in quantum Deus eis dederit*, ut ibi Hostiensis notat, et sequitur; et Joannes Andreas, Ancharanus, et alii non dissentiunt. Unde hi videntur sentire non esse peccatum mortale, sine attentione recitare, etiamsi ex purâ negligentiâ, et cum advertentiâ fiat; et ita solent pro hâc parte citari, sed nullus tam expressè loquitur sicut Hostiensis. Quem sequitur Antoninus, 3 p., tit. 15, c. 4, § 7, citans Umbertum et alios; et idem tenet Rosella, verbo *Hora*, num. 3; Pisana, num. 3; Angelus (si attentè

legatur) in verbo *Hora*, num. 27; ait enim, si quis interiùs voluntariè distrahatur esse tantum veniale, si verò exteriùs se occupet in actione contrariâ attentioni, esse peccatum mortale, contra cap. *Dolentes*, quod ita intelligit, videlicet: *Devotè quantùm Deus dederit*; id est, vitando omnia externa impedimenta attentioni contraria. Et hæc expositio fuit Durandi, 4, dist. 15, quæst. 12, num. 6, cujus verba ferè usurpat Paludanus ibi, quæst. 5, art. 2, concl. 4. Et sequitur Silvester, verbo *Hora*, quæst. 11, et in Rosâ aureâ, tract. 3, q. 69; Acasu et Turrecremata in cap. *Cantantes*, q. 3, art. 3, licèt non satis constanter loquantur. Eamdem probabilem putat Medina de Orat., q. 16, imò veram, supposito quòd Ecclesia non possit præcipere directè actum interiorem.

3. Nihilominùs est communis sententia esse peccatum mortale horas canonicas sine ullâ attentione dicere, id est, sine formali vel virtuali, quæ in superiori libro à nobis declaratæ sunt, et nullam fecimus mentionem de habituali, sicut Gabriel, Angelus et alii, tum quia attentio non dicit habitum, sed actum; tum quia supponimus esse sermonem de actu humano, aliàs non potest esse impletivus præcepti, ut statim dicetur; actus autem humanus non potest esse ab attentione tantùm habituali, ut omnes supponunt, et per se constat. Actualis ergo, vel virtualis attentio sufficit ex omnium sententiâ ad implendum præceptum hoc, si autem utraque voluntariè desit per voluntariam distractionem, et ex certâ scientiâ, seu advertentiâ quoad notabilem partem horæ, dicit hæc opinio esse peccatum mortale, contra ecclesiasticum præceptum orandi, etiamsi distractio sit merè interna. Ita tenet Cajetanus, 2, quæst. 83, art. 13, ubi Aragon et alii; Soto, lib. 10, de Just., quæst 5, art. 5, concl. 7; Ledesma in 4, part. 2, quæst. 16, art. 6, dub. 3; Major in 4, d. 12, q. 7; Navarrus, cap. 13, de Orat.; Gabriel lect. 62, in Canon,; Gerson, 3 tom., tract. de Orat., in 3 parte illius Alphab. 78, litt. E et F, in fine; Tabiena, verbo *Hora*, quæst. 30.

4. Adduci solet pro hâc sententiâ D. Thomas, 4, d. 15, quæst. 4, art. 2, quæst. 4, ad 2, sed ille non clarè loquitur, verba ejus sunt: *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit in orando, tunc sine culpâ non est, et præcipuè si in aliis spontè se occupat, quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera, et si ad contrarium mens evagetur, etiam erit culpa mortalis:* ubi solùm ponit culpam mortalem, quando evagatio mentis est ad contrarium. Quid autem sit esse *ad contrarium*, D. Thomas non declarat; Paludanus autem, quem alii sequuntur, intelligit idem esse, quod esse directè voluntariam, quia illa voluntas est contraria voluntati orandi, exponit autem, intelligendum esse de oratione quæ sit sub divino præcepto, quia præceptum divinum cadit in actum interiorem, unde si ipsa oratio cadit sub præceptum divinum, etiam attentio ipsa cadit sub idem præceptum, ideò distractio voluntaria, illi contraria, est peccatum mortale, non verò quando oratio est voluntaria, ut supra dictum est, neque quando est præcepta solo præcepto ecclesiastico, ut ipse putat. Sed certè limitatio hæc de præcepto divino aliena est à mente D. Thomæ, cùm absolutè et simpliciter ipse loquatur, et illa oratio ex præcepto divino rarissimè contingat. Aliter ergo et faciliùs exponi possunt verba illa: *Si ad contrarium mens evagetur*, ex parte objecti, id est, si evagetur ad objectum contrarium Deo, ac divino cultui; hoc enim magis propriè illa verba significant; et tunc meritò dicitur evagatio esse peccatum mortale, vel ex suo genere, quia objectum illud est turpe, vel quid simile, vel ex injuriâ Dei contra religionem, quia non solùm distrahitur mens, sed etiam ad cogitationem directè Deo contrariam et injuriosam, loquendo cum illo evagatur. Quod habet locum non solùm in oratione præceptâ, sed etiam in voluntariâ, et ideò ex illo loco non potest constare, quid D. Thomas senserit in hâc quæstione, in quâ de simplici carentiâ attentionis agimus sine admistione gravioris culpæ ex parte rei cogitatæ. Unde idem D. Thomas, 2-2, quæst. 83, art. 13, ad 3, solùm dixit, orare cum distractione ex proposito esse peccatum, non verò declarat, an sit mortale vel veniale, et tamen loquitur etiam de oratione in hymnis et Psalmis ecclesiasticis, quæ ad horas canonicas pertinet.

5. Nihilominùs posteriorem sententiam existimo omninò veram et mihi moraliter certam; ut autem illam breviter declarem et confirmem, suppono attentionem ab intentione distingui, et intentionem debere præcedere tanquàm fundamentum attentionis, ut in posteriori parte cap. 3, latè explicavi. Ab illo ergo fundamento hìc inchoandum est ad explicandam veritatem, ejusque radicem. Dico ergo primò: Ad implendum præceptum recitandi horas canonicas necesse est ad illas accedere cum proposito orandi, et in eo durare formaliter vel virtualiter, quamdiù oratur. Hoc tanquàm certum supponunt omnes, quia oratio præcepta debet esse actus humanus; ergo debet procedere ex proposito, et intentione operantis. Oportet verò addere, non esse satis habere intentionem legendi hos Psalmos vel homilias, etc., sed necessariam esse voluntatem orandi explicitam, seu æquivalentem, aut implicitam, ut voluntatem laudandi Deum vel colendi illum hoc genere actionis, vel satisfaciendi meo muneri, ut in citato loco declaravi. Et ratio in præsenti est quia per hoc præceptum ecclesiasticum non præcipitur tantùm hæc actio exterior legendi vel cantandi materialiter sumpta, quæ de se indifferens est ut sit oratio, vel ut sit studium, aut actio jucunda et delectabilis cantanti, aut legenti, sed præcipitur actio illa exterior, ut est oratio ad Deum et cultum ejus, ut suppono ex supra tractatis, et in sequenti assertione confirmabitur; ergo necesse est ut sub hâc ratione sit intenta et volita. Patet consequentia, quia nisi ex tali intentione procedat, non est oratio, ut in citato loco probavi, quia per solam illam intentionem determinatur ad esse orationis, sicut actio exterior, quâ fit sacramentum, per intentionem ministri determinatur ut sacramentalis sit. Confirmatur, quia actio præcepta debet esse humana, sub quâ ratione præcepta est, sed illa actio exterior est præcepta, non utcumque, sed

ut sit oratio; ergo ut sic debet esse humana; ergo ut sic debet esse intenta et voluntaria; aliàs non erit impletiva præcepti.

6. Solet verò hìc obiter quæri an ad implendum hoc præceptum sit etiam necessarium habere intentionem implendi præceptum; sunt enim hæc duo valdè distincta; nam possum ego habere nunc voluntatem recitandi et orandi horas canonicas sine voluntate implendi præceptum, imò cum voluntate non implendi præceptum per hunc actum. In quo certum inprimis est, satis superque esse si in principio accedatur ad recitandum cum proposito implendi præceptum, etiamsi in discursu orationis in mentem non veniat; satis enim est quòd non retractetur, quia manet virtus prioris intentionis. Præterea, ut censeatur quis accedere ad recitandum cum proposito implendi præceptum, satis est quòd ex consuetudine quâdam velit illam actionem tanquàm expletivam sui muneris et obligationis, vel quòd in actu exercito, ut sic dicam, velit eam facere, ut solet; quia eo ipso vult illam ut impletivam præcepti. Ita sumitur ex Majore, 4, d. 12, quæst. 7; Navarro, cap. 13 de Orat., num. 17, et aliis infra referendis. Rursùm satis est voluntas orandi tales horas, saltem quando per contrariam voluntatem, et intentionem præcepto non resistitur, id est, quando ipsemet orans expressè et cum reflexione non dicit se nolle implere præceptum per talem actum, quia illa voluntas orandi non impedita, in tali personâ et cum talibus circumstantiis, virtute est voluntas implendi præceptum, qui est de actu ipso præcepto, et nasci censetur ex generali voluntate, quam unusquisque habet satisfaciendi obligationibus suis: nam moraliter hoc inprimis censetur velle quilibet homo prudens in suis honestis ac religiosis actionibus. Quapropter non dubito quin ignorans, vel non advertens esse diem festum, voluntariè missam audiens, sicut solet, impleat præceptum, ita ut non teneatur missam iterùm audire, quando intelligit vel recordatur esse diem festum.

7. Difficultas verò nonnulla est, quando quis semel in die dicit horas canonicas, cum expressâ voluntate non implendi præceptum per illam actionem, sed cum proposito eas dicendi iterùm, ita præceptum non impleat, ut teneatur in rigore ad secundam recitationem. Multi sentiunt debere iterùm recitare, nec posse alio modo præceptum implere, etiamsi postea voluntatem mutet, et dicat se velle satisfacere præcepto per priorem recitationem. Ita tenet Medina, cod. de Orat., quæst. 16; Ledesma, 4, 1, p., q. 16, art. 6, dub. 6; Navarrus, cap. 13, de Orat., n. 15, 16, 27 et 28, et cap. 16, n. 79; Azor, lib. 10, cap. 12, quæst. 8. Probatur, quia de facto ille non implevit præceptum per primam recitationem; ergo nec postea per illam eamdem potest implere præceptum, quantùmvis id velit aut desideret; ergo necesse est ut iterùm recitet. Antecedens probatur, tum quia impletio præcepti, ut talis est, debet esse voluntaria, et illa non fuit talis, tum etiam quia opus humanum non extenditur ultra operantis voluntatem, vel, ut juristæ aiunt, actus agentium non transcendunt intentionem eorum, leg. *Non omnis*, ff. *Si certum petatur*, leg. *In agris*, ff. de Acquirend. domin. Prima verò consequentia probatur, quia illa actio cùm fuit facta, non habuit omnes conditiones requisitas ad præceptum implendum per eas, sed postea non potest illas induere, nisi iterùm fiat, quia circa præteritam actionem jam non est potentia, nec circa illam potest fieri mutatio. Confirmatur exemplis. nam qui ex voto tenetur dicere Rosarium, et semel dicit animo non implendi votum, oportet ut iterùm dicat; aliàs fractor erit voti, quia per illam actionem non implevit promissionem Deo factam, sed alium cultum liberalem exercuit. Sicut etiam qui debet Petro centum; et liberaliter postea donat eidem centum, declarans nolle se per illa solvere debitum, sed liberaliter donare, tenetur postea integrum debitum solvere, nec poterit per priorem donationem satisfacere, quantùmvis velit, idemque est, ait Medina, si sacerdos, qui pro missâ dicendâ stipendium accepit, velit pro tali personâ gratis missam dicere, retento priori debito; nam tenetur per aliam missam illi satisfacere; ergo similiter, etc.

8. Nihilominùs contrariam sententiam tenent Aragon., 2-2, q. 83, art. 13, longè à principio, et generaliter Vasquez, in 1-2, q. 100, art. 9, dub. 1; Valentia, 3 p., disp. 6, q. 2, punct. 10, in fine, et idem ego teneo. Fundamentum est quia ille qui vult hodiè recitare, et ex hâc voluntate humano modo recitat, etiamsi habeat voluntatem recitandi, non ex obligatione, neque ad implendum præceptum, sed sponte et cum proposito iterùm recitandi nihilominùs reipsà facit totum quod præceptum est, et non vovit, neque promittit iterùm recitare; ergo non manet in rigore obligatus ad recitandum iterùm, sed solùm ad conformandam voluntatem suam cum præcepto, volendo satisfacere illi, priori recitatione. Major probatur, quia præceptum Ecclesiæ solùm dicit ut recitet hora semel in die, et totum hoc fecit; minor ut clara supponitur; consequentia verò probatur, quia illa obligatio non imponitur ex vi præcepti ecclesiastici, quia non præcipit bis recitare, et quod præcipit, factum jam est; nec imponitur ex vi propositi et voluntatis recitantis, quia nec votum, nec promissionem fecit. Atque hinc apparet clara differentia inter exempla adducta et casum præsentem: nam quando quis tenetur ex voto Rosarium dicere suâ voluntate sibi imposuit obligationem, et eamdem retinere vult, cùm bonum opus facit tali intentione; unde in virtute novum votum facit, at in præsenti non potest homo suâ voluntate novum præceptum ecclesiasticum sibi imponere, unde cùm ab illo tantùm oriri debeat obligatio, et non ex promissione, non est unde relinquatur. Idem in solutione debiti est: nam ibi in voluntate meâ positum est ut faciam liberalem donationem vel solutionem; et quando volo liberaliter donare, non extinguo jus quod alter habet ad decem, verbi gratiâ, quæ ego illi debeo, et ideò manet integrum debitum, quod ego poteram voluntate meâ contrahere vel retinere, unde illa est etiam quædam virtualis promissio solvendi debitum, non obstante priori donatione. Idemque est in exem

plo missæ : nam ibi etiam pendet obligatio ex meâ voluntate, quam de novo quasi constituo vel conservo. At in obligatione proveniente ex superioris præcepto, non ita est, quia ego non possum eamdem obligationem augere, vel de novo imponere, nec facere ut non impleatur, si fit quod præceptum est.

9. Declaratur exemplo : nam si quis obligatus ad jejunium in vigiliâ Assumptionis, ex devotione ad Virginem proponat in eâdem die jejunare ex devotione, et non ad implendum præceptum, volens aliâ die satisfacere præcepto Ecclesiæ, licèt fortè excusetur à peccato, habendo illam voluntatem per ignorantiam et bonam fidem, quam in illo suppono, nihilominùs non tenetur alio die jejunare, quia præceptum de se in alio die non obligat, nec ille potuit extendere obligationem ejus, nec fecit votum aut promissionem. At verò si ex voto fuisset obligatus ad jejunandum in vesperâ Conceptionis, et eo die haberet animum non jejunandi ex voto, sed ex devotione, et implendi votum alio die, maneret obligatus, quia virtute commutaret obligationem voti in jejunium alterius diei. Ergo signum est esse magnam differentiam inter debitum ex voto vel quodcumque aliud, quod imponi potest per propriam voluntatem et obligationem præcepti, quæ ex voluntate legislatoris pendet. Præterea ex alio effectu præcepti possumus hoc declarare : nam si ponamus latam esse excommunicationem ipso facto contra clericum non recitantem septem horas in die, non incurreret excommunicationem ille qui recitaret horas cum voluntate non implendi præceptum, sed recitandi postea, etiamsi deinde illas iterùm non recitaret, sed vellet esse contentus, et satisfacere priori recitatione, quia jure reipsà non commisit exteriorem transgressionem vel omissionem pro quâ posita fuit censura. Neque enim ad non incurrendam censuram necessarium est ut in ipsâ observatione præcepti interiùs non peccetur contra præceptum. Nam si alicui sub censurâ præcipiatur ne comedat carnes, et ille non ex voluntate, sed quia illas non habet, eas non comedat, etiam cum proposito comedendi, si illas haberet, nihilominùs censuram non incurrit, quia in effectu non transgreditur exteriùs præceptum, sed tantùm in affectu ; sicut non incurrit irregularitatem qui lethaliter alium percutit, si ille non moritur, etiam per miraculum, et contra voluntatem percutientis ; ergo in nostro casu non incurretur censura ; ergo signum est quoad exteriorem actum impletum esse præceptum ; ergo non est necesse illum repetere, sed voluntatem adjungere.

10. Dices : Ergo præceptum recitandi à principio fuit impletum per primam recitationem, non obstante voluntate non implendi illud, quam supponimus habuisse recitantem ; consequens est falsum ; ergo. Minor videtur clara, tum quia aliàs impleretur præceptum sine voluntate implendi quod est contra dicta, et contra rationem, quia præceptum debet impleri humano modo, atque adeò voluntariè ; tum etiam, quia aliàs non solùm non teneretur postea iterùm recitare, verum etiam nec voluntatem mutare, quia jam implevit præceptum. Sequela verò patet, quia præceptum non impletur, nisi per actionem externam ; ergo vel impletur statim ac illa fit, vel nunquàm postea impletur per illam, ac subinde erit necessaria nova recitatio ad implendum præceptum ; qui ergo hoc posterius negat, cogitur primum fateri ; vel aliter ut actio externa sit impletiva præcepti, est necessarium ut procedat à voluntate implendi præceptum, vel non. Si non est necessarium, ergo per illam primam recitationem implebitur, quia nihil aliud illi deest ; ergo statim impletur ; si verò illud est necessarium, ergo non potest postea ob solam mutationem voluntatis per illam priorem recitationem impleri præceptum, quia fieri non potest, ut illamet recitatio procedat à voluntate implendi præceptum, quia frequens voluntas poterit quidem circa illam actionem objectivè versari, non tamen potest esse principium illius ; erit ergo necessaria nova recitatio, quæ ex voluntate servandi præceptum procedat.

11. Respondetur primò, concedendo sequelam, quia ille statim ac recitavit, fecit quod præcipiebatur, et ita implevit reipsà præceptum, quamvis ex ignorantia fortè putaret se non implere illud, sed posse se suspendere observationem præcepti, non obstante actione humanâ per illud præceptâ. Ad rationem autem in contrarium respondent aliqui absolutè, ad observandum præceptum præsertim humanum, non esse necessariam voluntatem implendi præceptum, ita ut ipsa impletio quasi formaliter cadat sub voluntatem, sed solùm esse necessariam voluntatem exequendi actionem præceptam sub eâ ratione quâ præcepta est, id est, satis esse voluntatem orandi, audiendi missam, etc., licèt hæc non sint volita, ut impletiva præceptorum, seu ad finem implendi præcepta. Et hoc non repugnat dictis, quoniam aliud est velle orare, aliud velle implere præceptum, ut declaratum est. Dico autem semper velle orare, et non velle legere horas canonicas, ut Medina objicit, hæc duo confundens, cùm tamen sint valdè distincta ; nam voluntas legendi non solùm non est voluntas implendi præceptum, verùm neque est voluntas faciendi actionem præceptam ; et ideò per illam actionem non impletur præceptum. Et hinc solvitur alia ratio, quia hoc satis est ut per illam actionem humano modo impleatur præceptum : nam ipsa actio quæ præcipitur, humano modo et voluntariè fit, licèt ipsa impletio præcepti, ut est quasi quædam relatio vel adæquatio inter actionem et præceptum non sit volita, sed materialiter consequatur, nec possit impediri per voluntatem operantis, etiamsi nolit per illam actionem implere præceptum. Unde ad alterum inconveniens, scilicet quòd juxta hæc, nec voluntatem postea mutare tenetur, respondebitur consequenter concedendo. ad non transgrediendum ecclesiasticum præceptum, non esse necessariam mutationem voluntatis ; nam si omninò obliviscatur præteriti propositi, aut modi quo recitavit, nihil peccabit, et satis implebit præceptum, unde nihil restituere tenebitur. Atverò si recogitet factum præteritum, ex jure naturali tenetur velle non resistere

præcepto, unde cùm postea vult non recitare, ut novam culpam excuset, oportet ut saltem intelligat se satisfecisse præcepto, et velit illâ satisfactione esse contentus, quia lex naturalis obligat ad non habendum affectum contrarium præcepto superioris.

12. At licèt hæc sint probabiliter dicta, et fortassè in rigore vera, possumus clariùs distinguere de observatione præcepti, vel quoad substantiam actûs externi humani, vel quoad modum et quoad affectum ex naturâ rei debitum tali actioni, supposito præcepto. Priori modo verum est implere aliquem præceptum eo ipso quòd recitat horas humano modo et ex voluntate orandi; quamtùmvis per voluntatem suam nolit tunc illud implere, et hoc probant rationes factæ, et omnia dicta in præcedenti responsione. Atverò stante illâ renitentiâ voluntatis circa impletionem præcepti, non impletur completè quoad affectum jure naturæ debitum præcepto, qui saltem requirit ut subditus non habeat affectum contrarium obligationi præcepti. Et hæc duo non repugnant, quia hic modus posterior non cadit directè sub præceptum humanum, nec est materia ejus, sed consequitur ex naturali lege et generali obligatione obedientiæ. Unde si postea qui non vult iterùm recitare, simul perseveret in voluntate non implendi præceptum, per priorem actionem, peccabit affectu interno contra illud præceptum, non verò exteriori transgressione ejus. Ut si is qui legitimâ voluntate implevit mane officium recitandi, postea cuperet non recitâsse, nec implevisse præceptum, peccare affectu, non verò reipsà transgrediendo. Vel etiam qui die festo audiret missam ex timore servili, ad vitandam infamiam vel externam pœnam, cum voluntate deliberatâ non implendi præceptum, si impunè posset, ac subinde sine voluntate propriâ et absolutâ implendi illud, sed solùm faciendi actionem præceptam, quia non potest aliter vitare pœnam; nihilominùs quoad externam observantiam implet, nec tenetur aliam missam postea audire. In hoc ergo sensu verum censeo, ad implendum præceptum externum humanum, de actu externo, quoad substantiam ejus, non esse necessariam propriam voluntatem implendi præceptum formaliter, sed satis esse actionem præceptam voluntariè agere. Unde in nostro casu impletur præceptum per primam recitationem quoad externam substantiam ejus. Et ideò in rigore non manet obligatio ad iterùm recitandum, solùm ad faciendum ut illa recitatio, etiam ut impletiva præcepti, non maneat involuntaria, quia hoc ex naturâ rei est contra obedientiæ virtutem, et ideò necesse est illam priorem nolitionem retractare, et consequenter facere ut impletio præcepti voluntaria sit, saltem objectivè, esto non fuerit, nec jam esse possit effectivè, quia neuter ipsorum modorum determinatè cadit sub ecclesiasticum præceptum. Et licèt hæc speculativa videantur, necessaria sunt ad explicandam propriam vim et obligationem præcepti humani, et ut non obligemus ad repetitionem vel recitationem duplicatam, ad quam Ecclesia non obligat.

13. Dico secundò : Ad implendum ecclesiasticum præceptum recitandi horas canonicas, necessarium est cum attentione orare. Hæc conclusio probari potest ex cap. *Dolentes*, ibi : *Studiosè pariter et devotè*; sed in hoc textu magnam vim non faciemus, vel quia à multis exponitur quoad illam particulam non continere præceptum, sed consilium, seu monitionem et directionem, quod licèt non sit verum, non est tamen hoc adeò clarum, ut sufficeret ad reddendam opposi tam opinionem practicè improbabilem, si aliunde non ostenderetur, vel etiam quia potest exponi de devotione, quatenùs pendet ex actibus externis, et illis juvari aut impediri potest, quod est probabile; vel denique quia loquitur de recitatione in choro, quæ aliquas circumstantias postulat, quas non requirit privata recitatio. Et ideò cùm simus in materiâ onerosâ, lex illa quoad illam partem non est extendenda, maximè si verum est, orationem publicam fieri nomine Ecclesiæ, non autem privatam etiam horarum canonicarum, ut quidam volunt. Probanda est ergo, non ex speciali jure positivo, distincto ab ipso præcepto orandi, sed ex illo adjuncto naturali et evidenti principio, quòd vocalis prolatio non est oratio, nisi cum attentione aliquâ fiat. Unde ratio sic concluditur : Per hoc præceptum obligatur homo ad orandum, cùm septem horas canonicas recitat: sed si nullo modo attendit, non orat; ergo non implet præceptum. Minor patet, quia supra probatum est attentionem esse de substantiâ orationis vocalis, et simpliciter necessariam ad esse illius. Confirmatur, quia, si quis voto se obliget ad orandum horas canonicas, non satisfaciet dicendo illas sine ullâ attentione; sed non minùs efficax est præceptum Ecclesiæ; ergo. Tandem confirmatur ac declaratur; nam supponimus non esse simpliciter necessariam attentionem actualem, sed saltem virtualem; quòd autem hæc saltem necessaria sit, patet quia necessaria est intentio virtualis orandi; sed hæc esse non potest sine attentione virtuali; ergo. Major in præcedenti assertione probata est; minor probatur, quia tunc solùm desinit esse virtualis attentio, quando homo sciens et videns se de aliis cogitare, et non attendere, non curat, sed negligit, vel directè vult illo tantùm modo dicere; at hoc ipso jam non vult orare, sed revocat priorem intentionem, quia velle sic loqui, non est velle orare; nam cum voluntate sic loquendi stat optimè voluntas non orandi; ergo.

14. Medina, cod. de Orat., quæst. 16, hâc ratione convictus, negat præceptum Ecclesiæ obligare homines ad orandum, cùm præcipit septem horas recitare, secundùm opinionem negantem, esse necessariam attentionem ad implendum hoc præceptum : quia Ecclesia neminem obligat ad interiora; oratio autem in rigore interiorem actum requirit; et ideò solùm obligat ad dicendas illas horas; quòd si minister non apponat devotionem, Ecclesia apponit cujus nomine orat, et tanquàm ejus minister. Verùmtamen hæc responsio multa falsa continet : primum est Ecclesiæ preceptum de recitandis horis non esse præceptum de orando verè et propriè, sed esse de legendis illis

salmis et lectionibus, ac subinde quocumque modo et quâcumque intentione legantur, satisfieri præcepto; nam hoc evidenter est contra intentionem Ecclesiæ, ut constat ex omnibus quæ de his horis supra adduximus; nam potiùs ex institutione suâ vocantur horæ orandi, seu orationis solemnis, juxta illud Act. 3: *Ad horam orationis nonam.* Unde etiam hæc recitatio officium divinum, vel ecclesiasticum, vel officium psallendi appellatur, ut cap. ult., d. 92. Quis autem dicat meram lectionem aut cantilenam, quocumque modo et intentione factam, esse divinum officium aut ecclesiasticum? dicente Jeremiâ: *Audiant ii quibus psallendi in ecclesiâ officium est, Deo non voce* (utique solâ) *sed corde cantandum.* Præterea, Ecclesia profitetur se per septem horas velle explere illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*, et illud: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi;* at illa non implentur nisi per veram orationem; ergo hanc præcipit Ecclesia per illud præceptum. Unde sanctus Benedictus in Regulâ, et habetur cap. 1 de Celebr. missar., et cap. 2, d. 91: *Septenarius*, inquit, *sacratus numerus à nobis implebitur, si primæ, tertiæ*, etc., *tempore nostræ servitutis officia persolvemus*, etc., quæ officia esse officia orandi per totam Regulam latissimè explicat. Nullâ ergo probabilitate cogitari potest, per hoc præceptum non præcipi veram, et propriam orationem,

15. Multò autem improbabilius est fundamentum, nimirùm quòd Ecclesia non possit fidelibus præcipere ut verè ac propriè et ex corde orent. Est enim contra totius Ecclesiæ consuetudinem, et contra omnem rationem et pietatem; nam vera oratio est sæpè necessaria, vel Ecclesiæ, vel alicui fideli; cur ergo neganda est Ecclesiæ potestas ut possit sibi vel suis subditis de hoc remedio, vel de hoc divino cultu efficaciter providere? Deinde si hoc non potest, certè nec præcipere poterit ut missam audiant, quia missam audire non fit sine actu interiori. Nec etiam poterit præcipere verè et sacramentaliter confiteri, quia etiam ad hoc est necessarius internus actus. Imò nec ut ministrentur sacramenta, ut talia sunt, quia etiam hoc non fit nisi cum interiori attentione ministrandi sacramentum, ut tale est, et nec sufficit intentio lavandi aut talia verba proferendi, quæ omnia constat esse dogmata erronea. Unde non minùs falsum est aliud fundamentum, nimirùm, actum internum nullo modo posse cadere sub Ecclesiæ præceptum, etiam ut ad exteriorem, sub aliquâ honestâ ratione præceptum necessarius est; nam ex illo sequuntur omnia incommoda illata, et contra illud in materiâ de Legibus ex professo disputatum est. Quidquid ergo sit, an Ecclesia possit per se et directè præcipere actum internum, tamen non est dubium quin consequenter, et ut circumstantiam vel formam actûs externi possit illum præcipere; et hoc modo præcipit orationem vocalem, ut vera oratio est, et illam præcipiendo consequenter ex vi talis præcepti nascitur obligatio ad attendendum.

16. Denique repugnantia sunt illa quæ Medina ponit, scilicet Ecclesiam verè orare ad Deum, quoties ministri ejus has horas dicunt implendo præceptum ejus, et nihilominùs ipsos implere præceptum, etiamsi non orent, sed materialiter legant; nam si ipsi non orant, quomodò per eos orat Ecclesia? Nam oratio non dicit habitum, sed actum; et ideò, si nullus in Ecclesiâ actu orat tali tempore, fieri non potest ut in illo eodem tempore *Ecclesia* oret. Ponamus ergo solùm clericum recitare officium pro tali horâ in Ecclesiâ, si ergo ille non orat, nec Ecclesia per illum orat; si ergo ita recitet ut verè dici non possit Ecclesia per illum orare, ille non implet munus suum. Ita verò se gerit quoties sine attentione ullâ verba profert; quòd autem tunc alii verè orent necne, accidentarium est,

17. Tandem explicatur in hunc modum: nam duobus modis intelligitur, aliquem pro alio orare, id est, vice illius, et non tantùm objectivè pro illo, primò, quia licèt ipse orans in propriâ personâ oret, tamen ab alio rogatus, vel jussus aut ad officium orandi conductus orat; et hoc modo censent aliqui orare ministros Ecclesiæ, præsertim cùm privatim recitant, etiamsi divinum officium et horas canonicas ex præcepto recitent. Quod si hoc verum est, planè cùm ipse minister non orat, quantùmvis aliàs legat officium, Ecclesia per illum non orat; ergo neque ipse clericus implet munus suum; ergo nec præceptum. Unde sumitur optima confirmatio pro conclusione; nam si ego do alicui eleemosynam ut pro me oret, recitando Rosarium, ille non satisfaciet suæ obligationi voce proferendo illa verba sine animo orandi vel attendendi. Unde etiam confirmatur: nam si ex conventione et pacto possum ego obligare alium, ut verè ac propriè pro me vocaliter oret, quomodò Ecclesia non potest suis ministris hoc præcipere? Dices quia unus homo ex pacto potest suâ voluntate se alteri obligare ad actum interiorem exercendum, et Ecclesia non potest obligare ad actus internos. Ad hoc verò jam responsum est falsum esse hoc dogma ita distinctè sumptum; addo verò etiam hìc posse intelligi pactum et conditionem ex parte Ecclesiæ; confert enim beneficium vel sacrum ordinem hâc lege ut verè ores canonicas horas. Esto enim absolutè non posset Ecclesia præcipere illum actum, non video cur per modum pacti et acceptatæ obligationis illum exigere nequiret; ad eum modum quo id dici solet de castitate clericorum, quamvis non modò omninò simili.

18. Alio modo intelligi potest clericus orare pro Ecclesiâ, nomine ejus, quatenùs in personâ Ecclesiæ constitutus, et tanquàm legatus ejus illius nomine ad Deum loquitur; sicut est certum sacerdotem in missâ orare; et hoc modo orare clericos in horis canonicis supponit Medina supra, et judicio meo est longè probabilior sententia, quam etiam tenet Gabriel, lect. 57, in Can. et Navarrus, cap. 19, num. 59 et 60, et de publico quidem officio constat ex dictis in primo cap. hujus libri. Est autem eadem ratio de recitatione privatâ ejusdem officii: nam ex eâdem obligatione et institutione nascitur, unde eadem forma orandi in eâ observatur, ut clariùs apparet in collectâ orationc, in quâ nomine totius Ecclesiæ præmittitur, *Oremus*, ad significandum fundi orationem nomine omnium. Hoc

ergo supposito, multò magis necessarium est ut ministerium commissum et mandatum ministris hujus officii divini, non sit tantùm materialiter proferre illa verba, sed verè orare et loqui cum Deo nomine totius Ecclesiæ. Nam si legatus ad regem missus cum rege non loquitur, quomodò is qui eum misit, per illum loquetur ad regem? Est ergo hoc præceptum de oratione, et non nisi per orationem expletur, ideòque sine intentione orandi, ac subinde sine attentione, saltem virtuali impleri non potest.

19. Atque hinc sequitur eum qui sic dicit horas sine ullâ attentione peccare mortaliter ex genere suo, quia sic obligat præceptum, et illud non observat, ut ostensum est. Ita Cajetanus, 2-2, quæst. 83, art. 13; Paludanus, dictâ quæst. 5; Antoninus, dicto cap. 4, § 8; Navarrus, cap. 13, num. 46; Major, 4, d. 12, quæst. 7; Adrianus quodlib. 8. Potest autem hoc peccatum esse veniale ex levitate materiæ; eodem modo quo omissio alicujus particulæ officii; nam eadem est ratio utriusque peccati; nam hoc etiam est peccatum omissionis, quatenùs per illum actum non impletur affirmativum præceptum, unde sub hâc ratione malitiam ejusdem rationis continet. Hoc autem peccatum recitandi cum voluntariâ distractione totali, videtur addere malitiam commissionis, quæ in oratione simili non præcepta reperitur. Verùm illa malitia per se non est mortalis, nisi quatenùs adjungitur omissioni præcepti, et ideò ex quantitate materiæ omissæ, expendenda est gravitas peccati, suppositâ distractione voluntariâ. Quomodò autem gravitas materiæ arbitrio prudenti, judicanda sit, juxta dicta in cap. præcedenti expediendum est, neque enim nova ratio aut regula occurrit.

20. Quæri autem potest an possit hoc peccatum excusari à tanto, id est, à mortali propter defectum voluntarii, esto non sit distractio adeò involuntaria, ut excuset etiam à peccato veniali. Sunt enim varia, et extremè contraria judicia. Quidam aiunt, quoties distractio non est voluntaria directè, id est, quod homo dicat apertè, nolo attendere, quantùmvis negligenter se gerat in attentione adhibendâ, et ex eâ negligentiâ magnam officii partem distractus, et sine attentione actuali recitet, implere præceptum, saltem ut non peccet mortaliter, licèt peccet venialiter. Ratio est quia dùm non habet illam directam voluntatem contrariam, non revocat priorem intentionem, et sic semper durat virtualis attentio substantialis. Sed hæc opinio probabilis non est, quia in moralibus, virtualis voluntas æquivalet formali, ut supina negligentia æquivalet directæ voluntati. Et ideò alii dicunt non dari medium, quia si distractio est merè naturalis, omninò excusat à culpâ, et relinquit attentionem virtualem, cum quâ impletur præceptum. Si verò distractio est ex negligentiâ, quæ durat in magnâ parte offici, eo ipso negligentia gravis est, et non excusat à mortali culpâ. Sed hoc etiam non est satis perfectum, quia potest esse negligentia tam parva, ut eâ non obstante actus non sit sufficienter deliberatus ad peccatum mortale, et nihilominùs negligentia sit culpabilis venialiter, quia ipsamet negligentia est ex surreptione quâdam, et non est perfectè voluntaria, et tunc peccatum erit veniale, non ex pravitate materiæ; supponimus enim illam esse magnam, sed ex indeliberatione et surreptione.

21. Dico ergo posse hoc peccatum esse veniale, propter defectum perfecti voluntarii cum admixtione alicujus voluntarii indirecti, per negligentiam levem, et nihilominùs aliquando esse mortalem culpam, non solùm propter directam voluntatem, quæ per se satis patet, sed etiam per supinam et crassam negligentiam. Hæc autem contingit, quoties homo advertit, se non attendere ad divinam orationem, sed ad alia vana, vel omninò extranea, et non curat, sed permittit se ita vagari, quamdiù verò non ita advertit, erit naturalis vel ferè naturalis inadvertentia, et ideò vel nulla erit culpa, vel tantùm venialis.

22. Imò addit Cajetanus in Sum. non satis esse ut quis advertat, quid cogitet, sed etiam quod adverta' se diverti ab oratione: *Oportet, enim*, ait, *secessum humanum à termino fieri per se, id est, ex intentione*, saltem virtuali, quæ requirit advertentiam; ita enim doctrinæ illa intelligenda est, et est præ oculis habenda hominibus scrupulosis, ne facilè receptiones horarum faciant, quæ nihil prosunt, quia semper habent easdem ve majores imperfectiones, et habent innumera inconvenientia, quando ex conscientiâ scrupulosâ fiunt. Ist ergo si bonâ fide et cum proposito ad recitandum accedant etiamsi in fine Psalmi advertant se fuisse distractos, nihil curent nec repetant, sed iterùm ad attendendum mentem applicent et prosequantur. Idemque servare debent, etiamsi non recordentur se omnia dixisse: quia, ut D. Thomas notavit, hæc oblivio non refert, nec semper nascitur ex distractione. Quamdiù ergo eis non constiterit evidenter se mutâsse propositum, vel advertendo, et sciendo circa alia vagatos fuisse, credere possunt suæ obligationi satisfecisse. Unde Navarrus, cap. 13, num. 29, et sequent.; Major, 4, d. 12, quæst. 7, dicunt non oportere, ut quis recordetur se dixisse omnia, sed satis esse, ut nullo claro indicio constet aliquid omisisse.

23. Sed in hoc cavendum est aliud voluntarium in causâ: quod est, quando homo licèt non velit esse distractus, tamen voluntariè se occupat in aliis actionibus, quæ attentionem orationis impediunt, sive internæ sint, sive externæ; nam tunc in voluntate talis actionis est voluntaria carentia attentionis, et potest sufficere ad peccatum mortale, ut ex principiis moralibus constat. Maximè si verum est in cap. *Dolentes*, directè esse præceptam devotionem, quatenùs ad externos actus pertinere potest, id est, ut nihil exterius fiat quòd attentionem mentis tollat. Hinc verò statim nascitur interrogatio an sit peccatum recitare horas, aliquid aliud agendo, ut scribendo, pingendo, se induendo, etc., et si est peccatum, quàm grave sit. Aliqui enim simpliciter dicunt esse hoc peccatum mortale in oratione præceptâ, in quam partem inclinat Antoninus, 2 p., tit. 9, cap. 9, § 3; dicit enim esse

valdè reprehensibile, et vix sufficere ad implendum præceptum.

24. Dico tamen, considerandam inprimis esse qualitatem actionis, an sit mentalis, vel magnam attentionem mentis requirens, et tunc dico esse peccatum grave dicere notabilem officii partem, exercendo illam actionem ; ut si quis velit, dùm recitat, circa argumenta philosophica discurrere, aut pingere, vel scribere aliquid ordinatè. Si verè actio fieri possit ferè sine attentione ad illam, ut est vestiri, lavari, vel quid simile, ordinariè non erit mortale, quia illa non est sufficiens causa distractionis. Dico autem *ordinariè*, quia si homo jam expertus sit se solere similibus actionibus omninò impediri ac distrahi, sive ob incapacitatem suam, sive ex consuetudine, tunc potest peccatum esse grave, non verò ordinariè ; erit tamen etiam ordinariè aliquod peccatum saltem veniale, vel quia saltem impeditur perfecta attentio, vel etiam propter indecentiam loquendi cum Deo, præsertim ut Ecclesiæ ministrum, et legatum aliam actionem merè humanam et ad cultum Dei non pertinentem exercere. In hoc tamen prudentia necessaria est ; nam si ex aliquâ justâ necessitate hoc fiat, et pro modicâ parte orationis, et cum diligentiâ et curâ attendendi ad ea quæ recitantur excusari interdùm poterit etiam levis culpa, ut latè Navarrus attingendo particulares circumstantias et modos declarat, dicto cap. 13, de Orat. à num. 47 ; idem sentiunt Cajetanus, Sotus, et alii.

25. Potest verò ulteriùs circa attentionem interrogari an possit interdùm in eâ per excessum peccari ; nam peccatum, quod hactenùs explicuimus, est per defectum attentionis. Dùm autem de excessu quærimus, oportet intelligi de excessu attentionis ad divina ; nam si sit ad humana, vel extranea aut prava, constat illum excessum augere peccatum, sed totus ille excessus est defectus in attentione orationis. Atverò quando mens ad divina intentissima est, ita ut omninò non advertat quid dicat vel loquatur, tunc dici potest excessus sanctæ seu divinæ attentionis ; et de illâ meritò inquiritur an impediat observationem hujus præcepti. Si enim divina est, quomodò potest transgressionem præcepti efficere ? Si autem homo voluntariè ita attendit, quomodò potest præceptum loquendi implere, cùm nesciat quid loquatur, quia ad illud omninò non attendit ? Quod dubium petit ut explicemus quæ attentio necessaria sit ad hujus præcepti observationem ; varias enim attentiones suprà distinximus, scilicet, ad verba, ad sensum verborum litteralem vel mysticum, ad Deum, vel secundùm se, vel secundùm aliquod nostræ fidei mysterium ; quodcumque illud sit, vel ut auctorem rei postulatæ vel quod perinde est, ad rem postulatam, ut obtinendam à Deo.

26. Dicunt ergo aliqui primam attentionem esse quasi fundamentalem in hâc materiâ, et sine illâ non esse sufficientem quamcumque aliam attentionem ad hoc præceptum implendum. Et ideò si tanta sit alia attentio, ut illam primam omninò impediat, quantùmvis ad Deum esse videatur, nimiam esse et indiscretam eo tempore, et causam transgressionis præcepti. Atverò si attentio ad Deum tali modo habeatur, ut non impediat omninò attentionem ad verba, sed relinquat eam quæ sufficiat, ut homo scienter et moraliter proferat integrè et ordinatè quæ recitat, tunc non impedire observantiam præcepti, etiamsi ad Deum abstractissima et maxima sit. Alii verò putant nullam esse habendam rationem attentionis ad verba, sed quamcumque aliam sufficere. Sed cavenda sunt extrema, quia nec oportet cum reflexione attendere verba, nec omninò illorum oblivisci, et ita in rigore priorem opinionem censeo veram, ut præcedenti lib., c. 4, latiùs dixi.

27. Denique potest è contrario interrogari an quælibet attentio minima, etiam superficialis, ut vocant, ad verba, sufficiat ad implendum hoc præceptum. Aliqui enim significant necessarium esse eum qui imperfectam attentionem habet, saltem non ponere impedimentum perfectiori attentioni, neque illam voluntariè excludere, ut videri potest in Navarro, cap. 13, de Orat. num. 34 et 35, juxta quam opinionem consequenter dicendum erit ; si quis attendat ad verba horarum sufficienter, et simul velit de aliâ re, nullo modo ad orationem pertinente cogitare, quia expertus est istam cogitationem non impedire illam imperfectam attentionem ; nihilominùs non implere præceptum, quia licèt non omninò careat attentione, impedit meliorem, quod etiam est contra præceptum. Sed hæc nimis scrupulosa sunt, et non satis fundata. Quia, ut dixi lib. præced., cap. 4, ad veritatem et ad substantiam orationis minima attentio sufficit, nam per illa salvatur intentio orandi, et ut precatio illa sit humana, ergo illa etiam sufficit ad implendum præceptum. Probatur consequentia, quia hoc præceptum solùm obligat ad attentionem, quatenùs obligat ad vocalem orationem talium horarum ; præceptum enim Ecclesiæ non obligat, et fortassè nec potest obligare ad certum modum actûs interioris sed solùm ad illum qui necessarius est, ut exterior locutio oratio vocalis sit ; ad hoc autem sufficit quælibet attentio ex dictis, etiamsi voluntariè melior non habeatur, vel etiam impediatur ; ergo.

28. Præterea inquiro unde probetur vel colligatur illa obligatio non abjiciendi meliorem attentionem, cùm ex solâ naturâ orationis vocalis non colligatur ; Dices colligi ex cap. *Dolentes*, quatenùs præcipit orare devotè, quantùm Deus dederit, per quod significatur non debere homines voluntariè impedire, aut abjicere altiorem attentionem. Sed hoc infirmum fundamentum est, tum propter varios sensus illius præcepti, quos supra tetigi ; tum etiam quia ille qui non vult meliori modo attendere, dicet tunc sibi non dari à Deo spiritum altioris attentionis, et se velle condescendere suæ infirmitati. Vel dici etiam potest ibi præcipi devotionem necessariam ad orandum, et prohiberi omnia quæ illam possunt impedire ; majorem verò devotionem insinuari et proponi ut procuretur quantùm Deus dederit. Itaque voluntariè impedire majorem attentionem, poterit esse peccatum veniale, si otiosè et

absque causâ fiat; nunquàm verò continet hujus præcepti transgressionem; unde quod Navarrus ait, non satisfacere qui orat meditando passionem Domini, si intendit ibi ultimatè sistere, et non ascendere ad montem Divinitatis; sed in illâ meditatione sistere tanquàm in ultimato fine suæ recitationis, hoc, inquam, non video, quomodò verum esse possit, quia illa attentio est honestissima et utilissima, et ideò licèt intendat quis non ultra progredi, egregiè satisfacit. Maximè quia non semper oportet ad Divinitatem secundùm se ascendere, et qui sic orat hìc et nunc, non intendit unquàm in vitâ Divinitatem contemplari, sed in hâc oratione vult esse contentus humanitate. Quòd si Navarrus intelligat illud fore malum, quando pro ultimo fine assumeretur Christus ut homo, et excluderetur ut Deus; hoc neque est moraliter possibile, nec pertinet propriè ad defectum in attentione orationis, sed ad defectum charitatis Dei.

29. Dico tertiò: Quotiescumque aliquis ex defectu attentionis, non implet præceptum hoc recitandi horas canonicas, tenetur iterùm eas recitare in tempore habili, id est, intra eumdem diem, et nisi id faciat, tenebitur ad restituendum perinde ac si non recitâsset. In hâc assertione non conveniunt omnes; nam qui putant in hoc negotio intervenire duo præcepta Ecclesiæ; unum dicendi horas voce, aliud attendendi ad illas mente, licèt dicant peccare mortaliter, qui non attendit, quia agit contra unum præceptum Ecclesiæ, non tamen putant peccare contra præceptum dicendi, sed illud implere. Et ideò negant teneri ad dicendum iterùm. Unde fit, ut neque ad attentionem iterandam teneatur, quia deest materia talis attentionis. Et consequenter etiam negant teneri ad restituendum, etiamsi non repetat horas, quia obligatio restituendi solùm nascitur ex transgressione præcepti recitandi exteriùs, quia stipendium datur propter externum servitium, non propter attentionem interiorem. Ita in hoc negotio ratiocinatur Medina, cod. de Orat., q. 16, quem sequitur Corduba, lib. 4, quæst. Theolog., q. 13, circa finem. Hæc verò doctrina procedit ex falso fundamento; nam præceptum Ecclesiæ unicum tantùm est orandi vocaliter recitando septem horas canonicas; nam in hoc includitur obligatio ad attentionem, quæ fortassè per se ac separatim ab oratione vocali præcipi ab homine non posset. Quòd autem tale sit hoc præceptum, et quod in eo, ut sic, includatur attentio, ut pertinens ad substantiam actûs præcepti, satis in superioribus ostensum est.

30. Unde sine dubio vera est assertio posita, quam tenent Sotus, lib. 10, de Just., q. 5, art. 5, concl. 6; Navarrus de Orat., cap. 13, n. 15, et cap. 20, n. 32, et alii moderni frequentiùs. Et prior quidem pars de obligatione recitandi officium iterùm, dùm tempus durat, probatur, quia ille per primum actum non implevit præceptum orandi vocaliter, ut ostensum est; ergo tenetur iterùm recitare. Antecedens probatum est in præcedenti assertione; quia qui non fecit actum præceptum, etiam quoad substantiam ejus, non implevit affirmativum præceptum; sed ille non fecit actum præceptum, ut ostendi; ergo. Minor supponitur ex facto, et cætera sunt evidentia. Confirmatur quia qui in die festo adfuit missæ sine ullâ attentione voluntariè, tenetur intra eumdem diem audire aliam missam, si potest, ut est apud omnes constans, ergo similiter in præsenti; est enim eadem proportionalis ratio. Unde si quis in eo casu cùm voluntariè distrahitur, id faciat cum proposito iterùm recitandi, vel audiendi missam, nondùm peccavit mortaliter, quia adhuc illi superest tempus implendi præceptum, si tamen habuisset tunc propositum non audiendi iterùm missam, peccâsset quidem tunc mortaliter ratione propositi; nondùm tamen in rigore esset transgressus exterius præceptum, sed teneretur illud implere cùm posset, unde si postea mutâsset propositum, et recitaret, impleret præceptum, ut tenetur, et non maneret obligatus ad restituendum, nec incurrisset censuram, si lata esset.

31. Sed quid, si neutrum propositum habuit, cùm se voluntariè distraxit? Respondeo, manere quidem illum obligatum ad iterùm recitandum; dubium tamen esse indicium de peccato, quod tunc commisit. Nam si recitare cœpit cum proposito satisfaciendi per illum actum suæ obligationi, et postea non mutando hoc propositum voluntariè non attendit, videtur profectò peccare mortaliter, quia in illo proposito permanet, et consequenter virtualiter habet propositum non iterùm recitandi. Item si solitus est non iterùm recitare, cùm sic recitat, indicium magnum est, tunc etiam recitâsse sine proposito recitandi. Erit autem evidentius, si vel non superest tempus diei sufficiens ad recitandum iterùm, vel sit habiturum se occupationem et impedimenta, ne possit iterùm recitare.

32. Altera conclusionis pars sequitur ex præceden ti, quia obligatio restituendi nascitur ex transgressio ne hujus præcepti. Respondent alii, proximè oriri hanc obligationem ex lege pœnali, quæ restringenda est; lex enim illa non imponit talem pœnam homini malè oranti, sed non recitanti; in dicto autem casu ille non omittit recitationem, licèt malè illam faciat, et ideò non est ad illum hæc pœna extendenda. Aliàs quicumque malè recitaret, peccando mortaliter, vel ex malo fine, vel aliunde restituere teneretur, quod dici non potest. Sed contra, quia ille non solùm malè orat, sed reverà simpliciter non orat, quia licèt legat, vel verba proferat, illa non est oratio. Præterea illa restitutio, supposità lege quasi taxante stipendia horarum imponendo illam obligationem, non tam est per modum pœnæ, quàm ex naturali lege justitiæ, quâ operarius non potest retinere mercedem quam per fraudem accepit, cùm non laborâsset. Ita enim clericus loquens sine attentione non facit opus, pro quo stipendium ei assignatum est, ergo tenetur restituere, quod pro illo apparenti opere accipit injustè. Denique pœna illa non imponitur non recitanti materialiter verba, sed non oranti; vel (quod idem est) transgredienti et omitenti præceptum orationis; sic autem peccat ille sine ullâ attentione voluntariè recitans, et ideò non est simile de aliis malitiis quæ non tollunt substantialem actum orandi, quia peccatum quod in eis committitur, non

est peccatum transgressionis et omissionis hujus præcepti ecclesiastici; unde non obstat, quominùs ille qui sic orat verè faciat opus, pro quo tale stipendium confertur, secùs verò est in defectu attentionis voluntariæ qui substantiam operis destruit.

CAPUT XXVII.

De loco et tempore in quibus canonicum officium recitari potest ac debet.

1. Ad has circumstantias revoco cæteras omnes externas, quas in modo dicendi privatim hoc officium servare oportet. Et de his vix aliquid dicendum superest, nisi de tempore : nam de loco, nihil ferè peculiare hìc occurrit, præter ea quæ de oratione vocali in genere dicta sunt. Unde concilium Basiliense, sessione 21, de modo privatim dicendi horas tractans, quoad locum solùm dicit : *Ac tali in loco, unde à devotione non retrahantur, ad quam se disponere et præparare debent.* De hâc ergo circumstantiâ nihil est ab Ecclesiâ specialiter præceptum ; sed decentia quam naturalis ratio postulat servanda est ; idemque est de præparatione prævià quam attigit concilium Basiliense ; solùm enim illa præparatio, quæ ad attentionem necessaria est de præcepto requiritur, reliqua sunt in consilio ut latè Navarrus, cap. 14, de Orat. Quod verò quidam dixerunt, necessarium esse ex præcepto Ecclesiæ has horas in Ecclesiâ recitare, saltem his clericis qui ratione beneficii illas dicere tenentur : non habet locum in hâc privatâ oratione, sed solùm in illâ quæ publicè in choro dicitur, quandò beneficium tale est, ut assistentiam in choro requirat ; de quâ obligatione, quomodò et cum quibus limitationibus intelligenda sit, in superioribus est dictum. Unde etiam illi qui ad chorum obligantur, si aliquâ ratione ab illius præsentiâ excusentur, licèt privatim teneantur recitare, non obligantur id facere in Ecclesiâ, quia nullum est jus quod hoc præceptum imponat ; est autem (cæteris paribus, et quando commodè fieri potest) consultiùs in Ecclesiâ recitare, eo modo quo de aliis orationibus diximus.

2. Atque eodem modo judicandum est de aliis circumstantiis pertinentibus ad situm seu habitum corporis, quæ sunt veluti modi aut affectiones ipsius loci, ut quòd oratio fiat ad orientem, vel ad aliam partem, quòd fiat genibus flexis vel stando, quiescendo vel ambulando, domi aut in campo, vel etiam in itinere : in his enim omnibus nihil est jure ecclesiastico præscriptum, quod simpliciter, et ex præcepto servandum sit, sed debita reverentia ac decentia servanda est. Et quando hæc oratio omninò secretè et in cubiculo fit, solius Dei et devotionis aut necessitatis propriæ rationem habere necesse est, tamen quando fit coram aliis, servandus est modus, qui aliis sit ad ædificationem, et non ad scandalum, item considerandum est, an in regulis seu ritu recitandi has horas cæremoniæ aliquæ vel peculiaris modus præscriptus sit, ut quòd aliquid dicatur genibus flexis, vel stando in uno tempore, vel alio : nam talia etiam in recitatione privatâ servanda sunt, si commodè fieri potest ; licèt singula non obligent sub rigore præcepti, secluso contemptu, maximè in hoc privato recitandi modo. Navarrus tamen, c. 26, de Orat. n. 7, ait peccare saltem venialiter eos qui sedent cùm stare debent, et è contrario ; sed ille loquitur de oratione publicâ in choro, et potiùs ratione levis scandali, quàm ratione cæremoniæ prætermissæ, ibi culpam agnoscit ; potest tamen in hoc etiam committi nonnulla culpa, si absque causâ fiat. Alia de his circumstantiis videri possunt in Navar., cap. 4 et 5, de Oratione.

3. Circa temporis circumstantiam paulò ampliùs immorandum est : supponendo inprimis, in hâc recitatione privatâ, non esse obligationem præcepti rigorosam, et sub culpâ mortali dicendi singulas horas illis præcisè horis, pro quibus ex institutione suâ designatæ sunt. Nec peccari mortaliter ex solâ antepositione, vel postpositione horarum, etiam merè voluntariâ, et sine causâ, dummodò sit intra tempus legitimum. Referri quidem solet opinio Umberti in regulâ S. Benedicti oppositum dicentis, sed ejus opinio communiter reprobata est, ut constat ex Silvestro, verbo *Hora*, q. 9, Angelo, num. 22, et aliis summistis ibi, Turrecremata, cap. *Presbyter*, d. 91, q. 2 ; Henrico, quodlibet. 11, p. 2 ; Navarro, cap. 3, de Orat., num. 58, 59, et cap. 10, num. 49 ; Marcellino, de Hor. can., cap. 25, qui alios refert. Ratio verò est, tum quia illa institutio præcipuè facta est pro oratione publicâ, quæ in choro fit, et per consuetudinem ita explicata seu relaxata est, quoad orationem privatam ; tum etiam quia ex causâ est hoc concessum et immutatum in cap. 1 de Celebr. missar., ubi permittitur clerico indigenti exire ad opus rurale, ut summo mane dicat omnes horas diurnas.

4. Unde ulteriùs supponendum est, cùm hoc præceptum obliget ad dicendum totum hoc officium quotidiè, obligationem uniuscujusque diei ; et tempus habile ad illam implendam, finiri in puncto mediæ noctis, quando unus dies naturalis finitur, et alter inchoatur. Ita docent omnes, ut videre licet in Silvestro, verbo *Hora*, q. 9, et aliis summistis ibi, Antonino, 2 p., tit. 9, cap. 13, § ultimo, et 3 p., tit. 13, cap. 4, § 4 ; Navarro, dicto cap. 3, num. 54, et quos allegat. Et ratio est quia obligatio hujus præcepti est quasi distributa per naturales dies ; et ita obligatio, quæ ad unumquemque diem pertinet, in termino ejusdem diei naturalis finitur. Ex quo principio sequuntur obiter duæ conclusiones certæ.

5. Prima conclusio est, eum qui usque ad mediam noctem finitam, horas, vel notabilem earum partem non dixit, peccâsse mortaliter, nisi per naturalem oblivionem vel aliam legitimam causam fuerit excusatus ; jam verò ampliùs non teneri ad horas illius diei proximè præteriti dicendas, quia jam tempus præcepti elapsum est, sicut qui omisit audire missam in die Dominico, vel jejunare in vigiliâ, non tenetur aliis diebus non præceptis jejunare, vel missam audire. Quia lex præcipiens aliquid pro tempore terminato, si pro illo non servetur, peccatum quidem committitur, et illius est pœnitentia agenda ; lex autem

non obligat ampliùs. De quo videri potest Major, 4, d. 12, q. 6, argum. 8, et Navarrus, cap. 10, num. 52. An verò postea per modum satisfactionis et pœnitentiæ, teneatur ille qui horas omisit, aliquid æquivalens recitare, vel hoc sit ei à confessore imponendum, tractant D. Thomas, quodlib. 3, q. 29, et Turrecremata, in c. *Presbyter*, d. 92, q. 4, ubi refert quosdam id asseruisse; sed sine fundamento. Vera ergo resolutio est, non esse id necessarium simpliciter sed juxta qualitatem peccati posse imponi pœnitentiam congruam in quocumque genere operis, quia nulla est lex, quæ aliam obligationem imponat. An verò in eo qui ex titulo beneficii tenebatur recitare, aliqua specialis obligatio maneat, in cap. ultimo videbimus.

6. Altera conclusio est, qui distulit horas præsentis diei in suis propriis temporibus, semper teneri usque ad horam mediam noctis ejusdem diei id recitare quod non dixit. Hoc etiam convenit inter omnes. Et ratio est clara quia toto illo tempore potest implere præceptum; ergo tenetur. Dices: Officium canonicum finitur in completorio, sed tempus completorii est in crepusculo usque ad initium noctis; ergo illo tempore finitur tempus officii illius diei; ergo qui usque ad illam horam non dixit, non tenetur ampliùs dicere. Respondeo, tempus illud esse proprium, et quasi omninò legitimum ad completorium dicendum, non esse tamen tempus habile adæquatum, sed hoc habere latitudinem usque ad dimidiam horam noctis, quia pro toto die præceptum latum et præfixum est, et ideò ratio non sequitur. Sed contra. Ergo qui tunc primam non dixerat, tenebitur eam dicere, et consequenter tunc dicet: *Jam lucis orto sidere*, quod est indecens et incongruum dixit D. Thomas, dicto quodlib. 3, q. 29. Unde Turrecremata, in cap. *Presbyter*, 91, q. 5, et ibidem cardinalis, n. 5, dixerunt, qui omisit matutinas usque ad prandium, non teneri illas dicere, sed jam peccâsse mortaliter, et idem de aliis horis cum proportione, quando nimia est dilatio. Sed est moralis error, et nullo modo probabilis, ut optimè prosequitur Navarrus, dicto c. 10, n. 50, et constat ex Antonino, Silvestro et aliis, in citatis locis; et ex ratione factâ, quia totum illud est tempus habile. Unde etiam falsum est dilationem matutini usque ad meridiem vel noctem esse peccatum mortale, quia nondùm est consummata omissio præcepti quoad substantiam ejus, sed impleri potest et debet. Nec illud inconveniens, quòd post occasum solis dicatur: *Jam lucis orto sidere*, magni momenti est, quia similia verba semper referuntur ad legitimum tempus, licèt in alio dicantur, sicut etiam privatim recitando matutinum sæpè dicimus: *Nocte surgentes*, etc., priusquàm ad lectum eamus, et similia.

7. Tertiò statuendum est nec venialiter peccare eum qui intra illud diei tempus, id est, ante completam mediam noctem, officium integrum dicit, etiamsi horas postponat, quando ex urgente et rationabili causâ id facit. Ita docent iidem doctores; sequitur enim consequenter ex illo principio quòd hæc dilatio non est contra substantiam hujus præcepti, nec est circumstantia adeò gravis, ut reddat actionem intrinsecè deformem; potest ergo ex justâ causâ prætermitti sine labe peccati. Dubitari autem potest an solâ voluntate hoc facere sit aliqua culpa, ut, verbi gratiâ, quia nunc commodiùs lego, vel ad studium sum nunc magis propensus, cùm tamen aliàs æquè benè possem nunc proprio et opportuno tempore talem horam dicere, et postea studere, vel quid simile? Quibusdam enim videtur hoc esse omninò liberum et arbitrarium, et ita posse fieri sine culpâ, licèt consultiùs et meliùs sit tempora horarum in eis orandis servare. Potestque hoc suaderi eisdem rationibus quibus probabamus hoc non esse peccatum mortale: nam illæ ostendunt nullum dari ecclesiasticum jus scriptum, quòd aliud præcipiat. Nam Clem. I, de Celebrat. missar., loquitur de recitatione in choro, ut supra vidimus, et ab uno modo ad alium non sumitur efficax argumentum, quia est longè diversa ratio, ut omnes fatentur: nam ad actiones publicas multò majori ratione præscribuntur certa et determinata tempora, quia oportet esse ita statuta ut populus possit ad eas congregari, et quia major solemnitas, majorque repræsentatio mysteriorum in eis fit. Caput autem primum de Celebratione missar. non dicit esse causam necessariam, ut illa mutatio temporis privatim fiat; et præterea, licèt jus antiquum hoc habuerit, vel doctores ex illo id collegerint, consuetudine receptâ videtur derogatum; nam omnes qui privatim recitant, pro suâ commoditate horas dicunt et postponunt sine ullo scrupulo. Alii nihilominùs censent non declinari culpam venialem, si absque ullâ causâ id fiat, tum quia est contra jus, tum quia aliàs multa dicuntur in hymnis horarum, quæ temporibus in quibus dicentur non convenient; tum denique quia aliàs liceret sine causâ dicere primam à prandio, et completorium ante prandium, et similia, quæ rectæ rationi dissonant. Et in hanc partem videtur inclinare Navarrus, cap. 3 de Orat.; et Marcellinus, cap. 25, qui et sanctorum Patrum regulas, et exempla, ac revelationes, et rationes varias in hujus sententiæ favorem adducit.

8. Existimo has sententias esse sano modo intelligendas, et ita moderandas ut non fiant contrariæ, sed mediam quamdam simul doceant. Itaque quædam est moderata et consueta postpositio horarum, quam communiter ferè omnes faciunt sine scrupulo, ut est, verbi gratiâ, quòd prima dicatur post duas vel tres horas ab ortu solis simul cum tertiâ, vel sextâ, et similes. Aliæ verò sunt dilationes inusitatæ et extraordinariæ, quæ absque urgente causâ ab hominibus mediocri diligentiâ tractantibus res divinas fieri non solent, ut recitare primam propè noctem, et similes. Prior ergo dilatio fieri potest sine peccato, etiam veniali absque aliâ causâ præter consuetudinem, et ratione illius; posterior verò minimè, contrariâ ratione, quia non est talis consuetudo. Nec esset rationabilis; nam prior dilatio fundata videtur in necessitatibus communiter ac moraliter occurrentibus, et licèt interdùm ac sæpiùs possit non occurrere, tamen lex naturalis non obligat cum tanto rigore, quia non possunt hanc curam et sollicitudinem habere, nisi homines valdè perfecti, et

in suis actionibus commensurandis ac distribuendis multùm considerati. Atverò posterior dilatio non habet rationem moralem communem omnibus, etiam regulariter, vel frequenter, sed ex solâ negligentiâ ordinariè nascitur, estque periculis exposita, vel omittendi aliquid, vel saltem malè orandi nimiâ celeritate, et ideò non potest tanta licentia sine causâ esse inculpabilis. Et hoc tantùm probant quæ Navarrus et Marcellinus adducunt : nam Basilius, Benedictus, et alii Patres regulas præscribebant solitariis monachis, qui et perfectionem profitentur, et facilè possunt privatas occupationes interrumpere. Unde inter eos illa tunc maximè vigebat consuetudo, quæ servanda erat. Et inde accidere potuerunt illæ visiones et revelationes, quibus ostensum est præmaturas vel tardas recitationes Deo non placere, vel in Purgatorio puniri; præterquàm quòd facilè in his rebus interveniunt culpabiles negligentiæ, vel sollicitudines seculares, minùs decentes ecclesiasticas personas, quæ non excusant recitandi tarditatem.

9. Atque hinc à fortiori constat licitam esse antepositionem ex causâ intra tempus legitimum totius diei; sine causâ verò aliquam moderatam esse licitam, ut dicere primam per horam ante solis occasum, et matutinum in principio noctis præcedentis diei; aliquam verò esse posse nimiam, et non carere culpâ veniali, si absque causâ fiat, ut dicere completorium ante prandium. An verò aliqua anticipatio sit contra substantiam præcepti, mox videbimus. De illis ergo quæ non sunt contra substantiam præcepti, omnia dicta sunt clara, quia eadem est vel major ratio in anticipatione quàm in postpositione. Imò communis sententia est, si alterutri favendum est, consultiùs esse anteponere quàm postponere. Ita Henricus, Paludanus et alii supra citati; Innocentius et omnes canonistæ in cap. 1, de Celebr. miss.; et ratio est clara, quia, cæteris paribus, præponere minùs habet incommodi ac periculi, et indicat majorem diligentiam, unde si utrumque malè fiat, minùs mala est antepositio intra latitudinem venialis; si verò sine peccato utrumque fieri possit, laudabilior est maturatio. Dico autem, *cæteris paribus*, quia si antepositio nimia futura est et inusitata, eligenda potiùs esset dilatio, ut si completorium dicendum esset summo mane, vel post decimam horam noctis, minus malum esset sic postponere, si alioqui æquè benè et securè speretur esse dicendum. Nam hujus conditionis maxima ratio et consideratio in his horis dicendis habenda est. De vesperis autem solet specialiter quæri an possint etiam ante prandium interdùm dici ex ordinariâ causâ, etiam sine culpâ veniali; ad quod breviter respondeo faciliùs posse ita anteponi quàm completorium, quia non ita accedit vespera ad nocturnum officium, sicut completorium. Unde in cap. 1, de Celebr. miss., etiam vespera permittitur dici summo mane ex causâ : nam licèt in eodem cap., prout habetur in cap. *Presbyter*, d. 91, illa particula : *Et vesperam*, omittatur, satis est quòd à Gregorio IX, vel addita sit, vel alicubi inventa et retenta. Estque ex contextu evidens vesperam ibi inclusivè numerari cum aliis horis, ut etiam expositores .ntellexerunt. Addendum denique est hoc intelligi de regulari tempore anni; nam in Quadragesimâ regulare tempus vespertini officii est ante prandium, ut supra vidimus, et ita est optimum consilium illud servare, etiam in privatâ recitatione. Non tamen existimo esse culpam aliquam, etiamsi postponatur, quod etiam docuit Navarrus, cap. 2 de Orat., num. 14, cum Cajetano, Silvestro et aliis.

10. Tandem est hoc loco observanda quædam differentia inter postpositionem et antepositionem horarum, quia nulla postpositio licita est post terminum diei naturalis, qui est medium punctum noctis; atverò antepositio aliqua major est licita in solis matutinis cum laudibus. In aliis enim horis minoribus terminus possibilis ad illas sine mortali peccato anticipandas, est principium diei naturalis, quod sumitur à puncto noctis dimidiæ antecedentis diem artificialem. Itaque si ante duodecimam horam primæ noctis diei naturalis prima dicatur, non impletur præceptum, sed repetenda est perinde ac si non esset dicta. Idemque à fortiori est de posterioribus horis diurnis et vespertinis. Et ratio est quia hoc præceptum, sicut non obligat post diem naturalem, ita nec ante illum (quantùm est ex vi præcepti) impleri potest, quia imponit onus pro tali tempore. Sicut non implebit quis jejunium pro feriâ sextâ impositum, jejunando in quintâ. Unde hìc non habet locum ratio quâ solent in hâc materiâ uti auctores, quia creditor semper gaudet anticipatâ solutione; habet enim hoc verum in debito quod non est onus certi temporis, non verò in debito quod habet specialem respectum ad certum tempus.

11. Ab hâc verò regulâ excipitur matutinum officium : nam illud integrum dici potest ante dimidiam noctem propriæ diei ad quam pertinet, ut omnes docent, et constat ex communi consuetudine. Quæ est tota ratio extensionis hujus præcepti : cùm enim rigor ille dicendi matutinum in dimidio noctis tempore in tantâ multitudine hominum servari moraliter non posset, et periculosum esset tam gravem obligationem sub peccato omnibus imponere, permissum est mutationem aliquam in eo tempore facere. Et ne cogerentur omnes postponere officium noctis in sequentem diem, consuetudine introductum est, ut possit etiam anteponi, vel quia prævenire ex suo genere melius est; vel quia si omnes cogerentur postponere, multi exponerentur periculo vel omittendi, vel nimiùm postponendi; vel certè quia solum matutinum propriissimè est nocturnum officium, et nox incipit ab occasu solis, ideò potiùs hoc officium quàm reliqua usque ad initium noctis anticipatum est. Accedit quòd verisimile est à principio institutionis hoc officium quoad nocturnos interdùm fuisse inchoatum ante mediam noctem, et ideò potuit facilè consuetudine hoc ampliari. Unde etiam in publico officio videmus interdùm inchoari ab Ecclesiâ ante solis occasum in triduo passionis Domìni; quid ergo mirum, quòd in privatâ recitatione ita fuerit tempus hoc prorogatum?

12. Quæri autem solet quanta possit esse anteposi-

tio quæ sufficiat ad implendum præceptum. In quo ad minimum certum est ab occasu solis semper esse legitimum tempus; de hoc enim nullus dubitat, et consuetudo id satis ostendit. Deinde etiam dimidiâ horâ ante occasum solis id licet sine ullâ formidine, etiam in hieme, licèt aliqui scrupulosi timeant, sed sine fundamento, quia consuetudine ita receptum est, et si in æstate licet, nulla est ratio cur in hieme non liceat, ut statim dicam. Aliqui verò censent majorem anticipationem non esse licitam, inde argumentum sumentes, quòd sæpè per privilegia pontificia conceditur facultas dicendi matutinum unâ horâ ante occasum solis: nam hoc est signum sine privilegio id non licere. Sed hoc argumentum infirmum est, tum quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur, vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam, vel quia quod petitur ex rigore juris non licet, et pendet ex consuetudine, quæ incerta vel varia esse potest, ut reverà contingit in casu præsenti, et ideò datur privilegium, quod et juri communi derogare potest, et plus concedere quàm fortassè introduxerit consuetudo.

13. Est ergo in hoc puncto quædam responsio D. Thomæ, quæ utinam tam clara esset in sensu quàm in verbis omnibus est nota; ille enim in quodlibet 5, art. 28, inquirit an liceat dicere matutinum diei sequentis *de sero* antecedentis diei? et respondet, ex justâ causâ, id est, propter honestam occupationem dici posse, in quo supponit tempus illud esse habile, et ita sufficiens ut si absque causâ id fiat, ad summum sit peccatum veniale, non mortale; aliàs discursus ejus nullius esset momenti. Deinde verò, in solutione argumenti, explicans quid temporis comprehendatur per illam particulam, *de sero*, ait esse tempus quod proximè sequitur *post dictas vesperas et completorium*, quia *quantùm ad divinum officium et solemnitatum celebritatem, dies incipit à vesperis*. Hæc D. Thomas; in quibus verbis statim occurrit dubium de quo tempore vesperarum vel completorii intelligenda sint; quidam enim restringere illa volunt ad legitimum tempus in quo secundùm primam institutionem completorium esset dicendum. At hoc modo illa potiùs esset temporis restrictio quàm ampliatio, quia tempus legitimum completorii est post occasum solis jam nocte inchoatâ, ut supra vidimus; divus Thomas autem apertè voluit ampliare tempus illud; et ideò requirit rationabilem aliquam causam illius anticipationis, ut, verbi gratiâ, quia magister vel concionator indiget tempore noctis ad studendum, vel aliud simile. Alii volunt verba illa extendere ad quodlibet tempus, in quo vesperæ et completorium possunt nunc juxta communem usum privatim recitari absque culpâ, etiam sine causâ. Et hæc videtur ampliatio nimia; sic enim horâ secundâ post meridiem posset dici matutinum, quod sine dubio dicendum non est, quia neque consuetudo hoc habet, neque ipse summus Pontifex hanc licentiam concedit, nisi cum magnâ difficultate, et non ex levi causâ.

14. Videtur ergo hoc exponendum de tempore completorii, quod ordinariè et juxta communem ferè consuetudinem Ecclesiæ in publicis officiis servari solet, quod esse solet inter tertiam et quartam horam post meridiem. Atque ita censeo sine ullo scrupulo posse dici matutinum ab horâ quartâ postmeridianâ, tam in æstate quàm in hieme; nullam enim in hoc differentiam facio, cùm distantia usque ad mediam noctem, et antepositio eadem sit; et ratio D. Thomæ in utroque tempore æqualiter procedat; et hæc est communis consuetudo Romana, quam ubique sine scrupulo acceptari videmus. Quod si alicubi fortassè alia vigeat consuetudo, consultum quidem erit servare illam, non est tamen facilè admittenda, ut obligationem inducens, tum quia reverà tempus illud vespertinum jam reputatur à totâ Ecclesiâ legitimum ad recitandum matutinum; tum etiam quia supposità consuetudine extendente tempus officii sequentis dici quoad matutinum usque ad vesperam antecedentis diei, illa major vel minor anticipatio per tempus unius horæ, non videtur res tanti momenti, ut censeri debeat gravis culpa in illâ discordare à privatâ consuetudine alicujus loci, et Romanæ ac ferè universali conformari. Unde si aliqua honesta congruentia accedat, ut est necessitas studii ad finem honestum, nulla erit culpa, eademque ratio est de quâcumque aliâ honestâ occupatione. Item sufficit major commoditas dicendi matutinum in luce diei quàm lucernæ, et major securitas anticipandi illud quàm in postponendo, et similia, quæ frequenter occurrunt. Atque hæc sufficiunt de tempore necessario vel congruo ad horas privatim dicendas. An verò in die festo dici possint eodem tempore quo auditur missa, et simul satisfieri utrique præcepto, alibi fusiùs tractavi.

CAPUT XXVIII.

Quibus de causis excusetur à culpâ clericus non recitans officium canonicum ad quod tenetur.

1. De his excusationibus tractant specialiter circa hoc præceptum omnes doctores, et ideò necessarium est illas attingere, quamvis materia ferè communis sit ad omnia ecclesiastica præcepta, de quâ alibi dixi multa, quæ in præsenti applicari possunt, servatâ proportione. Est enim notanda differentia inter hoc præceptum, et illud de audiendâ missâ, de quo jam tractavi, quòd recitatio horarum, de quâ agimus, est actio privata, quæ domi et secretò fieri potest, sine communicatione cum aliis; actio verò audiendi missam, juxta ordinariam legem, debet fieri in ecclesiâ non interdictâ, aut alio modo impeditâ, et de se est actio publica, in quâ cum sacerdote et aliis fidelibus communicatur. Ex quâ differentiâ oritur ut multa excusent ab audiendâ missâ eo tempore quo occurrit præceptum, quæ non excusant à recitatione horarum. Sequitur ut etiam nonnullæ causæ excusationum, quæ utrique præcepto communes sunt, non eodem modo, et cum eisdem circumstantiis in utroque expendendæ sint et applicandæ.

2. Primò ergo in hoc præcepto locum non habet excusatio ob spirituale impedimentum, quod à censu-

ris ecclesiasticis provenire solet, præsertim ab excommunicatione et interdicto, ratione quarum prohibetur quis, ne dùm sic est ligatus, missam audire valeat. Non est autem ita in præsenti : nam quilibet, etiamsi excommunicatus sit vel interdictus, potest septem horas privatim recitare, atque etiam in loco interdicto, ac propterea si alioqui sit persona quæ ad illud recitandum tenebatur, non excusatur ab observatione præcepti propter censuras, quia cùm possit sine peccato illud explere, non est cur reportet commodum ex culpâ neque ex censurâ. Item si quis teneatur ex voto dicere horas, non excusabitur propter excommunicationem; ergo nec qui tenetur ex præcepto Ecclesiæ. Et hæc est sententia communis.

3. Alia excusatio ex titulo etiam quodammodò spirituali, esse solet ignorantia, quæ distingui potest in ignorantiam juris et facti. De ignorantiâ juris nihil est quod dicamus, quia in hoc præcepto ferè non potest esse probabilis et ad excusandum sufficiens, præsertim in clericis in sacris, et in habentibus beneficium, quia præceptum est tam publicum et notum, ut non possit invincibiliter ignorari, maximè ab his qui tenentur sui statûs obligationem agnoscere. Aliquando verò posset hæc ignorantia esse inculpabilis in aliquo religioso vel religiosâ ignorante, præsertim, si adhibeat fidem alicui viro vel confessori, quem probum et doctum esse existimat. Item potest esse invincibilis in puero, qui pensionem aut ecclesiasticum beneficium recipit in tenerâ ætate, quando per se non potest satis advertere ad hujusmodi obligationem, nec in cogitationem ejus venit, neque ab illis instruitur, qui eum docere tenentur; peccabunt enim illi, ipse verò omittens excusabitur. An verò non obstante excusatione oriatur obligatio restituendi, in capite sequenti dicemus.

4. Ad ignorantiam verò facti reducitur naturalis oblivio, quæ potest quidem contingere in die circa unam vel aliam horam; nam circa totum diei officium, non potest moraliter talis oblivio inveniri, nisi fingatur aliquis toto die dormiens aut ebrius, de cujus culpâ, juxta modum causæ et voluntarii quod in illâ præcessit, judicandum est. Naturalis ergo oblivio, si reverà talis sit, omissionem à culpâ excusat, sive sit unius, sive plurium horarum, quia illud dicitur naturaliter oblitum, quod in mentem non venit, et ideò voluntarium non est, ac proinde neque peccatum. Erit autem hæc oblivio naturalis, quando neque obligatio recitandi, nec recitatio ipsa actu venit in mentem ante lapsum tempus obligationis, neque per hominem moraliter stetit quominùs aliquid occurreret quod illam memoriam excitaret. Si enim homo aliquoties expertus sit solere se oblivisci alicujus horæ, quando consueto tempore illam non recitat, vel quando aliis negotiis vel studiis nimis occupatus est, prævenire debet modum aliquem vel signum quo memoria excitetur, et tunc si per negligentiam hoc omitteret, posset illi ad culpam imputari oblivio; potest autem hæc ipsa occasio seu necessitas hujusmodi præventionis facilè propter solam inadvertentiam omitti, et ideò regulariter hæc oblivio in hominibus timoratis excusare solet, saltem à gravi culpâ.

5. Aliud genus excusationis sumunt aliqui ex ignorantiâ recitandi, ut quando is qui accipit ordinem sacrum aut beneficium pro aliquo tempore recitare nescit, nec socium commodè habere potest, à quo juvetur in ipsâ recitatione : hic enim, supposito illo statu, videtur excusari pro aliquo tempore, dummodò in illo moralem diligentiam faciat ad addiscendum; alioqui jam esset in morâ, et eâ ratione non excusaretur. Atque ita hunc excusat Navarrus, cap. 11, de Orat., num. 21, loquitur autem, ut dixi, supposito tali statu. Dixerat enim in num. 20, regulariter peccare hujusmodi homines suscipiendo ordinem vel beneficium cum tali ignorantiâ; peccat enim qui officium aut beneficium suscipit, cùm sit ineptus ad obligationem ejus explendam, propter inscitiam, quam supplere, aut expellere non potest, priusquàm in debito munere deficiat.

6. Meritò autem dixit Navarrus in hoc posteriori puncto *regulariter*, quia si quis propter necessitatem aliquam aut occasionem urgentem id faceret, bonâ fide sperans ab aliquo fore juvandum, posset interdùm excusari à culpâ in receptione ordinis aut beneficii, maximè quando immineret periculum, vel carendi beneficio, vel non recipiendi ordinem per multum tempus, si illam occasionem differret. In priori autem puncto ego non omninò acquiesco : nam si talis clericus scit latinè legere, et intelligit saltem rubricas et regulas Breviarii, non video cur excusari debeat propter illam inscitiam à substantiali, ut sic dicam, recitatione horarum; nam sine magno labore potest statim eodem die invenire psalmos talis feriæ vel talium horarum, et lectiones, capitula et hymnos, saltem feriales cum oratione Dominicæ, vel alicujus sancti, vel de communi, juxta exigentiam temporis, quod vix potest ignorari. Minusque incommodi est quòd in hoc ordine vel integritate plures defectus leviores committantur, quàm quòd totum officium omittatur, quia illi defectus, suppositâ illâ impotentiâ, non imputantur ad culpam, et alioqui cùm privatim fiant, non afferunt scandalum neque indecentiam, et ita manet oratio grata Deo et utilis Ecclesiæ; cur ergo excusabimus illum hominem, quominùs satisfaciat suæ obligationi, prout potest; nam qui non potest solvere totum debitum, debet solvere quod potest, maximè si potest reddere id quod est substantiale in ipso debito. Secùs verò esset, si quis esset tam ignarus ut neque legere sciret; tunc enim haberet locum excusatio Navarri; non posset tamen excusari à gravi culpâ indignè suscipiendi ordines aut beneficium, quæ virtute et in causâ includeret omissiones divini officii ob eam causam futuras. Et ideò talis persona obligatur ad moralem diligentiam, ut defectum illum suppleat, et indignitatem à se expellat; alioqui semper aggravabitur culpa, et quoad beneficium non poterit illud tutâ conscientiâ retinere, quia est illo indignus.

7. Tandem ad hanc excusationem reducitur carentia Breviarii; illa enim pro tunc est ignorantia quæ-

dam quæ impotentiam recitandi inducit, et ideò excusat, quia nemo tenetur ad impossibile. Contingere autem potest hæc causa excusationis, vel sine culpâ, vel cum illâ, sine culpâ, ut si in itinere vel navigatione Breviarium amittitur, vel furto aufertur, et tunc clara est excusatio, tam antecedentis culpæ, quàm consequentis. Culpabiliter autem caret quis libro, vel quando ordinatur non habens illum, nec moralem spem habendi illum tempore congruo, vel quandò voluntariè projicit illum in mare, verbi gratiâ, vel in ignem. Et tunc omissio postea futura in illâ causâ, voluntaria est, et quoad veram, et internam malitiam ibi committitur, quatenùs moraliter prævisa est. Postea verò, licèt tempore omissionis propria nova culpa non committatur, ratione impotentiæ, nihilominùs ex illâ poterit quis obligari ad restitutionem, juxta dicenda c. seq.; et tunc censuram incurreret, si lata esset; illa enim non incurritur usque ad tempus omissionis, et ideò vocant aliqui illam omissionem peccatum saltem externum, sed est quæstio de nomine; nam in re constat non esse novam culpam.

8. Ut autem prior culpa antecedens discernatur, adverto duo : unum est, pro casu in quo aliquis recipit ordinem subdiaconatûs, ille enim non tenetur dicere integrum officium illius diei, sed solùm vespertinas horas, verbi gratiâ, vel ad summum, Nonam, si circa meridiem ordinem recepit, quia solùm tenetur ad illas horas, quæ correspondent tempori in quo cœpit obligari. Nam licèt antecedentes horæ possent postponi, tamen et illud est quasi privilegium, quo aliquis uti non obligatur; et obligatio, quæ nunc incipit, non retrotrahitur ad præteritum diei tempus. Non obligatur autem aliquis ad recitandum horas cum postpositione earum, nisi quando præcessit obligatio dicendi illas in propriis temporibus, et tunc illa impleta non est. Atque ita, licèt non excusetur quis à totâ culpâ ita suscipiens subdiaconatum, excusabitur à tantâ, et poterit facilè excusari à totâ, si speret per alienum librum posse recitare minores horas quæ in illo die supersunt, et intra totum diem sequentem librum comparare.

9. Circa alium verò casum voluntariæ amissionis Breviarii, advertendum est duobus modis posse illam carentiam seu impotentiam voluntariam fieri, primò directè, et tunc maximè procedunt quæ diximus, quia tunc culpa antecedens est maximè inexcusabilis. Alio verò modo potest ibi intervenire indirectum voluntarium, ut quando per negligentiam culpabilem aliquis iter aggrediens domi relinquit Breviarium. Et in hoc eventu si quis bonâ fide processit, existimo facilè posse excusari à gravi culpâ respectu omissionis recitandi, quia ordinariè videtur esse illa oblivio naturalis, et vix potest aliter contingere, quando bonâ fide proceditur. Unde negligentia, quæ ibi intervenit, vel est levis, et adeò humana, ut non sufficiat ad voluntarium perfectum, vel est adeò remota respectu effectûs non recitandi, ut non sufficiat ad voluntarium in causâ, quia tunc non videtur defectus sufficienter prævisus.

10. Interrogabit autem aliquis an in eo casu teneatur quis memoriâ recitare officium, vel notabilem partem si valeat? Soto enim, lib. 10 de Just., quæst. 5, art. 3, post secundam conclusionem, dubitat de hâc obligatione, *quia accidentarium*, inquit, *est quòd horæ memoriâ teneantur*. Sed non videtur referre multùm quòd sit accidentarium, si de facto comparata est illa facultas, quâ potest impleri præceptum, sicut si per miraculum recuperaretur Breviarium, accidentarium id esset, et nihilominùs statim esset obligatio recitandi; sic ergo, postquàm contigit hunc hominem memoriâ retinere librum, videtur planè teneri, quia potest, et qui debitor est tenetur solvere eo modo quo potest, et si non potest totum, reddat saltem partem; nam ad hoc etiam tenetur. Item si ille potest cum socio recitare, vel mutuò habere librum, tenebitur etiam cum aliquo labore et difficultate id facere, ut suo muneri satisfaciat; ergo, si memoria subministret verba sufficientia ad recitandum tenebitur quis recitare, etiamsi libro careat, quia neque præceptum obligat ad recitandum per librum, neque requirit, ut conditionem necessariam, potestatem dicendi per librum. Quocirca si casus ita ponatur, ut reverà sit in potestate hominis dicere totum officium absque libro, saltem quoad substantiam ejus, non video cur non sit in eo casu obligandus, ut probant argumenta facta. Imò licèt non posset omnes horas dicere, si tamen posset aliquas, vel aliquam recitare, deberet illam dicere, dummodò integram dicere possit, quia verò moraliter hoc non contingit; ideò hæc carentia Breviarii reputatur impotentia simpliciter. Neque obligatur aliquis ad dicendum psalmos, aut orationes, aut partes horarum, quia illæ ut sic non sunt horæ canonicæ, neque officium divinum, ad quod tantùm recitandum clericus obligatur. Atque hoc homo sentit Navar., c. 11 de Orat., num. 15, quamvis aliter distinguere videatur, de quo statim dicam.

11. Tertia principalis excusatio solet esse ex parte corporis, ob aliquam impotentiam ejus. Ad hanc autem excusationem declarandam, præmitto eum, qui loqui non potest, vel excusationem habet legitimam ad non proferendum ore, ea, quæ ad recitandum necessaria sunt, eo ipso excusari ab onere recitandi per alium, sive audiendo illum, sive non audiendo. Nam inprimis non est præceptum audiendi, sicut est præceptum de audiendâ missâ; neque est præceptum mentaliter orandi purè, quia hoc non cadit sub præceptum humanum, vel saltem certum est, non esse de hoc latum. Est ergo præceptum recitandi vocaliter, qui ergo loqui non potest, vel non loquitur propter legitimam excusationem, excusatur à substantiâ præcepti, et consequenter neque audire tenetur, neque interiùs attendere. Et hæc est sententia communis Paludani in 4, d. 15, q. 5, num. 19, et canonistarum in c. 1. et c. *Dolentes* de Cel. mis. et in Clem. 1, eodem titulo, et summistarum, verb. *Hora*, Silvestri q. 4, qui refert Innocentium et Panormitanum c. *Ex parte*, de Observat. jejunii. Idem Navarrus, d. c. 11, num. 6, ubi refert quemdam Girardum in

tract. de Assiduitate orandi q. 4, contrarium dixisse, ejus verò sententiam meritò rejicit, quia nullo jure fundata est, igitur sicut supra diximus, eum, qui in choro devotè, et attentè audit, et nihil dicit, non satisfacere præcepto recitandi, ita ob rationem similem, qui nihil dicere potest, neque audire obligatur.

12. Prætereà dictum est supra hoc onus recitandi personale esse, qui ergo illud per se explere non potest, neque alium substituere tenetur, qui loco sui dicat. Imò licèt illum substituat, et illi stipendium conferat, et alter recitet, nihilominùs in re ipsâ non fit, quod præceptum erat, sed fit quædam pia actio non præcepta, quæ per se non sufficeret ad excusationem culpæ, si aliàs non interveniret sufficiens excusatio. Et ideò etiam diximus, eum, qui gratiâ studii, vel alterius absentiæ legitimæ per alium inservit beneficio, non excusari ab onere recitandi, quamvis substitutus recitet etiam ex obligatione stipendii, et pacto cum beneficiario, ut rectè etiam docuit Navar. d. c. 11, num. 32 et 33. Ergo eâdem ratione, qui per se recitare non potest, nec per alium recitare tenetur, sicut etiam, qui hodiè recitare non potest, non tenetur crastinâ die recitare, quia illud est onus talis temporis, ut supra diximus; ergo multò magis onus, quod personale est, non debet per alium impleri, quando persona ipsa excusatur.

13. Dixi autem, hanc regulam esse intelligendam de illo, qui non potest dicere ea, quæ saltem necessaria sunt, ut recitare simpliciter dicatur, quia si potest commodè eam partem dicere, quæ ad recitandum sufficit, non habebit locum excusatio. Unde sequitur, eum, qui non potest dicere solus, quia nimirum gravatur, aut aliud justum impedimentum habet si possit dicere cum socio, et illum ad manum habeat, sine magno onere, et difficultate, non excusari à recitando. Quia ille non potest dici impotens; nam quod possumus per juvamen alterius, simpliciter possumus, maximè quando auxilium illud facilè habere possumus. Atque ita sentit Navarrus dicto cap. 11, num. 11, et sequentibus.

14. Hinc autem inprimis oritur dubium de cæco, an habeat sufficientem excusationem non recitandi officium? Multi enim censent non excusari, Navarrus, d. c. 11, num. 13, quem sequitur Graffis lib. 2 Decis., c. 53, num. 4, Azor, lib. 10, c. 13, q. 3, cum hâc tamen limitatione, ut dicere possit, vel memoria si ex longâ consuetudine officium retinuit sufficienter, vel si potest commodè habere socium, et cum illo dicere alternis versibus psalmos, et lectiones, et alia audire. Alii nihilominùs negant cæcum teneri ad recitandum. Ita Armilla ver. *Hora*, num. 16, et Toletus 2 lib., Instruct., c. 14, Soto d. art. 3, qui adhibet limitationem de recitando memoriter, si potest. Sed de cæco perinde judicandum censeo, ac de illo, qui breviarum non habet, in hoc enim conveniunt, quòd uterque legere non potest, et hæc est formalis ratio excusationis; materiale autem est, quòd illa impotentia ex diversis causis nascatur. Igitur quod diximus de recitando memoriter, quando deest copia libri, cum eâdem proportione in cæco locum habet. Et eâdem ratione, si cum socio possit partem suam memoria dicere saltem quoad versus psalmorum, et sine difficultate, vel magno sumptu juxta personæ qualitatem possit socium habere, non video cur debeat excusari. In his ergo duobus punctis placet mihi sententia Navarri qui meritò consequenter affirmat, sacerdotem habentem pinguem præbendam, qui cum famulo, vel capellano recitare solebat, cùm esset sanus, non excusari à recitando, eo quòd cæcus fiat, si cum eâdem facilitate id facere possit, ac antea faciebat.

15. In hujus doctrinæ confirmationem inter declarationes cardinalium ad Conc. Trid., sess. 24, c. 12, hæc verba invenio : *Cæcus non excusatur à recitatione suarum horarum, si beneficium obtineat, licèt in aliis sit privilegiatus;* sed fortassè hæc verba magis intelliguntur de recitatione in choro, quàm de recitatione privatâ. Nam præbendatus cæcus, si aliud impedimentum non habet, non est cur excusetur à residentiâ, seu assistentiâ in choro, quia ad illam tenetur ex vi sui beneficii, et illam potest facilè exhibere, cur ergo excusabitur? Unde etiam fit, ut teneatur ibi recitare, prout potuerit, quia beneficium obligat illum ad recitandum, satisfaciet autem hujusmodi cæcus attendendo ad ea, quæ alii dicunt, et dicendo cum suo choro, si potuerit; quod si fortassè non potuerit, quia vel memoriam non habet, vel alios canentes in suo choro non intelligit, neque eos sequi potest, non tenetur iterùm posteà privatè recitare, sed proferendo versus psalmorum, quos potuerit, satisfaciet, quia per illum non stat, sed facit, quod in ipso est, neque sunt tot onera illi imponenda. Unde obiter adverto, majori quâdam ratione posse obligari cæcum habentem beneficium, per quod est choro addictus ad recitandum cum socio, quando non vult interesse choro, quàm obligetur simplex sacerdos; nam beneficiarius semper retinet de se illam obligationem chori, quam ibi implere posset, et deberet per se loquendo, et ideò, si absit, meritò obligatur, ut recitet faciendo, ut sic dicam, privatum chorum. Item beneficium datur propter hoc officium; ergo ratione stipendii obligari potest ad quærendum adjutorium, quo possit officium suum implere, quando fructus beneficii ad hoc sufficiunt, et sine magno gravamine id facere potest. In simplici autem clerico, vel religioso, non ita urget hæc ratio, quia in illis non est propria obligatio justitiæ, sed religionis, vel obedientiæ; et ideò non videntur propriis expensis obligari ad alendum socium, cum quo possint divinum officium dicere. Si tamen sine sumptibus possent illum habere per modum amicabilis societatis, non videntur excusari.

16. Sed quid si cæcus nihil posset memoriâ dicere, nec sine socio, nec cum illo, numquid tenebitur ita dicere cum socio alternatim, ut non tantùm audiat illum omnia dicentem, sed etiam cum illo simul dicat saltem versus ad se pertinentes? Quòd enim hic modus

sufficiens sit in omni rigore ad implendam hujus præcepti obligationem per se notum est; est item hic modus facilis, et non addit grave onus, præter curam habendi socium, qui velit illud onus portare. Sed de hoc puncto nihil invenio ab auctoribus dictum, unde videntur non agnoscere talem obligationem. Nam qu absolutè dicunt cæcum excusari, maximè id affirmabunt, quando nullo modo potest uti memoriâ ad recitandum, et fortasse nil aliud intendunt. Qui verò solùm in casu memoriæ illam obligationem imponunt, quasi per modum exceptionis, consequenter videntur firmare regulam in contrarium extra illum casum. Ego igitur consulerem quidem recitare illo modo, sed nihilominùs censeo obligationem non esse imponendam quia est diligentia extraordi ria, et de se satis onerosa, ad quam non videtur obligare generale præceptum. Solùm in beneficiato, qui tenetur in choro assistere officio, et dicere prout potest, habere potest hoc dubium, quando à choro abest. Verumtamen si absentia sit, vel pro illis mensibus, in quibus non tenetur adesse, vel sit ex legitimâ excusatione, tunc non magis ille obligabitur ad postea recitandum illo modo, quàm alii clerici, quia tunc ex vi beneficii non inducitur peculiaris obligatio. Si autem absentia sit, et in tempore obligationis, et sine legitimo impedimento, non video quomodò possit excusari à culpâ gravi, si neque in choro, neque extra chorum dicat officium saltem illo modo, si aliter dicere non potest. Imò qui illo modo, non posset extra chorum dicere, peccaret graviter omittendo chorum, quia non implet obligationem suam absque legitimo impedimento, ut supponitur.

17. Simile dubium potest tractari de surdo, sed in illo breviùs expediri potest. Nam si, simul est surdus et cæcus, clarum est non teneri ad recitandum nisi quantùm memoria juvare potest, juxta modum supra declaratum, quia ille non potest auxilio socii uti, ut per se notum est. Si autem sit tantùm surdus, et non cæcus, cùm possit legere, per se potest solus officium dicere, ac subinde tenebitur, quia tunc surditas nullam affert excusationis causam, sive ille se ipsum dicentem audiat (quod fortasse ita semper contingit) sive non audiat, quia satis est, ut possit mente attendere, et cognoscere quid dicat, et an rectè dicat. Nam præceptum per se non obligat ad audiendum, sed ad dicendum. Quòd si talis persona aliunde sit legitimè impedita, nec sola dicere possit, nec tenetur dicere cum socio in hoc casu, quia cùm surdus non possit socium audire, ineptus omninò est ad recitandum cum illo, tùm quia necessariò omittit totam illam partem, quam alius profert, et ipse non audit, et consequenter non recitat verum canonicum officium, neque aliquam eis horam; tum etiam, quia non potest illi commodè respondere, nisi vel per conjecturam, vel diligentem observationem motûs laboriosum alterius, quæ sollicitudo nimia est, et ad illam præceptum non obligat, nec videtur posse moraliter fieri cum debitâ decentiâ, et decore. Imò licèt clericus non sit omninò surdus, sed ita surdaster, ut non possit audire sine magnâ vociferatione alterius, non est obligandus ad recitandum cum socio, etiamsi alioqui non possit solus recitare; quia illud fieri non potest sine magno gravamine socii; hæc autem humana præcepta non obligant cum tanto onere, præsertim in his, quæ accidentaria sunt, et quæ rarò accidunt.

18. Præterea potest de surdo interrogari, an excusetur ab assistentiâ, seu residentiâ chori, quando ratione præbendæ ad illum tenetur. Si autem considerentur, quæ in superioribus dicta sunt, facilè respondebitur non esse hanc sufficientem excusationem, quia tale beneficium principaliter obligat ad assistentiam, et hanc optimè potest exhibere surdus non solùm si videat, quod est per se manifestum, sed etiam si sit cæcus, quòd autem non possit percipere sensibus, quæ dicuntur, et aguntur, per accidens est. Item quia, ut sæpè diximus, qui non potest solvere totum, quod debet, saltem debet exhibere, quod potest, hoc autem faciet hujusmodi beneficiarius honorando actionem illam præsentiâ suâ, et concurrendo ad orationem cum reliquis sociis eo modo, quo potest.

19. Tandem pertinet ad hoc caput excusationis, ægritudo corporis, quæ talis sit, ut hominem impediat, ne absque gravi salutis suæ detrimento, aut sine nimio dolore, aut vexatione corporis, possit pensum horarum persolvere. Hæc excusatio communis est aliis præceptis humanis, ut de missâ, et de jejunio constat, habetque in hoc præcepto eamdem rationem, et ita in hoc conveniunt doctores. Sumiturque ex cap. *Clericus victum*, distinct. 91, ibi: *Absque corpusculi sui inæqualitate*, et ex cap. *Ad audientiam*, de Cleric. non resident., quia verò non omnis corporis imbecillitas, aut integræ valetudinis defectus sufficiens est ad hanc excusationem, ideò in modo ferendi judicium de quantitate, vel qualitate morbi sufficientis ad hanc excusationem solet esse nonnulla difficultas. Breviter tamen dicendum est, quando ægritudo, vel ita levis est, ut non impediat alias ordinarias actiones capitis, et linguæ, neque per illas notabiliter augeatur, tunc non excusare, quia illa non potest dici moralis, nec rationabilis impotentia, hujus modi esse solet moderatus dolor stomachi, vel alterius partis, et ipsius etiam capitis, et similia. Quando verò ægritudo est gravis, tunc non est dubium de excusatione, etiam absque judicio medici, quia de re ipsâ satis constat; nam judicium medici desiderari potest propter certitudinem, ut jam dicam. Quando autem res est dubia, ait Navarrus in Manuali, cap. 25, numero 100, et de Orat., cap. 11, numero 3, ex communi sententiâ, consulendum esse medicum, et illius judicio standum, non quia ipse possit tollere, vel minuere obligationem, nullam enim jurisdictionem habet, sed quia ratione officii, et peritiæ in arte hoc judicium ad illum spectat, neque habent homines aliam regulam, quâ possint in simili dubio gubernari. Neque lex humana obligat ad summam diligentiam adhibendam, et ideò satis est, unum consulere medicum, qui bonâ fide, pius, et probus, ac peritus in suâ arte existimetur.

20. Addunt verò aliqui consulendum etiam esse prælatum, et ejus assensum postulandum. Quod indicat Soto, lib. 10 de Just., q. 5, art. 3; verumtamen, si medicus non manet dubius, sed judicium profert de excusatione, consensus prælati necessarius non est, quia non propter certitudinem; nam prælatus non potest illam augere, et licèt posset, non tenetur quis omnem certitudinem quærere, ut dixi; neque etiam est necessarius actus prælati propter jurisdictionem, quia nulla relaxatio necessaria est, ubi de causâ excusante constat. Atverò si medicus etiam dubius esset, tunc potest conferre prælati consensus, et ita tunc requiri, et sufficere, affirmant Graffis, lib. 2, cap. 53, n. 2, Axor., lib. 10, cap. 13, in principio. Quod necessarium tunc est non propter solum judicium, seu certitudinem, sed propter usum jurisdictionis; videtur enim posse saltem in casu dubii aliquid condonare per modum dispensationis, seu relaxationis. Atque hoc maximè locum habet in religiosis, quia et facilè possunt adire suum prælatum, et per privilegia habere solent circa hoc majorem aliquam potestatem; ideòque in simili dubio, nullo modo debent sine consensu prælati excusari, nisi fortassè occasio urgeat, et impedimentum interveniat ad consulendum prælatum; nam tunc poterunt uti remedio statim dicendo. Pro secularibus verò verum est, habere episcopum ex vi sui muneris illam potestatem, quia moraliter est necessaria ad conveniens regimen, et quidquid ejusmodi est intelligitur eis concessum, si non est prohibitum; hoc autem prohibitum eis non est, ut constat, unde etiam in præceptis jejuniorum, et missæ, censentur habere similem potestatem. Difficile autem est, obligare omnes clericos in hujusmodi eventu, ut licentiam petant ab episcopo. Id enim possunt facere familiares ejus, non verò omnes clerici ejusdem civitatis, nedùm totius diœcesis. Dices: Consulatur tunc parochus, vel quicumque alius pastor, cui proximè incumbit spiritualis cura talium personarum. Sed hoc nihil conferre videtur, quia isti non habent propriam jurisdictionem in hoc exteriori foro, nec sunt prælati.

21. Dico ergo in hoc dubio: Quando non potest prælatus, aut episcopus conveniri, regulariter tutiorem partem sequendam esse, recitando, etiamsi sit, cum aliquo onere, vel periculo dispendii, quod non poterit esse multùm grave, quando res tam dubia est. Dico autem *regulariter*, quia si dubium possit practicè deponi, tunc excusatio potest esse sufficienter tuta. Poterit autem sic deponi, quando vel dubium non est æquale, sed plura sunt, quæ favent excusationi, vel non est tam purum dubium, quin admittat probabile judicium, quòd illa causa sit sufficiens ad excusandum. Atque hoc solùm habet locum, quando licentia solùm est pro uno, vel altero die; nam si excusatio futura fuisset diuturna, omninò esset indulgentia prælati postulanda, si fieri posset. Et juxta hæc ferendum est judicium de casu, in quo simile dubium occurrit, et neque medicus, neque prælatus conveniri potest; tunc enim prudentis arbitrio utendum est, et si bonâ fide procedatur deponendus est scrupulus. Semper tamen in favorem præcepti inclinandum est. Neque hìc allegari potest axioma illud, *quòd in dubiis melior est conditio possidentis*, nam hìc non est dubium de præcepto, sed de excusatione; et ideò sicut possidet hæc persona jus tuendi salutem suam, ita Ecclesia, seu prælatus possidet jus exigendi observantiam præcepti sui, et hoc jus gravius est, et magis respiciens commune bonum, ideòque cæteris paribus præferendum est.

22. Sed quid si causa judicetur sufficiens ad excusationem unius partis officii, et non totius. Item si impedia tpro quâdam parte diei, verbi gratiâ, pro tempore meridiano, et non ante prandium, vel pro tempore quo febris quartana, vel tertiana, molestat, non verò pro alio, in quo liberum hominem relinquit. Ad primum videri posset cum qui non potest dicere totum officium, eo ipso excusari à quâlibet parte, etiamsi illam posset congruè dicere. Primò, quia hoc est unum præceptum, et illa recitatio omnium horarum est una actio moralis, quæ si non potest integrè fieri, non præcipitur mutilata, et imperfecta, sicut qui non potest jejunare toto die, non obligatur jejunare usque ad prandium, licèt posset; et qui non potest abstinere à carnibus, non tenetur abstinere à cœnâ, et qui non potest audire totam missam, non obligatur partem audire. Item quia aliàs non posset ferri judicium moraliter certum de hâc excusatione; quis enim, nisi gravissimè ægrotet, non possit primam, aut completorium sine magno incommodo dicere; nunquàm ergo aut rarò contingeret integra excusatio. Item, qui convalescit ex infirmitate, non deberet exspectare tempus, in quo posset totum officium dicere, sed inchoare, quamprimùm potest aliquam partem recitare, quod profectò usitatum non est.

23. In contrarium verò est, quia licèt totum officium unius diei sit integra materia hujus præcepti, nihilominùs constat ex horis distinctis, quarum singulæ per se continent integram quamdam orationem, et possunt separatim ab aliis dici, in quo est magna differentia inter hoc præceptum, et præceptum jejunii, vel missæ; ergo qui alias ex horis potest dicere, tenebitur illas dicere, etiamsi non possit omnes. Probatur consequentia, tùm quia hoc præceptum ita obligat ad omnes horas, ut obliget ad singulas, tùm etiam ex illo principio, quòd qui non potest solvere totum, quod debet, debet solvere quod potest, quando illud est separabile à reliquis, et sine incommodo solvi potest. Unde supra dicebamus cum communi sententiâ, eum qui in meridie subdiaconatum suscipit obligari ad sequentes horas illius diei, licèt non dixerit, neque teneatur dicere præcedentes horas; ergo convenientissimè recitatur pars hujus officii sine toto; ergo si præceptum potest ex parte impleri, faciendum est.

24. Propter hæc, et alia argumenta Navarrus, cap. 11 de Orat., n. 6, et sequentibus, absolutè sequitur hanc posteriorem partem. Ut autem solvat difficultates in contrarium insinuatas, quâdam distinctione utitur. Aut enim is, qui non potest dicere omnes septem horas, potest dicere majorem partem earum, et tunc

tenetur eam dicere, propter rationes proximè factas. Si verò majorem partem dicere non potest, consequenter ab omnibus excusatur, tùm quia regulariter major pars trahit ad se minorem, tùm etiam quia non occurrit melius prudens arbitrium, cùm non debeamus obligare omnes ad dicendum quamcumque partem quam dicere possunt, etiamsi minima sit. Et hoc arbitrium sequitur Azor. suprà q. 4, sed inprimis non est adæquata responsio. Nam possunt esse partes moraliter æquales, de quibus dici non potest, unam alteram ad se trahere; cessat ergo ibi ratio illius arbitrii. Ut, verbi gratiâ, matutinum solum cum laudibus videtur esse dimidia pars divini officii, et ex omnibus aliis horis moraliter altera pars conficitur, potest autem contingere, ut aliquis non possit dicere matutinum, et alias horas commodè dicere possit, cur ergo non tenebitur illas dicere? Prætereà non satisfacit generaliter dicta responsio, nam hæc quæstio non solùm locum habet in impedimento infirmitatis, sed etiam in impedimento occupationis, vel ob defectum breviarii, et similia. Qui autem totâ die et nocte ita fuit legitimè occupatus, ut nullam horam diei dicere potuerit, si in fine noctis potest saltem completorium recitare, cur non obligabitur? Vel si is, qui breviarium non habet, tantùm scit memoriâ primam, et completorium, cur non tenebitur illas horas dicere, etiamsi minorem partem officii contineant? Item interdùm tenetur quis dicere solam unam partem officii, licèt sit minor alia, ad quam non fuit obligatus, ut patet in illo casu de eo, qui ordinatur circa vesperam; tenetur enim saltem vesperam, et completorium dicere, licèt ad alias horas non obligetur; ergo qui per se tenebatur ad omnes, et fit impotens ad quinque etiam ex majoribus, manet obligatus ad dicendas duas, quamvis illæ sint minor pars officii.

25. Denique illa maxima: Quod major pars trahit ad se minorem, non videtur hìc commodè applicari; nam illud principium videtur intelligendum, vel quando partes debent concurrere ad unum actum, ut in electionibus, nominationibus, etc., in quibus casibus loquuntur jura, quæ Navarrus adducit, vel intelligi potest, quando una pars impedit aliam; nam solet major pars vincere. Atverò in præsenti una pars non impedit aliam, neque unam concurrere necesse est ad recitationem alterius. Deinde neque exempla quæ afferuntur rem declarant; unum est, quòd qui tenetur ire Romam, non tenetur ad iter inchoandum, si non potest illùc pervenire. Sed hoc non est ad rem, quia etiamsi quis posset majorem partem itineris, vel ferè totum conficere, si certus esset, non posse ingredi Romam, ad nihil tenetur. Et ratio est, quia iter non est pars illius præcepti, sed via, quæ solùm propter terminum præcipitur. Magis accommodatum exemplum esset, si quis haberet votum eundi Romam, et ibi visitandi septem Ecclesias; nam licèt certò sciat, perveniendo Romam fore impediendum, ne visitet omnes, sed ad summum duas, vel tres, nihilominùs tenebitur iré, ut saltem ex parte impleat votum, licèt pars illa minor sit. Exemplum etiam de missâ, jam diximus esse dissimile. Et idem est de præcepto jejunii quoad hoc quòd abstinentia à carnibus est quasi fundamentum illius præcepti, et ideò sublato illo, totum aufertur. At verò è contrario retorqueri potest argumentum; nam qui potest sæpiùs comedere in die jejunii ob necessitatem, non ideò potest carnes comedere, sed tenetur observare præceptum quoad illam partem.

26. Aliter igitur distinguendum occurrit aliud esse comparare singulas horas canonicas ad partes, ex quibus constant; aliud verò comparare omnes septem horas ad totum officium unius diei, quod est veluti adæquata materia, vel actus hujus præcepti. Si primam comparationem faciamus, rectè dicitur, neminem obligari ad dicendam aliquam horam, qui non possit saltem majorem ejus partem dicere, quia unaquæque hora præcipitur, ut quædam actio perfecta, et ideò si non possit ita fieri, ut nomen illud mereatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars primæ verbi gratiâ (et sic de aliis) non potest dici prima, imò neque dimidia pars, sed oportet, ut saltem præcipuæ, et quasi substantiales ejus partes dicantur; quocirca etiamsi in singulis horis posset quis dicere aliquas partes minimas, si nullam earum potest majori ex parte dicere, nihil profectò dicere tenetur, etiamsi omnes illæ particulæ simul sumptæ bonam aliquam partem totius divini officii conficere videantur. Quia non possunt per modum unius horæ, nec per modum canonici officii recitari. Si ergo in hoc sensu locutus est Navarrus, verum est ejus arbitrium, neque contra hunc sensum procedunt objectiones factæ, ut constat.

27. Atverò juxta alteram comparationem non censeo esse veram generalem regulam negativam pro omnibus casibus, et impedimentis, videlicet, ut qui non potest dicere tot horas, ut contineant saltem majorem partem totius officii, nullam dicere teneatur. Non est enim similis ratio, quia unaquæque hora (ut dicebam) est per se quoddam totum, quod per modum canonici officii convenienter dicitur. Et aliunde exempla, et rationes adductæ videntur mihi oppositum convincere in multis casibus. In casu autem infirmitatis, de quo tractatur, non censeo esse hanc excusationem, vel licentiam tam scrupulosè restringendam, ut quicumque in infirmitate dicere possit unam, vel alteram horam, sine gravi incommodo, ad illam dicendam obligetur. Nam hoc esset nimis onerosum, et præter suavitatem legis humanæ, et præter consuetudinem, quæ est optima legum interpres, et ideò respiciendum censeo ad modum infirmitatis impedientis recitationem; nam si peculiariter impedit aliquam horam propter difficultatem in eâ dicendâ, ut, verbi gratiâ, in matutino propter debilitatem visûs, et capitis, et illa difficultas in aliis horis non sentitur, sed commodè dici possunt, non video legitimam excusationem, quoad tales horas, sive illæ sint plures, sive pauciores. Atverò si infirmitas impediat indefinitè divinum officium, ut est febris gravis, vel aliquid simile, tunc non censeo esse scrupulosè inquirendum, an possit infirmus unam, vel alteram horam dicere, quia excusatio illa ex se indefinita æquivalet

universali, ita enim, ut dixi, consuetudo hanc legem interpretatur, et fortassè ratio est, quia est valdè difficile in hujusmodi occasionibus attingere punctum in judicando, quid possit homo dicere, vel non dicere sine gravi incommodo, et ideò satis esse creditur, quòd officium ipsum dici non possit sine notabili incommodo.

28. Et hinc constat, quando infirmitas talis est, ut non impediat totum diei tempus, sed paucas horas, ut solet esse quartana diuturna, aut levissima tertiana febris, tunc non omninò excusare, quominùs in tempore habili dicantur horæ, quæ commodè dici possunt, ut benè docet Navarrus, d. cap. 11, n. 3, et sequitur Aragon., d. ar. 12, versùs finem. Statim verò suboritur dubitatio supra insinuata, an teneatur quis in eo casu postponere, vel anteponere horas intra eumdem diem, quando ægritudo impedit, vel impeditura prævidetur tempore legitimo? Possentque in utramque partem conjecturæ adduci, præsertim verò movere potest in partem negantem, quia posse anteponere, vel postponere est veluti quoddam privilegium, quo nemo uti cogitur. Nihilominùs veram censeo partem affirmantem, quia totum tempus diei, est tempus simpliciter legitimum, et sufficiens ad substantiam hujus præcepti implendam, et ideò si una pars diei est impedita, debet dici in aliâ, quæcumque illa sit. Hoc autem intelligendum est, dummodò vel antepositio horarum nocitura non sit futuræ febris accessioni, quæ speratur, vel postpositio, et concursus omnium horarum in unum tempus sit nimis gravis, præsertim post præcedentem malam corporis dispositionem; nam hæc jam sunt quasi nova impedimenta, nos autem loquimur, quando commodè, et sine speciali præjudicio ægritudinis, in illâ parte diei potest dici canonicum officium. De antepositione autem, vel postpositione extra legitimum tempus diei naturalis non oportet movere quæstionem cùm certum sit, præceptum non obligare pro his temporibus. Si enim, qui peccando, omisit hodiè dicere officium, non tenetur crastinâ die illud dicere, multò minùs tenebitur, qui ob legitimam excusationem illud non dixit. Eademque ratio est de antepositione, maximè, quòd illa etiamsi fiat, non potest tollere obligationem sequentis diei. Unde si casu accideret, ut in die sequente cessaret impedimentum, cessaret etiam excusatio, non obstante quàcumque anticipatâ recitatione, ergo ad hunc effectum, utilis non est; nedùm necessaria.

29. Dubitat ulteriùs Navarrus in d. cap. 11, n. 19, an qui propter ægritudinem excusatur à recitatione horarum, teneatur aliquid aliud loco illarum dicere? Et respondet de jure humano non teneri, de jure autem divino naturali teneri ad aliquam recompensationem faciendam, quamvis non audeat imponere obligationem sub peccato mortali. Sed prior pars sola vera, et certa est, quia nullum est jus specialiter hoc onus imponens, et ex jure communi, lex, quæ obligat ad determinatum opus, si impleri non potest, non inducit obligationem alterius operis, vel recompensationis; ut si quis excusatur à jejunio, non obligatur ad eleemosynam faciendam, vel aliquid simile. In alterâ verò parte videtur idem sensisse Paludanus in 4, d. 12, q. 6, § ultimo, post omnia argumenta, dùm de infirmo, qui excusatur, ait: *Roget tamen Deum mentaliter horarum loco, et hoc sufficiet;* sed hoc totum est consilium; proprium enim præceptum juris divini in hâc parte, nullum est, ut rectè dixit Silvest. verb. *Hora*, q. 4. Tum quia supra visum est, secluso præcepto ecclesiastico, nullam esse obligationem juris divini in clericis de peculiari aliquâ oratione faciendâ; tum maximè, quia etiamsi esset tale præceptum divinum, non obligaret pro singulis diebus, vel temporibus; esset enim affirmativum, quod non obligat pro semper, sed pro tempore necessitatis, et ideò non oportet, ut obliget tempore infirmitatis. Et eadem doctrina potest ad cætera impedimenta applicari. Et ideò non probo, quod dixit Ang. verb. *Hora*, n. 9, cæcum, vel carentem libro excusari, *dummodò suppleat per psalmos, vel Pater noster, et hujusmodi;* nam hoc supplementum necessarium non est, quando non est per recitationem alicujus horæ canonicæ, vel memoriter, vel cum socio modo superiùs explicato.

30. Tandem ad hanc excusationem reduci potest metus mortis; de quo dubitari potest, an excusare possit à recitatione horarum? Sed hoc dubium non habet singularem doctrinam, aut majorem difficultatem, quàm in aliis præceptis ecclesiasticis. Dicendum ergo est hunc metum per se loquendo excusare, ex accidenti verò posse non excusare, si in fidei, et catholicæ religionis injuriam cedat. Ratio pribris partis est, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto rigore, item quia similis metus excusat, vel jejunium, vel audire missam. Item quia non est minor ratio excusationis in tali metu, quàm in gravi infirmitate. Ratio verò alterius partis est, quia fidei confessio in tali articulo est in præcepto divino, non obstante periculo mortis. Item quia bonum Religionis est divinum, et commune, quod præferendum est corporali vitæ.

31. Distingui ergo potest duplex metus, unus directè, et expressè incussus ad hunc finem compellendi clericum, ne recitet. Alius non ita immissus, sed quia ab ipso homine meritò concipitur ex infidelitate, vel malitiâ eorum, inter quos versatur, vel ex aliis occurentibus circumstantiis. Quando metus concipitur hoc posteriori modo, semper excusat (suppono enim esse et verum, et gravem), quia tunc omissio recitandi, neque est contra confessionem fidei, cùm tunc non postuletur, nec vergit in injuriam Religionis, cùm nullo modo cedat in contemptum ejus, imò de se sit occulta, et aliis ignota. Quando verò metus priori modo, directè scilicet incutitur, ad hunc effectum retrahendi ministrum Dei à debito cultu ejus, major potest esse obligatio cavendi scandalum, et relinquendi officium proprium, propter metum. Verumtamen quia ibi non exigitur actio positiva veræ religioni contraria, sed solùm carentia actionis, quæ per se, et intrinsecè non habet hanc contrarietatem, ideò non possumus dicere esse intrinsecè malum cedere tali timori, et propter illum officium omittere sed in particulari sunt cir-

cumstantiæ prudenter observandæ, et omninò cavendum, ne sequatur scandalum, vel catholicæ religionis contemptus.

32. Quarta excusatio principalis est necessitas alicujus actionis, quæ nec possit simul cum recitatione officii conjungi, nec concedat liberum tempus ad illud recitandum. Hanc ponunt Silvester, Navarrus, et omnes, similemque posuimus de præcepto missæ, d. dis. 88, puncto 6, § *Qartum, et Quintum*, et eodem ferè modo explicanda hìc est. Oportet ergo inprimis, ut actio sit honesta; nam turpis non potest esse necessaria. Deinde cùm non omnis actio honesta necessaria sit, non satis est, quòd actio sit de se bona, et optima, nisi sit ita necessaria, ut præcepti necessitatem superare prudenter judicetur. Unde errant valdè qui putant, propter contemplationem etiam altissimam posse divinum officium omitti, quia melior est obedientia, quàm victimæ, et contemplatio illa non est opus necessarium, opus autem præcepti necessarium est.

33. Duplex ergo potest esse necessitas actionis impedientis officium, una est justitiæ et altera charitatis. Prior est, si quis ex officio teneatur legere, vel concionari, et non possit id convenienter agere si in recitatione occupetur. In quo advertendum est, an officium regulariter, vel frequenter secum afferat talem occupationem, et tunc est signum, illud non esse officium accommodatum clerico, religioso, aut beneficiario; et ideò qui voluntariè tale accipit officium, non potest excusari, quia non necessitate, sed voluntate impeditur. Debet ergo, vel relinquere beneficium, vel officium, quo sic impeditur, vel dispensationem obtinere. Quod adeò verum censeo, ut licèt officium non sit alienum à sacerdote, vel religioso, ut est docendi, vel concionandi, si tamen propter incapacitatem personæ, non possit recitare, ut illi officio satisfaciat, non posse illud acceptare, et propter illud recitationem omittere, inconsulto prælato, qui cum illo possit dispensari, quia jam illa non esset necessitas, sed voluntas (quod semper intelligo, seclusâ speciali causâ charitatis, de quâ statim). Atverò quando hæc necessitas rara est, et repentina, et quasi per occasionem, tunc habet locum dicta excusatio, quia tunc est vera necessitas. Item quia propter similem causam potest interdùm missa omitti; ac denique, quia præceptum humanum affirmativum non obligat cum tanto rigore, quin similem veluti epiikiam admittat. Quia verò in hoc eventu versatur homo inter duas obligationes, et actiones, ideò necesse est prudenti æstimatione comparationem facere, ut illud eligatur, quod minùs habet incommodi, ut in sequenti puncto magis declarabitur.

34. Altera verò necessitas potest esse charitatis, et hæc est generalior, fundaturque in illo principio, à Bernardo posito in libro de Præcepto et dispensatione: *Quod propter charitatem introductum est, non obligat cum ejusdem charitatis dispendio.* Exempla sunt, si ad recitandum necessarium esset omittere concionem cum scandalo populi, vel cum infamiâ religionis, vel propriæ personæ. Item si esset necessarium curare infirmum, neque posset ad horam dimitti sine gravi ejus incommodo, et similia.

35. Sed quæres, an necessarium sit, obligationem illam charitatis tantam esse, ut sit grave peccatum actionem ita necessariam omittere, etiam propter dicendum officium? Nam Henricus, quodlib. 5, q. 12, quem sequitur Silvester verb. *Hora*, n. 18, indicat hoc esse necessarium, quia cùm præceptum recitandi obliget sub mortali, non potest propter aliam actionem omitti, nisi quando aliud præceptum gravius, et sub majori culpâ obligat, ita ut tunc occurrat veluti perplexitas, et concursus duorum præceptorum, in quâ perplexitate minus malum est eligendum, juxta regulam concilii Toletani 8, cap. 2, et habetur in cap. 1, dist. 13, et Gregorii ibid. cap. 2, ex lib. 32 Moral., c. 18. Dico tamen, licèt in eo eventu maximè urgeat hæc necessitas, non esse tamen semper necessariam; nam sæpè cessat hæc obligatio, non solùm propter vitandum peccatum, sed etiam propter vitandum incommodum, vel proprium, vel proximi. Ut si scholaris velit publicam actionem litterariam per integrum diem habere, et recitare non possit, non tenetur actionem dimittere, etiamsi absque peccato possit. Idem est de doctore, qui in oppositione cathedræ publicam habiturus est prælectionem, ad quam intra certum horarum numerum se parare debet. Item aliquando fortassè non erit grave peccatum, non subvenire proximo ægrotanti, etiamsi per unam, vel duas horas gravem dolorem, vel aliud simile incommodum propter eam causam patiatur, et nihilominùs ex charitate illi succurrere, etiam dimittendo officium, potest non solùm esse licitum, sed etiam melius. Nam si ego debeo diligere proximum, sicut me ipsum, et propter vitandum dolorem in me possum dimittere officium, etiamsi absque peccato possem sufferre dolorem, cur non erit idem circa proximum? Propria ergo ratio hujus excusationis non est perplexitas, vel concursus præceptorum, sed est quia præceptum humanum non censetur obligare cum talibus circumstantiis, et cum tanto gravamine charitatis. Atque sic sentit Major in 4, d. 12, q. 6, ad 5, in fin.

36. Addunt præterea Henricus et Silvester necessarium esse, ut homo non potuerit prævenire tempus hujusmodi occupationis recitando, nam si potuit, et non fecit, postea non excusatur. Et ideò dicunt alii necessarium esse, ut talis occupatio repentina sit, ita ut prævideri non potuerit. Sed advertendum est, hanc excusationem per se solùm habere locum, quando totum diei tempus, quod necessitatibus corporis moraliter, et sine magno incommodo subtrahi potest, est ad occurrentem actionem necessarium. Tunc autem nec præventio, nec postpositio intra eumdem diem locum habet, alia verò major non solùm necessaria non est, verùm nec utilis esse potest ad præcepti observationem, vel executionem, ut sæpè dixi. Ac propterea quando occupatio talis est, parùm refert, quòd sit repentina, vel prævisa; nam utroque modo excusabit, si habet conditiones superiùs declaratas, et ejus necessitas sit prævisa pro tali die; nam si potest

differri, et distribui per partes in plures dies, tunc jam non erit urgens necessitas. Quòd si occupatio non sit integri diei, sed magnæ partis ejus, tunc habet locum, vel postpositio horarum, si in priori tempore alia necessitas urgeat, vel antepositio, et præventio, quando impedimentum futurum, est in posteriori parte diei; et tunc non est dubium, quin hoc cadat sub obligationem, quia præceptum obligat pro toto die, ut supra dictum est. Potest autem tunc aliquis excusari, vel quia prævidere non potuit repentinum impedimentum, vel certè quia non advertit. Addo denique quòd licèt fortassè aliquis peccaverit negligenter se gerendo, et non præveniendo tempus, nihilominùs existente occupatione, pro tunc excusari, si eum pœniteat prioris negligentiæ, quia jam est impotens moraliter ad implendum præceptum sicut in similibus superiùs diximus.

37. Ultima excusatio est dispensatio, de quâ nonnulli juris periti censuerunt non posse à summo Pontifice concedi maximè beneficiario, qui ratione officii tenetur; nam illa obligatio est justitiæ naturalis, in quâ Pontifex dispensare non potest. Addunt verò moderationem, et fatentur posse summum Pontificem auferre obligationem determinatè recitandi horas canonicas, non tamen per modum puræ dispensationis, sed per modum commutationis in aliquid æquivalens, vel determinando illud, vel relinquendo prudenti arbitrio, et voluntati dispensati. Quia determinatio ad talem modum recitandi est ex præcepto Ecclesiæ, et ita potest à Pontifice tolli; obligatio autem alicujus orationis ratione ordinis, aut beneficii naturalis est. Ita ferè Panormitanus in cap. 1 de Celeb. miss. quem sequitur Turrecremata in c. *Eleutherius*, dist. 91, q. 5, et Angelus verb. *Hora*, num. 6, Rosella numer. 13, et idem sentit Major. in 4, d. 12, q. 6, ad 1.

38. Sed hi auctores supponunt falsam sententiam de obligatione juris divini, sive ex vi solius ordinationis in sacris, sive ex vi alicujus professionis religiosæ, ut constat satis ex dictis in capite 16, et 17, sive ex vi beneficii. Unde dico, etiam cum beneficiario posse Pontificem simpliciter dispensare, relinquendo hominem liberum ab omni obligatione, tam dicendi officium divinum, quàm recitandi aliquid loco illius. Ita tenuerunt cardinalis, et Joannes de Lignano, in Clement. primâ de Celebrat. miss. quos refert Turrecremata supra, et sequitur Silvester ver. *Hora*, q. 8; Tabiena, n. 15; Armilla, n. 11, et Navarrus, c. 11, n. 31; Aragon., 2-2, q. 83, art. 12, circa finem; Tolet., lib. 2, capite 14. Ratio est, quia hæc tota obligatio est simpliciter de jure ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest. Et declaratur, respondendo simul ad fundamenta in contrarium, quia licèt beneficium detur propter officium, non tamen est de jure divino naturali, ut non detur nisi propter officium recitandi, vel has horas, vel aliquid æquivalens; posset enim Pontifex aliqua beneficia instituere propter alia munera sine hâc obligatione speciali; hoc enim nec cum justitiæ æquitate, nec cum Religione intrinsecè repugnat; ergo non obstante institutione beneficiorum, quæ nunc est, potest aliquod in tali, vel tali personâ eximere à tali onere, et hoc est dispensare.

39. Dices necessarium esse, ut propter aliquod religiosum officium beneficium concedatur, aliàs injusta, et invalida esset concessio; ergo illud officium propter quod datur beneficium, erit opus in quod commutatur recitatio, et ita non erit absoluta dispensatio. Respondetur primò fieri posse, ut beneficium detur intuitu paupertatis, et studii cum onere recitandi, ut nunc datur præstimonium; poterit ergo Pontifex concedere beneficium intuitu paupertatis, et studii auferendo omne aliud onus, quia hoc non continet intrinsecam injustitiam, et malitiam. Similiter posset cum parocho dispensare, ut retineat beneficium propter onus ministrandi sacramenta, sine obligatione recitandi; maximè si per alios publicum officium in Ecclesiâ dicatur; et sic potest facilè de aliis beneficiis cogitari; potest ergo hoc onus simpliciter auferri, nullum aliud substituendo loco illius, quod est propriè dispensatio.

40. Deinde assero, aliud esse dispensationem benè aut malè concedi, aliud posse, vel non posse validè concedi. Ut ergo dispensatio sit justa, regulariter necessarium erit, ut beneficium detur propter aliquod officium. Si autem Pontifex sciens, et videns id faciat, valida erit dispensatio, etiam absque justâ causâ concessa, ut si nunc dispensaret cum habente obligationem, ne teneatur dicere officium B. Virginis, etiam sine causâ, valida esset dispensatio, licèt non benè data. Item si Papa det beneficium infanti, vel puero, quem scit esse ignorantem, supplendo defectum sine causâ, licèt malè fortassè faciat, valida est collatio, et tamen continet virtualem dispensationem in officio, saltem pro tempore illius impotentiæ. Et ratio est, quia dispensatio, seu concessio fructuum ecclesiasticorum non est limitata ad solum hujusmodi onus, vel officium, saltem ut valida sit. Dixi autem *regulariter*, quia etiam aliquando potest esse justa concessio propter aliquas extrinsecas causas, vel gratitudinis, vel alicujus majoris commodi Ecclesiæ, respiciendo semper ad commune bonum ejus.

41. Quæri verò potest, an inferior prælatus, ut episcopus, possit hanc dispensationem concedere? De quo breviter dico primò, cum beneficiario dispensare non posse, ut ex proximè dictis facilè colligi potest, et confirmabitur ampliùs ex puncto seq. Secundò ergo assero neque cum clerico in sacris dispensare posse propriè loquendo. Ita sentit Navarrus, d. cap. 11, num. 24, contra quemdam Girardum, quem citat; idem Turrec. in d. ca. *Eleutherius*, et ibi Archid. et à fortiori Panorm., et alii supra cit. Et ratio est quia episcopus non potest ordinariè dispensare in jure communi, nisi in casibus ei concessis, vel in ipso communi jure, vel saltem per receptam consuetudinem; hoc autem jus commune est, et in eo nihil speciale concessum est episcopis. *Dixi autem dispensare propriè loquendo*, quia in casu dubio occurrente; licentiam dare potest episcopus, ut supra diximus;

illud verò potiùs est per modum interpretationis, quàm dispensationis.

42. Idem censent communiter doctores de prælatis regularibus respectu suorum subditorum. Ita docuit Umbertus super Constit. ordinis sancti Dominici, capite primo, quem referunt, et sequuntur cardinales Zabarella et Turrecremata in capite *Eleutherius*, distinct. 91; et illos sequitur Navarrus, dicto cap. 11, n. 25, et Durant., libr. 3 de Rit., capite. 23, numer. 4, qui etiam refert Albertum de Ferrariis in tract. de Horis Canonic., numer. 9; omnes autem hi auctores in hoc fundantur, quòd ita tenetur religiosus professus recitare officium, eò quòd fructibus Religionis alitur, sicut beneficiarius tenetur ad officium, ratione beneficii. At hoc fundamentum non est verum, ut supra ostensum est, et ideò non habet locum in monachis illa ratio. Neque etiam alia de obligatione juris communis, quia reverà monachi non obligantur ex rigorosâ lege canonicâ, sed ex consuetudine. Et ideò eamdem consuetudinem censeo esse consulendam in præsenti puncto. Nam si consuetudo cum tanto rigore est introducta, ut prælatus nunquàm soleat, neque audeat in eâ dispensare, clarum est non posse, quia consuetudo potest dare, et auferre jurisdictionem, vel sufficienter indicare illam. Dicti autem auctores videntur supponere talem esse consuetudinem religionum, in quibus talis est obligatio. Et eamdem supponere videntur multa privilegia concessa prælatis religionum ad dispensandum cum subditis in officio divino non simpliciter, sed cum debilibus, vel quoad aliquas circumstantias. Quocirca unaquæque religio debet in hoc servare suam consuetudinem, et uti tantùm suis privilegiis. Quòd si aliqua religio ex vi suæ institutionis aliquid circa hoc habet peculiare, illud servare potest, si per contrariam consuetudinem derogatum non est, ut, verbi gratiâ, in religione sancti Francisci non consuetudine tantùm, sed ex præcepto regulæ tenentur juvenes professi ad chorum, officium recitare. Si ergo prælati illius religionis habent ex eâdem regulâ, vel institutione suâ, generalem potestatem dispensandi in præceptis regulæ, poterunt etiam in hoc dispensare (nisi specialiter excipiatur, vel ordine scripto, vel saltem consuetudine), quia tunc non dispensant in jure communi, sed in proprio. Item cùm hæc obligatio religiosorum non sit eis ab Ecclesiâ imposita, sed ab eis assumpta, et tali professioni annexa, non videtur dubium, quin potuerit aliqua religio hanc obligationem assumere tantùm cum hâc conditione, ut proprii prælati habeant potestatem in eâ dispensandi. De facto verò alia videtur esse consuetudo, et ideò, ut dixi, illa servanda est.

CAPUT XXIX.

An beneficiatus non recitans per sex primos menses aliquid teneatur restituere?

1. In hoc, et sequenti capite nihil dicam de beneficiariis, qui licèt privatim recitent, in choro non recitant, nec serviunt, prout tenentur. Nam de his quando, et quomodò distributiones chori amittant, ita ut illas retinere non possint, in superioribus dictum est sufficienter, quantùm hæc materia postulat. Longior verò disputatio de obligatione restituendi propter non residentiam, in proprium tractatum de beneficiis rejicienda est. Solùm ergo hìc agimus de recitatione privatâ, et omissione ejus peccaminosâ, quoad pœnam propter illam ipso jure impositam. Suppono secundo pro clericis in sacris, nullum habentibus beneficium, vel pro religiosis professis, nullam censuram esse impositam ob hanc culpam ipso jure, neque aliquam aliam spiritualem, vel temporalem pœnam; nullibi enim in jure canonico, seu pontificio talis pœna invenitur scripta, neque etiam invenitur circa hoc aliqua universalis consuetudo, et ita nullus doctorum talis pœnæ mentionem fecit. Quòd si religio aliqua, vel particularis Ecclesia, circa hoc habet aliquam constitutionem pœnalem, ad eos pertinet eam scire, qui possunt eâ ligari, vel eam exsequi tenentur. Idem ex eodem fundamento dicendum est de clericis habentibus beneficia, quoad spirituales pœnas, et quoad omnes temporales, unà exceptâ, scilicet restitutione fructuum, de quâ dicendum superest.

2. Hæc autem restitutionis pœna in duobus juribus canonicis fundata est. Unum est concilii Lateranensis sub Leone X, sess. 9 : *Post rubricam Reformationis Curiæ*, § *Statuimus*. Aliud est Pii V, in Const. 138 in Bullario Rom. in quorum intelligentiâ, et declaratione tota resolutio hujus puncti consistit; et ideò necesse est verba Pii V præmittere; ipse enim priùs refert, et in summam redigit verba concilii, et postea suam declarationem addit. Sic ergo habet : *Pius Episcopus, servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam : Ex proximo Lateranensi concilio salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium ecclesiasticum, cum curâ, et sine curâ, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, divinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro ratâ omissionis officii, et temporis, suos non faciat, sed eos tanquàm injustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei evidentiùs, atque expressiùs providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. Choro addictus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque et distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucri-, fecisse prætendat; is etiam præter fructuum, et distributionum amissionem.*

3. Duo ergo tempora sunt in hâc lege distinguenda : unum est primorum sex mensium, in quibus recitatio omittitur; nam pro illo non videtur in hâc lege pœna peculiaris, vel obligatio restitutionis imponi; aliud

tempus est, quando omissio ultra sex menses durat; nam ex tunc videtur incurri hæc pœna, et contrahi obligatio restituendi. Circa primum tempus dubitari possunt nonnulla; primum est, an ex vi hujus juris excusetur quis ab obligatione restituendi pro illis sex primis mensibus? Sunt enim diversæ opiniones; prima negat excusari. Ita tenet Soto, libr. 10, de Just., quæst. 1, articul. 6, quod ut defendat, conjectat, imò certò credit, verba illa concilii Lateranen., *post sex menses*, non esse ita legenda, sed *per sex menses*, ut sensus sit per illos sex menses teneri ad restitutionem pro ratâ; post illud verò tempus, si contumax post monitionem fuerit, ita, ut per alios quindecim dies bis saltem officium non dicat, privandum esse beneficio. Hanc verò emendationem non ex alio codice, aut aliâ lectione probat, sed ab incommodis. Primò, quia aliàs contextus non habet legitimum sensum. Nam si concilium excusat à restitutione per primos sex menses, quomodò statim subdit: Ut si post illud tempus (utique semestre) in simili negligentiâ permaneat, privetur beneficio, etc. Nam priùs debet concedi aliquod tempus, in quo teneatur restituere sine privatione beneficii, ut constat ex verbis ejusdem legis; ergo illud tempus, in quo restitutio facienda est sine periculo pœnæ privationis beneficii non est nisi primum semestre tempus. Secundò, quia fuisset nimia relaxatio legis, si transgressionem per sex menses absque ullâ pœnâ relinqueret.

4. Sed hæc Soti conjectura meritò abaliis auctoribus, quos referemus, improbata est, quoad textûs mutationem, seu emendationem, quia non invenitur talis mutatio aut varietas lectionis in aliquo codice, aut impressione illius concilii. Unde nimia videtur audacia, propter apparentes difficultates, vel incommoda textum mutare. Nam hoc potiùs est reprehendere concilium, quàm veram ejus lectionem proferre. Nunc verò hoc multò magis indubitatum est, quia Pius V, referens concilii statutum, expressè dicit: *Post sex menses*. Ad primam verò Soti conjecturam respondent aliqui, tempus illud medium, in quo restitutio pro ratâ facienda est, ante privationem beneficii, esse quindecim vel potiùs terdecim dierum; nam pro illis jam restituere cogitur, et si per duos alios dies in contumaciâ perseveret, beneficio privandus est. Sed non est verisimile solùm ad quindecim dies respexisse concilium, cùm dixit: *Pro ratâ omissionis recitationis officii, et temporis*, etc., quia hæc verba indefinita quodcumque tempus comprehendunt; et quia ipsa dispositio, et modus legis aliquid ampliùs requirit. Est ergo advertendum, in illâ lege pœnam privationis beneficii non esse ipso jure impositam, sed imponendam, ut verbum ipsum, *privetur*, et illud *ut beneficio privari possit*, manifestè ostendit. Et præterea antequàm pœna possit imponi, requiritur prævia monitio, et subsequens contumacia durans, post monitionem per quindecim dies modo declarato. Quia ergo illa monitio non statim fit post sex menses, contingere potest, ut aliquis per multum tempus non recitet post primos sex menses non admonitus, et consequenter non specialiter contumax hominis monitioni; tunc ergo pro toto illo tempore, tenebitur restituere, et non est obnoxius pœnæ privationis beneficii, donec legitimè moneatur, etc. Et hic est proprius, et facillimus sensus sine ullo incommodo. Nam si contingat statim post sex menses monitionem fieri, tunc quidem solùm pro quindecim diebus conceduntur induciæ, ut sic dicam, usque ad privationem beneficii, cum obligatione restituendi pro ratâ pro eisdem diebus, quod nullum est inconveniens, quia illud tempus potest esse majus, vel minus juxta diligentiam admonentis. De altero verò incommodo, quod Soto infert, ex seq. puncto constabit, nullum esse.

5. Ex dictis ergo verbis: *Post sex menses*, videtur concludi excusari beneficiatum à restitutione ex vi illius legis pro illis sex mensibus. Et ita tenet Navarrus capite 21 de Orat., numer. 58, sed, ut hoc verum sit, intelligendum est negativè, ut sic dicam, non positivè id est, intelligendum est, legem illam non obligare ad restitutionem pro illis sex mensibus, atque ita non accusare (ut sic dicam), et hanc voco negativam excusationem. Positivè autem non excusat illa lex, quia nullam licentiam præbet, nec donat fructus illius temporis, si aliàs erant obnoxii restitutioni, sed relinquit illud tempus in eo statu, in quo antea erat. Et ita solvitur clarissimè secundum inconveniens à Soto illatum, quia nulla relaxatio juris pro eo tempore facta est, sed solùm non est additus novus rigor pro illo tempore; quod optimâ ratione fieri potuit, ne gravissima lex, et pœna nova, sine aliquâ temporis moderatione ferri videretur. Quapropter non video unde ex hâc lege collegerit Navarrus supra, pro illis sex mensibus non esse ullam obligationem restituendi, quod adeò certum existimavit, ut inde sumpserit irrefragabile argumentum (ut loquitur) ad inferendum, ante illam legem nullam fuisse obligationem restituendi. Nam, reverà, ex illâ lege nulla positiva excusatio colligitur. Unde nullum indè potest sumi argumentum ad aliam quæstionem, sed potiùs ex decisione illius quæstionis pendet resolutio circa obligationem restituendi aliquid pro illis sex mensibus, ut benè animadvertit Durantus, lib. 3 de Ritib., cap. ult. in fin.

6. Ex dictis ergo solùm habemus, jus hoc positivum non obligare ad restituendum aliquid pro illis sex mensibus. Inquirendum ergo superest, an ex alio jure nascatur obligatio, in quo dubio Navarrus in distinct., numer. 58, absolutè negat dari pro illo tempore aliquam obligationem restituendi. Fundamentum ejus est, quia tota, et adæquata causa hujus obligationis pro tempore subsequente post sex menses est illud jus ecclesiasticum, sed illud non obligat pro illis primis sex mensibus; ergo simpliciter non erit in illis talis obligatio. Nam si affirmatio est causa adæquata affirmationis, negatio talis causæ, optimè infert absolutam negationem effectûs. Antecedens probat, primò ex vi illius verbi *Statuimus*, in dicto concilio positi, *quod est*, inquit, *argumentum, et signum inductionis juris novi*, juxta quasdam glossas communiter receptas. Secundò, quia attento jure communi antiquiori, non

tenebatur beneficiarius non recitans ad restituendos fructus sui beneficii, quia nullum exstat jus antiquum ad hoc obligans, neque ex solo jure naturæ sequebatur talis obligatio. Quod probatur, quia obligatio restituendi solùm nascitur ex peccato contra justitiam commutativam, beneficiatus autem omittens officium, ex naturâ rei non peccat contra justitiam commutativam, esto aliàs (quod omnes fatentur) moraliter peccet, contra obedientiam Ecclesiæ, vel contra religionem, ad quam pertinet actus orandi præceptus. Et hanc sententiam docet idem Navarrus dict. cap. 7, numero 31, et cap. 10, numero 37, et dicit esse communem in cap. 1 de Celeb. mis., ubi ex professo id disputat Panormitanus, num. 8, et pro eâ refert cardinalem; referuntur etiam Joannes Andreas, Joannes de Lignano, et Antonius de Butrio. Et sequuntur frequentiùs summistæ, Silvester, verb. *Clericus*, 4, quæst. 23, numer. 16, ubi etiam Rosella, numer. 28, et Tabiena verb. *Beneficium*, 3, num. 11, et Armilla, verb. *Beneficium*, num. 69, et verb. *Clericus*, num. 27, qui alios referunt.

7. Nihilominus contrariam sententiam, nimirùm, ex naturâ rei sequi obligationem restituendi ex hâc officii omissione, quando obligatio ex beneficio oritur, tenuit Soto in d. l. 10 de Just., quæst 5, articulo 6. Et idem sentit Bartholomæus Medina in suâ Summâ, cap. 12, § 11, et ex canonistis tenuit Calderinus, quem omnes referunt in cap. 1 de Celeb. miss., sequitur Covarruvias libro 3 Variar., cap. 13, numero 10, ubi refert Decium, et Ripam; idem tenuit Adrianus in 4, in materiâ de Restitut. quæst. an Ecclesiasticus ultra victûs decentem necessitatem, etc., concl. 1; et idem sumitur ex Alexandro Alens., 3 part., quæst 36, m. 5, articulo 2, ubi generaliter loquitur de clerico habente beneficium, cui non deservit, quem dicit esse raptorem, et furem, et exponit exemplum in eo, qui accipit mercedem, ut laboret in vineâ, et postea non laborat. Idem Angelus verb. *Horâ*, numer. 11, qui citat Laudunum. Item Graffis, libr. 2 Decis., cap. 50, qui refert Archid. in cap. *Si Canonici*, § *Sciturі*, de Offic. Ord. in 6. Idem tenet Ancharanus consil. 228, Geminianus in cap. ultim. de Rescriptis in 6. Jason in leg. penult. C. de Testam. Baldus in leg. 1, Cod. de his qui, ut indigni, etc., quos etiam refert Azor d. lib. 10, cap. 14, in principio. Sequitur Durantus d. lib. 3, de Ritib., cap. ultim. in fin. Fundamentum hujus sententiæ esse debet, quia beneficiarius omittens recitationem debitam peccat contra justitiam commutativam, ex quâ intrinsecè oritur obligatio restituendi, ut constat. Antecedens probatur, quia stipendiarius ex justitiâ commutativâ, tenetur id facere, pro quo stipendium accipit, unde si omittat, et nihilominùs recipiat stipendium, contra justitiam commutativam peccat. At ita se habet beneficiarius, recipit enim stipendium pro labore, juxta illud: *Qui altari deserviunt, de altari participant*, 1 ad Corinth. 9; nam decimæ dantur pro ministerio, Deut. 18, et Numer. 18; ergo.

8. Ad hanc verò rationem respondet primò Panormitanus negando, officium divinum esse proprium laborem, seu propriam causam, propter quam dantur clerico fructus beneficii; nam etiam dantur illi fructus, ut clericus assumptus in sortem Domini, vivat de patrimonio Christi, et non mendicet, cap. 2 de Præb. c. *Diaconum*, 93 distinct. Et quia licèt non serviat Ecclesiæ dicendo officium, servit. inquit, Ecclesiæ universali in ordine clericatûs. Sed hanc responsionem meritò improbat Angelus, quia licèt beneficium detur clerico, ut vivat, non tamen simpliciter, sed ut vivat secundum cultum Dei. Non ergo dantur ei fructus beneficii tantùm, ut pauperi merè gratis, et liberaliter, sed, ut laborando, et inserviendo Ecclesiæ, ab illâ, ut par est, sustentetur. Nec negari potest, quin axioma illud sumptum ex cap. ultim. de Rescr. in 6: *Beneficium datur propter officium*, intelligatur secundùm relationem, et correspondentiam, ut sic dicam, justitiæ commutativæ, qualis est inter stipendium, et opus. Quod benè confirmatur ex cap. *Clericus victum*, 91, distinct. ibi, *Stipendio privatus*; loquitur enim de clerico, qui sine causâ non servit. At verò ostendimus supra, illud axioma: *Beneficium datur propter officium*, propriè, et in rigore intelligi de officio recitandi horas canonicas (ita enim apertè exponitur in d. concilio Lateranensi); ergo ratio facta suam vim retinet. Propter id verò, quod Panormitanus ait, clericum accipere beneficium, ne cogatur mendicare, facilè posset concedi, quòd si clericus si tam pauper, ut nisi ex fructibus beneficii alatur, cogendus sit mendicare, excusetur à restitutione quoad eam partem, quam in suam sustentationem consumpsit. Non quia non peccaverit peccato de se obligante ad restitutionem, sed quia restitutio illa donanda esset pauperibus, et pars illa jam fuit pauperi concessa. At verò si clericus non sit pauper, jam hoc titulo nihil potest accipere, sed tantùm per modum stipendii, si officium suum impleat. Si enim clericus nullum omninò officium in Ecclesiâ faciat, non video, in quo inserviat universæ Ecclesiæ, solùm ex eo quòd clericus est.

9. Aliter ergo Silvester respondet dicens officium, propter quod datur beneficium, non esse solas horas canonicas, sed alia etiam ecclesiastica officia, præsertim ministerium sacrificii, et sacramentorum. Imò addit, principalem causam, propter quam dantur beneficia, esse alia ministeria ecclesiastica, officium verò recitandi esse secundarium, et ideò etiam si omittatur, non obligare ad restitutionem, quia relinquitur alia causa sufficiens, propter quam possit accipi stipendium. Et hoc sensu concludit beneficium non dari propter officium recitandi sub conditione, sed sub modo, et ideò modo non servato, fructus nihilominùs esse beneficiati. Sed hæc responsio Silvestri benè quidem declarat beneficiatum non recitantem, non teneri ex naturâ rei, et secluso jure positivo, ad restituendum omnes fructus sui beneficii, quia recitatio non est adæquatum officium, et consequenter ejus omissio ad totalem (ut sic dicam) restitutionem non obligat, quod ingenuè fatentur Soto, et Medina; imò in hoc excedunt, ut infra dicam. Non verò evitat. Sil-

vester per illam responsionem omnem restitutionem, ut ostendam.

10. Dico ergo primò, in hoc puncto, beneficiarium non recitantem teneri ex naturâ rei ad aliquam restitutionem faciendam. Hoc apud me convincit ratio facta, quòd illud peccatum est contra justitiam commutativam, est enim acceptio mercedis sine redditione laboris. Unde non obstat, quòd beneficium habeat alia servitia, quia inde solùm fit pro illis posse aliquam partem fructuum retinere, prudenti arbitrio, partitione factâ, non tamen inde efficitur, quòd possit omnes retinere, quia officium recitandi est quædam pars adæquati servitii, cui aliqua pars etiam fructuum respondet. Quod verò Silvester ait, hoc officium minùs esse principale, et secundarium. Inprimis licèt fortassè sit verum de officio psallendi, non tamen simpliciter de officio recitandi; nam pensum hoc tanquàm unum ex præcipuis in Eclesiâ habetur inter ea, propter quæ beneficia conceduntur. Deinde esto id concedatur, non refert, satis enim est, ut hæc sit quædam pars muneris debiti ex justitiâ, et non levis, sed satis gravis : nam id satis est, ut graviter lædatur justitia in illius omissione, et ut inde nascatur obligatio restituendi partem fructuum proportionatam illi parti officii, sive illa pars principalior, sive minùs principalis sit. De quo existimo non posse generalem regulam tradi, nam in quibusdam beneficiis videtur hoc pensum esse minùs principale, ut in beneficiis parochiarum, in aliis videtur præcipuum esse, ut in canonicatibus, et similibus. In quibusdam verò est totum officium, quia non habent aliud servitium, ut sunt præstimonia. Quæ consideratio necessaria est, secluso jure positivo, ad definiendum, an restitutio sit facienda integrè, vel ex parte, et si ex parte, an ex majori, vel minori? Nam in præstimoniis, et similibus restitutio esset integrè facienda, quia totum opus talis beneficii omittitur. In aliis verò restitutio partis sufficeret, majoris autem, aut minoris juxta proportionem officii, et servitii, ut dictum est, et in his omnibus consentiunt Soto, et Medina et possunt etiam nunc esse utilia pro tempore sex mensium, de quo nunc tractamus.

11. Addo verò secundò, non videri necessarium ex naturâ rei, ut hæc restitutio fiat in bonis, seu fructibus temporalibus beneficii, sed posse fieri in bonis spiritualibus, quæ fuerunt omissa, atque hoc modo videmur moderari rigorem secundæ sententiæ, qui Panormitanum et alios terruit. Declaratur autem in hunc modum; nam si beneficiarius per sex menses omisit officium canonicum, videbitur satisfacere pro injustitiâ factâ, si per alios sex menses illud officium suppleat. Dices, per hoc non satisfacere priori obligationi, tùm quia quotidiè posteà urgetur novâ, et distinctâ obligatione, tum etiam, quia jam tempus obligationis pertransiit, et ita non habet locum talis recompensatio, propter quod supra dicebamus, qui in uno die omisit officium, non teneri supplere in alio, quia non potest. Sed hæc non obstant, nam quod ad primum attinet, si ille beneficium dimittat, vel illo privetur, non procedit illud impedimentum. Si verò idem beneficium semper teneat, poterit quotidiè duplicatum officium recitare, semel, ut satisfaciat quotidianæ obligationi, et iterùm, donec priorem injuriam resarciat. Nam licèt ad hoc absolutè non cogatur, tamen si vult excusare restitutionem stipendii, necesse est, ut id faciat. Unde facilè respondetur ad alteram partem. Aliud enim est, considerare præceptum recitandi tali die, aliud verò est considerare, nocumentum illatum per omissionem recitationis debitæ. Quoad primum quidem verum est, non posse ampliùs impleri præceptum, prout illo die obligabat, et ideò ex vi solius obedientiæ, vel Religionis, non manet talis obligatio. Atverò secundum, id est, nocumentum, reparabile est, non solùm materialiter, ut sic dicam, reddendo pecuniam, sed etiam spiritualiter compensando omissionem spiritualem, per spiritualem actionem, quod quidem substantialiter, ut sic dicam, fieri potest, satisque esse videtur. Quod hoc exemplo declaro, nam si quis recipit stipendium, ut hâc hebdomadâ determinatâ tres missas diceret, et id omisit, contra pactum peccavit quidem, si tamen postea illâ tres missas dicat, juxta intentionem dantis eleemosynam, non tenebitur stipendium restituere. Idem censeo de illo, qui ex beneficio, vel capellaniâ tenetur tot missas in anno dicere; nam licèt in eo peccaverit graviter, nihilominùs si in altero anno totidem missas integrè, et cum debitâ intentione dicat, non tenebitur restituere fructus illo anno perceptos. Ratio autem est, quia licèt peccatum fuerit in dilatione solutionis, tandem obsequium debitum ad æqualitatem solvitur, et illa injustitia, quæ fuit in circumstantiâ temporis prætermissâ, reparabilis non est. Unde etiam in modo restituendi per redditionem fructuum, vel stipendii, incommodum illud non reparatur. Hic autem discursus totus habet locum in præsenti casu. Quapropter non dubito, quin si quis velit hoc modo restituere, satisfaciat in toto rigore juris naturalis, et secluso positivo.

12. Majus mihi dubium est, an eligendo hunc modum spiritualis restitutionis, teneatur quis in præsenti casu restitutionem facere, in eâdem specie actionis, id est, in recitatione horarum, an possit satisfacere, vel per alias preces æquales, prudentis arbitrio, ut, verbi gratiâ, per integrum rosarium, vel per sacrificium missæ tot diebus repetitum pro illâ intentione, vel similia? Nam si consideremus justitiæ rigorem, videtur necessarium reddere idem opus in specie; nam mercenarius conductus ad fodiendum in vineâ, non satisfaciet aliud opus suo arbitrio faciendo, etiam in Domini utilitatem, et qui debet triticum, non satisfacit reddendo oleum, si possit solvere debitum in propriâ specie. Nihilominùs contrarium censeo dicendum, in præsenti casu, quia quando creditor moraliter, et rationabiliter præsumitur acceptare, sufficit æquivalens compensatio, licèt non sit omninò æquivalens in eâdem materiâ. Ita verò præsumitur in præsenti, quia spiritualis fructus ab Ecclesiâ intentus, potest esse æqualis, vel major in alio

genere spiritualis compensationis, unde illa quasi materialis diversitas non videtur impedire condignam satisfactionem, et potest deservire, ut faciliùs, et suaviùs fiat. Confirmarique hoc potest à simili ex voto junius operis, quod hâc ratione impleri potest per aliud æquale. Solùm posset quis hæsitare, quia officium canonicum dicitur in personâ Ecclesiæ, quæ circumstantia non suppletur per singulares orationes, vel opera, præter missæ sacrificium. Sed dico, neque esse certum, cùm horæ recitantur privatim, dici in personâ Ecclesiæ, neque illam circumstantiam esse reparabilem, postquàm semel officium omissum est. Nam licèt illud officium alio die dicatur, vel repetatur, jam non dicitur juxta constitutionem ab Ecclesiâ præscriptam, et ideò non dicitur in personâ ejus. Hoc tamen non impedit, quin illa sit condigna satisfactio, quia substantia actionis est eadem, et fit meliori modo possibili. His ergo modis limitata, et declarata secunda sententia mihi probatur, et credo posse securissimè ad praxim applicari, etiam nunc pro tempore sex mensium, de quo tractamus.

13. Duo verò supersunt adnotanda circa eamdem legem concilii Lateranensis, prout de eodem tempore loquitur. Quæ video à doctoribus prætermissa, et indigent declaratione. Unum est circa illa verba : *Si post sex menses ab obtento beneficio*, etc. Nam statim occurrit interrogare, quid sit dicendum, si quis per sex primos menses, vel per majus tempus integrè recitavit, et postea cœpit omittere, num incipiat statim obligari peculiari onere restituendi per illam legem imposito, vel semper immunis sit à peculiari pœnâ illius legis, donec sex mensibus recitationem, vel continuè, vel interpolatis diebus, omittat? Nam si spectemus tenorem verborum, videntur in rigore reddere priorem sensum. Aliundè verò videtur hoc difficile creditu. Cur enim erit melioris conditionis ille, qui statim à principio obtenti beneficii iniquè se gessit, ut mitiùs cum illo agat illa lex, quàm cum illo, qui in principio benè se gessit, et postea per fragilitatem humanam, non majori culpâ, neque diuturniori tempore deliquit? Videri ergo potest, habentem beneficium non obligari ad restitutionem ex vi illius legis per primos sex menses, in quibus non recitavit post obtentum beneficium, sive illi sint primi à die obtenti beneficii, sive in quocumque temporis discursu. Nam illa verba : *Si post sex menses ab obtento beneficio*, intelligi possunt de sex mensibus, non solùm obtentionis, sed etiam non recitationis. Sed non oportet vim inferre textui; nam verba concilii, *si post sex menses ab obtento beneficio*, videntur perspicua, et apud Pium V, clariùs dicitur, *si post sex menses, quàm illud obtinuerit;* ergo post sex menses saltem à possessione beneficii, sive in illis quis recitet, sive non, incurritur pœna illius legis non recitando. Unde illi sex menses concessi sunt non habitâ ratione ad initium transgressionis, ut sic dicam, sed ad initium obtentionis beneficii. Quia voluit lex non ita punire novitium, ut sic dicam, in illo munere, quia fortassè in illo tempore solent esse plures occasiones omittendi. Et in hoc sensu est communiter intellecta illa lex.

14. Aliud explicandum est, an is, qui per sex menses non recitavit, maneat liber à pœnâ illius legis, etiamsi per majus tempus duret non recitando; si verò culpa sit diuturnior, eo ipso totum peccatum à principio, maneat obnoxium illi pœnæ? Nam verba textûs videntur ambigua; sic enim habent : *Si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro ratâ omissionis recitatione officii, et temporis.* Ubi non declarat, an loquatur de toto tempore omissionis excedente durationem sex mensium, an de solo illo tempore, quod ultra sex menses additur. Sed sine dubio hoc posteriori modo est illa lex intelligenda. Et ita videntur supponere Navarrus et omnes, tum quia hic sensus mitior est, tum etiam, quia concilium noluit de illis primis sex mensibus quidquam de novo disponere, sive peccatum ultra differatur, sive non. Et hoc etiam videtur indicàsse Pius V, quando declaravit, in omissione illorum sex mensium graviter peccari, et de restitutione nihil dixit.

CAPUT XXX.

Quid teneatur restituere, qui post sex menses non recitat.

1. Principio inquirendum est, an hæc lex obliget ad restitutionem faciendam in conscientiâ ante judicis condemnationem, etiamsi crimen occultissimum sit. Nam Soto, lib. 10, de Just., quæst. 5, art. 6, dixit non obligare, quia credidit concilium non fuisse receptum, et præcessit Pium V. Atverò Medina qui constitutionem Pii V novit, ausus est dicere, decretum illud esse pœnale, et non obligare, donec judex præcipiat.

2. Tria ergo breviter dicenda sunt : Primum est, stante decreto concilii Lateranensis in suâ vi, restitutionem hanc esse faciendam in conscientiâ ante judicis condemnationem, licèt delictum occultissimum sit. Probatur primò ex illis verbis : *Beneficiorum suorum fructus suos non faciant.* Nam lex potens est ad impediendam acquisitionem dominii, et verba illa sufficienter significant hunc effectum; ergo faciunt illum. Sed nemo potest retinere, quod suum non est, sed in conscientiâ tenetur reddere, cui debetur, ergo. Confirmatur ex illis verbis : *Sed eos tanquàm injustè perceptos erogare teneatur.* Nascitur ergo illa obligatio ex injustitiâ; ergo urget in conscientiâ seclusâ coactione. Secundò dico, saltem post constitutionem Pii V, dubitari non posse de vigore illius legis, quia ipse ita illam declarat, ut eam de novo statuat, si necesse sit, dicens : *Nos huic rei evidentiùs, atque expressiùs providere volentes, statuimus*, etc. Nec dubitari potest, quin illa pontificia constitutio ita sit usu recepta, ut obliget. Neque Medina hoc vocavit in dubium, neque homines pii et docti. Addo, ex illâ colligi, etiam antea decretum concilii habuisse robur suum, et vim. Tertiò assero, legem Pii V, in hâc parte, non ita esse pœnalem, aut desiderare judicis actionem. Tùm quia ipse non statuit novam pœnam, sed declarat, quomodò sit facienda restitutio à concilio præcepta, relinquens debitum restituendi in eo gradu, et modo, quo per

concilium fuerat inductum. Tùm etiam quia ipse utitur illo modo loquendi talem, vel talem partem fructuum amittat, et priùs retulerat illa verba concilii : *Fructus suos non faciat, et tanquàm injustè perceptos*, etc. Et in illis fundat constitutionem suam.

3. Ex his ergo concluditur, hodiè restitutionem esse faciendam juxta tenorem, et modum à Pio V præscriptum, et in conscientiâ, nullâ exspectatâ judicis sententiâ. Ita sentiunt Navarrus dist., cap. 7, de Orat., num. 32, et in Manua., cap. 21, num. 122, Covarruvias, lib. 3 Variar., cap. 13, in fine, Corduba in Summ. Hisp., q. 33, Durantus, Graffis, et alii supra citati.

4. Secundò declarandum est, quid sit restituendum, an simpliciter omnes fructus beneficii, seu beneficiorum, vel tantùm ea pars, quæ officio recitandi in beneficio correspondet? Soto hoc posteriori modo interpretatur decretum concilii, solùm, quia alius sensus videtur nimiùm rigorosus. Ipse verò interpretationem non accommodat verbis concilii; posset autem accommodare ad illa : *Non faciat fructus suos pro ratâ omissionis recitationis officii, et temporis;* nam illud *pro ratâ* videtur intelligendum respectu fructuum beneficii non simpliciter, sed prout recitationi correspondent, ac debentur. Sed tamen hanc evasionem excussit Pius V : Primò, quia declaravit, *ratam* intelligendam esse per proportionem ad horas canonicas, et recitationem earum, ut postea exponemus; secundò, quia dixit : *Omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus*, etc., *ejus diei amittat.*

5. Nihilominùs Medina perstitit in sententiâ Soti, quia putat continere evidentem justitiam, et æquitatem; et eum secuti sunt Aragon et Ludovicus Lopez. Ad Pium autem V, duobus modis respondent : Primò, ut solùm loquatur de beneficiis, quæ nullum habent servitium præter recitationem officii. Sed hoc improbabile est. Tùm quia concilium Lateranense expressè dicit : *Quicumque habet beneficium cum curâ, vel sine curâ.* Et hoc refert Pius V, et vocat *salubrem sanctionem*, quam confirmat, tùm etiam quia declarat extendi ad præstimonia, et quæcumque alia beneficia etiam nullum servitium habentia. Secundò respondent, verba illa : *Omnes beneficii seu beneficiorum suorum fructus*, etc., restringenda esse ad illos fructus, qui juxta proportionem ab ipsis excogitatam recitationi horarum correspondent.

6. Nihilominùs dicendum est, ex vi illius legis restituendos esse omnes fructus beneficiorum omnium, quæ habet ille, qui non recitat, cum proportione declaratâ à Pio V. Ita tenent Navarrus, Covarruvias, Durantus, Graffis, et alii supra citati, et Valentia, 3 part., quæst. 2, ultim. punct. in fine, et Petrus Navarra, lib. 2 de Rest., capite 2, à numero 183, præsertim numero 196, et sequentibus, et Azor. lib. 10, cap. 14, quæst. 5. Ratio non est alia nisi verba concilii, quæ Pius V tam expressè declaravit, additâ distributione, ut nemo possit propriâ auctoritate, illa limitare; sic enim ait : *Omnes beneficii seu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent quotidiè dividerentur.* Sed aiunt, cùm ait *omnes*, loqui tantùm de omnibus respondentibus obligationi recitandi. Sed contra; nam isti fructus (secundùm illos auctores) non sunt omnes fructus beneficii; at Pius loquitur de omnibus fructibus beneficii, imò et beneficiorum. Item, illi non sunt fructus, qui correspondent *illi, vel illis diebus absolutè*, ut Pontifex loquitur. Præterea, juxta illum sensum etiam dicere potuisset, pro quâlibet horâ restituendos esse omnes fructus beneficii, subintelligendo non simpliciter, sed respondentes illi horæ. Ad hæc, Pontifex præmittit, se velle providentiùs, et expressiùs circa declarationem illius *ratæ*, disponere; atverò si admittatur additio, et proportio illorum auctorum, nec evidens nec expressa est declaratio, sed tam obscura, et arbitraria relinquitur, sicut antea, in puncto præcipuo, et maximè dubitabili. Præter hæc habet hìc locum ponderatio verbi, *statuimus*, supra relata ex Navarro, nam ibi aliquod jus novum statuitur, illa autem restitutio cum illâ proportione ex ipso jure naturæ debebatur, ut Soto concedit; ergo aliquid ampliùs per hoc jus novum statuitur. Item, aliàs nulla esset differentia inter sex primos menses, et reliquum tempus, quod etiam est clarè contra intentionem illius legis. Denique, licèt beneficium detur propter plura officia, nihilominùs lex potuit punire omissionem unius officii, privatione omnium fructuum, etiam respondentium aliis servitiis, quia lex potest non solùm privare stipendio quasi adæquato officio omisso, sed aliam privationem addere in pœnam justam. Hoc autem planè fecit illa lex, ut ex verbis citatis constat.

7. Dices : Ergo saltem quoad illam partem est lex illa omninò pœnalis; ergo ad illud, quod pœnale est, non obligabit ante condemnationem. Respondetur negando consequentiam. Primò quia lex potest suis verbis per se ipsam ita inferre pœnam, ut ex illâ sequatur statim obligatio in conscientiâ, et hanc vim habent verba illius legis, ut ponderavimus. Deinde quia per illam legem virtute factum est, ut beneficium ecclesiasticum, licèt detur propter aliud servitium, nihilominùs sub hâc conditione detur, ut recitet, qui illud habet, aliàs etiam aliud servitium, seu stipendium ejus amittat. Et ideò quando non impletur illa conditio, statim oritur obligatio non retinendi ullos fructus beneficii, pro ratâ omnium illorum.

8. Unde constat, hoc solùm esse verum de fructibus unius beneficii, sed etiam plurium, et omnium, quæ persona habuerit, quia ita declaravit Pius V, et quia non est major ratio de uno, quàm de alio, et quia singula, et omnia sub illâ conditione data sunt. Solùm necesse est ut in singulis sex primi menses excipiantur cum proportione. Denique intelligitur ex dictis, nunc post sex menses non habere locum compensationem spiritualem, quam dicebamus supra ex naturâ rei potuisse sufficere, quia lex præscripsit hoc genus pœnæ, et restitutionis, et homo non potest commutare pœnam, per legem impositam. Præsertim, cùm lex impediverit translationem dominii, sine quo nemo habet titulum, quo possit justè restituere tales fructus.

9. Sed oportet tertiò exponere hanc *ratam* an sit cum exactâ proportione, et usque ad nimiam dividenda? Ait enim Soto pro uno, aut duobus diebus non teneri quempiam restituere. Medina verò generaliùs dicit pro omissione paucorum dierum nihil esse restituendum. Et deinde ponit exemplum in octo, vel decem diebus. Imò addit, etiamsi quis per annum integrum omittat, non esse necessarium restituere totum exactè et integrè, sed posse moderatam partem retinere. Quæ fundant solùm in quâdam morali accommodatione, quia dominus temporalis, nisi sit nimiùm rigidus et tenax (quod de Deo sentiendum non est), non privat famulum stipendio propter aliquos defectus leves, nec propter omissionem gravem privat exactè omnibus fructibus, ergo multò magis ita de Deo sentiendum est.

10. Sed hæc moralis persuasio ad summum, haberet locum in terminis juris naturalis, ut supra tractatum est; atverò stante lege positivâ definiente, et taxante hanc pœnam usque ad minima (ut ita loquamur), non licet nobis uti conjecturis ad legem enervandam; nam cùm concilium statuit, ut qui post sex menses ab obtento beneficio per quindecim dies non recitaverit saltem bis, privetur beneficio, ergo non est credibile, ut per decem, ve. octo dies omittens officium, in illius legis pœnam non incidat. Item cùm Pius V taxet, quid restituendum sit pro dimidiâ parte officii prætermissâ, quis nunc dicere potest ex omissione duorum dierum nullam oriri obligationem? Præterea si Medina suâ conjecturâ rectè duceretur, dicturus consequenter fuisset beneficiarium non peccare mortaliter ex vi transgressionis contra obligationem beneficii non recitando per octo, aut decem dies, quia benignus princeps, aut dominus non privat subditum, aut famulum gratiâ, et amicitiâ suâ, propter levem negligentiam; ergo vel in eo casu beneficiarius non peccat mortaliter, vel illa dici non potest levis omissio, aut offensio domini, et ita non procedit conjectura. Tandem lex illa impedit translationem dominii fructuum correspondentium illis temporibus, diebus, aut horis, nullo ergo titulo retineri possunt.

11. Dicendum ergo est cum communi sententiâ, taxam, et distributionem à Pio V declaratam, ad amussim servandam esse. In eâ enim inprimis asserit: *Qui uno vel pluribus diebus omnes horas canonicas intermiserit, omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus corresponderent, si quotidiè dividerentur;* si verò non uno die integrum officium prætermittat, pro dimidiâ parte officii vult amitti dimidiam partem fructuum illi diei correspondentium. Dimidiam autem partem horarum declarat esse matutinum (quod simul cum laudibus intelligo), aliam dimidiam partem ex omnibus aliis horis conficit, et quoniam illa sunt sex, illas reputat æquales, et pro uniuscujusque omissione, *sextam partem fructuum ejusdem diei amitti* declaravit. Quod intelligo de sextâ parte fructuum dimidii diei naturalis, seu de fructibus diei artificialis; nam altera pars respondet nocti, seu officio nocturno. Hunc enim sensum justa proportio postulat, atque juxta similem proportionem de laudibus censeo, ut si solæ omittantur tanquàm una de parvis horis reputetur, quia reverà habent æqualitatem moralem. Addit denique Pius extensionem hujus pœnæ ad distributiones quotidianas cum eâdem proportione, etiam pro his, qui choro præsentes sunt, si nec ibi, nec domi recitent illas horas, quibus assistunt. Ita enim illam extensionem intelligendam puto. Ac tandem infrà, eamdem pœnam cum eâdem partitione extendit ad pensiones respectu officii parvi B. Virginis.

12. Ex dictis ergo colligo, per argumentum à contrario, vel potiùs à definitâ legis taxatione, pro minori omissione, quàm sit unius horæ integræ non contrahi aliquam obligationem restituendi, solùm enim taxatum est, quid pro singularum horarum omissione restituendum sit. Cùm autem sit lex rigorosa, videtur restringenda ad terminos suos, præsertim cùm peculiariter sit facta ad declarandam restitutionem pro ratâ temporis et horæ. Verumtamen licèt hæc regula pro singulis sex minoribus verisimilis videatur, pro matutino admitti non potest, nam (ut dicebam) non est minor ratio restituendi aliquam partem proportionalem fructuum pro laudibus omissis, quàm pro primâ, vel vesperis, et tamen, juxta opinionem magis communem, laudes non sunt aliqua hora integra, sed pars alicujus horæ. Consequenter verò idem dicendum videtur de omissione unius nocturni, vel alterius similis, vel proportionalis partis matutini. Nam procedit eadem ratio. Unde non videtur illa regula quasi materialiter sumenda, sed formaliter, ut pro sextâ parte medietatis officii, quæ est duodecima totius officii integri proportionalis pars fructuum omittatur.

13. Vel fortè generalior regula erit, ut quoties omissio est mortaliter peccaminosa oriatur obligatio restituendi, non verò quando est tantùm venialis. Quæ pars posterior indubitata est, et non indiget limitatione, nam licèt fructus beneficii sint copiosi, ita ut singulis partibus minimis officii respondeat pars fructuum gravis quantitatis, nihilominùs indè non oritur obligatio restituendi, quia fundamentum illud leve est, simpliciter non est transgressio præcepti. Atverò è converso, quando omissio est mortaliter peccaminosa, considerandum ulteriùs videtur, an pars fructuum illi omissioni correspondens, consideratâ tenuitate beneficii, tam parva sit, ut respectu furti, verbi gratiâ, non sufficiat ad peccatum mortale, nam tunc censeo excusari à restitutione, ex levitate materiæ. Nam licèt culpa omissionis ratione materiæ spiritualis, et divinæ fuerit gravis, respectu pœnæ, et restitutionis materia illa temporalis, est levis. Sed cavendum est, ne cum aliis similibus, moraliter, et paulatim conjungatur, nam tunc materia erit gravis, et consurget obligatio, sicut in furtis minimis contingit.

14. Statim verò suboritur dubium, an si peccatum illud mortale consistat in solâ voluntariâ distractione, absque omissione externæ prolationis, quamvis sine attentione ullâ, inde oriatur hæc obligatio restituendi? Quamvis enim supra dixerimus illud esse pecca-

tum mortale, contra præceptum ecclesiasticum, et ita videatur omissio præcepti, nihilominùs quoad hanc pœnam potest esse ratio dubitandi. Quia concilium Lateranense solùm dixit : *Qui divinum officium non dixerit*, ille autem, qui sine attentione dicit, reverà dicit. Nihilominùs tamen censeo illum etiam incurrere hanc pœnam. Ita sentit Navar., cap. 13, de Orat. numero 17, et 19, et supra idem diximus cum aliis contra Cordubam, lib. 4, quæst. 13, et alios. Quia illa non est oratio, nec recitatio, quæ ab Ecclesiâ præcipitur, et ita est vera omissio præcepti. Et verba concilii formaliter intelligenda sunt; nam dicere officium canonicum juxta sensum jurium, et pontificum idem est, quòd orando illud recitare. Unde Pius V, postquàm retulit illa verba concilii, postea dixit : *Qui horas canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiserit;* qui autem sine ullâ attentione dicit, reverà intermittit horas, quia tunc non recitat.

15. Hinc verò intulerunt aliqui, obligandum esse ad restituendum beneficiarium, qui existens in peccato mortali recitat horas ; putant enim illum non implere præceptum, quia illa oratio non est fructuosa Ecclesiæ, talis autem oratio præcipitur ministris Ecclesiæ. Sed hoc probabile non est, quia ille, quamvis sit in peccato mortali, implet ecclesiasticum præceptum, sub quod non cadit, ut oratio sit satisfactoria, ut est opus operantis, quoad impetrationem verò, semper poterit esse impetratoria præsertim in personâ Ecclesiæ, et ipsum opus secundùm se placet Deo, licèt particularis persona displiceat. Neque obstabit, quòd peccatum illud beneficiarii publicum sit, quidquid dixerit Angelus verb. *Clericus*, 8, numero 5, quia ratio facta in utroque peccato tam publico, quàm occulto procedit. Nec verum est, quod Angelus supponit, clericum publicum peccatorem esse suspensum ab officio, et beneficio propriâ Ecclesiasticâ censurâ, ut benè notavit Silvester, verb. *Clericus*, 4, numero 17, quæst. 24, et nos in lib. de Censuris diximus.

16. Sed quid, si è contrario contingat aliquem beneficiatum exteriùs non dicere officium absque peccato coram Deo, non ob legitimum impedimentum, sed propter naturalem oblivionem, vel aliam ignorantiam invincibilem? Nam videtur obligari, tum quia de facto non exhibet servitium propter quod recipit stipendium, tum etiam quia (ut dixi) illa non est tantùm pœna propter culpam, sed est etiam conditio, sub quâ datur tale stipendium. Nihilominùs censeo, hunc esse à restitutione excusandum, non solùm quoad fructus bonâ fide consumptos, ex quibus non est factus ditior (de quibus dubium non est), sed simpliciter de omnibus. Ratio est, quia lex illa est pœnalis, et ideò restringenda, ut non imponat pœnam; nisi ibi intercesserit culpa. Unde non oportet intelligi, illam esse conditionem quasi affirmativam, *si dixerit*, sed negativam, *si non omiserit*, seu *non intermiserit* (ut dixit Pius V) utique *culpabiliter*, seu *voluntariè*, hoc enim est propriè omittere. Accedit, quòd concilium inquit : *Si officium divinum non dixerit legitimo impedimento cessante.* Naturalis autem oblivio, vel ignorantia invincibilis, legitimum impedimentum censeri potest. Et infrà ait : *Eos tanquàm injustè perceptos*, ergo ad restitutionem postulat titulum injustæ acceptionis. Item infra inquit : *Si ultra dictum tempus in simili negligentiâ contumaciter permanserit;* ubi expendo illam particulam *simili;* nam supponit, oportere omissionem esse ex negligentiâ culpabili. Ergo ubi non intervenit culpa, non incurritur hæc pœna.

17. Ultimò inquiri potest, cui sit restitutio facienda. Hoc verò in ipsâmet lege, satis declaratum est illis verbis : *In fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Quæ verba disjunctiva sunt, et ideò videtur libera electio relinqui ipsimet beneficiario, ut quam maluerit partem eligat. Quæri autem potest, an possint extendi ad alios pios usus, ut sunt sacrificia, et capellaniæ, suffragia, vel anniversaria pro defunctis, et similia. Respondeo cum Navarro in Manua., cap. 25, numero 122, et cap. 7, de Orat., numero 32, quem juniores sequuntur, inprimis excipiendos esse duos census. Unus est, quando ex lege, vel statuto approbato, vel consuetudine, quod unus non recitando amittit, aliis canonicis, vel clericis ejusdem Ecclesiæ accrescit. Ut in distributionibus observatur juxta cap. 1 de Cleric. non resident. in 6; et idem erit in aliis fructibus, seu in glossâ, ut vocant, ubi de illâ idem fuerit statutum. Alter casus est, quando ex peculiari statuto fructus malè percepti applicati sunt ad aliquod certum opus pium; tunc enim in illud restitutio est facienda. Ratio est, quia nec concilium nec Pius V, prohibent similia statuta, vel consuetudines, neque in hâc parte habent aliqua verba derogatoria; neque principalis intentio illius constitutionis est disponere de his, quibus facienda est restitutio, vel respicere ad illorum utilitatem; sed præcipuè, ut restitutio fiat cum effectu, determinat autem, cui facienda sit, quando illud aliàs fuerit indeterminatum, et sine præjudicio alterius, cui aliâ ratione illud accrescebat.

18. Extra hos verò casus servanda est determinatio concilii ex mente illorum auctorum, quia excipiendo tantùm illos duos casus, regulam in contrarium firmare videntur. Solùm adverto, membrum illud de eleemosynis pauperum satis latam posse habere interpretationem. Nam si sacerdos pauper sit, non erit ab hâc restitutione alienum illi dare eleemosynam cum onere dicendi missas aliquas, præcipuè si in satisfactionem offensæ Deo factæ non recitando, vel pro illis fidelibus, qui fructus beneficiorum persolverunt, dici præcipiantur. Item si vivis pauperibus eleemosynæ fieri possunt ex talibus bonis, poterunt etiam fieri pauperibus defunctis, dando eleemosynas, ut suffragia, et sacrificia pro illis fiant. Ad omnia ergo illa opera, quæ sub eleemosynis pauperum comprehendi possunt, fieri potest extensio, non tamen extra illa.

19. Sed an restringendum hoc sit ad pauperes illarum Ecclesiarum, ubi sunt beneficia. Nam in priori parte de fabricis apertè fit restrictio *ad fabricas hu-*

jusmodi beneficiorum. Circa quæ verba adverto, multos illa perinde accipere, acsi dictum esset : *In fabricas ecclesiarum talium beneficiorum*, in neutro autem textu habetur illa particula *ecclesiarum*, neque oportet illam addere, quia sine illâ est latior concessio, et non est à nobis restringenda. Posset enim ædificari domus pro beneficiario, vel pro fructibus beneficii colligendis, vel etiam possent tales fructus expendi in utilitatem prædiorum ipsiusmet beneficii, ut ejus fructus in perpetuum augerentur. Hæc enim, et similia sub fabricis beneficiorum comprehenduntur, etiamsi propriè non sint fabricæ ecclesiarum. Omninò autem illa pars restricta est ad ipsa beneficia, ita ut non possint ex talibus restituendis alia templa, vel Ecclesiæ ædificari, aut restaurari, nisi talis fabrica possit aliâ ratione sub eleemosynis pauperum comprehendi. Dubitari ergo potest, an illa restrictio *hujusmodi beneficiorum* utrique membro adjuncta intelligatur, ac si esset repetita, *Ad eleemosynas pauperum eorumdem beneficiorum*, vel sit ad illud tantùm membrum restringenda, cui expressè adjuncta est, ita ut pauperes absolutè intelligantur, cujuscumque ecclesiæ, vel loci sint?

20. Ergo hoc posteriori modo hanc legem intelligo, quia nihil est, quod obstet, et est favorabilior sensus, et satis consentaneus charitati christianæ, quæ ad omnes pauperes, maximè fideles extenditur, et reddit faciliorem hanc restitutionem, et suaviorem. Est enim satis prudens, et fragilitati humanæ accommodatum consilium, quòd hi clerici hâc obligatione restituendi onerati, largas eleemosynas faciant, ubi resident, etiamsi beneficium alibi existat et ut quascumque fecerint sive ordinarias, sivè extraordinarias intuitu restituendi eas faciant, sic enim restitutio facilior, et certior erit. Item benè Navarrus advertit, si clericus pauper sit, posse sibimet aliquid in partem restitutionis applicare, quia si ipse pauper est, illa est eleemosyna, quam non tam ipse sibi, quàm Pontifex per eum ipsimet facit. Quia verò difficilè est, rectum judicium ferre circa seipsum, ideò rectissimè faciet, si prudentis confessarii, vel alterius viri docti concilio utatur. Et eâdem ratione extendi hoc potest ad pauperes consanguineos, in quibus majus est periculum et ideò magis necessarium est alienum judicium. Denique eleemosynæ omnes, quas ex fructibus beneficii fecit toto illo tempore, in quo non recitavit, ubicumque illas fecerit, poterit, ut jam restitutas computare, quia nunquàm illos fructus fecit suos, et eos tradidit, quibus tradendi erant. Et ita jam non manet obligatus ratione rei acceptæ, quia illam apud se non retinet, nec ratione acceptionis, quia jam executioni mandavit pœnam, et restitutionem per legem impositam.

21. Tandem motum est ab aliquibus speciale dubium de pensionariis, an debeant etiam restituere fabricæ, vel pauperibus; vel potiùs debeant, non accipere pensionem à beneficiario solvente illam, vel omnes fructus pensionis ei restituere, si eos jam acceperunt? Videtur enim hoc secundum fieri probabile ex eo, quòd pensionarius non recitando, fit incapax talium fructuum, beneficiarius autem non tenetur solvere pensionem, nisi personæ capaci; unde si pensionarius sit excommunicatus, nec potest exigere fructus pensionis, neque alter tenetur dare, ut in tom. 5, par. disput. 13, sect. 2, diximus, ergo idem est in præsenti. Contrarium nihilominùs censeo probabilius. Primò, quia Pius V, dicit absolutè, pensionarium non recitantem *esse obnoxium amissioni fructuum modo prædicto*. Modus autem prædictus erat, ut non recitans non faciat fructus suos, sed eo ipso maneant applicati fabricæ, vel pauperibus, ergo eadem dispositio procedit in fructibus pensionum. Unde quidquid sit de excommunicato, exemplum non est simile, quia ille est omninò incapax, et quasi pro mortuo reputatur, ut ait Gigas, de Pension. q. 36, numero 5, et de fructibus ejus nihil aliud in particulari disposuit lex; hic autem, quia non recitat, non est simpliciter incapax, sed solùm lege impeditur, ne tunc acquirat fructus tali modo, et cum tali onere. Accedit, quòd potest compensationem à Papâ postulare, et de facto conceditur, tanquàm de restitutione, quæ non debetur certæ personæ, non enim concederetur in præjudicium tertii, signum ergo est, non deberi beneficiario. Unde etiam fit, non posse illi reddi, neque apud eum relinqui, neque ipsum posse fructus illos denegare, ut sibi retineat, quia nullum habet titulum, neque omissio officii pensionarii ei contulit novum jus, sed in ecclesias, seu pauperes virtute legis ecclesiasticæ, fuit suo modo translatum.

MONITUM.

Theologiarum auctores qui brevitati potissimùm student, tres sequentes tractatus de Purgatorio, de Indulgentiis et Jubilæo, sacramento Pœnitentiæ annectere solent; in longioribus verò theologicis operibus, illi ut plurimùm tractatus separatim veniunt, sive ob rerum de quibus agunt amplitudinem et excellentiam, sive ne in immensum producatur ingens de Pœnitentiâ tractatus. Posteriorem hanc methodum non possumus non amplecti, quoniam nullus hactenùs, nostro quidem judicio, de rebus theologicis discursus institutus est, qui nostro huic operi pro formæ magnitudine aut justâ inter se partium proportione possit æquiparari. Propter eamdem rationem *Hierarchiam* et *Breviarium* ab Ordinis sacramento, cui solent adjungi, detraximus, eamdem viam pro aliis tractatibus, prout se ferebat occasio, passim secuti.

DE PURGATORIO.

AUCTORE COLLET (1).

De Purgatorio tractatum, in quinque capita partiemur. Primum erit de nomine et essentiâ Purgatorii; secundum existentiam ejus contra veteres recentioresque hæreticos vindicabit; tertium potiores ejus circumstantias, subjectum videlicet, pœnas, pœnarumque gradum, durationem, locum, etc., expendet. Quartum militantis Ecclesiæ officia erga purgantem prosequetur. Quintum aperiet quibus hæc mediis ab illâ juvari possit.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus et essentiâ Purgatorii.

1. Purgatorium multis apud veteres Liturgias donatur nominibus. In illis enim passim vocatur locus doloris et gemitûs; locus purgationis; ignis transitorius; via tenebrosa; lacus profundus; quin et Infernus. Ut autem qui nobis circa rem nomine significatam consentiebant Græci, ne nomine quidem dissentirent, sanxit Innocentius IV, in Epist. ad Ottonem cardinalem Tusculanum, at *ae cætero apud illos*, quemadmodùm et apud Occidentales, *isto* Purgatorii *nomine appelletur* locus in quo post mortem mundantur animæ, quibus luendum aliquid superest.

2. Purgatorium definitur locus doloris, in quo justorum animæ luunt pœnam suis peccatis debitam, donec ab iis penitùs mundatæ transeant ad societatem beatorum.

3. Dicitur 1° : *Locus doloris*, quæ vox est loco generis : per eum enim convenit Purgatorium cum tartaro, atque etiam, juxta plures, cum infantium minimè baptizatorum Limbo, si fortè is à reproborum inferis distinguatur.

4. Dicitur 2° : *In quo justorum animæ*. Purgatorium enim neque constitutum est reprobis, quibus nulla est redemptio, nulla proinde mundatio; neque justis omnibus, sed aliquibus tantùm. Unde

5. Dicitur 3° : *Luunt*, seu, ut alii dicunt, *satispatiuntur pœnam peccatis suis debitam*. Sublato enim culpæ reatu manet aliquando pœnæ reatus : is autem cùm in præsenti vitâ expunctus non est, in aliâ necessariò debet expungi, prout ex dicendis innotescet.

6. Dicitur 4° : *Donec ab eis mundatæ transeant ad societatem beatorum*. Exigit enim divina benignitas, ut qui parem levioribus suis delictis pœnam tulêre, in æterna tabernacula aliquando tandem recipiantur; sicque *per ignem*, salvi fiant, prout loquitur Apostolus.

7. In hâc nostrâ definitione voces, *in quo justorum animæ*, etc., differentiæ locum habent : per eas enim distinguitur Purgatorium, tum à beatâ sanctorum regione in quâ *neque luctus* est, *neque clamor, neque dolor*; tum ab inferno, cujus incolæ *nocte ac die cruciabuntur in secula seculorum*, Apocal. 20, 4, et 21, 10; tum à Limbo Patrum; quia quæ in eo detinebantur justorum animæ, jam expiatæ erant, seu dùm in vivis degerent, seu in igne purgatorio; tum et ab infantium Limbo, qui et eorum sedes est æterna, et à pluribus in superiori inferorum parte constituitur.

(1) Vide Collet vitam, vol. præced., nempe decimo septimo Theologiæ, col. 9-10, ad tractatus de Censuris et Irregularitatibus.

CAPUT II.

De existentiâ Purgatorii.

8. Multi recensentur Purgatorii hostes, et quidem 1° Aerius, vir Armenus, Sebasteni Xenodochii rector, Arianæ factionis vindex acerrimus. Is enim docuit seculo IV vivorum suffragia non prodesse defunctis, prout referunt Epiphanius, hær. 75, et Augustinus, hær. 53.

Verùm, ut solidè advertit Suarez, tomo 4, in 3 p. S. Thomæ, disp. 45, sect. 1, etsi error iste affinis sit errori eorum qui Purgatorium inficiantur, nullam tamen cum eo necessariam connexionem habet. Posset enim quis et confiteri Purgatorium et negare *purgantes animas* juvari à viventibus. Id autem ab Aerio factum suadent utcumque hæc ejus apud Epiphanium verba : *Quæ ratio est post obitum mortuorum appellare nomina. Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset, quid ex eâ re tandem ad mortuum redit? Quòd si superstitum preces iis qui ex hâc vitâ discesserint, opitulari possunt; nemo piè deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat; sed amicos sibi aliquos quâcumque ratione velit, adjungat; sive pecuniarum largitione, sive precibus hoc ab illis sub vitæ finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium à se facinorum pœnæ repetantur.* Ubi non negat Aerius hominem in alio seculo *aliquid incommodi* pati; sed supponit ita pati, ut ab alio homine juvari non possit, nisi fortè crediderit aut credere finxerit, reprobos, in opinione Catholicorum, posse viventium suffragiis adjuvari; quod et postrema ejus apud Epiphanium verba subindicant. Quanquàm in eo sæpiùs peccant theologi, quòd hæreticos accuratè et in omnibus ad amussim discurrisse contendunt; tametsi vel ipsi Ecclesiæ Patres, non semper solidè argumentati sint. Utut est,

9. Secundum inter Purgatorii hostes locum obtinere solent Albanenses, sic nuncupati ab Albaniâ olim Macedoniæ provinciâ, et sub Leone III, circa an. 786, exorti. Erant hi indigna Manichæorum et Apollinaristarum propago, sed digna quæ Lutheranis et Calvinistis hâc in parte præiret.

10. 3° Idem sensus disertè affingitur tum Walden-

sibus à Guidone Carmelitâ et S. Antonino; tum Apostolicis (si tamen hi à Waldensibus differant) viris, teste Bernardo, serm. 66, in Cantic., agrestibus, *qui non credunt*, ait S. doctor, num. 11, *ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire vel ad damnationem.*

11. 4° In idem conspirârunt Henriciani, quorum dux Henricus quidam eremita, circa an. 1147, Petrobrussiani, ab antesignano suo Petro de Bruis, nomen sortiti; Albigenses, qui cum Purgatorio etiam infernum tollebant, prout ex B. Antonino refert Bellarminus, tract. de Purgatorio, lib. 1, cap. 2, tomo 2, pag. 572.

12. 5° Idem commentum à quibusdam tribuitur Wiclefistis et Hussitis : *Fortè falsò*, ait ibid. Bellarminus, *cùm nihil tale eis tribuat concilium Constantiense, nec Thomas Waldensis.* At jam dicere licet, non *fortè*, sed indubiè *falsò*, cùm Purgatorii fidem à Joanne Hus constanter fuisse assertam, invictè probet Jacobus Lenfant, in suâ concilii Constantiensis Historiâ, lib. 3, n. 54, pag. mihi 281. Idem de Wiclefo tradit illustrissimus Bossuetius, libro 2 Historiæ variationum, n. 157. Uterque meritò. Siquidem Joannes Hus, tract. de Corpore et Sanguine Domini, cap. 4, hos Eucharistiæ effectus recenset : *Purgari à peccatis, proficere in virtutibus, liberari à pœnâ Purgatorii, quam deberet homo pati.* Wiclefus verò, lib. 2 Trialogi, cap. 22 : *Est*, inquit, *Ecclesia triplex, scilicet militans, dormiens et triumphans. Militans est corpus prædestinatorum, dùm hîc viat ad patriam. Ecclesia dormiens est prædestinati in Purgatorio patientes*, etc. Et cap. 40 : *Cùm multæ animæ sint interim in Purgatorio expiandæ*, etc. Ecce ut doctores illi, quos pseudoreformati uti magistros suos venerantur, exitiales, teste infra Calvino, errores docuerunt.

13. 6° Idem error Armenis et Græcis adscribitur à prædicto Guidone; vixque dubium quin Græci in hujus erroris suspicionem venerint; cùm et eum impugnaverit S. Thomas, in opusculo contra Græcos, et eumdem in ultimâ sessione reprobaverit Florentina synodus, cui propositum erat certos vel dubios Græcorum errores profligare. Constat tamen à Græcis in Ferrariensi concilio, sess. 1, assertum fuisse, quòd Purgatorium ejusque tenebras et labores minimè negarent, sed tantùm Purgatorii ignem. Aliud porrò est modum, aliud rei substantiam inficiari.

14. 7° Lutherus, vir ad conditionum et opinionum variationes natus, primùm illibatam habuit Purgatorii fidem. *Ego*, aiebat in disputatione Lypsicâ, *qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem.* At non diù stetit novator intra puræ fidei limites, sed sensim et per gradus eò devenit, ut *fortiter crederet et sciret* non esse Purgatorium. Unde in Libro ad Waldenses : *Cùm*, inquit, *negatis Purgatorium, damnatis vigilias, cœnobia, monasteria..... per omnia etiam probo.*

15. 8° Non is erat Calvinus, qui nactam longiùs ab Ecclesiâ Romanâ discedendi occasionem totis ulnis minimè arriperet. Docet ergo, libro 3 Instit., c. 5, § 6. Purgatorium esse *exitiale Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, quod fidem labefacit*, etc. Idem sensêre cæteri ejusdem temporis hæretici, præcipuè verò Bernardinus Ochin, Petrus Martyr, etc.

16. In aliud extremum cessit Origenes : is enim sic admisit Purgatorium, ut nullas post hanc vitam pœnas agnoverit, nisi purgatorias; unde non impiis modò, sed et ipsis dœmonibus æquo tandem cruciatu purgatis salutem pollicitus est, ut refert Augustinus, libro 21, de Civ. Dei, cap. 17, ubi et alios adducit, qui non equidem dæmonibus, sed hominibus universis indulgentiam hanc sponderent. Sit jam

17. Conclusio. Existit Purgatorium. Est de fide.

Prob. 1° ex veteri Testamento, Tob. 4. Postquàm Tobias senior filium suum, eam quam cum egenis viventibus agendi rationem servare deberet, his edocuit verbis : *Panem tuum cum esurientibus comede*, sic prosequitur, v. 18 : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue.* Atqui non alius esse potest verborum istorum sensus, quàm iste : *Post justi mortem largire pauperibus eleemosynam, ut eâ susceptâ orent pro animâ defuncti.* Minor patet 1° quia non utique intendebat Tobias, ut super justi sepulturam constituerentur panis et vinum ad ejusdem justi pabulum, prout moris erat apud paganos. Neque enim vel eò usque desipuit vir sanctus; vel praxim hanc quæ apud Judæos tempore Christi perseverabat ut impiam redarguere omisisset Christus, ut tot alia levioris momenti in Pharisæis redarguit. 2° Quia nostrum hunc sensum iisdem verbis constanter affinxêre Patres et interpretes : *Cùm*, inquit Chrysostomus, hom. 32, in Matth., *post mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros, ut pro eis velint orare, obsecras?* 3° Quia hinc nata est consuetudo, quæ olim in Ecclesiâ fuit, nec desiit omninò, ut affines defuncti instruant convivium, et ex cibo et potu aliquid mittant ad pauperes, ut orent pro animâ defuncti. 4° Quia eò tendit istud Eccli. 7, v. 37 : *Mortuo non prohibeas gratiam.* Certè ut non est Deus mortuorum, sic nec cadaveri gratia est. Ergo hæc solam mortui animam afficere potest. Quâ porrò ratione, nisi illius maculas abluendo?

18. Machab. cap. 12, Judas Machabæus, vir pietate quàm armis insignior, *factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim*, ait sacer scriptor, *eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Atqui his in verbis habetur plenissima Purgatorii fides. Ex iis enim sequitur 1° non semper in morte expiari omnes peccatorum reliquias, uti Luthero placet. 2° Posse proinde hominem piè et sanctè mori, et tamen debitum aliquod habere solvendum, vel ob venialia, quæ nondùm dimissa sint, vel propter satisfactionem non plenè expletam pro mortalibus remissis. 3° Vivorum orationes

et sacrificia prodesse defunctis, ut à peccatis solvantur. Ergo.

19. Reponunt novatores 1° Machabæorum libros non esse canonicos. *Quod ex Machabæorum historiâ proferunt*, ait Calvinus, libro 3 Instit., c. 5, n. 8, *responsione non dignabor, ne opus illud videar in sacrorum Librorum catalogum referre.* Sic verò concidit robur totius argumenti.

20. 2° In objecto textu errorem contineri manifestum, nempe animas perire simul cum corporibus, et cum eis resurgere. Si enim non supponeret hujus operis scriptor, animas cum corporibus mori, nequaquàm diceret vanam esse et superfluam orationem pro mortuis, si mortui non resurgunt; quia sublatâ etiam corporis resurrectione, posset anima superstes orationibus ac suffragiis viventium adjuvari.

21. 3° Conclusionem hanc, *sancta ergo et salubris est cogitatio*, etc., historico non convenire : illam proinde habendam esse pro additione marginali, quæ in textum violenter intrusa sit.

22. 4° Ex eo textu, si canonicus sit, plus confici quàm velimus; preces scilicet viventium iis etiam prodesse qui in peccato mortali decesserint. Is enim erat status eorum pro quibus Judas sacrificium offerri voluit : cùm sub eorum tunicis reperta sint quædam *de donariis idolorum, à quibus Lex* severissimè *prohibet Judæos*, Deuteron. 7, quam propter transgressionem iidem in postremo prælio ceciderant, ut patet ex cit. cap., v. 40. Verùm hæc straminea sunt, et facilè confringuntur. Itaque

23. Ad 1, probabimus sub finem capitis libros Machabæorum esse canonicos. Deinde dato quòd canonici non sint, ejusdem, ut minimum, quoad Judaicos ritus, auctoritatis erunt, ac profani scriptores quoad ritus gentilium. Atqui scriptori profano ethnicos ritus scribenti nemo fidem abnegat. Præterea Lutherani libros Machabæorum in Bibliorum codice reponunt, eosque aiunt rectè in Ecclesiâ legi *ad morum ædificationem.* Ergo oratio pro defunctis saltem bonis moribus congruit. Ita in Theologiâ suâ polemicâ, pag. 972, Witus Pichler, cui ut Germano Lutheranos inter versanti fides haberi possit.

24. Ad 2 : Non supposuit auctor animas cum corporibus mori et resurgere; sed ex eo quòd corpora olim resurrectura sint, conclusit animas esse immortales; et ideò, si necdum ab omni labe purgatæ sint, viventium precibus juvari posse. Atqui nihil est absurdi quòd ex resurrectione corporis inferatur animæ immortalitas; quia apud Judæos utraque res ita connexa erat, ut qui unam admitteret, admitteret alteram; et qui hanc negaret, illam inficiaretur. Sic utramque rejiciebant Sadducæi, et utramque Pharisæi admittebant et quidem jure ac merito; quia cùm anima sit vera corporis forma, proinde vera pars hominis, non est verisimile Deum, qui omnia suaviter disponit, voluisse ut anima sine corpore, quod ejus laborum particeps fuit, perpetuò viveret. Hinc Christus, ut Sadducæis corporum resurrectionem probaret, isto utitur Scripturæ testimonio : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*; et subjungit : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Atqui argumentum hoc nihil concludit, nisi supponatur quæstionem de animarum immortalitate et de resurrectione pro unâ et eâdem quæstione accipi. Posset enim alioqui negari consequentia; quia Deus erit viventium Deus, etiamsi mortui non resurgant; quandoquidem vivunt animæ quarum Deus est. Pari ratione Apostolus, cùm ait, 1, Corinth. 15 : *Quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*, nihil concludit, nisi præsupponat animas esse mortales, si corpora non resurgunt. Si enim immortalis est anima, tametsi corpora non resurgant, multùm proderit jejunare et benè vivere; quia id proderit ad gloriam animæ acquirendam. Ergo auctor historiæ Machabæorum non alio loquitur modo quàm Paulus et ipse Christus; et idem cum ipsis præsupponit, nimirùm mortales esse animas, si mortui non resurgant, proinde superfluum esse ac vanum orare pro mortuis, nisi speretur resurrectio. Ita Bellarm., cit. lib. 1, cap. 3.

25. Ad 3 : 1° Perperam assutus dicitur textus, qui nullâ in versione, nullo in exemplari deest. 2° Non est insolitum historicis ex iis quæ scribunt, nonnunquàm aliquid colligere quod ad imitationem et bonos mores pertineat : idque multò magis cùm reprimenda est, quæ grassari incipit, malè sentientium hæresis. Porrò ipso Machabæorum tempore, vel eo saltem quo scripta est eorum historia, jam serpere poterat hæresis Sadducæorum, quæ tam altas Christi ævo radices jecerat. 3° Demptâ etiam istâ consecutione : *Sancta ergo et salubris est cogitatio*, etc., stat tota vis argumenti nostri. Ad quid enim oblata sacrificia pro peccatis mortuorum, nisi ut hi ab illis solverentur? Id verò cùm in reprobis locum non habeat, in *purgantibus* locum habere debuit.

26. Ad 4, neg. ant. quia, ut jam diximus in tract. de Eucharistiâ, tomo 9, pag. 608, fieri potuit, 1° ut Judæi illi donaria hæc acceperint ex solâ quâdam ditescendi cupiditate, quæ venialis esse potest. 2° Ut legem quâ id prohibebatur, etsi non sine aliquâ negligentiâ, ignorarent; 3° ut si eam scienter transgressi essent, suum hoc facinus, vindicem Dei manum experti, detestati sint in extremo vitæ spiritu; et id piè à Judâ Machabæo præsumptum sit.

27. Prob. 2° Conclusio nostra è locis pluribus novi Testamenti, Matth. 12, 32 : *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Atqui ex eo textu, quidquid contendat Dupinius, dissert. 10 in Apocalyp., pag. 596, legitimè concluditur esse Purgatorium. *Neque enim*, ait Augustinus, lib. 21, de Civ. Dei, *de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remittitur in futuro.* Et verò alternæ hujusmodi propositiones locum non habent in iis quæ pro uno statu impossibilia sunt. Unde ut ineptè quis dixerit : *Non ducam uxorem, neque in hoc seculo, neque in futuro;* sic et ineptè in textu citato locutus esset

Christus, si nullum in futuro seculo remitteretur peccatum. Idem ex eodem textu colligunt S. Gregorius, lib. 4 Dialog., cap. 39 (tomo 2, p. 441); Beda in cap. 3, S. Marci (tomo 5, p. 116); Bernard., serm. 66 in Cant., n. 9 et 11 (tomo 1, p. 1497), et alii plures.

Reponunt Calvinistæ 1° verba hæc: *Neque in hoc seculo neque in futuro*, idem esse ac nunquàm, prout exposuit Marcus, cap. 3, ubi ait: *Non habet remissionem in æternum.* Quomodò Petrus, Joan. 13, dicebat: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Sic quoque Dupin.

28. 2° Vel ex eo loco nihil probari, vel probari ipsa etiam gravissima peccata, in futuro seculo remitti. Christus enim peccatum contra Spiritum sanctum comparat cum blasphemiâ in Patrem et Filium. Atqui comparatio hæc exigit, ut si quod in futuro seculo peccatum dimitti possit, hæc certè blasphemia possit remitti, cùm de eâ sermo sit. Verùm hæc non urgent.

29. Non primum; nam fuit equidem mens Christi ut diceret peccatum contra Spiritum sanctum nunquàm remitti (1), seu non remitti in æternum; at id dixit utendo verbis quæ refert Matthæus à S. Marco contractus. Atqui verba hæc, si quem, eum certè sensum habent, quem iisdem cum Patrum agmine adscribimus. Unde aliter vocem, *in æternum*, accepit Marcus, propriè scilicet pro toto hujus et futuri seculi spatio; aliter Petrus apud Joannem: ineptè enim dixisset: *Non lavabis mihi pedes, neque in hoc seculo, neque in futuro;* cùm in futuro non laventur pedes.

30. Non secundum: 1° quia dicit quidem Christus esse aliquod speciale peccatum quod neque in hoc, neque in futuro seculo dimittatur; at non exprimit quod peccatum in hoc vel in futuro seculo remittatur; etsi evidenter indicet esse aliquod peccatum quod in utroque dimittitur; 2° quia loquitur Christus de remissione adæquatâ et plenâ, quæ culpæ et pœnæ remissionem complectitur. Porrò utraque remissionis species certis in futuro seculo peccatis competit. Levia enim quoad culpam, graviora verò quoad pœnam in alio seculo dimittuntur; et sic remitti potest ipsa in Patrem et Filium blasphemia.

31. Matth. 5, v. 25 et 26: *Esto consentiens adversario tuo citò dum es in viâ cum eo; ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quæ verba licèt de judice politico et communi carcere intelligi absolutè possunt, ut ea intellexit Chrysostomus (minùs tamen benè, quia contra cæterorum torrentem) prout tamen referuntur Luc. 2, 38, de solo Dei judicio intelligi debent; cùm et sensum hunc exigat capitis contextus; hæc potissimùm verba: *Sint lumbi vestri præcincti; vigilate, quia quâ horâ non putatis, Dominus veniet;* et eumdem his communiter affixerint SS. PP., præcipuè verò Ambrosius, qui rectè animadvertit Christum verba hæc bis et in variis occasionibus locutum fuisse. Atqui verba hæc: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*, perspicuè indicant esse locum in quo minuta quæque debita persolvantur, et unde iis persolutis, sed non antea, in plenam libertatem exire liceat. Et id probat scopus et institutio parabolæ. Hujus enim similitudo non est sumpta ab homicidâ, vel adultero, vel proditore, qui ad mortem aut perpetuos carceres damnantur, sed à debitore, qui non propter crimen, sed propter pecuniarium debitum in carcerem conjicitur donec solvat: solent enim illud hominum genus, postquàm satisfecerunt, egredi. Ergo scopus parabolæ est, ut in hâc vitâ quæ via est, componamus cum Deo, quem, etsi peccatis nostris adversarium, lenire facilè possumus; ne nos tradat Christo, cui Pater judicium omne dedit, et ab eo severè in alterâ vitâ puniamur. Et ita quoad rei substantiam docent SS. PP. à Bellarmino, ibid., cap. 7, congesti.

32. 1 Corinth. 3, v. 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quòd superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Atqui ex *illâ Pauli sententiâ*, licèt juxta Augustinum in lib. de Fide et Operib. (tomo 6, cap. 15, p. 180, n. 27, B.) *planè ad intelligendum difficili*, duo sequuntur contra pseudoreformatos, 1° nempe dari peccata venialia, quæ per lignum, fœnum et stipulam denotantur; 2° et dari Purgatorium, quod punctum præsentis est instituti. Purgatorium enim est doloris mansio, in quâ qui lignum, fœnum et stipulam ædificaverunt, id est, qui peccata alia aliis graviora, non tamen lethalia peregerunt, per ignem, quisquis ille sit, mundantur, donec salvi et beati fiant. Atqui mansionem hanc non obscurè admittit Apostolus in citato textu. Unde S. Ambrosius in hunc locum sic habet: *Cùm Paulus dicit: « Sic tamen quasi per ignem, » ostendit quidem illum salvum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur.* Hæc autem interpretatio, licèt non una sit apud Patres, ob summam loci hujus difficultatem, vel ex eo præferenda est, quòd apud Latinos et Græcos Doctores longè sit frequentior, et nihil habeat violenti, nihil contorti.

33. Reponunt, 1° ignem per quem quis salvus fit, esse vel hujus vitæ tribulationes, ut docent SS. Augustinus et Gregorius; vel ignem æternum, qui gravia peccata, per lignum, fœnum et stipulam expressa, puniet, ut videtur Chrysostomo; vel ipsum Dei judicium, quod præcipuè in horâ mortis veram doctrinam approbat, ut ignis aurum perficit, et falsam uti fœnum consumit. Hæc autem quæ Calvini est et Petri Martyris expositio hinc confirmatur, quòd alioqui nomen ignis in eâdem sententiâ variè acciperetur ab Apostolo, semel pro judicio Dei in his verbis: *Opus quale sit, ignis probabit;* semel pro Purgatorio igne in istis: *Sic tamen quasi per ignem.*

(1) Quo sensu blasphemia in Spiritum sanctum sit irremissibilis fusè expendi in tract. de Pœnit.

34. Resp. Nullam ex interpretationibus mox objectis admitti posse. Non primam, quæ licèt Patribus nonnullis haud displicuerit, malè congruit cum verbis Apostoli : 1° Quia hujus vitæ tempus non est certa quædam ac specialis dies, contra, ut ex Græcâ lectione patet, de die quam in textu nostro indicat Apostolus, quæque evidenter illa ipsa est de quâ dicitur 1 Timoth. 4 : *Quam reddet mihi Dominus in illâ die*, et ibid. 2 : *Potens est depositum meum servare in illum diem.* 2° Quia præsentis vitæ tempus non dicitur in Scripturis dies Domini, sed nostra ; sicut à contrario tempus alterius vitæ dicitur dies Domini, non nostra. Primum liquet ex Luc. 19 : *Si cognovisses et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi ;* et ibid. 22 : *Hæc est hora vestra.* Secundum constat ex Sophoniæ 1 : *Juxta est dies Domini magnus.* Joel. 2 : *Veniet dies Domini, tenebrarum et caliginis.* 3° Quia vitæ præsentis tempus non declarat quale sit opus uniuscujusque, cùm tribulationes justis et injustis perinde eveniant, et sæpè à Stoïco patientiùs quàm à Christiano ferri videantur.

35. Non secundam ; ignis enim de quo Apostolus, examinabit ædificium quodcumque, etiam ex auro, argento, etc. Atqui ignis æternus nihil in prædictum ædificium habebit juris ; imò nec in ædificium ex ligno et fœno ; cujus artifex *salvus* erit, licèt per ignem.

36. Non tertiam : 1° Quia qui transit per ignem de quo Apostolus, *detrimentum patietur.* Atqui judicium per quod in horâ mortis purgarentur errores, nihil afferret detrimenti, sed è contra lucrum grande, nimirùm cognitionem veritatis, per quam inconcinctanter credit Petrus Martyr. BB. Bernardum, Franciscum, Dominicum et alios similes, salutem adeptos esse, quia in puncto mortis à Deo illustrati suos de monachatu, missâ et aliis hujusmodi errores agnoverunt et damnaverunt. 2° Quia admissâ hâc novatorum expositione, omnes qui salvantur, *per ignem* salvarentur ; cùm Deus ut doctrinam, sic et alia omnia, et ipsas etiam justitias judicaturus sit. Hoc autem est contra distinctionem Apostoli, qui eos solùm per ignem salvari docet, qui retento fundamento, id est, verâ in Christum fide, lignum eidem ac stipulam superædificavêre.

37. Nec obest quòd juxta nostram hanc interpretationem vox *ignis* gemino accipiatur sensu, semel pro judicio, et semel pro Purgatorio igne. 1° Quia non est insuetum Paulo duplicem in eodem versu affingere sensum uni vocabulo. Sic enim peccati nomen variè accipit, 2 Corinth. 5, ubi : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 2° Quia æquivocatio hæc, vel potiùs elegans allusio, ab ipso textu exigitur : cùm enim ignis materialis aurum et argentum examinare non possit, possit verò et debeat operarios, non omnes quidem, sed eos qui lignum et stipulam ædificaverunt, purgare, ut per ignem salvi fiant ; palam est ignis nomen duplici, quin et triplici sensu, eo in loco accipi. Sed de his adi fusè, sapienter et profundè disserentem Bellarminum, eod. lib. 1, c. 5. Neque probationem hanc, ut faciliùs à Tournelyo (1) factum est, deserito, cùm hæc à longè majori Patrum numero tradita fuerit.

38. Reponunt 2° particulam *quasi*, non veritatem significare, sed similitudinem.

39. Sed 1° : Malè, si generaliter loqui velint. Istud enim Joan. 1 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre*, non similitudinem Unigeniti, sed veritatem exprimit. 2° Vox *quasi* in Apostoli textu similitudinem exhibet, non ignis, quasi is metaphoricus sit ; sed alicujus per ignem transeuntis : ita ut sensus sit : Qui ædificavit fœnum, ad salutem perveniet ; sed eo modo quo ad locum aliquem pervenit, qui transit per ignem, id est, salvâ quidem vitâ, sed læsis capillis.

40. Aliud depromit Bellarminus argumentum ex 1 Corinth. 15, v. 29, ubi Apostolus : *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt : ut quid baptizantur pro illis.* Hic Paulus, ut Sadducæos resurrectionem negantes debellet, argumentatur, non quidem à Christianorum consuetudine, quæ ut nova et exosa incredulis, nullius apud eos momenti fuisset, sed à more Judæorum, qui orabant, jejunabant et affligebant se pro mortuis : hæc enim pietatis opera nomine baptismi exprimuntur in Scripturâ, ut Marc. 10 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, et baptismo quo ego baptizor, baptizari ;* et Luc. 12 : *Baptismo habeo baptizari.* Jam verò vanum et superfluum foret varia hæc pati pro mortuis, si per ea nullatenùs juvari possent ; nec certè per ea juvari possunt, qui vel in cœlo regnant, vel torquentur in inferis.

41. Vim tamen non faciam in hâc argumentatione : quia sicut (juxta multos, quos tamen fusè impugnat R. P. Calmet., dissert. in hunc locum) Baptismi nomen in Apostoli textu sumitur metaphoricè pro afflictionibus, iis præsertim quas ab aliis patimur ; sic et mortuorum nomen pro iis sumi potest qui per peccatum mortui sunt, ut Matth. 8, 22 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos ;* et Ephes. 2, 1 : *Cùm essetis mortui delictis*, etc. Unde hìc plus fortè probat superstitio, quàm pietas. Siquidem constat fuisse hæreticos plures qui pro mortuis non baptizatis baptismum susciperent, ut eos liberarent à pœnâ. Ita Cataphryges juxta Philastrium, Marcionitæ juxta Chrysostomum, et alii juxta Tertullian., et Epiphan., hæresi 28. Atqui licèt hoc baptismi genus constanter rejecerit Ecclesia, nunquàm scopum ejus, id est, desiderium juvandi mortuos culpavit. Ergo hæc constans fuit ipsius doctrina, mortuos viventium precibus juvari. Quod ut invictè pateat,

42. Prob. 3° : Conclusio ex perpetuo Ecclesiæ sensu, quem verbis et praxi suâ constanter expressêre SS. Patres. Tertullianus, lib. de Monogamiâ ultra medium, fidelis viduæ erga maritum officia sic

(1) Tournely, de Attributis, qui dùm ait ex eo textu probabile argumentum deduci, vel sibi parùm constat, vel uti probabile habet, quod probabile dici non mereatur.

Jescribit : *Pro animâ ejus orat, et refrigerium interim adpostulat ei, et in primâ resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.* Ergo moris erat publici ut pro defunctorum animâ oraretur, ut ei refrigerium à Domino postularetur, etc.

43. Cyprianus, epist. 66, alias 17 : *Episcopi antecessores nostri*, inquit, *censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur : neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare... Et ideò Victor, cùm contra formam nuper in concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio aut deprecatio.* Atqui hìc habetur et deprecatio et sacrificii oblatio pro defunctis, eaque Cypriani ævo frequentata, prout episcoporum ejus antecessorum tempore frequentata fuerat. Ergo.

44. Arnobius qui circa an. 285, floruit, in iis quos contra gentiles scripsit libris, hæc de Christianorum cœtibus habet : *In iis summus oratur Deus, pax et venia postulatur... adhuc vitam degentibus et resolutis corporum vinctione.* Porrò nec sanctis pax, nec reprobis venia postulabatur.

45. S. Basilius qui tertio et quarto Ecclesiæ seculo vixit, sic loquitur in Psalm. 7 : *Existimo strenuos Dei athletas, qui cum invisibilibus inimicis per omnem vitam suam valdè colluctati sunt... propè vitæ finem constitutos, à seculi principe examinari, ut si reperiantur aut vulnera ex certaminibus, aut aliquas maculas, aut peccati vestigia retinuisse, detineantur : sin autem inveniantur invulnerati et intemerati, à Christo tanquàm invicti et liberi in requiem transferantur. Orat igitur David pro vitâ præsenti et futurâ*, etc., unde sic : Ex Basilio sunt fideles quidam qui in exitu vitæ detinentur, dùm alii statim à Christo transferuntur in requiem. Sed qui detinentur non in perpetuum detinentur ut reprobi, cùm sint strenui athletæ Dei, qui aliquas solùm peccati maculas, quædam et vestigia retinuerunt, et pro quibus in *futurâ vitâ* orandum est. Ergo solùm detinentur ad tempus. Atqui purgatorium dicimus eam mansionem ubi detinentur fidelium animæ, nec profectò detinentur, nisi ut maculas et vestigia peccati, quibuscum decessêre, abluant. Ergo.

46. Idem, vel quisquis sit antiquus certè Scriptor, diù habitus pro Basilio, in cap. 9 Isaiæ, postquàm locutus est de peccato digno *planè quod depascatur ac devoret purgatorius ignis*, sic pergit : *Non omnimodam internecionem comminatur, sed innuit purgationem juxta Apostoli sententiam ; Ipse autem salvus erit quasi per ignem.* Hìc præstò est et Purgatorii nomen, et res nomine expressa ; locus nimirùm in quo devoratur peccatum, non ad internecionem peccatoris, sed ad peccati purgationem, ut qui ejusdem conscius occubuit, salvus sit per ignem.

47. S. Epiphanius, qui quarto exeunte et ineunte quinto seculo floruit, Aerium, quia idem cum protestantibus de oratione pro mortuis sentiret, inter hæreticos, nullo contradicente annumeravit, hæres. 75 (tomo 1, p. 908) : *Quod verò*, inquit, *spectat ad ritum illum, quo nostrorum nomina pronuntiantur, quid eo potest esse utilius: quid opportunius, aut verò admiratione dignius.* Et infra : *Cæterùm quæ pro mortuis concipiuntur preces, ei utiles sunt... Necessariò facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit.* En quod Calvinus in exitiale commentum transvertere audet, dogma est à *majoribus*, id est, ab innumeris Christi martyribus et confessoribus acceptum, quo nihil *utilius* esse possit, quodque *necessariò* in Ecclesiâ tenendum sit et sequendum.

48. S. Cyrillus Jerosolymit., Catech. 5 Mystagogicâ (n. 9, p. 328) : *Denique*, inquit, *pro omnibus oramus qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* En exosa tria novatoribus, altare, sacrificium, et in eo precatio quæ mortuis juvamen sit maximum.

49. S. Chrysostomus plurimis in locis, sed præsertim Homil. 41, in Epist. 1 ad Corinth. n. 4 (tomo 10, p. 201) explicans quid faciendum in gratiam mortui : *Ei*, inquit, *succurre, non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus. Non enim sunt hæc temerè excogitata ; neque frustra eorum* qui mortui sunt *in divinis mysteriis meminimus... Rogantes Agnum, qui mundi peccatum tulit ; sed ut inde eis aliqua sit consolatio. Neque abs re is qui adstat altari, dùm reverenda peraguntur mysteria, clamat : Pro omnibus qui in Christo dormierunt... hæc enim fiunt ordinatione Spiritûs.* Hìc oratio pro defunctis, non in turpe lucri desiderium, ut petulanter blasphemant Calvinistæ, sed in ipsam S. Spiritûs ordinationem refunditur.

50. Idem, homil. 3, in cap. 1 Epist. ad Philip. n. 4 (tomo 2, p. 216 et seq.) : *Non frustra hæc ab apostolicis sunt legibus constituta, ut in venerandis atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat qui decesserunt. Noverant hinc multùm ad illos lucri accedere, multùm utilitatis : eo enim tempore quo universus populus stat manibus passis... quomodò non Deum placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis qui in fide decesserunt. Cathecumeni verò, neque hâc dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale verò hoc? Licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis.*

51. Ambrosius qui annis ante Chrysostomum undecim decessit, toties defunctorum, Theodosii præcipuè, Valentiniani, Gratiani, ac Satyri fratris sui animas, applaudente fidelium cœtu, Deo commendavit, ut superfluum sit sententiam ejus latiùs prosequi. Sufficiunt pauca hæc Epist. ad Faustinum, de obitu sororis : *Non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, nec mortificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam.*

52. Hieronymus, in Epist. ad Pammachium, loquens de Paulinæ, hujus uxoris, obitu : *Cæteri mariti*, inquit, *super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat...*

sciens scriptum : sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum. Ergo ipsa etiam defunctorum peccata eleemosynis extinguntur. Atqui non in cœlo, ubi non est peccatum ; non in inferis, ubi est quidem, sed non extinguitur.

53. S. Paulinus, Nolanus Antistes, vir vel ipso Reformatorum judicio (1) in Deum pius, in pauperes summè beneficus, Martino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, summisque ubilibet viris tenerè dilectus ; suam erga defunctos pietatem passim et luculentè exhibet. In Epist. ad eumdem Pammachium, gratulatur ipsi quòd corpori et animæ uxoris æquè satisfecerit, corpori lacrymis et fletibus, animæ per eleemosynas.

54. Idem, Epist. 5, ad Delphinum, ubi fratris sui animam ipsi commendat : *Fac*, inquit, *ut orationibus tuis condonetur tibi, et ut illius animam de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerii gutta despergat.*

55. Sancta Monica, Augustini bis mater, quia et mundo eum peperit et cœlo, morti vicina filium his quæ in totâ quà patet Ecclesiâ celebrata sunt, verbis compellavit, lib. 9, Confess., cap. 11, n. 27 : *Ponite hoc corpus ubicumque ; nihil vos ejus cura conturbet : tantùm illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis meî ubi fueritis* (pro *ubicumque*). Huic autem nunquàm satis laudandæ feminæ voto, ab Augustino factum est satis, cùm ibid., cap. 12, n. 32, oblatum est *pro eâ sacrificium pretii nostri.* Ad hæc quid Calvinus, lib. Instit., cap. 5, n. 10, breve istud ; Monicæ scilicet votum *anile* fuisse ; *quod* Augustinus *non exegit ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis voluit.* Hæc qui legis, horrorem comprime, si potes ; et monstrum, quod in sanctis duobus sanctos ad unum omnes protervè subsannat, anathemate percellito.

56. Augustinus specialem edidit librum de Curâ pro mortuis, ubi sic (cap. 1, tomo 6, p. 516, n. 3, C.) : *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium ; sed et si nusquàm in Scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad altare ejus funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. 4 (ibid., p. 516) : *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christianâ et catholicâ societate defunctis... sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab unâ eis exhibeatur piâ matre communi.* Ergo quæ toto in orbe *claret* Ecclesiæ auctoritas et consuetudo orandi pro mortuis. Atqui, velint, nolint protestantes, vel ipse communis sensus docet, quòd, *si quid tota per orbem frequentat Ecclesia quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ* est ; prout monet idem Augustinus, Epist. 54 ad Januarium, aliàs 128, n. 6. Ergo insolentissimæ insaniæ rei sunt, etc.

(1) Vide Guil. Cave, v. *Pontius Paulinus.* Obiit is an. 431, ætat. 78.

57. Eadem tradit S. Doctor, lib. 21 de Civ. Dei, cap. 24, tomo 7, p. 642, et alibi passim, præcipuè verò in libro de Hæresi, ubi cap. 53, Aerium hæreticis annumerat, quia negaret sacrificia pro mortuis offerenda. Sed his plura congerere superfluum fuerit ; qui enim Monicæ vota pro anilibus, qui præstitum ab Augustino iisdem votis obsequium pro humano affectu habent, idem sanè de cæteris S. doctoris textibus judicium ferent.

58. S. Cæsarius Arelatensis, sexto seculo eadem quæ quarto et quinto Augustinus, edocuit. Sic ille Serm. 104, n. 4 (in appen. Aug., tomo 5, p. 186) : *Si nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiù in illo Purgatorio igne moras habebimus quamdiù supradicta peccata minuta, tanquàm lignum, fœnum, stipula consumantur... Sed dicit aliquis : Non pertinet ad me quamdiù moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi ; quia ille Purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc seculo pœnarum aut cogitari, aut videri aut sentiri. Et... unde scit unusquisque utrùm diebus ac mensibus, an fortè etiam et annis per illum ignem sit transiturus.* Hìc rei substantia et modus ex æquo traduntur.

59. S. Gregorius Magnus, qui seculo VII floruit, libro 4, Dialog., cap. 39 (tomo 2, p. 441) : *Sed tamen,* inquit, *de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est... sed hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est.* Idem, lib. 2 in 1 Reg., cap. 3, n. 26 : *Qui perfectionem bonæ voluntatis habuerunt in confessione peccati, post mortem purgatoriâ pœnâ ad vitam transeunt, si ad delenda peccata sufficientem vim amoris nequaquàm habuerint ; unde et Paulus dicit : Sic salvi sunt quasi per ignem. Sed peccator, qui ibi salvari per ignem meruit, hìc per afflictionem carnis adimpleat hoc quod sibi de vi amoris deesse cognoscit.*

60. Eadem fuit Isidori, Bedæ, Bernardi et cæterorum sententia tam constans, tam unanimis, ut Calvinus, lib. 3 Instit., cap. 5, § 10, hæc putido ore evomere coactus fuerit : *Omnes, fateor, in errorem abrepti fuêre.* Miseros antiquæ Ecclesiæ Patres, qui Calvinum non habuerint pædagogum ! vel potiùs infelicem Calvinum, qui florentiori Ecclesiæ seculo ab omnibus unà cum Aerio prædamnatus sit. Interim qui ad fidei suæ robur plura de hoc argumento volet Patrum testimonia, perlegat tractatum theologico-dogmatico-historicum, quem Gallicè de Purgatorio edidit R. P. Thomas Mangeart, Benedictinus, è congregatione S. Vitonis et Hidulphi.

61. Prob. 4° Ex usu Synagogæ, qui dubio procul ut à veteribus Hebræis manavit ad Machabæos, sic et à Machabæis ad subsecuti temporis Judæos profluxit. Hunc porrò usum sic exhibet Bartholoccius in bibliothecâ Rabbinicâ, tomo 2, p. 149 et 151 : *In particulari judicio, si animæ justorum repertæ fuerint cum reatu peccati mortalis remissi, vel cum levioribus culpis decesserint ; credunt eas in gehennam ignis descendere, inde postea ascensuras.* Et infra : *Hebræi non tam necesse*

rium existimant pro purgandis animabus gehennæ locum assignare, quin et alibi aliquando purgentur animæ; in illis videlicet locis à Deo ad id destinatis, sive igne, sive aliis miris et diversis modis, à quibus eas per hominum suffragia et orationes liberari credunt... hæc consuetudo etiam hodiè viget inter Hebræos cujuscumque nationis, ut infra annum emortui parentis filius eamdem orationem recitet pro expiatione delictorum patris, et liberatione illius animæ à Purgatorii pœnis, quæ oratio vocatur oratio orphani. Idem docet Ricardus Simon, in libro quem de Judæorum Ritibus Gallicè dedit sub ficto Simonvillæ cognomento. Atqui plena hìc habetur Purgatorii fides, et hæc tam antiqua ut origo ejus in primævam gentis Deo amicæ fidem meritò refundatur.

62. Prob. 5° ex Liturgiis in hunc modum : Quod in præstantissimâ Religionis actione à primis incunabulis fecit Ecclesia, non humano ritu, sed divinâ sanctione constitutum est. Atqui Ecclesia vel ab exordiis suis pro defunctorum requie in universis Liturgiis oravit.

63. Quod ab exordiis suis id fecerit, certum est, quia et si Liturgiæ serò, id est, IV vel V seculo, scriptis traditæ sint, ut et symbolum (1) ac deinceps sacramentorum formæ ; sicut tamen ab initio viguit in Ecclesiâ sacrificium, sic et viguit aliquis ejusdem offerendi ritus, diversus quidem penès accidentalia, sed quoad substantiam idem ubique. Unde Epiphanius, hæresi 79, n. 13, Apostolos vocat *Mysteriorum auctores atque conditores.*

64. Quòd autem in Liturgiis omnibus pro piè defunctis preces fuderit Ecclesia, idque tam *uniformiter, ut legem credendi lex statuat supplicandi*, prout aiebat Cœlestinus I, Epist. ad Gall. episc., cap. 11, prob. 1° ex Liturgiâ Romanâ, quæ, ut loquitur Innocentius I, Epist. ad Decentium, *à principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ tradita est.* In hâc porrò eadem, quæ hodieque fit pro mortuis oratio : *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum*, etc. *Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii et lucis ut indulgeas deprecamur*, ut videris in Sacramentario S. Gregorii Magni, t. 3, p. 4.

65. 2° Ex Liturgiâ Ambrosianâ, quam alii S. Ambrosio, alii S. Barnabæ adscribunt. Hæc enim et missas pro defunctis habet, non secùs ac nostra ; et in unâ è quatuor orationibus quæ fiebant *super oblata*, iisdem fidelibus mortuis requiem et pacem adprecatur.

66. 3° Ex Liturgiâ Gallicanâ, quæ licèt à Romanâ usque ad octavi seculi finem discrepaverit, idem cum istâ habet *Memento* mortuorum.

67. 4° Ex Liturgiâ Mozarabicâ, quæ hanc habet et semper habuit orationem : *Offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam... pro sancta Ecclesiâ tuâ... ac requie vel indulgentiâ Fidelium defunctorum, ut mutatâ sorte tristium mansionum, felici perfruantur societate justorum.*

68. 5° Ex Liturgiis orientalibus, quarum prima quæ habetur lib. 8 Constit. apost., cap. 4, sic habet : *Pro fratribus nostris qui in Christo requieverunt, oremus ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum voluntarium et non voluntarium, et propitius clemensque factus collocet eum in regione piorum quiescentium in sinu Abrahæ.* Porrò Liturgia hæc disciplinam Ecclesiæ Græcæ in multis exhibet, teste Albaspinæo, libro 1 Observat., cap. 3.

69. Secunda quæ D. Jacobi nomine inscribitur, sic orat : *Memento etiam, Domine, sacerdotum orthodoxorum, pridem defunctorum, diaconorum et subdiaconorum ... Da animabus, corporibus et spiritibus illorum requiem eos... dignos efficiens gaudio, quod est in sinu Abraham*, etc.

70. Tertia quæ Basilii dicitur, ut et quarta quæ Chrysostomi, multa inter quæ pro mortuis effunduntur, hæc continet : *Defunctorum, qui à nobis separati ab hoc seculo migraverunt spiritibus, Christe, quietem præsta cum piis et justis. Crux tua pons sit illis, et baptismus tuus tegumentum, corpus tuum et sanguis tuus sanctus via sint quæ deducat ad regnum tuum.* Jam verò fieri nequit ut doctrina, quæ cum Ecclesiâ nata est, et ubique ut verbis sic et usu perpetuo confirmata fuit, exitiale sit diaboli commentum. Ergo qui verbum hoc evomuit Calvinus, exitialiter blasphemavit.

71. At, inquiunt, iisdem in Liturgiis orat sacerdos, 1° ut Deus det *animabus, corporibus et spiritibus* defunctorum *requiem, liberans eos à damnatione infinità.* 2° Ut Deus parcat *peccatoribus in die judicii, eos dignos efficiens gaudio quod est in sinu Abrahæ;* 3° ut *præstet requiem, bonamque memoriam, Prophetis, Apostolis, et potissimùm sanctissimæ Deiparæ Mariæ*, prout habet Liturgia Syriaca, tomo 6, Bibliot. Patrum, pag. 36. Atqui hæc totidem sunt errores ; cùm prima oratio eò tendat ut reprobi à damnatione æternâ liberentur ; secunda vel eòdem referatur, vel supponat fore Purgatorium in die judicii ; tertia sanctis et ipsi Deiparæ requiem precetur. Jam verò si his in capitibus errârunt Liturgiæ veteres, quidni erraverint in puncto Purgatorii ?

72. R. nihil esse erroris in triplici quod objicitur capite. Absit enim ut in rebus apertissimis et quæ nec ipsos Catechumenos latebant, jam ab initio invaluerit error. Unde

73. Ad primum : Preces quas fundit Ecclesia, ut defuncti à damnatione æternâ liberentur, ad ipsum mortis punctum ex intentione Ecclesiæ, vel ipsis infantibus notâ, referuntur. Nemo sanè hodiernam Ecclesiam eò usque insanire credet, ut arbitretur reprobos viventium precibus adjuvari. Atqui tamen orat pro defuncto ut à pœnis inferni, à profundo lacu, ab orè leonis liberetur. Ergo idem veteri Ecclesiæ sensus affingi potest. Si autem potest, omninò debet. Quod enim semel in Ecclesiâ æternâ creditur, id in eâ semper creditum est, ait illust. Bossuetius.

74. Ad secundum : Potest et debet Ecclesia orare, ut Deus peccatoribus parcat in die judicii ; tum quia vix justus salvabitur, et vel ipsi laudabiliori vitæ timendum est, si seclusâ misericordiâ discutiatur ;

(1) « *Symbolum nemo scribit ut legi possit ; sed ad recensendum ne fortè deleat oblivio quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria.* » August., de Symbolo ad Catech. Vide P. le Brun, tomo 2, dissert. 2, art. 2.

tum quia erunt in die judicii, qui necdùm paratas sibi in flammis purgantibus pœnas exsolverint, imò qui nec inchoaverint; puta qui ad illud usque tempus superfuerint in vivis.

75. Ad tertium : *Aliud est*, ut benè advertunt Walemburgici fratres, lib. 13, cap. 4, n. 5, *in Missâ memoriam facere sanctorum, aliud requiem petere pro defunctis.* In his enim Liturgiis fit etiam memoria *Domini Deique ac Redemptoris nostri J. C.* cui tamen nihil petitur. Hanc porrò memoriam Ecclesia vetus ita distinxit ab oratione, nulla ut suppetat hâc in parte errandi occasio. Cyrillus Hierosol., cit. Catech. 5, p. 241. *Hoc*, inquit, *Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt, primùm patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras; deinde pro defunctis patribus.* Epiphanius, hæresi 75, n. 7. *Justorum pariter et peccatorum mentionem facimus : peccatorum quidem ut iis à Domino misericordiam imploremus, justorum autem.... Apostolorum.... martyrum, ut Dominum N. J. C.* ob collata eis beneficia *singulari quodam honore prosequentes, ab cæterorum hominum ordine segregemus.* Quippe, ait Chrysostomus, homil. 21 in Act. Apost., *ingens est martyribus honor ita nominari Domino præsente.... insignis gloriæ in memoriâ tunc haberi.... sicut quando regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur et quicumque victoriæ socii fuerunt.* Demùm Augustinus, serm. 159, n. 1. : *Habet ecclesiastica disciplina quod fideles noverunt, cùm martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

76. Ex his patet objectum Liturgiæ Syriacæ textum, quæ omnium sola omnibus permixtim defunctis requiem et gloriam sine distinctione apprecatur, per accommodam distributionem intelligi debere; ita ut aliis requiem oret, aliis gloriam non tam oret quàm acceptam gratuletur. Neque id aliunde, sed ex ipso Liturgiæ hujus contextu nobis eruendem est. Sic enim post precatam Deiparæ memoriam bonam, prosequitur. *In cujus honorem et gratiam hæc offertur oblatio.* Et infra : *Accipe animas servorum tuorum, quorum memoriam facimus, et colloca eos, Domine... in mansionibus benedictis Patris tui, cum Abraham, et Isaac, et Jacob amicis tuis, et cum omnibus sanctis tuis.* An verò quibus persuasum erat Abraham et omnes sanctos in Patris mansionibus gloriâ et requie perfrui, id de B. Virgine in dubium revocabant? Sed de his fusiùs ubi de intuitivâ Dei visione post mortem. Vide Witass., tomo 2, de Attribut., q. 11, art. 1, sect. 5. Non ergo satis est ut cum Calvino, lib. 3 Institut., c. 5, § 10, agnoscant Reformati, *ante mille et trecentos annos usu receptum fuisse ut precationes fierent pro defunctis*, fatendum expressim cum Petro Martyre, *Ecclesiam semper pro defunctis exorâsse.* Addendum cum Grotio, in voto pro pace Ecclesiæ, pag. 122 : *Nullum inveniri alicujus auctoritatis Scriptorem, qui ei mori contradixerit, quod*, aiebat, *mihi quidem sufficit.* Prosequendum ulterius, seu cum Augustanâ Confessione, *non prohiberi orationem pro mortuis;* seu cum Luthero, *non esse peccatum ex liberâ devotione orare, ut Deus animæ, si in tali statu sit, misereatur.* At insuper cum totâ Christi Ecclesiâ concludendum, sanctam et salubrem esse cogitationem orare pro defunctis, etc.

77. Probatur 6° ex conciliis, quæ idem adstruunt dogma, non quidem directè definiendo, quia dempto Aerio nullius nominis homine, nulla fuit de re ubique admissâ disceptatio; sed indirectè, aut quasi per accidens.

1° Occurrit concilium illud cujus meminit Cyprianus, in Epist. 17, edit. Pamelii, in eo nempe constitutum est, ut *si quis ad tutelam vel curam clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* 2° Concilium Carthagin. III, an. 390, vel 397, ubi sic cap. 29 : *Placuit ut sacramenta altaris nonnisi à jejuno celebrentur... Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum... commendatio facienda est, solis orationibus fiat.* 3° Concilium Carthag. IV, an 399, quod cap. 79, hæc edicit : *Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint.... memoria eorum et orationibus et oblationibus commendetur.* 4° Concilium Vasense, ann. 442, idem quoad prædictos pœnitentes decernit, can. 2. : *Quia*, inquit, *nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendebant.* Et is canon in pluribus subinde conciliis renovatus est, puta Aurelianensi II, can. 47, an. 452; Romano VI, an. 502; Agathensi, can. 4, anno 506; Aurelianiensi III, can. 22, anno 538, etc. 5° Concilium Bracarense II, an. 563, can. 16, 17 et 21, statuit, *ut qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum.... vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione fiat commemoratio, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur*, etc. *Item placuit ut Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium.*

78. Circa postremam hujus canonis partem tria obiter notanda. 1° Hunc sacrificii pro Catechumenis non offerendi morem, diù ante Bracarensem synodum viguisse; cùm ejus disertim meminerit Chrysostomus, supra, n. 50. 2° Licitum tamen fuisse pro iis et elee mosynas largiri, ut ibid. tradit Chrysostomus, et orationes privatim fundere. 3° Hæc decreta præsertim constituta fuisse adversùs eos qui cùm præ socordiâ baptismum negligerent, morte præventi erant. Unde huic legi derogavit S. Ambrosius in gratiam Valentiniani junioris, qui ab Arbogasto Viennæ in Galliâ strangulatus erat; quique et summâ præditus erat pietate, et paucis ante mortem diebus baptismum ab Ambrosio absente enixè flagitaverat.

79. 6° Concilium Cabillonense II, an. 813, hæc statuit Can. 39 : *Visum nobis est, ut in omnibus missarum solemnitatibus, pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur.... Antiquitùs hunc morem sancta Ecclesia tenet.*

80. 7° Concilium Lateranense IV, an. 1215, cap. 66, supponit ut indubium ex Traditione et usu dogma Purgatorii; sed *pravas* quæ à clericis quibusdam fiebant *pro exequiis mortuorum exactiones*, prohibet; ut et approbat *laudabilem* aliquid Ecclesiæ erogandi *consuetudinem*, quàm licèt *piâ devotione fidelium introductam, quidam laici ex fermento hæreticæ pravitatis* nitebantur *infringere*.

81. 8° Discussis cùm Ferrariæ, tùm et Florentiæ quæstionibus quæ ad Purgatorium spectant, prodiit tandem istud uniendæ utriusque Ecclesiæ Decretum in sess. ult. : *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium viventium suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta*, etc.

82. 9° Demùm synodus Trid., sess. 6, can. 30, hanc totius retrò antiquitatis fidem complexa est : *Si quis*, inquiunt Patres, *post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ità culpam remitti, et reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro Purgatorio, antequàm ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.*

83. Prob. 7° rationibus theologicis. I. Certum est ex dictis in tract. de Pœnitentiâ, dimissâ per pœnitentiam culpâ sæpiùs superesse temporalem pœnam, quæ necessariò persolvenda sit. Atqui pœna hæc non semper in præsenti vitâ exsolvitur; partim ex aliquali negligentiâ; partim quia citiùs post obtentam veniam rapitur pœnitens, quàm ut debitum omne suum expungere possit. Ergo necessum est ut pœna hæc post alteram vitam persolvatur. *Alioquin*, ut benè S. Thomas, lib. 4 contra gentes, cap. 91, *melioris conditionis essent negligentes, quàm solliciti, si pœnam quam hìc pro peccatis non implent, non sustineant in futuro.*

84. II. Ut admittatur Purgatorium sufficiunt hæc quatuor, 1° ut sint peccata quædam venialia; 2° ut de his rationem reddituri sint homines in die judicii: 3° ut hæc rationis redditio sit ad pœnam; 4° ut pœna hæc luenda sit antequàm ad regna cœlorum pateat aditus. Atqui 1° sunt peccata quædam venialia, ut probatum est in tract. de Peccatis; et cum ipsâ evidenti ratione docet Augustinus, lib. 83 Quæstionum, q. 26, ubi : *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ.... quisque igitur.... potest existimare quæ sint venialia peccata.* 2° De his peccatis, atque *de* ipso etiam *verbo otioso* rationem reddituri sunt homines *in die judicii*, Matth. 12, 36. 3° Hæc rationis redditio, non utique ad laudem et præmium futura est; ergo ad ultionem et pœnam. Atqui 4° pœna hæc ante ingressum cœli persolvenda erit; quia *nihil coinquinatum intrabit* in Jerusalem cœlestem, Apocal. 2, 27. Ergo. Rationem hanc urget Grotius ipse, in Annot. ad Consulta Cassandri : *Ex his*, inquit, *qui hunc morem Ecclesiæ universalis improbant, quæro, cùm ipsi fateantur nihil in cœlum intrare cui adsint illæ infirmitates quæ humanis animis adsunt in hâc vitâ, ab illis infirmitatibus ubi fieri repurgationem existiment. Si dicant in itinere animæ inter terram cœlumque, jam hoc erit ejus Purgatorium.*

85. Nec dicas vel animam hanc reipsà coinquinatam non esse, vel quidquid in eâ erat sordium, per ipsos mortis dolores ablutum fuisse.

86. Utraque enim hæc responsio adversariorum inopiam prodit. Prima quidem, quo enim pacto coinquinata non sit anima, quæ tot scatebat peccatis, ut propterea vel ab ipsâ sacrâ mensâ, saltem ad tempus, fuisset removenda; quæ iracundiæ, otio, nugis, detractioni, levi quidem, sed nihilominùs peccaminosæ, serviebat, etc. Secunda verò, 1° quia non rarò, qui plus venialibus adhærent, minùs in obitu doloris ferunt; imò nec ullum quandoque ferunt, ut iis contingit qui vel mortem sopori consociant, vel fulmineo belli ictu, aliisque innumeris modis concidunt, etc. Cùm ergo æquum non sit, ut vel is qui nuptialem charitatis habitum gerit, in exteriores tenebras cum impiis projiciatur; vel qui necdùm maculas suas omnes abluit, purissimis angelorum cœtibus illicò admisceatur; exigebat severa Dei justitia ut sordes Sion in loco ad id destinato penitùs mundarentur. Quin et id exigebat quæ ubique apud Deum justitiæ obviat misericordia. Constat enim opinionem, quæ Purgatorios ignes tollit, obstare insigniter ne caveantur leviora peccata, vel congruis pœnitentiæ fructibus redimantur. Ut enim solidè Bellarminus, eodem lib. 1, cap. 11, in fine : *Qui cogitat nullum esse Purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in iis qui moriuntur cum fide, facilè dicet apud se : Quorsùm ego labora in jejuniis, precibus, continentiâ, eleemosynis? Cur fraudo cor meum deliciis et voluptatibus? quandoquidem in morte, sive pauca, sive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat remanere præter gehennam ignem acerrimum Purgatorii; et quidquid hìc deletum non fuerit per debita pœnitentiæ opera, ibi diluendum, certè diligentior cautiorque evadit.*

87. III. Idem adstruunt variæ animarum purgantium apparitiones, quæ viventium opem imploraverunt, quæque referuntur à S. Gregorio M. lib. 4 Dialog., cap. 40; à B. Gregorio Turonensi, lib. de Glorià confessorum, cap. 5; à S. Petro Damiani, in Epist. ad Desiderium; à Venerabili Bedâ, lib. 3 Hist. Angl., cap. 19; à S. Bernardo, in Vitâ B. Malachiæ. Atqui hæc, licèt à Luthero et Magdeburgensibus fabulas inter censeantur, ut à Calvino sanctæ Monicæ votum inter anilia vota, eam tamen apud pios quoscumque fidem merebuntur, quam exigit pietas summa raræ doctrinæ conjuncta. Nec facilè conjiciet quisquam minùs in his oculatos fuisse Ecclesiæ doctores non paucos, quàm fuerint Lutherani, quorum Antesignanus à diabolo doceri debuit et meruit.

88. IV. Purgatorii fides fides fuit mundi totius. Hanc scilicet admisêre Hebræi, ut patet tum ex libro Machab., tum ex Josepho, lib. de Bello Judaico, cap. 19, ubi indicat Judæos pro mortuis orare solitos

esse, non tamen pro iis qui se interemissent. Hanc admisêre et admittunt in Alcorano suo Mahumetani. Hanc admisêre gentiles tam philosophi, ut Plato, quàm poetæ, ut Virgilius, Æneid. 6, ibi :

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, alii panduntur inanes
Ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Hanc demùm toto quà patet orbe confessi sunt Christicolæ, omnes, licèt sæpiùs in aliis divisi. Atqui opinio tam longè latèque diffusa, vel ab indito universis naturali lumine prodiit, ut censet Bellarminus cit. cap. 11, vel potiùs à Noe filiis tradita, tam constanter dispersorum hominum animis insedit, ut non magis ab eis deleri potuerit, quàm constitutæ bonis mercedis, et malis pœnæ, primitùs exhibita imago.

Solvuntur objectiones.

89. Obj. 1° id Psalmi 126 : *Cùm dederit electis suis somnum ; ecce hæreditas Domini.* Atqui positâ Purgatorii opinione, non statim à morte daretur dilectis hæreditas Domini.

90. R. 1° : In textu Hebraico, quem versioni Latinæ præferunt Pseudo-Reformati, legitur : *Dabit dilectis suis*, etc. ; sicque ruit tota vis argumenti. Nec enim exprimitur, quando adventura sit hæreditas Domini.

91. R. 2° esse hunc, juxta doctos complures, naturalem hujus loci sensum : Cùm Deus somnum tranquillum dederit vobis, dabit et filios, qui (quod Judæi ambiebant maximè) erunt hæredes vestri, quique è lumbis vestris prodeuntes, erunt merces laboris vestri ac patientiæ.

92. R. 3° : Si in eo loco de hæreditate æternâ sermo sit, ut exponit Augustinus, sensum esse, quòd post generalem resurrectionem hæreditas Domini electis ejus à mortis somno suscitatis, statim donanda sit. Unde qui ex eo loco inferunt animas quibus nihil luendum superest, statim à morte corporis Deum intueri, minùs benè argumentantur. Et verò *nondùm propalatâ sanctorum viâ* nemo ante resurrectionem Christi ditatus est visione intuitivâ.

93. Obj. 2° : Eccle. 9, v. 10, sic habetur : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quibus congruit id capitis 11, v. 3 : *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ex iis textibus sic in formâ : Admisso Purgatorio, admitti necessariò debet remedium aliquod in altero seculo ; debet et admitti locus austrum inter et aquilonem medius. Atqui primum repugnat priori loco, secundum posteriori. Ergo.

94. R. : Neg. min. pro utrâque parte, quia neuter textus id probat quod ab adversariis intenditur.

95. Non prior, tum quia contendunt multi Salomonem hìc loqui in personâ impiorum, qui non modò Purgatorium, sed et gehennam tollunt, et nihil omninò præter hanc vitam esse arbitrantur ; tum quia censent alii Salomonem, non equidem seriò, sed per irrisionem, seu potiùs indignanter hortari impios, ut per breve hujus vitæ tempus voluptati, quoad poterunt, indulgeant, cùm apud inferos quò properant, nihil sibi profutura sint ingenium, sagacitas et industria, quibus dùm vivunt, suas in libidines protervè abutuntur ; tum quia, si Ecclesiastæ verba de ipsis etiam justis intelligantur, hunc certè nec violentum sensum habent : Quodcumque facere potes, nunc operare, quia post mortem, nec labor vel dolor tuus tibi ad meritum vel satisfactionem proderit ex parte operantis ; nec ipsis viventium operibus juvari poteris, nisi per bona quæ vivens gesseris opera merueris adjuvari. Ita S. Gregorius, lib. 4 Dialog., cap. 39. Ita et Suarez, Bellarmin., Walemburgici.

96. Nihilò plus urget locus posterior ; 1° enim Sapiens litteraliter loquitur de morte corporali, idque unum significat, quòd sicut lignum aliquando tandem cadit, ibique manet et putrescit, ubi cecidit, sic et necessariò homines morituri sint, nec unquàm per se è sepulturæ loco surrecturi. 2° Si eadem verba ad animæ statum accommodari placet, sensus erit, post hanc vitam non esse locum vel excidendi ab amicitiâ divinâ, vel eamdem recuperandi ; proinde perpetuò standum esse, seu ad austrum, ubi invariabiliter diligemur à Domino, seu ad aquilonem, ubi constanti ejus odio devovebimur. Quapropter purgantes animæ, cùm ad austrum ceciderint, id est, ad statum salutis in ea perpetuò sunt remansuræ. 3° Nec pigebit dixisse per austrum gloriam intelligi, per aquilonem verò gehennam, sed non omnes cadere ad austrum vel aquilonem, siquidem Patres ante Christum dubio procul ceciderunt. Atqui nec ad gehennam, ut per se patet ; nec statim ad gloriam, cujus nonnisi post Christi resurrectionem participes effecti sunt. Ergo, sicut objectus textus non nocet medio huic Patrum loco, sive is Abrahæ sinus, sive Limbus Patrum, sive infernus nuncupetur ; sic nec purgatorio adversari potest. Atque id ab ipsis præsertim novatoribus admittendum, qui longè plus quàm Catholici medium gloriam inter et gehennam locum agnoscunt : eum scilicet in quo justorum animæ degunt, donec intuitivâ visione post ultimum judicium reficiantur. De quo adi Thomam Burnet, in opere inscripto : *De statu mortuorum et resurgentium*, Roterodami, edito an. 1729, cap. 4, pag. mihi 35.

97. Inst. 1° Qui post mortem juvarentur precibus nostris, partem haberent in hujus seculi operibus. Atqui ex Eccle. 10, 6 : *Non habent partem mortui in hoc seculo, et in opere quod sub sole geritur.* Ergo.

98. R. : Dist. min. : Non habent partem in operibus, id est, in doloribus et gaudiis hujus seculi, concedo ; id est, in piis operibus, nego. Solutionis hujus veritatem probat vel rapida textûs inspectio. Hæc ibi : *Amor quoque et odium et invidiæ simul perierunt ; nec habent partem in hoc seculo... Vade ergo, et comede in in lætitiâ panem tuum, et bibe*, etc.

99. Inst. 2° : Ut animæ partem haberent in piis viventium operibus, necessum foret ut Deus, et severè quidem, earum iniquitates recordaretur. Atqui Ezech, 18, 21 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omni-*

bus peccatis suis...; omnium iniquitatum ejus non recordabor, ait Dominus.

100. R. : Dist. min. : Deus non recordatur iniquitatum ad pœnam æternam, concedo; ad pœnam transitoriam, subdist. : Non recordatur, cùm impius plenam et peccatis parem pœnitentiam egit, concedo, secùs, nego. Quod autem hoc sensu intelligenda sint Prophetæ verba, patet 1° quia Deus iis etiam qui à peccato sincerè resipuerunt graves in hoc seculo pœnas decernit, ut patet vel uno Davidis exemplo. 2° Quia Deus eodem modo oblivioni tradit iniquitates impii conversi, quo justi perversi justitias obliviscitur. Atqui has equidem ita obliviscitur ut à gehennâ non liberent, sed non ita ut nulla iis constituta sit temporalis merces, cùm bona impiorum opera in hoc seculo remunerentur, ut docent Chrysostomus, Hieronymus, August., lib. 5 de Civ. Dei, c. 15. Ergo.

101. Obj. 2° : Scriptura duos tantùm exhibet ordines hominum, quorum alii post mortem Deo fruuntur; alii statim detruduntur in tartarum.

102. Prob. ant. pluribus Scripturæ testimoniis. Matth. 25, 34, dicitur electis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum*, etc.; Joan. 5, v. 24 : *Qui verbum meum audit et credit ei... transit à morte in vitam;* Apocal. 14, 13 : *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis*, etc.; Sap. 3, v. 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt*, etc.; et 4, 7 : *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit;* 2. Corinth. 5, 1 : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra... dissolvatur, quòd habemus domum non manufactam æternam in cœlis.* En quoad electos; idem porrò esse de reprobis constat ex Matth. 25 : *Ite, maledicti, in ignem æternum;* Joan. 3 : *Qui credit non judicatur; qui non credit, jam judicatus est*, etc. Ergo.

103. R. : Dist. antec. : Duos solùm distinguit ordines in extremo judicio, concedo; in judicio particulari quod mortem proximè sequitur, subdist. : Duos tantùm distinguit ordines, quorum alter, electorum scilicet, varios habet gradus, ita ut vel intuitivè Deo fruatur vel eo fruatur ex aliquâ tantùm parte, concedo secùs, nego. Solutionis veritas constabit ex brevi singulorum qui objecti sunt textuum examine.

104. Matth. 25, de extremo ac publico mundi totius judicio sermonem haberi, res est per se manifesta. Idem liquet de objecto Joannis textu, ut ex iis constat quæ proximè sequuntur verbis : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei..., et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*, etc. Nec absimilis est sensus cap. 14 Apocal., ubi vox *Amodò* non significat id quod ab uniuscujusque morte statim futurum sit, sed id quod continget statim ab extremo judicio, ut patet ex v. 7, ibid. : *Timete Dominum..., quia venit hora judicii ejus*, et ex v. 15, ubi terra universa ab angelo meti jubetur. Quanquàm nihil noceat textus iste, si de particulari judicio intelligatur, tum quia hìc sermo fiat de viris perfectis, potissimè autem de martyribus, quos eò loci consolatur Scriptura, quique simpliciter et plenè *in Domino moriuntur*, non autem imperfectè, ut justi non pauci, quos ideò partim *Dei puos*, partim *filios hujus seculi* vocat Augustinus, lib. 3 contra Epistolas Pelagian., cap. 3; tum quia aliud est justos requiescere ab hujus vitæ laboribus, quos inter non minimum locum habet timor à justitiâ finaliter excidendi; aliud eos impertransito medio ad gloriam evolare. Sic Abraham, et qui in sinu ejus recumbebant justi ante Christi adventum requiescebant à laboribus suis, nec tamen cœlum ingrediebantur.

105. Non plus urget quod objicitur ex libro Sapientiæ. Scilicet justi in ipso etiam Purgatorii medio, sunt *in manu Dei*, seu in tutissimâ ejus custodiâ; nec tantùm ab omni tentatione, diabolique et hominum insidiis immunes, sed de suâ æternâ beatitudine certissimi. Unde et *in refrigerio* sunt, tum quia seipsos felicitatis certò consequendæ intuitu consolantur; tum quia ab intolerando tentationum hujus seculi æstu liberi manent. His tamen aliud refrigerii genus adprecatur Ecclesia in Canone missæ; prout sibi illud peroptabant in Limbis suis Patriarchæ, ubi citra dubium ingeminabant istud Isaiæ : *Rorate, cœli, desuper*, etc.

106. Ad textum Apostoli respondeo, ex eo quidem meritò colligitur, paratam esse justis in cœlo domum æternam; at eos in ipsam omnes statim recipi, nec apertè, nec obscurè indicat Apostolus, sed potiùs contrarium, cùm addit : *Si tamen vestiti et non nudi inveniamur*. Hinc enim efficitur eos qui virtutibus ac meritis, perfectâ proinde pœnitentiâ vestiti sunt, mox cœlestem in domum deduci, alios autem salvari equidem posse, sic *tamen quasi per ignem*, ut alibi docet idem Apostolus.

107. Inst. 1° : Ex eodem, 2 Corinth. 5, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Atqui si post hanc vitam superesset locus purgationi, non referret unusquisque prout gessit in corpore suo; quin et referret id quod alii pro ipso per preces suas facerent.

108. R. : Neg. min.; ut enim solidè argumunt Bellarminus, hìc cap. 12, et Walemburg., pag. 303, qui purgationis locum in futuro seculo inveniunt, id recipiunt unum quod in corpore suo promeruerunt, *quia*, uti notat Augustinus, Enchir. cap. 110, ubi hunc D. Pauli locum objicit sibi et solvit, *etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista* (viventium suffragia) *post mortem prodesse; quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore.* Idem docent Dionysius vulgò Areopagita, Gregorius Mag., etc. Præterea, dicit quidem Apostolus futurum ut quisque recipiat prout in corpore gessit; quod quidem de merito et augmento gloriæ intelligitur; sed non dicit neminem vel accepturum, vel à malo pœnæ liberatum iri, nisi prout gessit in corpore. Sic dicit Christus omnem qui petit accepturum; sed non dicit neminem accepturum nisi petat. Et verò accepit Paulus ad preces Stephani conversionem suam, quam profecto non petebat.

109. Ad hunc modum intelligenda sunt isthæc: *Reddet unicuique secundùm opera sua. Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Unusquisque onus suum portabit.* Horum enim sensus est; unumquemque vel propter sua, non aliena puniendum; vel aliorum meritis juvatum non iri, nisi propria ipsius, dum in vivis ageret, præcesserint merita; vel ex iis quæ per vitam gessit, ita in extremo judicio esse dijudicandum, ut aliorum precibus adjuvari non possit. Etverò qui, ut Lutheri verbis utar, Purgatorium esse credimus, imò scimus, hæc Apostoli verba frequenter usurpamus. Quare porrò? quia in futurâ hominis conditione id solùm inspicimus, quod eum ad supremi Judicis dexteram vel sinistram stabiliter constituet. Hinc cum Hieronymo, in cap. 6 in Epist. ad Galat. è suggestu prædicamus, *nos dùm in præsenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse coadjuvari; cùm autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.* Hæc porrò quæ in Ecclesiâ catholicâ dicuntur, palàm est ejus sensu intelligi.

110. Inst. 2°: Qui piè decedunt, sunt in Christo Jesu. Atqui, ex Apost. Rom 8, *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Unde latroni, qui utpotè in extremis tantùm conversus, parem delictis suis pœnitentiam agere non potuit, dictum est à Christo, Luc 23: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Etverò, ut piè Chrysostomus, in Psal. 50: *Ubi misericordia est, pœnæ non expetuntur.* Porrò in omnes justos fluget summa Dei misericordia.

111. R.: Dist. min.: Nihil est damnationis, id est, nihil ex inordinatis concupiscentiæ motibus contrahunt detrimenti, qui iisdem in Christo, seu per Christi gratiam resistunt, concedo; nihil est damnationis quoad pœnam, subd.: Quoad ad pœnam æternam, si usque ad finem sint in Christo, concedo; quoad pœnam temporalem, iterùm dist.: Si quidquid deliquerunt, congruâ pœnitentiâ dilucrint, concedo; secùs nego. Agit eò loci Apostolus de motibus concupiscentiæ, quos prophetico calamo contra Calvinistas demonstrat nihil peccati habere, nihil inferre damnationis; ergo textus ille non pertinet ad præsentem controversiam. Si tamen et ad istam detorqueri placet, dicendum iis qui in Christo sunt, nihil esse æternæ damnationis, imò nec temporaneæ, si congruis fletibus præteritas labes absterserint. Et is fuit status pii latronis, qui Christum palàm confessus est, dùm eum vel ipsi Apostoli negarent; qui blasphemantis ex adverso fratris sui linguam compescuit; qui non à morte quam durissimam patientissimè ferebat, liberari postulavit; sed id expetiit unum, ut aliquam cum Christo partem haberet, etc. Adde cum Bellarmino, quòd paucorum privilegia legem non faciunt; nullum autem fuit majoris privilegii tempus, quàm cùm actu redemptionem nostram fuso sanguine operabatur Christus. Præterea unde habent adversarii latronem ab omni Purgatorio liberum fuisse? Potuit sanè in eo per aliquod tempus torqueri, ita ut pœnarum duratio per earum intensionem suppleretur; et exinde in paradiso eâdem die constitui.

112. Ad Chrysostomi textum, dist: Ubi misericordia est, non expectantur pœnæ ad ruinam et perditionem peccatoris, concedo; ad absolutionem peccati, nego. Si enim nullæ ab iis in quos misericordiam suam exerit Deus, expectantur pœnæ, cur ob misericorditer remissum Davidi peccatum, mortuus est infans criminis partus? Cur non recessit gladius ab ejus domo? Cur ipse lacrymis suis stratum rigavit? Haud sanè ignota erant ista Chrysostomo. Ergo longè aliud in objecto textu sensit, quàm novatores.

113. Obj. 3°: Communis est SS. PP. doctrina post hanc vitam non esse locum satisfactioni. Sic S. Cyprianus in fine operis contra Demetrianum: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* Chrysost., Hom. 2 de Lazaro: *Cùm hinc dicesserimus, non est in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere* Et rursùm: *Neque enim qui in præsenti vitâ peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inventuri sunt.* S. Gregorius Nazianz., orat. 15 (tom. 1, p. 229): *Jam* (in alio seculo) *pœnæ tempus erit, non purgationis.* S. Ambrosius, lib. de Bono mortis: *Qui enim hìc non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit in patriâ beatorum.* Quin et S. doctor omne sanctificationis genus abigit in cap. 22 S. Lucæ, ubi: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* S. Cyrillus Hierosol., catech. 18 (p. 216. D.): *Pœnitentiæ et remissionis peccatorum tantùm in hàc vitâ præscriptum tempus habemus.*

114. R. 1°, mirum videri quòd qui antiquos Patres sibi quoad præsens Purgatorii punctum adversari fatentur, ex iisdem contra nos dimicare velint. An ut Calvinianos sibi cohærere dicamus, sanctos Ecclesiæ doctores aliud et aliud locutos esse profitebimur?

115. R. 2°: Dist.: SS. PP. docent post hanc vitam non esse locum satisfactioni quantùm ad remissionem peccati mortalis, et peccatoris conversionem, concedo; quantùm ad remissionem vel culpæ venialis, vel temporalis pœnæ, quasi nulla luenda supersit, aut ablui valeat, nego. His itaque in locis id unum dicunt Patres, quòd apud nos quotidiè inclamant concionatores facti, nullum videlicet esse post mortem locum merito, et immotam fore hominis seu in malo, seu in bono conditionem. Sic post temerè objecta à Brentio Cypriani verba, hæc uno contextu legere est: *Hìc vita aut amittitur, aut tenetur.* Sic Chrysostomus exemplo Epulonis, qui in flammâ æternùm cruciatur, probat nullam esse quæ prosit in aliâ vitâ conversionem. Idem est Ambrosii sensus, qui subdit impœnitentem, *non posse* post mortem *ad vitam æternam pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est.* Nemo autem catholicus docet lethales culpas in Purgatorio, vel alibi uspiam remitti. Istud S. doctoris: *Lacrymas Petri lego, non satisfactionem*, quod à Petro Martyre insulsè objicitur, non de condignâ peccati expiatione, sed de vanâ ejus excusatione intelligendum est, uti jam observavimus in tract. de Pœnit. Unde laudat Ambrosius Petrum, quòd crimen suum non excusa-

verit, quomodò fecit Adam, sed lacrymis confessus sit, et diluerit. Quapropter subjungit S. doctor : *Quod defendi non potest ablui potest.* Idem est cæterorum sensus, ut probat Bellarmin., ibid., cap. 13.

116. Obj. 4° cum Calvino id Augustini, tract. 49 in Joan. : *Habent omnes animæ, cùm de seculo exierint, diversas receptiones suas, habent gaudium boni, et mali tormenta.* Et infra : *Requiem quæ continuò post mortem datur, si eâ dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur.* Consonat istud ejusdem in Psalm. 31 : *Si Deus texit peccata* (secundùm id Davidis : *Beati quorum tecta sunt peccata*) *noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, maluit ignoscere.* Unde sic : Quæ statim post mortem gaudium et requiem habent, non subjacent purgatorio igni, in quo nec gaudium est nec requies. Atqui ex Augustino animæ justorum *continuò post mortem*, etc.

117. R. : Dist. maj. Quæ gaudium ac requiem habent eodem prorsùs modo, concedo; quæ gaudium ac requiem habent diversimodè, nego. Qui in charitate decedunt, statim à morte habent gaudium ac requiem, quatenùs et ab æstu libidinis liberi sunt, et continuò de æternâ suâ salute certi efficiuntur; quod genus gaudii nemo est catholicus qui non vehementissimè peroptet. At idem gaudium non eodem modo omnibus contingit, sed diversimodè pro diversitate meritorum. Unde quibusdam datur sine doloris admixtione, quibusdam cum multiplici doloris sensu; ita ut sortiatur quisque requiem, prout *eâ dignus est*, uti loquitur S. doctor. Unde, lib. 2 de Genes. cap. 20, hæc habet omni exceptione majora : *Qui fortè agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit.... post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.*

118. Inst. 1° : Si res ita sit, advertit et animadvertit Deus in eos quorum texit peccata. Atqui ex August. non advertit, etc.

119. R. : Dist. min. : Non advertit æternâ pœnâ, quæ cùm æternum Dei odium supponat, sola pœnæ nomen propriè meretur, concedo; non advertit pœnâ transeunte, nego; contrarium patet ex testibus passim adductis.

120. Inst. 2° : Augustinus, epist 199, aliàs 80, n. 2, sic loquitur : *In quocumque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Sed si justi transeunte etiam pœnâ plecterentur, non esset eorum quisque in novissimo die mundi, id quod fuit in die mortis suæ.

121. R. : Dist. maj. : Dies mundi novissimus hominem comprehendet qualis fuit in morte, quantùm ad gloriam et gloriæ gradum item et quantum ad gehennam ejusque tormenta, concedo, quia post mortem non crescunt merita vel demerita. Eum deprehendet qualis fuit quoad debitam quibusdam peccatis nondùm expiatis satisfactionem, in statu quodam intermedio exsolvendam, nego.

122. Inst. 3° : Atqui statum hunc medium disertim excludit Augustinus. Sic enim loquitur, lib. Hypognostici, ultra medium : *Primum locum fides Catholicorum divinâ auctoritate credit regnum esse cœlorum; secundum gehennam.... tertium penitùs ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis invenimus.*

123. R. 1°, librum hunc esse Marii Mercatoris, cui in MSS. tribuitur; non autem Augustini : quia tamen S. doctor quædam similia tradit, lib. de peccat. Merit. et Remiss., cap. 28,

124. R. 2° : Neg. ant.; nam excludit quidem Augustinus tertium locum qui medius sit in sensu Pelagianorum, juxta quos pueri sine baptismo morientes, naturali extra cœlum et gehennam beatitudine fruebantur. At nusquàm exclusit locum medium in sensu Ecclesiæ catholicæ, tum quia non ignorabat sinum Abrahæ, in quo ante Christi passionem requiescebant justorum animæ, nec cœlum fuisse, nec infernum; tum quia Purgatorii locum ubique constanter et invictè agnoscit. Unde objecta verba de locis æternis, non autem de temporalibus necessariò sunt intelligenda.

125. Inst. 4° : Non admisit invictè Purgatorium, qui circa illud hæsit pluribus in locis. Atqui Augustinus hæsit, ut patet ex lib. 21 de Civ. Dei, cap. 26; lib. de Fide et Operib., cap. 16; lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, etc.

126. R. Augustinum ne instanti quidem uno hæsisse circa Purgatorii substantiam, sed tantùm circa nonnullas ejus appendices; puta 1°, an certa quædam ibi, et quidem igne, plectantur, v. g., nimius amor uxoris, mariti, filiorum, etc., qui tamen Deo præpositi non fuêre; ita cap. 68 Enchiridii. 2° An purgantes animæ eum adhuc corde gerant amorem, quo terrenis rebus adhæserunt, et ex pristini statûs recordatione etiamnùm earumdem capiantur illecebris : ita in primâ ex octo Dulcitii Quæstionibus. 3° An Purgatorii pœnæ sint *ignis transitoriæ tribulationis*, quo terreni amores, ligni instar et stipulæ, in justis consumantur; ita cit. lib. et cap. de Civ. Dei. Sed qui circa rei circumstantias adeò sollicitus est, substantiam rei non inficiatur, imò ut indubiam admittit. Ergo. Ita Bellarmin, cap. 5; Tournely, etc.

127. Obj. 5° : Hieronymus, in cap. 9 Amos, sic loquitur : *Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quò velit, sive quò ire compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur..., aut certè ad cœlestia sublevabitur.* Atqui nihil hìc est medium inferna inter et cœlestia.

128. R. Hieronymum non loqui de morte naturali, sed de separatione animæ à corpore per speculationem. Eò enim loci disputat de animâ impiâ, quæ quòcumque se per cogitationem verterit, Deum inveniet ultorem. Unde post verba hæc : *Ad cœlestia sublevabitur*, sic pergit : *Ubi sunt spiritualia nequitiæ in cœlestibus, et si sibi verè circumcisionis scientiam voluerit vindicare, et humilitate conceptâ habitare in montibus, et ibi scrutantem Dei manum evadere non poterit. Quòd si desperans salutem, oculos Domini vitare tentaverit, et in ultimos falsorum fluctuum terminos pervenire, etiam*

ibi *mandabit Dominus serpenti tortuoso et antiquo, qui est inimicus et ultor, et mordebit eam. Capta quoque vitiis et peccatis gladio Domini percutietur, et per cruciatus atque supplicia ad Dominum revertetur.* Hæc Bellarminus, cap. 18, in fine.

129. Obj. 6° : Græci à Latinis circa Purgatorii doctrinam dissentiunt, ut constat ex habitis eâ de re in Concilio Florentino disputationibus.

130. R. Dist. : Græci à Latinis dissentiunt circa accidentia Purgatorii, concedo; circa rem ipsam, nego. Licèt enim dubitent Græci an idem sit Purgatorii et inferni locus, an ut in isto, sic et in illo veri ignis pœna sustineatur; an probetur hoc vel illo Scripturæ textu, rem tamen ipsam confitentur quicumque apud eos orthodoxi audiunt; nec dubitant quin piè defuncti juventur vivorum suffragiis. Ecquî verò in dubium id vocent, cùm omnes eorum Liturgiæ disertas pro iis qui in Christo dormierunt, orationes contineant. Hinc teste et approbante Photio in Bibliothecâ, cod. 171, Eustatius Ecclesiæ CP. Presbyter in tertiâ parte tractatûs quem seculo VI de animis defunctorum scripsit, *hoc studiosè prosequitur, oblata pro iis qui in fide obierunt, à Sacerdotibus sacrificia atque donaria... supplicationesque et eleemosynas pro iisdem factas, ad Fidelium salutem ac delictorum remissionem, iis valere omnino pro quibus hæc offeruntur.* Adde quòd habeant Græci in pretio antiquam Dialogorum S. Gregorii versionem; in eâ porrò frequens est et catholica Purgatorii mentio. Hinc in Moldaviensi Græcorum synodo, quæ contra malè famosum Cyrillum Lucarim habita est, reprobatus est decimus octavus ejusdem Cyrilli articulus, in quo expressim docebat eos *qui in præsenti vitâ justificati sunt, nullam in alio seculo pœnam esse subituros, proinde non admittendum esse fictum Purgatorii dogma.* Hinc enim sequebatur *nullam à viventibus fieri debere mortuorum commemorationem;* quod quidem Græcæ fidei adversum declarat prædicta synodus, quia, inquit, *speramus Deum ad viventium preces concessurum mortuis requiem et liberationem ab angustiis quæ eos circumdant.* Quid porrò ad rei substantiam interest, an medius cœlum inter et gehennam locus nomine *Purgatorii*, vel *angustiarum* seu *amaritudinis* donetur, modò constet et locum hunc existere, et incolis ejus prodesse viventium suffragia.

131. Hos equidem Græcos *latinisantes*, ut vocat, vel ut impostores, perfidos, calumniatores exhibet editor operis inscripti : *Lettres anecdotes de Cyrille Lucar*, Amstelodamensibus typis editi an. 1718. Verùm quò bilem suam vel ipse, vel ejus in locum quivis alter, plenius evomat, hæc recentiorum Græcorum testimonia superaddemus. Primum Moldaviensis cujusdam, Dynastæ, qui hæc scribebat an. 1667 : *Denique et pro mortuis Ecclesia Orientalis semper orat Deo supplex... Dicit enim magnus Athanasius quòd eleemosynæ non parùm mortuis afferant emolumenti, ut si sunt justi, magis resplendeant, si sint peccatores, requiem consequantur.* Vid. Perpetuitatem fidei.

132. Secundum est synodi in insulâ Cyprinâ habitæ an. 1668, ubi sic, capitulo 7 : *Confidenter decernimus quòd qui misericordiæ opera, et oblationes et similia quæ pro defunctis in fide et pœnitentiâ fiunt, tollunt, negantque juvari his animas, quæ in privatione atque dilatione beatitudinis versantur in doloribus, ad refrigerium et diminutionem dilationis, hi sanè orthodoxorum partis alieni, et apostolicarum ac paternarum traditionem prævaricatores judicentur;* ibid. p. 74.

133. Tertium est responsio Uscani, episcopi Erevanensis Armeni, ad varias quæstiones sibi, dùm in Batavià commoraretur, propositas. Sic ille, § ult. *Qui negant fidelibus vitâ functis oblationes et opera misericordiæ prodesse ad obtinendam citiùs requiem, et purgatoriarum pœnarum remissionem;* hos *damnant* Armeni. Ibid., p. 79. Jam verò qui post mortem admittunt locum doloris, locum purgatoriæ pœnæ, locum certâ requie destitutum, simulque animas eo in loco degentes per orationes, per sacrificia, per eleemosynas viventium adjuvari, hi profectò Purgatorii catholici factum ac substantiam profitentur.

134. At, inquit citatus suprà declamator ac Cyrilli Lucaris vindex, præstantissimi Romanæ communionis historici fatentur Purgatorium negari à Gracis, tametsi non negent hi orandum pro mortuis. Sic Ludovicus Moreri, sic Caucus quidam Corcyrensis episcopus, quem de Græcorum erroribus diligenter scripsisse testatur Ricardus Simon in Historiâ criticâ fidei Orientalium; sic demùm idem Simonius, ibid.. pag. 20.

135. Verùm hæc non urgent : non auctoritas Morerii, quem non audebat legere Menagius, ne, quia, ut ipse ait, felici memoriâ gaudebat, innumera ejus menda retineret. Hinc dictum illud periti viri, Dictionaria imperitorum libros esse. Quot, heu! errores in ipso Morerii continuatore redarguit vir impendiò litteratus, claris D. Saas Rothomagensis nunc Ecclesiæ canonicus.

136. Non auctoritas Cauci, vel Simonis, qui suam de Cauci mente mentem sic exprimit : *Ce que Caucus affirme, aussi bien que plusieurs autres écrivains, que les Grecs nient le Purgatoire..., il faut entendre cela par rapport à l'opinion des Latins, qui établissent un lieu de purgatoire, et un feu qui tourmente les âmes.* Quæ verba ipse, sed contra se, profert adversarius : ex iis enim sequitur Græcos negare quidem purgantes animas certo in loco plecti supplicio ignis; circa quod hærent etiam Judæi, ut videre est supra, n. 61, apud Bartholoccium; at neutiquam sequitur quòd negent animas in alterâ vitâ ubilibet et quomodòlibet pati, et juvari per viventium suffragia. Is porrò est difficultatis ac controversiæ cardo.

137. Obj. 7° : Purgatorii fides supponit aliquam dimissâ culpâ pœnam remanere. Atqui id falsum est, siquidem dimissio culpæ fit per meritum passionis Christi, quod utpote infinitum plenè sufficit ad tollendam ex æquo pœnam et culpam.

138. R. Ad primum : Neg. min.; etsi enim nulla post remissam culpam manet pœna æterna, manet utique temporalis multiplex, eaque non in futuri peccati remedium ut suo loco probavimus, et abundè demonstrant infantium, qui peccati actualis capaces

non sunt, morbi et miseriæ; ergo ad peccati vindictam.

139. Nec obest meritum satisfactionis Christi, quia sicut hæc licèt infiniti valoris non delet culpam, nisi per sacramenta applicetur, sic nec delet pœnam temporalem, nisi applicetur per opera satisfactoria. Atqui non semper per nostra hæc opera in præsenti seculo applicatur. Ergo necessum est ut applicetur in futuro. Neque hinc detrahitur meritis Christi, quin et ea insigniter commendantur, cùm nostra quæcumque est satisfactio suam ab ipsius cruce vim trahat. Unde non in se, sed in Domino gloriabatur Apostolus, cùm aiebat, Coloss. 1, 24 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ.*

140. Inst. : Non minùs efficax est Christi passio in pœnitentiâ quàm in baptismate. Atqui in isto pœnam omnem tollit et culpam; idque quoniam infiniti est meriti. Ergo idem efficere debet in pœnitentiâ, quæ certa quædam est baptismi commemoratio, imò et quidam baptismus.

141. R. Dist. maj. : Non minùs est efficax de se passio Christi, sed quantùm ad nos minùs liberaliter applicatur in pœnitentiâ, *sumptâ scilicet pro sacerdotali absolutione*, concedo; non minùs est efficax, et eodem in gradu applicatur, nego. In baptismo agit Deus liberalissimè, et Christi merita tam effusè applicat, ut etsi, quod posset, hujus vitæ pœnas non tollat, tollat tamen et culpam, et omnem futuri seculi pœnam, id est, tam gehennæ quàm Purgatorii; at in sacramento pœnitentiæ nonnihil manum contrahit; et licèt cum culpâ æternam pœnam tollat, exigit nihilominùs ut temporalis pœna, vel in vitâ præsenti per dignos pœnitentiæ fructus redimatur, vel exsolvatur in futurâ. Idque non modò ita constitutum est, sed et constitui debuit, quia æquum est ut baptizatorum peccata, utpotè iis quæ ante baptismum committuntur, longè graviora, pœnâ majori expientur. Hinc Patres pœnitentiam vocant *baptismum laboriosum, lacrymarum, ignis*, etc. Hinc pœnitentia publica semel tantùm concessa prioribus Ecclesiæ seculis. Hinc demùm illud Apostoli, Hebr. 6 : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati*, id est, baptizati, *rursùs renovari ad pœnitentiam*, baptismalem scilicet, prout dixi alibi.

142. Hinc patet Christi passionem, non ideò solùm omnem in baptismo pœnam tollere, quia valoris sit infiniti, sed quia ex justâ simul et benignâ Dei constitutione abundantiùs applicatur. Vide Trid. sess. 14, c. 2.

143. Dixi, *in pœnitentiâ sumptâ pro sacerdotali absolutione*, quia si pœnitentia integrè sumatur, prout contritionem, confessionem et satisfactionem plenam et perfectam continet, potest totum argumentum concedi, cùm perfecta et adæquata hujus vitæ satisfactio omnem vitæ alterius pœnam, non secùs ac baptisma, expungere possit, ut bene Bellarminus, c. 14.

144. Inst. 2° : Peccata eo modo in baptismo et pœnitentiâ remitti debent, ut Christo soli suus Redemptoris honos asseratur. Atqui si possit mortalis homo satisfacere pro pœnâ, jam Redemptoris honorem dividit cum Christo; estque aliquâ ex parte redemptor sui; nec prohinc totam suam salutem debet Christo, sed ejus partem sibi.

145. R. Nego min. Etsi enim redargui non potest qui cum Scripturâ dicit Daniel. 4 : *Peccata tua eleemosynis redime*, et Philipp. 2 : *Cum metu et tremore salutem vestram operamini;* ubi homo sui redemptor ac salvator utcumque appellatur; ubique tamen et meritò receptum est ut Redemptoris nomen ei soli tribuatur, qui peccata nostra abluit in sanguine suo; qui fidei nostræ auctor est et consummator; qui operibus nostris totam quam habent satisfaciendi virtutem misericorditer indulget. Hinc non magis suus Christo subtrahitur honos, quia passiones ejus in se adimplet homo, quàm sua Deo subtrahatur gloria, quia per causas secundas operatur. Atqui nedùm divinæ gloriæ quidquam depereat, hinc contra magis apparet, quòd non solùm operari possit, sed aliis etiam rebus vim tribuat operandi. Adde quòd si eo quia satisfactionem Christi nobis per bona opera applicamus, possimus dici nostri redemptores, tales quoque dici poterunt Lutherani, qui eamdem sibi per fidei actum applicant.

146. Inst. 3° : Si pœnitens per opera sua satisfactionem Christi sibimetipsi applicet, vel inde duplex exsurgit satisfactio, vel una tantùm. Si duplex, ergo uni culpæ pœna respondet duplex, contra tritum id : *Non bis in idem.* Si una tantùm, vel hæc est Christi, vel hominis. Si Christi, ergo non satisfacit homo. Si hominis, ergo excluditur satisfactio Christi, aut saltem honorem ejus partitur homo, ità ut pro culpâ Christus, pro pœnâ satisfaciat homo.

147. Respondent aliqui cum Baïo, lib. de Indulgentiis, cap. ult., esse unam tantùm satisfactionem, eamque Christi; proinde hominem non satisfacere propriè, sed tantùm facere aliquid, cujus intuitu Deus applicat nobis Christi satisfactionem; quod idem est ac si dicatur, opera nostra meras esse conditiones, sine quibus non applicaretur nobis satisfactio Christi, vel ad applicationem istam dispositiones. Verùm, ait, cit. cap. 14, Bellarminus, sententia hæc erronea mihi videtur, tum quia Scriptura et Patres passim vocant opera nostra satisfactiones et peccatorum redemptiones; tum quia, si potest homo justus per bona sua opera vitam æternam mereri de condigno, quidni possit propriè satisfacere pro pœnâ temporali, quod est minus?

148. Respondent igitur alii duas esse satisfactiones, quarum una ab alterâ pendeat. Et is modus non videtur Bellarmino improbabilis. Etsi nimirùm, inquit, una sufficeret Christi satisfactio, tamen ad majorem gloriam Dei cui satisfit, et majorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo conjungere nostram suæ. Sic licèt una sanguinis Christi gutta mundo toti redimendo sufficeret, voluit tamen Christus sanguinem totum profundere, ut esset copiosissima redemptio Sic rursùm justus homo titulo duplici jus habet ad eamdem gloriam, uno ex Christi meritis sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.

149. Respondet 3° idem cardinalis, probabilius sibi videri quòd una tantùm sit actualis satisfactio, eaque hominis. Neque, ait, hinc excluditur Christus, vel ejus satisfactio; quia ab ipsâ habemus satisfaciendi gratiam; et hoc modo dicitur nobis applicari satisfactio Christi; non quòd ipsa ejus satisfactio immediatè tollat pœnam temporalem nobis debitam, sed quòd tollat eam mediatè, quatenùs scilicet ab eâ gratiam habemus, sine quâ nihil valeret nostra satisfactio. Hæc ille.

150. Ego quidem non ægrè admiserim unam tantùm satisfactionem, sed quæ ex satisfactione Christi ut primariâ, et ex nostrâ ut secundariâ coalescat: ità ut nec solus Christus in actu secundo satisfaciat, nisi juxta ordinationem ipsius cooperetur homo; nec homo solus satisfaciat, nisi passionis suæ virtutem et efficaciam ejusdem operi imprimat Christus. Sic autem et hominis, et multò plus Christi satisfactioni sua tota dignitas asseritur. Eaque videtur esse mens Trid. concilii, sess. 14, cap. 8, ubi hæc: *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum.... in quo satisfacimus*, etc.

151. Sic porrò una tantùm uni culpæ respondet pœna; vel si duplex, nihil absurdi; tum quia illud fit secundum Dei constitutionem; tum quia si regis amicus gratiam rebellis filii supplex ab illo postulat, ut à Davide Joab gratiam Absalon, poterit rex præter hujus intercessionis pœnam, novam à filio pœnam repetere, quod et à Davide factum est.

152. Obj. 8°: Ubi non est meritum, ibi nec est satisfactio. Atqui in Purgatorio non est meritum.

153. R. Nego maj. Ad merendum enim et demerendum requiruntur duo ex communi Patrum sententiâ, libertas scilicet et status vitæ. Neutrum porro requiritur ad satisfactionem. Certè qui invitus dat pœnas, aut in carcerem detruditur, vel à judice coactus solvit debitum, verè satisfacit, etsi non mereatur. Quòd si, ait Pichler, in Theologiâ polemicâ, hanc satisfactionem putes non esse propriè talem, quia libera et meritoria non est, poteris eam vocare *satispassionem;* et sic animæ purgantes non tam satisfacient divinæ justitiæ, quàm satispatientur.

154. R. 2°: Dist. In Purgatorio non est meritum actuale quod novas gratias, et novos gloriæ gradus obtineat, concedo. Non est meritum in causâ quidem præteritum, sed perseverans in effectu, nego. Ut enim ait Augustinus, serm. 171, aliàs 32, de verbis Apostoli: *Non omninò ambigendum est ista viventium suffragia prodesse defunctis; sed talibus quia ita vixerint ante mortem, ut possint hæc illis utilia esse post mortem.*

155. Inst. Ex primâ responsione sequitur, 1° vel ipsos dæmones divinæ justitiæ, coactos licèt, satisfacere posse; 2° justos pro quibus nulla fierent suffragia, in purgatoriis ignibus perpetuò esse mansuros. Atqui neutrum admitti potest.

156. R. Nego sequel.; 1° enim dæmones, cæterique damnati, licèt divinæ justitiæ horrendis modis satisfaciant, inaniter tamen; tum quia non *ità vixerunt ante mortem, ut* tormenta sua *eis utilia essent post mortem;* tum quia eorum pœna cum summâ animi desperatione ac consummato Dei odio semper conjuncta est; unde in eis æternùm manet reatus mortalis culpæ; ubi autem is manet, manet et æternæ pœnæ reatus; quâ enim de causâ *in inferno nulla est redemptio.*

157. Ad secundum meritò notat Turnelius falsam esse hanc hypothesim. Etsi enim huic pietatis officio deessent amici et parentes, uti Calvinistæ ad fidem converso accideret, nunquàm tamen deerit pia et communis mater Ecclesia, ut ex quotidianâ ejus praxi compertum est, et docet Augustinus, lib. de Curâ pro mortuis, cap. 4. Quanquàm, si tale quid in fine mundi futurum esset, nullus dubitem quin res à Deo ita constituantur, ut pia pœnæ acceptatio extinctionem ipsius promereatur.

158. Obj. 9°: Se habet charitas ad gloriam, sicut peccatum mortale ad æterna supplicia: imò plus gloriam accelerat charitas, quàm peccatum mortale supplicia; quia Deus longè propensior est ad miserendum, quàm ad puniendum. Atqui peccatum mortale ejusdem reos statim ac sine morâ æternis suppliciis addicit. Ergo à fortiori charitas eos qui ipsius sunt participes, statim transmittit ad gloriam.

159. R. 1° forsan aliquando factum esse ut peccatum mortale suî reos nec statim, nec postmodò ad infernum detruserit. Plures enim mortui ab Eliseo, à Christo, et à discipulis ejus suscitati sunt. Atqui horum aliqui lethali peccato infecti esse potuerunt. Ergo non statim, etc.

160. 2° Neg. maj. Ut enim fert vetus axioma: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque vel minimo defectu.* Ergo peccatori sua conditio sufficit ad pœnam; justis autem, nisi perfectissimâ et omnis defectûs experte charitate prædîti sint, non semper sua ad gloriam sufficit charitas.

161. Nec obest quòd Deus ad misericordiam propensior sit quàm ad ultionem. Sic enim ad misericordiam propensus est, ut justitiæ suæ jura servare velit. Atqui exigit justitia hæc summa, ut qui labes suas in hoc seculo abstergere neglexit, easdem diluat in futuro. Cùm ergo qui piè decedit, per sordes quibus coinquinatur, displiceat Deo, licèt ei ratione charitatis sit acceptus; qui verò impiè moritur, ex omni parte oculos ejus offendat; æquum est ut is ad supplicia confestim detrudatur, ille verò salvus quidem sit, sed quasi per ignem.

162. Obj. 10°: Si Purgatorium aliquibus constitutum sit, vel iis qui cum peccatis venialibus moriuntur, vel iis quibus peccatum quoad culpam dimissum est, non tamen quoad omnem pœnam. Atqui neutrum dici potest. Non primum, quia nullum in alterâ vitâ peccatum dimitti potest; cùm et ibi simus in termino, et nullum diluatur peccatum sine pœnitentiâ, cui non est locus in futuro seculo; et ejus sit à culpâ resurgere, cujus est in culpam incidere, quod justis in alterâ vitâ non competit, utpotè qui in venialia labi non

possint. Non secundum, 1° quia pœna omnis est propter culpam; unde crescente vel decrescente culpâ, crescit vel decrescit pœna. Atqui nulla est culpa, ubi culpa omnis dimissa est; 2° quia non exigitur solutio debiti jam remissi; porrò culpâ remissâ debitum verè remissum est; et quidem non gratis, cùm nulla culpa adultis remittatur sine pœnitentiâ. 3° Quia reatus culpæ reipsà non distinguitur à reatu pœnæ. Ergo sublato illo aufertur et iste.

163. R. ad primum: Nego min., utpotè constanti, quam supra exhibuimus, Ecclesiæ Traditioni directè contrariam.

164. Nec urgent quæ contra primam partem objiciuntur.

165. Non primum. 1° Quia dubio procul potuit Deus sancire, ut quædam in ipso termino dimitterentur peccata. Hanc porrò fuisse ejus intentionem liquet ex toto Ecclesiæ sensu. 2° Quia animæ purgantes quadamtenùs adhuc sunt in viâ, cùm necdùm sint in termino, seu æternâ beatitudine.

166. Non secundum, cùm in materiâ quam Deus reserare noluit, dici possit venialia peccata quoad culpam remitti, vel in ipso animæ justæ egressu, vel statim post egressum animæ, vel in pœnarum Purgatorii decursu, quia anima hæc indubiè peccata quæcumque sua retractat, vel de iis formaliter dolendo, vel Deum super omnia diligendo; qui dilectionis actus, utpotè peccatis contrarius, est pœnitentia virtualis, adeòque capax omnia etiam in termino remittendi peccata, saltem si ad hunc effectum acceptetur à Deo; quod quando faciat, certò definiri non potest. Repete quod dixi in tract. de Pœnit., cap. 3, n. 85 et seq.

167. Non tertium. Etsi enim is solùm à mortalibus resurgere potest, qui potest in ea incidere; potest tamen liberari à venialibus, qui jam venialiter peccare nequit. Et hic est animarum purgantium status; eæ enim et à peccato ablui possunt, quia habent media ad id proportionata, nempe actum dilectionis peccato contrarium; et tamen denuò peccare non possunt, quia non solùm carent fomite peccati, sed etiam in bono confirmatæ sunt.

Haud gravioris sunt momenti quæ contra secundam partem objiciuntur. Unde breviter

168. R. ad primum: Dist. maj.: Pœna omnis est propter culpam, vel præsentem vel præteritam, concedo, ratione subjectæ materiæ. Pœna omnis est propter culpam actu perseverantem, nego. Contrarium patet vel uno infantium exemplo, qui post Baptismum nihil habent culpæ, et tamen non parum pœnæ ferunt.

169. Ad secundum: Nego min. intellectam, ut debet, de pœnæ reatu seu debito: sua enim Davidi culpa condonata est, nec tamen condonata omnis pœna, quam peccando promeruerat. Et verò quotidiè quis in gratiam recipitur, eâ tamen lege, ut aliquam subeat pœnam, sed justâ ac debitâ leniorem. Sic Judex reum civem vitâ donat, cui tamen exilium ad tempus aut aliquid simile præscribit. Cur porrò non possit Deus quod persæpè faciunt homines? Hanc verò esse ejus agendi rationem suprà probavimus.

170. Ad id quod additur, debitum nostrum non dimitti gratis à Deo, quia non dimittitur sine pœnitentiâ nostrâ; R. pœnitentiam hanc adeò modicam esse, generatim loquendo, ut vix minimam peccati nostri partem adæquet. Quòd si acris admodùm sit et intensa, poterit hæc totum debitum exsolvere.

171. Ad tertium: Nego ant., cujus falsitas indubiè constat ex iis quæ diximus in tract. de Pœnit., part. 2, cap. 2 et cap. 6.

172. An autem culpæ reatus à reatu pœnæ distinguatur realiter, inanis est scholæ disceptatio. Alii alterum ab altero realiter distingui negant; et hi dicunt, remisso quoad culpam mortalem mortali peccato, remanere sæpè culpam aliquam æquivalenter venialem, cujus ob reatum permanet temporalis pœnæ reatus. Alii duplicem pœnæ reatum admittunt, alium remotum et radicalem, alium proximum et formalem. Illum cum reatu culpæ identificari contendunt; hunc autem ab illo inadæquatè distingui docent; *quia pro parte dicit negationem remissionis aut persolutionis pœnæ; quæ negatio sæpè datur etiam dimisso reatu culpæ, et sublato reatu pœnæ remoto, radicali et conditionato.* Ità Pichler, nec admodùm clarè. Clarius est quod subdit: *Loquere ut vis cum hâc aut aliâ parte; quia nihil decisum est.* Addo ego: *Futilia hæc et otiosa neglige.* Stet non semper dimitti pœnam temporalem cum culpâ, et stabit fides.

173. Obj. 1°: Dici potest quòd venialia peccata, et omnis pœnæ reatus tollatur, 1° per ipsam mortem; 2° per fidem actualem morientium; 3° per non imputationem.

174. R. nihil horum dici posse. Non primum, 1° quia alioqui vel ipsi Turcæ cæterique infideles à peccatis suis mundarentur, quia hi quoque mortem subeunt; 2° quia mors est pœna peccati originalis, non actualis, cùm ei subjaceant infantes multi, qui nullum commiserunt actuale peccatum; 3° quia mors secundùm sé spectata est quid naturale, cui ex æquo subjacent boni et mali; ergo secundùm sé non potest purgare animas. Si verò spectetur mors ut cum aliquo voluntatis actu conjuncta, non ipsa mors, sed actus ille purgabit; quem tamen non eliciunt, sive qui rationis usu destituti è medio excedunt. 4° Quia si mors animas ablueret, deberent pessimi acerbissimam mortem ferre, et optimi lenissimam: et tamen contrarium docet experientia.

175. Non secundum, 1° quia gratis tribuitur tanta virtus soli actualis fidei exercitio; 2° quia plures repentinâ morte abripiuntur; plures sine usu rationis, aut cogitationibus aliis abstracti occumbunt. In iis porrò ubi actualis fides? Quò igitur commigrant? Certè in infernum, juxta Lutheranos. Ut quid ergo illi salutem sibi certò promittunt, cùm incerti sint de eliciendo in extremis actu fidei, sine quo miserè damnantur

176. Non tertium, 1° quia ut peccatum non imputetur, et sic dimittatur omnis pœna, saltem requiritur, juxta novatores, actus fidei: is autem ex mox dictis sæpissimè deest. 2° Quia ubi manet peccatum, debet

imputari. Manet autem quoad maculam, donec eluatur; fictaque est non imputatio Lutheranorum, ut in tract. de Justificatione solidè probant Catholici. Ita idem qui supra polemicus scriptor.

Dissertatio dogmatica

DE DIVINA UTRIUSQUE MACHABÆORUM LIBRI AUCTORITATE.

177. Quamvis maneat invicta Purgatorii fides, etiamsi ex Machabæorum libris invictè probari non posset, quia hanc ab incunabulis suis tota unanimi calculo admisit Christi Ecclesia; non abs re tamen fuerit operis hujus auctoritatem expendere. Quod antequàm aggrediamur, duo nobis spontè confitenda sunt:

178. 1° Incertum esse qui fuerint celeberrimæ illius Historiæ scriptores; an Joannes Hyrcanus, Simonis filius, quem pontificatu et imperio diù potitum, et futurorum quoque præscium fuisse narrat Josephus, lib. 13 Antiquit., cap. 18. An Judas quidam Essæus, vir multæ Ægyptios inter Judæos auctoritatis; an ipsi Machabæi duces, quorum sua quisque facinora scriptis mandaverit; an alius quispiam: de his enim nihil certi statui potest. Unde S. Isidorus Hispalensis, lib. 1 de ecclesiast. Officiis, cap. 10: *Judith et Tobiam, sive Machabæorum libros qui scripserint, minimè constat.*

179. 2° Machabæorum libros non ab omnibus Ecclesiis in canonem olim relatos fuisse; imò à canonicis Scripturæ libris identidem fuisse distinctos. Scilicet enim Melito, Sardensis episcopus, Origenes, synodus Laodicena, SS. Athanasius, Gregorius Nazianz., Joannes Damascenus, in suis canonicorum Librorum indicibus, libros Machabaicos prætermittunt. Ulteriùs progreditur Hieronymus, præfatione in libros Salomonis, ubi hæc: *Machabæorum quidem libros legit Ecclesia; sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.* Idem est Eusebii sensus, in Chronico. Quin et qui diù post utrumque floruit Gregorius, lib. 19 Moral., cap. 13, testimonium ex priori Machabæorum libro adducturus, hæc præmittit: *Non inordinatè agimus, si ex libris licèt non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus.* His tamen non obstantibus, sit

Conclusio. Machabæorum libri verè sunt canonici.

180. Prob. Ut Machabæorum libri canonicis Scripturæ libris meritò annumerentur, duo sufficiunt: 1° ut ita senserit longè major Ecclesiæ doctorum numerus; 2° ut hujus partis auctoritas contradicentium auctoritate nec frangi, imò nec imminui possit. Atqui rem ita esse constat. Major propositio indubia est, tum quia exigit prudentia christiana, ut quisque *in canonicis Scripturis Ecclesiarum catholicarum quàmplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quæ apostolicas sedes habere, et Epistolas accipere meruerunt*, uti docet Augustinus, lib. 2 de Doctr. Christ. cap. 8, tum quia Christus permittendo ut moralis doctorum unanimitas librum minimè sacrum haberet pro agiographo, eidem graviter errandi occasionem præstitisset, quod citra impietatem fingi animo non potest. Itaque

181. Prob. min. quoad primam partem, ex innumeris propè omnium seculorum scriptoribus. Origenes, quamvis, Præfatione in Psalmos, ubi Hebræorum canonem sequitur, Machabæorum libros prætermittat, attamen in libro 2 Periarchon, ubi ex propriâ sententiâ et Ecclesiæ traditione loquitur, eorum authenticitatem supponit et docet. *Ut autem*, ait cap. 2, *ex Scripturarum auctoritate hæc ita se habere doceamus, audi quomodò in Machabæorum libris, ubi mater septem martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei: « Rogo te, fili, aspice cœlum et terram, »* etc.; et in cap. 5 Epist. ad Romanos, ut Valentinianos, qui neminem in veteri lege pro Deo mori ausum effutiebant, invictè retundat: *Legant*, inquit, *Machabæorum libros, ubi cum omni instantiâ beata mater cum septem filiis martyrium suscepit*, etc.

182. Tertullianus, lib. adversùs Judæos, c. 4, ex Machabæorum libris probat temporariam fuisse observationem sabbati. Sic ille: *Nam et temporibus Machabæorum sabbatis pugnando fortiter fecerunt... Unde manifestum est ad tempus et præsentis causæ necessitatem hujusmodi præcepta valuisse.* An porrò quidpiam ex libris apocryphis *manifestè* probaretur?

S. Cyprianus, lib. de Exhortatione Martyrii, ut fideles ad mortem alacriter ferendam accendat, cap. 11 exhibet *in Machabæis septem fratres, et natalium pariter et virtutum sorte consimiles*, qui cum matre pro Dei legibus mortem fortiter oppetierunt: iisdemque addit Eleazarum senem, qui nequidem idolothytorum esum simulare voluit. Atqui hæc adducit Cyprianus in opere quod ad roborandos Christi milites *de divinis Scripturis hortamenta* complectitur; in quo credentium fidem *divinâ lectione* se firmaturum præfatur; quo subtractis humani sermonis ambagibus, statuit *ponere illa sola quæ Deus loquitur...., et præcepta ipsa divina velut arma pugnantibus suggerere.* Ergo, ait Nat. Alexander, propos. 2, libros Machabæorum non minùs canonicos existimavit S. Cyprianus, quàm reliquos veteris ac novi Testamenti libros, ex quibus sua illa ad martyrium hortamenta composuit. Idem, epist. 55, ad Cornelium Papam, libros Machabæorum, ex quibus testimonium depromit, *Scripturam divinam* nuncupat. Jam verò legitimè judicatur eamdem fuisse Ecclesiæ Africanæ sententiam, quæ Cypriani, ejusdem Ecclesiæ oculi.

183. Lucifer Calaritanus, in vivido adversùs Constantium libro, cui titulus: *De non parcendo in Deum delinquentibus*, hæc habet: *Loquitur sacra Scriptura dicens in Machabæorum libro primo: « Et scripsit pro omni regno suo, »* etc. 1 Mach. 1.

184. Hegesippus, non primus ille Historiæ ecclesiasticæ parens, qui Justini martyris et Athenagoræ temporibus floruit, sed recentior alter, qui post Constantinum, imò *ad declinantis seculi IV finem* vixit, in prologo librorum de excidio Hierorosolymitano: *Ma-*

chabæorum, inquit, *res gestas propheticus sermo paucis absolvit;* ubi propheticus sermo idem est qui sacer ac divinus.

185. Quintus Julius Hilario, qui circa an 397 claruit, nisi tamen idem sit cum Quinto Julio Africano, in libello chronologico de mundi Duratione, seu de Cursu temporum, sic loquitur : *Darium interfecit Alexander Magnus Macedo, à cujus tempore historia Machabæorum Græcorum annos divinâ narratione percurrit.*

186. S. Joannes Chrysostomus in speciali *de septem Machabæis* homiliâ, eorum laudes celebrat. Etsi verò divinam Machabaicorum auctoritatem disertè non adstruit, satis tamen significat se plenam eis fidem habere.

187. S. Ambrosius, lib. 2 de Jacob, etc., cap. 10, 11 et 12, Eleazari et fratrum septem Machabæorum constantiam totis facundiæ suæ splendoribus illustrat. Idem, lib. 3 de Officiis, cap. 29, Heliodori historiam, *sicut in libris Machabæorum legimus*, recenset atque evolvit. Atque nihil ampliùs facere possit, cui de prædicti operis canonicitate indubiè constet.

188. S. Hieronymus ex propriâ sententiâ loquens, lib. 5 Comment. in Isaïæ, 23 : *Hoc*, inquit, *Scriptura commemorat, quòd Alexander rex Macedonum egressus sit de terrâ Cethim.* Id autem habetur 1 Machab. c. 1. Ergo liber ille ad Scripturam pertinet. Per Scripturam porrò sacros libros exprimi quis in dubium vocet? Idem facit S. Doctor in cap. 7 et 9 Ecclesiastæ; ergo in aliis quæ objiciuntur locis non tam ex propriâ quàm ex aliorum sententiâ loquebatur; unde lib. 2 contra Rufinum fatetur se aliorum sententiam circa Scripturæ canonem referre. *Qui me criminatur stultum*, inquit, *se sycophantam probat; non enim quod ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent, explicavi.*

189. S. Augustinus, l. 18 de Civ. Dei, cap. 36 : *Machabæorum libri*, inquit, *quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Idem, lib. de Curâ gerendâ pro mortuis, ex sacrificio pro mortuis, agente Judâ, oblato, probat orandum esse pro mortuis. Vide supra, n. 56. Idem S. doctor, lib. de Doctrinâ christianâ, postquàm hanc sanxit legem, *ut* quisque *in canonicis Scripturis Ecclesiarum catholicarum quàmplurium auctoritatem sequatur*, hujus sui principii memor : *Totus*, inquit, *canon Scripturarum.... his libris continetur : Quinque Moysis, id est, Genesis*, etc.; *item Job, et Tobias, et Esther, et Judith, et Machabæorum libri duo, et Esdræ duo.*

190. Concilium Carthag. III, can. 47, qui postea in Græcorum nomocanonem insertus est, atque ideò utriusque Ecclesiæ fidem probat; Romanum sub Gelasio, cui interfuerunt episcopi septuaginta; demùm Innocentius I, epist. ad Exuperium, duos Machabæorum libros annumerant canonicis, qui divinam in Ecclesiâ nacti sunt auctoritatem, et horum quidem conciliorum definitioni, non solùm Ecclesia Latina acquievit, sed etiam Græca hanc postmodùm recepit, ut constat ex Græcorum testimoniis, quæ in fine operis de Perpetuitate Eucharistiæ fidei leguntur. Ita Matth. Petitdidier, in Dissertationibus suis. Jam

191. Prob. minor quoad secundam partem : sci icet enim tanta, totque ex omni tribu et linguâ testium auctoritas, nedùm frangi, sed nec imminui potest auctoritate omnimodis inferiori. Atqui talis est quæ in præsenti nobis adversatur. Ea enim nec majoribus Ecclesiis innititur, quales sunt Romana per Romanum Gelasii concilium loquens, et Africana per synodum Carthag. III, Africanæ totius Ecclesiæ plenariam; nec testes profert in hâc parte accuratos, aut qui sibimet ipsis consentiant, cùm librum Esther omittant Melito, Athanasius in Epistolâ Festuli, Gregorius Nazianz., Leontius, etc.; Joannes verò Damascenus canones Apostolorum inter novi Testamenti Scripturas recenseat; ac demùm Origenes, Hieronymus et alii quidam, eosdem Machabæorum libros quos omisêre in catalogo suo, aut etiam in apocryphorum classem amandavêre (1), alibi ut sacros et divinos laudent, atque ex iis varios, datâ opportunitate, depromant textus, quibus catholica dogmata confirment. Hinc enim patet eos ex Hebræorum sententiâ prædictos libros omisisse; at ex suâ eosdem habuisse pro canonicis; nisi malis ipsos ad tempus dubitâsse, donec victi Ecclesiæ judicio, quod claresecbat in dies, idem cum cæteris Patribus senserint. His quidem omnibus opponent fortè novatores *beati*, ut sacrilegè vocant, *Lutheri* auctoritatem : sed cùm is ex reformatorum omnium confesso turpiter aberraverit, D. Jacobi Epistolam rejiciendo ut stramineam, mirum si nobis plenam fidem faciat in præsenti controversiâ.

192. Meritò igitur Tridentina synodus, sess. 4, in decreto de Canonicis Scripturis, duos Machabæorum libros recensuit.

193. Obj. 1° : Fieri non potest ut qui libri olim canonici non fuerunt, id est, singulari S. Spiritûs afflatu conscripti, postea canonici fiant, et tales ab Ecclesiâ declarentur, cùm novæ non fiant Ecclesiæ revelationes. Atqui Machabæorum libri non fuêre primitùs canonici, cùm omissi sint tum à Judæis in canone Scripturarum, tum à Melitone, à concilio Laodiceno, à S. Cyrillo Hierosol., S. Hilario, etc.

194. R. : Neg. min.; hi enim libri, non secùs ac Epistolæ ad Hebræos, B. Judæ, B. Jacobi, de quibus nonnulli olim dubitârunt, semper fuêre canonici, licèt eorum canonicitas à quibusdam in dubium fuerit revocata. Non ergo facit Ecclesia ut liber à Spiritu sancto minimè inspiratus, in sacrum et divinum mutetur, prout frigidè nobis imponunt hæretici : sed exploratâ Traditione, declarat hunc vel illum librum esse divinum vel apocryphum. Ad id autem nullâ novâ opus est revelatione, sicut nullâ indiguerunt Lutherani, ut Jacobi Epistolam Luthero derisam canonicis operibus accenserent. Equidem si majores Ecclesiæ,

(1) Hæc tamen omissio quibusdam fuit errandi occasio. *Unde*, ait Frassen., in aureis suis Disquisitionibus, *excusandi veniunt inferiores* (Hieronymi) *ætate scriptores, qui sine discussione accipientes id quod ille habet in Prologo Galeato, Machabæorum libros sicut ille ibi, canonicos esse negârunt.*

Romana potissimùm, *cui Apostoli Petrus et Paulus totam doctrinam cum sanguine profuderunt, et in quâ semper servata est Apostolica Traditio, quæque reliquarum totius orbis Ecclesiarum mater est et magistra*, librum aliquem ut canonicum vel apocryphum olim habuissent, non posset nunc temporis aliud de eo ferri judicium. Unde librum tertium et quartum Esdræ, vel librum *Pastoris*, etsi à veterum nonnullis in Scripturarum canone recensitos, nulla unquàm auctoritas libris sacris annumerabit. At fieri potest ut nonnihil obscura et quasi delitescens libri alicujus veritas tandem plenè se prodat; sicut factum est ut Millenariorum fabula, etsi non contemnendis quondam suffulta testimoniis, ubique tandem obsoleverit.

195. De cætero nihil mirum quòd libri illi in antiquo Judæorum canone non inveniantur. Is enim ab Esdrâ diù ante Machabæorum tempora conscriptus est; et de eo intelligi debet quod dicit Josephus, lib. 1, contra Appionem, libros Scripturæ tot esse, quot alphabeti litteras, nempe viginti duos. Hinc Machabæorum libri non sunt protocanonici, sed deuterocanonici, ut et libri Tobiæ, Judith et Ecclesiastici. Hinc iidem libri, licèt apud Judæos minori utcumque essent pretio, ut scribit Josephus, seu quia olim de ipsis dubitandum esset, seu quia etiamnum de his aliqui dubitarent, nihilominùs ut sacri habebantur à sapientioribus; hinc Josephus ipse, lib. 2 contra Appionem, eam sententiam Eccli. 22, 14: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, ait depromptam esse *ab ipsâ lege;* qui rursùm in fine libelli de Martyrio septem Machabæorum: *Hæc itaque*, inquit, *quæ in monumentis veterum et sacris litteris de divis comperi Machabæis, posteritati æternùm legenda consecravi.*

196. Obj. 2°: Libri divini secum concordant. Atqui non sic Machabæorum libri, qui quantùm ad chronologiam impendiò dissident. Sic lib. 1, cap. 6, v. 16, Antiochi Epiphanis mors refertur ad ann. æræ Græcæ 149, et tamen, lib. 2, cap. 11, recensentur filii ejus Antiochi Eupatoris litteræ, post patris mortem datæ anno ejusdem æræ 148. Idem videre est alibi passim, ut lib. 1, c. 6, v. 20, comparato cum lib. 2, cap. 13, v. 1.

197. R. 1°, nec ipsum salvum fore Evangelium, si hisce tricis immorari liceat; quot Joannem inter et alios Evangelistas in speciem discrimina circa tempus mortis Christi, circa supremum ejus pascha! quot eruditos inter circa veteris Testamenti chronologiam dissidia!

198. R. 2°: Neg. min.; siquidem æra Seleucidum alia erat Judaica, quæ à nisan, seu mense verno incipiebat; alia Antiochena, seu Alexandrea, quæ ab autumno subsequente, et mense tisri, ac proinde sex post Judaicam mensibus, ducebat initium. Priorem secutus est auctor libri primi Machabæorum, posteriorem auctor libri secundi. Sic autem necessariò factum est, ut quæ prior scribit contigisse anno 149, utique post mensem nisan, hæc posterior, cùm ante mensem tisri contigerunt, anno 148 evenisse scribat. Sic non ita pridem in Angliâ scripsisset alter veterem stylum sequens, regem mortuum esse ipsâ die Paschatis, alter novi styli assecla, scripsisset eum secundâ post Paschatis festum Dominicâ occubuisse. Sic porrò alteruter in speciem, neuter reipsà aberrâsset. Sed de his vide vel Usserium in Annalibus, et Petavium, lib. 10 de Doctrinâ temporum, vel quod satis fuerit, et multò facilius, Nat. Alexandrum, aut Frassenium, in Disquisitionibus Biblicis.

199. Obj. 3°: Antiochus Eupator, ex lib. 1, cap. 6, cum Judæis pacem iniit anno 150 epochæ Judaicæ à nisan, et proinde eodem anno epochæ Antiochenæ à tisri; qui quidem annus erat sabbaticus, ut constat ex v. 49. Atqui, juxta librum 2, cap. 11, v. 31 et 33, pacem hanc iniit Eupator anno 148, qui in neutrâ ærâ, seu à nisan, seu à tisri deductâ, sabbaticus esse potuit.

200. R.: Neg. min.; bis enim pacem cum Judæis composuit Eupator, 1° per Lysiam, statim à morte Antiochi Epiphanis; et de hâc pace agitur 2 Machab. 11; 2° postquàm à Judâ arcem obsidente devictus, et adversùs Philippum arma convertere coactus est; et de hâc pace sermo est tum lib. 1, cap. 6, tum lib. 2, cap. 13. Ita doctiss. Petavius. Unde liquet non debere esse suspectam librorum sacrorum fidem, quia in his difficilia quædam occurrant; sive hæc aliquando tandem explicent Petavii, sive permittat Deus ut à nemine unquàm benè evolvantur.

201. Obj. 4°: Judas Machabæus, lib. 1, cap. 9, interfectus dicitur an. 152 regni Græcorum. Atqui triginta post annos superat in vivis, ex lib. 2, cap. 1, v. 10, cùm an. 188 epistolam ad Aristobulum scripserit unà cum Judæorum senatu.

202. R. vel Epistolam quæ anno 188 scripta est, non à Judâ Machabæo scriptam esse, sed aut ab Aristobulo Joannis Hircani filio, qui etiam Judas vocabatur, teste Josepho, lib. 20 Antiq., cap. 18, et in senatu Judaico multæ erat auctoritatis; aut à Judâ Esseno, quem idem Josephus, lib. 13, c. 19, ob sapientiam et infallibilem futuri prædicendi scientiam insigniter commendat; vel hæc verba: *Anno* 188, ab his quæ proximè sequuntur: *Populus qui est Jerosolymis*, etc., non virgulæ solius, sed puncti interpositione esse sejungenda; adeò ut istud: *Anno* 188, sit clausula superioris Epistolæ; illud verò: *Populus qui est Jerosolymis*, sit initium posterioris, quam Judas scripsit, sed quæ verisimiliter nonnisi post mortem ejus, conciliatamque Judæis pacem temporibus Joannis Hircani, ad Judæos in Ægypto commorantes directa fuit; cui Judæi Jerosolymitani brevem illam priorem adjunxerunt, notato quo scribebant anno, id est, 188. Etverò verba hæc media sunt inter finem Epistolæ unius et initium alterius. Porrò annorum numerus in fine potiùs quàm initio Epistolæ consignari solet. Favent Græci codices, qui hæc inter verba: *Anno* 188, et isthæc: *Populus qui est Jerosolymis*, punctum interponunt. Ita Bellarmin., Frassen., etc. Hæc porrò an solidè à Lutheranis confutari possunt?

203. Obj. 5°: Ex 1 Mach. 4, v. 52, purgatio templi à Judâ Machabæo facta est ante mortem Antiochi, die 25 mensis noni an. 148. Atqui eadem purga-

tio, 2 Machab. c. 10, facta refertur post ejusdem Antiochi mortem.

204. R. Neg. min.; etsi enim auctor lib. 2, qui omnia ad Antiochum Epiphanem spectantia, pro more sacris scriptoribus familiari, breviter colligere voluit, post narratam ejus mortem de templi purgatione loquitur; non tamen eam post mortem Epiphanis factam esse indicat.

205. Obj. 6° : Liber uterque circa Antiochi Epiphanis mortem discordat : nam lib. 1, cap. 6, narratur eum ab Elimaïde Persidis civitate repulsum, venisse in Babylonem, ubi, auditâ suorum in Judæâ clade, præ tristitiâ in languorem incidit, et mortuus est. At lib. 2, cap. 1, scribitur ipsum in Perside cecidisse, in ipso Naneæ templo. *Cùm intrâsset Antiochus templum Naneæ (seu Dianæ aut Veneris)*, ibid. v. 16 : *Sacerdotes mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant, et diviserunt membratim*, etc. Hæc porrò secum conciliari non possunt. Quin nec secum conciliari potest idem libri 2 auctor. Qui enim citato mox capite Antiochum in Naneæ templo cum suis membratim divisum esse scribit, sui immemor, cap. 9, scribit eum è Persepoli turpiter fugatum, acceptâ propè Ecbatanam Nicanoris ac Timothei, ducum suorum strage, et furore adversùs Judæos percitum, cùm ad ultionem impetu properaret, cecidisse de curru, et pastum vermibus miserabiliter interiisse. Jam verò fieri nequit ut idem princeps bis obierit, semel apud Persidem in templo Naneæ, semel *peregrè* in montibus propè Ecbatanam, Mediæ metropolim.

206. R. Hæc facilè hunc in modum conciliari. Antiochus ab expilatione templi Naneæ repulsam passus, et vitatâ, nescio quo pacto, morte diffugiens, postmodùm copiosiori militum apparatu regressus est, ut hanc sibi ab Elimaïtis, seu Persepolitanis illatam injuriam vindicaret. At denuò victus, cùm salutem quantociùs fugiendo, inquireret, in Mediam divertit. Hìc circa Ecbatanam, regiam Mediæ urbem, à nuntio audivit triste exercitûs sui in Judæâ excidium. Hinc rabie furens, cùm *sine intermissione iter ageret, cœlesti eum judicio perurgente..., contigit illum impetu euntem de curru cadere*, et paulò post mori.

207. At, inquies, qui cum suis in Naneæ templo lapidibus obrutus fuerat, et membratim divisus, nec Persepolim regredi, nec inde in Judæam contendere potuit. Atqui ex citato cap. 1, lib. 2 Machab., Antiochus, etc. Sic enim, habetur v. 13 : *Cùm in Perside esset dux ipse*, Antiochus... *Excidit in templo Naneæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ;* et v. 16 : *Cùm intrâsset Antiochus, apertoque occulto aditu templi, sacerdotes mittentes lapides percusserunt ducem et eos qui cum eo erant, et diviserunt membratim.*

208. R. Textum hunc ut alios plures intelligendum esse moraliter, ita ut qui Deæ templum ingressi erant, omnes penè lapidibus obruti fuerint, ii verò præsertim qui idoli donaria propiùs contigerunt; ita ut Antiochus effractis foribus effugerit. Nec obest quòd dicatur in templo cecidisse, siquidem Scripturæ phrasi percussus esse ac cecidisse dicitur, non solùm qui interiit, sed et qui fusus ac debellatus est. Sic Genesis 14, v. 10, legitur : *Rex Sodomorum et Gomorrhæ... ceciderunt ibi;* et tamen v. 17 : *Egressus est rex Sodomorum in occursum* Abrahæ. Similia legeris Josue 7, v. 5, et Danielis 11, v. 30. Ita Estius, Frassen., Nat. Alexander, etc.

209. Respondent alii, ut Rupertus, Medina, Sigonius, Serrarius, Tirinus, etc., eò loci sermonem non esse de Antiocho Epiphane, sed de Antiocho Sedete : qui licèt initio videri voluerit Judæis amicus, 1 Machab. 15, v. 1, postmodò tamen in acerbissima adversùs eos odia prorupit, ibid. v. 27.

210. Respondet demùm Sâ his verbis : *Ego Epistolam istam non puto habere auctoritatem sacræ Scripturæ magis quàm alias quæ in his libris inseruntur, ut Romanorum, Spartanorum, aut Judæorum. Solùm enim refert Scripturæ tales ita scripsisse.* Sic sermo Judith ad Holofernem verè quidem habitus est, sed non ideò verè est sermo Spiritûs sancti.

211. Obj. 7° : Librorum Machabaicorum historia pugnat cum omnibus Græcorum historiis : nam lib. 1, cap. 1, et cap. 6, Alexander primus in Græciâ regnâsse dicitur, et tamen plures ante ipsum principes in Græciâ regnâsse constat ex Græcorum historicis ; 2° eodem cap. 1 dicitur Alexandrum, *cùm adhuc viveret, divisisse regnum suum* pueris nobilibus, *qui cum eo nutriti erant à juventute.* Et id post mortem ejus factum esse scribunt Justinus, Diodorus Siculus, et Q. Curtius. 3° Antiochus Epiphanes seu illustris, filius Antiochi Magni, dicitur eod. cap. 1, v. 11, regnâsse *in anno* 137 *regni Græcorum.* At fidem facit Eusebius illum regnâsse an. 153, et reipsà ab origine imperii Græcorum ad usque Antiochi exordia an. 153 numerandi sunt; 4° ibid. 8, v. 16, scribitur quòd Romani *committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universæ terræ suæ, et omnes obediunt uni*, etc., at nescit nemo consules duos Romæ quotannis creatos fuisse, penès quos foret summa reipublicæ potestas. Ergo.

212. R. 1° Ad primum in Græco textu legi, qui *primùm* regnavit in Græciâ, antequàm scilicet Darium et Persas profligaret : sic autem evanescit difficultas. 2° Eum hoc sensu primum regnâsse, non quòd nulli ante ipsum reges fuissent in Græciâ ; sed vel quia primus omnium in totâ, quà patebat, Græciâ regnavit, sicque primus fuit imperii Græcorum fundator et monarcha ; vel quia, ut Grotio videtur, primus regnavit in Syriâ et Ægypto, quæ regnum *Javan* seu *Græcorum* nuncupabatur, quo tempore scriptus est liber prior Machabæorum ; vel demùm quia primus sit, qui *egressus de terrâ Cethim*, in Græciâ regnaverit. Neque ideò necessum est ut qui post eum regnaverunt, vel pari cum ipso potestate donati fuerint, vel egressi sint de terrâ Cethim : namque juxta Scripturæ phrasim, primus dicitur qui antecessores non habet, etsi nullos habeat successores. Sic Exodi. 12, 29, Angelus Ægypti percussor dicitur *omnia primogenita* interfecisse, cum tamen dubio procul ex iis plura forent unigenita. Sic et B. Virgo *Primogenitum suum* peperisse

dicitur, Matth. 1, v. 15, quæ tamen nullum exinde peperit.

213. R. Ad secundum, 1° potiorem nobis esse Historici Sacri, quàm profanorum auctoritatem, præsertim cùm ille loco et tempore propior vixit, ut vixit Machabaicus scriptor : siquidem Q. Curtius qui omnium optimè historiam scripsit Alexandri, floruit sub Vespasiano, ut probat Vossius. 2° Haud ægrè conciliatur sacer scriptor cum profanis plerisque. Ad id enim satis est ut Alexander, vel proximus morti condiderit testamentum, quo, post mortem ejus reserato, facta sit ex supremâ ipsius voluntate divisio Provinciarum ; vel hujus partitionis potestatem fecerit Perdiccæ, cui moriens annulum suum, summæ auctoritatis omen, tradidit. Quod autem à Perdiccâ post Alexandri mortem factum est, ab eo vivente factum verè dici potuit, cùm quis hæredem sibi vivens constituat. Ait quidem Curtius *vanam* esse prædicti *testamenti famam*. At ei opponi possunt, non modò Josephus Gorionides, qui diù post vixit, sed Diodorus Siculus, lib. 20 Bibliothecæ, ubi scribit Alexandrum, Rhodi, quam *urbem præ cæteris coluerat, testamentum de toto regno* deposuisse.

214. R. Ad tertium, cum Bellarmino et aliis passim, auctorem libri 1 Machab. non numerare regnum Græcorum ab Alexandro, sed à Seleuco Nicanore, qui undecimo post Alexandri mortem anno regnavit in Syriâ. His enim undecim annis si addas annos quinque, ex quo subversâ Persarum monarchiâ Alexander Græciæ totius imperium obtinuit, conficitur numerus annorum sexdecim, quibus minor erat, juxta rationes computandi Hebraicas, monarchiæ Græcæ supputatio.

215. R. Ad quartum, cum eodem Bellarmino, Frassen., Nat. Alexandro, tametsi consules duo apud Romanos simul crearentur, ipsos tamen alternis imperâsse ; cujus rei argumentum est infelix pugnæ Cannensis exitus, non aliunde repetendus quàm ex temeritate Varonis consulis, *cui sors ejus diei imperii erat*. Atque id à primo consularis dignitatis exordio institutum est, *ne*, ut ait Livius, lib. 2, *si ambo consules fasces haberent, duplicatus terror videretur*.

216. Addunt Estius, Sâ, Menochius, hìc referri quod de Romanis audiverat Judas, ibid., v. 1, at ex iis falsa quædam esse poterant, ut quòd *non* esset *invidia, neque zelus inter eos*, ibid. v. 16. Sic, ait Tirinus, certum est blasphemos Judæos dixisse de Christo, quòd *potator* esset *vini, populi seductor, dæmonio plenus ;* nec tamen hæc vera erant. Refert enim Scriptura id quod dictum est, sed non affirmat id quod dictum est verum esse.

217. Obj. 8°: Machab. 2, cap. 2, legitur Jeremiam, dùm à Chaldæis incenderetur Jerosolyma et templum, abscondisse tabernaculum et arcam fœderis in speluncâ montis Nebo. Atqui hìc duo fabulosa et sacris libris adversantia referuntur. 1° Enim falsum est quòd Jeremias hæc facere potuerit, cùm ante Jerosolymitanum à Chaldæis excidium in carcere conclusus esset, ut ipse scribit prophetiæ suæ cap. 37 et 38. 2° Nec minùs falsum est quòd tabernaculum et arcam fœderis servare potuerit ; 1° quia ex 4 Regum, cap. 25, constat Nabuzardan, exercitûs Babylonici principem, succendisse templum, ejusque columnas, bases, mare æneum, vasa aurea, argentea, ærea transtulisse Babylonem. Quis autem in hujus incendii æstu, ac generali direptione, concipiat potuisse Jeremiam tabernaculum et arcam intacta subripere, et aliò medias inter Chaldæorum turmas transferre ? 2° Quia nusquàm post reditum à captivitate comparuerunt arca et tabernaculum ; cùm nulla deinceps eorum fiat mentio, sive in libris Esdræ vel prophetarum qui post reditum à captivitate floruerunt ; sive in historiâ Judæorum. Sanè verò quid Pompeius in templo viderit, ad amussim describit Josephus, lib. 14 Antiquit., cap. 8. Fusè etiam recenset, lib. 7 de Bello Judaico, cap. 17 et 19, quæ è templo abstulit Titus in excidio Jerusalem ; et tamen ne verbum quidem habet de arcâ et tabernaculo. Quin et docet, lib. 6, c. 6, nihil prorsùs tunc fuisse in Sancto sanctorum.

218. R. Neg. min. ; nimirùm Nabuchodonosor ter in Judæam cum numeroso exercitu irrupit, 1° quidem tempore Joachaz, 2 Paralip. 36, v. 6 ; 2° tempore Joachim, 4 Reg. 24, v. 15 ; 3° demùm temporibus Sedeciæ, quo regnante Jerusalem cum templo, quin et Judæa omnis funditùs devastata est. Etsi verò Jeremias sub Sedeciæ regno semper in carcere conclusus fuit, tamen regnante Joachim erat liberrimus, tantâque apud omnes pollebat auctoritate, ut verisimillimum sit Joachim consilio ipsius (Jerem. 27, v. 29) sese Nabuchodonosori tradidisse. Potuit ergo Jeremias de consensu Joachim arcam et tabernaculum transferre in montem, et ibi abscondere ; cùm vir futuri præsagus, impendentem urbi et templo ruinam non ignoraret ; et insuper *divino responso* jussus esset utrumque *secum* asportare, 2 Machab. 2, 4. Quin et id exequi potuit Sedeciâ regnante, post captam à Chaldæis Jerosolymam, antequàm templum flammis traderetur, cùm et à Nabuzardan militiæ Babylonicæ præfecto libertate donatus sit, et apud eum gratiâ valuerit plurimùm. Neque id à tanto viro petitum negâsset Nabuchodonosor, cui pergratus erat, ut ipse scribit cap. 39, v. 12. Unde scribit Eupolamus apud Eusebium, lib. 9 Præpar. evang. c. 39, utrumque, arcam dico et tabernaculum, à Nabuchodonosore Jeremiæ fuisse donata. Certè quòd duo hæc tanti pretii monumenta non asportârint Chaldæi, colligitur ex cap. 52 ejusdem prophetæ. Hìc enim enumerantur quæcumque à victoribus in Babyloniam transvecta sunt usque ad phialas et mortariola, nec ulla tamen fit mentio arcæ vel tabernaculi.

219. Quid autem de utroque factum sit, non una est omnium opinio. Nimirùm scinduntur catholici interpretes circa verba hæc, 2 Mach. 2, v. 7 : *Jeremias*, postquàm in monte arcam et tabernaculum abscondisset, *culpans eos* qui locum observare voluerant, *dixit quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat. Et tunc Dominus ostendet hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur*, etc. Quidam nimirùm cum Menochio censent illud Jeremiæ vaticinium

(quod Machabaici scriptoris ævo legebatur, nunc autem non superest) impletum fuisse quoad loci hujus ignoti revelationem, sub regno Darii Histaspis, cum loco ignis olim à sacerdotibus absconditi inventa est aqua crassa, quâ cùm Nehemiæ jussu perfusa essent sacrificia *accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur*, 2 Mach. 1, 21. Utique, addit Menochius, non aliud potest tempus proferri, quo apparuerit *majestas Domini*, ut Moysi et Salomoni, quàm illud quo Deus præsentiam majestatis suæ in igne mirabiliter accenso demonstravit, et quo nubes solem, sacrificia et altare obtegebat, ut Moysis et Salomonis temporibus. Ergo hæc populi congregatio non alia intelligi debet, quàm quæ post captivitatem Babylonicam facta est sub Cyro, Dario et Artaxerxe.

220. Neque, inquiunt obest argumentum inficiale ex silentio Esdræ, Nehemiæ, ipsiusque Josephi testimonio petitum; cùm positivè asserta negativis argumentis non elidantur. Præsertim cùm arcæ imaginem in arcâ triumphali Titi etiamnùm Romæ observari contendant eruditi nonnulli.

221. Existimant tamen alii hanc materialis arcæ et Tabernaculi typici revelationem non contigisse sub Dario. Et hi duas in partes scinduntur. Alii scilicet arcam hanc et tabernaculum mystico sensu intelligunt de Christo, verâ novi fœderis arcâ, veroque tabernaculo, *quod fixit Dominus et non homo*, ut loquitur Apostolus, Hebr. 8, 2. Unde quæ à Joanne Apocal. 11, 19, *visa est arca testamenti in templo*, Christum utique, novi et antiqui fœderis mediatorem, exhibebat. Sensum hunc post D. Ambrosium, lib. 3 de Officiis, cap. 14, amplexus est et scitè evolvit Rupertus Abbas, lib. 10, de Victoriâ Dei, cap. 21, ubi sic: *Animalis Judæus.... hoc putat Jeremiam dixisse, quòd Judæorum qui in omnes gentes captivi ducti sunt, congregatio debeat fieri, nescio quo tempore; Templumque illud restitui, cum tali nube apparente, qualis erat ubi Moyses legem accepit... Nos verò post illud tempus quo hæc scripta sunt, post victoriosa prælia Machabæorum, nullam scimus populi Dei congregationem, præter illam quam idem Spiritus qui loquebatur in Prophetis, nobis in Evangelistâ Joanne depromit: quia Jesus moriturus erat non solùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Tunc utique apparuit gloria Dei, gloria Filii Dei cum resurrectione mortuorum effulgentis; ex tunc nubes, sicut manifestabatur Moysi, ut legem accepit..... nubes, inquam, ex tunc est similiter, scilicet cœcitas Judæorum.... Usque ad illud tempus, ignotum erit, ait Jeremias, ubi sit tabernaculum, et arca, et altare incensi. Id est, non cognoscetur à populis vel gentibus, quorum vel qualium exemplaria cœlestia illa fuerunt.*

222. Alii veram arcam verumque Moysis tabernaculum in citato textu designari censent; at contendunt utriusque revelationem per Henoc et Eliam novissimo mundi tempore faciendam esse, et Judæorum conversioni subserviturum. Ita Ricardus à S. Victore, Mariana et alii, quos sequitur Tirinus. Unde, inquit, altare incensorum, quo post reditum à captivitate usi sunt Judæi, non fuit Mosaicum, sed ad illius imitationem constructum; idemque est de tabulis et Cherubin quos à Pompeio, cùm intima quæque templi lustraret, visos fuisse scribit Egesippus, lib. 1, c 17. Quod autem figuram arcæ in triumphali Titi arcu conspici hodièque nonnulli dicunt, mera est illusio, quæ mensam panum propositionis cum arcâ confundit.

223. Obj. 9°: Historia quæ multa habet probis moribus adversa, quæ incerti est auctoris, fortè etiam ethnici, rejici debet ut apocrypha. Atqui talis est Machabæorum historia. 1° Quidem habet quædam moribus adversantia, cùm ex eâ sequatur orandum pro iis qui in mortali peccato decesserunt; cùm item in eâ, lib. 2, c. 14, laudetur, ut *eligens nobiliter mori*, Razias, sui ipsius truculentus interfector, cujus postmodùm exemplo Donatistæ et Circumcelliones homicidia sua excusabant, teste Augustino, lib. 1, contra Gaudentium, cap. 31, unde S. doctor, lib. 2, contra eumdem, admonet historiam hanc sobriè legendam esse. 2° Eadem historia incerti est auctoris. Quin et primarius auctor libri secundi videtur fuisse ethnicus: is enim liber videtur esse compendium librorum quinque Jasonis Cyrenæi. Atqui hunc gentilem fuisse indicat patria ejus Cyrene, quam Judæi nulli incolebant.

224. R. Nego min. pro primâ parte. Ad primam prob. respondimus supra, n. 26.

Ad secundam hærent Doctores circa factum Raziæ. Augustinus, epist. 204, aliàs 61, ad Dulcitium: *Quamvis*, inquit, *homo ipse fuerit* in Machabæorum libris *laudatus, factum tamen ejus narratum est, non laudatum, et judicandum potiùs quàm imitandum... Scriptum est quòd voluerit nobiliter et viriliter mori, sed numquid ideò sapienter? ... Magna hæc sunt; nec tamen bona. Non enim bonum est omne quod magnum est, quoniam sunt magna etiam mala. Deus dixit: « Innocentem et justum ne occidas. » Si ergo iste innocens et justus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens et justus fuit, quare interfector innocentis et justi, id est, ipsius Razii, insuper putatur esse laudandus?* Idem de Raziâ censet S. Thomas 2-2, q. 64, à 5, ad 5; eumque sequuntur Estius, Nat. Alexander et alii complures.

225. Non desunt tamen qui Raziæ facinus vel excusent, quia is bonâ fide crediderit licitum esse sibi mortem inferre; vel approbant, quia ad id speciali Dei instinctu permotus fuerit, prout de Samsone certum est; et agnoscit Augustinus ipse lib. 1, de Civ. Dei, cap. 21, et 25, de nonnullis *virginibus, quæ ut insectatores pudicitiæ suæ devitarent, in flumen*, vel ignem *se projecerunt*. Atque id, inquiunt, suadet pia sanctaque Raziæ vita, tot decorata virtutibus: suadet pia ipsius in hoc facinore intentio, *ne* scilicet *subditus fieret peccatoribus*, v. 42, et forsan blanditiis cruciatibusve, vel dolosis stratagematis, aliquid ex ore ejus eliceretur, quod honori divino, vel populi sui bono officeret. Suadet sancta admodùm oratio, quâ Deum jamjam moriturus invocat. Suadet demùm eximia ejus, quâ factum illud Raziæ prosequi videtur sacer scrip-

tor, quali sanè encomio liber Judicum nullibi prosequitur factum Samsonis, quod tamen nemo jam alii adscribit quàm Spiritui santo. Et verò *nobiliter*, et *viriliter* non egisset Razias, nisi ex vivido Spiritûs divini motu egisset; cùm sui ipsius occisio animi sit pusilli, non ex Augustino tantùm et Lactantio, aliisque Christianis, sed ex ipsis etiam ethnicis, Aristotele potissimùm, Euripide, Virgilio et aliis quos citat Serarius. Id quidem *nobiliter*, ad Raziæ vel populi, non verò ad sacri scriptoris mentem dictum volunt Augustini sequaces. At textum legenti responsio hæc primo et fortè secundo intuitu, nonnihil contorti habere videbitur. Sic illi. Ego quidem, ait eum in locum R. P. Calmet, SS. Augustini et Thomæ opinioni adhæreo, et licèt Raziam omnino condemnare non ausim, at nec ausim vindicare.

226. Ad secundum. R. 1° : Neg. maj. pro secundâ parte. Non enim magis periclitari debet librorum Machabaicorum auctoritas, quia incertus sit eorum auctor, quàm aliorum quorum ignorantur auctores, quales sunt libri Job, Judith, Esther et alii plures. Et verò in his non attenditur scriptoris dignitas, sed divina S. Spiritûs assistentia; qui quos voluit, velut amanuenses scribere curavit. Sed nec periclitatur eadem auctoritas, tametsi libri illi è profani auctoris operibus quantùm ad aliquid excerpti sint : potuit enim profanus quis vera scribere, et his Spiritus sanctus auctoritatis suæ sigillum inurere. *Quis nesciat*, inquit Hieronymus Epist. ad Magnum, *et in Moyse, et in prophetarum voluminibus quædam assumpta de gentilium libris? Sed et Paulus Apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est*, scribens ad Titum : *Cretenses semper mendaces*, etc.; in aliâ quoque Epistolâ, Menandri ponit senarium : *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava :* Et apud Athenienses in Martis Curiâ disputans, Aratum testem vocat : *Ipsius enim et genus sumus;* etc.

227. R. 2° : Neg. min. Ecquis nimirùm usquàm probabit Jasonem, quantùmvis Cyrenæum, fuisse gentilem, non verò Judæum? Plures fuêre urbes, Cyrenes nomine. Alia quidem in Cypro insulâ; alia in Lybiâ, à quâ dicta est Lybia Cyrenaica, ut docet Hieronymus in v. 16. cap. 2 Act. Ex eâ autem fuisse Jasonem, qui Machabæa facta scripsit, veri admodùm simile est; tum quia in hanc faciliùs et frequentiùs quàm Cyrenem Cypriam migrare poterant Judæi; tum quia cùm irruit sacrâ Pentecostes die Spiritus sanctus in Apostolos, erant inter advenas, qui ex omni natione quæ sub cœlo est, Hierosolymam convenerant, aliqui ex Lybiâ, quæ est *circa Cyrenem*. Ergo potuit Jason ille ex iis oriundus esse Judæis, qui in eam Lybiæ partem, sæviente crudelis Antiochi persecutione, fuerunt deportati. Et verò quis ethnicum, quasi à naturâ Judæis aversum, Judaicas res ita cordi habuisse credat, ut egregia eorum contra ethnicos alios facinora libris quinque complecti voluerit?

CAPUT III.

De circumstantiis Purgatorii.

In hoc tertio capite expendimus cum Bellarmino hìc, libro 2, 1° quibus personis conveniat Purgatorium; 2° an animæ purgantes mereri vel demereri possint; 3° an iis de suâ æternâ salute constet; 4° quis sit Purgatorii locus; 5° quæ duratio ejus; 6° quæ et quales pœnæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De personis quibus convenit Purgatorium.

1. Circa præsens punctum multiplex fuit error. 1° Enim senserunt aliqui cum Origene, neminem, dempto Christo, à probatione purgatorià immunem fore. Sic ille in Psalm. 36 : *Omnes*, inquit, *nos venire necessum est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus.*

2. 2° Existimârunt alii Purgatorium iis etiam constitutum esse, qui in statu peccati mortui essent; modò vel eleemosynam impendissent, vel catholicam, imò christianam Religionem fuissent professi.

3. 3° Ulteriùs progressus est Origenes, qui omnes malos, ipsosque etiam dæmones, evacuato tandem inferno, salvatum iri, omnesque adeò pœnas post hanc vitam purgatorias esse somniavit. Sit paucis in re apertâ

Conclusio. Purgatorium neque iis qui plenè justi, neque iis qui in peccato lethali; sed iis solùm qui in statu gratiæ, at divinæ justitiæ nonnihil obnoxii decedunt, constitutum est.

4. Prob. prima pars, 1° Ex concilio Florentino, sess. ultimâ, ubi definitum est aliquas animas mox à corporis resolutione in infernum, aliquas in Purgatorium, aliquas in cœlum recipi. Sed quæ mox recipiuntur in cœlum, à Purgatorio immunes sunt.

5. 2° Quia docet constanter Augustinus, præsertim autem lib. 21 de Civit. Dei, cap. 16, eos qui statim à baptismo moriuntur, nullam purgatorii pœnam sentire posse. Quod et docet Cyprianus de iis qui in sanguine suo baptizantur. Unde tritum id Augustini : *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.*

6. 3° Quia Purgatorium iis solis convenit quibus aliquid temporalis pœnæ pro actualibus peccatis luendum superest. Atqui præter infantes qui statim à regeneratione intereunt, non pauci sunt præstantis justitiæ homines, qui per omnia mundi ex isto seculo commigrant.

7. Prob. secunda pars, quia ex totius Ecclesiæ sensu, quem in tract. de Peccatis asseruimus part. 1, cap. 5, art. 3, pœna reprobis constituta, durabit in æternum. Unde Augustinus, lib. 21 de Civit. Dei, cap. 17 : *Origenes*, inquit, *hâc in re misericordior profectò fuit, qui et ipsum diabolum atque angelos ejus post graviora pro meritis atque diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sanctis angelis sociandos credidit; sed illum propter hoc... reprobavit Ecclesia.* Hinc commune illud effatum : *In inferno nulla est redemptio.* Hinc rursùs pro reprobis nec orari, nec sacrificium propitiationis offerri potest.

8. Prob. tertia pars ex duabus præcedentibus. Si enim Purgatorium neque omninò justis, neque omninò iniquis constitutum est; oportet ut iis constitutum sit qui licèt à gravibus peccatis mundi, aliquid leviores ob culpas divinæ justitiæ debent, quique auro ac lapidibus pretiosis *lignum*, *fœnum* ac *stipulum* superædificaverunt; atque, ut supra, cap. 2, num. 45, aiebat S. Basilius, nonnulla ex suis cum hoste *certaminibus vulnera*, *aut aliquas maculas*, *aut peccati vestigia* retinuerunt.

9. Obj. contra primam partem : Non pauci è Patribus idem cum Origene de justorum omnium Purgatorio senserunt. Sic Ambrosius in Psalm. 36 : *Igne ergo*, inquit, *purgabuntur filii Levi*, *igne Ezechiel*, *igne Daniel*. Et in Psalm. 118, serm. 20, n. 12 : *Omnes oportet transire per flammas*, *sive ille Joannes sit*, *sive Petrus*. Et infra ne quem à lege generali excipiat : *Unus ignem illum sentire non potuit*, *qui est justitia Dei*, *Christus*.

10. Concinit S. Hilarius, in Psalm. 118, litt. 3, n. 12, ubi sic : *An cùm ex omni otioso verbo rationem simus præstituri*, *diem judicii concupiscemus*, *in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus*, *in quo subeunda sunt gravia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia?... Si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo* (Maria) *deventura est*, *desiderare quis audebit à Deo judicari?* Ubi subinsinuat ne ipsam quidem Deiparam ab illo igne liberam fore.

11. Concinit id Lactantii, lib. 7 Instit., cap. 21 : *Sed et justos cùm judicaverit*, *etiam in igni* eos examinabit.

12. Eadem est sententia tum D. Hieronymi in cap. 7 Amos ad hæc verba : *Ecce vocabit ignem ad judicium ;* tum Ruperti, lib. 3 in Genes., cap. 37, ubi, quod et fecit Ambrosius in Psalm. 118, docet flammeum illum gladium, quem Deus Genes. 3, v. 24, ante Paradisum collocavit in manu Cherubim, esse ignem purgatorium, per quem necessariò transit quicumque paradisum ingreditur.

13. R. Neg. ant. Nam docent equidem nonnulli ex objectis Patribus, futurum ut omnes per ignem transeant; sed non docent ignem hunc ab omnibus sentiendum esse; persuasi videlicet eum non esse ab iis sentiendum, in quibus peccati reliquias omnes ante mortem decoxerit charitas. Atque id patet de Lactantio, qui post objecta verba sic prosequitur : *Tum quorum peccata vel pondere*, *vel numero prævaluerint*, *perstringentur igni*, *atque amburentur ; quos autem plena justitia et maturitas virtutis incoxerit*, *ignem illum non sentient. Habent enim in se aliquid Dei*, *quod vim flammæ respuat ac repellat.* Docet id egregiè S. Paulinus Nolanus Epist. 28, aliàs 9, ad Severum his verbis : *Si iis operibus cives sanctorum fieri mereamur*, *non ardebit opus nostrum ; et ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum non severo ardore ambiet puniendos ; sed ut commendatos suscipiens*, *blando lambet attactu*, *ut possimus dicere : Transivimus per ignem et aquam*, *et eduxisti nos in refrigerium.*

14. Jam verò ad hunc sensum, qui quarto seculo non infrequens erat, flecti possunt Ambrosius et Hilarius. Siquidem Ambrosius ab hujus ignis sensu eximit, n. 12, S. Joannem per hæc verba : *Sed Joanni citò versabitur igneus gladius*, *quia non invenitur in eo iniquitas :* et, *si quid in eo vitii humani fuit*, *charitas divina decoxit ;* et n. 13, S. Petrum, cui quoniam *toties mortem suam obtulit pro Christo*, *dicetur : Transi*, *recumbe.* Imò generatim pronuntiat, quòd *qui habuerit charitatis ignem*, *illic ignem gladii timere non poterit.* Quapropter quod subdit num. 14, unum esse Christum qui *ignem illum sentire non potuerit*, non ita intelligendum est, quasi omnes prorsùs igne illo purgandi sint (id enim Ecclesiæ fidei quoad B. Virginem, et infantes statim à baptismate raptos adversaretur); sed eo sensu quòd Christus solus pleno divinæ suæ sanctitatis jure non tantùm ab igne purgante, sed et à probatorio, id est, ab igne judicii divini fuerit immunis. Huic enim cæteri omnes præter Christum obnoxii erant, secundùm id Pauli, 1 Corinth. 3 : *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.*

15. Idem est sensus Hilarii, cùm num. 13, supponat posse aliquem *in tantâ innocentiâ* manere, *ut tutò jam et sine metu judicii terrorem desideret.* Quanquàm non tam eo loci de purgatorio igne loquitur S. doctor, quàm de judicii igne, cui cum Apostolo omnes homines meritò subjicit. Neque verò si de purgante igne loqui supponatur, quidquam hinc B. Virginis integritati deperibit. Ut enim hìc advertunt Hilarii editores, dicit is quidem Mariam per ignem transituram, sed passuram non dicit.

16. Hieronymus de eodem judicii divini igne explicandus est. Rupertus verò de igne purgatorio, sed per quem justi quidam insignes illæso pede transituri sint.

17. Quin et eo sensu explicari facilè possit adductus num. 1 Origenis locus. Verùm benignam non capiunt interpretationem hæc ejus verba, Homil. 14 in Lucam : *Ego puto quia et post resurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos atque purgante. Nemo enim absque sordibus resurgere poterit ; nec ullam posse animam reperiri*, *quæ universis statim vitiis careat.*

Articulus II.

An animæ purgantes mereri possint vel demereri.

18. Lutherus quamdiù Purgatorium admisit, admisit etiam animas purgantes mereri posse et demereri. Sic enim loquitur art. 32 ex iis quos an. 1520 reprobavit Leo X (tom. 14 Concil., pag. 394) : *Animæ in purgatorio non sunt certæ de earum salute*, *saltem omnes ; nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis*, *ipsas esse extra statum merendi*, *aut augendæ charitatis.* Et art. 33 : *Animæ in Purgatorio peccant sinè intermissione*, *quamdiù quærunt requiem et horrent pœnas.* Aliter sentiunt Catholici omnes, quibuscum sit

Conclusio. Purgantes animæ nec merentur nec demerentur.

19. Prob. 1° ex veteri Scripturâ Eccles., 9, v. 5 :

Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem. Ibid. v. 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia* boni practica *erunt apud inferos, quò tu properas.* Ergo, ait in hunc locum Hieronymus : *Donec vivunt homines, possunt fieri justi ; post mortem verò nulla datur boni operis occasio.* Et infra : *Nec justè quippe possunt agere, nec peccare : nec virtutes abjicere, nec vitia.*

20. Hinc rursùs idem Ecclesiastes, cap. 11, v. 3 : *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et Eccli. 18, v. 22 : *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Seu ut habetur ibid., c. 14 : *Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum.* Jam verò qui post mortem nihil ultra mercedis habent ; qui in inferis, nec opere ullo, nec sapientiâ suâ coram Deo juvari possunt ; qui quo in loco ceciderunt, in eodem manent, proinde nec superiùs assurgunt, nec cadunt inferiùs ; qui demùm satagere debent ut justificentur usque ad mortem, quia post mortem nihil invenitur unde anima nutriri possit ; ii profectò ut demeriti, sic et meriti prorsùs sunt incapaces. Ergo.

21. Confirm. ex Sapientiæ 4, v. 11, ubi sic : *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Atqui si in Purgatorio peccari posset, perperàm raperetur vel ipse justus (qui gratis ab omni prorsùs culpâ immunis fingeretur, cùm *justus septies peccet* in die) ne malitia mutaret intellectum ejus.

22. Prob. 2° ex recentiori Testamento. Joan. 9 : *Venit nox in quâ nemo potest operari.* Atqui Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, et alii summo consensu noctem hanc interpretantur de tempore vitæ alterius, in quâ nemo quidpiam operibus suis in ordine ad salutem mereri potest.

23. 2 Corinth. 5, v. 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sicut gessit, sive bonum, sive malum.* Atqui per *propria corporis* ea tantùm intelligi possunt, *quæ* quis *gessit eo tempore quo in corpore fuit.* Certè enim *multa solo animo, non per corpus, nec per ullum corporis membrum geruntur*, quæ ante tribunal Christi referenda sunt, *sicuti est, ut alia taceam, quod dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Ita Augustinus, lib. de Prædestinatione SS., cap. 12, n. 24.

24. Galat. 6, v. 3 et 9 : *Quæ seminaverit homo hæc et metet.... Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes ; ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Atqui, ut eum in locum observat Hieronymus, serere est benè operari. Id autem non potest homo, nisi dum tempus habet, utique vitæ præsentis. Hinc Apocalyps. 10, v. 5 et 6 : *Angelus* stans *super mare et terram, juravit per viventem in secula... quia tempus non erit amplius,* scilicet meritoriè agendi : erit enim tempus electis laudandi Deum, reprobis verò eidem in æternum maledicendi.

25. Prob. 3° ex Patribus, quorum instar sit qui Ecclesiæ totius doctrinam exhibet S. Augustinus. Sic ille eodem lib. de Prædest. SS., cap. 14, n. 28 : *His atque hujusmodi doctor ille,* Cyprianus, *sententiis in catholicæ fidei luce clarissimâ, satis apertèque testatur, usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula tentationesque metuendas ; deinde nulla talia quemquam esse passurum. Quod etsi non testaretur, quando de hâc re Christianus qualiscumque dubitaret ?* Ergo juxta Augustinum Lutherus nequidem est Christianus qualiscumque, ut qui neget id de quo Christianus nemo dubitare ausit.

26. Idem est cæterorum Patrum sensus. Sic Chrysostomus, Homil. 37 in Matth. : *Præsens hæc vita,* inquit, *tam rectè, quàm contra, tibi vivendi tribuit potestatem : postquàm verò diem tuum obieris, judicium e pœna consequetur.* Sic Hieronymus in cap. 9 Eccles. *Mortui nec justè possunt agere, nec peccare.* Sic Damascenus lib. 2 de orthodoxâ Fide, cap. 4 : *Quod est angelis casus, id est hominibus mors.*

27. Obj. 1° : Animæ quæ imperfectæ sunt in charitate, proficere debent et mereri, ut in charitate perficiantur. Atqui animæ purgantes imperfectæ sunt in charitate. Minor constat, 1° quia si animæ illæ forent perfectæ, non punirentur. Quorsùm enim puniantur spiritus perfecti ? Et verò si perfecti sint, utique per charitatem. Atqui *charitas operit multitudinem peccatorum,* 1 Petr. 2. 2° Quia eædem animæ pœnas timent : non timerent porrò, si essent perfectæ, quia *perfecta charitas foras mittit timorem.* 3° Quia nihil perfectum esse potest extra Deum, juxta id 1 Corinth. 13 : *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Prob. itaque major, tum quia impossibile est ut in eodem gradu stet qui adhuc est in viâ, cùm oporteat progredi vel regredi, ut ait S. Bernardus. Eæ porrò animæ sunt adhuc in viâ, quia nondùm ad terminum pervenerunt. Tum quia *virtus in infirmitate perficitur,* 2 Corinth. 2, et aurum lucidius fit in fornace ; tum quia charitas major erit in cœlo. Ergo augebitur. Porrò nonnisi per merita augeri potest.

28. R. 1° Ut sæpè, in his quæ à Dei voluntate per Scripturam, et constantem Ecclesiæ sensum, manifestata dependent, perperam ad futiles argutias, quarum aliæ aliis contradicunt, recurri. Tale autem est quidquid in hâc materiâ obtrudit Lutherus : qui enim in primo isto argumento vult animas mereri, easdem in secundo constanter demereri contendet.

29. R. 2° : Dist. maj. Animæ imperfectæ debent proficere et mereri, quamdiù nondùm advenit nox, in quâ nemo jam operari potest, concedo ; secùs, nego. Porrò animæ purgantes noctem illam, quæ nostrùm unicuique post obitum contingit, attigêre. Unde licèt quadamtenus in viâ superesse dici possint, sunt tamen in termino quantùm ad meritum et augmentum gratiæ.

30. R. 3° in totâ hâc Lutheri argumentatione nihil esse solidi. Unde major et minor ; atque hujus et illius probationes vitio scatent multiplici. Quod ut paucis innotescat,

31. Ad primum, dico purgantes animas, licèt eo sensu in charitate imperfectæ dici possint, quòd pauciores charitatis gradus habeant, quàm aliæ quædam

quæ in eodem Purgatorio, aut etiam in terris supersunt; aut ipsæmet aliquando habituræ sint in cœlis; reipsà tamen esse in charitate perfectas hoc sensu, 1° quòd substantiam habent charitatis; qui enim substantiam charitatis habet, *in hoc charitas Dei perfecta est*, 1 Joan. 2. 2° Quòd Deum ex totis suis viribus diligunt. Equidem hæc eorum charitas adaugebitur in gloriâ; sed augmentum illud non erit novi meriti merces, sed merces omnium quæ per vitam comparaverunt meritorum, quæque ut fructus à visione beatificâ dimanans, non secùs ac eadem visio differtur. Unde, ait Bellarminus, libro 2, cap. 3, *dupliciter augetur charitas : uno modo in genere gratiæ, ut fiat homo aptior ad magis merendum, et hoc augmentum non datur post hanc vitam : altero modo in genere gloriæ, ut remunerentur omnia merita præterita, et hoc fiet in ipsâ beatitudine. Pars enim præmii erit, ut Augustinus dicit, lib. de Corrept. et Gratiâ, cap. 10, tanta copia charitatis, ut nunquàm excidere possit à beatitudine et justitiâ, qui eâ copiâ charitatis præditus erit.*

32. Vult quidem Lutherus ut spiritus perfecti puniri non possint, quia, inquit, charitas, ex D. Petro, operit multitudinem peccatorum. Sed malè prorsùs; perfecta enim fuit anima Davidis, postquàm intensâ charitate peccatum suum à se transferri promeruit. Atqui tamen ex tunc gravissimè punitus est. Ergo licèt charitas operiat multitudinem peccatorum quoad culpam, non tamen eodem operit modo quoad pœnam : namque culpam actu suo proprio delet; pœnam autem per opera satisfactoria, quæ imperat. Et licèt quandoque ad satisfactionem hanc sufficere possit dolor animi intensissimus, et ab intensissimâ charitate procedens, fieri tamen potest ut nec dolor, nec charitas quæ doloris principium est, ad plenam hanc satisfactionem sufficiant.

33. At, inquies, qui divinæ justitiæ aliquid debet, puta decem jejunii dies, plenam habet Deo satisfaciendi voluntatem, si plenè Deum diligit. Atqui Deus voluntatem acceptat, ubi non invenit facultatem. Ergo vel huic condonatur debitum, vèl si non condonatur, non erit in charitate perfectus.

34. R. eum qui quidpiam debet justitiæ divinæ, habere voluntatem satisfaciendi secundùm leges à Deo constitutas. Est autem ea Dei lex, ut qui in præsenti vitâ non satisfecit, in alterâ satisfaciat, vel satispatiatur. Et verò quot satisfaciendi desideria, licèt à charitatis habitu procedant, in actum tam tepidè et remissè transeunt, ut novâ satisfactione dilui utcumque mereantur. Nihil ergo mirum, si desideria hæc ad integram satisfactionem non acceptentur à Deo. Mirum potiùs et multæ misericordiæ tribuendum, quòd non omninò repellantur.

35. Ad secundum, dico, non ideò posse censeri aliquem imperfectum, quia pœnam timet; cùm Christus ex mortis timore sanguinem sudaverit, Luc. 22. Unde id Joannis : *Perfecta charitas foràs mittit timorem*, non intelligitur de timore pœnæ simpliciter, cùm justiores quique, etsi secundùm naturam pœnas timent, nihil secundùm spiritum timeant magis quàm quòd ab omni pœnâ et cruce immunes sint, secundùm id B. Theresiæ : *Aut pati aut mori;* sed de timore servili, seu de timore culpæ propter pœnam magis quàm propter Deum.

36. Dico 2° animas purgantes non propriè timere pœnam (timor enim est futuri mali, non præsentis), sed pati. Etsi verò eædem animæ refugiant pœnas, quatenùs contrariæ sunt naturæ; at eas tamen quodam modo amant, prout à divinâ justitiâ infliguntur; hanc enim amant, eique medullitùs obsequuntur. Unde nihil est dubii quin afflictæ licèt, in omni tribulatione suâ gaudio cœlesti superabundent.

37. Ad tertium, fateor animas illas nonnihil habere imperfecti, si præsens eorum status cum futuro ipsarum gloriæ statu comparetur. At nihilominùs simpliciter perfectæ dici possunt, tum ratione multæ quâ flagrant charitatis; tum ob enixam pœnarum quibus cruciantur acceptationem. Sic Paulus et se imperfectum dicit, et perfectis se consociat. *Non quòd jam perfectus sim*, inquit, Philip. 3. Et infra : *Nos qui perfecti sumus.*

Neque plus urgent congestæ à Luthero majoris probationes.

38. Non prima, quia animæ purgantes sunt in termino, non autem in viâ, quantùm ad augmentum meriti. Sicut igitur transacto certaminis tempore, non potest aliquid cursu vel luctâ obtineri, quamvis præmia nondùm sint distributa; sic nec sanctæ illæ animæ quid jam mereri possunt. Ità Lessius in opusc. de Purgat. cap. 3, dub. 1.

39. Verbum Bernardi ad præsentem vitam spectat, non ad futuram, ubi lignum erit, quocumque in loco ceciderit. Imò hanc S. doctoris sententiam moraliter accipi vult Bellarminus, non mathematicè.

40. Non secunda, tum quia juxta Græcam phrasim quæ habet, *virtus mea*, non hominis, sed Dei virtus in infirmitate perficitur; quia eò plus emicat potentia Dei, quòd vel debilioribus utitur instrumentis, vel ei plura obsistunt; tum quia hominis virtus tamdiù solùm in infirmitate et tribulationibus perficitur, quamdiù ei datum est crescere in gratiâ; quod solùm est vitæ præsentis. Quanquàm et in Purgatorio virtus eo sensu perficitur, quòd ab eâ aufertur rubigo peccatorum; quâ ratione aurum perficitur in fornace, non quia ei quidquam additur, sed quia à vilibus quæ ipsum inficiebant separatur.

41. Non tertia; nam equidem augebitur charitas in cœlo, sed non per nova quæ post hanc vitam comparentur merita; benè verò quia meritis per vitam comparatis rependetur visio beatifica, ferax charitatis principium.

42. Obj. 2° : Ex adverso. Eæ animæ continuò peccant, quæ crucem suam non ferunt spontè. Atqui tales sunt animæ de quibus loquimur. Si enim spontè ferrent, jam crux iis non foret pœna, cùm amanti pœnæ dulcescant; neque pro iis orandum esset ut à pœnis liberarentur, cùm eæ pœnas suas diligerent.

43. R. ad primum, nego min. Ad secundum, nego maj. Neque enim verè amanti sic dulcescunt pœnæ,

ut eas non sentiat, sed sic ut licèt amaras, libenter ferat propter amatum. Hinc illud Eleazari senis, n. 2 Macchab. 6 : *Tu scis, Domine, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores; secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Hinc Augustinus, lib. 10 Confess., cap. 24, de pœnis loquens : *Tolerare eas jubes, non amare; nemo autem quod tolerat, amat, quamvis tolerare amat.* Meritò igitur orat Ecclesia ut defuncti à pœnis suis liberentur; tum quia cum istis incompossibilis est visio Dei intuitiva, quod magnum tenerè amantibus supplicium est; tum quia pœnæ eorum, tametsi lubenter acceptatæ, sicut calix in passione oblatus Christo, pœnarum rationem habere non desinunt. Nec dubium quin per eas, reproborum instar, in rabiem agerentur, nisi præstò esset ardens charitas, et pia divinæ justitiæ satisfaciendi cupido.

44. Saltem, inquies, animæ illæ, dùm à pœnis liberari exoptant, quærunt quæ sua sunt, non quæ Dei. Unde Deum solo concupiscentiæ amore diligunt. Atqui hæc à culpâ non vacant.

45. R. Neg. maj. Quæ enim citò liberari exoptant, ut magis et meliùs Deum laudare possint, non quærunt quæ sua sunt, sed honorem Dei ; unde et Deum amore amicitiæ diligunt, quia in Deum desiderium omne suum refundunt. Atqui sanctæ illæ animæ, etc. Adde quòd summè licitum sit quærere quæ sua sunt, quando hæc juxta ordinem à Deo constitutum inquiruntur. Sanè licet in Purgatorio quod licitè fit in præsenti vitâ.

46. Obj. 3° cum quibusdam Catholicis : Animæ purgantes habent omnia ad merendum necessaria, gratiam scilicet, fidem, spem, charitatem et libertatem, saltem quoad exercitium. Sed quæ necessarias habent ad meritum conditiones, mereri possunt.

Confirm. 1° quia beati mereri possunt, ut patet de Christo, qui semper fuit beatus, et tamen merebatur.

47. Confirm. 2° quia dives in inferno pro se suisque exoravit, Luc. 16. Ergo et purgantes animæ etiam orare possunt. Atqui hæc earum oratio, ut ex charitate procedens, dubio procul exaudiri meretur.

48. Confirm. 3° ex D. Thomâ, qui in 4 dist. 21, q. 1, art. 3 (tomo 10, pag. 387) : *Dicendum*, inquit, *quòd post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmii essentialis; sed respectu alicujus accidentalis potest esse quamdiù manet homo in statu viæ aliquo modo; et ideò in Purgatorio potest esse meritum quantùm ad remissionem culpæ venialis.* Et verò licèt Purgatorii pœnæ non sint voluntariæ absolutè (*sic* enim *nulla pœna est voluntaria, quia ex hoc est ratio pœnæ, quòd voluntati contrarietur*), *potest tamen esse voluntaria conditionalis, sicut ustio est necessaria propter sanitatem consequendam... et sic pœna Purgatorii est voluntaria... Quidam autem dicunt quòd non est aliquo modo voluntaria, quia ita sunt absorpti pœnis, quòd nesciunt se per pœnam purgari, sed putant se esse damnatos; sed hoc est falsum, quia nisi scirent se liberandos, suffragia non peterent, quod frequenter faciunt.* Ita idem ibid. art. 1.

49. R. ad primum : Nego maj. His enim animabus deest status viæ. Atqui ex probatis Deus ea solùm ad meritum vel demeritum acceptat opera quæ fiunt in viâ. Ergo eædem animæ carent aliquo ad meritum vel demeritum essentiali.

50. Ad primam confirm., nego ant. Beati impetrare quidem multa possunt, sed non mereri. Nec obest exemplum Christi, qui cùm simul in terris et viator foret et comprehensor, quâ parte viator erat, mereri potuit. *Unde post mortem suam, quia viator esse desiit, nihil meruit ampliùs.* Bellarmin., ibid. pag. mihi 639.

51. Ad secundam confirm., possunt quidem animæ purgantes seu pro se, ut nonnulli volùnt, seu pro nobis aliquid ex præteritis meritis impetrare, juxta probabilem multorum sententiam, quam alibi amplexi sumus. At nihil verè et propriè merentur : quomodò nunc sancti orando pro nobis impetrant, licèt non mereantur.

52. Ad tertiam confirm., respondet ibid. Bellarminus, *S. Thomam mutâsse sententiam; nam q. 7, de Malo, art. 11, disertè docet in Purgatorio nullum posse esse meritum, nec essentialis nec accidentalis præmii; quod idem docent Bonaventura, Scotus, Durandus et alii. Fortè D. Thomas in 4, nomine meriti non propriè uti voluit, sed impropriè. Vocavit enim actum dilectionis in Purgatorio meritorium remissionis culpæ venialis, quia est remissorius, licèt non per modum meriti propriè dicti, sed per modum contrarii tollentis suum contrarium.*

53. Circa quæ notandum S. Thomam, tit. 4, art. 11, de Malo, hanc sibi objectionem proponere, n. 6 *Præterea ejusdem rationis esse videtur, quòd aliquis mereatur præmium essentiale vel accidentale, et quòd ei remittatur peccatum. Quia eâdem ratione quâ aliquis accedit ad unum oppositum, recedit ab altero. Sed homo post mortem non potest mereri neque præmium essentiale, neque accidentale. Ergo pari ratione non potest percipere remissionem peccati, neque venialis neque mortalis.* Hanc porrò objectionem brevibus his verbis solvit S. doctor : *Ad 6, dicendum quòd meritum gloriæ essentialis vel accidentalis pertinet per se ad profectum spiritualem, qui est per augmentum spiritualis boni; unde non est similis ratio.* Ubi manifestè concedit antecedens, tantùmque negat consequentiam. Verè prohinc dictum est à Bellarmino eum sententiam mutâsse.

54. Non desunt tamen è nostris, qui licèt contra Lutherum doceant, animas purgantes nulla sibi nova merita comparare ; docent simul eas per preces quas fundunt, per frequentes charitatis et patientiæ actus, tria hæc mereri; 1° peccatorum venialium quoad culpam et pœnam remissionem; mortalium verò quoad pœnam; 2° progressum ad beatitudinem quam bonis suis in hâc vitâ operibus promeruerant; 3° beneficia, quæ pro viventibus à Deo expostulant. Ita citatus auctor tractatûs Gallici de Purgatorio, cap. 3, art. 8.

55. Aliter nodum hunc solvit Sylvius in Suppl.

q. 71, art. 2, pag. 275, ubi sic · *Ad 8, mortui orationibus quas pro se fundunt, non juvantur per viam meriti vel satisfactionis, quia sunt extra statum non solùm meriti, sed etiam satisfactionis ejus quæ fit pro pœnâ, et quæ redemptionem seu compensationem pœnæ dicit..... Cæterùm videntur loqui probabiliùs, qui affirmant quòd fideles defuncti seipsos, orando, juvent per modum impetrationis. Nam in officio defunctorum introducuntur orantes pro suâ liberatione; estque pietati valdè consentaneum, quòd omnis anima fidelis in suâ tribulatione clamet ad Deum : quem clamorem utiliter fieri non est cur dubitemus.* Hæc ille, quæ quatenùs meritum arcent à Purgatorio, et impetrationem admittunt, tenenda videntur.

Articulus III.

An purgantes animæ certæ sint de salute suâ.

56. Negavit Lutherus, ut constat ex citato supra ejus art. 32. Negârunt et Catholici quidam : alii quia inter Purgatorii pœnas hanc omnium maximam, non omnibus equidem, sed nonnullis animabus constitutam esse credant, ut æternam suam sortem penitùs ignorent; atque ita Bellarmino sentire videtur Dionysius Carthusianus, ob quasdam visiones quas ipse refert, lib. de Quatuor novissimis, art. 47; alii quia existimant levia peccata nonnisi ex misericordiâ Dei habere quòd veniam obtineant; unde cùm in æternum ex naturâ rei plecti possint, nesciunt animæ an reipsà Deus eas sic in seipsis plectere intendat. Ità Gerso, lect. 1, de Vitâ spirituali; et postmodùm Michael Baius, lib. 2, de Meritis operum, cap. 8, quas opiniones jam reprobavimus in tract. de Peccatis, parte 2, cap. 2.

Conclusio. Animæ purgantes de salute suâ omninò certæ sunt.

57. Prob. 1° quia contraria Lutheri opinio à Leone X, et per ipsum ab Ecclesiâ reprobata est. Ilujus verò fundamentum, vel non convincit, prout à Dionysio Carthusiensi refertur; vel errorem novatorum sapit, quale exhibetur à Gersonio; atque in Baio à Pio V et Gregorio XIII proscriptum est.

58. Prob. 2°, quia, ut solidè Bellarminus, lib. 2, c. 4, si animæ de salute suâ certæ non sint, vel quia adhùc possunt demereri; vel quia nondùm judicatæ sunt; vel quia, licèt judicatæ, ignorant sententiam Judicis; vel quia dolorum æstu ita absorbentur, ut certitudinem hanc perspicere non possint. Atqui nullum ex his dici potest. Non primum, ut liquet ex cap. præced. Non secundum; docet enim totius Ecclesiæ fides particulare judicium statim post mortem fieri. Et id quidem evincitur, tum ex eo Eccli. 11, 28 : *Facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas.* Et v. 29 : *In fine hominis denudatio operum illius;* tum quia toti Ecclesiæ persuasum est impios statim ab interitu ad æterna supplicia rapi, ut de Epulone constat ex Luc. 16, justos verò ad æterna gaudia extolli, ut Luc. 23, manifestum est de latrone converso. Porrò concipi nequit coronas aut supplicia ante distribui, quàm fiat judicium. Non tertium, 1° quia non fertur à judice sententia, nisi ut hæc innotescat judicando; 2° quia sententia hæc saltem ab effectu innotesceret. Statim enim videbit anima num infernis devoveatur, num cœlestem gloriam persentiat, num addicatur Purgatorio. Non quartum, tum quia dives epulo, licèt ad rabiem usque cruciaretur, quod in sanctas animas non cadit, sciebat tamen quæ ad statum suum suosque fratres spectabant; tum quia quòd homines in hâc vitâ ex doloris acerbitate malè judicent, non tam dolori ipsi, quàm organorum læsioni tribuendum est : in Purgatorio autem mens ab hisce organis expedita est, plenâque fruitur incorruptibilitate; tum quia desperatio quam purgandis animabus tribuit Lutherus, desperatæ mentis commentum est. Etsi enim harum nonnullæ mirum quantùm patiuntur, at plenâ cum pace patiuntur. Unde eas exhibent Liturgiæ ut dormientes *in somno pacis.* Quæ autem dormiunt in somno pacis, immensam doloribus suis lætitiæ segetem conjungunt, tum ex charitate, quâ refertæ sunt, tum ex salutis certitudine exortam.

59. Confirm. Quæ certò vident se non esse ex numero reproborum, de salute suâ dubitare non possunt. Atqui animæ illæ..... Vident enim se nec Deum odisse, nec blasphemare sanctum nomen ejus, nec gravium, quæ non diluerint, peccatorum incusari. Ergo.

60. Obj. 1° : Ecclesia dum pro defunctis orat, hæc eis applicat verba, Psalm. 6 : *Anima mea turbata est valdè..... Conturbata sunt ossa mea.* Ilæc item Psalm. 114 : *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me.* Atqui tanta hæc anxietas atque conturbatio, ex defectu charitatis et salutis incertitudine necessariò oritur, non autem ex pœnis solis; cùm pœnæ solæ justos non conturbent, secundùm id Proverb. 12 : *Non contristabit justum quidquid acciderit ei.*

61. R. 1° : Nego maj.; est enim ineptissimum singula Psalmi integri verba defunctis applicare, eò quia Psalmus ille in eorum officio recitetur. Neque enim dubio procul de iis intelligentur hæc ejusdem Psalmi 6 verba : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.* Quapropter Ecclesia ob unam vel alteram sententiam, quæ ad rem præsentem facit, totum aliquem Scripturæ locum legere solet, etiamsi major ejus pars ad rem præsentem non faciat. Sic in dedicatione Ecclesiæ legitur Evangelium de Zachæo, quia postrema ipsius verba : *Hodiè salus huic domui facta est,* consecrationi Ecclesiæ quadamtenùs conveniunt. Sic in Assumptione B. Virginis legitur Evangelium de Marthâ et Magdalene, ob hæc quæ in Deiparam quadrant verba : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Sic demùm legitur in officio defunctorum Psalmus 6 propter verba isthæc : *Miserere meî, quoniam infirmus sum :* et Psalmus 14, ob ista : *Placebo Domino in regione vivorum.*

62. R. 2°: Neg. min. Potest enim conturbatio et tristitia ingens cum salutis certitudine et charitate plurimâ compati. Quandoquidem Christus de se ait, Joan. 12 : *Nunc anima mea turbata est.* Et Luc. 26, 38:

Tristis est anima mea usque ad mortem. Objecti verò Proverbiorum loci sensus est justum ob graviores quosque casus non deprimi eâ tristitiâ, quæ in murmura erumpendo, mortem operatur, quamque Apostolus, 2 Cor. 7, vocat tristitiam hujus seculi. Ita et totidem fermè verbis Bellarminus ibid., cap. 6.

63. Obj. 2°: Si animæ purgantes de salute suâ certæ forent, non oraret Ecclesia, ut liberentur *de pœnis inferni et de profundo lacu.* Atqui tamen id post lectum Evangelium orat in Missâ pro defunctis.

64. R. Neg. maj. Vel enim per pœnas inferni purgatorios ignes intelligit Ecclesia, vel si tartareos cruciatus intelligit, preces suas ad illud instans refert, quo animæ migrant à corpore suo, prout satis exposuimus part. 2, de Eucharistiâ, cap. 8. Adi et Bellarminum ibid. pag. 643.

65. Obj. 3°: Supponit nostra hæc assertio, animas mox à morte judicari. Atqui id gratis supponitur; 1° quia dici non potest ubi, à quo, et quâ ratione judicentur; 2° quia ex variis historiæ monumentis constat, quosdam diù post mortem judicatos fuisse; quod tum de iis certum est, qui ad tempus resuscitandi erant; tum de eo Parisiensi doctore, qui dùm ejus exequiæ fierent præsente S. Brunone, ad hæc verba: *Responde mihi quantas habeo iniquitates*, sublato extra feretrum capite, primâ die exclamavit: *Justo Dei judicio accusatus sum;* secundâ: *Justo Dei judicio judicatus sum;* tertiâ demùm: *Justo Dei judicio damnatus sum.* Imò judicium hoc aliquando ante mortem peractum esse docet S. Gregorius M., lib. 4 Dialog. cap. 38, ubi Chrysarium illum, qui *inducias vel usque mane* supplex efflagitabat, damnationis suæ sententiam audivisse scribit. Idem confirmant, tum S. Joannes Climacus, in Scalâ suâ, gradu 7, ubi recenset factum solitarii, cui, licèt adhuc viventi, sua minutim peccata omnia exprobrabantur; tum venerabilis Beda, qui lib. 5 Historiæ, cap. 14 et 15, narrat duos obiisse desperantes, quia sententiæ adversùm se jam latæ conscii erant.

66. R. ad primum: Nego min. Nec nocent quæ objiciuntur.

Non primum, 1° quia de substantiâ particularis judicii abundè constat, licèt de circumstantiis ejus non eodem modo constet; 2° quia dici, nec improbabiliter potest

66. Ad primum animas à Deo ubique per immensitatem suam præsente, in eo judicari loco, ubi à corpore solvuntur. Neque enim, ait hìc Lessius, cap. 3, n. 29, credibile est eas in cœlos coram Christo deduci, inde sæpiùs ad supplicia detrudendas.

68. Ad secundum, quòd licèt non sit omninò certum animas à Christo post mortem judicari, cùm loca Scripturæ in quibus dicitur: *Judex vivorum et mortuorum*, de generali judicio facilè intelligi possint, veri tamen simillimum sit, judicium particulare, non jam à Deo, ut ante passionem, sed à Christo exerceri; tùm quia *data est* ipsi *omnis potestas in cœlo et in terrâ*, proinde, quæ non omnium infima est, potestas judiciaria; tum quia jam è cruce magna potestatis hujus specimina exhibuit, cùm latroni uni gloriam spopondit, alterum verò indurari passus est, tum quia Patrum animas è captivitate abduxit.

69. Ad tertium: Nihil dubium est quin judicium illud fiat in ictu oculi, cùm ad illud sufficiat ardens divini luminis radius, quo et animæ sua quæque facta, et supremi Judicis sententia, simul et semel innotescant.

An verò animæ Christum videant dùm judicantur, incertum est. Probabile quòd sic, quia decet ut Judicem suum vel ad terrorem, vel ad solatium conspiciant, et ità censet Innocentius III, l. 2 de Contemptu mundi, cap. 43. Latà porrò sententiâ, animam, si ab omni labe munda sit, statim ad cœlos ab angelis transvehi, colligitur ex Luc. 16, ubi Lazari anima ab iisdem spiritibus *in sinum Abrahæ* portari dicitur. Eadem verò, si gravi culpiam culpæ obnoxia sit, à dæmonibus trahitur in tartara. Si autem necdùm prorsùs purgata sit, vel sponte concedit in locum supplicii, quia hanc Dei voluntatem esse intelligit; vel eò quod multam veri speciem habet, ab angelis, saltem à custode suo, dolorem ipsius leniente, deducitur. Ita docent multæ apud Bedam visiones, quarum examen sit in manu lectoris.

70. Non secundum, quia quæ extra consuetum Providentiæ ordinem fiunt, in argumentum trahi non debent. Nec certè mirum est animas quæ paulò post vivis reddendæ erant, judicium suum non subiisse.

71. Quod ad famosam S. Brunonis visionem spectat, alii eam omninò negant, utpotè scriptoribus coætaneis prorsùs ignotam; alii eamdem habent pro indubiâ; nec deest inter ejus assertores non imperitus quispiam, qui grave ejus monumentum in antiquis sibi detegere visus sit, quod et exhibuit mihi. Utut est, vel doctor ille simul et semel accusatus fuerat, judicatus et condemnatus; sed tantùm unam hanc sententiam, Deo sic permittente, per partes majorem ad terrorem renuntiavit; vel in judicio ejus à communi formâ recessum est. Et ita sentit Bellarminus, ibid. cap. 4.

72. Quod attinet ad Chrysarium et alios de quibus Beda, etc., dicendum eos non fuisse judicatos ante mortem, ut qui adhuc in viâ forent, atque in melius possent converti; sed vel propter scelera sua in desperationem venisse, ita ut sibi jam damnari viderentur; vel à dæmonibus peccatorum suorum graviter accusatos fuisse; ut vel ipso piorum exemplo constaret nobis quàm horrendum sit in manus Dei viventis incidere. Certè dæmonem morientibus adstare, ut vel ipsos, si possit, sanctos devoret, liquet ex vitâ B. Martini.

73. Obj. 3°: Si animæ post mortem de salute suâ certæ sint, maximè quia vident se Deum diligere. Atqui hæc ratio non convincit. Nam et nos quoque sentimus Deum à nobis diligi; nec tamen de salute nostrâ certi sumus.

74. R. animas post judicium de salute suâ certas fore, tametsi non aliter charitatem suam cognosce-

rent, quam nostram nos cognoscimus. Vident enim se nec Deum blasphemare, nec blasphemantibus consociari; quæ duo certa sunt salutis et justitiæ argumenta. Sed id habent animæ illæ, quòd corporis exutæ phantasmatibus, bonos quibus à Deo ditatæ sunt habitus plenissimè cognoscant; nec jam expedit ut in eâ versentur circa salutem suam anxietate, quæ nobis ad nostram cum metu et tremore operandam necessaria est.

Articulus IV.

De loco Purgatorii.

Cùm de hâc quæstione nihil sit ab Ecclesiâ definitum, nihil mirum est varias de ipsâ opiniones circumferri.

75. Alii ergo senserunt animas purgari in locis ubi deliquerunt; quod etsi verum esse potest, non tamen verum esse probatur : præsertim cùm plures pluribus in locis peccaverint, nec verisimile sit eas in his omnibus pati; et S. Severinus, qui in palatio imperatoris peccaverat, in quodam flumine purgaretur, juxta Epistolam Petri Damianei de miraculis sui temporis.

76. Alii existimârunt animarum loca non esse corporalia; ita Augustinus, lib. 12, de Genesi ad lit. Verùm id retractavit, lib. 2 Retract., cap. 24.

77. Alii purgatorium, quin et infernum, nihil aliud esse crediderunt præter conscientiam peccata redarguentem et punientem. Ita Origenes juxta Hieronymum in Epist. ad Avitum. Et malè : alioqui enim non minùs in vitâ, quam post mortem essemus in Purgatorio et Inferno.

78. Alii referente Chrysostomo infernum, proinde Purgatorium, utpote vicina loca, constituerun' in valle Josaphat. Fortè quia Christus infernum vocat gehennam; Gehenna autem sit vallis valli Josaphat conjuncta, pars ut ejus esse videatur.

79. Alii rati sunt pœnalem animarum locum non esse terram, sed caliginosum illum aerem in quo dæmones versantur. Ità Gregorius Nyssenus ac Chrysostomus.

80. Communior scholæ opinio Purgatorium et infernum eidem vicinum, in terræ visceribus constituit. Nimirùm Scholastici plerique quatuor intra terram sinus, vel unum in quatuor partitum admittunt : pro reprobis unum; alterum pro purgandis; tertium pro infantibus sine baptismo mortuis; quartum, qui nunc vacuus sit, pro justis qui ante Christi passionem morìebantur. Nempe, inquiunt, pœna omnis aut damni est tantùm, aut sensûs, rursùmque vel æterna, vel temporalis. Puerorum Limbus est pro æternâ damni tantùm pœnâ. Limbus patrum pro eâdem damni pœnâ, sed temporali. Infèrnus pro æternâ damni et sensûs pœnâ. Purgatorium pro temporali pœnâ damni et sensûs.

81. Quoniam verò hæc veluti fabulas aniles rident Calviniani, atque inprimis eorum antesignanus lib. 30 Inst., cap. 16, § 9, his paulisper immorandum. Sit igitur

Conclusio prima. — Locus damnatorum est inferior et subterraneus. Propositio est de fide, ait hìc Lessius cap. 1, dub. 2.

82. Prob. 1° quia hunc loci illius situm probat vel ipsum *infernorum* nomen, quo Hebraicè, Græcè et Latinè utitur Scriptura. Neque enim vox *inferi* sepulcrum significat, ut ineptè volunt Calviniani, sed locum nobis longè inferiorem; quique ut locus imus cœlo tanquàm summo opponitur. Hinc Job. 11, v. 18 : *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno et unde cognosces?* Isaiæ 14, v. eod. : *Dixisti : Ascendam supra altitudinem nubium... In infernum detraheris, in profundum laci.* Psalm. 138, v. 8 : *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Matth. 11, v. 23 : *Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque ad infernum descendes.* Porrò ridicula foret antithesis cœlum inter tot stadiorum millibus distans à terrâ, et sepulcrum vix ab eâ ulnis duabus distans : quandoque etiam supra terram positum, præsertim Christi tempore, quo mortuorum cadavera non humo, sed cavernis supra soli superficiem mandabantur. Nec grande quid Capharnaitis comminatus esset Christus, si solùm admonuisset eos post mortem in sepulcris repositum iri. Ergo.

83. Confirm. Luc. 16, dives epulo *in inferno sepultus* esse dicitur, ibique *tormentis* cruciatus. Atqui non cruciabatur scelestus ille tormentis in sepulcro : nisi quis velit animas in sepulcris esse cum corporibus.

84. Prob. 2°, quia damnatorum sedes passim in Scripturâ vocatur, *abyssus, lacus, profundum laci, puteus, vorago, caminus ignis, stagnum ignis et sulphuris.* Atqui nomina hæc non sepulcrum, sed aliquid in profundo terræ reconditum indicant. Et verò Lucæ 8, dæmones Christum rogabant, ne eos mitteret in abyssum. Atqui non rogabant ne eos in sepulcra mitteret; neque enim sepulcra dæmonibus parata sunt. Ergo abyssus non idem est ac sepulcrum. Sed neque, ut fabulatur Brentius, est spirituale quid ubique diffusum : alioqui enim non potuissent dæmones non mitti in abyssum.

85. Prob. 3° ex Patribus : Tertullianus, Apolog. 47, infernum vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* Arnobius, lib. 2 contra gentes, de Platone sic ait : *Non est absonè suspicatus, jaci eas animas in flumina torrentia, flammarum globis, et cœnosis voraginibus tetra.* Hieronymus in cap. 14 Isaiæ : *Dicimus quòd infernus sub terrâ sit.* Concinunt Augustinus, lib. Retractat., cap. 24; Gregorius, lib. 4 Dialog., cap. 42 Beda, Primasius et alii, quorum auctoritatem suâ, quæ semper minor erit, auctoritate non frangent Calviniani.

86. Prob. 4° ratione, quia sicut locus justorum, qui mundi amorem et creaturarum vicerunt, est summus, nempe supremum cœlum; sic et locus impiorum qui creaturarum amorem Deo præposuerunt, debet esse infimus, secundùm id Proverb. 15, v. 24 : *Semita vitæ sursùm est ad erudiendum, ut declinet a b inferno inferiore.* Hinc ruit commentum Angli, non

memini cujus, inferos non ita pridem in sole constituentis.

Conclusio II. Limbus Patrum antiquorum fuit etiam sub terrâ. Et id, ait idem Lessius, pariter tenendum est de fide.

87. Prob. 1° : Vel Patrum animæ erant in limbo subterrestri, vel, ut Calvino placet, in cœlis, ubi solùm carebant visione beatificâ. Atqui posterius istud dici non potest; tum quia nullum habet fundamentum in Scripturâ, quæ sola est Calvinianorum regula; tum quia assertio hæc in totâ Dei Ecclesiâ prorsùs inaudita est; quod licèt ad commendationem ejus Calvino sufficere possit, cæteris sufficiet ad ejus confutationem.

88. Prob. 2° : Pius erat Jacob, pius et Joseph. Atqui neuter post mortem ascendit in cœlum, sed uterque in inferos descendit. Prob. min. ex Genes. 37, ubi Jacob ait : *Descendam ad filium meum in infernum.* Atqui eo loci nec per infernum intelligi possunt cœli, ut per se liquet; nec sepulcrum. Quandoquidem Jacob, qui filium suum à feris devoratum arbitrabatur, non speraret se eidem uniendum fore in sepulcro, quo caruisse ipsum existimabat.

Prob. 3° ex lib. 1 Reg., cap. 28, ubi anima Samuelis apparens Saüli *de terrâ* ascendere visa est. Quia tamen non desunt qui apparitionis hujus veritatem negent, de eâ nobis in speciali dissertatione agendum erit.

89. Prob. 4° ex Apocalyps. 5, v. 2 et 3, ubi postquàm exclamavit Angelus *voce magnâ : Quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus?* subditur quòd *nemo poterat neque in cœlo, neque in terrâ neque subtùs terram, aperire librum.* Hic sanè loquitur Joannes de justis : cùm præter hos nemo *dignus* videri possit *aperire librum.* Atqui ex justis illis, quidam erant *subtùs terram.* Jam verò vel hi erant Limborum patres; quia licèt illi jam Dei conspectu fruerentur, cùm Apocalypsim scripsit Joannes, fieri tamen potuit ut is eorum conditionem, qualis erat dùm Messiam exspectarent, describerit; vel erant animæ purgantes. Ergo ex eo textu colligitur id quod de subterraneâ defunctorum sede docent Catholici.

90. Non nego verba hæc, *subtùs terram*, de reprobis ipsis à S. Gregorio, lib. 4 Dialog., cap. 42, intelligi. Verùm expositio hæc, quæ à communi aliorum doctorum interpretatione dissidet, nec textui satis convenit, id saltem habet, quòd primam nostram conclusionem adstruat.

91. At, inquies, verba hæc, *subtùs terram*, metaphoricè intelligi debent, non secùs ac isthæc v. 13 : *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, et super terram, et sub terrâ, et quæ sunt in mari, et quæ in eo; omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria,* etc.

92. R. Nego paritatem. Frequens enim est in Scripturis ut creaturæ omnes, etiam sensu destitutæ, Deum laudare ac benedicere perhibeantur. At quòd eas inter quæ sensu destitutæ sunt, requiratur quæ digna sit librum aperire, et mysteria ejus reserare, prorsùs inauditum est. Adde quòd verba hæc, *et quæ sunt in mari*, de hominibus qui in mari navigant, aut quibus jam inter aquas pendulis instat naufragium, intelligi valeant.

93. Prob. 4° ex Symbolo Apostolorum, juxta quod Christus *descendit ad inferos.* Quibus verbis consonant non pauca Scripturæ verba; hæc videlicet Eccli. 24 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino;* quæ licèt in Græco textu desint, plurimam à Vulgatâ versione commendationem habent. Hæc item Ephes. 4 : *Qui ascendet, ipse est et qui descendit in inferiores partes terræ.* Atqui per hunc ad inferos descensum, nec intelligi potest ascensus ad cœlos, ubi antiquos Patres gratis collocat Calvinus; nec, quidquid fingat Beza cum universâ suâ phalange, descensus in sepulcrum. 1° Quia malè quis diceretur in inferiores partes terræ descendisse, eò quòd in sepulcro repositus fuisset; præsertim cùm sepulcrum Christi non esset in inferioribus partibus terræ, sed in speluncâ superiore humo; 2° quia in articulo præcedente Christus dicitur mortuus *et sepultus*, ergo descensus ejus ad inferos, non idem est ac ejus sepultura. Utique in Symbolo, quod est compendium fidei brevissimum, summum vitium esset aliquid repeti. Neque potest sententia posterior esse prioris expositio; quia notum per ignotum explicaretur; 3° quia longè aliter locum hunc intellexêre concilia et Patres, quàm Calviniani; ut patet ex conciliis Toletano IV et Lateranensi sub Innocentio III, quorum prius sic habet, cap. 1 : *Descendit ad inferos, ut animas quæ illic tenebantur, erueret;* posterius sic loquitur, cap. 1 : *Descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum : sed descendit in animâ, resurrexit in carne, ascendit pariter in utroque.* Idem docent unanimi concentu Patres, qui huic subscribunt S. Martyris Ignatii sententiæ Epist. ad Trallianos : *Descendit ad infernum solus, regressus* est *cum multitudine;* seu ut loquitur Hieronymus in cap. 4 Ephes. : *Descendit* in inferiora terræ, *ut sanctorum animas quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor abduceret.* Sed longam eâ de re et apertam Traditionem vide apud Bellarminum, lib. 4, de Christo, cap. 14, tomo 1, pag. mihi 460.

94. His adjungi solet celebris ille D. Petri locus Epist. 1, cap. 3 : *Christus... his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit.* At hunc, quia semper habitum pro obscurissimo, ad finem articuli brevi dissertatione expendemus.

95. Obj. Potissima nostra probatio ex his deducitur Symboli verbis : *Descendit ad inferos.* Atqui nihil ex iis colligi potest. Namque Christi anima reapsè non descendit ad inferos, secundùm substantiam; sed tantùm quoad operationem. Cùm animæ à corpore separatæ nonnisi per operationem suam possint esse in loco. Et ita sentit Durandus in 3 dist. 22, q. 3.

96. Et verò si Christi anima ad inferos reapsè descendit, vel ad omnia eorum loca, vel ad aliqua duntaxat. Neutrum autem dici potest, nisi divinando.

97. R. Ad primum, nego min.; ad secundum, nihil ad veritatem Limbi Patrum interest, an eò Christus secundùm substantiam descenderit, an penès operationem : quia locus in quo Christi anima operatur, necessariò existere debet; eumque verè admittit Durandus. Meritò tamen hujus opinionen uti erroneam redarguit Bellarminus, eod. lib. 4, cap. 15, 1° quia concilia et Patres eodem modo loquuntur de descensu animæ Christi ad inferos, quo de mansione corporis ejus in sepulcro. Porrò corpus Christi, non metaphoricè et quoad effectum, sed verè et propriè mansit in sepulcro. 2° quia si anima Christi per effectum ad inferos descendisse dicitur, quia ibidem operata est, dicendum erit eam simul fuisse in inferis, in cœlis, in terris, in paradiso terrestri. Utique enim aliquem iis omnibus in locis effectum produxit, illustrans Patrum animas in Limbo, lætificans angelos in cœlo, consolans Henoc et Eliam in paradiso, gratiam hominibus dispertiens in terris. 3° quia ex Durandi commento sequitur Christum nullo pacto descendisse ad inferos. Si enim semel constet, quod ipse contendit, animas non nisi per operationem esse in loco; rursùmque eas nullam extra corpus suum, cujus sunt formæ, operationem habere posse; perspicuum est animas separatas non esse verè in loco. Unde rursum colligere erit, nec damnatorum animas esse nunc in inferis, nec beatorum animas esse nunc in cœlo.

98. Cæterùm quod dicit Durandus, animas non posse esse in loco corporeo, nisi per operationem quam ibidem exercent, rursùmque eas nihil extra corpus suum operari posse, gratis dictum est; 1° quia nihil vetat quominùs animæ sint in loco per essentiam suam, quæ cùm sit res finita, necessariò est præsens uni loco, et non alteri, nisi in isto à Deo constituatur. 2° Quia licèt animæ non possent certo loco aliter quàm per operationem à corporibus suis dependentem applicari de viâ ordinariâ; possent tamen supernaturaliter, Deo sic ordinante, extra corpus suum operari, movere corpora, viventibus apparere, eosdem alloqui; ut de Samuele paulò post dicemus.

99. Ad quæstionem num. 96 propositam, R. Christum probabiliter ad omnia inferni loca descendisse, secundùm id Eccli. 24 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, inspiciam omnes dormientes.* Et verò Cyrillus Alexand., lib. 12 in Joannem, c. 36, aliique Patres docent Christum descendisse ad inferos, ut vivorum et mortuorum dominaretur, suique totius regni possessionem iniret. Porrò ad ipsius regnum pertinent etiam reprobi, ut qui in carceribus jussu ejusdem contineantur. De cæteris quæ ad separatam Christi animam spectant, adeundus est Bellarminus, ibid., pag. 466 et seq.

100. Obj. 2° cum S. Augustino, epist. 164 : Antiqui justi erant in sinu Abrahæ. Atqui sinus Abrahæ non erat in inferno, sed ab eo remotissimus; cùm esset chaos magnum inter divitem et Lazarum, qui stabat in sinu Abrahæ.

101. R. Neg. min., quam demùm falsam esse agnovit Augustinus, tract. in Psalm. 85, et lib. 20 de Civ. Dei, cap. 15. Nec nocet cahos illud magnum reprobos inter et justos. Ad id enim satis erat ut longè inferior esset damnatorum sedes; et multò magis ut ab unâ ad aliam transmeare nunquàm liceret.

Conclusio III. Limbus puerorum et ipse subterraneus est.

102. Prob. Ex concilio Florentino, sess. ultimâ, ubi definitur *animas illorum qui in peccato mortifero actuali, vel originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

103. Præiverat Augustinus, lib. 4, de Baptismo, cap. 2, ubi docet fidem catholicam duo tantùm agnoscere loca, ubi homines sint perpetuò futuri, cœlum beatorum et infernum reproborum.

104. Docet tamen communior scholæ opinio limbos puerorum in altiori esse loco, quàm sit Purgatorium, ità ut ignis ad eum non perveniat. De his adi quæ diximus, tomo 3, ubi de peccato originali sub finem.

Conclusio IV. Est etiam sub terrâ locus Purgatorii.

105. Probant aliqui cum Bellarmino ex Act. 2, v. 24, ubi S. Petrus de Christo loquens : *Quem*, inquit, *Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Nimirùm, inquiunt cum Augustino Epist. 99, et Epiphanio ad hæresim Tatiani, Christus solvit dolores non reproborum, non etiam omnimodè justorum. Ergo animarum purgantium. Atqui erant hi dolores inferni, seu in inferno perpessi. Ergo animæ illæ erant in inferno.

106. Verùm expositio hæc non uno titulo difficilis est, ut notat eum in locum Maldutius dissert. 8; 1° quia juxta ipsam, vox, *solutis*, refertur ad Christum, quasi solverit dolores inferni. Atqui contra vox ea referri debet ad Deum, qui Christum resuscitando, eumdem solvit à doloribus inferni; ut patet, tum ex ipso textu, tum et maximè ex Græcâ lectione quæ sensum alium non admittit; 2° quia ratio à S. Petro subnexa, quòd nimirùm *impossibile erat Christum teneri ab* inferno; perspicuè demonstrat non alium hic exhiberi ut solutum à doloribus, quàm Christum; 3° quia negat Bellarminus, lib. 4, de Christo, cap. 16, cum S. Thomâ, 3 parte, q. 52, art. 8, purgantes animas per Christi ad inferos descensum liberatas fuisse, nisi *quæ jam sufficienter purgatæ erant, vel etiam* in hoc seculo *meruerant per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur à temporali Purgatorii pœnâ.* Non desunt tamen qui cum Estio autument Christum universis animabus dimisisse, quidquid ad plenam earum satisfactionem luendum supererat, ut suo in inferos descensu consecraret primitias illius indulgentiarum potestatis, quam Ecclesiæ suæ collaturus erat; idque approbat Maldutius, dissert. 29, paulò post citandâ.

107. Sed quomodò Christus solvi potuit à doloribus inferni? R. Græcè haberi, *solvens*, vel, *cùm solvisset à doloribus mortis :* Syriacè verò *à funibus* mortis. Jam verò haud difficulter concipitur Christum, virtute Dei, solutum fuisse à doloribus seu funibus mortis. Funes enim mortis eos quos semel vinxerunt, ligant usque

ad judicium extremum. Ab iis porrò, qui tertiâ die resurrexit Christus, divinâ virtute solutus est, prout prædixerant prophetæ; David verò potissimùm, qui non de se ipso, sed de Christo tot antea seculis dixerat : *Non derelinques animam meam in inferno*, etc. Psalm. 15, et Act. 2, 27.

108. Prob. itaque conclusio meliùs, 1° ex sensu Ecclesiæ, quæ dum anxiè precatur, ut Deus liberet *animas omnium defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu*, easdem in inferis, aut loco inferis vicino torqueri supponere videtur. 2° Ex unanimi penè theologorum suffragio, qui lubenter hanc S. Thomæ doctrinam admittunt in 4, dist. 21, q. 1, art. quæstiunc. 2 : *Ad 2 q., dicendum quòd de loco Purgatorii non invenitur aliquid expressè determinatum in Scripturâ. Tamen probabiliter et secundùm quod consonat magis sanctorum dictis, et revelationi factæ multis, locus Purgatorii est duplex; unus secundùm legem communem; et sic locus Purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus; ità quòd idem ignis sit qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in Purgatorio purgat; quamvis damnati secundùm quòd sunt inferiores merito, et etiam loco inferiores ordinandi sunt. Alius est locus Purgatorii secundùm dispensationem; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem; ut viventibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur.*

109. Confirm. Animæ purgantes eamdem patiuntur pœnam quam damnati, pœnam videlicet damni et sensûs; nec differt prior à posteriori, nisi quòd hæc æterna sit, non illa. Ergo è re fuit, ut eodem in loco, et eodem igne torquerentur.

110. Quæres an defunctorum animæ suis è receptaculis egredi possint; sive ita ut ab uno receptaculo transeant ad aliud; sive ita ut è loco suo exeant ad tempus, eò postmodùm regressuræ; sive ita ut hinc egressæ, redeant ad vitam, et sortem sibi novam, vel in bonum vel in malum comparare possint.

111. R. 1° non dari regressum seu ex inferno damnatorum, seu ex puerorum limbo; dari autem ex limbo patrum et ex Purgatorio. Ratio est quia animæ reproborum igne sempiterno torqueri debent, uti et perpetuo exilio animæ puerorum, qui sine baptismo decesserunt. Contra verò animæ Patrum, temporali tantùm exilio aut pœnâ probandæ erant. Idem est de iis quæ Purgatorio mancipantur. Quod objici possit Trajani animam de inferno erutam esse per preces S. Gregorii, meram esse fabulam evicimus in alio opere.

112. R. 2° posse animas, Deo ita permittente, tum e cœlis, tum è subterraneis quibuscumque receptaculis egredi ad tempus, seu ut viventibus opem ferant, seu ut eos terrore salutari impleant, seu ut horum opem efflagitent. Non desunt sanè gravia exempla, quæ id de omnibus, præter infantium limbum, receptaculis doceant. Circa quæ consulendi Eusebius, lib. 6, Hist., c. 6, Augustinus, lib. de Curâ pro mortuis, cap. 16, et alii quos dabit Bellarminus, lib. 2 de Purgat., cap. 8.

113. R. 3° : Certò constat plures è Patrum Limbo, vel Purgatorio ad vitam fuisse revocatos. Siquidem in alterutro loco indubiè erant ex iis fidelibus plures, quos Elias, Elisæus, Christus ipse, Petrus et Paulus ad vitam revocârunt. Neque ullum inde sequitur inconveniens; tum quia is ad vitam reditus, nihil est aliud quàm exilii vel carceris mutatio; tum quia qui ex iis locis revocati sunt ad vitam, dubio procul in gratiâ confirmati fuêre, ne salutis, quam usque ad mortem benè operando, promeruerant, jacturam ullo modo subirent. Ita post Abulensem q. 57, in 4 Regum, Bellarminus eod. cap., p. 652.

114. An autem è beatis vel damnatis aliqui ad vitam revocati fuerint, ambigi potest, præsertim quoad secundum caput, cùm ex historiâ constet ethnicos plures à morte fuisse suscitatos; atque inprimis teste S. Ambrosio, serm. 90, Sempronii præfecti filium, qui à diabolo, eò quòd S. Agnetem violare vellet, necatus fuerat; et ab ipsâ vitæ redditus est. At dicendum neminem è cœlo vel inferis redìisse ad vitam. Unde qui in impietate mortui, subinde resurrexerunt, ex speciali Dei providentiâ non fuerunt post mortem suam decretoriè judicati; licèt secundùm præsentem suam injustitiam puniri potuerint; ut docet S. Thomas in 4, dist. 45, q. 2, art. 2.

Dissertatio prima.

DE APPARITIONE SAMUELIS.

115. Famosam hanc apparitionem refert Scriptura, 1 Regum, cap. 28, ubi, cùm Saül irrito nisu Dominum consuluisset, mutato habitu venit in Endor ad Pythonissam, et *ait illi : Divina mihi in Pythone, et suscita mihi quem dixero tibi... Dixitque ei mulier : Quem suscitabo tibi? Qui ait : Samuelem mihi suscita. Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magnâ, et dixit ad Saül : Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saül. Dixitque ei rex : Noli timere, quid vidisti? et ait mulier ad Saül : Deos vidi ascendentes de terrâ. Dixitque ei : Qualis est forma ejus? Quæ ait : Vir senex ascendit, et ipse est amictus pallio. Et intellexit Saül quòd Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terram, et adoravit. Dixit autem Samuel ad Saül : Quare inquietâsti me ut suscitarer? Et ait Saül : Coarctor nimis, siquidem Philistiim pugnant adversùm me, et Deus recessit à me, et exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia; vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel : Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te, et transierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu meâ, et scindet regnum de manu tuâ, et dabit illud proximo tuo David, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris in Amalec. Idcircò quod pateris tibi fecit Dominus hodiè. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philistiim. Cras autem tu et filii tui mecum eritis. Sed et castra Israel tradet Dominus*

in manu Philistiim, statimque Saül cecidit porrectus in terram, etc.

Jam quæritur an ipsa Samuelis anima Saüli apparuerit : an verò aliquod Samuelis phasma suppositum à dæmone, ut Saülem, Deo permittente, deciperet.

116. Multiplex volvitur eâ de re opinio. Alii nempe Samuelis apparitionem nihil aliud esse volunt quàm fraudem Pythonissæ, quæ, ut Saülem deciperet, finxerit Samuelem à se videri, licèt nihil illa videret. Et hæc opinio, ait in dissertatione ad hunc locum Calm., temeraria est, periculosa, sacro textui contraria.

117. Alii non Samuelem ipsum, sed dæmonem sub Samuelis formâ apparuisse contendunt; simulque et Pythonissæ et Saüli fucum fecisse. Ita Tertullianus, SS. Basilius Magnus, Gregorius Nissen., Hieronymus, Cyrillus Alexand., Theodoretus, et alii plures, quorum opinio Nat. Alexandro, dissert. 23, probabilis videtur.

118. 3° Non defuêre qui crediderint, nec dæmonem, nec Samuelem apparuisse; sed phasma Samuelis à Deo immediatè, vel ab angelis, Deo jubente, confictum.

119. 4° Senserunt olim Patres plerique, et etiamnum censent potiores theologi, Samuelem ipsum reipsà visum fuisse et locutum.

120. Hujus autem opinionis asseclæ duas in partes scinduntur. Alii enim apparitionem hanc magicis Pythonissæ incantationibus adscribunt: quia animas omnes justorum sub dæmonis arbitrio tunc temporis fuisse existimant. Ita Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, et acriùs Origenes in cap. 28, lib. 1 Regum. Alii eamdem apparitionem non in evocationes magicas quæ præcesserant, sed in summam Dei voluntatem refundunt. Verùm hi de re, ut liquet, consentientes, de modo tantùm disputant. Sit

Conclusio. Etsi damnari non debet opinio quæ dæmonem sub phasmate Samuelis apparuisse suspicatur, longè tamen probabilior est sententia quæ Samuelem ipsum apparuisse contendit.

121. Prob. prima pars : Reprobari non debet opinio quam Ecclesia præ sapientiâ suâ hactenùs reliquit intactam; quæque à defensoribus suis non modicam commendationem habet. Atqui opinio de quâ nunc, 1° nusquàm hactenùs ab Ecclesiâ proscripta est; cùm nullum exstet ipsius eâ de re decretum. 2° Eadem opinio non minimùm à defensoribus suis commendationis habet. Sunt enim hi S. Pionius presbyter et martyr, cujus hæc verba refert Simeon Metaphrastes in ipsius vitâ : *Non igitur Samuelem in hanc vitam reduxit mulier illa ventriloqua, sed tartarei dæmones, Samuelis personam atque similitudinem induentes, sese mulieri ventriloquæ et Saüli, qui à Deo defecerat, conspicuos præbuerint.* Tertullianus, libro de Animâ, cap. 57 : *Pythonico tunc spiritui licuit animam Samuelis effingere... Absit alioqui ut animam cujuslibet sancti, nedùm prophetæ, à dæmonio credamus extractam, edocti quòd ipse Satanas transfiguretur in angelum lucis*, etc. In eumdem sensum scribunt SS. Eustathius Antiochenus episcopus, Basilius, Gregorius Nyssenus, et alii plures quos ibidem dabit Nat. Alexander. Unde S. Thomas, 2-2, q. 174, art. 5, ad 4, licèt contrariæ opinioni adhærere videatur, hæc tamen subdit : *Quamvis etiam dici possit quòd non fuerit anima Samuelis, sed dæmon ex personâ ejus loquens*, etc.

122. Prob. secunda pars : 1° Quia Scripturæ verba in obvio et naturali sensu accipienda sunt, cùm nihil hinc contra fidem et bonos mores sequitur absurdi. Atqui Scripturæ verba in obvio et naturali sensu intellecta, veram Samuelis ipsius apparitionem indicant; neque ex intellectu isto quidquam sequitur absurdi.

Quòd Scripturæ verba veram Samuelis ipsius apparitionem naturaliter exprimant, patet vel ex solâ textûs inspectione; qui, ut Samuelem ipsum indicaret, non potuit aliter loqui. Hæc iterùm subjicio : *Et intellexit Saül quòd Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam... Dixit autem Samuel ad Saül : Quare inquietâsti me, ut suscitarer?.. Ait Samuel : Quid interrogas me, cùm Dominus recesserit à te?... Statimque Saül cecidit porrectus in terram; extimuerat enim verba Samuelis.* Atqui hæc eò usque verum Samuelem indicant, ut qui ea placido sensu legerit, unum hìc Samuelem, non umbram ejus, ac multò minùs dæmonem suspicari possit. Hìc gravis sermo et dignus prophetâ. Hìc exprobrata Saüli impietas sua. Hìc prædictum quidquid eidem evenit. Hìc non dicitur : *Et putavit*, sed, *et intellexit quòd esset Samuel.* Hic sexies repetitum nomen Samuelis, absque voculâ quæ dolum aut præstigias indicet.

123. Confirm. ex Eccli. 46, ubi inter cæteras Samuelis laudes hæc recensetur, v. 23 : *Post hoc dormivit et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terrâ in prophetiâ delere impietatem gentis.* Græcè : *Et postquàm ipse dormivisset, prophetavit.* Syriacè verò : *Et post mortem interrogatus est, ostenditque regi viam ejus, et exaltavit de terrâ vocem suam in prophetiâ ad cessare faciendum peccata.* Hìc sua præ cæteris Domini vatibus laus tribuitur Samueli, quòd post mortem prophetavit. Atqui nulla dubio procul Samueli laus inde accederet, quòd formam ejus accepisset dæmon, sicque per umbram suam serviisset Pythonissæ. Ergo pro certo tenendum est ipsum Samuelem de terrâ prophetâsse. Nec dubium, ut monet in hunc locum Cornelius à Lapide, quin idem nobiscum sensissent objecti Patres, si his sat cognita fuisset libri *Ecclesiastici* fides et auctoritas. Unde S. Thomas, 1 p., q. 89, art. 8, ad 2 : *De Samuele dici potest quòd ipse apparuit per revelationem divinam, secundùm id quod dicitur Eccli.* 46, etc.; *vel illa apparitio fuit procurata per dæmones : si tamen Ecclesiastici auctoritas non recipiatur*, etc. Atqui libri hujus auctoritas indubiè recipienda est. Ergo.

Quòd autem admissa veri Samuelis apparitio nihil contra fidem et mores invehat absurdi, ex objectionum solutione constabit.

124. Prob. 2° ex Patribus, quorum multi contra multos causam nostram juvant. Justinus Martyr in dial. cum Tryphone. *Animas*, inquit, *superstites ma-*

nere, etiam eo demonstraverim, quòd et Samuelis animam ventriloqua Pythonissa, ità ut Saül petierat, evocavit. Atqui petierat Saül ut verus Samuel evocaretur, non dæmon sub spectro Samuelis; quod si factum esset, non inde probaretur animæ humanæ immortalitas, ut benè N. Alexander. Ergo.

125. Origenes idem pluribus probat in cit. cap. 28, libri 1 Regum.

126. Ambrosius in c. 1 S. Luc.: *Samuel post mortem secundùm Scripturæ testimonium, futura non tacuit.*

127. Augustinus, lib. de Curâ pro mortuis gerendâ, c. 15: *Mitti quoque ad vivos*, inquit, *aliquos ex mortuis, sicut è contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina Scriptura testatur. Nam Samuel propheta defunctus, vivo Saüli etiam regi futura prædixit (quamvis nonnulli non ipsum fuisse qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurâsse) cùm liber Ecclesiasticus, quem Jesus filius Sirach scripsisse traditur.... contineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetaverit*, etc.

128. Idem docent SS. Sulpitius Severus, lib. 1 Historiæ sacræ; S. Zeno Veronensis, seu alius quivis vetus auctor sermonis de resurrectione; antiquus auctor Carminum contra Marcionem. At eos recensere superfluum fuerit; quia in materiâ quæ Patres dissentientes habet, non pensandæ sunt auctoritates sed momenta. Unde

129. Prob. 3° ratione theologicâ. Admitti debet apparitio, quæ gravibus fulcitur argumentis, et admodùm exilibus confutatur. Atqui vera Samuelis apparitio gravibus fulcitur momentis; 1° enim innititur litteræ sacri textûs, quem qui sine partium studio leget, non magis Samuelem apparuisse dubitabit, quàm dubitabit Saülem mutato habitu contulisse se in Endor, et à Pythonissâ sciscitatum ut Samuelem evocaret. 2° Eadem apparitio veridicam crastinæ Israelitarum stragis ejusque circumstantiarum historiam complectitur, eamque qualem Deus solus indicare poterat. Quod enim respondent adversarii, res Saülis eò tunc devenisse, ut verisimillimè cædendus esset à Philisthæis, nihil omninò probat. Annon enim, nisi res tota à supremo fortunarum omnium arbitro disposita esset, Saül tam seriò admonitus, sibi, suisque, fugiendo, consulere poterat, et debebat? Annon poterat sterni acies ejus absque eo quòd ipse interimeretur? Annon saltem evadere poterant filii ejus? Ergo quidquid hìc prædictum est, suggerente Deo prædici debuit. Quòd si id dæmoni à Deo revelatum esse dicatur, jam multiplex admittendum erit miraculum, ne obvium unum admittatur. Præterquàm enim recurret gravis difficultas è litterâ Scripturæ, quæ ubique Samuelem designat, explicandum erit quo pacto fieri queat ut sexies tremendum nomen *Jehova* repetat dæmon; ut Dei nomine exprobret Saüli peccata, quorum ipse promotor fuerat; ut ei futurorum præscientiam commiserit Deus; imò ut et eum per os Ecclesiastici sub Samuelis nomine laudaverit. Hæc quæ nemo ferat divisa, quis conjuncta pertulerit?

2° Eadem apparitio levibus admodùm conjecturis impugnatur. Quod ut pateat,

130. Obj. 1°: Admissâ Samuelis ipsius apparitione dicendum est dæmoni concessam esse potestatem animas ipsorum etiam sanctorum evocandi. Atqui nihil fingi potest magis insulsum.

131. R. 1°: Nego maj. Non enim necesse est ut Pythonissa magicis artibus Samuelem evocaverit: satis est ut Deus, ad terrorem impii principis, id summo suo imperio effecerit, quod perperam à ventriloquâ exspectabatur. Rem porrò sic contigisse patet ex cit. cap. 28, lib. 1 Reg. Vix enim expetierat Saül sibi Samuelem suscitari, cùm mulier eo inspecto exclamavit: *Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul* (1). Ergo necdùm magicas suas incantationes perfecerat, cum eæ morosæ et longæ forent. 2° Turbata est mulier, cùm Samuelem vidit. Cur porrò, nisi quia eum vidit antequàm evocâsset?

132. Neque desunt hujus Dei agendi rationis exempla in sacro textu. Sic cùm Balaam vellet dæmonem consulere in gratiam Balac regis Moab, prævenit eum angelus Dei, et sublimem illam per eum de Israele et Christo prophetiam edidit, quæ habetur Num. 22, v. 32. Sic quoque cùm Ochosias rex Israel mitteret nuntios ad consulendum Beëlzebub de sanitate suâ, prævenit eum Elias, et vicinam ei mortem prænuntiavit, 4 Reg. 1, 16.

133. Nec obest illud Samuelis ad Saül: *Quare me inquietâsti, ut suscitarer?* Id enim, ut verè dici potuerit, necesse non est ut Samuel à Pythonissâ efficienter evocatus fuerit, sed satis est ut sacrilega Saülis curiositas fuerit occasio cur suscitaretur Samuel. Ait porrò se à Saüle inquietatum, quia commotus fuit, et iratus indignitate modi, quo Saül eum per magiam suscitare conabatur: vel quia inquietari dicitur, qui è loco pacis et quietis eductus, molestis negotiis implicatur. Ità Corn. à Lapide, et Menochius.

134. R. 2° Nego min. primi syllogismi. Ut enim solidè Augustinus, lib. 2 de diversis Quæstionibus à Simpliciano propositis, q. 4: *Si hoc movet quòd liceuerit maligno spiritui excitare animam justi, et tanquàm de abditis mortuorum receptaculis evocare, nonne magis mirandum est quòd Satanas ipsum Dominum assumpsit,*

(1) Aiunt Rabbini Pythonissam exclamâsse, quia Samuel non eo modo apparuit, quo evocati mortui apparere consueverant; sed erecto sursùm capite, ut in vivis esse solent homines; cùm alii apparerent gerendo pedes sursùm, vel supini, ut sunt in sepulcris. Ratio aptior clamoris hujus ea est, quòd priùs adfuerit Samuel, quàm mulier carmen suum necromantium absolvisset, aut etiam incœpisset. Quod autem dixit. *Video deos ascendentes de terrâ*, non ideò dicitur quod Moyses apparuerit cum Samuele, ut fabulantur Rabbini, sed phrasi Hebraicâ, quæ ad designandam rei dignitatem plurali numero utitur in vicem singularis. Sic Exodi 32 de vitulo aureo qui unus erat, dicitur: *Hi sunt dii tui.* Vox *Elohim*, quâ utrobique utitur Scriptura, passim Deum unum significat. Indicat ergo Pythonissa tantum esse illius qui apparebat splendorem, ut non mortalis quispiam, sed Deus esse videretur. Quod et Saül optimè intellexit, rogando in singulari: *Qualis est forma ejus?* Et mulier quoque, relicto jam numero plurali, respondet: *Vir senex ascendit, amictus pallio.* Ita Tirinus.

et constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi fortè quis dixerit, facilioremdiabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum unde voluit assumendum, et ubi voluit constituendum, quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum, etc.

135. Obj. 2° : Anima prophetica neque falsa prædicere potest, neque mentiri. Atqui spectrum Saüli apparens ex hâc utrâque parte peccavit : 1° Prædixit falsa in his verbis : *Cràs tu et filii tu mecum eritis*. Neque enim sequenti die evenit strages Israelitici exercitûs, et mors Saülis, cùm quæcumque à profectione Saülis in Endor, usque ad mortem ejus, narrantur, præsertim de Davide, quinque ad minus dierum intervallum postulent, ut solidè probat Leo Allatius, et ex ipso Nat. Alexander ; 2° Saül reprobus non erat futurus cum Samuele in loco quietis. Ergo mentiebatur quisquis dicebat : *Mecum eritis*. Nec enim Saül impius cum Samuele, vel innocens Jonathas cum dæmone futurus erat.

136. R. ad primum : Neg. min. : ad primam probationem, resp. 1°, adverbium *cràs* non semper diem proximè sequentem significare, sed sæpiùs rem imminentem, licèt aliquando post futuram, ut observant Hieronymus et Theodoretus ; quorum prior sic loquitur in cap. 6 Matthæi : *Cràs in Scripturis futurum tempus intelligitur, dicente Jacob : « Exaudiet me cràs « justitia mea. » Et ubi altare exstruitur à duabus tribubus Ruben et Gad....* Respondit *Phinees, idcircò se altare fecisse, ne cràs filiis suis colendi Deum possessio denegaretur. Et multa istiusmodi reperies in veteri Testamento.*

137. R. 2° Saülem cum suis die post Samuelis vaticinium proximo cecidisse. Quæ enim apparitionem inter et mortem Saülis de Davide narrantur, et longiorem quàm unius diei moram requirunt, dicta sunt per anticipationem. Ita et solidè Theodoretus, q. 63 in lib. 1 Regum.

138. Præterea, si prædictio Samuelis post mediam noctem facta supponatur, ut supponi facilè potest, cædes Saülis ad triginta, et eò plus, horas differri poterit, modò Hebræi dies civiles mediâ à nocte inciperent ; de quo alibi.

139. Ad secundam probationem, resp. cum Augustino, ibid. verba hæc, *Mecum eritis*, referenda esse *non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis*.

140. Obj. 3° : Ex sacro textu, *Saül*, agnito Samuele, *inclinavit se super faciem suam, et adoravit*. Atqui vera Samuelis anima nunquàm passa fuisset se adorari. Ergo.

141. R. : Neg. min. ; nec enim eo loco agitur de adoratione supremâ, quam latriam dicimus ; sed de supplici observantiâ, quæ viris dignitate et sanctimoniâ præeminentibus apud Hebræos solebat exhiberi. Sic 1 Reg. 25 : *Abigaïl procidit coram David super faciem suam, et adoravit*. Sic ibid. 24, David *pronus in terram adoravit Saülem*. Notiora sunt hæc, quàm ut iis immorandum sit.

Dissertatio secunda.

DE PRÆDICATIONE CHRISTI IN INFERIS.

142. Difficultati huic occasionem præbent verba hæc 1 Petri 3, 18 : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu : in quo et his qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in quâ pauci, id est, octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam*. Circa hunc textum, quem Beza et Gomarus, queis cæteroqui nihil in Scripturis obscurum est, difficillimum esse confitentur, quærunt interpretes quæ qualisque fuerit, et quibus facta hæc Christi prædicatio. Potissimas eorum conjectationes exponam breviter, eam quæ veri magis similis apparebit, selecturus.

143. 1° Itaque censet Calvinus in Psycopannychiâ, id est, animarum dormitione, spiritus de quibus loquitur S. Petrus fuisse sanctorum animas, non quidem existentes *in carcere*, ut habet vulgatus Interpres, sed *in speculâ*, id est, in cœlo, ubi Christi adventum et mortem exspectabant, his verò Christum prædicâsse, non personaliter, sed causaliter, eas è speculâ suâ liberando, et ad beatitudinem transferendo. Ratio ejus est, quòd vox φυλακὴ, non carcerem tantùm, sed et speculam significet.

144. Refellitur 1°, quia etsi Græca vox speculam quandoque, seu vigiliam noctis significat, non tamen in his Scripturæ locis, ubi nulli sunt hostes speculandi. Porrò sanctorum animæ, ubicumque ante Christum detentæ fuerint, nihil ab hostium incursu timendum habebant ; 2° quia, quidquid contradicat Calvinus, constat Christum reipsà descendisse ad inferos. Unde hìc Syrus vertit : *Prædicavit animabus illis quæ detinebantur in inferno*.

145. 2° Beza contendit Christum *in spiritu*, id est, vi divinitatis suæ, per ministerium Noe prædicâsse incredulis, qui ob incredulitatem suam tempore diluvii damnati, nunc sunt *in carcere*, seu in inferno.

146. Refellitur 1°, quia veteres omnes vertunt, qui *erant* in carcere, non autem qui *sunt*, ut modò in Syriaco vidimus ; 2° quia S. Petrus per *spiritum* Christi animam ejus intelligit ; hanc enim opponit carni seu corpori ejus ; 3° quia anima Christi sola venit, Græcè *profecta est*, in carcerem, non autem ejus divinitas, quia semper et ubique præsens fuit.

147. 3° Augustinus, epist. 164, aliàs 99, et ex eo Beda, Hugo, D. Thomas, 3 p., q. 52, art. 2, ad 3, per *carcerem* intelligunt corpus, quod est quasi carcer animæ ; per *spiritus* verò animas corpore inclusas tempore Noemi. His enim, inquiunt, prædicavit Christus per Noe, qui dùm arcam perficeret, eosdem ad pœnitentiam hortabatur.

148. Refelluntur 1°, quia expositio hæc, quæ per carcerem intelligit corpus, symbolica est, non litteralis et germana ; 2° quia non convenit scopo Apostoli. Ut enim benè à Maldutio observatum est, D. Petrus

eò loci totus est in commendandâ mortis Christi efficacià. Quòd autem Christus per Noe prædicaverit hominibus in impietate mortuis, nihil facit ad commendandam mortis ejus virtutem. Unde aliud profectò inquisiisset exemplum Apostolus, puta prædicationem Ninivitis factam, etc.; 3° quia nec ipsi Augustino placuit hæc ejus interpretatio; unde fatetur se locum hunc non intellexisse, et rogat ut quæratur ratio locum hunc de inferis explicandi.

149. 4° Censent quidam Christi animam post mortem reipsà descendisse ad inferos, ibique damnatis prædicavisse, eosque qui minùs mali fecerant convertisse. Ita ex Hermâ dicere videtur Clemens Alexandr., lib. 6 Stromat. Concinit Nicetas, Gregorii Nazianzen., interpres Platonicus, qui refert Platonem Christiano cuidam, à quo maledictis laceratus fuerat, apparuisse, et dixisse : *Ego quidem me peccatorem esse haudquaquàm inficias ivero. Verùm cùm Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit.*

150. Refelluntur, tum ex constanti Patrum doctrinâ adversùs hujusmodi fabulas, Augustini præcipuè, lib. de Hæresib., cap. 79, tum quia *in inferno nulla est redemptio*. Unde S. Gregorius Magnus : *Christus*, inquit, *descendens ad inferos, solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerunt.* Sit igitur cum agmine doctorum primi et infimi temporis

Conclusio. Christus ad inferos descendit, ibique faustum liberationis suæ nuntium iis prædicavit, *qui* non semper, sed *aliquando increduli fuerant in diebus* Noe; adeoque irruentibus undique aquis peccata sua detestati erant, eaque quoad culpam saltem aquæ diluvio eluerant.

151. Prob. quia sensus iste cæteris præferri debet, utpote admodùm litteralis, si nihil habeat absurdi, vel in se, vel in circumstantiis, et D. Petri scopo egregiè convenlat. Atqui 1° sensus ille nihil habet absurdi in se. Si enim absurdum non sit credere descensum Christi ad inferos, nec absurdum erit credere bonum redemptionis ipsius nuntium ab ipso illuc delatum fuisse; 2° nec habet quidquam absurdi in circumstantiis; harum enim præcipua est, quòd Christus iis spiritibus prædicaverit, qui aliquando increduli fuerant in diebus Noe. Atqui nihil hìc absurdi fingi potest, quia absurdum non est quòd multi ex iis diluvii jam è mari, è terrâ, è cœlo erumpentis testes, ad Deum per pœnitentiam recurrerint. Imò vix fieri potest ut res aliter contigerint, cùm in adversis, præsertim ineluctabilibus, homines ad Deum confugere soleant, secundùm id Psalm. 77, 34 : *Cùm occideret eos, quærebant eum.* 3° Et hic sensus scopo D. Petri apprimè convenit. Scopus enim ejus est ut commendet virtutem passionis Christi, *qui semel pro peccatis nostris mortuus est.* Atqui hanc efficaciter probat 1° ex resurrectione ipsius, quia *mortificatus carne, vivificatus est spiritu;* 2° ex efficacià ejusdem mortis, quæ ad eos etiam se extendit, qui, Noe tot annos pœnitentiam prædicante, increduli fuerant, et tandem in extremis resipuerunt.

152. Obj. : Saltem nulla est ratio cur Christus iis solùm prædicâsse dicatur, qui increduli fuerant tempore Noe, cùm præter istos tot alii forent in eodem casu. Ita Augustinus.

153. R. 1° inquiri posse ab Augustino pari de causâ, cur potiùs dicatur Christum in diebus Noemi prædicâsse, quàm in diebus Abraham, vel cæterorum patriarcharum, vel etiam aliorum hominum.

154. R. 2° prædicâsse equidem Christum in inferno bonis quotquot ibidem erant spiritibus; at expressos nominatim illos fuisse, qui in diebus Noe fuerant increduli; 1° quia majus erat dubium an ii, vel ex iis aliqui, quos tamdiù *exspectabat patientia Dei* (sic enim habet Græca lectio multò clariùs) salutem fuissent consecuti; 2° quia eò plus divina misericordia commendabatur, quòd æternæ morti ob brevem immersionis pœnitentiam subduxisset homines omnium scelestissimos : *Omnis, quippe caro*, diluvii tempore, *corruperat viam suam;* 3° quia à diluvio facilis erat descensus ad baptismum, de quo v. seq. loquitur Petrus, his verbis : *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma;* quorum sensus partim expressè, partim tacitè indicatus, is est, baptismum similem esse, tum arcæ, in quâ Noe cum suis salvus factus est; tum aquis diluvii, quibus sic corpora immersa sunt, ut animæ per pœnitentiam salvæ factæ sint. Vide Maldutium, Dissert. in hunc locum.

Articulus V.

De diuturnitate pœnarum Purgatorii.

155. Sensit Origenes, hom. 14 in Luc., Purgatorii pœnas *et post resurrectionem* duraturas esse. Sed erroneè : *Nullus*, ait Augustinus, lib. de Civ. Dei, cap. 16, *purgatorias pœnas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque judicium.* Sanè verò Dominus, Matth. 25, duos tantùm hominum ordines admittit, beatorum unum, alterum damnatorum. Et verò licèt corpus, ut bonorum malorumve animæ operum particeps, meritò in inferis puniatur, et in cœlis exsultet, non est tamen cur purgetur, quia purgatio à peccatis in animam solam propriè cadit.

156. Lutherus contra Purgatorii tempus nimis contraxit, cùm omnes peccati reliquias in iis qui fideles moriuntur, mortis doloribus purgari commentus est. Etsi enim mors pro Christo perpessa, seu martyrium, omnes procul dubio reliquias peccati abstergit; unde, juxta August., *injuria est orare pro martyre;* non tamen id præstat mors quæcumque, 1° quia mors quandoque omni caret doloris sensu, ut in iis qui repentino casu opprimuntur; 2° quia si mors peccati reliquias mundare deberet, leniorem experirentur viri optimi, duriorem et durissimam minùs boni, quod experientiæ communi adversatur; 3° quia non desunt equidem, qui mortem æquo animo propter peccata sua tolerant; nec dubium quin iis ad satisfaciendum prosit patientia. Sed an prosit satis ut omne eorum debitum expungat, ne mini certò compertum est.

157. Dom. Soto, in 4, dist. 16, q. 3, existimavit neminem manere in Purgatorio ad decem annos. Erat hæc ejus ratio, quòd in præsenti vitâ per breves aliquot mensium pœnas ab omni pœnâ liberari possumus. Ergo et idem multò citiùs in alterâ vitâ perfici debet, cùm in eâ pœnæ præsentibus in infinitum graviores subeantur.

158. Sed malè, 1° quia ab hujus vitæ pœnis ad pœnas vitæ alterius concludi non potest, quia currit hìc misericordiæ tempus, illìc tempus justitiæ; 2° quia potest quidem Deus extensionem intenso pœnarum gradu compensare, at non vult. Alioqui doloris gradum adaugendo, Purgatorium ad unam horam redigeret; 3° quia repugnat huic opinioni consuetudo Ecclesiæ, quæ anniversaria sacra pro fidelibus ante plura secula defunctis celebrat. Hinc proscripta ab Alexandro VII hæc thesis, num. 43 : *Annuum legatum pro animâ relictum non durat plus quàm per decem annos.* Et meritò, cùm debitum certum ex justitiâ semper urgeat, donec certa sit ejus exstinctio, quod in casu nostro, citra revelationem, locum habere non potest.

159. Ergo, ut cùm Bellarmino loquar (lib. 2 de Purgat., cap. 10), quando liberentur animæ, *res est incertissima, et nonnisi temerè definiri potest.*

160. Senserunt tamen SS. Patres vereri esse ne illìc diù torqueantur animæ. Sic Cyprianus, epist. 59, ad Antonianum, ut fideles ad martyrium hortetur : *Aliud est*, inquit, *ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem. Aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem ; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, et purgari diù igne.*

161. Sic Augustinus non satis habens pro matre suâ ante viginti annos mortuâ precari, eam futuris suis lectoribus commendat, lib. 9 Conf., c. 13, n. 37, his verbis : *Inspira, Domine meus, Deus meus, inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus et voce, et corde, et litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam ejus conjuge.... Ut quod illa à me poposcit extremum, uberiùs ei præstetur in multorum orationibus.*

162. Idem S. doctor, l. 6 operis Imperf., contra Julianum, n. 12, 22 et 30, docere videtur, Adamum tunc duntaxat, adeòque *post annorum aliquot millia*, à pœnis liberatum esse, *quando Christus pro nobis mortuus, ad loca mortuorum, non necessitate, sed potestate, descendit, et dolores solvit inferni.*

163. Sic demùm S. Cæsarius Arelatensis, serm. 104, n. 4 (in Append. August., tom. 5, p. 186): *Cùm de die judicii scriptum sit, quòd erit dies unus tanquàm mille anni, et mille anni tanquàm dies unus, unde scit unusquisque utrùm diebus, an mensibus, an fortè etiam et annis per illum ignem sit transiturus?*

164. Idem astruunt visiones multæ à Bedâ, Dionysio Carthus. et aliis relatæ, ex quibus constat animas nonnullas in purgantibus flammis usque ad judicii diem permansuras esse. Verùm hæc pro more nostro omittimus, non quia nobis sint fabularum loco, sed quia quâ vivimus ætate, *visionarius* audit, qui visiones referre audet.

Articulus VI.

De qualitate pœnarum Purgatorii.

165. Pœna duplex, alia *damni*, quæ in carentiâ divinæ visionis posita est; *sensûs* altera, quæ aliunde quàm ex carentiâ visionis beatificæ nascitur.

166. Constat animas purgantes pœnæ damni obnoxias esse. Nec enim citra mœrorem videre possunt, se propter culpam suam, summi, quod ardenter sitiunt, boni fruitione privari. Tota itaque lis est de pœnâ sensûs; potissimùm verò an hæc in igne corporeo posita sit, numque is in animas agat ope ac ministerio dæmonum. Quâ de re sit

Conclusio prima. — Probabilius est ignem Purgatorii esse corporeum.

167. Prob. 1°, quia hæc est longè communior Patrum doctrina. Origenes, homil. 13 in Jerem., de eo disserens qui non planè à culpis suis purgatus moritur : *Iste*, inquit, *peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, fœni et stipulæ, ignis consumat.*

168. Cyprianus, ubi supra : *Aliud est purgari diù igne, aliud peccata omnia purgâsse.*

169. S. Hieronymus, in Psalm. 36, n. 26 (tom. 1, pag. 790) : *Væ mihi*, inquit, *si opus meum arserit.... Salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem; et si non exurimur, tamen vremur.*

170. S. Augustinus, enarrat. in Psalm. 37, n. 3 : *Quia dicitur : Salvus erit, contemnitur ille ignis... Gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo potest pati in hâc vitâ.*

171. S. Gregorius, lib. 4 Dialog., cap. 39 (tom. 2, pag. 441) : *De quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est.*

172. Jam verò ignis vitæ alterius, juxta eumdem sanctum Gregorium, indubiè corporeus est, prout ibidem probat, cap. 29, p. 417, ubi : *Si diabolus ejusque angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ et antequàm recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* Jure ergo S. Thomas, in 4, dist. 21, q. 1, art. 1 : *Idem ignis est qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in Purgatorio purgat.* Ex iis sic in formâ : Verba Scripturæ et Traditionis litteraliter sunt accipienda, cùm ex his nihil sequitur absurdi, juxta regulam Augustini ubique receptam. Atqui Scriptura et Traditio purgatorium ignem constanter exhibent, ut patet ex iis quæ hactenùs dicta sunt. Jam verò quòd ignis ille litterali sensu accipiatur, nihil habet absurdi. Etsi enim explicari non potest quo pacto corporeus ignis incorporeas animas afficiat; fieri tamen potest ut eas reapsè afficiat; sicut licèt explicari non possit quo pacto mens corpori suo uniatur, eique vitam det, simul et cum ipso patiatur et gaudeat, fieri potest, et de facto fit, ut hæc extra dubium omne posita sint.

173. Prob. 2°, ex communiori nunc et olim theo-

logorum consensu, qui, ut ait hìc Bellarminus, cap. 11, non potest nisi temerè contemni. Docet equidem Dupinus, dissert. 10 in Apocalyps., pag. 68 et seq., quæstionem hanc ab Augustino (lib. de octo Dulcitii Quæstionibus, q. 1, n. 12, et lib. 21, de Civ. Dei, cap. 9, n. 2) tam quoad purgantes animas, quàm quoad damnatos ipsos, libero cujusque arbitrio permissam fuisse. Verùm eâ de causâ non malè vapulavit à citato jam Thomâ Mangeart, tom. 2, p. 249 et seq. Utique postquàm S. doctor multa disputavit de igne vitæ alterius, sic demùm cit. cap. 9 concludit: *Eligat unum de duobus quisque quod placet, utrùm et* conscientiæ *vermem ad corpus propriè, an ad animum, translato à corporalibus ad incorporalia vocabulo, existimet pertinere....* DUM TAMEN *nullo modo illa corpora talia futura esse credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus.*

174. Hinc citatus mox scriptor nostram hanc thesim ita negat de fide esse, ut eam fidei proximam esse contendat, ibid. pag. 241. Mitiori stylo Bellarminus eam tantùm *probabilissimam* nuncupat; nec ultra progredi audet, *quia Græci in concilio Florent., sess. ult., etsi fateantur se semper credidisse Purgatorium et orationem pro defunctis, tamen dicunt se dubitare utrùm igne corporeo crucientur, an tenebris duntaxat, vel alio aliquo modo, quam eorum sententiam concilium tolerat.* Verba sunt Lessii, 11, 18, pag. 827.

CONCLUSIO II. — Incertum est an in Purgatorio torqueantur animæ à dæmonibus.

175. Prob., quia eas torqueri negant graves theologi cum S. Thomâ, in 4, dist. 20, art. 5, tum quia non decet justitiam divinam, ut quæ in ultimo conflictu diabolum vicerunt, ab ipso, id est, ab hoste victo crucientur; tum quia diabolus justos homines ideò vexat, ut eos in peccatum aliquod trahat præcipites. Atqui id non sperat de sanctis Purgatorii spiritibus, quos in gratiâ confirmatos esse novit.

176. Aliunde tamen non desunt qui easdem animas a dæmonibus interdùm torqueri sentiant. Ita inter alios S. Bernardus, serm. 42 de Diversis, ubi hæc: *Vadam in istam regionem, et videbo visionem hanc grandem, quomodò pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem*, etc. Favent Liturgiæ, in quibus oratur Deus ut animas illas eruat de ore Leonis. Consonant apparitiones variæ, tum apud Bedam, lib. 3 Hist. Angl., cap. 19, tum in vitâ S. Bernardi, lib. 1, c. 10. Neque hìc desunt congruentiæ, quia satis æquum est ut quæ ex parte à diabolo victæ sunt, illecebris ejus consentientes, ab eo vincantur ex parte, et sævitiam ipsius experiantur. Verùm hæc neutrinde plurimùm urgent. *Maneat igitur et hoc inter secreta, quæ nobis suo tempore aperientur.* Bellarminus, ibid., cap. 13.

ARTICULUS VII.

De gravitate pœnarum Purgatorii.

177. Duo docet circa præsens punctum S. Thomas, in 4, dist. 30, q. 1, art. 2, 1° pœnam damni esse maximam pœnarum, quæ vel in Purgatorio, vel in hâc vitâ reperiri possint; 2° minimam Purgatorii pœnam maximâ hujus vitæ pœnâ graviorem esse, ut quæ ad minus importet pœnam damni, quæ est omnium maxima.

178. Aliter sentit D. Bonaventura, in 4, dist. 20, art. 1, et docet 1° pœnam damni in Purgatorio non esse majorem omni pœnâ, seu Purgatorii, seu vitæ hujus; 2° maximam Purgatorii pœnam esse graviorem maximâ hujus vitæ pœnâ, sed aliquam Purgatorii pœnam minorem esse aliquâ hujus vitæ pœnâ. De his sit

CONCLUSIO PRIMA. Pœna damni non est in Purgatorio omnium maxima quantùm ad acerbitatem.

179. Prob. 1°: Si pœna damni omnium foret gravissima etiam in Purgatorio, dicendum esset Patres in Limbo, ubi visione beatificâ carebant, pœnam omnium gravissimam sustinuisse. Atqui hoc adeò falsum est, ut Luc. 16 Abraham de Lazaro dicat ad divitem: *Nunc autem hic consolatur; tu verò cruciaris.* Unde Augustinus, epist. 164, aliàs 99, negat id Act. 2: *Solutis doloribus inferni*, de SS. Patribus intelligendum. Gregorius verò, lib. 13 Moral., cap. 22, dicit Patres in inferno non tormenta ulla, sed requiem habuisse.

180. Prob. 2°: Ideò pœna damni summa est in inferno (quod tamen negat Lessius, num. 20, et satis malè probat exemplo impiorum, qui parùm curent divino intuitu privari, si eis concessum esset seculi hujus deliciis frui in perpetuum) quia pœnæ huic annexa est desperatio certissima cujuscumque solatii expers. Atqui contra in Purgatorio spes affulget certissima liberationis; eaque multiplici conjuncta solatio, ei præcipuè quod ex purâ divinam voluntatem adimplendi voluptate nascitur. Hinc Patres, qui pœnas Purgatorii omnium maximas esse docent, pœnam ignis commemorant, non damni, nisi prout hæc desperationi juncta in inferno.

181. Dixi pœnam hanc non esse omnium maximam *quoad acerbitatem*, quia omnium est maxima appretiativè. Siquidem sanctæ illæ animæ, quæ omnia suis momentis æstimant, visionis Dei carentiam plus dolent quàm quodvis aliud malum, cum quo bonum hoc posset consistere. Ergo mallent quodvis pati et frui hoc bono, quàm boni hujus carentiam pati. Ergo maximè dolent de hoc malo appretiativè. Et id, ait ibid. Lessius, in hâc etiam vitâ videmus in viris sanctis, quia eò inclinat charitas perfecta.

CONCLUSIO II. Gravissima Purgatorii pœna indubiè gravior est gravissimâ quâcumque hujus vitæ pœnâ. Dantur tamen in Purgatorio pœnæ gravissimis hujus vitæ pœnis leviores.

182. Prob. 1ª pars, 1° ex citato jam Augustini textu in Psalm. 37: *Gravior erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hâc vitâ.*

183. 2° Ex S. Cæsario Arelatensi, serm. 104, n. 4, ubi hæc scribit: *Sed, dicet aliquis, non pertinet ad me quamdiù moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc seculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri.*

Et cùm de die judicii scriptum sit, quòd erit dies unus unde scit unusquisque utrùm diebus, an mensibus, an tanquàm mille anni, et mille anni tanquàm dies unus, fortè etiam et annis per ignem illum sit transiturus? Et qui modò nec unum digitum suum in ignem vult mittere, timeat necesse est, vel tunc parvo tempore cum animâ et toto corpore cruciari.

184. 3° Ex S. Bernardo, serm. 6 in Purificat. B. Mariæ, n. 5, ubi de purgatoriis flammis hæc seriò ponderanda loquitur : *Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus : Sed væ nobis, si dies implentur, et purgatio minimè impletur; ut postea necesse sit illo nos igne expurgari* QUO NIL POENALIUS, NIL ACRIUS AUT VEHEMENTIUS IN HAC VITA EXCOGITARI POTEST. Quod et rursùs docet id Augustini, lib. de Civ. Dei, cap. 10 : *Cruciantur miris, sed tamen veris modis.*

185. Prob. 2ª pars, quia Patres, qui Purgatorii cruciatûs idæam nusquàm imminuêre, semper statuerunt eumdem delictorum mensuræ seu gravitati similem esse. Unde juxta ipsos, præsertim verò Cæsarium, serm. 252, *quantùm stultè iniquitas gesserit, tantùm sapiens pœna desæviet. Quantùm exegerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis disciplina.* Unde purgans ille ignis ab eodem Cæsario vocatur *ignis arbiter*. Jam verò quædam sunt delicta ex omni parte tam levia, qualis est otiosa quædam vocula, ut vix concipi possit quempiam ob ea gravioribus plecti suppliciis, quàm quæ Neronum, Domitianorum, Japonicorum principum furor et rabies adversùm Christianos invenerint. Ergo.

186. Confirm. quia licèt inter theologos dubium sit 1° an animæ ad unam omnes pœnâ ignis torqueantur; 2° an earum pœna ab initio ad finem semper sit æquè gravis, an non in dies, ex viventium suffragiis, aut mensurâ tormentorum, defervescat et imminuatur; multò tamen probabilius est, nec omnes torqueri flammâ, nec flammam hanc quas torquet, semper in eodem gradu torquere. Atqui positâ hâc opinione, quæ admodùm congruit judicio illius qui nequidem in irâ suâ continet miserationes suas, perspicuum est non quamlibet Purgatorii pœnam esse majorem maximâ hujus vitæ pœnâ. Pœna enim quæ ad finem vergit, debet adeò esse remissa, ut ampliùs remitti non possit. Hìc autem occurrunt pœnæ intensissimæ, quæ possent plurimùm remitti. Ita Bellarm., cap. 14, Lessius, n. 22 (à quibus tamen circa hanc pœnæ imminutionem dissentit Suarez, disp. 46, sect. 4, n. 8).

187. Idem, ut assolent, confirmant ex visione duplici; alterâ quidem Malachiæ, qui teste D. Bernardo, cùm pro defunctâ sorore oraret, eamdem conspexit 1° in veste nigrâ et extra ecclesiam; 2° in veste subfuscâ et intra limen ecclesiæ; 3° in veste candidâ et juxta altare cum sanctis cæteris : alterâ verò Orithalmi, qui apud Bedam, lib. 5, cap. 13, in amœnissimo loco multa animarum albatarum millia, Dei laudes concinentium prospexit, ita ut locum hunc pro paradiso haberet : quæ tamen necdum penitùs expiatæ erant. Unde et iste locus ad Purgatorium pertinebat, sive sub terrâ, sive super terram fuerit. Supra enim ex D. Thomâ monuimus, animas licèt de viâ communi sub terrâ expientur, alibi purgari posse. Nec dubium quin initio ablutæ in infernis, pœnitentiam in locis superioribus perficere valeant.

CAPUT IV.

De officio militantis Ecclesiæ erga Ecclesiam patientem.

CONCLUSIO. Viventes patientem Ecclesiam multis titulis adjuvare tenentur.

1. Prob. 1° Enim ad præstandam hanc defunctis opem tenentur titulo humanitatis. Siquidem *omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi*, Eccli. 13, 19. Hinc ne ipsi quidem cœlites obliviscuntur nostrî, sed licèt de sorte suâ securi, de nostrâ sunt solliciti; et precibus suis agunt, ut quem attigêre felicitatis portum, eò nos quoque appellamus. Jam verò qui in Purgatorio patiuntur, ejusdem nobiscum naturæ sunt, eodem patre Deo sati, eodem per ipsum limo compacti. *Numquid* enim, ait Malachias, cap. 2, v. 10, *non Pater unus omnium nostrûm? Numquid non Deus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrûm proximum suum?* præsertim verò positum in angustiis, in quibus juvari facillimè possit. Ergo ait S. Bernardus, serm. de Diversis, 42, *restat ut ad eos transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem.* Ergo rursùm *illis compassionem debemus et orationem propter similis naturæ consortium, ut pius Pater auferat scordam eorum, et in beneficia flagella commutet, et sic tandem reconsignet ad beata gaudia civitatis.* Et verò quis, modò necdùm omnem exuerit humanitatis sensum, manum porrigere recuset ei quem lacrymabili voce audierit perpetuò ejulantem : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dùm dicitur mihi quotidiè : Ubi est Deus tuus*, Psalm. 41, 2. Providè igitur et piè Apostolus Heb. 13 : *Mementote vinctorum tanquàm simul vincti.*

2. 2° Ad id tenentur ut plurimùm ratione cognationis. Nimirùm etsi humanitas exigit ut homo hominem sublevet, *diligentiùs tamen* et æquiùs *facit hæc quisque pro necessariis suis, quò pro illo fiant similiter à suis*, inquit Augustinus, lib. de Curâ pro mortuis, cap. 18, n. 22. Atqui ex iis qui languent in Purgatorio, plures indubiè sunt, qui ad viventes sanguine vel affinitate pertineant : avi scilicet, patres, filii, conjuges, aliique id genus. Quin et rarò contingit ut non torqueantur causâ nostrî : pater quia prolem leniùs emendaverit, enixiùs locupletare studuerit; mater, quia filiæ elegantiam laudaverit, modestiam justâ paulò minorem indulserit; filius quia obtemperaverit, cùm obediendum non esset; parentes, à quibus malè vexabatur, non sat reveritus fuerit; uxor, quia plus mariti fortunæ quàm saluti consuluerit; frater quia fratri fuerit peccandi occasio; et sic de cæteris. Quo igitur ingrati animi sensu contingit, ut, quos tradidimus flammis, hos inde eripere neutiquàm conemur; atque dùm eorum laboribus vescimur, nullam ipsis horum partem applicemus : imitati fratres illos nequam, qui, ut Jo-

quitur Amos 6, v. 6 : *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph*, quem miserant in lacum? Utique nostram hanc duritiem arguunt vel ipsi ethnici qui, ut loquitur Tertullianus, lib. de Coronâ militis : *Defunctis parentabant impensissimo honore.*

3. 3° Et ad id tenentur ratione amicitiæ et necessitudinis. Ut enim in purgantibus flammis languent, idque nostrâ causâ, nonnulli ex consanguineis et affinibus nostris; sic et eâdem de causâ in iis languent quandoque non pauci ex iis amicis, de quibus, ut olim, utrinque dicebatur : *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam*, 1 Reg. 18, v. 1. Jam verò ut habetur Eccl. 37, 6, postulant amicitiæ leges, ut *non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis;* præsertim cùm is opum indiget, secundùm id, ibid. 22, 28 : *Fidem posside cum amico in paupertate illius;* et *in tempore tribulationis permane illi fidelis.* Ergo si dicere lubet cum Ambrosio in oratione de obitu Theodosii Magni, n. 36 : *Conteror corde, quia ereptus est vir quem vix possumus invenire;* lubeat cum eodem addidisse : *Dilexi* viventem, et *ideò prosequor usque ad regionem vivorum; nec deseram, donec fletu et precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem sanctum, ubi perennis vita.* Et quem misereat amici, nisi amicum his aut similibus verbis suppliciter invocatum : *Miseremini meî, miseremini meî, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.*

4. 4° Ad id etiam obligantur titulo religionis. Docet enim fides ex animabus purgandis, ex sanctis in cœlo regnantibus, et justis qui hodièque in vivis supersunt, unam coalescere Ecclesiam et societatem. *Inter martyres*, ait Chrysostomus, Homil. 41 in cap. 15, Epist. 1 ad Corinth. : *Inter confessores, inter sacerdotes, mortuos recensemus; unum enim corpus omnes sumus, sint membra, licèt, alia aliis illustriora.* Unde Augustinus, lib. 20, de Civ. Dei, cap. 9, n. 2 : *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesiâ, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria.* Et verò animæ illæ Deum habent patrem, Christum caput, Ecclesiam matrem, fidem regulam, cœlum spem, charitatem vestimentum. Atqui non modò sanctum et salubre, sed et æquum est ut ejusdem societatis membra mutuam sibi opem præstent. Ergo cùm *neque negandum* sit *defunctorum animas pietate viventium relevari*, ut loquitur Augustinus, Enchir., cap. 110, n. 29, præstandum nobis id erga defunctos, quod vivis negare non ausimus, sicque omnis quoad omnes implenda justitia, secundùm id Eccli. 7, 37 : *Gratia dati in conspectu omnis viventis, et mortuo non prohibeas gratiam.*

5. Atque id ab incunabulis servatum in Ecclesiâ, ut his verbis docet Tertullianus, lib. de Animâ, n. 51 : *Oblationes pro defunctis annuâ die facimus... Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Hinc Apostolus Onesiphoro jam, secundùm multos, defuncto misericordiam precabatur *in die illâ*, 2 Timoth. 1, v. 18. Hinc Græci episcopi mortuorum corpora deducendo ad sepulcrum, rogabant ut Deus eos *collocaret in regione piorum quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci, et Jacobi, cum omnibus qui à seculo placuerunt Deo*, Constit. Apost., lib. 8, cap. 40. Hinc tot Augustini pro Monicâ genitrice suâ, tot Ambrosii pro Theodosio et Satyro orationes, etc.

6. 5° Demùm ad id tenentur ex justitiâ erga semetipsos; 1° quia orando pro defunctis justitiam divinam placabunt pro se ipsis. Non enim sic aliis prosunt satisfactiones nostræ, nihil ut ex iis capiamus emolumenti. Prodest utique fratri suo, qui potum dat ei calicem aquæ frigidæ, et tamen *non perdet mercedem suam*, Matth. 10, 42. Hinc angelus ad Tobiam, c. 12, v. eod. : *Quando orabas cum lacrymis et sepeliebas mortuos... ego obtuli orationem tuam Domino... Et nunc misit me Dominus ut curarem te.* 2° Quia gratiam præstando fratribus suis, parem sibi gratiam obtinebunt, secundùm illud Augustini supra : *Facit hæc quisque pro necessariis suis, quò pro illo fiant similiter à suis.* Nimirùm *in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*, ait Veritas, Marc. 4, 24. Ergo faciet *Dominus vobiscum misericordiam, sicut fecistis cum mortuis*, Ruth. 1, 8. Et verò quis capiat animas precibus nostris ad gloriam tandem evectas, eorum esse immemores, quibus bonum hoc acceptum debent? Fiet sanè aliquando ut, si ad interitum vergatis, exclament unanimes, sicut olim populus Israel : *Ergone morietur Jonathas, qui fecit salutem hanc magnam in Israel;* quique si defuisset nobis, hodièque in igne et per ignem torqueremur? *Surgam ergo in adjutorium illis; interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam; ut si fortè videat Dominus et judicet, laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam.* S. Bernardus, serm. 42, de Divers.

CAPUT V.

De modo adjuvandi animas defunctorum.

1. Ex dictis, præsertim cap. 2, liquet pœnam superstiti piarum animarum reatui debitam per propriam earum passionem solvi posse. Nunc videndum an et quomodò solvi possit per viventium actionem vel passionem iisdem communicatam; quæ quidem communicatio, ut notat Suarez, tomo 4, in 3 p., D. Thomæ, disp. 48, *suffragium* appellari solet. Suffragium enim ex D. Thomâ et aliis in 4, dist. 45, est auxilium quoddam quod unus fidelis præbet alteri, ad obtinendum ipsi temporalis pœnæ remissionem, vel aliquid hujusmodi.

2. Tria porrò sunt suffragiorum genera, videlicet, sacrificium missæ, oratio et opera quælibet pœnalia et satisfactoria, ut eleemosyna, jejunium, piæ peregrinationes et similia. Ubi oratio, tametsi et ipsa sit satisfactoria, à cæteris operibus satisfactoriis distinguitur, quia oratio duobus modis juvat defunctorum animas; 1° nempe ut opus quoddam pœnale et hoc sensu poterat revocari ad opus satisfactorium; 2° ut est impetratoria, quod proprium est orationis : quo etiam pacto orationes beatorum nobis et animabus Purgatorii prosunt, licèt satisfactoriæ non sint.

3. Perperàm autem redargueretur tripartita hæc divisio, eò quia nulla in eâ fiat mentio Indulgentiarum, quas tamen defunctis prodesse suo loco dicemus. Siquidem indulgentiæ revocantur ad tertium prædictæ divisionis membrum; quia nihil aliud sunt quàm applicatio defunctis facta operum pœnalium Christi et sanctorum. Et idcircò dicuntur concedi defunctis, non per absolutionis modum, sed per modum suffragii. Non enim potest Pontifex defunctos absolvere à pœnis, quomodò absolvit viventes; cùm in viventes jurisdictionem habeat, non in defunctorum animas, quæ jam Dei solius foro subjacent; at ut summus dispensator thesauri Ecclesiæ, potest bona opera pœnalia, quæ in eo sunt, iisdem communicare. Ità expressè Bellarminus eod. lib. 2, cap. 16, de quo tract. seq. Hæc autem ut elucescant, et quantùm ad præsens necesse est, probentur, expendam 1° an suffragia Ecclesiæ prosint defunctis, quibus, et quomodò; 2° quæ ad suffragium defunctis profuturum requirantur conditiones.

Articulus primus.

An et quibus defunctis prosint Ecclesiæ suffragia, etc.

Vivorum suffragia ullis defunctis prodesse negant quicumque Purgatorii veritatem inficiantur. Sit

Conclusio. Suffragia vivorum prosunt defunctis ad remissionem pœnæ; non tamen eodem modo prosunt, neque prosunt omnibus.

4. Prob. prima pars. Si vivorum suffragia non prodessent defunctis, nec sancta et salubris esset cogitatio pro iis orare; nec pro eis utiliter offerrentur sacrificium missæ, et alia quæcumque satisfactoria pietatis opera. Atqui primum repugnat Scripturæ; secundum verò constanti Ecclesiæ praxi, uti vidimus, cap. 2. Ergo.

5. Prob. 2° : Ecclesia universa corpus unum constituit, cujus caput est Christus. Atqui tam caput quàm membra unius ejusdemque corporis sese invicem juvare possunt et debent; secundùm id 1 Corinth. 12, 25 : *Pro invicem sollicita* sunt *membra; et si quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra.* Ergo si defuncti ad corpus istud pertineant, debent et possunt, ut afflicta membra, quæ sibimetipsis opem ferre non valent, juvari à viventibus. Jam verò et ipsi defuncti membra sunt corporis hujus. *Neque enim*, ait Augustinus, lib. 20 de Civ. Dei, cap. 9, *piorum animæ defunctorum ab Ecclesiâ separantur, quæ etiam nunc est regnum Dei : alioqui nec ad altare fieret eorum memoria.* Et infra : *Cur enim ista fiunt, nisi quia fideles, etiam defuncti, ejus membra sunt?*

6. Confirm. quia Christus Ecclesiæ caput, vivens profuit viventibus, ut cùm peccata dimisit Magdalenæ; mortuus mortuis, cùm ad inferos descendens eorum dolores solvit; vivens mortuis, cùm Lazarum et alios suscitavit; mortuus vivis, cùm morte suâ vitam æternam nobis promeruit. Ergo æquum fuit ut ad capitis nostri formam eadem in membris omnibus constitueretur ratio sese invicem adjuvandi. Hanc autem de facto constitutam esse liquet.

7. Quod enim viventes à viventibus juventur, patet vel ex hoc uno Jacobi textu, cap. 5 : *Orate pro invicem, ut salvemini.*

8. Quòd verò mortui prosint mortuis, constat ex 4 Reg. 13, ubi Elisæus mortuus mortuum alium suscitavit, et Luc. 16, ubi Abraham mortuus Lazarum mortuum in sinu suo suscipit et consolatur. Nec ulli dubium esse potest, temerè ac perperàm reclamante Dom. Soto, in 4, dist. 45, q. 3, art. 2, quin sanctorum animæ cum Christo regnantes orent pro sanctorum animabus in Purgatorio cruciatis; cùm et id disertim tradat Augustinus libro de Curâ pro mortuis; et Ecclesia tota in oratione : *Deus, veniæ largitor*, enixè Dominum precetur, ut *intercedente B. Mariâ cum omnibus sanctis* defunctorum animas *ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire* concedat.

9. Quòd autem mortui prosint viventibus, evincitur ex 2 Machab. 15, ubi Onias et Jeremias jamdudùm defuncti exhibentur pro Judæis viventibus orantes. Nec sanæ mentis fuerit qui collata viventibus sanctorum ope beneficia in dubium vocaverit. Veri etiam simillimum est patientes animas pro nobis orare; tum quia Paschasii et Severini animæ, licèt adhuc Purgatorio detentæ, miracula operabantur, ut patet ex S. Gregorio lib. 4, Dialog., cap. 40 (tomo 2, pag. 444), et Petro Damian., in epist. de Miraculis sui temporis; tum quia nihil est causæ cur non orent pro nobis, uti ostendimus alibi.

Ergo pari jure et formâ superest ut viventes defunctis prodesse valeant.

10. Prob. secunda pars, nempe quòd suffragia non eodem modo, seu eâdem vi prosint omnibus. Scilicet enim suffragia pro defunctis, ut et pro vivis, potissimùm consistunt in sacrificio missæ, in orationibus et in eleemosynis; prout solidè probat Augustinus serm. 172, de Verbis Apost., n. 2, ubi sic : *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia.* Jam verò triplex illud suffragii genus non eodem modo operatur in defunctis. Siquidem sacrificium missæ in iis agit ex opere operato prout diximus alibi passim. Atqui is operandi modus nec orationibus convenit, nec eleemosynis. Cùm nullâ possit ratione probari utramque sic institutam fuisse à Deo, ut cum tali virtute operaretur. An autem operatio hæc conveniat sacramentalibus, et an competat indulgentiis expensum est alibi.

11. Prob. tertia pars, quia suffragia nec beatis prosunt ad dimissionem pœnæ, cùm in eo loco degant ubi *abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, Apocal. 7, 17, nec damnatis, cùm citra spem solatii quantulamcumque crucientur *die ac nocte in secula seculorum*, ibid. 20, 10. Sed et de his fusè dictum est ubi et expositum est quo sensu sacrificium in honorem sanctorum offeratur.

12. Obj. contra primam partem : Ut viventium

suffragia defunctis prosint ad remissionem pœnæ, non sufficit ut viventes impetrent defunctis pœnæ suæ remissionem, eamve de congruo mereantur, sed necessum est ut pœnam hanc eorum loco exsolvant, pro ipsis satisfaciendo. Atqui non possunt viventes pœnas defunctorum per suam satisfactionem exsolvere. Siquidem debitum pœnæ est debitum personale. Atqui debitum personale non potest per alium quàm debitorem exsolvi. Minor constat, cùm eo debitum personale distinguatur à reali, quòd istud expungitur per rei debitæ traditionem à quocumque factam : illud verò per propriam debitoris actionem vel passionem expungi debet. Prob. itaque major, 1° quia per peccatum fit homo dignus pœnâ in se, non in alio. Ergo contrahit debitum à se ipso, non ab alio persolvendum. 2° Quia debitum pœnæ non potest per opus alienum contrahi, sed duntaxat per proprium. Ergo à contrario debiti ejusdem solutio non potest fieri per opus alienum, sed tantummodò per proprium. 3° Quia debitum satisfaciendi pro culpâ, quantùm fieri potest, id est, sese disponendi ad obtinendam culpæ remissionem, ita personale est ut per alium solvi nequeat. Ergo à pari debitum pœnæ adeò personale est, etc. 4° Quia meritum gratiæ et gloriæ ita personale est, ut nemo possit alteri meritum suum præstare, quò ei valeat ab obtinendam gloriam, et sit quasi merces ejus. Ergo eâdem ratione non potest unus pro alio pœnæ temporalis reatum solvere. 5° Quia pœna peccatis debita est medicinalis, et ad majorem hominis munditiam spectat. Atqui nemo per medicinam alteri applicatam curatur; aut purior fit per bona illius opera. 6° Quia Scriptura de hujusmodi pœnis loquitur ut ab unoquoque reo persolvendis : siquidem *unusquisque onus suum portabit*, Galat. 6 : *Unusquisque referat propria corporis, prout gessit*, 2 Corint. 5, etc. 7° Quia defuncti ne ab ipsis quidem sanctis juvari possunt, ut patet ex historiâ divitis epulonis, Lucæ 16.

13. R. Nonnullos, quorum nomen prætermittit Suarez, cit. disp. 48, sect. 2, existimâsse quidem *non posse unum fidelem alteri suffragium ferre pro illo satisfaciendo ; sed solùm impetrando ac merendo de congruo, ut Deus remittat talem pœnam, sive immediatè, gratis illam condonando propter orationem alterius, sive dando aliquod auxilium propter easdem orationes ; quo alter benè operetur ad hujusmodi remissionem obtinendam.* Verùm ait idem doctor n. 4, *sententiam* hanc *censeo esse falsam, et valdè novam in theologiâ, ideòque omninò vitandam in materiâ adeò gravi.* Tum adductis auctoritatibus SS. Thomæ, Bonaventuræ, Durandi, et aliorum complurium, ab his desinit Catechismi Romani verbis de sacramento pœnitentiæ n. 61, mihi 108 et seq.: *In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus possit pro alio satisfacere.* Infra verò explicans modum hujus satisfactionis : *Qui divinâ gratiâ præditi sunt*, inquit, *alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere : quare fit ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo sanctorum communionem confitetur.* Et verò hanc sanctorum communionem sic Ecclesia semper intellexit, ut omnem boni communicationem possibilem et convenientem includeret. Atqui possibile est et conveniens, ut Deus pœnalia unius opera in satisfactionem pro alterius pœnâ misericorditer acceptet : sicut possibile est et conveniens ut unum plectat in alio, Davidem puta in filio propter adulterium.

14. Confirm. 1° : Quia constans est ea omnium vox, unum pro alio satisfacere ex meritis Christi, sicut Christus pro nobis ex propriis meritis satisfecit. Atqui satisfacere, in proprietate sermonis, non est impetrare gratuitam remissionem pœnæ, sed solvere debitum pro eâ. Alioqui possent etiamnùm sancti pro nobis satisfacere ; quia pœnæ remissionem impetrare nobis faciliùs possunt, quàm viator unus alteri viatori eamdem impetrare possit.

15. Confirm. 2° ex indulgentiarum doctrinâ, quæ supponit non tantùm Christi, sed et beatorum satisfactiones superabundantes posse aliis applicari ad expungendam istorum pœnam.

16. Confirm. 3° : Quia duobus modis potest alter alteri per modum meriti vel impetrationis obtinere à Deo remissionem alicujus debiti, 1° quidem ei impetrando gratiam, quâ bonum quid faciat, vi cujus remissionem hujusce debiti obtinere valeat ; 2° impetrando eidem ut debitum ipsius gratis et sine ullâ satisfactione tollatur. Atqui neuter hic modus veram et propriè dictam satisfactionem, quæ post S. Thomam ab omnibus admissa est, importat. Non prior, tum quia is in animabus Purgatorii locum habere non potest, cùm eæ jam per propria sua opera pœnas suas satisfactoriè diluere non possint ; tum quia fideles pro aliis satisfacere possent quoad culpam mortalem et venialem ; eò quia possint iis impetrare gratiam, quâ se, ut possunt, disponant ad satisfaciendum pro hisce peccatis. Hoc autem satisfactionis genus, nec admitti potest, nec à quopiam hactenùs admissum est. Non posterior, 1°quia nemo sibi gratuitam temporalis pœnæ dimissionem obtinere potest. Ergo multò minùs eam poterit alii obtinere : cùm cæteris paribus efficacior sit oratio ad impetrandum sibi, quàm alteri ; 2° quia non decet, ut qui par est solvendo, gratuitam postulet condonationem, seu dispensationem à lege justitiæ ; 3° quia ne ipse quidem Christus aliter quàm pœnam ferendo, pœnarum nobis debitarum remissionem obtinuit. Ergo superest ut Fidelium suffragia quoad remissionem pœnæ temporalis non aliter prosint quàm per modum solutionis atque satisfactionis. Jam ut solvatur objectio,

17. R. ad primum : Nego min. Ad secundum : Dist. maj. Debitum pœnæ est debitum personale, quatenùs per se et vi suâ talem personam constituit debitricem, et ab eâ legitimè exigi potest, concedo. Est personale quasi necessariò per solam debitoris actionem aut passionem solvi et expungi possit, nego. Alioqui enim nec ipsa Christi satisfactio posset cuipiam applicari per modum satisfactionis, sed tantùm per modum impetratio

nis et meriti, quod absurdum est.

18. Ad primam prob., nego conseq.; sicut enim Christus caput fidelium potuit pro membris satisfacere, exsolvendo pœnam quam membra sibi promeruerant, sic et membra corporis ejus alia pro aliis pœnas quas personaliter meruerunt exsolvere valent. Ratio est quia pœnæ illæ non sic taxatæ fuerunt, ut in propriâ personâ necessariò solvi deberent, sed ut vel per nos, vel per pia amicorum nostrorum opera solverentur: quod et summam Dei benignitatem et sanctorum inter se communionem merè commendat.

19. Ad secundam nego rursùs conseq. ex quâ sequeretur Christum non satisfecisse pro nobis. Et verò temporalis pœnæ debitum non contrahitur nisi per actualem culpam, in quâ non potest esse communicatio. Solutio autem pœnæ fit per bona opera, in quibus esse potest et decet ut sit communicatio.

20. Ad tertiam, nego iterùm conseq.; remissio enim culpæ in adultis requirit proportionatam illius cui culpa remittenda est dispositionem; adeòque et actionem ejus; quia remissio hæc pertinet ad intrinsecam ejus sanctificationem. Atverò remissio solius pœnæ temporalis, cùm hominem non reddat sanctiorem, fieri potest per actionem extrinsecam, seu per solutionem alterius alteri communicatam.

21. Ad quartam, negatur conseq. propter eamdem rationem. Meritum enim gratiæ debet hominem intrinsecùs disponere ad gratiam, quod de viâ communi sine propriâ illius actione fieri non potest. Verùm remissio pœnæ non requirit novam sanctitatem intrinsecam, aut propriam virtutis dispositionem, ut de Purgatorii spiritibus constat.

22. Ad quintam, 1° nego maj.; pœna enim aliquando tantùm est vindicativa, ut patet in iisdem Purgatorii spiritibus, in quibus nec crescunt virtutes, nec timentur vitia.

23. 2° Etsi nemo per medicinam alterius intrinsecè curari potest, potest quis tamen condonationem debiti ex alterius liberalitate consequi; modò et is par aliquid offerat, et creditor unum pro alio acceptet; quod et fecit Christus pro nobis, et à nobis pro fratribus fieri concessit.

24. Ad sextam, dist.: loquitur Scriptura de pœnis tanquàm ab unoquoque reo ferendis, quatenùs nemo propter aliena peccata (nisi hæc sua fecerit) condemnabitur; nemo item in finali judicio nisi personali pœnæ addicetur, concedo; quatenùs nemo per alium adjuvari possit, nego. Unde hìc tacita subest conditio hæc, nisi alter alteri opem ferat. Alioqui nec per indulgentias, nec per sacrificia adjuvari possent animæ patientes, quod hæreticum esse fatentur ii contra quos dimicamus.

25. Ad septimam. Fatemur defunctos qui exciderunt à communione sanctorum Ecclesiæ tum militantis, tum et triumphantis, qualis erat epulo ille in inferno sepultus, omni prorsùs ope destitui. At negamus idem de iis dicendum qui plenam cum utràque Ecclesiâ communionem retinent, quales sunt omnes in Domino mortui.

26. Saltem, inquies, qui satisfaciet pro alio, privabit se fructu satisfactionis illius, quantùm ad pœnæ remissionem.

27. R. in hoc nihil esse absurdi, et ita docere communiter theologos cum S. Thomâ in 4, distinct. 45, q. 2, art. 1, quæst. 4. Ratio est quia opus finiti valoris, si uni debito sit æquivalens, solutione hujus exhauritur. Aliud est in impetratione, quæ sic alteri prodest, ut æquè prosit ipsi impetranti, quia in eâ non attenditur operis æqualitas, sed illius qui oratur liberalitas et beneficentia. Similiter etiam satisfactio pro alio, et meritum pro se non repugnant, quia in principiis diversis fundantur; meritum quidem in bonitate actùs, satisfactio autem in ejus pœnalitate. Sed de his adeatur Suarez, ubi supra.

28. Obj. 2°: S. Ambrosius, lib. 1 de Abraham, cap. 9: *Non*, inquit, *diutiùs inhæreamus mortuis; sed quantùm satis est officii deferamus.* Ergo S. Doctor eam quam admittimus satisfactionis speciem rejicit.

29. R. Ambrosium hìc agere de luctu et funeris pompâ, quam meritò vult esse moderatam; non autem de oratione pro mortuis, quam nusquàm credidit nimio majorem fieri posse. Unde in oratione de obitu Valentiniani junioris, Gratianum et Valentinianum defunctos alloquens: *Beati ambo, si quid orationes meæ valebunt: nulla dies vos silentio præteribit, nulla nox non donatos aliquâ precum mearum contentione transcurret; omnibus vos oblationibus frequentabo.*

30. Obj. 3°: Hieronymus, in id Galat. 6: *Unusquisque onus suum portabit*, docet *nos, dum in præsenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse coadjuvari; cùm autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unum quemque portare onus suum.* Atqui hæc nostram de satisfactione pro mortuis doctrinam pessumdant.

31. R. Nego min. Vel enim loquitur Hieronymus de iis qui in peccato mortali decedunt, ut explicat Gratianus qui verba hæc refert c. *In præsenti*, 13, q. 2, vel de novissimo judicio, quando cessante Purgatorio, cessabunt etiam suffragia. Sanè ambigua non potest esse sententia Hieronymi, cùm in speciali opere Vigilantium insectetur acriter, quia falsò asseruisset viventes viventibus, non autem mortuis, orando, prodesse posse.

32. Obj. 4°: Melius est et majori præmio dignum, quòd quis per se quàm per alium satisfaciat. Ergo non est orandum pro defunctis, ne eorum præmia minuantur.

33. R. in hâc quidem vitâ melius esse ut quis per se satisfaciat, quàm per alium, quia per se satisfaciendo, gratiæ simul et gloriæ augmentum meretur. At in Purgatorio, ubi non merentur animæ, et à summi boni fruitione retardantur, melius esse ut quis per alium satisfaciat, quàm per seipsum.

34. Obj. 5°: Non magis potest homo bonis alterius satisfactoriis frui, quàm ob peccata ejus puniri. Atqui

non potest..... Cùm ex Ezech. 18: *Filius non portet iniquitatem patris*, et vicissim.

35. R. Nego maj.: Quòd enim quis ob alterius delicta, quorum nec consensu nec imitatione particeps fuit, puniatur, injustitia est et crudelitas. Quòd autem volens quis bonis alterius volentis fruatur, misericordia est et liberalitas.

36. Obj. 6°: Defuncti suis ipsorum precibus juvari non possunt. Ergo nec alienis. Et verò lata à supremo Judice in eos sententia reformari non potest.

R. ad primum. Nego conseq. Disparitas est quòd defuncti, utpote qui sint ultra terminum meriti, per nullam actionem Christi satisfactiones applicare sibi valeant. At qui vivunt, possunt in suam et aliorum gratiam operari.

37. Ad secundum. Fert Judex sententiam operibus piè defunctorum commensuratam; at eâ conditione ut per viventium suffragia leniri possit. Sic Ninive morti addicta est, sed conditionatè, nisi videlicet ad pœnitentiam flecteretur.

38. At, inquiunt, plerùmque nescimus ubi degant mortui nostri; nec rarum est ut quos in Purgatorio versari credimus, in inferno sint vel in cœlo.

39. R. cum Augustino, lib. de Curâ pro mortuis, cap. ult., satius esse ut supersint suffragia iis qui non indigent, quàm ut desint indigentibus: sicut satius est stipem largiri ficto mendico, quàm verè pauperi negare. Adde quòd bonum opus sit meritorium facienti, licèt ei non prosit, cujus in gratiam efficitur. Hæc Bellarminus, lib. 2, cap. 15.

40. Obj. 7°: Si per sacrificia juvantur animæ patientes, vix attentâ missarum quæ ubique celebrantur, multitudine, fieri potest, ut Purgatorium non evacuetur quotidiè.

R. huic objectioni satisfactum esse alibi.

Quæres 1° annon etiam rei alienæ restitutio prosit defunctis, et quartum sit genus suffragii. Sæpe enim narratur apparere defunctorum spiritus, et precari ut ea restituantur, quæ vel obliti sunt, vel non potuerunt restituere.

41. Respondent Dom. Soto, in 4, dist. 54, q. 2, art. 3, et Bellarminus, ibid., c. 16, restitutionem hanc non juvare si fiat, nec obesse defuncto, si non fiat. Vel enim, inquiunt, defunctus peccavit non restituendo, vel non peccavit. Si non peccavit, quia bonâ fide possedit, aut restituere non potuit, nihil est cur puniatur. Si autem peccavit, modò venialiter tantùm, punietur pro negligentiâ suâ in Purgatorio; at ubi pares pœnas dederit, salvabitur, seclusâ etiam restitutione. Jam enim restituendo impar est; nec debet pendere salus ejus ab alterius voluntate; alioqui posset ex defectu restitutionis in perpetuum ignibus purgatoriis addici. Quare peccabit quidem hæres alienum injustè retinendo, sed non nocebit animæ; si verò restituat, non proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpâ: quandoquidem satisfactio est opus pœnale; pœnale autem est dare suum, non restituere alienum. Hæc illi.

42. Crediderim tamen 1° cum Lessio hìc, num. 36, restitutionem, si ex amore justitiæ fiat, proinde meritoriè, prodesse defunctis per modum deprecationis: omne enim opus bonum ad alterius levamen per orationis modum referri potest; 2° et eam per modum suffragii prodesse posse, quia restitutio quandoque admodùm pœnalis est et onerosa. Adde quòd potest Deus patientis animæ salutem alligare precibus quas creditor vel alii pro defuncto effundunt; unde non adeò stupendum videtur quod ait S. Brigitta, lib. 6 Revelationum, cap. 66, animas tamdiù cruciari, donec restituantur injustè ablata: neque hinc timendum quod veretur Bellarminus, ne anima defectu restitutionis crucietur perpetuò, quia non sinet Deus, ut restitutio ad plenam animæ liberationem necessaria, in æternum differatur.

43. Quæres 2° an candelarum, olei et similium oblatio defunctis prosit.

R. cum S. Thomâ, Suppl. q. 71, a. 9, ad 6, hæc defunctis prodesse *in quantum sunt eleemosynæ quædam, dantur enim ad cultum Ecclesiæ, vel etiam in usum fidelium.*

44. Quæres 3° an suffragia pro multis facta, æquè prosint singulis, ac si pro uno tantùm fierent. R. Vel suffragia consistunt in sacrificio, vel in operibus quibuscumque à sacrificio diversis.

45. Si primum, videtur etiamnùm nobis cum pluribus contra plures, effectum sacrificii non minui eò quòd inter plures dividatur, sed unicuique secundùm dispositionem suam prodesse; prout dictum est, alibi ubi hæc duo animadversa sunt; 1° non inde sequi, quòd attentâ sacrificiorum multitudine, quæ diebus singulis offeruntur, patientes animæ statim à Purgatorio educi debeant. 2° In praxi agendum, quasi effectus sacrificii inter plures divisus, minor contingat singulis; quia in his quæ à solâ Dei voluntate non satis manifestatâ dependent, quæque inter doctores non improbabiliter hinc et inde disputantur, ea pars tenenda est, quæ et tutior sit, et nihil habeat periculi.

46. Si secundum, docent plerique theologi, cum S. Thomâ, Suppl. q. 71, art. 13, quòd suffragia hæc, *si considerentur secundùm quòd valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ, pro multis factâ, tantùm singulis prosunt ac si pro uno tantùm fierent; quia charitas non minuitur, etsi dividatur effectus ejus in multos; imò magis augetur. Si autem consideretur valor suffragiorum in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quàm quod pro eo communiter fit et multis aliis.* Favet censura hujus propositionis Wiclefi, n. 19 (tom. 12, Concil., p. 46). *Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem quàm generales, cæteris paribus.*

47. Nec nocet illud capitis 24, dist. 5, de Consecrat.: *Dum pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Non nocet, inquam, quia, inquit Sylvius, in 3 p., art. 1, Quær. 16, *auctoritas illa non invenitur apud Hieronymum; unde nec in editione Gregorianâ* (adde et

Pithœanâ) *notatur unde Gratianus desumpserit.* Sed quidni locus ille, qui secundùm nos nihil habet difficultatis quoad Missam, de Psalmo intelligatur, *secundùm quod valet ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiæ*, prout supra, nec clarè admodùm loquitur S. Thomas.

48. Quæres 4° an qui mandavit pro se fieri suffragia, damni aliquid ferat, cùm ea differuntur.

R. eum dubio procul percipere fructum ex merito bonæ hujus suæ dispositionis; at differri fructum, tam qui esset ex opere operato suffragiorum, quàm qui esset ex opere exsequentis. *Unde patet quòd executoribus non liceat tardare distributiones eleemosynarum, nisi fortè ad modicum tempus, et ut res defuncti vendantur pluris, et ità plures sint eleemosynæ distribuendæ.* Ita Sylvius, Suppl. q. 71, art. 6, in fine.

ARTICULUS II.

De conditionibus ad valorem suffragiorum requisitis.

Ut suffragia iis prosint pro quibus offeruntur, certas requirunt conditiones theologi, tam ex parte illius cujus in gratiam fiunt, quàm ex parte eorum à quibus præstantur. Circa primum caput, quæres 1° an ut quis suffragiorum capax sit, requiratur ut fuerit baptizatus; proinde an fieri possint suffragia pro Catechumenis piè defunctis.

49. Respondet Suarez, cit. disp. 48, sect. 6, n. 9, Catechumenos esse quidem capaces privatorum suffragiorum, quæ unusquisque de propriis satisfactionibus pro illis offerre potest; 1° quia ad id sufficit unio charitatis, intentio operantis, et indigentia recipientis; 2° quia potest Catechumenus pro alio vel Catechumeno, vel defuncto baptizato suffragia sua offerre. Ergo à fortiori poterit Catechumeno defuncto suffragari vivens baptizatus; 3° quia ad hunc effectum necessarius non est baptismus.

50. Verùm subdit idem theologus, suffragium illud quod operatur ex opere operato non posse offerri pro Catechumenis defunctis. Idem docet Vasquez, disp. 227, cap. 3 et 4, ubi fatetur quidem in Missâ orari posse pro Catechumenis, at negat Missam pro eis offerri posse. Aliter sensimus in Tract. de Sacrificio, cap. 8, art. 1, pag. 601. Nec dubium est quin Ambrosius sacrificium pro Valentiniano Catechumeno obtulerit (licèt alia foret agendi ratio Chrysostomi, ut patet ex cap. 2, supra, n. 51). Concinunt Lugo, disp. 19, de Eucharistiâ, sect. 10; Pignatellus, in Monte Propitiatorio, lib. 5, q. 3, n. 10, etc. Vide idem cap. 2, n. 83.

51. Quæres 2° an ut suffragium prosit alicui ad remissionem pœnæ, necessum sit ut culpa ratione cujus pœnam meretur, eidem jam remissa fuerit.

Affirmat ibid. Suarez, sect. 7, pag. mihi 609, quia, inquit, fieri non potest, ut remittatur pœna ante remissam culpam, quandoquidem manente culpâ homo semper dignus est pœnâ; neque potest quis præter Christum, pro culpâ alterius etiam veniali satisfacere, sed ad summum obtinere ei gratiam, quâ se disponat ad culpæ hujus suæ remissionem, vel illam mereatur. Vide num. seq.

52. Quæres 3° an nemini nisi jam justo prosint suffragia?

Supponit hæc quæstio, quod verum est, 1° posse aliquem habere reatum pœnæ ex culpis olim sibi remissis, nunc autem non esse in statu gratiæ; 2° posse aliquem esse in statu gratiæ, nec tamen ab omni culpâ veniali immunem.

53. An autem duæ illæ conditiones in animabus Purgatorii semper conjunctæ sint, ita ut eæ non solùm sint in statu gratiæ, sed et in instanti mortis obtinuerint remissionem cujuscumque venialis delicti, dubitari potest. Asserunt Durandus, Suarez, ibid. n. 2, et alii complures. Ast dissentire videtur Pignatelli, lib. 5, q. 7, n. 27, et penè necessariò dissentiunt, qui sacrificii valorem tam extensivè quàm intensivè infinitum esse opinantur. Verùm hâc præcisâ quæstione, in thesauris Dei fortè signatâ.

54. R. suffragia non prodesse homini injusto ad remissionem pœnæ temporalis, cui ille obnoxius foret ob peccata quædam aliàs sibi dimissa. Ratio est 1° quia jacens in peccato mortali, utpote Dei inimicus, omni tam culpæ quàm pœnæ remissâ indignus est. Imò quamvis orari possit pro peccatore, ut ei remittatur culpa per congruas quæ in ipso efformabuntur dispositiones, non tamen citra peccatum orari pro eo posset, ut manente culpâ, eidem pœna remitteretur. 2° Quia suffragiorum communicatio fundatur ex parte nostrâ in unione charitatis; unde S. Thomas, Suppl. q. 27, art. 1: *Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris* mortui. Ergo ubi deest charitas, nec locum habere possunt suffragia. 3° Quia alioqui indulgentiæ iis qui in peccato versantur, applicari possent. Id autem nec intendunt pontifices, qui solùm *contritis* Indulgentias etiam particulares applicant; nec intendere possunt, quia id utique non intenderent juxta voluntatem præsumptam Christi, qui jura sua in gratiam inimicorum suorum relaxare velle censeri non potest.

55. Quod spectat ad conditiones ex parte offerentis suffragia requisitas, tres eæ recenseri solent; 1° ut qui alium suffragando juvare vult, sit in statu gratiæ; 2° ut opus ejus tale sit ratione sui, quod ad satisfactionem acceptari possit; 3° ut qui opus illud facit, per illud alteri suffragari intendat.

56. Et quidem 1° requiritur, ut qui alium, seu viventem, seu defunctum juvare vult, sit in statu gratiæ. Ita Bellarmin., ibid., cap. 17; Suarez, sect. 8, et alii plures. Rationem dant, quia homo injustus non potest pro se ipso satisfacere; ergo multò minùs pro aliis.

Hæc doctrina, si intelligatur de satisfactione condignâ, quin etiam de satisfactione strictè congruâ nihil habet quod moram facessat. Verùm si eo intelligatur sensu quòd opus in statu peccati, sed ex actuali gratiæ auxilio factum, nullâ omninò ratione satisfactorium esse valeat, jam utique non parùm habet difficultatis, ut colligere est ex dictis in alio opere

57. Utut est, fatentur omnes, 1° missam corrupti Sacerdotis defunctis suffragari; sicut et eleemosyna quæ ex domini justi præcepto per injustum ministrum datur. Tunc enim, ait Bellarminus, non injustus mi-

nister, sed dominus justus suffragatur. Aliud fuerit, si prælatus justus præcipiat ut filii sui spirituales orent vel jejunent, et ii sint in statu peccati. Oratio enim et jejunium, ut subditorum opera propria, ex iis, non autem à prælato meritum suum trahunt. Unde juxta Hieronym., lib. contra Vigilantium, melius est pauperi justo stipem dare, quàm iniquo; quia ille orans pro benefactoribus exauditur, non iste.

58. 2° Orationes quæ fiunt nomine Ecclesiæ, uti Officium divinum, licèt à capitulo, v. g., secundùm se totum perverso fiant, habere tamen vim impetrandi apud Deum; quia quando quis alterius nomine operatur, valor operis non pensatur ex dignitate proximi operantis, sed ex dignitate ejus, cujus nomine operatur : ut si rex per nuntium aliquid petat, dignitas petitionis non æstimatur ex conditione nuntii, sed ex majestate illius cujus nomine fit.

59. Verùm eædem orationes, etsi à malis ministris nomine Ecclesiæ fieri dicantur, non videntur valere per modum satisfactionis et suffragii in ratione solutionis; quia opus satisfactorium est, quatenùs est pœnale, prohinc quatenùs est à personâ, quæ illud faciendo patitur. Atqui opus quod fit ab Ecclesiæ ministris non habet pœnosi operis rationem relativè ad ipsam Ecclesiam, sed relativè ad operantem. Ergo quando operans est Dei inimicus, opus ejus non potest esse satisfactorium per modum solutionis pœnæ.

60. Atque hinc liquet magnum esse discrimen inter impetrationem et satisfactionem. Impetratio enim fundatur in oratione quatenùs est simplex petitio, et significatio desideriorum Ecclesiæ, quæ quia unum est corpus mysticum, loqui potest per hunc aut illum ministrum; ita ut hæc ejus locutio quamdam ab ipsâ recipiat virtutem impetrandi. At satisfactio, quæ per eamdem orationem fieri potest, fundatur in illâ quatenùs est opus pœnale, sub quo respectu non refertur ad Ecclesiam, neque, ut ita dicam, nomine illius, sed personaliter sustinetur.

61. Quòd si cum Navarro dicas, suffragia hæc ex institutione Ecclesiæ impetratoria esse ex opere operato, eaque ideò pari jure dici posse satisfactoria, reponet Suarez, ibid., n. 5 : Nego assumptum. Hæc enim suffragia, inquit, sunt tantùm impetratoria ex opere operantis; sed ita ut operans, seu orans, intelligatur esse tota Ecclesia, licèt per ministrum oret : non est autem Ecclesia per ministrum satisfaciens, ut supra dictum est. Sed de his quæ nonnihil obscuri habent, consulatur idem profundæ sermocinationis theologus : an semper justè viderint alii.

62. 2° Ad rationem suffragii de quo loquimur, necesse est ut opus de se habeat proportionem cum satisfactione. Etsi porrò tria hujusmodi opera (operantis scilicet) orationem videlicet, eleemosynam et jejunium assignant theologi; nullum tamen est bonum opus, quod ad hunc finem assumi non possit; quia vix ullum fingi potest virtutis opus, quod homini pœnale esse non possit.

63. 3° Ad suffragii effectum requiritur ex parte operantis, ut per actionem suam alio suffragari intendat. Jus enim et bonum unius sine hujusce consensu in alium transferri non potest, quia quædam est ejusdem boni alienatio. Unde si nemini fructum operis sui applicet, solus ex eo percipiet fructum; si uni vel duobus, seu per modum impetrationis, seu per modum suffragii, percipient ii fructum, minorem tamen, prout dividetur in plures. Ipse verò operans, si totum det, sibi equidem merebitur, at non satisfaciet pro se, seu propriam pœnam non exsolvet. Ita idem, ibid. n. 23.

ALLATII VITA.

Allatius, seu Allacci (Leo) è parentibus Græcis schismaticis natus est in insulâ Chio, anno 1586. Anglonæ primùm vicarius generalis, deinde cardinalis Barberini, moxque Vaticani Bibliothecarii munere functus est. Romam accersitus anno 1600, philosophiæ theologiæque addiscendis majorem admovit operam, ac Bernardi Giustiniani, Anglonensis episcopi, fiduciam studiorum merito successuque sibi conciliavit. Ex operibus quæ exaravit simul et ex commercio virorum quibuscum conversatus est, satis constat Allatium ab errore in quo natus est fuisse revocatum; sacris verò ordinibus initiari obnixè semper recusavit. Hinc sciscitante ab eo summo Pontifice Alexandro VII quam ob causam in hujuscemodi proposito perstaret : *Ob hanc scilicet*, respondit Allatius, *ut mihi, quando libuerit, liceat matrimonio conjungi. — Quare ergo non nubis?* ait Pontifex. — *Nempe ut ordines, si quando res mihi placuerit, possim suscipere.* Acri admodùm memoriâ, necnon singulari facilitate præditus, egregias naturæ dotes improbo labore excoluit, unde paucos intra annos doctissimis Italiæ viris annumerari meruit. Inter benè multa quæ lucubravit opera, sequentia tantùm, brevitatis causâ, appellabimus : 1° *De Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis perpetuâ consensione*, Coloniæ Agrippinæ, 1648, in 4°; — 2° *De utriusque Ecclesiæ in dogmate de Purgatorio consensione*, Romæ, 1655, in-8°; hancce clarissimi auctoris lucubrationem, haud sine longo labore requisitam, juxta supradictam Romanam editionem infra subjungimus; — 3° *Græciæ orthodoxæ scriptores*, Romæ, 1652-1657, 2 vol. in-4°; — 4° *De libris ecclesiasticis Græcorum*, Parisiis, 1645, in-8°; — 5° *De templis Græcorum recentioribus*, Coloniæ Agrippinæ, 1645, in-8°; — 6° *Philo-Byzantinus, de septem orbis Spectaculis*, Græc.-Lat. cum notis, Romæ, 1640, in-8°; — 7° *Eustathius archiepiscopus Antiochenus in Hexameron*, etc., Lugduni, 1629, in-4°; — 8° *Symmicha, sive opusculorum Græcorum et Latinorum vetustiorum et recentiorum libri duo*, Coloniæ Agrippinæ, 1653, in-fol.; — 9° *De mensurâ temporum antiquorum, et præcipuè Græcorum*, ibid., 1645,

in-8°; — 10° *Concordia nationum christianarum Asiæ, Africæ et Europæ, in fide catholicâ; de octavâ Synodo Photii*, Romæ, 1662; — 11° *De patriâ Homeri*, Lugduni, 1640, cui operi, in quo Allatius suam natalem insulam Chio, Homero patriam assignat, adjungitur carmen hoc titulo inscriptum : *Natales Homerici*; — 12° *Apes urbanæ*, etc., etc., etc.

Obiit Allatius mense januario anni salutis 1669, ætatis verò 83. Fama refert virum eodem calamo per quadraginta annos continuos usum esse, quo fortè amisso lacrymæ præ dolore ferè obortæ sunt. Narrant insuper eum integrum *Diarium Romanorum Pontificum*, quod à monacho quodam Cisterciensi mutuatus erat, unà nocte transcripsisse. Omnium ejus operum catalogum exhibet *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, auctore Dupin.

DE UTRIUSQUE ECCLESIÆ OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS IN DOGMATE DE PURGATORIO PERPETUA CONSENSIONE.

I. In dogmate de Purgatorio inter Græcos et Latinos haud congruere, neque unam amborum de pœnis illius sententiam esse, multi ex heterodoxis probare conati sunt, et nunc etiam nostrâ hâc ætate conantur. Qui enim eamdem mentem atque animum habere possunt in re, quam hìc acceptat et profitetur, ille pernegat et modis omnibus convellit? Latini tradunt Purgatorium esse, et animas in eo purgari; ex quo postmodùm purgatas ad æterna gaudia transvehi; Græci post vitæ obitum easdem vel rectà in cœlum duci, vel ad inferos æternis pœnis cruciandas detrudi. Ineptè ergo colligitur, Græcos qui hodiè supersunt, eadem atque Latinos sentire et docere.

II. Et planè Græcos negare purgatorium probant multorum testimoniis, Jodoci Coccii, Guidonis de Perpiniano, Alexandri Guagnini. Et quando jam similibus testimoniis res censenda erat, et dissidium stabiliendum, absque eo quòd in hanc vel illam Græcorum sobolem recursus haberetur, poterant alia plura, nec minoris momenti, quæ de sententiâ simili Græcorum pronuntiant, adducere. Thomas à Jesu Biatiensis, de Conversione omnium gentium, lib. 6, cap. 1 : *Græci docent nullum esse Purgatorium, in quo animæ corporibus emigrantes purgantur à sordibus, quas in corpore contraxerunt, antequàm in æterna tabernacula recipiantur; et ex consequenti nihil prodesse defunctis sacrificia, eleemosynas, et ejusmodi opera pia, quæ à vivis pro illis offeruntur.* Paulus Grysaldus in Decisionibus fidei : *Purgatorium nullum remanet post hanc vitam, Armeni, Græci, hæresis. Priusquàm ex instituto ordine confutetur hæc hæresis, quæ in Græciâ viget, et contra quam scripsimus in Malleo contra errores Græcorum pro illustrissimo ac domino meo colendissimo Bernardo Suriano archiepiscopo Corcyrensi, hìc etiam postquàm aliqua prænotata fuerint, rem aggrediar.* Nec multùm ab his diversus est Antonius Caucus, archiepiscopus Corcyrensis, tractatu de Erroribus, et Hæresibus Græcorum, et alii, ne singulos recenseam.

III. Ego verò, antequàm ad alia veniam illud ante omnia examinandum esse duco, quæ requirantur necessariò, ad stabiliendum, Græcos, sive Ecclesiam Græcorum ita sentire, vel hanc vel illam sententiam defendere, ut tutò dici possit, tum Græcos Ecclesiæ Romanæ adversari. Stultè enim argumentaremur, quia Marcus Ephesius, Barlaamus monachus, Nilus Thessalonicensis, Josephus Bryennius, Meletius, patriarcha Alexandrinus, Pachomius monachus, Manuel, rhetor Peloponesius, Gabriel Severus, Philadelphiensis, Georgius Coresius, et alii, hoc vel illud scripto tradiderunt, ideò statim consequenter colligi, Græcos ipsos, vel Græcorum Ecclesiam ita sentire; quòd qui similia scribunt, Græci sunt. Sequeretur enim et quàm optimè, Græcos ipsos, et Ecclesiam Græcorum hoc tempore, omnium quotquot fuerunt in eâ Ecclesiâ hæreseon labibus fuisse inspersam, et æquè benè nunc vocari posse Arianam, Macedonianam, Nestorianam, Eutychianam, et quid non? quia similium hæresum auctores Græci fuêre, et apud eam gentem in dignitatibus constituti. Nil obfuêre Ecclesiæ Romanæ, Lutherus, Calvinus, Ochinus, et sexcenti alii, quia pars, sive soboles Ecclesiæ Latinæ aliquando fuêre. Et Lutherani ipsi, sive Calvinistæ non omnium, quæ ex illorum asseclis promanârunt, hæreseon, defensores audiri patientur. Ingenia varia ac tumultuaria, semper rebus novis inhiantia, nova quoque monstra singulis horis, ne dicam momentis, procreârunt, quæ non dicuntur excepisse fovisseque reliqui ejusdem sectæ. Pari modo et de Græciâ pronuntiandum est, quæ uti ingeniorum et bonarum artium, ita et ex ingeniis procreatorum monstrorum ferax fuit. Non accipiunt nomen à paucioribus plures, sed dant. Audi Nicetam Byzantium adversùs Armeniorum principem doctissimè hæc asserentem. Nam cùm princeps nonnullos ex Eutychianis ad Catholicos descivisse transfugisseque scripsisset, appositè nimis respondet Niceta : *At illud rursùm asserere, etsi nonnulli ex hâc, sententiâ nempe affirmante, unius esse naturæ Christum post unionem, transfugerunt, ad eos scilicet, qui duas naturas Christum habere post unionem profitentur, ex ipsis aufugerunt, quosnam ignorantiæ terminos non ex-*

superat? Quis enim non novit, partem à toto, minus à multesimo decedere, et non contra? Quapropter, qui vestræ sunt sententiæ si ad eos, qui nostræ sunt, comparentur, minimam atque infimam partem occupare comperientur. Quare indecorè agis, cùm ais nos ex vestrâ sententiâ aufugisse. Quin. ut potius verum dicam, vos à nobis decessistis. Et Ecclesia, licèt sub uno capite, plurium fidelium cœtus est, de cujus capite et auctoritate dictum est à nobis alibi. Malè itaque atque inconcinnè elicitur : Marcus Ephesius et Nilus Thessalonicensis, et si qui sunt alii, hoc tenuêre, et scripto etiam comprobârunt; ergo Ecclesia Græca, vel Græci ipsi ita tenent vel sentiunt; et tum potissimùm, cùm ex ipsis Græcis alii oppositum tradiderunt. Audi, quisquis es, ô heterodoxe. Solemne est hoc Græcis, singularium hominum, etsi dignitate præfulgeant, etiam patriarchali, dogmata, nisi synodali calculo, et votis reliquorum patriarcharum constabiliantur, inter alia dogmata non admittere. Clamet Constantinopolitanus, perstrepet Alexandrinus, tumultus concitet Antiochenus, reclamet Hierosolymitanus, deridiculo sunt Græcorum Ecclesiæ, si in unum omnes non conveniunt, dictaque eorum cum Patrum dictis et Ecclesiæ traditionibus non concordant. Nolo hìc addere de Romano, absque cujus firmitate infirma sunt alia. Sit modò sermo de Græcis et Orientali Ecclesiâ ab Occidentali separatâ. Idque si nescis, audi Georgium Scholarium de se ipso sermonem habentem in synodo Florentinâ, sessione ultimâ : *Idque facio non quia sum laicus, et necesse mihi est, sacro tuo parere imperio, nec non sanctissimo atque œcumenico patriarchæ, et nostræ synodo, quodque vlus est, generali; neque etiam quòd similem ego quoque sententiam de rebus propositis jampridem habuerim, sed etiam si ante privatim maximè contrariam secutus essem sententiam, et quâcumque in Ecclesiâ Dei fulgerem dignitate, seu inter alios doctrinâ eminerem, idem similiter facerem. Nam ita non facere, maximæ arrogantiæ, inanisque gloriæ esset argumentum. Quid enim deterius fuerit, quàm unum hominem, quâvis licèt dignitate præfulgeat, obluctari velle synodo œcumenicæ, quæ universam Dei repræsentat Ecclesiam.* Et quod magis est, Joannem imperatorem Græcorum in publicâ synodo decernentem ibidem : *Tum quia ego censeo sacram Ecclesiam in sacris dogmatibus nullo modo posse errare, communi ac synodicâ consideratione utentem. Unus quippe, vel duo, vel tres, aut plures ex hominibus, qui nunc degunt, privatam adhibentes considerationem, fieri potest ut errent; at universam Dei Ecclesiam, de quâ Dominus dixit ad Petrum*; « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo « Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, communiter errare omninò est impossibile.* » Ecclesia itaque Græcorum, sive Græci, cùm absolutè proferitur, non fuerit, neque unus, neque duo, neque tres, neque etiam multò plures, sed omnes simul conjunctim, et in eâdem sententiâ concordes, quam vel synodus apud ipsos generalis enuntiavit, vel communi calculo ab eisdem recepta est. Tum enim sententia illa inter dogmata locum habet, et inter professiones fidei digeritur, et in ecclesiasticis eorumdem libris ita disponitur, ut publicè inter divina officia, in conventu omnium legatur, et cum aliis ejusdem generis dogmatibus concinnatur, et firmitatem acquirat, ut quæ animo credunt, voce etiam profiteantur : *Corde enim*, inquit Paulus, *creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et Christus eos qui confitentur ipsum coram hominibus, confessurum se coram Patre promittit, ut optimè etiam animadvertit Georgius Trapezuntius, epist. ad Cretenses, de unâ sanctâ catholicâ Ecclesiâ, propè finem. Et sic quæ in eâ Ecclesiâ inter divina officia recitantur, Ecclesiæ Græcorum dogmata esse, vel placita fatentur viri, qui vel minimum rerum sacrarum gustum habent. Aliàs argumentum nullum est : Ephesius aliter sentit, nec convenit cum Ecclesiâ Romanâ; ergo Ecclesia Græcorum in hoc vel illo ab Ecclesiâ Romanâ discordat. Hæc cùm certa atque firma sint, reliqua examinentur.

IV. Fatenturne itaque Græci, sive etiam Græcorum Ecclesia, quod idem est, Purgatorium esse? Imò vel maximè. Hocque cum aliis ipse sæpiùs meis scriptis insinuavi, tum in Consensione Orientalis atque Occidentalis Ecclesiæ, lib. 3, cap. 15, et in Examine Triodii, et Pentecostarii, et Paracletices. Ad id probandum argumentum firmissimum fuit : Græcorum Ecclesia orat pro defunctis, ut deferantur ad loca refrigerii et quietis; ergo Purgatorium tenet, aliàs non oraret, cùm preces illæ non possint aliis applicari quàm illis qui in Purgatorio sunt, propter enormitatem peccatorum non condemnatis, neque propter bona opera in deliciarum loca delatis. Idque ut magis pateat, nulli apud Græcos fuit in dubio, neque nunc est, justorum animas suâ beatitudine perfrui, impiorum pœnis inferni addici, et hæc præmia vel damna esse sempiterna; ideòque tum primis, tum secundis precibus opus non esse, et si quis pro illis preces funderet, operam luderet, cùm nulli essent emolumento. Ergo pro aliis orant. Hi non possunt esse nisi qui tertio loco, vel in Purgatorio sunt. Ergo cùm orat, eodem ipso tempore confitetur Purgatorium esse, ex quo illos extrahi supplicat. Et ut planè videas in hoc Græcos ab Ecclesiæ Romanæ doctrinâ non esse alienos, breviter ab Latinis discas, homines, qui vitâ excedunt sine quâcumque peccati culpâ veniali et mortali, et tamen habent reatum pœnæ peccati mortalis remissi, si pœnitentiam egerint, et pœnæ non satisfecerint, vel si peccatis, quæ venialia ipsi dicunt, obnoxii sunt, nullum tamen reatum pœnæ habent, vel qui habent utrumque simul, culpam scilicet venialem et reatum peccatorum mortalium remissorum, in Purgatorium ad satisfaciendum detrudi. Hæc doctrina Græcis etiam communis est, Latinis concors. Dionysius Areopagita de ecclesiasticâ Hierarchiâ, cap. 8, duos ponit justorum terminos, quos ipse λήξεις vocat, et diversa eorum præmia post hanc vitam; alter est eorum qui sanctissimam vitam duxerunt, et qui statim beatitudine ipsâ fruuntur; alter eorum, qui licèt sanctam, remissiorem tamen egerunt, qui similia tamen et ipsi præmia consequuntur. Et

pro his sacerdos non orat, sed gratias agit Deo, qui eos à tyrannico imperio exemptos ad sua justissima judicia transtulit : *Ut puto, si quis hìc vitam sortitus sit sanctissimam, eamque duxerit deiformem, in quantum nempe Deum imitari quis potest, in futuro seculo divino beatoque otio fruetur; sin remissiorem quidem illâ deiformi, simul tamen sanctam vitam quis egerit, paria et ipse meritis suis præmia referet. Divinus itaque antistes pro divinâ hâc justitiâ gratias agens rem sacram peragit, atque venerandum laudat Dei principatum, quòd iniquum tyrannicumque imperium, quo omnes premebamur exterminaverit, et nos ad justissima sua judicia transtulerit.* Et paulò infra orat pro eo qui per humanam fragilitatem deliquit; pro eo scilicet qui licèt peccatis astrictus discessit, non tamen illis ita obruitur, ut in gehennam intrudatur. Sed est in loco, ubi misericordiæ adhuc locus est, et peccata veniam admittunt : *Rogat itaque precatione illâ divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam, ac vivorum regionem transferat, et collocet in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, in loco à quo dolor et tristitia, gemitusque aufugiunt.* Quod vidit quoque sanctus Maximus, qui illud *per humanam infirmitatem* exponit, τὰ φιλὰ τῶν ἁμαρτημάτων, *parva peccata*, quæ nempe impedimento sunt, ne in regnum cœleste deducatur; non tamen ita gravia ut in ignem æternum demergant. Hoc eloquenter planè et doctè expressit Manuel Caleca, lib. 4 adversùs Græcos, cujus verba licèt prolixiora hìc assuenda sunt, ut etiam nolentibus patefiat, Ecclesiam Græcam in rebus similibus digerendis à Latinâ ne hilum quidem discrepare : *Peccatorum verò alia quidem mortalia dicuntur : ea scilicet, quæ animæ mortem inducunt, cujus mors est separatio à Deo ; alia verò venialia, quæque scilicet rugam quidem aliquam, vel maculam animæ imponunt; non tamen ita ut per eam æternâ beatitudine arceantur. Solus quippe Dominus, nostrâ conditione susceptâ sine peccato vixit; singuli autem hominum alius aliis peccatis tenetur obnoxius. In peccatis enim nati sumus, vitamque sine peccato transire non possumus, quantùmlibet virtuti studeamus. Etsi enim quispiam mortalibus abstineat, minoribus tamen illum non implicari, possibile non est; pro quibus quotidiè orantes dicimus : « Dimitte nobis debita nostra; » quantùmlibet enim quisque peccaverit, minimum licèt, reatui subditur, hucusque satisfactio quomodòlibet illi persolvenda est. Si quis enim mortalibus peccatis obnoxius, hinc sine pœnitentiâ discesserit, æternis suppliciis subdetur. « Qui enim talia agunt; » ait Apostolus, « regnum Dei non possidebunt; » quibus verò nulla jam salutis erit spes, resurgentque in condemnationem, in eumdem rursùs redibunt locum. Porrò si quis confessus, priusquàm pro peccatis satisfaciat, sive etiam simul atque confessus fuerit, pœnitens, in quibus peccavit, ex vitâ discedat, æternâ quidem damnatione liberatur per sacramentum Pœnitentiæ; in hoc enim pœnitentiæ remedium indultum est : aliter quippe nulla salutis spes fuisset his qui in fine pœnitent; debitam verò peccatorum satisfactionem persolvet. Quam enim hìc sive per eleemosynam et aliam beneficentiam, sive per jejunium et lacrymas, et hujusmodi afflictionem soluturus erat, juxta regulas à sanctis Patribus positas pro satisfactione peccatorum; hanc nisi vivens implere permittatur postquàm exierit è vitâ, reddet, donec per Dei gratiam et justitiam peccati contagium sibi insitum diluens, mundusque jam effectus ac dignus qui uniatur Deo, non habens maculam neque rugam, eâ beatitudine fruatur, ad quam præparabatur quidem per Pœnitentiæ remedium et sacramenta cætera, ab æternâ damnatione per Christi gratiam liberatus, accedere autem prohibebatur, necdùm satisfactione debitâ secundùm divinam justitiam impletâ. Si enim misericors est ac pius Dominus, justus tamen nihilominùs est. Neque ita est misericors, ut ejus justitia evacuetur. Omnia enim in staterâ et mensurâ, juxta Isaiam. Aliterque inane esset vel confitentibus ab Ecclesiâ pœnitentiam imponi, vel pœnitentes tantæ seipsos tradere afflictioni. Siquidem iniquitatem suam semel tantùm confitentes, jam ab omni reatu liberi essent. At constat quia peccatis pœnitentiæ afflictionem ingerens, atque hìc purgationem breviorem ac leviorem quàm debeatur, decernens, talia injungit. Aliàs enim qui per omnem vitam deliciis et impudicitiæ dediti, ad ipsum jam finem vitæ pœniterent, nihilò deteriores essent quam hi qui pro similibus peccatis diutissimè in cilicio, et cinere, et lacrymis usque ad finem perstiterunt. Nihil præterea conferrent, quæ pro defunctis ab Ecclesiâ fieri præcipiuntur orationes, et eleemosynæ. Pro his enim qui jam beatitudine potiti sunt, orantes sacrificia offerre opus non est. Quæ enim pro sanctis officia offerimus, non ut misericordiam consequantur offerimus, sed ut honorantes eos, mediatores pro nobis apud Deum, ut naturæ nostræ primitias opponimus. Pro his verò qui inferno damnati sunt, nullam Ecclesia orationem facit. Perspicuum igitur est, neque pro his qui beatâ iam requie potiti sunt, neque pro his qui inferno damnati sunt orationes ac talia offerri. Unde necessariò colligitur tertium quemdam esse locum ubi hujusmodi purgatione factâ, et reliquâ satisfactione persolutâ, qui sunt ejusmodi omni maculâ purgati, ad beatitudinem transeunt. Simili verò ratione etiamsi quis servatis omnibus mandatis Dei, mortalibusque culpis liber, parvis verò et quotidianis, sine quibus vita hominis transigi non potest, obnoxius, hinc sine pœnitentiâ et satisfactione decesserit, in Purgatorii loco integrè quod omiserat reddet. Eum enim qui mortalibus semper abstinuerit, propter minima ista, ut qui turpissimè flagitiosèque vixerunt, in inferno damnari, justus profectò judex nunquàm permitteret. Aliàs enim vita pura nihil à corruptâ differret; si qui sine venialibus culpis esse non possumus, sumus enim homines, æquè propter illa, ut quisque perditissimus ob scelera gravissima, cruciabimur. Et quomodò unicuique Dominus reddet secundùm opera sua, si tot frustra labores nobis pro illius implendis jussis assumimus? imò verò, quænam est salutis spes, si etiam parva quædam peccata, quæ velut umbra homines sequuntur, æquè ut mortalia damnantur? Nam sine ipsis decedere, illorum est qui per martyrium consummati, vitamque angelicam imitati sunt, eorumque qui magnam ostenderunt pœnitentiam, ut latro, et quos divina gratia præcipuis*

justificavit. Cæterùm ut sordidatum vel parvâ maculâ uniri Deo, et perfrui beatitudine possibile non est : nihil enim divinæ naturæ profanum appropinquat. Ita omnibus peccatis expiatum, putare non admitti ad beatitudinem, cùm nihil jam obsistat, irrationabile simul et iniquum est, Scripturæque sententiis contrarium. Sic itaque inter beatitudinem et æternum cruciatum tertius locus relinquitur, in quo hujusmodi peccata purgantur. Eum verò locum ignem esse aiunt, non eum qui ante faciem Christi, in ejus revelatione, ut ait Daniel, præcedit, et quem gehennæ ignem Scriptura vocat; his enim qui in illum semel merguntur, nulla est emergendi spes; sed ignis alius, quem Purgatorium dicunt, qui in eo delicta purgantur, ac velut in fornace, quod in illum mittuntur emundantur, istudque ante judicium extremum. Post hoc enim nullus qui mundetur erit, unoquoque proprium sibi locum æternè vindicaturo. Solùm enim ante hoc judicium quæ pro animabus fiunt, conferre possunt, sed et si qui adveniente Domino ad judicandum mundum, modò sanari possint, relinquentur. « Omnes enim non dormiemus, omnes verò immutabimur, et nos qui vivimus, qui residui sumus, simul cum eis rapiemur. » Deus ut qui possit mortis atque illorum regenerationis omnia in momento persequi, ita et purgationis dolorem, qui multo tempore durâsset, breviter contrahens, reddet juxta temporis dolorisque rationem, ut omnes illius conspectui assistant, omni quidem motu cursuque quiescentibus, omnibusque sacramentis ac dispensationibus impletis. Idem verò et de corporibus, si quem ex his dolorem quis obvenire velit propter consortium ad animam in hâc vitâ, nihil cogitare prohibet. Si quis verò hujusmodi purgationem, in quibus prædictum est, neget, necesse est ut confiteatur, vel malum aliquod relinqui impunitum, vel fidelium Ecclesiam cum maculâ Christo conjungendam, vel quæ pro defunctis fiunt, nihil valere. Sed primum illud quidem, etsi audax dictum est, injustum ostendit Deum, si quidem dissimiliter peccantes iisdem pœnis subdit, et qui differenter vixerunt, eisdem dignos censet, non eis quod justum est, in staterâ et pondere distribuens. Neque enim si clemens et misericors est, summa in Deo illius justitia tollitur. Hoc enim est ipsum destruere. Et Scriptura verò ubique misericordiam judicio conjungit; neque si indulgens æternâ damnatione confitentes eripit. Jam etiam pœnitentiæ afflictionem peccatorumque satisfactionem tollit. Ita enim solis mysteriis esset cœlesti regno perfrui, quanquàm et dignè posse satisfacere, gratiæ est. His enim qui in Deum peccant, quid ad propitiandum, seu satisfaciendum posset sufficere? Tamen hominum infirmitati condescendens, et magna parvis commutans, secundùm magnam misericordiam ignoscit, neque Ecclesiæ contritionem et afflictionem pœnitentibus imponenti, atque aliter ad communionem sacramentorum cum fidelibus non admittenti, is qui scrutatur corda et renes, et pertingit usque ad divisionem animæ et spiritûs, minùs diligens quàm illa apparebit, concessâ quantum quis, et quomodòlibet velit satisfactione pro peccatis. Neque tamen justum esset propter levem maculam arcere à regno. Secundum verò omninò impossibile est. « Oportet enim, » inquit D. Paulus, « Ecclesiam uniri Christo non habentem maculam neque rugam. » Atque, ut dictum est, divinæ munditiæ nihil profanum appropinquat; Gregorio item Theologo dicente, post restitutionem in sanctis esse beatitudinem speculationem sanctæ Trinitatis, quæ tota toti intelligentiæ miscetur; quam etiam solam, inquit, ego regnum cœlorum dico. Quomodò fieri hoc posset, si qua in animâ perduraret immunditia. Tertium autem his quæ à Christi Ecclesiâ pro animabus fiunt, speique fidelium contrarium omninò est, hisque præterea quæ à sanctis in historiis, seu revelationibus, seu speculationibus dicuntur, adversatur. Quæ cùm multa sint, sola, quæ Damascenus in Sermone suo pro mortuis ante jejunium quadragesimale dixit, memorabimus : In quo viventium plurimis revelatum, ait, quantùm vel eleemosynæ, vel orationes, quæ pro defunctis fiunt, illis conferant; utque illi vexationibus et vinculis, dùm ista fiunt, dimittuntur. Nempe et magnus Basilius in Orationibus quæ in Pentecoste leguntur, requiem sperat, et orat dormientibus eorum, quibus continentur, tristium. Et omnis Ecclesia talia pro his orans offert : perspicuumque est, quia non solutionem et requiem eorum, qui æternis pœnis cruciantur, orantes petunt. His enim qui semel illis fuerint immersi, emergendi facultas nulla est; aliàs eos, qui damnati eis sunt, contristari necessariò putandum est, finemque fore infinitis cruciatibus putandum. Ad id contra communis fidei positionem est. Quoniam verò neque pro his qui sunt in beatitudine : hi quippe optato fine quietissimè fruuntur; neque pro his quos æternus urget cruciatus, Ecclesia talia orat, colligitur, quod dictum est, tertium quemdam locum purgationis esse, ubi qui continentur per summam Dei justitiam, ejusque miserationem infinitam, his, quibus continentur tristibus eripiuntur, et per charitatis opera benignissimus Deus propitius effectus, pœnalem cruciatum breviori concludens intervallo ad beatitudinem eos transfert non habentes maculam vel rugam. Propter hoc enim cura pro mortuis suscipitur agenda. Joannes Plusiadenus, in Disceptatione pro concilio Florentino, cùm Rhacendyta quæreret : *Quomodò probat synodus animas purgari post mortem?* — Cathol. : *Probat et demonstrat cum ratione, quemadmodum et reliqua.* — Rhacend. : *Age, dicito mihi, unde hoc demonstrat.* — Cathol. : *Primùm quidem exemplo nostri, quod nos ipsi facimus; deinde testimoniis sanctorum Ecclesiæ doctorum, et ab ipsâ rei naturâ.* — Rhacend. : *Profer mihi nostrum exemplum, quos nos ipsi agimus.* — Cathol. : *An nescis adhuc, quid nolent oblationes, colyba, candelæ, oleum, psalmodiæ, commemorationes, et memoriæ pro mortuis in sacrosanctis sacrificiis.* — Rhacend. : *Estne id hoc quod Latini nuncupant Purgatorium, nos* Καθαρτήριον; — Cathol. : *Hoc nempe est, et non aliud.* — Rhacend. : *Asseruisti testimoniis quoque Ecclesiæ doctorum hoc probare synodum. ostendito mihi.* — Cathol. : *Percurre tertium decreti caput; ibi enim cumulatè disputavimus, quibus dubitatio omnis tollitur.* Et hæc quidem Græci. An clariùs an accommodatiùs dicere potuerunt Pontificii? Neque id negant, qui ex schismate sunt, Michael Glyca, Epist. ad Nilum monachum : *Habes siquidem præ aliis magnum Dionysium hanc opinionem è medio tollentem, et*

quæ ex peccatis remittantur, quænam verò non condonentur, manifestò edocentem. De iis namque, qui in peccatis vitam finierunt edisserens, hæc quoque addit : « *Si* « *pusilla quædam adfuerint, utilitatem propter bona* « *opera, quæ pro iis fiunt, accipiunt; si ingentia ac im-* « *moderata sunt, conclusit Deus contra ipsos.* » *Ad hæc suppetit et magnus Epiphanius in Panariis hæc habens :* « *Utiles sunt pro defunctis piorum preces, si ingentia* « *crimina non impediunt.* » *Et hi quidem hæc tradunt; Joannes verò Damascenus apertiùs hæc eadem prosequitur, ostenditque quænam ex delictis facilè condonari possint, quænam condonari omninò nequeant, in Oratione suâ de Obdormientibus, his verbis :* « *Quicumque itaque* « *cum reliquâ suâ inhumanitate atque crudelitate penitùs* « *erant immisericordes, et ad supplicantium preces duri* « *ac inflexibiles, imò etiam rerum alienarum avidi rapto-* « *res, hi nullo modo commoda consequentur;* « *conclusit* « *enim contra eos Deus,* » *ut magnus inquit Dionysius.* « *Quicumque verò conscientiâ erant rectâ, non potuerunt* « *tamen, propter mortem immaturam divinarum legum* « *sancita per seipsos complere, hi omninò propter pre-* « *ces pro iis effusas, maximum in modum proficient.* » *Nec minùs de hâc eâdem re divinus Chrysostomus complectitur :* « *Non potuisti, cùm viveres, negotia animæ* « *tuæ omnia accommodare, in ipso vitæ tuæ exitu tuis* « *præcipe, tua post mortem tibi mittere, et auxilium* « *præbere per bona opera, eleemosynas, inquam, et ob-* « *lationes, ut inde propitium tibi reddas liberatorem;* « *hæc enim illi grata sunt et accepta.* » Imò etiam qui Purgatorium negant, Pachomius Hieromonachus : *Illis qui sine pœnitentiâ è vitâ decedunt, post hanc vitam nulla delictorum remissio est, nisi aliquorum parvorum, veluti risûs et verbi otiosi, et similium, et hæc quidem per bona opera et sacra sacrificia facta pro mortuo remittuntur, ut tradit Gregorius Dialogus.* Simeon Thessalonicensis in Responsionibus ad Gabrielem Pentapolitanum : *Accipitur ab angelis immaterialibus anima, immaterialis et ipsa consequenter, imò naturâ suâ. Habent enim necessitudinem aliquam cum immaterialibus angeli. Animæ verò proficiscuntur, ut à sanctis doctoribus discimus, ad loca eorum vitâ et operationibus digna, et hæc quidem in cœlo, quarum conversatio in cœlis erat. Peccatorum verò atque infidelium animas in inferno esse credendum est, quemadmodùm sanctorum in cœlo et in aliis locis obscuris et tristibus, peccatis eorumdem et infidelitati correspondentibus, dæmonibus obnoxiæ, à quibus veluti tyrannis mœroribus ac laboribus cruciabuntur. Si verò aliquis ex iisdem moderatè deliquerit, et cum pœnitentiâ ex hâc vitâ excesserit, per sacrosanctum sacrificium et bona opera, et alia, possunt libertatem consequi, antequàm judex advenerit. Et hoc probans Ecclesia pro defunctis preces et sacrificia peragit. Et hoc multi testantur, et inter eos, qui post mortem solvuntur vinculo, non aliâ ratione, quâ eorumdem corpora dissolvuntur.* Et Tractatu *de iis quæ Latini innovant*, circa finem : *Et hæc est sanctorum omnium sententia, nec ullus inter eos præcedentem punitionem agnoscit, præter eam quæ est in mœrore esse et in locis inconsolabilibus animas peccatrices, veluti in carcere pœnas exspectantes; animas verò justorum in locis luminis et relaxationis, exspectantes beatam cum corporibus possessionem. Dat quoque et relaxationem quamdam à mœrore et timore iis qui cum pœnitentiâ, sed non perfectè ex hâc vitâ migrârunt, non ignis aliquis puniens, et eos purgans, ut ipsi tradunt; sed sacræ preces, et sacrificia pro iis Deo oblata, si modò rectè sentientes in fide avitâ excesserint, et pœnitentes minimum in fine, et pro iis bona opera et reliqua rectè facta, non verò, ut ipsi inquiunt præter Ecclesiæ sententiam, ignis ante purgans, Etenim si modò est, et dolor illius finem habet, erit et finis inferni; sed pœnas inferni æternas dixit Dominus, quemadmodùm et regnum æternum. Quod verò ait de divite, principium est tormentorum æternæ punitionis de iis qui absque pœnitentiâ decesserunt, quorum ille primitias habebat propriâ conscientiâ ustulatus, et qui non finaliter pœnis traditur, aut ante expurgatur. Neque enim decretum latum erat :* « *Et abibunt* « *hi in ignem æternum, justi verò in vitam æternam.* » Gregorius, protosyncellus Chius in Synopsi dogmatum: *Si itaque non esset liberatio, quid opus esset commemorationibus, missis, eleemosynis ob defunctos? Quare est liberatio et redemptio ex inferno; sed nos non possumus scire quandò et per quantum tempus mansuræ sunt in inferno, et postmodùm liberationem consecuturæ. Hoc tantummodò scit, quem nihil fallit, Deus. Ecclesia tantummodò orat pro iis qui confessi sunt peccata, lacrymârunt, et tristitiâ affecti sunt quòd in Deum deliquerint. Pro his decreverunt sancti Apostoli in suis constitutionibus fieri commemorationes defunctorum, tertio, quarto et quadragesimo die, necnon tertio et sexto mense, et post annuo die et secundo et tertio anno.* Has defunctorum conditiones agnovit quoque Jeremias patriarcha in Censurâ Orientalis Ecclesiæ, cap. 12, qui sua videtur mutuatus ex Glycâ. Vis plura? audi : Mos ex instituto antiquo apud universam Græciam secularibus, sacerdotibus et religiosis viris, sive illi catholici sint, sive schismatici, solemnis obcalluit, ut ingenti aliquo beneficio acceptus, si non possit alio beneficio rependere, votis à Deo precetur, ut benè illi suisque sit, hâc potissimùm formulâ : *Deus patrem tuum et matrem tuam beatos faciat. Deus parentes tuos beatos faciat* si tamen illi defuncti sunt. Quòd si vivant, alia bona refert in vota, et aliis progenitoribus beatitudinem jam demortuis precatur; si unus ex his supererit, superstitis nullâ mentione factâ, defuncto rectè ominant. Qui reipsà beneficium accipit, reipsà etiam, quando vires non suppetunt, reddere gratiam desiderio suo atque precatione existimandus est ne nugas agat. Græci precantur æternam beatitudinem defuncto; ergo putant eum esse in loco in quo beatitudine careat, ex quo extractus ope divinâ, vel benefacti illius virtute, possit in illam conduci. Nam si beatitudinem defunctus possideret, et de se benè meritum deciperent, et defunctum suâ illâ precatione de beatitudine extrudere viderentur, quod planè esset ridiculum, cupere alicui bonum quod jam ille assecutus est, et voto eo, quasi non esset assecutus, illudere. Et vice versâ, si defunctus pœnis æternis addicitur, ut opinione universæ Græciæ pœnæ sunt inferni, à quibus

emergendi nulla spes est, temerè omina faciunt, et beatitudinem quam sciunt nunquàm illum habiturum, exoptant. Reliquum est tertium, defunctum esse in loco in quo, licèt beatitudine non perfruatur, posse tamen benefactis vivorum è loco illo extractum illam consequi. Hæc etiam pontificiorum sunt dogmata. Quid in paritate opinionum, et conformi instituto consensionis dissidia atque animorum divortia frustra conaris obtrudere? Non unus is homo est, qui similia ominat. Universæ Græciæ, utcumque tu illam acceperis, vota sunt. Vide ne, ut eam ab Ecclesiâ Romanâ avellas et hæreticam facias, insanam etiam atque deliram pronunties. Age nunc tandem. Refer animum sis ad veritatem. Sacrificia et reliqua pietatis opera mortuis plurimam utilitatem afferunt, non beatis, non damnatis, sed illis qui in peccatorum suorum confessione mortui sunt, iis nempe qui, licèt pro peccatis pœnitentiam egerint, non tamen pro iis satisfecerunt, ideòque neque ad cœlum delati sunt, neque ad gehennam detrusi. Et sic qui negat Purgatorium, velit nolit, præter justorum gaudia, et damnatorum pœnas, tertium locum eorum qui cum venialibus vel mortalibus, in pœnitentiâ tamen, de vitâ excesserunt, à quo libertatem ante diem judicii precibus Ecclesiæ, et aliis fidelium bonis operibus consequuntur, necessariò ponere debet.

V. Sed antequàm ad alia progrediar, operæ pretium fuerit postrema Simeonis Thessalonicensis verba, et similitudinem corporum, quæ dissolvuntur, explicare, quod non ingratum lectori futurum puto. Pleraque de excommunicatorum cadaveribus Græci recentiores comminiscuntur, quorum effata in tractatu de quorumdam Græcorum Opinationibus digessi. Inter ea præcipuum est, excommunicatorum cadavera non abire in pulverem, neque dissolvi, sed instar tympani intumescere, et sic inflata longum per tempus durare, donec ab eo qui excommunicatione feriit, vel ab alio cui similia paragendi facultas est, à vinculo excommunicationis dissoluta, compagines etiam nervorum dissolutæ fuerint, sicque in cineres convertantur. Gregorius, patriarcha Constantinopolitanus, ad imperatorum Trapezuntium : *Etenim si semel quispiam ab episcopo excommunicationi subactus, tympani instar intumescit, ut hoc nostro tempore vidimus, et præsulis absolutione dissolvitur, et in pulverem fatiscit, multò magis*, etc. Et quemadmodùm excommunicatione corpus astrictum indissolutum manet, ita et anima extra corpus vinculis colligata à dæmonibus cruciatur; sicut etiam excommunicationis absolutione recitatâ, cadavera compagine dissolutâ in pulverem abeunt, ita et anima à vinculis quibus astringitur à dæmonibus, exsoluta, gaudens in cœlestem patriam immigrat. Incerti Auctoris Nomocanon, cap. 80 : *Qui verò excommunicati comperiuntur, hoc est, quorum corpora indissoluta et integra remanent, indigent absolutione, ut ab excommunicationis vinculo liberentur. Quemadmodum enim super terram corpus ligatum invenitur, ita et anima ejus ligata est, et sub potestate diaboli punitur; et cùm corpus habuerit absolutionem, et ab excommunicatione exsolutum fuerit, ita annuente Deo, et anima illius è manibus diaboli liberatur; composque fit vitæ sempiternæ, nunquàm occidentis lucis, lætitiæque, quæ verbis exprimi non potest.* Manuel Malaxus, in Historiâ Constantinopolitanâ, de muliere propter calumniam Gennadio patriarchæ Constantinopolitano illatam excommunicatâ, et postmodùm absolutâ : *Nec corpori modò ejus venia dissolutioque contigit, sed anima etiam inferorum cruciatibus liberata, in Paradisum venit; illi namque, qui anathemate percussi ab Ecclesiâ exsulant, cùm eorum corpora maneant indissoluta et integra, indigent absolutione, ut liberentur vinculo excommunicationis. Nam quemadmodùm corpora eorum ligata sunt, et indissoluta super terram, sic animæ quoque ipsorum ligatæ sunt à diabolo, et ab eo pœnis divexantur. Quando autem corpus veniam accipit, execrationis vinculo solutum, Deo benè juvante, etiam anima de manibus diaboli libera exit, et vitam æternam, lucemque illam vesperæ expertem adipiscitur.* Animæ istorum in manu dæmonis sunt, cruciatibus innumeris, igneque inferni subactæ, et nihilominùs iisdem precibus, quibus corpus absolvitur à vinculo excommunicationis, eædem à potestate dæmonis, et tormentis, ac cruciatibus liberatæ in cœlestem beatitudinem deducuntur. Pari modo aliæ quoque animæ separatæ sacrificiis et precibus juvantur, et liberantur à pœnis, quibus vexantur, et in gaudia secedunt, et lumen inexstinctum, et hæ sunt quæ moderatè in corpore deliquerunt, et in pœnitentiâ vitam finierunt. Ergo alius est hic locus, cùm in inferno nulla redemptio sit, et in cœlesti patriâ nullum tormentum, nisi Originem sequi velimus, qui inferno illiusque pœnis terminum posuit. Conclude ergo per Græcos post hanc vitam, peccatorum quæ non videntur multi momenti, remissionem esse. Et licèt Pachomius in re apertâ et manifestâ non se extricet; neque enim similia peccata dimittuntur illis, qui absque pœnitentiâ è vitâ migrant, cùm illi rectà in infernum descendant, à quo non est redemptio; sed tantummodò illis qui quòd Deum offenderint intimè dolent, vel patri spirituali saltim attriti peccata sua confessi sunt, et pœnitentiam sibi decretam non absolverunt; attamen cùm se referat ad Dialogum Gregorium, illius sententia manifesta fuerit et simul optima, si ab eodem Gregorio repetatur. Et dices lac lacti similius esse? Unus spiritus fuit qui et in Græcis et in Pontificiis locutus est, quidquid ineptiant heterodoxi. Prosequamur reliqua.

VI. Græcos pro mortuis orare non negabit nisi stultissimus. Quòd si quispiam adeò pertinax est, ut id quoque sibi probatum velit, adeat in Eucologio exsequiarum officia, in Paracleticâ, officia sabbati, in Triodio, officium commemorationis omnium defunctorum. Typicum cap. 30 : *Sanctorum Patrum traditio est, ut commemoratio fiat eorum qui ex nobis ad Dominum migrârunt, ab ipso postremo die, singulis diebus inter missarum solemnia, usque ad quadragesimum diem.* Gennadius patriarcha, de Purgatorio : *Rursùs dementes estis, neque percipitis Ecclesiam Dei semper orare pro mortuis, et singulis sabbatis pro animabus tantùm facere commemorationem,*

Præterea bis in anno pro defunctorum memoriâ celebrat festum, in sabbato dico, quod carnisprivium præcedit, et ante Pentecostem. Hoc eò fit ut simul omnes comprehendat, et eos, quorum consanguinei de iis curam non susceperunt, ut et ipsi cum omnibus in commune hujus subsidii participes efficiantur. Et eo ipso die quo decessit, et postmodùm tertio, et nono, et quadragesimo, et anniversario, et à novâ Dominicâ singulis diebus, donec dies quadraginta absolvantur. Ne hæc me fingere studio partium suspiceris, Græcos ipsos invisamus. Clemens Romanus, lib. 8, cap. 42 : *Exsequiæ verò mortuorum fiant tertio die, adhibitis psalmis, precibus et lectionibus, propter eum qui tertio die à mortuis suscitatus est ; die nono ad recordationem eorum qui sunt superstites, et eorum qui defuncti sunt ; et quadragesimo, secundùm veterem typum.* Τεσσαρακοστῶν, et τρίτων meminit etiam Palladius in Lausiacâ Historiâ, in Palladio. Eustratius magnæ Ecclesiæ presbyter in libro suo de Animis se paratis hoc idem tertio sibi loco proposuit probandum : *Tertium denique caput hoc studiosè prosequitur, oblata pro iis qui in fide obierunt, à sacerdotibus sacrificia, atque domaria, vel preces alioquin supplicationesque et eleemosynas pro iisdem factas fidelibus ad salutem ac delictorum remissionem iis valere omninò, pro quibus hæc offeruntur. In his autem tertio die pro iis offerendo sacra facere refert, Dominicæ ac triduanæ resurrectionis mysterium in precationis subsidium atque auxilium assumentes. Novemdialia similiter, quòd post octo dies à resurrectione visus iterùm est Christus à discipulis. Præterea quadragesimo die, quod post dies totidem à discipulis postremùm visus in cœlos cum humanâ nostrâ naturâ ascendit.* Hæc recitat Photius in Bibliothecâ, cod. 171. Sed ipsa Eustratii verba audiantur, quæ nos unà cum reliquo tractatu, licèt fine mutilo, publicamus : *Progredianur itaque et ad subsequentem quæstionem, quam nos promisimus extricaturos. Quæritur siquidem ab aliquibus, num oblationibus, et inter preces et supplicationes commemorationibus animæ utilitatem captant? Conabimur itaque et de hâc nonnulla testimonia apponere. Et primùm illud ostendemus in veteri lege, licèt obscuriùs, veluti in typo hujusce nostræ, et veræ legis sanctorum commemorationes modis omnibus præceptas fuisse. Dicitur enim in Genesi de Jacobo :* « *Præcepitque servis suis medicis, ut aromatibus condirent* « *patrem suum, quibus jussa explentibus, transierunt* « *quadraginta dies ; iste quippe mos erat cadaverum con-* « *ditorum. Flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus* » *Et in Deuteronomio de Moyse hæc narrantur :* « *Moyses* « *autem erat centum et viginti annorum, quando mor-* « *tuus est; non caligaverunt oculi ejus ; nec corrupti* « *sunt labelli ejus. Et fleverunt filii Israel Moysem in* « *Araboth Moab in Jordane adversùs Jericho quinqua-* « *ginta diebus, et completi sunt dies planctûs lugentium* « *Moysem.* » — « *Cùm futurorum bonorum umbram lex* « *contineret,* » *ut dixit Apostolus,* « *sub uno numero lu-* « *ctûs dies omnes enumeravit. Verùmtamen nunc, qui* « *Verbum et Deum suis viderunt oculis, illique adminis-* « *strârunt, aliter Ecclesiæ tradiderunt, et quadraginta* « *dies in tres partes diviserunt, in tres scilicet, novem et* « *quadraginta. Pari etenim ratione et Dominus post* « *quartum suæ resurrectionis diem manifestavit semet-* « *ipsum discipulis, clausis januis, cùm illis dixit : Pax* « *vobis, et insufflavit in faciem eorum et dixit : Accipite* « *Spiritum sanctum ;* » *notaturque unum ex ipsis non fuisse simul cum illis.* « *Et post dies octo rursùs erant* « *intùs discipuli ejus, et Thomas cum ipsis.* » *En post resurrectionem intra octo dies secundùm discipulis apparuit. Cùm itaque Evangelista dicit :* « *Post dies octo,* » *resurrectionis diem non numerat, cùm illa siquidem novem sunt. Secundùm itaque hanc formam nos à die sepulturæ usque ad diem nonum bis eorum, qui piè obdormierunt, commemorationes peragimus. Similiter et die quadragesimo, quandoquidem quadragesimo die Dominus assumptus est. Hæc autem fieri tradita sunt, non utcumque et temerè, sed prorsùs alicui commodo futura.* Joannes Damascenus, orat. de Defunctis : *Hoc etiam est quod vult et consulit misericors Deus, ut vicissim nos tam in vitâ quàm post mortem beneficiis prosequamur. Nisi enim hoc in oculis suis rectum foret, nunquàm occasionem dedisset habendæ memoriæ defunctorum in sacrificio illo incruento, sed neque tricesimorum, quadragesimorum, et anniversariorum, quæ nunc inconcussa, et certiora, quàm de quibus judicandum sit, Apostolica Catholicaque Ecclesia, ac populus à Domino collectus, pietatique deditus absque omni contradictione custodit. Profectò si frivolum et inutile opus foret, cùm tot sancti, divinoque Spiritu pleni, patriarchæ, Patres ac doctores fuerunt, utique aliquis eorum ad errorem ejusmodi sopiendum incubuisset. At tantùm abest, ut quis unquàm subvertere tentârit, ut confirmârint etiam, quotidièque magis ac magis huic operi studeatur, incrementumque adjiciatur incremento.* Michael Glyca Epistolâ ad Nilum monachum : *Non esse itaque dubitandum de bonis operibus, quæ ab aliquibus fiunt, piorum quidem gratiâ, sed peccatorum, persuadeant nos ante alios discipuli Christi et Apostoli, diebus tertio, nono, et quadragesimo, nec non et exacto anno publicè mortuorum memorias fieri decernentes.* S. Ephræm in suo Testamento : *Et assiduè pro meâ parvitate offerre dignemini, et cùm trigesimum diem complevero, meî memoriam faciatis; mortui enim beneficio afficiuntur in oblationibus*, etc. Gregorius Nazianzenus, orat. in laudem Cæsarii : *Atque alia quidem persolvimus, alia verò dabimus, anniversarios honores et commemorationes offerentes.* Et hæc adeò fixa fuêre Græcorum Ecclesiæ, ut si quando diem commemorationis defunctorum aliorum sanctorum solemnitates occuparent, in alios atque alios dies transtulerint, ne mortuorum animæ vivorum suffragiis ullo unquàm tempore fraudarentur. Typicum Sabæ c. 30. *Sciendum itaque est, si fortè contigerit ad Dominum aliquem ex fratribus migrare, tertii illius diei pervigilium non fieri per mediam hebdomadam usque ad vesperas feriæ sextæ. Tum enim illius pannychis peragitur, et die sabbati pro eodem missæ sacrificium, et sabbato subsequente fiunt ipsius novemdialia, sive tum fuerint, sive non : illius verò quadragesima fieri, cum numerus dierum illius complebitur. Oblationes verò pro eo, et commemorationes incipiunt à novâ Dominicâ usque ad qua-*

dragesimum diem. Orat itaque Ecclesia Græca pro defunctis non minùs ipsa Ecclesia Romana, quæ et die depositionis, et aliis diebus pro temporis opportunitate, et Ecclesiarum consuetudine, et absente corpore defuncti die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario officia recitat, et missas tum privatas, tum solemniter decantatas, et aliis ferè diebus per annum, nisi dominica solemnitas obstet, celebrat, ut taceam quæ ipsa singulariter orat, et facit die omnium defunctorum, et per totam octavam, et potissimùm in altaribus, quæ ipsa vocat *privilegiata;* et hæc à suis sanctis doctoribus edocta, Ambrosio, Orat. de Fide resurrectionis : *Nunc quoniam die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est;* et Orat. de obitu Theodosii : *Ejus ergo principis et proximè conclamavimus obitum, et nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe, qui sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita et hic Theodosio Patri justa persolvit.* Augustino, lib. 1, Quæst. in Genesim : *Septimus dies in Scripturis auctoritatem habet, unde alio loco scriptum est Ecclesiastæ, 22 : Luctus mortui septem dierum.* Licèt alio loco luctum per novem dies improbet. Hildeberto Cenomanensi episcopo de ord. Eremit. : *Continuis pro eo triginta diebus missarum solemnia specialiter celebrantes.* Et parùm refert, si hic septimum, ille nonum, hic trigesimum, vel alium atque alium observat, dùm pietatis officia pro mortuis impleantur, quæ libera sunt, et pro cujusque arbitrio vaga, et stant firmæ pro mortuis preces atque suffragia. B. Remigius testamento suo nepoti Agatimero vineam et quædam alia legat, ut omnibus diebus festis ac dominicis pro commemoratione suâ sacris altaribus offeratur oblatio. Adde his Tertullianum, cujus auctoritas maximi æstimanda est. Is libro de Coronâ militis ait : *Oblationes pro defunctis pro natalitiis annuâ die facimus;* et Exhortatione ad Castitatem : *Etiam repete apud Deum, pro cujus spiritu postules, pro quâ oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot uxoribus, quot illis ratione commemoras, et offeres pro duabus, et commemorabis illas duas per sacerdotem de monogamiâ ob pristinum de virginitate sancitum, circumdatum virginibus, et univiris, et ascendet sacrificium tuum liberâ fronte;* et de Monogamiâ : *Ergo perseverat in eâ cum illo necesse est, quem jam repudiare non poterit, nec sic quidem nuptura, si repudiare potuisset : et pro animâ ejus oret, et refrigerium interim appostulet ei, et in primâ resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis ejus.* Quid ad hæc heterodoxi? Apud primum Tertullianum precum harum memoriam reperiri. Nec secundo seculo quòd constet pro defunctis Ecclesiam Christi orâsse, *quòd sub finem ejus Tertullianus omnium primus illarum precum meminit.* Et oblationes has pro defunctis originem habuisse à Montano, quas postea Montanista Tertullianus in scenam produxerit. Sed ante Tertullianum meminisse, probarunt alii, et Clementem, et Dionysium Areopagitam, et Liturgias antiquissimas. Subdunt hæretici eo non esse tantæ auctoritatis, cùm hæc eadem opera rejiciantur nec agnoscantur ab hæreticis. Agnoscit Romana Ecclesia, agnoscit Græca, et ita agnoscunt, ut dicta eorum non solùm cogitatione venerentur, sed opere etiam ipso imitentur, et, ut illa tradunt, ipso hoc tempore pro mortuis uno consensu orant; nec unquàm apud eas, an sit orandum pro mortuis dubitatum est, quidquid hæretici in contrarium afferant. Sed esto, primus Tertullianus meminerit. Annon satis antiquitatis auctor ille sibi vendicat, qui sub fine secundi seculi scribens, ætate jam adultâ, et aliis scriptis satis conspicuus, non de re tanquàm tum novâ, et recens in Ecclesiam introductâ, sed de re firmâ atque stabili et seriò receptâ sermonem habet, et ex illis precibus argumento, ut ipsi videbatur, firmissimo, contra viduas agit. Si preces illæ non essent à multo antea tempore in Ecclesiam introductæ, viduæ respondissent Tertulliano, nihil adversùs easdem pro monogamiâ afferre. Montani hæc esse dogmata non Ecclesiæ. Eum ex iis quæ non in antiquâ Ecclesiâ et temporibus Apostolorum erant in usu, sed ex novis et nondùm firmitatem habentibus argumentari. Nova de intentione Ecclesiæ firmandâ pondus non habere. Scribebat ergo Tertullianus ætate perfectâ sub imperio Severi, quare facili negotio ab Apostolorum discipulis rem sibi traditam scribere potuit, sub fine seculi secundi, cùm sub initio illius adhuc non nemo ex Apostolis in vitâ esset superstes. Et, ut res magis ac magis pateat, verba ipsius consideremus. Dicit observationem inveteratam prævèniendo statum facere, *quam si nulla scriptura determinavit, certa consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit. Quomodò enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est? Etiam in Traditionis obtentu, exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus an et Traditio non scripta non debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* Per Tertullianum ergo, etiamsi nulla scriptura rem determinat, firma tamen remanet consuetudine corroborata, quæ sine dubio de Traditione manavit. His præfinitis inter similes consuetudines, quas plures enumerat, hanc quoque collocat. *Oblationes pro defunctis pro natalitiis annuâ die facimus.* Postmodùm subdit : *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies, Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem Traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces.* Et infra : *His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam Traditionem in observatione defendi, confirmatam consuetudine, idoneâ teste probatæ tunc Traditionis ex perseverantiâ observationis. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cùm defuit lex, nec differt scriptura, an ratione consistat, quando et legem ratio commendat.* An potuit aptiùs pro Tertulliano responderi? Et tamen heterodoxi dicunt primum Tertullianum in fine secundi seculi precum pro mortuis meminisse. Meminit equidem, sed rei usu

receptæ, consuetudine corroboratæ, et Traditione confirmatæ, illiusque, si tempora conferantur, Apostolicæ. Nugas igitur vendunt, qui ut fidem precum pro mortuis elevent, asserunt primum Tertullianum precum pro mortuis mentionem fecisse. Quis verò ferret æquiùs impudentiam alius, qui in margine Tertulliani adnotavit. *Origo anniversariorum pro defunctis. Quam rem ceu nuper institutam ridemus.* Nuper instituta, quam Tertullianus tradit, asseritque esse et consuetudine corroboratam, et traditione confirmatam! et hanc rem rides? Rideas per me licèt, dùm tu ob hunc tuum risum omnium irrisione ludaris.

VII. Et hanc orandi pro mortuis consuetudinem acceptam ab ipsis Apostolis se conservare reputant Græci : namque fidem adhibent Nysseno dicenti : *Nihil inconsulto, et absque emolumento à Christi discipulis traditum est. Sed res plena utilitatis est, Deoque accepta commemoratio, quæ fit in divino sacrificio pro kis qui in fide obdormierunt.* His addit Gennadius patriarcha : *Audis Patrem hunc, quod nihil inconsultò, sed omni cum animadversione, et ex Traditione sanctorum Apostolorum agit Ecclesia, quòdque in divinis officiis de fidelibus mortuis commemorationem facere est admodùm utile?* Quid plura? Epiphanius in fine operis contra Hæreses, inter alia dogmata Ecclesiæ orationem quoque pro defunctis enumerat : *Alia verò sacramenta lavacri et nostrorum mysteriorum, ut se habet Evangelii et Apostolorum Traditio, fiunt. In iis verò, qui mortem obierunt, commemorationes peragunt, preces fundentes et cultus, et dispositiones facientes.* Et hæresi 75, inter hæreses Aerii numerat, non esse pro defunctis orandum, quem infrà multis refellit, et concludit : *Sed his omissis eò undè diverteram redeo ; ac necessariò facere illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit. Potest verò quisquam maternam sanctionem aut legem patris evertere? quemadmodùm à Salomone scriptum est : « Audi, fili, sermones « patris tui, et ne repellas leges matris tuæ. » Quibus patrem, hoc est Deum, Unigenitum cum Spiritu sancto declarat, partim scripto, partim sine scripto docuisse. Matrem verò nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi evertique nequeunt. Quæ quidem cùm in Ecclesiâ constituta sint, præclara quidem ac penitùs admiranda, ex hoc ipso capite veterator ille convincitur.* Joannes Chrysost., hom. 69, ad populum : *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio ; sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam.* Verba ejusdem laudata à Damasceno, orat. de Defunctis sunt : *Excogitemus quomodò et defunctis prosimus. Demus eis præsens subsidium, eleemosynas, inquam, et oblationes. Quæ res ipsis commodum lucrum et utilitatem magnam affert. Non enim temerè in Ecclesiâ Dei à sapientissimis suis discipulis sancita sunt hæc et tradita, ut sacerdos in tremendis mysteriis preces faciat pro fidelibus defunctis. Inde enim eis multum commodi et utilitatis provenit.* Similia leguntur homil. 41, ad 1 ad Corinth., et Joannes ipse Damascenus ibidem : *Divi autem Apostoli, discipuli Salvatoris, qui totum mundi circuitum vivum cepêre, prædicando Verbum, quod suis oculis viderunt, in tremendis, et impollutis, vitalibusque mysteriis memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atque adeò sine contradictione observat apostolica et catholica Ecclesia Christi Dei, à finibus usque ad fines terræ ; ab eoque tempore usque in præsens, et in finem mundi usque. Omninò hoc neque vanè, neque absurdè, neque temerè fortuitò deordinatum est. Quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, et in tot secula servat inconcussa, minimè vana sunt, sed utilia. Deo placita, salutique nostræ conducibilia plurimùm.* Et supra dixerat, figmentum adulterinum dæmonis esse, negare bona opera, deoque grata nihil defunctis prodesse. Typicum, item, cap. 30 : *Traditio est sanctorum Patrum.* Verba Eustratii Presbyteri Constantinopolitani hoc idem asserentis, et ad antiquissima Hebræorum tempora atque consuetudines, nec non ad Apostolos et discipulos Domini referentis, supra descripta sunt, unde hùc quoque referre poteris, si placuerit. Et ex schismate Michael Glyca Epistolâ ad Nilum monachum : *Non esse itaque dubitandum de bonis operibus, quæ ab aliquibus fiunt, piorum quidem gratiâ, sed peccatorum, persuadent nos ante alios discipuli Christi et Apostoli, diebus tertio, nono et quadragesimo, nec non et exacto anno publicè mortuorum memorias fieri decernentes.* Joannes Eugenicus Nomophylax, in Antirrhetico adversùs sanctam synodum Florentinam, cap. de Purgatorio igne : *Et præcipuè, cùm ipse Dominus noster Jesus Christus, qui judicaturus est universum terrarum orbem, et secundùm opera eorum singulis redditurus, ut Evangelistæ nos veritatem edocent, de hoc purè et sæpiùs aperuit, et sancti Apostoli, et qui eos exceperunt doctores multis in locis exposuerint, et si ex his nonnullos in hoc negotio perperàm interpretantur et corrumpunt ; quos sequens nostra orthodoxa Ecclesia purgationem etiam post mortem tenet ; nempe sacra sacrificia, et preces, et eleemosynas, et alia benè complacita Deo opera quæ à fidelibus super mortuos fiunt.* Et Meletius Alexandrinus, epistolâ ad Chios : *Et est apostolica per Patres ad nos transmissa Traditio, et à sacrâ Scripturâ stabilitatem habet, ex quâ viventium bona opera et lacrymæ iis qui dormiunt, non qualemcumque afferunt utilitatem.* Et conclude tandem cum Chrysostomo, homil. 25, in Acta : *Hæc omnia sunt à Spiritu instituta, volente nos mutuam ponere operam utilitatis causâ.* Dogma ergo Ecclesiæ est, Traditio firma et certa nonnunc recens nata ex Ecclesiæ Græcæ atque Latinæ penu, sed ab ipsâ nascente Ecclesiâ, tradentibus Apostolis, referentibus antiquissimis Patribus, inter divina officia preces pro mortuis fusas maximum illis emolumentum offerre, quemadmodùm et alia opera quæ eorum gratiâ à fidelibus fiunt.

VIII. Et hisce precibus atque oblationibus maximam mortuis utilitatem accedere, fusè probavit Græcorum Patrum dictis Michael Glyca, epistolâ ad Nilum monachum, quam Græcè et Latinè leges lib. 3 de Consensione Ecclesiæ orientalis atque occidentalis, cap. 15, num. 8. Idque fassi sunt antiquissimi illius Ecclesiæ

doctores. Dionysius Areopagita, sive quis alius, neque enim modo de auctore disputo, quam et antiquum esse, et scriptorem insignem, nec heterodoxi ipsi inficias iverint; cujus testimonium si rejiciunt, idem fuerit ac reliquorum Patrum testimonia et auctoritatem convellere. Illius auctoritate ad firmanda fide dogmata non stulti et elingues homines, sed sanctitate et doctrinæ perillustres, et potissimùm Græci in hâc ipsâ de defunctis materiâ usi sunt. Is itaque Ecclesiæ doctor precibus illis antistitem peccatorum remissionem à Deo exorari insinuat, de ecclesiast. Hierarch., cap. 31 *Deinde accedens antistes precem sacram super defuncto peragit; quâ finitâ ipsemet antistes cum amplexu deosculatur, ordineque deinceps suo omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione illâ divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam ac vivorum regionem transferat, et collocet in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, in loco, à quo dolor, et tristitia, gemitusque aufugiunt.* Sanctus Ephræm in suo Testamento : *Assiduè in vestris orationibus mei memoriam faciatis, etenim in vanitate et iniquitate vitam percgi meam.* Ex hoc eodem S. Ephræm Testamento adnotat Gerardus Vossius, et satis commodè : *Ecce S. Pater Ephræm per verba Testamenti sui petit pro se defuncto orari per vivos; et hoc non semel, sed pluribus vicibus diversisque locis in hoc suo Testamento petit, ac repetit, magnum scilicet suum in illo desiderium explicans, et quid quantumque vivorum suffragia pro defunctis valeant, ostendens. Sed quid ad hæc nobis impii respondebunt hæretici, dicentes pro mortuis orandum non esse; vivorumque suffragiis eos haudquaquàm juvari posse? in quorum confusionem non solùm hic noster Ephræm affirmat pro mortuis orandum; sed etiam pro seipso defuncto assiduè orari, ac sacrificia offerri seriò enixèque crebris votis deposcit, efflagitatque sicut ubi dicit :* « *Reminiscamini mei vilis et abjecti in sanctis vestris precibus, cunctisque deprecationibus; nam in vanitate et peccatis vitam meam transegi,* » etc. *Longiùsque hic postea, ubi habet :* « *Oro vos quoque, dilectissimi, ne cum aromatibus me sepeliatis; at date vaporationem funi boni odoris in domo Domini, et me orationibus potiùs vestris comitamini, et aromata Deo offerte,* » etc. *Sequiturque ibidem :* « *Et pro suavi odore aromatibusque pellucentibus vestris me orationibus atque deprecationibus adjuvate, obsecro, semper mei in ipsis memoriam facientes,* » etc. *Longiùsque postea ubi ait :* « *Comitamini me in psalmis atque orationibus vestris, et assiduè pro meâ parvitate sacrificia, et oblationes facere dignemini. Et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis. Mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis sanctorum viventium beneficio afficiuntur.* » etc. *Hæc inter alia in hoc suo testamento adducit Ephræm, quibus hæretici impugnantes vivorum suffragia pro mortuis fieri solita, respondere prorsùs non poterunt.* Hæc Vossius. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi Mystagog. 5 : *Deinde pro defunctis sanctis Patribus et episcopis; deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.* Joannes Chrysostomus, homil. 21 in Acta : *Multas ad salutem vias nobis aperuit Deus. Non frustra fiunt pro defunctis oblationes, non frustra supplicationes, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia sunt à Spiritu instituta, volente nos mutuam ponere operam utilitatis causâ. Certus sis mortuum boni aliquid lucraturum. Non incassùm diaconus clamat :* « *Oremus pro iis qui in Christo dormierunt, et qui com-* « *memorationes illorum agunt.* » *Hanc vocem non emittit diaconus, sed Spiritus sanctus. Quid ais? præ manibus sacrificium, et coram omnia parata. Adsunt angeli, archangeli; præsens est Filius Dei; tanto cum horrore astant omnes; cunctis tacentibus, astant illi clamantes, et hæc temerè fieri putas? Ergo et cætera temerè fiunt, et oblationes pro Ecclesiâ, et pro sacerdotibus, et pro omnibus. Absit. Omnia quippe cum fide fiunt. Vide, obsecro. Tremendum annuntiatur mysterium; adest Dominus, recolitur illius memoria, offertur horrificum sacrificium, mysteria ineffabilia, quòd pro mundo se tradidit Deus. Opportunè in tanto sacrificio redigit in memoriam eos qui aeliquerunt. Sicut enim cùm reges triumphum agunt, unà etiam celebrantur qui participes fuerunt victoriæ; et propter præsentem lætitiam, qui sunt in vinculis emittuntur, elapso vero tempore nil amplius impetrat, qui beneficium non est assecutus. Ita hìc etiam triumphi est tempus.* « *Quotiescumque enim, inquit,* « *panem hunc manducabitis, mortem Domini annuntia-* « *bitis.* » *Ne ergo supini adeamus; neque casu hæc fieri opinemur. Hæc scientes cogitemus seriò quotcumque solatia defunctis præbere possimus; loco lacrymarum, luctûs, sepulcrorum erogantes eleemosynas, preces, oblationes; ut illi simul et nos promissa bona consequamur.* Et in primam ad Corinth. homil. 41 : *Si verò cum peccatis obiit, ferendum illi auxilium, quoad ejus fieri possit, precibus, supplicationibus, eleemosynis et oblationibus. Non enim hæc frustra sunt excogitata, nec vitâ functos incassùm commemoramus, dùm celebramus divina mysteria, proque illis accedimus, Agnum rogantes, qui propositus est, et mundi peccatum suscepit; sed ut aliquod illis solatium præbeamus. Non sine causâ qui ante altare stat, dùm tremenda offeruntur mysteria clamat :* « *Oremus pro omnibus fidelibus defunctis, et iis* « *qui defunctorum memorias celebrant.* » *Instituta quippe nostra non sunt spectacula scenica; absit, sed fiunt ex mandato Spiritûs. Opem igitur illis feramus, commemorationesque eorum agamus. Si enim Job sacrificio purgabat filios, quid ambigis de solatio quod accipiunt mortui, nobis hostias offerentibus? Ne ergo ferendo auxilio deficiamus, et fundendis precibus pro defunctis. Siquidem in altari jacet commune omnium expiatorium; licetque omni ex parte impetrare illis veniam per preces, per munera pro iis oblata, per commemorationes martyrum, confessorum, sacerdotum, quæ tunc habentur.* Et in Epistolam ad Philippenses Homil. 3 : *Etenim si gentiles unà cum mortuis, quæ illi vivi possidebant, comburunt, quantò magis tu, qui fidelis es, demortuo propria mittere debes! non ut quemadmodum illa, cinis fiant,*

sed ut majorem illi gloriam concilient; et si peccator est defunctus, ut illius peccata dissolvant; si justus, ut mercedis illi et retributionis fiant augmentum. Similia habet hom. 32 in Matthæum, et 84 in Joannem, et alibi. Eusebius, lib. 4 de Vitâ Constantini, narrat eum voluisse se sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum. Theodoretus, lib. 5 Historiæ, cap. 36, scribit Theodosium juniorem procubuisse ad reliquias S. Joannis Chrysostomi, et orâsse pro animabus parentum suorum Arcadii et Eudoxiæ jam defunctorum : *Idemque vultu et oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentibus preces fudit, oravitque ut injuriarum per ignorationem factarum veniam illis tribueret. Jampridem autem ejus parentes mortem obierant, illo jam tum valdè adolescente orbo relicto.* Nec tacuit Constantinus Porphyrogennata oratione de Asportatione reliquiarum sancti Joannis Chrysostomi in urbem Constantinopolitanam : *Primum quidem ipsum, qui imperium dirigebat, excipiebat, qui eum ut patrem et susceptorem ex divino lavacro honorabat et venerabatur, et matris, quæ ei fuerat secundùm carnem debitam pœnam dissolvi exorabat; ideòque multas preces fundebat, ut quæ in eum deliquerat, eorum pœnæ remitterentur, et cessare faceret motum quo illius tumulus per annos quinque et triginta incensanter, ut in terræ motu fieri assolet, concutiebatur, et illa veluti quæ Ecclesiam ver tot jam annos concusserat, instar Caini, etiam hinc abiens perpessa est. Nec preces in irritum cecidêre, si quid ex patentibus de obscuris conjectandum est.* Et Theophylactus, in cap. 12 Lucæ : *Hoc autem dico*, inquit, *propter oblationes et distributiones, quæ fiunt defunctis, quæ non parùm conducunt etiam iis, qui in gravibus delictis mortui sunt.* Cyrillus Alexandrinus hoc idem adversùs negantes fusè doctèque probâsse, oratione de hâc eâdem re editâ, *adversùs eos qui audent dicere non esse offerendum pro iis qui in fide obdormierunt*, testis locupletissimus ac certissimus est Eustratius, Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyter, qui singulari capite et Patrum antiquorum testimoniis et auctoritatibus tum ex veteri, tum ex novo Fœdere probat, et cujus studium et conatus laudavit admodùm Photius, patriarcha Constantinopolitanus; ne ipsi nimii simus, vide apud eumdem, quem post hunc tractatum nos primi edimus, ut videant Heterodoxi, quantùm Græcorum Ecclesia cum Pontificiâ singulis seculis in similibus conformis fuerit. Simeon Metaphrastes, in Vitâ S. Joannis Eleemosynarii : *Adhortabatur porrò pro defunctis congressus conficere, contendens et comprobans maximum in modum mortuis proficuas esse commemorationes et missarum sacrificia; ad probanda verò sua dicta et tale quid non multùm ante ætatem suam factum enarrabat.* Exemplum est adolescentis in Persiâ in carcerem perpetuum conjecti, qui parentum precibus ab eo liberatus est. Et planè stulti esset apud illam Ecclesiam de similibus dubitare; quemadmodùm et post hanc vitam duo esse loca, quæ vel præmiis vel pœnis addicta viventium orationibus aut bonis operibus non immutantur, in quibus vel justorum animæ, vel impiorum, eorum scilicet, qui absque pœnitentiâ ex hâc vitâ decedunt, continentur, quibus quæ pro defunctis ab Ecclesiâ, et fidelibus fiunt sicuti eleemosynæ, sacrificia et reliqua bona opera nihil proficiunt, ideòque pro iis non offeruntur. Remanet ergo firmum tertium, orationes illas fieri pro iis qui utilitatem capere possunt, et precibus atque operibus similibus expiati, ad æternam beatitudinem transvehuntur. Tradit Ecclesia Græca se apostolicâ Traditione edoctam, ab ipsius Ecclesiæ initio preces pro defunctis, qui neque in gehennam detrusi, neque ad visionem divinam recepti sunt, fundere, et ita postmodùm continuâsse ad hæc nostra tempora; hoc item tradit et peragit Ecclesia Romana. Hæretici hoc pernegant et abominantur. Quinam sunt hi qui consentiunt? Græcine et hæretici, an verò Græci et Pontificii? Quidquid sit modò de aliis, hoc planè certissimum est, Græcos et Romanos unà sentire, et in utroque ab hæreticis, qui contraria asserunt, discordare. Quòd nec ipsi, qui ex schismate sunt, et Purgatorium negant, inficias eunt. Audiatur Gabriel Severus Philadelphiensis, tract. de Purgatorio adversùs Latinos : *Et de quartâ hâc differentiâ, nempe de purgatorio igne, partim quidem nos concordamus cum Romanâ Ecclesiâ, secundùm verò alia omnia dissentimus. Et concordamus quidem, quòd nos quoque asseveramus animas eorum qui piè obdormierunt accipere utilitatem et relaxationem in locis illis in quibus inveniuntur propter eas, quæ pro ipsis fiunt, eleemosynas et orationes, ut dicit Dionysius Areopagita*, etc. Et post testimonia adducta Dionysii, Athanasii, Chrysostomi, Basilii, Theophylacti, colligit : *Et animas quidem propter missæ sacrificium, et orationes, et eleemosynas, quas Christiani pro fidelibus qui obdormierunt faciunt, subsidium, consolationem et relaxationem consequi, et in hoc Orientalem Ecclesiam cum Romanâ concordare, ex dictis manifestum est.*

IX. Et cùm hæc clara atque aperta sint, tum apud Ecclesiam Romanam, tum Græcam, nihilominùs hæretici non verentur asserere nullam ejusmodi præcepti in veteris novique Fœderis libris volam, nullum exstare vestigium; nec ore seorsim ab Apostolis Ecclesiæ id catholicæ esse injunctum. Nec etiam à sequentis ævi Christianorum plerisque divinum mandatum prætendi. Et preces quas jam tum antiquior Ecclesia cœpit fundere etiam pro ipsis animabus separatis, nonnisi ex fervente quodam amore erga defunctos nactas esse suum initium. Addunt dies commemorationis animarum institutum esse ab Odilone Cluniacensi abbate circa annum Domini 1000, teste Polydoro Virgilio, de Inventoribus rerum, lib. 6, cap. 9. Et cùm planè videant se jugulari à Chrysostomo, qui in pluribus locis ait, *non temerè hæc ab Apostolis sancita fuisse, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* Et : *Non frustra ab Apostolis sancitum, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fieret eorum qui hinc dicesserunt*; et, *ex mandato Spiritûs hæc fieri*, et similia, incogitanter admodùm pronuntiant, Chrysostomum, cùm vixerit aliquot centum post Apostolorum tempora annos, non videri idoneum testem,

et cui tuto fidem possis adhibere ejus quod Apostoli egerunt, si nullum alium exstat in scriptis antiquis testimonium. Nam Livius : *Litteræ sunt una fidelis memoria rerum gestarum.* Parùm mihi curæ est quid dicant hæretici : esse volam et vestigium in veteri et novo Fœdere asserunt et demonstrant Græci et Romani, nec in eâ re unquàm dubitatio fuit vel tenuissima. Et id ab Apostolis ad posteros profectum iidem uti certissimum tenent, probantque suis scriptis, et ut verissimum prædicant; neque id agere dicunt ex fervente erga defunctos amore, sed ut eorum animabus peccatis purgatis prosint. Et hoc institutum multò Odilone antiquius recognoscunt, cùm exortum natumque cum ipsâ Christi Ecclesiâ tradunt, quidquid asserat Polydorus. Tandemque Chrysostomi verba venerantur, iisque absque ullâ hæsitatione, et tutò fidem adhibent, et rei de qua agitur testem et maximè idoneum reputant, licèt ille scripserit post Apostolorum tempora aliquot centum annos, etiamsi nullum exstaret monimentum, quod similia narraret, antiquius. Namque tenent traditiones etiam multas esse in Ecclesiâ non scriptas. Et quando jam Livii testimonio agitur, reponunt ipsi testimonium Ciceronis : *Auctoribus quidem ad istam sententiam, quamvis obtineri uti optimis possumus; quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimùm, et primùm quidem omni antiquitate, quæ quò propiùs aberat ab ortu, et divinâ progenie, hoc meliùs ea fortassè quæ erant vera cernebat.* Tu non credis Chrysostomo, quia tot post Apostolos secula scripsit; multò equidem rationabiliùs Græci et Latini non credunt nec tibi, nec Luthero, nec aliis tuî similibus, inter quos et Apostolos multò major distantia est, applicantque, quod contra Aerium insinuabat sanctus Epiphanius : *Quis ex his meliùs noverit? Delususne homo, qui nunc recens in vitam venit, et qui hoc ævi etiam in vivis est, an qui ante nos fuerunt testes, ante nos traditionem tenentes in Ecclesiâ? Et hi quidem, qui acceperunt à parentibus suis, et eorum parentes rursùs ab iis qui ante eos fuerunt, Ecclesiam à majoribus suis ad hæc usque tempora veram fidem et traditiones acceptas retinere.* Et hæc quidem Græci simul et Pontificii verissimè et simplicissimè pronuntiant. Hæretici mirâ calliditate res vetustatè robustas calumniando prævertunt. Quod etiamsi appositè dicerent, nunquàm tamen evincent in hâc etiam re Græcos et Romanos inter se non congruere, contra atque heterodoxi prætendunt.

X. Dicunt hæretici preces pro defunctis nihil facere ad probandum Purgatorium. Neque enim conspicua est consequentiæ ratio, quâ ex oratione pro mortuis Purgatorium colligitur. Imò certum est syllogismo legitimo nullo, ex isto principio colligi id posse. Et tum haberet speciem consequentiæ vis, si antiqua Ecclesia disertis verbis orâsset animabus defunctorum aliquam à pœnis affligentibus solutionem, quia nec tum probatus fuisset purgatorius ignis. Potuerunt enim orare ut defuncto remittatur peccatum in extremo judicio, nimirùm ubi omnes misericordiâ quàm maximè indigemus. Quod non longè videtur esse à sententiâ et mente Josephi Bryennii, qui, orat. 2 de extremo Judicio, fatetur, tum beatæ Virginis, tum sanctorum aliorum et angelorum precibus, multos à pœnis ad beatitudinem deferendos : *Ad vigesimum sextum dicimus mediationem aliquam tum futuram et angelorum, qui pro nonnullis intercedent, et sanctorum, nec multò minùs mundi Dominæ, non tamen simpliciter pro omnibus, neque pro aliquo, qui in peccatis vitam obiit : nihil minùs; clausit siquidem his prorsùs suam misericordiam ; ideòque contra eos hunc in modum decrevit : « Si steterit Noe, et Job, et Daniel, filios « eorum et filias non rediment. » Sed pro iis solis omnes orabunt, pro quibus intercessiones erunt acceptabiles, nempe pro iis qui in pœnitentiâ vitæ finem posuêre, sed peccatorum maculas perfectè abluere non potuerunt : Et hoc cùm adhuc judicium illud perdurat : namque postquàm theatrum dissolutum fuerit, et unusquisque delatus est ad præscriptum sibi tormentorum locum, mediatio nulla est, neque erit.* Potuerunt sperare illis precibus animæ defuncti aliquod majus debito solatium, vel refrigerium, quo aliàs propter maculam peccati fuisset carendum; quæ sententia hodiè multorum est Ecclesiæ Græcæ. Probantque ex Marci Ephesii oratione habitâ in concilio Florentino, in quâ scribit : *Quòd Deus post migrationem è corpore peccata remittat iis qui venialia commiserunt, hoc etiam à doctoribus dicentibus audivimus.* Item : *An per aliquam punitionem, punitionem, inquam, veluti carceris, aut caliginis cujusdam, an verò simpliciter per clementiam Dei et Ecclesiæ preces ipsum placemus, ut talia peccata remittat, de hoc quidem in præsentia dicendi locus non est.* Et Marcum propendisse in posterius patet ex iis quæ non multò post subjungit : *Manifestum cuivis est remissionem peccatorum nonnullis vitâ functis concedi; quonam verò modo, et an per punitionem, et quidem illam per ignem, ne meminerunt quidem in universum.* Et : *Quid est commune remissioni cum purgatione? aut enim punitione, aut remissione, sive condemnatione est opus et non simul utrâque.* Parùm verò hinc Græcorum reliqui absunt, qui κόλασιν aliquam pro peccatis venialibus admittunt, quæ fiat per caliginem. Illâ enim voce nihil aliud volunt significatum, quàm animæ separatæ aliquem statum minùs debito felicem. Pœnam enim, sensûs quæ appellatur, omninò explodunt. Addunt, sacrificium pro mortuis, licèt antiquum satis sit, nihil tamen ad purgatorias flammas probandas facere. Item, his iisdem precibus oravit vetus Ecclesia pro sanctis et aliis qui jam beatitudinem possident, vel in sinu Abrahæ quiescunt, vel in somno pacis dormiunt, et in quiete existunt, et tamen precibus illis non intendunt eos liberare à flammis quibus cruciantur. Ergo cùm pro defunctis orat vetus Ecclesia, colligi non potest eam flammas purgatorias separatarum animarum agnovisse, sed potiùs eas non agnovisse. Et maximè urgent Liturgia Hierosolymitana, quæ vulgò sancti Jacobi audit, Alexandrina, quæ sancti Marci appellatur, Cyrilli Hierosolymitani, catechesi 5 Mystagog. Manet itaque robur

argumenti firmum : Quicumque orat pro defunctis martyribus aut sanctis quos non dubitat esse in cœlos, non instituit suas illas preces in eum finem ut liberentur ii, pro quibus orat, ex Purgatorio. At veterum plurimi ita oraverunt; ergo, etc. ; et Clemens orat ut remittat ei peccatum, *cujus animam suscepit.* Sed quæ in flammis purgatoriis est, non dicitur à Deo suscepta, sed illa demùm quam nullus ampliùs cruciatus tangit. Nec aliter accipienda sunt verba Canonis Romani. Alienissimum enim est à receptâ vulgò per omnem terrarum orbem interque omnes homines ab omnibus seculis consuetudine, ut qui patitur gravissima omnium quæ excogitari possunt supplicia, eo ipso tempore rectè dici posse *requiescere*, aut *dormire*, et quidem *in somno pacis*, hoc est, pacato et tranquillo somno detineri. Similiter in Christo quiescere idem est quod *in* vel *cum Christo esse.* Animas verò, quæ *in Dei manu* sunt, affirmat disertè Scriptura, non tangi *tormento.* Sed et phrasis illa, *in Christo quiescere*, expressiùs utique notat aliquam beatam quietem, atque illa, *in sinu Abrahæ quiescere.* Ad hæc perpetuo Scripturæ usu *in pace esse* nemo dicitur, nisi cui benè est, quique vivit tranquillè. Verè igitur purgatorius ignis ipsi Romanæ missæ Canoni apertà fronte adversatur. Non est beatus, non quiescit, non fruitur pace, qui dies noctesque immanem in modum in ipsâ Acherontis flammâ ustulatur. Vice etiam versâ oratum est pro iis qui inferno detinebantur, ut de Trajani animâ et Falconillâ traditum est. Adde etiam, si vis, Manuelis rhetoris Peloponesii Purgatorium, quod in hâc vitâ, dùm vivimus, antequàm è vitâ excedamus, patimur, et quo purgamur ita ut vitâ postmodùm functi nullo alio indigeamus, sed rectà ad beatitudinem ipsam deducamur. Ecce verba : *Afflictiones verò, quæ propter aliqua peccata adhuc in vitâ superstitibus, Deo permittente inferuntur, et cum patientiâ sustinentibus, et gratias pro illis Deo agentibus, dicimus nos esse veluti quemdam purgatorium ignem. Similium siquidem afflictionum, quæ ad puniendum à Deo inferuntur, mora diuturna, contingit aliquos à peccatis expurgari, ut illis innuitur : « Pertransivimus per ignem et aquam ; » et : « Eduxisti nos ad refrigerium. » Quòd si esset post mortem aliquis ignis purgatorius animarum ante judicium, ut vos malè opinamini, animæ illæ omnes temporis immensâ longitudine depurgatæ essent, et nulla judicii tempore inveniretur punitioni obnoxia, et frustra dictum esset à Domino illud : « Et abibunt hi in « punitionem æternam ; justi verò in vitam æternam. »* Ad quod confirmandum alii adducunt Abrahæ verba ad epulonem : *Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, et Lazarus similiter mala;* quòd sicut Lazarus, si quid peccavit, luit in hâc vitâ pœnas, ut exponit Chrysostomus, 3 in Lazarum homiliâ, et sermone in terræ Motum atque in Divitem et Lazarum ; ita et cæteros homines pati suum purgatorium in hâc vitâ. Quare concluditur modis omnibus, cùm preces fundantur pro iis quibus minùs necessariæ sunt, multò minùs fundi pro iis qui in Purgatorio degunt ; neque ex similibus precibus Purgatorium colligi.

XI. Et ita contra Purgatorium argumentantur hæretici, qui ex propriis, et quæ pertinacia suggerit, obloquuntur, et in rebus fidei demonstrationes quærunt à Catholicis, quibus illi in propriis sententiis tutandis destituti, videntur sibi oracula fundere, et luce ipsâ clariora pronuntiare. Quid verò Græci, qui Ecclesiæ dogmatibus et sanctorum dictis addicti, nihil quod non sit ab illis effatum admittunt, quod ab illis rejicitur, et ab eorum doctrinâ alienum est, respuunt? Argumentum desumptum à precibus pro probando Purgatorio firmissimum esse, ac ferè ineluctabile. Cùm enim ex doctrinâ Patrum sciant preces pro defunctis Deo esse acceptas, ideòque illis proficuas, cùm non sint iis qui beatitudine perfruuntur, neque iis qui in sempiternas flammas condemnati sunt, è quibus emergere fas non est, reliquum est ut sint iis qui in tertio loco sunt, et aliquo peccatorum nexu impediuntur, ne rectà in cœlum abeant, nec delictorum pondere ita prægravantur, ut penitùs deprimantur, et in inextinguibiles flammas immergantur. Et tu negas vim in argumento, et ex istis Purgatorium esse, non posse evidenter concludi. Parùm curat Ecclesia Græca, quidquid tu asseras, quidquid tu credas, quidquid demonstrationis locum apud te occupet. Sive ais, sive negas, satis illi est si doctorum suorum doctrinam sequatur, nec plus in argumentando sapiat in rebus fidei, quàm ex eâdem gente sancti doctores. Et ut videas, adeamus ipsos : neque enim te ad antiquissimos refero, sed ad eos ipsos qui post schisma et concussum hoc Purgatorium floruerunt, inter quos Manuël Caleca, contra Græcos lib. 4, cujus verba non est opus hìc iterùm repetere, cùm supra allata sint. Pete tibi inde, si complacitum fuerit. Græcus, cujus interest, *perspicuum esse* dicit, et *necessariò colligi* ; et tu dictitas, *non posse colligi, neque esse conspicuam consequentiæ vim?* Vis alium et doctrinâ et dignitate præcellentissimum? Adi Gennadium, patriarcham Constantinopolitanum, de Purgatorio, sect. 6. Adde, si vis, Joannem Matthæum Caryophilum, virum in doctrinâ Patrum et conciliorum doctissimum, adversùs Gerganum, qui ex similibus precibus argumentatur, blasphem. 23. Et ita Græci argumentantur, à quibus non dissentiunt Romani. Hæretici nodum in scirpo quærunt, et magis conspicuam consequentiam postulant, ad quorum sententiam Græci accedunt, Romanorumne an hæreticorum?

XII. Et quia concedunt tum vim consequentiæ aliquam speciem habituram, si antiqua Ecclesia disertis verbis orâsset animabus defunctorum aliquam à pœnis affligentibus solutionem, videamus, quid in hoc negotio Græci præstant, et an precantur defunctos à pœnis liberari. Neque hìc unum aut alterum testem adducam, sed universam ipsam, Græciam, palàm et apertè has easdem profitentem in suis Ritualibus libris, et signanter in officio exsequiarum, in Contacio : *Cum sanctis Christe, animæ servi tui da requiem, ubi dolor, mœro*

et ejulatus deficit, et vita perpetuum duratura præsens est. Et oratio pro iisdem nulla alia est : *Ipse, Domine, animæ servi tui N. defuncti, in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, unde dolor, ærumna et gemitus exsulat, da requiem. Delictum omne sive verbo, sive opere, sive cogitatione ab eo commissum, ceu clemens Deus condona. Non enim est homo, qui vivat et non peccet. Tu solus peccati exsors existis.* Etiam quæ habetur in Barberino Eucologio S. Marci, licèt verbis aliis, eamdem tamen sententiam intonat : *Da requiem, Domine, animabus servorum tuorum in perpetuâ misericordiâ, in luminis regione, in quietis loco, in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob cum sanctis omnibus, qui à seculo tibi placuerunt.* Et in Paracleticâ, Græci in ecclesiâ concinunt : *A lacrymis, et ejulatibus, quæ in inferis sunt, servos tuos libera, Salvator.— Servis tuis, qui pondus deposuerunt, et soluti sunt à vinculis nunc, et ad supernam vitam transmigrârunt, Christe Salvator, concede ut tuorum sanctorum splendoribus perfruantur. — Misericordiæ abyssus, quos ex loco molestiarum, et umbra mortis, Salvator, transvexisti, ubi resplendet lumen tuum, repone. — Ubi dolor aufugit, et ejulatus et mœror, ubi lumen splendet, Christe, tuæ faciei, ubi sanctorum cœtus subsiliunt, colloca omnes qui sedem mutârunt, omnibus lapsibus eorum despectis, ceu solus misericors.* Nicolaus, Athenarum metropolita, in officio Olei sancti, quod dicitur in defunctos à septem sacerdotibus, in Canone, ode 8 : *Viventium vita, qui mortuus es, et mortem morti tradidisti, vitæ æternæ et luminis servum tuum participem fac, ubi aufugit mœror, ejulatus et lacryma, illum collocans;* et Ode 9 : *Immaculata Domina pura, filium tuum pro servo tuo, qui transmigravit in regionem viventium callidè precare, ubi lumen est occasûs nescium illum collocare.* Et in Orationibus : *Suscipe tuâ consuetâ humanitate, et libera illum à tenebris exterioribus, et omni aliâ gravi punitione. — Et requiem dona animæ servi tui in locis luminosis, in locis amœnis, in locis refrigerii, unde aufugit dolor, mœror et ejulatus, in habitaculis justorum, et pace, et relaxatione eumdem dignum fac. — Et requiem da animæ servi tui defuncti, et eripe eum à malis, et libera à tenebris, et educ de carcere, et colloca eum ubi justi habitant, — Et eripe eum à vinculis, et libera eum à verberibus, et educ eum de carcere et tenebris, et colloca eum cum electis tuis. — Et da veniam illi qui te ob delicta in iracundiam concitavit, et libera à verberibus, et eripe à molestiis, et educ è tenebris et è carcere. — Et da veniam tuo divino mandato, et libera eum à tenebricoso et obscurissimo tormento, et amaris tyrannis, et tortoribus dæmonibus.* Precantur, ut vides, hìc requiem mortuis; ergo in inquiete degunt : reponi in loco lucido; ergo in tenebris sunt; in loco refrigerii; ergo ardoribus decertant; ubi dolor, mœror, et gemitus, et lacryma exsulant; ergo et doloribus, et gemitibus, et lacrymis, et mœroribus affliguntur. Et dicet quispiam hæccine pœnas non esse, et pœnas gravissimas? Si, inquies, continuæ tenebræ, horror, ardor, dolor, mœror, gemitus, vincula, verbera, carcer, tormenta et animadversores dæmones, pœna non est, ne te, qui hæc ais, et sensus et consilium fugiunt. Jam sapientem Stoicorum video. Inclusus, non prohiberis; præcipitatus, non pateris vim; in tormentis, non cruciaris; si uraris, non læderis; dejectus, invictus manes; circumventus, non obsideris; carceribus inclusus, liber es, verberatus non sentis; lacrymans, rides; ejulans, in lætitiâ es; sub tortore tyranno imperia administras. Probaverat Plutarchus Stoicos quàm poetas absurdiora dicere. Aptiùs, dùm hæc tu pronuntias, dicerem te quàm Stoicos et poetas ipsos absurdiora venditare. Et tamen aliquantulùm moderans addis, Græcorum nonnullos videri agnoscere aliquas pœnas purgatorias, quas privativas dixeris, atque ab illis sperant levamen aliquod per preces, eleemosynas et alia, non tamen Romanensem illum purgatorium ignem, aut alias pœnas sensûs quæ dicuntur, ea propter admisisse. Bone Deus! Universa Græcorum Ecclesia continuò in iisdem persistens, et verè contumax, tibi nonnulli Græcorum sunt? Dolores, mœrores, lacrymæ, vincula, carceres, verbera, et quid non? sunt pœnæ privativæ, licèt purgatoriæ sint? liberari à pœnis illis et in beatitudinem transferri, ex miseriis ad gaudia, ex pœnis ac tormentis ad vitam beatam aliquod levamen? Et his omnibus cùm continuò et disertissimis verbis Romanense purgatorium constabiliant, tu tamen contendis, sed satis frigidè, Romanensem purgatorium ignem non admittere. Habemus itaque nunc ex Ecclesiâ Græcâ universâ, non ex nonnullis Græcorum, pœnas sensûs, easque atrocissimas, quidquid tu in contrarium prætendas. Quid illa de igne senserit infra videbimus,

XIII. Sed pœnæ purgatoriæ plenius comprobentur. Colybæ apud Græcos quænam sint, unde principium habuerint, et quomodò offeruntur in honorem sanctorum, et pro mortuis, fusè et doctè docuit Jacobus Goar in suo Eucologio. In precatione super defunctorum colybis oratur : *Semina in memoriam defunti servi tui, in templo sancto tuo oblata, benedic; et eum propter quem illa sunt oblata, in sinibus Abrahæ, et in lætantium regione, remissione et delictorum veniâ illi concessâ, habitare concede.* Nec alienus est ab his Dionysius Areopagita, loco supra laudato. Rogant ut ille transferatur in sinum Abrahæ, et in lætantium regionem; ergo ex mœrore et pœnis quibus eum putant conflictari. Basilius Magnus, Precatione 3 in Pentecostem, quam recitat sacerdos ante altare, vel episcopus singulis annis die Pentecostes sacro, reliquis omnibus detectis capitibus in genua procumbentibus et audientibus, hæc inter alia precatur : *Qui in hoc absoluto undequàque et salutifero festo suffragia supplicationesque pro detentis in inferis suscipere dignatus es, magnâ nobis spe subjectâ, detentis hujusmodi, detinentium eos tristium relaxationem et solamen à te fore rependendum, exaudi nos abjectos et miseros, te deprecantes et animabus servorum tuorum vitâ ante nos functorum, et in loco lucido, in loco virenti, in loco refrigerii, unde dolor omnis, gemitus et suspiria exsulant, requiem præbe. In tabernaculis justorum, pacis et quietis spiritus eorum colloca.* Loca infera vides, et tormentorum ac rerum molestarum congeriem, ex quâ educi animas supplicat Eccle-

sia, et pœnas quæris, ut iis consequentiæ speciem habeas. Græca Ecclesia est, quæ similia postulat, quæ pœnas agnoscit, non heri aut nudius tertius, sed ab ipsâ sui origine. Nec longè est Tertullianus, lib. de Monogamiâ : *Et pro animâ ejus oret, et refrigerium interim apposulet ei, et in primâ resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis ejus.* Duo, ut vides, hìc insinuantur tempora, præsens et futurum, cùm resurrectio fiet. Rogat igitur uxor animæ mariti refrigerium, quo scilicet caret, quòd pœnis implicatus variè divexatur, et futuro tempore, cùm primùm surrexerit, consortium. Tum enim ambo, si peccata non impediverint, tandem æternitatem et vitæ genus consequentur. Vidimus supra quid de precibus pro mortuis Cyrillus Hierosolymitanus, catech. Mystag. 5, insinuat, qui juvamen precibus illis mortuis suppeditatum agnoscit. Videamus nunc an etiam tormenta fateatur. Proponit dubium quod quidem tum à multis afferebatur, et nunc denuò, licet dissolutum tum fuerit, ab heterodoxis proponitur. Qui hâc vitâ excedit, vel sine peccatis excedit, vel peccatis obnoxius; si sine peccatis, jam beatitudine potitus, precibus fidelium non indiget; si peccatis obnoxius, in gehennæ ignem detrusus nullâ salutis spe, etiam preces illas quas pro eo fideles effunderent, aversatur. Frustra ergo preces illæ fiunt. Audiatur illius responsum : *Quod exemplo vobis demonstrare volumus : Scio enim multos dicere : Quid juvat animam, sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiam si in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerent, nonne remissionem aliquam et relaxationem suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum et nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis et illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Paritas exempli in eo est : Liberatur exulans à pœnis, si ejus propinqui coronam regi deferant; liberantur peccatores fideles à pœnis, si fideles Christum pro eorum peccatis offerant. Et nondùm tibi satisfit? Gabriel Severus Philadelphiensis de Purgatorio : *Propterea catholica et apostolica Ecclesia Orientis, et reliquæ omnes nationes quæ illi subjiciuntur, et cum eâ concordant, bis in anno sacrificium missæ in communi celebrant, et orant pro illis qui piè obdormierunt, orthodoxis Christianis, sed potissimùm pro pauperibus et peregrinis, qui immaturâ aut repentinâ morte obierunt, et non potuerunt agere quæ Christi Ecclesia præcipit. Pro his qui piè obdormierunt, et omnia sancta monasteria, et omnes particulares Ecclesiæ singulis sabbatis sacrum facientes orant sacerdotes misericordem ac miseratorem Deum, ut consequantur remissionem et liberationem eorum animæ, quæ tormentis cruciantur.* Et de particulis : *Adhuc eas offerimus pro iis qui in Christo obdormierunt parentibus et fratribus nostris, et amicis, et consanguineis. Scopus verò est ut collocet animas eorum Dominus in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, ubi exulat mœror, tristitia et gemitus, et ut det remissionem et solatium rerum tristium quæ eos occupant, et impertiatur ipsis libertatem et liberationem ejulatuum et lacrymarum, quæ in inferno sunt, ut sancta Dei Ecclesia docet palam similia intonans. Et hæc vera esse Basilius Magnus supplicationibus in sanctam Pentecostem, in quâ genua flectere communiter omnes accepimus, et Deum precari pro fidelibus in Christo defunctis fratribus, palam institutum est.* Quâ ergo fronte asseritur Eucologia Græcorum publica purgatoriæ alicujus pœnæ, ne verbulo quidem meminisse, sed fructum precum pro defunctis, in extremum duntaxat judicium videri differre? Solem vides, et diem esse negas? Quæ est ista oscitantia? Animadvertenda equidem erant, quæ legeras. Si non legeras, quid incautè pronuntias, et unâ tuâ negatione Ecclesiam Græcam adeò immaniter vulneras, et à Latinâ, quam ipsa sequitur et mordicùs tenet, avulsam in alia atque alia abripis? Quidquid igitur tu asseras, Ecclesia Græcorum non verbulo, sed prolixis etiam orationibus pœnæ purgatoriæ, illiusque dirissimæ meminit; et jam etiam palam est te mendacii prehendi manifesto modo, qui affirmas, saltem ante unionem Florentiæ initam, nullas purgatorias pœnas à Græcis in universum fuisse admissas, adeòque longè esse falsissimum id quod nonnulli asserunt, non nisi aliquot paucos homines Græcæ Ecclesiæ de Purgatorio dissensisse; jam enim apertum ex supradictis remanet, Ecclesiam Græcam universam pœnarum Purgatorii mentionem in suis officiis fecisse, et longè clarissimè etiamnum facere, cùm ea quæ supra posuimus præsentibus omnibus Christi fidelibus recitet, quod negare planè desipere est. Quare verè dixerunt, qui tradiderunt paucos Græcæ Ecclesiæ homines dissensisse, quos si enumeraveris, næ tu in quarto vel quinto numerum perdes. Esto enim Ephesius, Meletius patriarcha, Michael Peloponesius, et nonnulli alii id et pertinaciter negaverint, ideòne Ecclesia Græca id negâsse dicenda est, quæ tota per omnia patriarchia easdem preces usquedum continuat? Quare mendacium alterum erit, quod tu asseveranter insinuas, Ecclesiam Græcam post Florentinam synodum, ut et Russicam, et Armenicam Purgatorium non admisisse. Quidquid sit de Russicâ et Armenicâ, Ecclesia Græca etiam post Florentinam synodum ad hunc diem eadem repetit, et eodem nunc modo atque antea preces pro defunctis continuat, exoratque ut eorum status permutetur, et à molestiâ ad lætitiam transferatur. Abjice ab oculis glaucoma quod impedit ut quod vides non videas. Sed ut majori rerum splendore cæcutias magis, audi quid de pœnis similibus, qui ex schismate Purgatorium oppugnârunt, enuntiant. Simeon Thessalonicensis, dialogo adversùs hæreses : *Sacrificium hoc*, nempe missa, *quàm maximè proficuum esse, cùm à vinculis solvat, et à morte liberet, multis quæ contigerunt signis, et scripto demandata sunt, manifestum, acuunt.* Et infra : *Propterea has commemorationes necesse est ab omnibus peragi, et summâ etiam contentione, et præcipuè maximè horrendum*

sacrificium quod hanc ob ipsam rem traditum est : cùm per has preces, et orationes, et sacra sacrificia, et erga pauperes bona opera, non solùm his qui deliquerunt, et cum pœnitentiâ egressi sunt è corpore, remissio et relaxatio conceditur, et pœnarum liberatio, sed et illis qui justè vixerunt, et fine bono, et Deo complacito vitam terminârunt, major purgatio et sublimatio datur, ut Chrysostomo videtur expositione in Acta Apostolorum, et ad Deum approximatio, et apud eumdem libertas, et illuminationis ex eo suppeditatio splendidior. Gabriel Severus Philadelphiensis, de Purgatorio : *Apostoli verò, et qui eos subsecuti sunt, præsules et sacerdotes, et genus omne rectè sentientium, servorum instar animo dejecto orabant et orant Deum pro fidelibus orthodoxis qui obdormierunt ut liberationem à tormentis consequantur, et remissionem peccatorum. Callent enim optimè hoc opus esse Deo benè complacitum atque acceptum apud humanum et misericordem Salvatorem Christum, à cujus misericordiâ pendet punire et castigare, liberare et tormentis afficere, quantùm ipsa vult, et placet justæ illius voluntati et judicio. Quòd nullus alius cognoscit pœnam pro dignitate, quam anima meretur secundùm quantitatem, et qualitatem propriorum delictorum præter unum cognitorem cordium Deum.* Et infra : *Et propter divina mysteria rursùs, et orationes, et eleemosynas defunctis orthodoxis Christianis liberationem et remissionem tormentorum ob peccata elargitur, et hanc liberationem dignæ animæ magis consequuntur.* Georgius Coresius, de Purgatorio : *Igitur divina absentia, et aliqua immaterialis alia pœna infernalis pœnæ non absimilis, imò proportionata; et sufficiens est misericordia divina, et omne humani auxilii genus aliud, ad liberandum horum animas à molestiis, quæ apud inferos sunt.* Idque sæpiùs ibidem repetit. Et hi quidem ex schismate sunt, et post Florentinam synodum contra Latinos de Purgatorio scripsêre. Tota ergo Græcorum Ecclesia, et ante et post Florentinam synodum purgatorias pœnas animabus post hanc vitam statuit, quibus illæ expurgatæ ad gloriam deducuntur æternam. Id idem Romana Ecclesia profitetur, hæretici negant, et alia atque alia blaterant, à quibusnam stat Ecclesia Græca.

XIV. Græci κόλασιν aliquam pro peccatis venialibus admittunt, quæ fiat per caliginem, quâ indicatur animas separatas esse in statu minùs debito felici. Pœnam enim sensûs prorsùs explodunt. Si tot tormenta, tot lacrymæ, tot vincula, tot verbera, tot ejulatus, tot inquietes κόλασις aliqua hæreticis est; ô homines fortes et planè insensatos ! Græcis, qui illis delicatiores sunt, et homines se esse agnoscunt, dira illa sunt, et atrocia, et absque divino concursu, qui creatas animas sustinet, et aliquo modo solatur, planè intolerabilia. Si quia Græci precantur eas in loco lucido collocari, argumentantur esse caliginem ; quare cùm exorant eas in locum quietum transferri, inquietem non arguunt? in locum amœnum, senticeta horrida ac spinosa? in locum refrigerii, æstus ardoresque? in sinu Abrahæ, cavernas pestilentissimas, et alia quibus et animo et mente laniantur? Sunt illæ animæ in cæcâ noctis caligine, in pungentissimis spinis, in horriferis ac fervidissimis ardoribus, in tormentis atrocissimis, et tu dicis esse in statu minùs debito felici? Ardere, aduri, pungi, tormentorum omni genere torqueri, et nisi essent de suâ salute securi, inter flammas ipsius inferni, immorari, ustularique, felix status minùs debito et κόλασις aliqua tibi videtur? Quæ est ista alienatio mentis! Indue sensum! Fac sis, humana cogita, cùm inter homines loqueris. Non explodunt has pœnas et similia tormenta Græci, à quibus continuò orant, ut animæ illæ maculis purgatæ liberentur, et in statum absolutè felicem ab absolutè infelici referantur.

XV. Subdis veterem Ecclesiam his iisdem precibus orâsse pro sanctis et aliis qui beatitudinem possidebant, vel in sinu Abrahæ, vel in somno pacis quieverant, et tamen non intendebat eos à tormentis et flammis liberare. Ergo nec etiam nunc, cùm pro defunctis orat, pœnas similes agnoscit. Planè jejunus atque infans es in rebus Græcorum. Et tamen de iis adeò audacter pronuntias. Falsissimum est Græcos iisdem precibus orare pro sanctis. Orant pro sanctis, non nego. Iisdem precibus, hoc verò ex tuo cerebro est. Lege preces illas, sed jejunus et in lumine ; tum diversitatem agnosces. Tormentorum ac pœnarum nulla ibi mentio ; nullum vestigium est. Alius scopus, aliud propositum. Quare ergo orant? Discito ex iisdem Græcis et fastum depone. Orant ergo pro sanctis, ut eorum nomine propter dona cœlitùs illis exhibita in Dei gloriam sacrificium cedat. Non orant pro illis, ut injuriam illis irrogent, sed ut pro eorum gloriâ ampliores Deo gratias agant, pro defunctis in remedium et suffragium. Hujus rei pleræque à Græcis et Latinis causæ assignantur. Dionysius Areopagita : *Ut puto, si quis hìc vitam sortitus sit sanctissimam, eamque duxerit deiformem, in quantum nempe Deum imitari quis potest, in futuro seculo divino beatoque otio fruetur ; sin remissiorem quidem illâ deiformi, simul tamen sanctam vitam quis egerit, paria et ipse meritis suis præmia referet. Divinus itaque antistes pro divinâ hâc justitiâ gratias agens rem sacram peragit, atque venerandum laudat Dei principatum, quòd iniquum, tyrannicumque imperium, quo omnes premebamur, exterminaverit, et nos ad justissima sua judicia transtulerit.* Audi Chrysostomum, Expositione ad Philippenses : *Et si peccator est defunctus, ut peccata dissolvantur ; si justus, ut augmentum illi accedat mercedis et retributionis.* Vis clarius? Epiphanius contra Aerium : *Namque justorum memoriam agimus, et pro peccatoribus. Pro peccatoribus misericordiam Dei exoramus ; pro justis et patribus, et patriarchis, prophetis, et apostolis, et evangelistis, et martyribus, et confessoribus, episcopis etiam et anachoretis, et universo ordine, ut Dominum Jesum Christum segregemus ab hominum ordine propter honorem erga ipsum, et cultum ipsi exhibeamus, animo volventes, non æquiparari Dominum alicui mortalium, licèt in infinitum et ultra in justitiâ existat unusquisque homo. Quomodò enim id fieri posset, cùm hìc quidem Deus, ille homo sit? ille in cœlo, hic in terrâ?* Theodorus Andidorum episcopus, in Expositione

missæ : *Secundi antiphoni subsequens carmen, intercessionibus sanctorum tuorum ; cùm enim pro salute animarum, et remissione lapsuum divina perficiamus mysteria, meritò, tanquàm quæ sanctis reliquis, vel ipsis etiam cœlestibus virtutibus excellentior est, Dei matrem in supplicationem advocamus, postmodùm eos qui complacuerunt illius Filio.* Et infra : *Et pro illis vult sacrificium offerri ; et meritò : neque enim pro peccatoribus solùm sanguinem effudit Pastor bonus, et sacrificium Patri pro iis reconciliandis factus est, sed etiam pro ipsis justis. Non enim est, non est qui vivat, et non delinquet, etiamsi unus dies vita illius fuerit. Cùm ergo omnes obnoxii sint, pro omnibus mortuus est. Quod omnes etiam, qui ante crucem fuerunt, ob Protoplasti transgressionem, et aliis etiam malis, quæ adjiciuntur, omnes erant obnoxii, et mortis servi.* Manuel Caleca adversùs Græcos, lib. 4 : *Pro his enim qui jam beatitudine potiti sunt, orantes sacrificia offerre opus non est. Quæ enim pro sanctis sacrificia offerimus ; non ut misericordiam consequantur, offerimus, sed ut honorantes eos, mediatores pro nobis apud Deum, ut naturæ nostræ primitias opponimus ;* et ex schismate Simeon, episcopus Thessalonicensis, Enarratione in missam de particulis oblatis : *Quæ igitur pro sanctis offeruntur ad gloriam eorum et honorem, ad augmentum dignitatis, et ad divini luminis receptionem majorem valent ; quæ autem pro fidelibus sunt, pro mortuis quidem ad peccatorum liberationem et divinæ gratiæ conjunctionem prosunt ; quæ verò pro vivis,* etc. ; et Dialogo contra Hæreses : *Nam in horrendo sacrificio particula, et super eam illius, qui decessit commemoratio, illum Deo unit, Deique invisibiliter fieri participem, et cum eo communicare facit. Hinc maximam utilitatem consecuti, consolantur et salvantur, qui in Christo decesserunt cum pœnitentiâ fratres. Sed et sacræ divinæque sanctorum animæ maximum in modum iis quæ pro ipsis fiunt, delectantur, et cum gaudio exultant, Christo sese unientes et communicantes per sacratissimum hoc sacrificium purius ac splendidius, et illius munera perfectiùs participantes, pro nobis preces fundunt. Quòd ob eam causam sacrificium hoc Christus operatus est, et tradidit in sanctificationem omnium, et illuminationem, et ut cum eo unum essent, quemadmodùm precatus est. Quapropter pro iis qui eorum recordantur, et sacrosancta sacrificia, et memoriam in eorum honorem peragunt, continuò supplicant, et mediatores eorum et oratores fiunt, et, ut ad similem communionem Christi insimul et ipsi veniant, exorant. Quare et fratrum nostrorum mortuorum commemoratio inculcanda est, ut et nostrùm alii commemorationem faciant, et offerenda sunt pro sanctis sacrificia, ut fieri potest, ut eos consolantes in Christo, et mediatores gaudentes apud illum habeamus, et per eos salutem consequamur.* Jeremias patriarcha in Censurâ Orientalis Ecclesiæ, cap. 13 : *Et alio modo memoriam perbeatæ matris illius facientes, multa in ejus laudem et gloriam dicentes, ad intercessionem quoque sanctorum omnium exorantes, offerentes, rationalem ex illius donis et datis illi ipsi cultum offerimus, hymnis et benedictionibus suam majestatem laudantes.* Gabriel Philadelphiensis de iisdem particulis tractatu : *Quòd si causam scire cupis, quare eas offerimus, dicimus primùm eas nos offerre pro sanctis. Scopus autem est, in gloriam atque honorem eorum. Et propterea cùm eas deponimus in sacro disco dicimus :* « *In gloriam et honorem superbenedictæ Dominæ nostræ* « *Deiparæ et semper Virginis Mariæ ; in honorem sancti* « *gloriosi,* » etc. Et inter alios elegantissimè ac diligentissimè Nicolaus Cabasilas, in Expositione Liturgiæ, cap. 33 : *Et deinceps enumerat omnem sanctorum cœtum. Hæ sunt Ecclesiæ agendarum Deo gratiarum causæ. Pro iis offert rationabilem hunc cultum tanquàm Deo gratiarum actionem, et præ cæteris omnibus pro beatâ Dei Matre, ut quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat sacerdos, sed potiùs eos orat, ut ab eis in orationibus adjuvetur. Quia non ad supplicationem sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem. Posthàc affert etiam supplicationem, et enumerat ea, pro quibus supplicat, et precatur omnibus salutem, et si quod bonum est, unicuique congruens et conveniens, et hæc orat. Et ita quidem B. Joannes duplicem sacri hujus usum esse significans gratiarum actionis et supplicationis, seorsùm quidem ponit eos pro quibus agit gratias, seorsùm autem, pro quibus supplicat. Divinus autem Basilius admiscet supplicationi gratiarum actionem. Et ita facit ubique in sacri mysterii celebratione, et omnes ferè ejus orationes inveneris, quæ utramque vim habent. Meminit etiam sanctorum, quorum et divus Joannes etiam in eodem loco sacrificii, sed non eodem modo. Postquàm enim oravit ut omnes digni habeantur communione sacramentorum, non in judicium vel in condemnationem, subjungit :* « *Sed ut inveniamus* « *gratiam cum omnibus sanctis, qui tibi à seculo pla-* « *cuerunt, majoribus nostris, avis, patribus, patriarchis,* » *et quæ sequuntur ; deinde,* « *præcipuè sanctissimæ* », etc. *Sed hæc quidem verba habent supplicationem ; ostendunt autem etiam gratiarum actionem, et Deum generis Benefactorem prædicant. Ubi meminit eorum hominum qui ab ipso sanctificati sunt, et consummati, propemodùm dicens : Ut des nobis gratiam quam sanctis priùs dedisti ; ut nos sanctifices, sicut et alios prius sanctificâsti, qui sunt ejusdem generis nobiscum. Et de iis quidem hæc sufficiant.* Et tu gratiarum actionem in supplicationem convertis? Græci pro sanctis Deo gratias agunt ; tu dicis Græcos pro sanctis Deum orare, eo solummodò scopo, ut preces pro defunctis de medio tollas, earumque nullum esse fructum pro demortuis stabilias? Mihi crede, ineptus es. Plura hìc dicerem, sed satis sit unus ex schismate idem Cabasilas, qui in eâdem Expositione, cap. 49, argumentum hoc fusissimè, et ex penu doctrinæ christianæ pertractat, cui nihil addi poterit. Verba prolixiora sunt, tanti nihilominùs momenti, ut contrariam sententiam planè convellant : quare et audienda sunt, ut discant hæretici quantùm cum Ecclesiâ ipsâ Romanâ in hoc negotio Græci concordent, nec de cætero hiscere audeant. *Sed hìc nonnulli decepti sunt, non gratiarum actionem, sed pro sanctis ad Deum supplicationem, eorum memoriam esse putantes, nescio undenam acceptâ hæc cogitandi occasione. Neque enim ex ipsis rebus est hæc credere consenta-*

neum, nec ex ipsis verbis sacrificii. Et quod rerum quidem verisimilitudo multùm abest, ut hæc concedat, hinc apertum est. Si enim pro sanctis orat Ecclesia, illa omninò oraverit, quæ semper orare consuevit. Quænam autem sunt, quæ orantur iis qui dormierunt? Remissio peccatorum, regni hæreditas, quies in sinu Abrahæ cum consummatis sanctis. Hæc sunt oratio Ecclesiæ. Præter hæc nihil eam orantem inveneris iis qui emigrârunt. In his definita est nostra ad Deum supplicatio. Non enim quidquid desideraverit quispiam, id etiam fas est orare. Sed hìc quoque lex est et terminus, quem non licet transgredi. « *Quid enim orabimus, ut oportet, nescimus,* « *inquit, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis;* » *hoc est, quæ orare oportet nos docet. Ita enim Ecclesiæ doctores acceperunt. Considera ergo, si præter ea quæ dicta sunt, in omnibus sacrorum mysteriorum celebrationibus inveniri possit orans Ecclesia, et non invenies. Ergo orabunt quidem iis, qui rei non sunt, remissionem peccatorum tanquàm adhuc reis et obligatis. Orabunt autem sanctis tanquàm nondùm sanctificatis, cum sanctis requiem. Orabunt perfectis consummationem, tanquàm nondum consummatis. Et sic necesse est eos alterutrum peccare. Vel enim confitentes beatitudinem et perfectionem sanctorum, lubentes volunt apud Deum nugari, et inanem pro eis orationem contexere, quod est virorum divina ludibrìo habentium, potius quàm sacerdotum; vel scriò facientes orationes, tanquàm existimantes se sanctos per eas juvare, eorum gloriam inficiantur, quod est blasphemare non ipsos tantùm, sed etiam Deum ipsum, ut qui promissa non servaverit quæ promisit, se eos glorificaturum, et regnum impertiturum; vel potiùs utrumque est manifesta blasphemia; hoc quidem tanquàm omninò negantium sanctorum beatitudinem; illud autem tanquàm facientium ea quæ faciunt qui negant. Quos enim beatos esse credunt, ut qui in filiorum ordinem relati sunt, et ipsius regni hæredes, eos nullo esse munere affectos, et inhonoratos, et reos, eo ipso quòd pro eis talia precantur, testantur. Ita ergo harum rerum gratiâ absurdum esse videtur, si quis existimet Ecclesiæ pro sanctis ad Deum oblationem esse supplicatorium. Videamus etiam ipsa verba :* « *Præterea offerimus tibi* « *rationabilem hunc cultum pro iis qui in fide requievè-* « *runt, majoribus, patribus, patriarchis, prophetis, apo-* « *stolis, prædicatoribus, evangelistis, martyribus, con-* « *fessoribus, continentibus, et omni spiritu in fide con-* « *summato, præcipuè sanctissimâ, intemeratâ, gloriosâ* « *Dominâ nostrâ Deiparâ,* » etc. *Hæc sunt verba, in quibus nulla continetur pro sanctis ad Deum supplicatio, nec eis sacerdos quicquam consuetum precatur. Sed aliorum quidem fidelium, qui dormierunt, faciens memoriam, statim adjicit pro eis orationem :* « *Fac eos, in-* « *quit, requiescere, ubi respicit lumen vultùs tui.* » *In sanctis autem totum est contrarium. Non enim pro eis facit intercessionem, sed ipsos potiùs intercessores statuit. Cùm enim dixisset, et sanctos enumerâsset, adjicit :* « *Quo-* « *rum intercessionibus visita nos, Deus.* » *Quod autem maximè ostendit non orationem aliquam et supplicationem, sed vero sanctis gratiarum actionem esse hæc verba, est quòd etiam Dei mater in eo catalogo ponitur. Neque enim poneretur, si is chorus aliquâ intercessione egeret, utique est ultra omnem intercessionem, non solùm humanæ hierarchiæ, sed etiam angelorum, cùm sit ipsis etiam sanctissimis mentibus incomparabiliter sanctior. Atqui Christus est, inquit, qui hoc peragit Sacrificium. Quid ergo mirum, si etiam pro sanctis et matre intercesserit? Sed hoc nullam habet rationem. Non est enim hic modus intercessionis Christi. Fuit enim intercessor Dei et hominum, sed non verbis quibusdam et precibus, sed se ipso, nempe quòd cùm Deus et homo esset, Deum hominibus conjunxit, communem terminum se ipsum utrisque naturis injiciens. Existimare autem ipsum, per preces, quæ fiant in sacrificio, semper intercedere, est omni blasphemiâ et absurditate plenum. Etsi enim ipse est qui peragit sacrificium, non tamen omnia quæ illic dicuntur et fiunt, ei attribuemus. Mysterii enim opus et finem, sacrificari scilicet, et sanctificarî fideles, ipse est solus, qui peragit. De his autem preces sunt, orationes et supplicationes sacerdotis; illa enim sunt Domini, hæc verò servi; et hic quidem precatûr, ille verò preces perficit, et servator quìdem donat, sacerdos verò pro iis, quæ data sunt, agit gratias; et sacerdos quidem offert, Dominus verò dona accipit. Offert enim etiam Dominus, sed se ipsum Patri, et dona hæc quando ipse facta fuerint, quando in ejus corpus et sanguinem conversa et mutata. Quia enim se ipsum offert, ideò dicitur idem esse, et qui offertur, et suscipit. Offerens quidem et suscipiens ut Deus; oblatus autem ut homo. Panem autem et vinum, dùm adhuc dona sunt, offert quidem sacerdos, suscipit autem Dominus. Et quia agens dona suscipit? Ea sanctificans, in suum corpus et sanguinem mutans. Hoc enim est suscipere, proprium e. familiare efficere, ut dictum est. Hic est modus quo Christus hoc sacrificium celebrat. Hæc sunt quæ ei sacerdotium constituunt. Si autem præter ea quæ dicta sunt, etiam orationes quæ fiunt in mysterii celebratione, vel omnes, vel aliquas Christi voces esse dixerit, nihil hâc in re ab impiis differet, qui ejus gloriæ detrahere ausi sunt. Lege omnes orationes, et scies verba illa omnia esse servorum verba. Lege etiam eam in quâ sanctorum meminit, quam audent Christo tribuere, et invenies nihil illic convenire Filio, qui est Patri honore æqualis; omnia autem servorum. Primùm enim non in unâ personâ, sed communis est generis gratiarum actio, et ut qui peccârunt, et non sunt despecti à Dei misericordiâ et clementiâ, agunt gratias; et gratiarum actio non ad Patrem solùm, sed etiam ad Filium ejus, et S. Spiritum; et Dei matris tanquàm Dominæ servi meminerunt, et ejus et sanctorum intercessionibus, ut à Deo visitentur, et eorum cura habeatur, petunt. Hæc autem quidnam commune habent cum uno Domino unigenito Dei Filio, peccato non obnoxio, omnium Domino?* « *Gratias agimus,* « *inquit, tibi et Filio tuo unigenito.* » *Christus ergo gratias agit Filio Dei unigenito, et ecce duo erunt filii, ut voluit insania Nestorii. Adeò est impium et stultum existimare Christum pro sanctis intercedere, ejusmodique legationis, et intercessionis munus ei tribuere. Ostensum est autem hæc ne esse quidem sacerdotum. Restat ergo hæc verba non esse supplicationem, sed gratiarum actionem.* Certè, *inquit, sed non permittit dictio, quæ aper*

tè supplicationem indicat. PRO *enim præpositio hoc vult significari, non omninò : non semper enim eum qui rogat ostendit. Non enim solùm quando supplicamus, sed etiam quando gratias agimus, hâc dictione utimur. Et hoc ex multis sciri potest, et ab ipsâ etiam propositâ oratione.* « *Pro his omnibus, inquit, tibi gratias agimus, et* « *unigenito tuo Filio, et Spiritui sancto, pro omnibus,* « *quæ scimus, et quæ nescimus, tibi gratias agimus. Agi-* « *mus tibi gratias etiam pro hoc sacrificio, quod ex no-* « *stris manibus suscipere dignatus es.* » *Videmus hanc dictionem,* PRO, *poni etiam in gratiarum actione. Ad hunc itaque errorem nulla relinquitur excusatio. Ita ergo fieri non potest ut sit supplicatoria sanctorum commemoratio. Eam autem versari in gratiarum actione, hoc ipsum ostendit, quòd non est supplicatoria. Duorum enim alterum necesse est eâ vel supplicari, vel gratias agi. Et hìc duobus modis apud Deum commemorationem facimus bonorum quæ nobis à Deo fiunt, ut vel ea accipiamus, vel quòd ea jam acceperimus. Et est illud quidem supplicatio, hoc verò gratiarum actio. Ostendit autem hoc etiam, quòd Dei in homines donorum sit longè maximum, sanctorum consummatio, et ideò non ipsi Ecclesiam hoc nomine gratias agere esset nefarium. Et quid dico esse donorum maximum, sanctorum consummationem? Hæc certò est universum Dei donum. Omnium enim bonorum, quæ in nostrum fecit genus, hic est finis, hic fructus, chori sanctorum, et hâc de causâ cœlum nobis est fabricatum, terra, et quidquid videtur, propterea paradisus, propterea prophetæ, propterea ipse Deus in carne, et Dei sermones, et opera, et passiones, et mors, ut à terrâ in cœlum migrent homines, et regni quod illic est, fiant hæredes. Si est ergo omninò gratiarum actio in sacro mysterio, et hæc dona tam in gratiarum actione quàm in supplicatione versantur, omninò necesse est gratiarum agendarum et summam et causam esse ipsos sanctos consummatos. Omninò autem quid in nobis causa est gratiarum actionis? An non quòd acceperimus quod petimus? Cuivis hoc clarum est. Ergo idem est propter quod gratias agimus, et quòd petimus. Quid ergo petit à Deo Ecclesia? Quod ab ipso petere jussa est. Ejus regnum, videlicet ut fideles ejus sint hæredes; ut fiant sancti, sicut is qui eos vocavit, sanctus est. Si hæc autem à Deo rogat et postulat, clarum est quòd pro iis ipsis quoque agit gratias. Orat ut fideles in sanctitate perficiantur, et propterea pro sanctis jam perfectis et consummatis, ei qui perfecit, gratias agere, est necessariò consentaneum. Propter hanc pro sanctis gratiarum actionem hoc sacrum mysterium Eucharistia dicitur. Etsi enim aliorum quoque multorum hìc mentionem faciat, sancti tamen sunt finis omnium, et pro quibus illa petuntur. Unde quando pro illis agit gratias, agit gratias pro sanctorum perfectione. Quemadmodùm enim quæcumque fecit Dominus, ea fecit ut chorum sanctorum statueret, ita etiam Ecclesia, ubi illum laudat pro omnibus, ad sanctorum chorum respiciens hoc agit. Eâ de causâ, quando tradidit servator sacramentum, Patri gratias agens tradidit quòd per ipsum nobis cœlum esset aperturus, e hunc primogenitorum cœtum illic congregaturus. Eum imitans Ecclesia non solùm supplicantem, sed etiam gratias agentem facit donorum oblationem. Et hoc quidem etiam aliunde ostendit, maximè autem ex oratione, in quâ totius sacrificii scopus continetur. Cùm enim recensuisset omnia quæ nobis à Deo data sunt, et gratias egisset pro omnibus, et postremò addidisset Domini in carne adventum, et hujus sacramenti traditionem, et quod nobis quoque hoc jussit facere, subjunxit :* « *Recordantes* « *ergo salutaris hujus præcepti, et omnium quæ pro no-* « *bis facta sunt, crucis,* etc., » *et enumeratis deinceps omnibus, quæ crucem consecuta sunt, deinde dicit :* « *Tua* « *ex tuis tibi offerimus; de omnibus et per omnia. Te* « *laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Do-* « *mine, et oramus te, Deus noster.* » *Vides?* « *Beneficio-* « *rum, inquit, recordantes, hanc tibi donorum oblationem* « *facimus;* » *hoc autem est gratias agere, pro bonis jam nobis donatis, donis benefactorem honorare. Deinde etiam apertiùs ostendens gratiarum actionem ait :* « *Of-* « *ferentes oblationem hanc, te laudamus, te benedicimus,* « *tibi gratias agimus, Domine, et rogamus te, Deus no-* « *ster.* » *Hoc ergo est institutum donorum oblationis, laudare, gratias agere, supplicare, ut à principio diximus, ut eadem et in supplicatione, et in gratiarum actione versetur.* « *Et hæc facimus, inquit, duorum recordan-* « *tes, et præcepti quod nobis dedit, dicens :* Hoc facite « in meî recordationem; *et omnium quæ pro nobis* « *facta sunt.* » *Beneficiorum enim, ut semel dicam, recordatio nos ad retributionem adhortatur, et ad aliquid omninò offerendum ei qui nos prior innumerabilibus beneficiis sic affecit. Præcepti autem memoria, et ipsa forma retributionis nos docet quænam ipsi dona offerre oporteat. Illam ipsam oblationem admittimus, quam ipse Unigenitus tibi ostendit Deo et Patri, et gratias agimus, quia ipse etiam eam ostendens egit gratias. Propterea ad hanc donorum oblationem nihil domo afferimus. Neque enim dona sunt nostra opera, sed tuî omnium opificis. Nec nostrum est inventum hæc colendi forma, sed neque nostrâ sponte hoc voluimus; neque domo, et ex nobis ipsis ad eam impulsi sumus; sed ipse docuisti, ipse adhortatus es per Unigenitum. Et ideò quæ tibi offerimus, ex tuis quæ nobis dedisti, tua sunt in omnibus et per omnia. Ita etiam pro ipsâ quâ aguntur gratiæ oblatione, aliam rursùs gratiarum actionem Deo debemus, quia* « *nihil ejus nostrum est, sed tota est illius donum,* « *et hoc ipsum quod id volumus et operamur, idem est qui* « *in nobis operatur,* » *ut ait divinus Apostolus. Propterea hoc quoque in orationibus dicitur :* « *Gratias agimus tibi* « *pro sacrificio quod è nostris manibus suscipere dignatus* « *es.* » *Quæ ergo nos docent sanctorum in sacrificio commemorationem, non esse ad Deum pro ipsis supplicationem, sed gratiarum actionem, hæc sunt.* I modò, tu, et argumentare : Græci dùm orant pro mortuis, orant etiam pro sanctis; sed sanctis orationes illæ nulli bono sunt; ergo nec etiam ipsis mortuis. Nam, ut vides, pro sanctis gratias agunt, pro mortuis suppli-cant.

XVI. Et hæc quidem Græci; quid verò Latini? Eadem. Namque tradunt precationem illam pro sanctis commemorationem esse et gratiarum actionem. Augustinus, tract. 84 in Joannem : *Ideò ad mensam*

Domini non sic martyres commemoramus, quemadmodùm alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi orent pro nobis, et serm. 17 de Verbis Apostoli : *Habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cùm martyres et loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oratur; pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Et in Enchiridio, cap. 110: *Pro valdè sanctis gratiarum actiones sunt.* Et alibi sæpiùs. Et cùm in quibusdam orationibus legatur : *Sumpsimus, Domine, sancta mysteria, quæ sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis, quæsumus, proficiant ad salutem;* interpretatur Innocentius III, tum prodesse, cùm magis ac magis à fidelibus glorificantur in terris; quæ etiam Græcorum expositio est. Græci itaque atque Latini orant pro Sanctis, fatenturque se orare, non ut illis aliquid agant, sed ut gratias Deo agant, eorumque gloria accrescat, et subsidia ab illis simili eorum commemoratione adsciscant; et tu contendis illos hoc agere, ut illis non minùs quid atque aliis impetrent; et verba non præ se ferre ullam gratiarum actionem, sed postulationem? Planè ridiculum est. Ego fateor me id facere vel dicere, et hoc vel illo fine, et tu vis me alio scopo id agere? Tuumne dictum tanti erit ut memet à meâ mente atque sententiâ exterminet, et in tuam intromittat? Tu dicis tua è te nata; Græca atque Romana Ecclesia profitentur sua Patrum et suorum testimoniis constabilita, planè tuis contraria. Sunt ergo Græci, contra atque tu contendis, cum Ecclesiâ Romanâ.

XVII. Orant vice versâ pro iis qui in inferno detinentur. Hoc verò falsissimum est. Nullus pro iis qui digni non sunt, orat. Damnati verò in infernum digni non sunt. Dubitatur apud Dionysium Areopagitam loco sæpiùs laudato, cujus gratiâ divinam clementiam antistes precatur, poscens defuncto dari veniam peccatorum, et æqualem deiformibus viris lucidissimam sortem? Quilibet enim recipit à divinâ justitiâ retributionem eorum quæ in vitâ præsenti, sive benè, sive malè gessit, et defunctus suas in hâc vitâ complet actiones. Hinc antistes ab eâ quam hìc demeritus est retributionem transferre non potest. *Conclusit enim*, inquit, *Dominus apud se, et referet unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et respondet : *Justorum etiam preces etiam in hâc vitâ, nedùm post mortem, iis solis prodesse, qui sanctis precibus digni sunt, veræ nos eloquiorum traditiones docent.* Et infra : *Hoc autem Scripturis consonè affirmo, perutiles esse in hâc vitâ sanctorum preces, modò quis sacrorum munerum desiderio intentus, et ad ea suscipienda piè affectus, tenuitatis suæ conscius, virum aliquem sanctum adeat, ac petat ut se adjuvet, ac Deum pro se roget, quâ ratione sanè maximum ex eo referet emolumentum; potietur enim petitis donis divinissimis, religiosâ suâ conscientiâ, sanctorum reverentiâ, et laudabili eorum quæ petit desiderio, et consentaneâ ac deiformi affectione ipsi suffragantibus. Etenim divinis id decretis stabilitum est, ut divina munera iis, qui eorumdem participatione digni sunt, et quo Deum decet ordine distribuantur ab illis qui iisdem distribuendis sunt præfecti.* Audis iis solis prodesse preces, qui precibus digni sunt; divina munia iis qui eorumdem participatione digni sunt, distribui? Ad quæ verba sanctus Maximus : *Nota solis Dei misericordiâ dignis prodesse preces justorum, sive vivant, sive mortui sint, non tamen peccatoribus et justè condemnatis, tam hìc quàm post mortem.* Eadem repetit Georgius Pachymeres : *Solis autem misericordiam Dei merentibus, sive vivis sive defunctis, non verò iis qui damnari merucrunt, justorum preces prodesse, scripta divina docent.* Manuel Caleca, lib., 4 : *Pro his verò qui in inferno damnati sunt, nullam Ecclesia orationem facit.* Gregorius Protosyncellus in Synopsi dogmatum : *Et rursùs « illi qui blasphemavit in Spiritum sanctum, non remittetur neque in futuro; » præcipuè Scriptura dixit, nunquàm condemnatos salvandos esse, sed tantummodò medios; et hoc manifestat ultimus quadrans, et illud : « Non remittentur in futuro, » et fortassè etiam, « Ipse verò salvabitur quasi per ignem; » et propterea idem in suo Troparìo dicit : « A lacrymis et ejulatibus eos qui sunt in inferno libera, Salvator; » et sanctus Epiphanius dicit, « animas esse in inferno; » et prophetæ : « Dominus deducit in infernum et educit. »* Sed quid plura? Joannes Chrysostomus, homil., 4 in Divitem et Lazarum, asserit preces, obsecrationes omnes, quas quispiam pro peccatis fuderit, frustra esse, et nullam afferre utilitatem, si is qui vitâ excessit, cum peccatis decesserit. Liquet enim, si bonis operibus careamus, nihil ibi nobis præsidio esse; et in cap. 19 Genes., Homil. 43, nihil nobis pœnitentiam prodesse post hanc vitam, cùm dicit propheta : *In inferno autem quis confitebitur tibi?* et neminem esse qui liberet suâ proditum socordiâ, non fratrem, non propinquum, non patrem, non justos ipsos, qui multâ pollent auctoritate. *Si enim*, inquit, *steterit Noe, et Job, et Daniel, filios suos, et filias suas non liberabunt.* Quare in Expositione primi capitis 2 ad Corinthios inculcat, etiamsi nobis impendenda sit misericordia, priùs reddere nos debere misericordiâ dignos. Nam etsi misericordia est, dignos tamen requirit. Et in Expositione Psalmi 48, non esse superfluas orationes sanctorum, sed plurimùm eas valere, dummodò illis nos quoque suppetias feramus. Cùm ergo orant, non pro illis qui pœnis æternis addicti sunt, quibus nulla spes est salutis, sed pro illis quâ misericordiâ Dei digni sunt, Deum tamen non vident, quòd non ad paritatem peccati satisfecerint, ideòque pœnis immersi, precibus Ecclesiæ sublevantur, et sic expurgati in cœlestem patriam migrant. Nec aliud dicit Romana Ecclesia. Audiatur verborum formula, quâ utuntur Romani Pontifices in suis de liberandis animabus concessionibus : *Nos divinâ misericordiâ confisi concedimus, ut quoties quicumque sacerdos in tali loco missam celebraverit pro liberatione unius animæ in Purgatorio existentis, quæ per charitatem Deo unita ab hâc luce decessit, et piorum suffragiis juvari meruit, ipsa anima, quantùm divinæ bonitati placuerit, opportunis de thesauris Ecclesiæ subsidiis adjuta, peccatorum remissionem consequatur, et de pœnis Purgatoriis facilius valeat ad cœlestem patriam pervenire.* Hinc, ut

hic quoque hoc obiter admoneam, refellitur eorum impudentia, qui non verentur dicere, et scripto etiam tradere, quod pejus est, Romanos pontifices suâ auctoritate et potestate, et quod Græci dicerent ἐξουσιαστικῶς, animas à Purgatorio liberare; cùm ex verbis eorumdem contrarium colligatur, qui divinâ freti misericordiâ concedunt, ut anima defuncti per modum suffragii, quantùm divinæ misericordiæ placuerit, remissionem peccatorum consequatur. Quare quæ dicuntur de animâ Trajani precibus Gregorii, et Falconillæ precibus Theclæ, et calvariâ gentilis apud Palladium, uti meras nugas multorum opinione exploseris. Græci etenim sciunt, et uti certissimum tenent, in inferno nullam esse redemptionem, quod probare nunc supervacaneum fuerit.

XVIII. Addunt Purgatorii hostes, vota pro defunctis ritè fundi ad rigorem judicii extremi leniendum, quando locus aliquis datur misericordiæ divinæ. Sed non probatur ideò animas separatas præsenti rerum statu et tormentis afflictas precibus piorum subleværi. Non hìc disputo quid eo tempore facere possit Deus, cui omnia plana sunt, et si voluerit miserebitur. Id certum scio, cùm merita defuerint, nulla præmia esse, et in eo judicio extra meritum animas esse; suæ enim causæ quisque incumbens, sua peccata nonnisi tormentis elevare, alienâ cogitatione tantùm consequi, sed sine ullo emolumento potest. Ante judicium opem implorant, cùm expiationis tempus est; in ipso judicio sententiam expectant, et retributionem; cùm tum non dimittantur peccata, sed judicentur. Josephus Bryennius, orat. 1, de Judicio extremo, et Beatitudine : *Tu verò considera duo stationis loca, alterum à dextris, alterum à sinistris, non autem medium inter hos, ut nonnulli opinantur, et duos ordines solos, unum justorum, alterum peccatorum, et duas hæreditates, quibus his vita æterna, illis punitio absque ullo termino destinatur; neque simul cum hisce et tertia, quemadmodùm nec medius grex inter oves et agnos aut hìc agnoscitur esse, aut ibi apud judicis sedem stare creditur. Ovibus justos assimilat propter mansuetudinem, placiditatem et fœcunditatem; agnis verò peccatores, quòd illi subsultent, inordinatè ferantur, et præcipitia ament. Et ut ostendat, quemadmodum hìc nulla ovis agnus sit, neque ullus agnus in ovium naturam convertitur, pari ratione et ibi nullum ex iis qui dextram stationem sortiti sunt, in sinistram commutari, neque qui sinistram miserè consecuti sunt, dextræ participem fieri.* Et statim post mortem particulari Dei judicio justos ad superna deferri, impios in tartarum perpetuis cruciatibus plectendos detrudi, discito ex D. Maximo Homologetâ, epistolâ ad Cubicularium : *Quis, ô dilecte, nostrùm, qui peccatorum sordibus sit inquinatus, sanctorum angelorum inspectionem non reformidet? à quibus in exitu vitæ constitutus ex divino judicio per vim corpore pellitur cum indignatione et invitus. Quis commaculatam suam sentiens conscientiam, servum et immanem malorum dæmonum occursum non timeat, eorum unoquoque post obitum in aere ad se incensanter miseram trahente animam, scelerumque suorum convictus futurorum bonorum miserabilem spei desperationem? Post subsecutum verò in aere cum spiritibus pravitatis judicium, et villicatum, descensus in infernum eum manet, et ibidem domicilium et commoratio; ubi profundæ tenebræ et silentium profundissimum, nullo alio cibo se alentes eæ damnatæ animæ quàm acribus gemitibus, suspiriis et amarissimis lacrymis.* Sed ab iisdem etiam Græcis in universum audiamus quònam preces suas dirigant, cùm pro mortuis orant, et an extremum judicium vel præsens hoc tempus præ oculis habeant. Ipsi sic orant in Paracleticâ : *Gladium. Domine, qui nunc circumvolvitur, da servis tuis, ut absque impedimento pertranseant, qui ex hâc vitâ migrârunt, intra paradisum eos collocans.* Et : *Ubi dolor exulat, ejulatus et mœror; ubi lumen resplendet, Christe, tuæ faciei; ubi sanctorum cœtus nunc subsultat, constitue omnes defunctos, eorum lapsus universos despiciens, ceu solus misericors.* Rogant *nunc*, hoc tempore, hoc cùm canunt momento mortuos à pœnis liberari, et ad æterna gaudia deferri, ut planè vides; et tu rigorem judicii extremi somnias, et ad eum illos respicere contendis? Sed negotium hoc totum Chrysostomus deciderit, qui Græcis instar omnium est. Is, orat. 5, de Pœnitentiâ scribit : *Defende te apud judicem antequàm in prætorium venias. An ignoras quòd qui judicem mitigare volunt, non ipso in examine causæ, sed priusquàm judicii ingrediantur locum, benevolum sibi faciunt, vel amico mediatore, vel patrono, aut modo alio sibi judicem conciliant. Igitur et apud Deum, non quo tempore pro tribunali sederit, suadendum erit judici, ante verò judicii tempus mitigabilis est judex. Quare dicit David : « Præoccupemus faciem ejus in confessione. » Ibi magnum Judicem ars rhetoris nulla decipiet, et nullius potentiâ mitigatur; dignitati non condescendit, pecuniis non corrumpitur, non veneratur personam, sed tremendum et implacabile justum judicium. Hìc verò judicem exorabimus et placabimus.* Judicium illud et judex in eo sedens mitigabilis non est, implacabilis est; nullâ arte, nullâ potentiâ, nullâ dignitate discutitur; et tu dicis ad rigorem judicii extremi leniendum, quando aliquis datur misericordiæ locus, preces à Græcis fundi? Nunc exora, nunc placa; nunc est misericordiæ locus, et ante extremum judicium illud Judex mitigabilis est. Ergo, cùm fundunt preces Græci, id habent in mente, ut eo quo fundunt tempore, cùm misericordiæ locus est, Deus illis pro quibus orant peccata dimittat, et remittat supplicia, et liberatos à pœnis et tormentis, expurgatosque ad sua gaudia deducat. Si in rebus Græcorum exercitus non es, et eorum precum nescius, cautiùs tibi loquendum fuerat, ne notam mendacii incurreres.

XIX. Esto, sint pœnæ, at illas purgatorias esse, quis dixit? Totum mera Dei clementia est. Miseratur ille cujus vult, et cui allubescit, dimittit peccata. Ita est. Quis negat? Verùm pœnis illis judicis justi munus adimplens, labes expurgat, et animas igne illo ablutas, et nitidas factas, peccatorum maculis depositis, æquè ac in lino asbestino fit, non absumptas ad sua deducit. Nec Ecclesia Græca à simili loquendi modo abstinuit, cùm vetustissima sua cantica, etiam cùm disceptatur de Purgatorio, et post, in Ecclesiâ inter

cœtus fidelium canat: *Imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, licet delictorum stigmata geram. Miserere, Domine, creaturæ tuæ, et purga me misericordiâ tuâ, et optatam mihi concede patriam.* Et: *Quem è terrâ assumpsisti, filium lucis affice, expurgans ex peccatorum maculis, ô multùm misericors.* Et: *Delictorum remissionem defunctis, Christe, præsta, et tuâ gratiâ expurgatos eos ostende.* Et: *Pulchritudinis intellectualis tuæ perfrui defunctos dignare turpitudinem deformem expurgans, veluti humanissimus, peccati, Domine.* Etiam ii qui ex schismate sunt, similem loquendi formulam, cùm, quod defunctis preces vivorum adjumentum afferant, explicant, usurpant. Nicolaus Cabasila, in Exposit. missæ, cap. 45: *Nudæ autem corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quàm eæ quæ vivunt in corporibus. Purgantur enim, et peccatorum remissionem accipiunt per orationes sacerdotis et donorum intercessionem, nihilominùs illis ipsis qui vivunt. Sed non peccant amplius, nec nova veteribus crimina adjiciunt, uti faciunt ut plurimùm viventium animæ; sed tantummodò vel nulli sunt rationi reddendæ obnoxiæ; vel semper utique de criminibus detrahunt, et ita ad servatoris participationem promptiùs et meliùs se habent pluribus in corpore viventibus, atque adeò etiam se ipsis, si essent cum corpore.* Καθάρσεως quoque meminit Simeon Thessalonicensis Dialogo contra hæreses, cujus verba supra recitata sunt. Joannes Eugenicus Antirrhetico adversùs synodum Florentinam cap. de Purgatorio: *Quos* (Apostolos scilicet et Patres) *sequens nostra orthodoxa Ecclesia, purgationem etiam post mortem tenet, quam per sacra sacrificia, et preces, et eleemosynas, et alia bona complacita Deo opera, quæ à fidelibus super mortuos fiunt, animæ consequuntur.* Et Patres etiam purgatorii ignis meminisse infra ostendemus, cùm de igne purgatorio sermo erit. Hinc deploranda est nonnullorum pervicacia, qui cùm videant κάθαρσιν et καθαρισμὸν, nihilominùs purgatorium quærunt. Rem habent, et de nomine contendunt. Fateare animas illas precibus fidelium et aliis benefactis à peccatis expiari atque mundari, et locum in quo id peragitur, voca ut lubet. Gabriel Philadelphiensis: *Ubi quis ex Doctoribus hisce meminit unquàm Purgatorii? Nemo equidem.* Simeon Thessalonicensis in responsionibus ad Gabrielem Pentapolitanum: *Neque ob hanc particularem punitionem liberabitur à perfectâ, veluti Latini de Purgatorio dicunt.* Nec dissimilia sunt quæ Zacharias Gerganus blaterat. Sed quàm cautè dijudicemus. Ante Arium nulla erat in Scripturis *Consubstantialis* mentio; ante Macedonium, *divinitatis Spiritûs*; ante Nestorium, *Deiparæ*; ante Eutychetem, *duarum voluntatum*, et licèt ea planis verbis in Scripturis non haberentur, Patres cum universâ Ecclesiâ respondebant, satis esse reperiri in Scripturis sententiam. Athanasius, tomo ad Antiochenos, post examinatam de sanctissimâ Trinitate Occidentalium mentem, cùm invenisset rectam atque catholico dogmati appositam, licèt verbis non concordaret cum Orientalibus, concludit: *Cùm igitur istiusmodi illorum fuerit confessio, adhortamur vos, ut eos, qui ita confitentur, talemque interpretationem suæ confessioni accommodant, vos temerè condemnare aut rejicere velitis, sed potiùs admissâ eorum excusatione recipiendos putetis; eos contra, qui talem confessionem non edunt, neque tali interpretatione in istis verbis utuntur, arcere vos vellemus et adversari, ut suspectæ mentis homines. Cæterùm cùm illos tolerandos non censebitis, consuletis illis, qui rectè interpretantur et rectè sentiunt, ne ulterior ulla intra vos adhibeatur disquisitio, neque verborum pugnis studeatis ad nullam prorsùs utilitatem, sed sensus cogitationesque pietatis exhibeant. Nam qui ita affecti non sunt, sed tantummodò super istiusmodi voculis contentiosè rixantur, et aliud quippiam præter quàm quòd Nicææ scriptum est, requirunt, hi profectò nihil aliud agunt quàm quòd proximis suis turbidam subversionem propinant ut inimici, ut discordiarum schismatumque æmulatores.* Et: *Itaque si verba isti hæc veluti peregrina abjudicant, teneant sententiam secundùm quam synodus ita scripsit. Quòd licèt voces non ita in Scripturâ reperiantur, verùm, ut antea dictum est, ex Scripturâ sententiam sortiuntur, eamque pronuntiatæ significant apud eos qui pietati aures integras conservârunt.* Et alia similia. Quam Athanasii actionem, et sedandarum controversiarum modum ita laudavit Gregorius Nazianzenus, oratione in eumdem, ut nihil supra. Neque ab Athanasio et Gregorio diversus est Basilius Magnus itemque Maximus (quæ Ecclesiæ lumina!) Epistolâ ad Pyrrhum, cujus ea sunt verba: *Neque enim voces nihil significantes simpliciter afferrimus, sed sententias vocibus exprimimus. Quam ob causam voces sæpenumerò Deiloquos Patres reperi concedentes, sententias nullo modo, quòd non in syllabis, sed sententiis et rebus salutis nostræ mysterium existit; illud etenim faciebant, pacis curam gerentes, hoc, animos virtute confirmantes.* Et ex schismaticis synodus Constantinopolitana adversùs Barlaamum, et Acindynum, et Gregoram, et alios: *Adversùs Thessalonicensem accusatio erat, eum in quibusdam suis scriptis, duas et multas deitates, et eas superiores et inferiores ponere. Et cùm hoc sæpenumerò inculcâssent, et strepitum fecissent, et similes voces criminati fuissent, piissimus imperator jussit ut sibi palam notificaretur, in his quæ ipsi affirmabant, quid accusarent, dictionesne ipsas, an res quæ dictionibus illis indicabantur, an verò utrumque. Quòd si bellum respiceret res, quare rei umbram oppugnas dictioni insistens? Examinandæ siquidem sunt res ipsæ nudæ, et à theologis eorum veritas repetenda. Si verò rebus concordes dictiones criminamini, verùm nos non dictionum causâ hùc adacti sumus, neque de nominibus, ut aiebat Gregorius Theologus, rixabimur, cùm nullum periculum in dictionibus agnoscamus, dùm sententia sana esse videtur. Addidit Thessalonicensis: Dictionum parva aut nulla mihi cura est: nam pietas nostra non in verbis, sed in rebus consistit, ut asserit Gregorius Theologus; sed de dogmatibus et rebus certamen ineo; et dùm quis in rebus concordat, de dictionibus non contendo.* Vide de hoc plura, si placet, ut supra innuimus, apud Joannem Veccum, oratione de Unione Ecclesiarum, ubi simile argumentum profusissimè pertractatur. Adde Gregorium Nazianzenum, oratione de

Spiritu sancto, disertissimè dicentem, hoc esse inservire litteræ more Judaicæ sapientiæ. Nam si sententiam habemus in Scripturâ, timenda non est veritatis enuntiatio.

XX. Ad verba Manuelis rhetoris Peloponesii, satis fuerit responsio Dionysii Areopagitæ, qui affirmat verum esse retribuendum unicuique quod promeritus est operibus suis, et hoc esse effatum divinæ Scripturæ; attamen eâdem Scripturâ insinuante, justorum precibus juvari dignos tantùm; neque enim profuit Saüli Samuelis, neque Hebræis prophetica oratio. Et hierarcha didicit beatam vitam retribui per divinam justitiam illis qui benè vixerunt, despiciente divinâ clementiâ sordes quibus se homo per fragilitatem inquinavit; ideòque petit à Deo sacras retributiones iis qui piè vixerunt. Præterea nullus inter Catholicos sanus est, qui neget afflictiones et ærumnas quas Christi fideles in hâc vitâ patiuntur, multùm prodesse ad allevandas, minuendasque pœnas in Purgatorio infligendas, et aliquando illius esse considerationis, ut prorsùs etiam liberent; quòd si delictis pares non sint, neque illius dignitatis, ut pœnas sustinendas exæquent, tum verò dicunt aliquid in homine digno relinqui, quod pœnis purgatoriis post mortem expurgandum est. Exemplum de Lazaro nihil concludit. Nam, si quia Lazarus ob levia quædam peccata purgatus fuit in hâc vitâ, similiter omnes alii justi, qui purgatione indigent, in hâc vitâ purgantur, sequeretur etiam omnes malos propter aliquod modicum bonum recipere in hâc vitâ rerum omnium affluentiam, quia epulo ille recepit. Sed falsum est malos recipere bona; ergo et falsum erit justos recipere mala et purgationem in hâc vitâ propter aliquot errata. Adde Chrysostomum in jam laudatis sermonibus, ut etiam alii adnotârunt, hominum partem in hâc vitâ tantùm puniri, partem in aliâ; esse etiam quosdam qui puniuntur utrobique. Lazarus luit in hâc vitâ pœnas, luit in gehennâ epulo, in utrâque Sodomitæ. Malè ergo argumentantur à Lazaro ad justos, ab epulone ad sceleratos. Et cùm preces fiunt pro defunctis, necesse est aliquem esse post hanc vitam purgationis locum. Concludamus itaque cum Cariofilo adversùs Gerganum, blasphem. 53 : *Cùm igitur nobis tot Patrum testimonia suppetant ex traditione apostolicâ, et communi sensu universalis Ecclesiæ, quòd duo sint perpetuæ mansionis animarum receptacula, cœlum et infernus; quòdque peccatum originale, et omne actuale mortale contrudunt in infernum. Si verò per baptismum homo liberetur ab originali, aut etiam quolibet actuali, vel per pœnitentiam omninò perpurgatur in hâc vitâ statim advolet in cœlum. Et quando non est omninò purgatus, sed habeat vel levium peccatorum notas, vel debitam satisfactorii operis, fundantur pro ejus animâ preces, et fiant sacrificia quoad purgetur, et liberetur debito, tumque feratur in cœlum. Cùm, inquam, habeamus doctrinam hanc apostolicam, quis, quæso, non videt in his apertissimè haberi sensum et veritatem de dogmate Purgatorii, licèt vox ipsa,* Purgatorium, *pro significando purgationis loco non habeatur; et tamen ea quoque suo modo habetur; Chrysostomus enim vocat Agnum in altari* καθάρσιον, *expiatorium et purgantem; et Orientalis Ecclesia pro defunctis canit :* « *Purga me, ô misericors!* » His itaque positis et probatis velim dicant recentiores hæretici : Quibuscum consentit Ecclesia Græca ? cum ipsisne qui purgatorias pœnas prorsùs rejiciunt, an cum Romanâ, quæ easdem profitetur et firmiter tenet? Et nihilominùs non verentur asserere in re simili ab Ecclesiâ Romanâ Græcos discordare. Et oculos dicunt sè habere, et scripta Patrum et Ecclesiæ Græcæ evolvere et intelligere!

XXI. Sed jam quæstionis apex ad se nos vocat. Meminerint pœnarum, molestiarum, tormentorum, è quibus precibus fidelium liberati ad æterna tabernacula provehuntur, planè apud eosdem ignis purgatorii perpetuum silentium est. Probat id evidentissimè libellus περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρὸς, editus inter orthodoxographa, et concilio Basiliensi exhibitus, profectus ab iisdem Græcis qui concilio Florentino interfuerunt; in quo non ignis tantùm purgatorius rejicitur, sed omninò ita disseritur, quasi fiat quidem etiam post obitum remissio quædam venialium, aut graviusculorum nonnullorum delictorum, et in id prosint Ecclesiæ pro defunctis preces, pœnæ tamen nullæ omninò luantur post obitum, sed liberalissimâ Dei benignitate peccata condonentur : ut proinde non sit dubitandum hanc quidem sententiam Græcos domo attulisse, alteram autem illam Ferrariæ vel Florentiæ in gratiam Latinorum, quorum auxiliis tum maximè indigebant, natam esse. Certum verò est unionem factam cum Latinis reliquis Græcis displicuisse, et mox irritam corruisse. Quare videtur hæc Græcorum sententia communis esse cum hæreticis, quam in hæreticis damnant Romani.

XXII. Examinandum itaque est quid Græci de Purgatorio hoc igne ante et post synodum Florentinam senserunt. Et ante omnia præponendum est, in synodo Florentinâ non esse sancitum Purgatorium esse per ignem, licèt id certissimum sit, et auctoritate Patrum comprobetur. Secundò opinionem Origenis de restitutione dæmonum et salvatione animarum damnatarum, et fine pœnarum inferni, semper in eâ Ecclesiâ condemnatam, et illi oppositam mordicùs ab omnibus tanquàm veram et fidei dogma fuisse defensam, et uti catholicam omnibus propositam; ideòque contra eamdem Anathematismum pronuntiatum : *Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse dæmonum et impiorum hominum supplicium, ejusque finem aliquando futurum, sivę restitutionem et redintegrationem fore dæmonum aut impiorum hominum, anathema sit.* Hinc apud Orientalem Ecclesiam firmum semper atque ratum habitum est, nullum unquàm futurum finem ignis infernalis, quod testimoniis sanctorum Patrum demonstrârunt, et rationibus evicerunt Ægypti atque Alexandriæ episcopi, Epistolâ synodali adversùs Origenis doctrinam, quam in suâ ad Menam patriarcham Constantinopolitanum Epistolâ inseruit Justinianus imperator. Theodorus Studita, epistolâ ad Theoctistum Eremitam, qui, cùm oppositum sentiret, tandem

dictis Studitæ persuasus, sententiam mutaverat : *Tertium de angelis et dæmonibus : eos scilicet post judicium rursùs in pristinum statum restituendos, et futurum unum ovile et unum pastorem; cùm hæc negas, fatearisque sempiternas esse pœnas inferni, et regnum cœlorum, benè est. Quartum de uno monacho : eum nempe posse quinquaginta condemnatos à pœnis inferni eripere; cùm hæc negas, asserasque post mortem neque pœnitentiam, neque esse quemquam qui possit à pœnis inferni à Deo illatis eripere, benè est.* Idem auctiùs probavit Arcudius contra Barlaamum de Purgatorio. Nec ea sententia apud Patres tantummodò antiquos fuit, sed Græci etiam posteriores eamdem mordicùs tenuerunt, et nunc quoque tenent, et Origenem acerrimè insectantur, etiam ii qui ex schismate sunt. Simeon Thessalonicensis, in Expositione Symboli : *Et vitam futuri seculi, quæ termino nullo aut fine præscribitur; vita indesinenter perdurans, et sors unicuique sive refectionis, sive punitionis nullo fine, nullo termino præfinita. Verùm hìc multi, qui impiè se gerunt, contra semetipsos nugantur, quod perpetuum est futuræ punitionis, tentantes convellere. Hoc verò accidit illis dolo ac fraude dæmonis, ut, dùm finem expectant punitionis, nihil intentatum relinquant improbitatis. Namque si pœnarum finis erit, peccatum omne aliquando condonabitur, et qui Deum ejurârunt, et qui in eum injurii fuerunt, et qui impiè se gesserunt, erunt cum piis et sanctis aliquando glorificati. An dici potest magis impium? Si finis pœnarum, utique et regni finis erit; et apud Deum nulla justitia. Verùm justus Dominus, et justitias dilexit. Propterea justè decernit, dicens de iis qui in sinistrâ erunt :* « *Ibunt hi in* « *punitionem æternam,* » *nullo unquàm tempore finiendam; de iis verò qui in dextrâ sunt :* « *Et justi in vitam* « *æternam,* » *nunquàm terminandam; rursùsque de peccatoribus :* « *Vermis eorum non finit, et ignis non ex-* « *tinguitur.* » *Et meritò : hìc enim lapsuum emendationis tempus et locus, cùm liberum in nobis arbitrium est; tum verò tempus unum et tempus separationis et retributionis eorum pro dignitate actionum quas quisque liberè gessit. Verùm nullus de se ipso desperans, aut sese iniquitatibus oblectans, aut alicui errori addictus sibi ipsi rebus similibus illudat. Punitio siquidem iis quos non pœnituit, sempiterna erit; ideòque pœnitentia est, illaque ad extremum usque spiritum. Namque si illâ eo in loco opus esset, nunquàm hoc in loco concessa fuisset. Quid porrò admirabile Salvatoris nostri œconomia operata fuisset, si ibi pœnitentia est, aut pœnarum finis? Videsne impiorum amentiam? Sed cùm et Deus inter homines, et arcana Dei tradita sunt et sermones, usque ad passiones ipsas, et certatores usque ad sanguinem, tandemque pœnitentia, asseveremus quod à Salvatore nostro, et Apostolis, et Patribus nobis traditum est :* « *Expecto resur-* « *rectionem mortuorum, et vitam futuri seculi,* » *æternam scilicet.* Et in capitibus fidei, quæ nonnulli articulos vocant : *Duodecimum, vitam post hanc quam modò vivimus, sempiternam futuram, tanquàm ipsâ naturâ libertate filiorum Dei à corruptione in incorruptionem conversâ, ut dicit Apostolus :* « *Et non ultra erit* « *mutatio.* » *Quoniam infidelibus et injustis cum Dæmonibus pœnæ æternæ futuræ sunt, ut inquit Dominus; piis verò et justis vita, et fruitio, et regnum à Christo æternum et nunquàm finem ullum habiturum.* Pachomius Hieromonachus : *Sed Apostolus rursùs dicit :* « *Injusti* « *regnum cœlorum non hæreditabunt.* » *Item :* « *Neque* « *adulteri, neque fornicatores, neque fures,* » etc. *Et universa ferè Scriptura delinquentibus infernum comminatur, non regnum promittit. Peccatores verò nuncupamus eos qui in peccato mortui sunt. Nam Dominus et bonus et humanus in præsenti vitâ delinquentibus veniam dat; sed ut justus judex in futuro seculo eos qui absque pœnitentiâ deliquerunt, tanquàm suî hostes et diaboli amicos condemnat. Nam sola anima in inferno pœnitentiam agere non potest, sed tantummodò cùm degit cum corpore.* Manuel rhetor Peloponesius in Apologiâ : *Purgatorium ignem nullo modo post mortem existere, et ex hâc vitâ liberationem. Id enim Origenianæ hæresis fœtus est, propterea ut blasphemum et divinæ veritati contrarium longè à nostrâ orthodoxâ Ecclesiâ rejectum est, et eos qui ita sentiunt, anathemati jure merito subjicimus.* « *In inferno autem quis confitebitur tibi?* » *Psalmista ait, nemo scilicet.* Et infra : *Sempiternum verò est, quod æternitatem participat. Æternitas autem neque tempus, neque pars temporis est; neque enim commensurari potest. Quasi diceret, nullum finem, nullum terminum habens.* Et pœnarum inferni nullum esse finem probat Josephus Bryenniùs, orat. 2 de futuro Judicio. Neque ad hunc diem ex Græcis, qui catholici sibi nomen vendicant, ullus repertus est, qui impiorum ac dæmonum pœnas sempiternas non fateatur.

XXIII. Fuêre nihilominùs nonnulli, antequàm alia dicam, qui Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, et multos alios Patres, aliàs, catholicos in Origenis errorem de restitutione damnatorum in integrum ex pœnis inferni, prolapsos asserunt. De Gregorio Nysseno Barlaamus monachus de Purgatorio : *Superest unus B. Gregorius Nyssenæ Ecclesiæ præsul, qui magis quàm alii, quæ pro vobis facere, dicere videtur. Atqui satius erat illius auctoritatem silentio præterire, nullâque ratione nos cogere eorum, quæ dixit, defensionem apertè in medium proferre. Dicendum tamen nobis est, salvâ quoad ejus fieri potest, Patris illius existimatione : Homo erat. Homini verò etiamsi ad culmen sanctimoniæ pervenerit, non est impossibile errare, et præcipuè iis in rebus, de quibus nulla antea præcessit inquisitio, neque communibus Patrum suffragiis atque sententiis aliquid est decretum. Manifestum enim est multos rectiùs quàm unum aliquem veritatem assequi posse, siquidem duo boni præstant uni. Cùm itaque quæstio de pœnâ æternâ nondùm agitata discussaque esset, videtur etiam Gregorius Nyssenus ejus opinioni evasionis, sive redintegrationis, quam peccatores consequentur, accessisse, finemque supplicii inferre; nihil aliud supplicium illud statuens esse, quàm purgationem quamdam et fornacem, attractionemque ad Deum per dolorem et labores, tanquàm futurâ tandem perfectâ instauratione omnium, etiam dæmonum ipsorum, ut sit, inquit, Deus omnia in omnibus, juxta dictum Apostoli.* Et in sententiam Origenis fuisse Nyssenum probare conantur alii ex Sixto Senensi, Joanne,

Maldonato, commentar. ad cap. 11 Lucæ, ubi ait, de purgatione per ignem, quo mundus ardebit, opinionem *fuisse Origenis, et ferè antiquissimi cujusque scriptoris.* Et Dionysio Petavio, lib. 3 de Angelis, cap. 7, num. 7, cujus verba sunt : *Cùm apparcat non satis in errore constantem fuisse Origenem, et trifariàm omninò eam exposuisse, ut aut diabolos aut dæmones pariter et damnatos homines salvos aliquando fore diceret; aut solo excepto principe dæmonum diabolo cæteros omnes; aut denique solos homines, diabolo et angelis ejus in perpetuum rejectis; priores opiniones duas pauci Catholicorum amplexi sunt.* Et num. 8 : *De diaboli ac dæmonum pœnis terminandis, futuràque liberatione pauci assensi sunt Origeni. De damnatis hominibus plures imitatores habuit opinionis suæ, nondùm per illa tempora hæresis injustæ notos. Quam quidem non eâdem firmitate omnes adsciverunt; quidam enim plenius, levius alii et quasi cunctanter assensi sunt.* Nec aliter num. 12, 13 et sequentibus, et tandem scribit : *De locis quibusdam Nysseni Origenianum dogma sapientibus explicandis aut conciliandis nonnullos hoc tempore piè magis quàm verè, aut etiam prudenter laborare.* Sed similibus additamentis, et præcipuè in hoc argumento scripta Nysseni ab Origenistis fuisse corrupta singulari opere satis superque probare conatus est Germanus patriarcha Constantinopolitanus. Photius in Bibliothecâ codic. 233 : *Contendit verò Gregorium Nyssæ episcopum, ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, dæmonibus et hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde expectandam : illi, quòd virum doctrinâ singulari et eloquentiâ insignem eum agnoscerent, claramque sanctitatis existimationem per omnium ora decantatam viderent, aggressi sunt claris et salutaribus ejus scriptis obscura ac perniciosa Origeniani somni venena admiscere, virtutique hominis et doctrinæ celebri hæreticam occultè amentium subjicere. Quare partim additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari commenti sunt. Contra quos Germanus pietatis patronus, acutum veritatis gladium stringens, et vulnere prostratos hostes relinquens, victorem superioremque eum constituit, in quem hæretica colluvies insidias struxerat et posuerat.* Scripta tanti viri ab hæreticis fuisse corrupta; dicta de dæmonum et condemnatorum in æternas pœnas restitutione hæreticorum fuisse additamenta, probavit equidem Germanus Patriarcha, cujus scriptioni plaudit ipse Photius; et ipse credam et Baarlamo, et aliis qui hoc tempore eadem quæ condemnaverat Germanus, repetunt? Non sum tam ineptus. Verumtamen cùm Germani opus interciderit, et nos dicta tanti Patris corrupta, et alia quæ rectum Ecclesiæ dogma constabilirent, et quibus fraus hæreticorum deprehendebatur, divinare non possumus, necesse est id idem ex aliis ejusdem Patris dictis eumdem ab Origenis errore fuisse alienissimum comprobare. Dicimus ergo Nyssenum dictam dæmonum, vel impiorum ἀποκατάστασιν nunquàm approbâsse, reprobâsse sæpiùs, cùm palam pluribus in locis fateatur, gehennæ et iguis illius nullum unquàm finem futurum; sed perpetuis tum impiós, tum dæmones flammis fore cruciandos, expressâ etiam, quam ipse non amplectitur, sed damnat, sententiâ Origenis. Audiatur. In fine Orationis de Animâ : *Etenim animarum gradus, et ascensus, et descensus, quos Origenes inducit, ut nullâ in re divinis oraculis concinnentes, neque Christianorum decretis congruentes, prætermittere par est.* Nec in alio sensu accepit historiam Lazari et Divitis, quàm illam accipit quinta synodus ad refellendas de hâc re Origenis nugas, oratione 3 in Beatitudines, et orat. de amandis Pauperibus. Quibus addit : *Si inter res beatas judicatur in infinitis seculis nunquàm finiendâ, sed in perpetuum duraturâ lætitiâ frui, ac prorsùs etiam contraria degustare naturam humanam oportet, non amplius difficile est perspicere, et intelligere sententiam orationis, cur beati sunt qui nunc lugent : quoniam nimirùm ipsi per infinita secula consolabuntur.* Æterna lætitia est, et in perpetuum perdurat; necesse est ut et lætitiæ contraria æterna sint, et nunquàm finiant; hinc infra concludit ignem gehennæ, qui non emoritur, et fletum perpetuum. Tandem, oratione in Magdalenam : *Absurdum enim est, cùm illi qui corporis valetudinis rationem habent, se ipsos expurgent, ante caniculæ exortum, ne quod humidum in illis est, vehementi ipsius ardore corrumpatur, et morbos pariat, eos qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non antevertere, et ardorem excruciantis illius ignis, qui æternùm comburit, et nullum unquàm refrigerium admittit.* Et hìc sectabitur opinionem Origenis de restitutione dæmonum et damnatorum? Nugæ. Nyssenus pœnas inferni sempiternas, nullo finiendas tempore agnoscit, et stolidus quispiam, quòd illi opinio Nysseni de purgatorio igne non arridet, Origenis errorem Nysseno appinget?

XXIV. Nec prætereunda est Barlaami in Gregorium Nyssenum acerbitas. Dùm enim se æquum judicem simulat, virum sanctissimum Origenianæ hæresis non modò suspicione, sed etiam infamiâ, eâque non levi aspergit : *Secundo loco dicimus, quòd tametsi etiam in tali opinione reverà sanctus ille fuerit, existente tamen etiamnum tum temporis controverso dogmate, neque adhuc planè dijudicato, ut jam dictum est, neque contrariâ opinione rejectâ, quod in quinto concilio factum fuit, nihil miri est, si nonnihil à vero ut homo etiam ipse aberraverit, quod et aliis ante ipsum multis accidit, Irenæo videlicet Lugdunensium episcopo, et Dionysio Alexandrino, et aliis. Nam et hi dictis suis ansam quamdam calumniatoribus præbuerunt.* Ut mitiùs ipse agam cum Barlaamo, non alia hìc reponam quàm quæ Joannes Veccus, patriarcha Constantinopolitanus, alteri patriarchæ Photio reposuit : nam cùm Photio Latini de processione Spiritûs sancti etiam ex Filio sententiam Ambrosii, Augustini et Hieronymi opponerent, ne videretur palam tantis doctoribus adversari, et hæresis condemnare, eorum excusationem ita instituebat, eos secundùm dispensationem ita locutos, quemadmodùm et D. Basilius suo tempore; vel ab accuratâ rerum notitiâ uti homines excidisse, quod multi præstantes viri passi sunt, veluti Alexandrinus Dionysius, Methodius Patarensis, et alius et alius, qui

sanctitatis sibi nomen vendicàrunt, quorum nonnulla dicta Ecclesiam non recepisse refert, licèt in aliis maximâ in admiratione haberentur. Vides, lector, unde sua hausit Barlaamus, ex fonte nempe cœnoso : et malè olere subdubitas? Lege nunc quæ illi respondeat Veccus, orat. de Unione Ecclesiarum : *Secundùm dispensationem, ais, Photi, Ambrosium, Augustinum et Hieronymum ex Patre et Filio Spiritum sanctum asseruisse, quâ et magnum Basilium suo tempore usum fateris. Tu itaque quomodò verecundiâ non es suffusus, excelsiùs et æquè ac sanctus Basilius rerum accuratam cognitionem tibi vendicans, et infirmiorum misericordiam non capiens? Quomodò animo non concepisti, Patres nostros antiquis illis diebus in firmamento nostræ Ecclesiæ compellucidos, magnum nempe Basilium, cui à theologiâ cognomen fuit, Gregorium, alterum Nyssenum Gregorium, Joannem, cujus aureum eloquentiæ flumen est, prætereaque alios post eos plurimos summosque doctores, qui omnes Ambrosii, Augustini et Hieronymi Commentaria evolventes, ipsos qui ex Filio processionem Spiritûs asseverant, inter sanctorum numerum collocabant, et cum Romanâ Ecclesiâ eorum commentarios exosculante communicabant, illamque veluti Ecclesiarum matrem obsequiosi audiebant? Eos ab accuratâ rerum notitiâ excidisse ais, ut hunc vel illum ex nostris sanctis. Sed mera te mendacia fundere hinc apparet. Namque quorum sanctorum dicta non approbâsse Ecclesiam dicis, ea omnia obsignata in ecclesiasticis voluminibus, qui res ecclesiasticas pertractant, optimè nôrunt. Indeque eos ab accuratâ rerum notitiâ excidisse innotuit. Si itaque et allegatos Romanæ Ecclesiæ Patres ab accuratâ rerum notitiâ excidisse cognovissent, tum alii Romanæ Ecclesiæ Patres, quos plurimos et summos ea ætas tulit, tum Ecclesiæ nostræ lumina, quæ id temporis Ecclesiarum unionem exosculabantur, non neglexissent, sed scripto signâssent, postmodùm nobis enatum, dignissimum tamen qui sciretur errorem.* Annon et meritò hìc tu diceres Barlaamo : Tunc tibi, infans in litteris, et in rebus theologicis planè puer, Gregorio Nysseno Ecclesiæ dogmata et veriora et certiora vendicas? Quomodò non concepisti Patres nostros antiquos tum Græcos tum Latinos in firmamento Ecclesiæ Catholicæ clarissimos, qui omnes Gregorii Nysseni scripta, et ea potissimùm, in quibus continentur hæc quæ tu damnas tanquàm hæretica, venerati sunt et exosculati, et uti catholica recognoverunt? Si hâc in re Nyssenus ab accuratâ rerum notitiâ excidisset, Patres non tantùm illi æquales, sed et qui postea subsecuti sunt, Ecclesiæ lumina adnotâssent, signâssentque dignissimum qui ab omnibus sciretur, errorem. Et quæstionem de igne purgatorio ante quintam synodum non fuisse determinatam falsissimum esse, alii demonstrârunt, cùm in quintâ synodo de Purgatorio nec verbum quidem factum sit, sed error Origenis de restitutione dæmonum condemnatus. Lubet præterea hìc accensere, ut res magis constabiliatur, quæ adversùs nonnullos idem Joannes Veccus eâdem oratione de dictis Gregorii Nysseni ab eisdem contemptui habitis scripto signavit : *Quid inquitis, fratres? Nihil novi fuerit, scripta Nysseni negligi? Nysseni? illius, cujus ego nullam compellationem parem habeo, quòd laudationum extra tempus, tempus nobis non suppetat, neque in id studium incumbere præsens argumentum sinit, ut excellentiam viri, si modò vir ille vocandus est, et non angelus, ostendamus. Sed solùm quia ipse dixit, neque rejicienda verba, quòd illius sunt. Quid enim à nobis despectui dignum judicatur? Quòd unus est, aiunt, et quòd non plenâ synodo illa dictavit. Sedenim neque tanquàm unum ex multis reputandum esse Nyssenum in rebus theologicis pertractandis excellentissimum, vos ipsos dijudicare postulo, et aliorum abnuo calculum. Verùmtamen non unum, sed tres à Nysseno dicta tradidisse, illi mihi testimonium præbebunt, qui eamdem eorum virorum ætatem tenent, ipsiusmet Nysseni, inquam, maximi Gregorii et Basilii præclarissimi, et qui eorumdem rebus in omnibus unam mentem, et concordes animos non ignorant. Quid ex illis tribus quispiam dixit, quod cum aliis non communicavit? Quòd si videtur nonnemini quædam fortassè esse dictata à posteriori, qui in vitâ remanserat, et considerationum defunctum antea participem non fecisse, at cùm et adhuc cùm viverent, ab eodem spiritu inflati de rebus spiritûs decernerent, et fine vitæ posito, eodem colligurentur spiritu, non admisero unquàm ego uni aliquid inspiratum, etiam reliquis vitâ functis, quod à mente eorum qui antea mortem obierant, non fuerit. Si autem quòd plena synodus hujusce vel hujusce dicti audientiam non fecit, dicta condemnantur, ego universalem eorum audientiam fuisse contendo. Et quânam ratione despectui habenda sunt quæ universalibus audientiis digna fuêre? Ex eo siquidem tempore ad hanc nostram ætatem, quæ intercesserunt universales ac provinciales synodos ea et amplexatas et exosculatas fuisse, et veluti pietatis quemdam thesaurum in Ecclesiâ reponi tradidisse, eritne qui hæsitaverit? Non debent ituque, fratres, à singulis quibusvis separatim dictata à Patribus tanquàm despectu digna condemnari apud Ecclesiæ alumnos; quemadmodùm neque quæ magnus Athanasius, neque quæ in rebus theologicis maximus Cyrillus effatus est. Ambo enim hi synodis illisque œcumenicis, ille Nicænæ primæ, hic Ephesinæ et tertiæ præfuêre. Et sanctorum horum pronuntiata non esse despicienda, quòd audientiis universalibus digna judicata sunt, hâc ratione planè firmiterque comprobatur.* Et hæc non esse Vecci somnia, neque terricula ad coercendas contra tantos Patres similes nugatorum affanias, probat idemmet Nazianzenus Gregorius, oratione in Basilium Magnum, apertè palàmque enuntians, se ab eo, cùm ille viveret, et post etiam vitâ perfuncto de multis instrui, corrigi et admoneri. Audiatur : *Verùm ignoscat mihi velim divina anima, mihique et nunc et ante veneranda. Omninò autem quemadmodùm cùm apud nos ageret, multa mea errata pro amicitiæ jure ac præstantiore lege corrigebat; non enim verebor hoc dicere.* Et postmodùm æquè ac si sanctum præsentem in speculo cerneret, et ab eo edoceretur, subdit : *A quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor et castigor, si quando ab officio recessero.* Quod amicitiæ jure, et lege præstantiore Basilius in amicum Gregorium non tantùm cùm viveret,

sed etiam raso functus peragebat, tu inficias iveris affinitatis jure, et strictioris conjunctionis in Gregorium fratrem? Hinc apparet stultissimè dictum Barlaami : *Nequaquàm verò nobis fidem faciunt, qui ad communem totius Ecclesiæ sententiam respicimus, et sacris Scripturis tanquàm regulâ ac normâ utimur; neque quid unusquisque peculiariter scripserit consideramus; neque si quis alius de purgatorio igne alia quædam scriptis mandârit, ea amplecti necesse habemus.*

XXV. At magnus Basilius secutus est opinionem Origenis. Multò minùs. Testis ipse suæ sententiæ sit, qui in Regulis compendio traditis, interrogat. 267, hæc ait : *Quæ ambigua sunt, ac videntur obscurè esse dicta quibusdam locis divinitùs inspiratæ Scripturæ, alibi ab aliis quæ confessa sunt et aperta, declarantur. Cùm ergo Dominus pronuntiârit : « Ibunt hi in supplicium æternum », et alicubi mittat eos « in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus », atque ita nominat « gehennam ignis, ubi vermis eorum non « moritur, et ignis non extinguitur », ac rursùs per propheiam de quibusdam prædixerit. « Vermis eorum non « morietur, et ignis eorum non extinguetur »; cùm hæc et hujusmodi sæpè à divinitùs inspiratâ Scripturâ proponantur, hoc quoque est diaboli artis et astutiæ, ut multi homines veluti obliti talium tantarumque Domini sententiarum, finem sibi audeant pœnarum in posterum adumbrare. Nam si æterni supplicii quandoque finis est futurus, omninò habebit et vita æterna finem. Sin in vitâ non sic evangelici dicti sensum accipimus, quæ ratio est supplicio æterno finem statuere? Æterni enim adjunctio pariter in utroque ponitur. « Ibunt enim, inquit, hi in « supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. » His igitur ita concessis, intelligendum est illud, « vapulabit multis », et illud, « vapulabit paucis »; non finem, sed diversitatem supplicii declarare. Si enim Deus judex justus est, non bonis solùm, sed etiam improbis, reddens unicuique juxta opera sua, fieri potest ut alius quidam dignus sit igne inextinguibili, atque hoc ipso vel leviùs, vel acriùs urente, alius verme nunquàm morituro, atque hoc ipso nihilominùs vel mitiùs aliquem excruciante, vel severiùs, pro meritis videlicet uniuscujusque; itemque alius gehennâ, habente prorsùs ipsâ etiam varia tormentorum genera; similiterque alius exterioribus tenebris; quo in loco alius in fletu est solùm, alius, præter fletum, in stridore etiam dentium, propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin et hæ quoque tenebræ, quæ vocantur exteriores, alias etiam prorsùs esse interiores significant. Et illud quod dictum est in Proverbiis : « In profundum « inferni », declarat quosdam esse quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui levioribus scilicet pœnis afficiuntur. Porrò hoc ita esse etiam nunc possumus per similitudinem adumbratè in morbis corporis intelligere. Siquidem est alius, qui præter febrem alias etiam aliorum morborum accessiones habet; alius item, qui ex solâ tantummodò febri laborat; et hic ipse diverso morbo atque alius. Similiterque reperietur alius qui febri quidem ipse non laborabit, dolore tamen membri alicujus vehementer cruciabitur, et hic ipse item aliò aut acriùs aut remissiùs. Usurpatum est autem etiam à Domino multis et paucis ex usu quotidiè loquendi consuetudinis, quemadmodùm alia etiam hujuscemodi nonnulla; quandoquidem sciens plerùmque hujuscemodi formam loquendi etiam iis solitam esse usurpari, qui ex uno aliquo morbo laborant. Veluti cùm dicimus in aliquo, qui tantummodò febricitat, aut ex oculo dolet, admirantes : Hic quot sustinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus! Quamobrem hoc, multis aut paucis vapulare, iterùm dico, nequaquàm temporis longinquitatem complectionemve, sed pœnæ diversitatem significat.* Audis? Diaboli artis est et astutiæ, homines tot sententiarum Domini oblitos, finem sibi pœnarum in posterum adumbrare; et vapulare multis aut paucis non temporis, sed pœnarum varietatem significare. Et sermone adhortatorio ad Baptismum : *Ob brevem peccati voluptatem æternum crucior; propter voluptatem carnis æterno trador igni.* Et Epistolâ ad virginem lapsam : *Ubi itaque anima illa mergetur, quæ in tot spectatorum conspectu derepente turpitudine plena visa est? Quali verò corpore nunquàm terminanda et intolerabilia flagella sufferet? Ubi ignis inextinguibilis, et vermis indesinenter castigans, et fundus inferni tenebricosus, et horrendus, et ejulatus amari, et ululatus indecorus, et ploratus, et stridor dentium, et finem non habent mala.* Et hæc pro Basilio satis.

XXVI. Quod fusè etiam probavit de Nazianzeno Arcudius, de Purgatorio, contra Barlaamum. Quare ineptit Barlaamus, dùm asserit dogma de purgatorio igne apud Nazianzenum fuisse controversum, neque ita repurgatum, ut ejus veritas esset certa, ex illis Nazianzeni verbis : *Nisi quispiam malit etiam hìc benigniùs id ipsum intelligere, et punientis dignitati convenientiùs.* Hinc clamat : *Vides quo pacto liberum faciat volentibus ignem illum benigniùs interpretari?* Alii etiam, ut testimonio Nazianzeni purgatorium hunc ignem destruant, illa ex ipsius in sanctum Baptisma Oratione in medium afferunt : *Novi et ignem non purgantem, sed scelerum vindicem, sive Sodomiticum illum, quem sulfure et procellâ permixtum Deus in peccatores omnes fundit; sive illum qui diabolo ejusque angelis paratus est, sive etiam illum qui ante faciem Domini procedit, et in circuitu inimicos ejus inflammat; sive denique illum omnibus his formidabiliorem, qui cum insomni illo verme conjunctus est, nec unquàm extinguitur, verùm in sceleratorum hominum pœnam perennis est et sempiternus.* Apertè hìc negatur ignis purgatorius. Quid ultra temerè mente delassamur, et in Ecclesiam ingerimus, quod tantus Pater disertis verbis exterminat? Barlaamo suffecerit dictum Basilii, Nazianzenum ibi locutum non de longinquitate aut complemento temporis, sed de varietate pœnarum. Quòd si accuratiùs considerâsset, næ ille cautiùs et consideratiùs de Gregorii sententiâ pronuntiâsset. Qui verò verba ex oratione in sacrum baptismum ad tollendum hunc purgatorium ignem usurpant, pace eorum dixerim, insanisse sine ullâ dubitatione omnibus, et malâ fide causam tutari suam videntur, tanquàm qui ex detruncatâ ac per ipsos mutilatâ sanctissimi Patris sententiâ fraudem legentibus faciunt.

Verùm, ut sententia Patris clarè apertèque habeatur, quid ille de purgatorio hoc igne senserit, fusiùs exponendum est. Errorem ille Origenis à se disertè propellit, cùm pœnas et ignem impiorum nullo unquàm tempore terminandum apertis verbis fateatur. En verba illius ex oratione ipsius Apologeticâ : *Nobis, qui de animæ salute periclitamur, quæ beata ac immortalis est, atque immortalibus vel suppliciis vel laudibus ob vitium aut virtutem afficietur, quantum tandem certamen propositum esse, quantâque arte opus esse existimandum est, ut rectè curemus, aut ipsi curemur, et vitam in melius commutemus, ac terram spiritui addicamus.* Et oratione de Plagâ grandinis : *Mitto enim dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus hujusce vitæ indulgentia et impunitas eos tradit, ita ut satius sit nunc castigari et purgari, quàm ad cruciatum illum transmitti, cùm jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodùm enim, qui Dei memor hìc est, morte superior est, ita his qui è vitâ excesserint, non est in inferno confessio, nec morum correctio, ut à Davide optimè dictum est. Hìc enim Deus vitam et actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit.* Et : *Illic autem quis patronus? quæ causificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quæ consilii solertia? Tribunal illud unum scribet, ac rectum judicium eludet, quod omnia omnibus in staterâ collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesque cum vitiis ex adverso expendit, ut, quod propendet, victoriam obtineat, atque ab ampliore parte sententia stet, postquàm non jam provocatio superest, non sublimior judex, non alia opera, per quæ quispiam pœnam deprecetur, non deficientibus lampadibus oleum à prudentibus virginibus, aut à vendentibus acceptum, non divitis illius pœnitentia, flammæ ardore liquescentis, ac propinquis suis correctionem requirentis, non denique præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus; sed et solum et postremum, ac formidabile illud tribunal erit, magisque etiam justum quàm formidabile, imò, ut rectiùs dicam, idcircò formidabilius, quia justum. Quo quidem tempore throni proponentur, et Antiquus dierum sedebit, et libri aperientur, et igneus fluvius volvetur, et lux à fronte, et paratæ tenebræ; ac præcedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, nunc quidem in Christo absconditæ, verùm postea simul cum ipso manifestandæ; qui autem mala egerunt in resurrectionem judicii, quo etiam ii qui non credunt, à Verbo eos judicante jam condemnati sunt; atque illos quidem lux omni sermone præstantior excipiet, et sanctæ regiœque Trinitatis, puriùs jam et clariùs illuminantis, totam se cum totâ mente miscentis, contemplatio, in quâ ego vel solâ regnum cœlorum maximâ ex parte positum esse censeo; hos autem simul cum aliis, vel potiùs ante alia istud excruciabit, auòd à Deo projecti sint, atque inustam in conscientiâ sempiternæ ignominiæ notam gerant.* Vides? Pari modo et virtutum præmia, et vitiorum supplicia immortalia sunt. Expensis in staterâ ante illud tribunal vitiis et virtutibus, et latâ sententiâ, nulla provocatio, nulla pœnarum deprecatio, nulla pœnitentia, nullum vitæ in melius commutandæ tempus, sed in perpetuum duratura sempiternæ ignominiæ nota. Et tu dicis eum Origenis errorem secutum? En tibi clariora ex oratione in sacrum Baptisma : *Nam cùm ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum, quæso, periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud veritatis tribunal rei peragamur? Idque cùm nulla jam posthàc altera regeneratio sit, nec instauratio, nec in veterem statum restitutio, quàmlibet maximè eam multis cum gemitibus et lacrymis requiramus; quibus licèt cicatrix ægrè tandem obducatur, ut quidem ipse statuo; obducitur enim, idque persuasum habemus, ac præclarè mecum agi putarem, si ipsæ quoque vulnerum notæ delerentur, quandoquidem et ipse misericordiâ opus habeo. Præstat tamen secundâ purgatione minimè indigere, verùm in primâ consistere, quæ omnibus communis est, et labore vacua, cunctisque ex æquo patet, tam servis quàm heris, tam egentibus quàm copiosis, tam abjectis quàm sublimibus, tam genere claris quàm ignobilibus et obscuris, tam ære alieno obstrictis quam iis qui nihil æris alieni conflârunt, non secùs atque aeris haustus, et lucis profusio, et temporum vicissitudines, et rerum creatarum aspectus, magni, inquam, illius, omnibusque communis oblectamenti, ac denique fidei æqua portio. Grave enim est facilioris medicinæ loco difficiliorem et molestiorem adhibere, ac projectâ misericordiæ gratiâ suppliciis se ipsum obnoxium reddere, atque admissa peccata correctione vitæ compensare. Quis enim nobis præstabit fore ut vitæ finis curationem expectet, ac non potiùs adhuc ære alieno pressos, atque ignis illius ardore opus habentes tribunal illud suscipiet?* Primum illud apud Nazianzenum certissimum est et firmum, totius discursûs fundamentum, erroris Origenici profligatio. Audi : Post hanc vitam nulla altera regeneratio est, nulla instauratio, nulla in veterem statum restitutio, licèt eam maximè et multis lacrymis et multis gemitibus requiras. In eâ tibi procurandâ conatus omnes frustra fuerint, uno verbo, oleum et operam perdis. Licèt enim benefactis cicatrix ægrè obducatur in hâc vitâ, et separatarum partium coitio et unio, et peccatorum notæ post baptismum deleantur, esset nihilominùs satius, in primâ, quæ post baptisma subsecuta est, purgatione et puritate, quæ omnium communis est, consistere, nec aliâ secundâ indigere, quam et lacrymis et aliis bonis operibus assequimur, facilioris medicinæ loco, quæ per baptismum est, difficiliorem et molestiorem, pœnitentiæ nempe meritis, et supplicium interventu adhibentes. Quod quando jam ita futurum esset, feliciter nec infortunatè accederet. Sed quis nobis talis eventûs sponsor fuerit, efficietque ut Dominus tantùmdem nos in vitâ expectet, donec purgationis secundæ absolutè compotes simus, et non vitâ depositâ in ignem dejiciamur, cujus ardore gravissimo expiati, tertiam purgationem consequamur? Tres hìc purgationes numerantur, prima per baptismum, altera per pœnitentiam, tertia per ignem; duæ sunt in hâc vitâ, tertia post obitum. Ignis hic

æternus non est. Æternus siquidem non purgat, ἀλλὰ τῆς ἀφανιστικῆς δυνάμεώς ἐστί, sed perdit et delet, et jam antea in eo ullam esse restitutionem apertè negavit, ut vidimus. Ergo illi sermo est de purgatorio igne, qui pœnitentiâ ipsâ et lacrymis difficilior et molestior, et tormentis ac suppliciis obnoxius ob peccata patrata, neque in hâc vitâ per pœnitentiam absolutè dimissa, ita cruciat et amburit, ut eodem quoque tempore purget, et expiet, et regeneret, et restauret, et in veterem statum restituat. Hinc, oratione in sacra Lumina, purgatorium hunc ignem commodissimè vocavit τελευταῖον βάπτισμα, *postremum baptismum*, sed acerbiorem et diuturniorem, per ignem tamen futurum. *In altero ævo igne fortassè baptizabuntur, qui* POSTREMUS *est* BAPTISMUS, *nec solùm acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar fœni depascitur, vitiique omnis levitatem absumit.* Et nota *fortassè* hoc in loco dubitandi adverbium, non ad ignem, quo illi baptizantur aut expiantur referri; hoc enim ratum certumque est Nazianzeno, ut etiam colligitur ex oratione ad eos qui ipsum primum acciverant, nec venerant : *Super ædificantes fundamento fidei, non lignum, non herbas, neque stipulam materiam tenuem, et facilè combustibilem, cùm igne dijudicabimur, vel purgabimur, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, permanentia et stabilia, hæc agatis;* sed ad ipsum baptismum per ignem, qui non omnibus conceditur. Multi siquidem ob peccata, et fortè multò plures in infernum deducuntur, alii in purgatorium ignem pro illis peccatis expurgandis immittuntur, quibus id Dei clementia largiretur; quod cùm ipse exploratum haberet, hærens ac dubius enuntiat, *fortassè* nonnullos illo igne, qui ibi est, fore baptizandos, qui malitiam et peccata, veluti siccam herbam absumet. Non solùm igitur hi summi Patres in eâ Ecclesiâ, sed eadem ipsa universa Ecclesia tenuit, et hàc etiam ætate tenet, pœnas inferni semper esse duraturas, et ore quoque profitetur, in inferno nullam esse redemptionem nec pœnitentiam.

XXVII. Ex quo necessariò sequitur, dictam Ecclesiam, ne eam insanire dicamus, quotiescumque de igne animas separatas purgante et mundante loquitur, non de alio igne loqui, quàm de igne purgatorio, quo expiatæ per definitum aliquod tempus post hanc vitam à peccatis, de quibus plenè non satisfecerint, inter beatos alios collocantur, et ignem purgatorium profiteri. Neque recùrrendum est ad ignem quo mundus conflagrabit. Nam tum etiamsi eo animæ depurantur, adhuc ignis purgatorius erit. Neque enim ita superstitiosi sumus, ut semper ad purganda peccata, vel ignem requiramus, vel ignem subterraneum. Quemadmodùm enim divinâ dispensatione extra infernum spiritus damnati, vel ad instructionem, vel ad exercitium electorum portant semper secum ignem inferni, videntque illum in pœnam sibi præparatum, qui ut instrumentum divinæ justitiæ illos torquet, quantùmcumque ab eo elongentur; quia distantia non impedit infinitam Dei virtutem; et sicut gloria sanctorum non minuitur, sive sint in cœlo, sive extra cœlum, sic nec pœna damnatorum, quando sunt extra infernum; ita et duplex esse Purgatorium planè fatemur, fateturque Græcorum Ecclesia, aliud ex dispositione, et in diversis locis, etiam in hoc mundo, in quo vario pœnarum genere cruciatæ purgantur, ut 4 dialog. sanctus Gregorius ait, vel ad vivorum instructionem, vel ad defunctorum subventionem, vel propter punitionem etiam vivorum, vel exercitium electorum, qui negligentes fuerunt. Hinc etiam fieri potest ut, quando mundus conflagrabit, pleræque animæ, quæ nondùm integrè emundatæ sunt, illo igne ambustæ, perfectam delictorum purgationem consequantur; et tunc ignis ille vocabitur *purgatorius*, cùm purgandis animabus deservit.

XXVIII. Sed jam nunc videamus quid de purgatorio isto igne Græcorum Ecclesia teneat. Magnus Basilius, cap. 4 Isaiæ, super illa verba : *Abluet Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem expurgabit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris*, dicit : *Perspicuè ea ipsa hic sermo designat, quæ Joannes aliquando de Domino dixit :* « *Quia ipse est qui* « *vos baptizabit in Spiritu sancto et igne,* » *et de se ipso :* « *Ego quidem vos baptizo in aquâ ad pœnitentiam.* » *Quando igitur utraque conjunxit Dominus, illud ex aquâ in pœnitentiam, et illud ex Spiritu in regenerationem, et utrumque baptisma Scriptura designat, num fortè sunt tres baptismatis acceptiones? Expurgatio scilicet sordium, regeneratio per Spiritum, et ea quæ fit in igne segregationis probatio, sic ut illud* abluat, *pro depositione peccati accipiatur, quæ in hâc vitâ fit; hoc autem* in spiritu judicii et spiritu adoris *ad eam referatur probationem, quæ per ignem fit in seculo futuro. Equidem peccata per ignorantiam admissa, utique cùm sint veluti sordes quædam, quæ animi splendorem exterminant, et nativo ejus decori officiunt, egent purgatione per lotionem; quæ verò ad mortem ducunt peccata, eorum nempe qui post acceptam cognitionem certâ animi destinatione flagitia committunt, sanguis vocantur, et hæc quidem indigent ardore, seu exæstuatione judicii. Itaque quisquis confitetur, seque ablui orat et emundari, suam quidem iniquitatem fatetur egere ablutione, et peccatum emundatione, dùm dicit :* « *Ampliùs lava me ab iniqui-* « *tate meâ, et à peccato meo munda me.* » *Illi quidem qui rudes sunt prorsùs et inscii divinorum dogmatum, priusquàm eruditi essent Dei verbum, peccârunt, tanquàm eluvie quâdam inquinati, opus habent aspergine aquæ ut eluantur; qui verò post acceptam vitæ notitiam, consulto ac studio seipsos reddunt obnoxios sanguini, opus est ut tales purgentur per ignem.* Et cap. 9, super Illis : *Et succendetur iniquitas sicut ignis,* hæc ait : *Habet comminatio quamdam beneficii speciem, quia comburetur sicut ignis iniquitas; nam paratam ex iniquitate materiam aboleri pro hominum beneficio à bonitate Domini constitutum est. Et sicut gramen aridum devorabitur ab igne, et comburetur in densitatibus silvæ. Dùm demergitur in terrenis affectibus anima, sicut gramen affectus animæ serpunt è sensu carnis pullulantes, mutuo nexu nascentes, et alios de aliis producentes. Nam veluti gramen supra modum inter herbas geniculatum*

est, nec unquàm ejus generatio desinit, sed semper primæ generationis finis fit sequentis principium, talis est et peccatorum natura. Ipsa seipsam suscipit. Gignit libido libidinem, consuetudo mendacii fit mendacii mater, et qui in furtis meditandis versatur, facilè malum hoc audet perficere. Peccatum enim præcedens occasio fit iterum peccandi. Si igitur per confessionem peccatum aperuerimus, siccum id gramen reddidimus, ut à purgatorio igne devorari mereatur. Et paulò post : *Si non evaserit ut gramen aridum nostrum peccatum, ab igne non devorabitur, nec comburetur.* Et iterùm : *Propter furorem iræ Domini combusta est omnis terra. Ostendit terram pro animæ beneficio igni tradi punitionis, sicut Dominus subostendit dicens :* « *Ignem veni mittere in terram, et* « *quid volo, nisi ut accendatur?* » Et de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 15 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne, ignis baptismum vocans examinationem judicii, ut ait Apostolus :* « *Uniuscujusque opus* « *quale sit, ignis probabit ;* » *et rursùs :* « *Dies enim Do-* « *mini declarabit quia in igne revelatur.* » Et notanda sunt inter alia illa : peccatum per confessionem gramen aridum redditum, à purgatorio igne devorari meretur. Tale enim peccatum, ideò igne purgatorio expiandum, cùm confessum pœnas sempiternas non mereatur. Non est ergo sermo de condemnatorum et dæmonum igne, qui non purgat, sed torquet; ideòque nulla sequitur purgatio tempore finienda. Neque ab his diversus est Nazianzenus, oratione ad eos qui vocârunt et non accurrerunt : *Superædificantes fundamento fidei non lignum, non herbas, neque stipulam, materiam tenuem, et facilè combustibilem, cùm igne dijudicabimur vel purgabimur, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, permanentia stibilia, hæc agatis.* Quid verò Basilii frater Nyssenus? Audiatur : Orat. de Infantibus, qui præmaturè abripiuntur : *Quomodò de his qui hoc pacto obierunt, judicandum? Aspicietne et illa anima judicem? Sistetur et illa cum cæteris ante tribunal? Subibit anteactæ vitæ judicium? Dabitne dignas pœnas expurgata igni juxta Evangelii dicta? An verò potiùs rore benedictionis erit recreata?* Et Orat. ad eos qui lugent eos qui ex hâc vitâ transmigrant : *Similes quippe nos Deo reddit liberum arbitrium; ut ergo et libertate natura non privetur, malumque deleatur, excogitavit hoc Dei sapientia inventum, permittere scilicet hominem in his esse in quæ prolabi voluit, ut degustatis malis quæ exoptavit, et experientiâ discens quibus cum rebus quantas commutaverit, sponte suâ revertatur ad pristinam beatitudinem, per desiderium affectus omnes, qui rationi inimici sunt, veluti naturæ onus excutiens, vel in præsenti vitâ per orationem et philosophiam expurgatus, vel post præsentem peregrinationem per ignis purgatorii fornacem;* et post similitudinem medici providentis, ne adolescentulus noxia sibi fercula comedat, subjungit : *Cùm non possit is divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit.* Hinc post prophetas, Apostolos et martyres, qui ad perfectionem medio virtutis ac philosophiæ studio pervenêre, collocat : *Majorem partem verò esse eorum qui post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes, et propensionem ad malum abstergunt, et ad gratiam initio naturæ concessam, voluntariâ bonorum cupiditate redeunt.* Audis? vel in præsenti vitâ per orationem et philosophiam expurgamur, vel post hanc vitam purgatorio igne. En trium horum summorum doctorum in Purgatorii dogmate ὁμόφυκον, et ὁμόπνουν. Et tunc adhuc hæsitas? Est apud Arcudium præterea Theodoretus, cujus dictum alii referunt, et Guagneius ex Græcorum scholiis : *Hunc ignem credimus purgatorium, quo purgantur animæ, ut aurum in conflatorio.* Basilius Seleuciensis, orat. quartâ de Davide : *Ne expectemus, ut igne curemur.* Isidorus Pelusiota, epist. 350 primi libri ad Lampetium : *Si parabolam illam non legisti, in quâ triticum à paleis distinguitur, atque illæ igni, hoc autem apothecæ servatur, ne sic quidem tamen causam tuam ignoratione tueri potes, quippe cùm præclarissimarum rerum omnium cognitionem natura habeat. Nam quæ perpeti nolumus, eadem ne quidem facere docemur. Quòd si et virtutum cognitionem in nostris animis insitam habeamus, et eam ex divinâ lege perspicuè discimus, ecquid tu voluptatis ventis palearum instar jactaris ad eas projectus? Vide igitur inconstantiam igne terminari, vel purgante, vel ad extremum usque comburente.* Œcumenius in Epistolas Pauli : *Vel etiam hoc pacto possumus intelligere. Qui superædificaverint materiam facilè combustibilem omninò projecti sunt. Detrimentum enim passa sunt ipsorum studia. Ipse verò salvus erit. Quisnam? Qui superædificaverit aurum, et argentum, et lapides pretiosos. Cùm enim de ipso dixisset, quòd mercedem accipiet, nunc ait qualem mercedem, hoc est, salutem. Salvus autem erit cum dolore et ipse, ut par est eum, qui per ignem transit, modicarumque inhærentium sibi sordium indiget purgatione; nam Dei solius est perfecta impeccabilitas; homines autem quantùmlibet justi non sunt omninò mundi. Dictum est enim quòd* « *in multis* « *omnes peccamus, et nemo mundus à peccato, etiamsi* « *unius diei fuerit vita ipsius.* » *Dictum quippe est à Malachiâ etiam, quòd* « *ut ignis in fornace, utque her-* « *bam lavantium lavabit, et purgabit aliquos Deus.* » Hic etiam agnoscit Purgatorium per ignem præsertim in hominibus bonis et sanctis, quia nemo sine crimine, nisi solus Deus. Manuel Caleca loco sæpiùs laudato : *Sic itaque inter beatitudinem et æternum cruciatum tertius locus relinquitur, in quo hujusmodi peccata purgantur. Eum verò locum ignem esse aiunt, non eum qui ante faciem Christi in ejus revelatione, ut ait Daniel, præcedit, et quem gehennæ ignem Scriptura vocat. His enim qui in illum semel merguntur, nulla est emergendi spes; sed ignis alius, quem* purgatorium *dicunt, quòd in eo delicta purgantur, ac velut in fornace, qui in illum mittuntur, emundantur, istudque ante judicium extremum. Post hoc enim nullus qui mundetur erit, unoquoque proprium sibi locum æternè vindicaturo.* Vide Arcudium de Purgatorio contra Barlaamum. Nec ab hâc doctrinâ de purgatorio igne abhorruit Theodorus Graptus, oratione de Dormientibus, cujus responsionem ad dictum Apostoli, quod pro suo dogmate stabiliendo afferebat Origentes, refert Gregorius Hieromonachus, in Synopsi dogmatum. Verba Theodori cùm

ipse nondùm viderim, afferam quæ ex eo excerpsit dictus Gregorius : *Tertium testimonium erat :* « *ipse* « *verò salvabitur tanquàm per ignem;* » *et dicebant : Ecce hic est salus condemnatorum ; in hoc dicit : Illud,* salvabitur, *aut intelligitur de condemnatis qui salvantur, hoc est, remanent salvi et integri inter flammas illas æternas; aut intelligitur de illis qui spem salutis possident, quemadmodùm et Gregorius Nyssenus dictum illud interpretatus est; licèt nonnulli illum calumniati sunt tanquàm Origenani dogmatis asseclam.*

XXIX. Ipsa eadem Ecclesia Græca in hymnis et canticis quæ in ecclesiis concinit, hoc idem profitetur. In Pentecostario, sabbato ante Pentecostem, quo celebrat memoriam defunctorum : *Eripe ab igne horrendo populos, benigne, Ecclesiæ tuæ sanctæ, et salva sacrorum monachorum cœtum, multitudinem chori eorum, qui tibi divinè ministrant.* Et in Paracleticâ, Sabbato in Defunctos : *Qui naturâ es bonus, dives in misericordiâ et bonitate, eripe à tenebris exterioribus eos qui invocârunt tuum nomen, ex fide justificans, et tuâ gratiâ hos clarificans, ut hominum amator.* Et : *Eripe, Domine, ab igne gehennæ eos qui à nobis migrârunt, destruens tuâ lanceâ lateris chirographum eorum peccati, ut solus hominum amator, et dignos eos faciens splendore sanctorum* : Et Nicolaus, Metropolita Athenarum, in officio Olei sancti pro Defunctis, in Orationibus : *Eodem modo dele intercessione immaculatissimæ tuæ matris multa et non multa propter ingens et mensuræ nescium pelagus misericordiæ tuæ parva ignis suscitabula. Quid enim valet parvus ignis contra abyssum misericordiæ et humanitatis tuæ ?*

XXX. Et hoc adeò clarum certumque est, ut nec ipsi etiam ex schismate negârint satis esse ad dirimendam hanc quæstionem existimantes solâ ipsius purgatorii ignis inficiatione. Josephus Philagrius, tractatu de Controversis inter Græcos et Latinos : *Quando verò et de æterno et perpetuo et indesinenti tormento unà cum nobis non sentiunt, et aliud de novo excogitatum introducunt, quod dissolvitur et deperit, pauca etiam de eo dicentur. Namque unum illud esse ex Scripturis accepimus, et diversas ac varias pœnas complectitur secundùm opera delinquentium, et unum regnum similiter, et ipsum variis oblectamentis onustum secundùm virtutis sudores eorum qui piè vitam transegerunt* « *In domo enim patris* « *mei multæ mansiones sunt,* » *Christus ait. Cùm ignis inextinctus, vermis nullo fine coercitus, stridor dentium, tenebræ exteriores, et alia quàmplurima prosperis contraria, et æterna et perpetua. Dicit enim Christus veritas ipsa :* « *Cùm sederit filius hominis in throno gloriæ suæ,* « *et omnes Angeli illius cum ipso, et separabit eos, veluti* « *pastor segregat oves ab agnis.* » Simeon Thessalonicensis, Responsionibus ad Pentapolitanum, interrogatus, *num propter omne peccatum, etiam minimum homo puniatur ?* respondet : *Verè propter omne peccatum homo punietur; quandoquidem etiam pro verbo otioso ratio reddenda est, ut Veritas ipsa dicit, ipse omnium judex, et pro visione quæ fuerit passioni obnoxia, et si cœlum aut terram jurejurando advocaverimus; tum etiam* « *quod amplius affirmationi,* sic, *aut negationi,* non, *addiderimus, pœnæ tamen errori ipsi respondebunt, cùm multæ punitiones sint, et multæ apud Deos stationes electis.* Gabriel Philadelphiensis, de Purgatorio : *Ad secundum verò dicimus Orientalem et catholicam Ecclesiam tertium locum non recipere, ut Romani dicunt, in tres locos animas separantes, in Paradisum, Infernum, et tertium Purgatorium. Et Paradisus quidem est, in quo justorum animæ requiescunt. Infernus rursus, in quo cruciantur, et puniantur peccatorum animæ; Purgatorium autem dicunt, in quo purgantur per ignem illæ animæ, quæ similibus cruciatibus dignæ sunt. Nos autem duo loca, Paradisum nempe et Infernum, confitemur et acceptamus, cùm ita nos sacra Scriptura doceat*, etc. Et cùm probàsset multas in Paradiso mansiones esse, id idem conatur etiam in Inferno, qui licèt unus sit, multas tamen mansiones habet, et multa tormentorum genera peccatis correspondentia. *Ex dictis itaque manifestum est unum esse locum in quo animæ cruciantur, et non multos. Attamen locus hic habet multas et varias mansiones, et multa tormentorum genera, quæ diversitati peccatorum respondent, ut et antea diximus, et ut Christus nos edocuit, qualia sunt hæc genera Inferni, ignis sempiternus, tenebræ exteriores, stridor dentium, vermis nunquàm obdormiscens, et Tartarus. In hæc tormentorum genera injiciuntur peccatorum animæ tum impiorum, tum hæreticorum, quemadmodùm et Christianorum, qui non pœnituerunt, et Christianorum qui spe aluntur, per sacrificium missæ, et eleemosynas, et orationes, quæ pro ipsis fiunt, accipiendi remissionem et libertatem tormentorum, cùm Deus miserescens in misericordiam declinaverit*, etc. Et : *Hæc igitur loca ad quæ animæ immittuntur, ut veculiares pœnas luant pro mensurâ delictorum, vel, ut melius dicam, secundùm misericordiam et humanitatem Dei misericordis atque humani; hæc, inquam, loca non voco Purgatorium, ne quis existimet quòd in hoc concordamus Platoni, qui in Phædone dicit expurgari peccatorum animas, sed ea voco satisfactiva, hoc est, locum in quo cruciantur animæ, in quantum dignæ sunt punitione, et in quantum misericordia Dei voluerit. Placet mihi nihilominùs sententia nonnullorum doctorum Occidentalis Ecclesiæ, qui asserunt ignem æternum illum esse, in quem animæ immissæ puniuntur ad tempus suî naturâ æternum, sic à Deo factum; dici verò temporarium, non suî naturâ, sed ob animas quæ liberantur; propter eas verò quæ in eo absque ullo fine cruciantur, æternum et perpetuum.* Et : *Hæc loca sola ego credo. Verùm opinor horum unumquemque locum multas stationes habere, in quibus detentæ prædictæ animæ pœnis subjiciuntur pro dignitate et mensurâ delictorum, ut sæpius diximus.* Ignis infernalis est, qui comburendo excruciat et purgat animas, licèt in aliâ statione sit; et ignem purgatorium negas ? Parùm refert si in hoc aut alio loco collocatus effectum præstat, dummodò ignis sit, et puniat, et purget. Sunt multæ stationes apud inferos, signanter una in quâ luunt pœnas animæ, quæ dignæ misericordiâ sunt; alia in quâ impiorum, hæreticorum, et dæmonum, et hoc est decretum et dogma orientalis Ecclesiæ; nil aliud dicit Occidentalis. Tu id negas, hæretice, et dicis Orienta-

lem cum Occidentali non convenire? Id verò est nugas vendere. Rem fatetur Philadelphiensis, et nomen refugit. In conjugatis, sive conjunctis unum ab alio trahitur. Qui cœnam dicit, locum cœnæ *cœnaculum* nuncupat; qui baptisma, baptismatis locum *baptisterium*; qui dormientem, dormientium locum *cœmeterium*. Sic qui animarum purgationem inculcat, necesse est fateatur purgandarum animarum locum, *Purgatorium*. Illud præterea observandum est, timere Philadelphiensem, ubi nullus timor est. Timetne cum Platone in Phædone, qui expurgari à peccatis animas dicit, conveniat. Nec alio modo Germanus desipiebat, Purgatorium papistarum dicens esse fictitium, non ab aliquo Apostolorum, sed à Virgilio poetâ gentili positum; et Cyrillus Lucaris in Anathematismo quinto, illud *gentilium fabulam* vocans. Omnium verò stultissimè et ineptissimè Joannes Eugenicus adversùs synodum Florentinam, cap. de Purgatorio. Verba illius humanissimus æquè ac doctissimus Simon Wagnereckius ex bibliothecâ Bavaricâ mihi communicavit: *Namque tradunt à primâ totius mundi constitutione adhærere loco proprio ignem, quem ipsi fabulantur, et Purgatorium nuncupant, accipientes illum ab impiis Chaldæis et astrologis. Quinque enim hi loca fabulantur in hoc universo. Vitam quâ hìc degitur, vitam supermundanam atque cœlestem, subterraneam punitionem, et stationis in eâ obliquæ, quod apud eos est Purgatorium; longè verò et loco sublimiori requietis, quem ipsi commentantur, locum et limbum suâ linguâ nominant. Et ab Adamo demortuorum animæ, quæ salutem consequi dignæ fuêre, usque ad Christi resurrectionem per Purgatorium ignem ad requietis locum, quem ipsi Limbum vocant per illa loca perveniebant. Quæ verò salutem consequi dignæ non erant, malitiæ pondere gravatæ, rectà in subterranea tormenta præcipitabantur. Verùm Christus cùm ex mortuis resurrexisset, neminem, ut tradunt, ex subterraneis liberavit, sed eos omnes qui antea per Purgatorium ignem expurgati fuerant, à Limbo in cœlestem vitam transvexit. Ab ipsâ ergo Christi resurrectione per totum tempus subsequens Limbus vacuus mansit, et animæ defunctorum, quæ dignæ sunt salutem consequi, ex locis hisce in Purgatorium, ex quo purgante igne expiatæ ad cœlestem possessionem avolant, et nulla demortuorum anima Domini judicio, et retributioni subjacet. Sed quæ purgante igne expiatæ sunt, divinam et cœlestem possessionem assequuntur; quæ verò vitiorum pondere prægravantur, in subterraneo Inferno pœnas luunt. Et hæc sunt eorumdem fabulosa, imò dæmoniaca deliramenta, qui impiorum Chaldæorum, enuntiantium ignem Purgatorium, reconflantem et expiantem veluti aurum demortuorum animas, dogmata, ut dixi, sectati, et tenere, et aliis prædicare præsumunt.* An loqui potuit insipientiùs? Desiperem et ego unâ cum hoc Eugenico, si singula examinare vellem; sed de his infra. Dixit id Plato; dixerunt Chaldæi; dixit Virgilius: fateor; quid inde porrò? Paganorum decreta Ecclesia catholica odit. Odit, si veritati ac dogmatibus ejus adversantur; si conveniunt amplectitur, et suâ etiam adversariorum asseveratione confirmat, quò veritas clarior emicat. Audi Chrysostomum, orat. pro Defunctis. *Gehennam esse, ita nobis, Deo hunc sensum inseminante, certum est, ut nemo unquàm de hoc dubitaverit. Nam et poetæ, et Philosophi, et fabularum inventores, et omnes planè homines de futurâ retributione philosophati sunt, et multos luere pœnas apud inferos dixerunt. Quod si illa fabulæ, nostra tamen fabulæ non sunt.* Et in expositione Epistolæ ad Philippenses: *Etenim si gentiles unà cum mortuis, quæ illi vivi possidebant, comburunt, quantò magis tu, qui fidelis es, demortuo propria mittere debes, non, ut quemadmodùm illa cinis fiant, sed ut majorem illi gloriam concilient; et si peccator est defunctus, ut illius peccata dissolvant; si justus, ut mercedis illi et retributionis fiat augmentum. Nostra,* ait Chrysostomus, non quæ à gentibus hausimus, *fabulæ non sunt.* Quòd si quia dixit Plato, vel alius ex gentibus rejiciendum est, quàm multa rejicienda essent, quæ Ecclesia catholica summâ fide defendit! Tu negas Purgatorium quia Plato id insinuavit, i, nega et pœnas inferni, et piorum requiem, quia ea quoque Plato inculcavit. Non negas, quia habes ab Ecclesiâ, et Purgatorium item, cùm ab Ecclesiâ sit, exosculare. Georgius Coresius, de Purgatorio: *Altera est, quòd Ecclesia Infernum tribuit animabus puniendis, sive absque fine, ut illis qui mortalibus peccatis dirum in modum prægravatæ sunt, aut in tempore, ut illis qui liberatæ sunt ex inferis à Jesu post illius obitum. Salvavit enim Salvator in inferno apparens eos qui crediderunt, ut divinus Epiphanius docet, et alii doctores Ecclesiæ, quod contingit et illis qui mortiferè quidem deliquerunt, postmodùm reversi sunt ad Deum, sed non per perfectam spiritualium pœnarum actionem repurgatis; quique ab ingenti morbo sanitatem recuperârunt, sed non perfectè sani evaserunt, propter minutas quasdam humorum reliquias, quæ in illis adhuc permanent. His itaque, cùm ex hâc vitâ excesserint, non convenit infinita pœna, cùm Dei servi sint, sed neque etiam statim in Paradisum deferuntur, cùm adhuc imperfecti sunt, et pusillo adhuc auxilio indigeant, ad hoc ut absolutè emundentur. Quare hisce Inferni temporales pœnæ conveniunt ad expurgationem.* Et toto eo tractatu id unum agit, hâc ratione defunctas animas igne Inferni expurgatas in cœlum deferri; qui et ipse apud Inferos quemadmodùm et Philadelphiensis in Inferno varias stationes cruciatum agnoscit. Idem asserit Gregorius Hieromonachus Chius, in Synopsi dogmatum, c. 5: *Animæ illæ, quæ in hoc mundo deliquerunt, et tempore mortis pœnitentiam egerunt, sed non potuerunt pœnitentiam absolvere, in Infernum proficiscuntur, ex quo mediâ miseratione divinâ, et precibus quas fundit Ecclesia, et mediis eleemosynis et sacrificiis à viventibus pro illis peractis liberantur ab Inferno. Hoc nos docet inter alios sanctus Damascenus dicens eos qui aliquod fermentum virtutis consecuti sunt, et non potuerunt absolvere, cùm illos mors præripuerit, non venire in oblivionem justi Judicis; sed per divinam misericordiam, et eleemosynas, et sacrificia, quæ pro illis fiunt, ab Inferis liberari. Et ne tibi res nova videatur, dùm dixi omnes puniendos in Infernum descendere. Quoniam unum tantummodò lo-*

cum nos divina Scriptura docet, qui tamen habet multa et varia tormenta, et stationes tam pro peccatoribus quàm pro justis, sicuti nos docet Christus dicens : In domo Patris mei multæ stationes sunt; et non dixit : Multæ stationes sunt in domibus Patris mei ; sed unam *tantummodò* domum. *Hoc idem docet nos D. Basilius, in precibus quæ die Pentecostes recitantur*, etc.

XXXI. Quare et hi quoque, qui ex schismate sunt, velint nolint, ignem purgatorium concedunt. Et quod magis mirum videri debet hæreticis, de receptaculis animarum post mortem, quas ipsi vocant stationes, à Romanâ Ecclesiâ non dissidere. Animabus siquidem post mortem, licèt non assignantur corpora, quorum sint formæ vel determinati motores, assignantur tamen corporalia loca pro gradu dignitatis meriti vel demeriti. Suntque in loco eo modo quo spiritualia, sunt prout accedunt ad primam substantiam, vel ab eâ elongantur, quod fit per meritum et demeritum. Nam sicut in corpore gravitas est quâ fertur ad locum suum, qui est finis motûs ipsius, ita et in animabus est meritum vel demeritum, quibus perveniunt ad præmium vel pœnam, qui sunt fines actionum ipsarum. Quare animæ solutæ vinculo carnis statim præmium consequuntur vel pœnam, nisi aliquid impediat præmii consecutionem, ut peccatum veniale, et reatus, ut dicunt theologi, peccatorum mortalium. Et cùm ante Christi mortem Paradisi porta nondùm esset reserata, nulla anima quantùmvis perfecta in gratiâ cœlum ascendebat, sed omnes in Infernum descendebant. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? Eruet animam meam de manu Inferni.* Hoc, ut magis pateat, ex doctrinâ Catholicorum omnium supponitur, *Infernum* dici, quasi inferiùs, et sic subtùs terram positus, et aliquando vocati *abyssum*. Augustinus, lib. Retract., Infernum sub terris ponit, et ideò ab Isaiâ vocatur locus *profundus*, cap. 7 : *Pete tibi signum à Domino in profundum Inferni, sive in excelsum supra.* Et Hieronymus, in illud Matthæi 12 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti*, etc., dicit : *Sicut cor est in medio animalis sic Infernus in medio terræ.* Nec aliter loquuntur de suo Græci. Athanasius, ad Antiochum : *Nihilominùs ex Scripturis discimus peccatorum animas in Inferno esse, subtùs terram et mare, ut in Psalmo canitur :* « *In tenebricosis, et umbrâ mortis, et in lacu infimo.* » Basilius in Psalmum 12 : *Infernus non est animal aliquod, neque facultas morientibus destinata, ut qui sunt extra Ecclesiam fabulantur; sed Inferni tractus communis locus est in intimis terræ, umbris quaquâ versum obsitus et obscurus. Os verò quoddam ad concavitates deducit, per quod descensus fit animabus, quæ ad pejora condemnatæ sunt.* Hic, ut vides, antiquorum fabulas Basilius rejicit, quas Plutarchus, eo in Commentario, cui titulus est : *An rectè dictum sit, latenter esse vivendum*, exposuit : *Qui solem Apollinem esse credunt ex majorum et priscorum mysteriis, Delium et Pythium eumdem cognominant. Cæterùm eum qui diversæ partis est Dominus, sive Deus is est, sive dæmon, Haden, id est, Orcum appellant quòd mortui in locum tenebrosum et obscurum demigremus, ad densæ noctis somnique inertis regem.* Et vetus inscriptio in hortis Transtiberinis dominorum de Vecchis penès S. Chrysogonum, acutè et eleganter :

D. S. M.
TI. CLAUDI
EUGENETIS
VIX. AN. XI. D. IX.
TI. CLAUDIUS
ANICETUS
PATER FEC.
ΑΠΑΗΡΩΤ ΑΙΔΗ ΤΙ ΜΕ ΝΗ
ΗΙΟΝ ΗΡΠΑΣΕΣ ΑΦΝΩ
ΤΙ ΣΠΕΥΔΕΙΣ ΟΥ ΣΟΙ ΠΑΝ
ΤΕΣ ΟΦΕΙΛΟΜΕΘΑ

Et cùm Orientalis Ecclesia orat ut Dominus collocet animam servi sui defuncti in loco lucido, amœnitatis et refrigerii, unde procul àbsunt dolor, mœstitia et gemitus, credit et pro certo tenet Purgatorium esse locum tenebrosum, locum doloris et suspirii, in quo animæ non vident Deum; et consequenter credit locum hunc non esse extra universum, non in cœlo, non super terram, sed subterraneum. Et ob id sæpissimè vocatur à Patribus Infernus, Ἅδης, ut purgationis iste locus sub terrâ esse significaretur. Et loco illius tum Græci tum Latini theologi gehennæ nomen Hebraicum aliàs usurpant. Hinc ineptit Josephus Bryennius, orat. primâ de extremo Judicio, qui extra hoc universum Infernum et gehennam collocat : *Opinor ego extra hoc universum omne esse. Quemadmodùm enim ab regiis carceres et metalla longè absunt, ita et extra hunc orbem inhabitatum gehenna fuerit.* In centro itaque terræ quatuor receptacula unum super aliud statuerunt. Anima enim conjuncta corpori est in statu merendi ac demerendi; soluta corpore, recipiendi quod meruit, aut demeruit; si bonum, post Christi ascensionem fuit, et nunc est Paradisus; ante Christi resurrectionem erat sinus Abrahæ, sive Limbus Patrum, quia tum reatus peccati originalis impediebat, qui Christi descensu sublatus est; si malum, aut ratione culpæ mortalis, et sic est Infernus, qui est locus infimus et profundissimus; si verò ratione culpæ originalis, est Limbus puerorum; si verò anima in eo statu fuerit, ob quem impeditur à finali retributione consequendâ; et si hoc propter defectum personæ, et sic est Purgatorium, in quo detinetur donec satisfecerit pro venialibus, aut reatu peccatorum mortalium aut venialium remissorum; si verò propter defectum naturæ, sic ante mortem Christi erat Limbus Patrum, ut dictum est. Et has diversas stationes Græci quoque agnoscunt, sed omnes uno nomine Ἅδου exprimunt; omnium verò accuratissimè Macarius Ægyptius, antiquus planè auctor, homil. 40 : *Disputatio hæc subtilis est, quia nonnulli unicum regnum et unicam gehennam esse aiunt. Nos autem multos gradus et differentias atque mensuras esse dicimus, tum in ipso regno, tum in ipsâ gehennâ. Itaque quo pacto anima, cùm sit unica, in omnibus membris, rursùm in cerebro vim suam exerit, ac deorsùm agitat pedes; ita etiam divinitas continet omnes creaturas, tam cœlestes quàm quæ subjacent abysso; et ubique plenè est in creaturis, quamvis aliena sit ab eis, utpote di-*

mensionis et comprehensionis expers. Considerat igitur homines ipsa Divinitas, et cum ratione gubernat omnia. Et quia nonnulli precantur, ignorantes quid quærant, quidam jejunant, alii perdurant in ministerio; Deus, qui justus est Judex, unicuique pro modo fidei reddit mercedem. Quæ enim faciunt, metu Dei agunt; at non omnes isti sunt filii, reges aut hæredes. Porrò in seculo alii sunt homicidæ, alii stupris dediti, alii raptores; contra nonnulli sua pauperibus erogant; hos et illos perpensat Dominus, ac benè agentibus quietem, et præmium largitur: siquidem sunt superfluentes mensuræ, sunt et exiguæ. Ac in ipso lumine et glorià sunt discrimina. Item in ipsâ gehennâ et supplicio inveniuntur venefici, alii latrones, et alii qui leviùs deliquerunt. Qui verò unicum inquiunt esse regnum, et unicam gehennam, nec ullos esse gradus, malè dicunt. Ergo in gehennâ sunt et venefici, et latrones, et qui leviùs deliquerunt, in diversis tamen gradibus, et omnes gehennæ cruciatibus lacerantur. Ergo alius locus est illius qui leviùs deliquit, et alius venefici. Quid apertiùs de purgatorio igne dici potuit? Locus est in gehennâ, in quo leviùs delinquentes cruciantur, propè locum in quo venefici condemnantur; et purgatorium ignem negas? ideòque ob similem vicinitatem Purgatorium vocavit Ecclesia Romana portam Inferi; neque enim ipse Infernus est, sed porta ipsius, in quâ sistuntur à peccatis expiandi. *A portâ Inferi erue, Domine, animam ejus.* Et ab isto dicendi modo, ut hinc quoque videas consensionem Ecclesiæ Græcæ et Romanæ, non abstinuit Ecclesia Græca in oratione pro mortuo: *Deus, judex vivorum et mortuorum, qui deducis ad inferi portas, et reducis;* quasi diceret: Qui tantùm non deducis ad inferos, sed ad portas illius atque viciniam animas reponens, et pœnis illius eas expurgans, revocas ad regnum; nam si portas prætergrederentur, et in Infernum introirent, spes salutis decollaret, et in æternum ibi observarentur. Est igitur omninò absonum eos Purgatorii nomen rejicere, qui Purgatorii effectum in animabus recognoscunt, eumque per ignem.

XXXII. Et ut magis urgeam. Meletius patriarcha Alexandrinus, et Barlaamus monachus, sive Marcus Ephesius; nam huic quoque non nemo scriptum illud de Purgatorio vendicat, velim mihi respondeant an de pœnis inferni cum Origene sentiunt, et an in cruciatibus illis finem ullum constituunt, ut delirabat Origenes. Barlaamus, et unà cum eo Meletius, et si qui sunt alii ejusdem farinæ homines, planè respondebunt se multis modis Origenis errorem, tanquàm Christi fidelibus apprimè noxium, detestari, tenereque firmiter nullam in Inferno esse redemptionem. Barlaami verba sunt: *Cùm enim Deus ac Servator noster peccatores in ignem æternum abituros pronuntiat, hunc solum ignem agnoscunt fideles, eoque ipsorum aures à pueris personant, et ad hunc respicientes, eumque maximè omnium metuentes, dicta factaque sua omnia moderantur et corrigunt. Si verò nunc noviter temporarium etiam vocaverimus ignem, verendum est ne fideles hunc existimantes æternum, etiam omnem jam talem esse ignem putent, atque hinc in Origenis errorem prolabantur, æternique supplicii memoriam animis suis excutiant, finem pœnæ statuentes.* Et infra: *Denique dogma illud de instauratione omnium, et fine æterni supplicii, quod ab Origene, ut dictum est, originem sumpsit, et à nonnullis Ecclesiæ antistitibus, inter quos est etiam Didymus et Evagrius, tanquàm Dei erga homines benignitatem prætendens, et magno cum applausu ab ignavis exceptum quemadmodùm Theophorus ille Joannes, cœlestis Scalæ auctor, ait, explosum nihilominùs damnatumque fuit à sanctâ quintâ et universali Synodo, tanquàm supinitatem animis inferens, et negligentes negligatiores efficiens, expectantes aliquando à tormentis liberationem et promissam instaurationem.* Et tamen hi iidem dicunt preces pro mortuis fusæ, et alia bona opera pro illis, maximam illis afferre utilitatem. Barlaamus: *Quòd verò rursùs Deus post migrationem è corpore peccata remittat iis qui venialia commiserunt, quod et primum erat eorum quæ in quæstionem venerunt; hoc etiam à doctoribus dicentibus audivimus ita, ut illi docent.* Et Purgatorium negant? Ergo remissio illa peccatorum et liberatio in Inferno fit, cùm alius locus non assignetur. Sed quis neget ignem æternum in Inferno esse? Ergo qui negant Purgatorium, et animas in Inferno collocant, ubi emundatæ in cœlum ascendunt, eas in igne cruciari statuunt, licèt in illo igne multas stationes constituunt. Et vertant se quòcumque libet, necesse est, si Purgatorium negant, et preces utiles pro mortuis fateantur, ut ad flammas et incendia Inferni recurrant.

XXXIII. Per summum itaque nefas, et apertissimo mendacio adversarii pronuntiant ignis purgatorii nullum in Ecclesiâ Græcâ meminisse, fuisseque in eâ perpetuum silentium. Et inconcinnè equidem probant auctoritate libelli περὶ καθαρτηρίου πυρὸς, concilio Basiliensi exhibiti, et inter Orthodoxographa editi, profectique ab iisdem Græcis qui in concilio Florentino interfuerunt. Verum est libellum illum inter Orthodoxographa Græcè et Latinè editum fuisse ex interpretatione Joannis Hartungi, postmodùm à Salmasio unà cum Nilo, de Primatu Papæ, Græcè item et Latinè, Bonaventurâ Vulcanio interprete, Hanoviæ 1608, in 8°, et Græcè tantummodò in 4°, Londini, cum aliis schismaticorum tractatibus; et demùm cum novâ interpretatione, et illius confutatione à Petro Arcudio, Barlaamo monacho restitutum. Hinc patet maximè eos falli, qui tradunt Marcum Ephesium Ecclesiæ Græcæ nomine adversùs Purgatorium Latinorum Basiliensi concilio illum obtulisse. Ut verò meam de eo libro sententiam proferam, dico librum illum è penu hæreticorum esse desumptum, concinnatumque eo tempore quo Lutherani de Ecclesiâ Græcâ sese benè mereri existimabant, cùm illam conarentur defendere adversùs Romanam Ecclesiam, et unà cum eâ σύσσωμοι fieri procurabant; putoque è Latinâ ut plurimùm in linguam Græcam conversum. Nemo siquidem Græcorum adeò impudenter rem pertractâsset, qui et auctoritatem sanctorum Patrum demissè venerantur, et eorum dicta veluti eloquia divina osculantur, et cùm de iis agunt, cum omni reverentiâ nomina eorum in scriptis referunt. At is, quisquis sit auctor, testimonia

Patrum contemnit, dicta pessimè calumniatur, et eos hæreseos notâ non veretur infamare. Et, quod magis est, ad solam sacram Scripturam, rejectis Patrum scriptis, provocat, et sexcenta alia, quæ nec Græci ipsi, nec Marcus Ephesius, nec Barlaamus, licèt acerrimo odio Latinos prosequerentur, vel scripto notare ausi fuissent. Unde non immeritò non nemo suspicatus est non alium esse quàm orationem illam, visam à Matrimonio Crusio in Turco-Græciâ, p. 168 : *Responsio Græcorum ad positionem Latinorum, opinionem ignis purgatorii fundantium et probantium, quæ lecta et data fuit reverendissimis et reverendis Patribus et dominis deputatis die sabbati* 13 *mensis junii* 1438, *in Sacristiâ fratrum Minorum, Basileæ, Præsentata Nicolao Cusano*. Multa verò tum ab Hæreticis conficta, et Græcè publicata aliàs fusissimè demonstravi, quemadmodùm et postea, et potissimùm hoc infelicissimo Græciæ tempore, quo non veriti sunt publicis typis mandare et Confessionem et Anathematismos Cyrilli Lucaris, et Zachariæ Gergani Catechesim, pestilentissima scripta, quæ nondùm nata ab iisdem Græcis veræ pietatis cultoribus scriptis doctissimis suffocata sunt. Scriptum porrò illud à Græcis, qui Florentino concilio interfuerunt, profectum esse, hoc verò purum putum mendacium est. Nam illi Basiliense concilium ob multas causas, et potissimùm quòd auctoritatem pontificiam deprimere conaretur, semper aversati sunt, et licèt multa Basilienses promitterent, ad Basileam urbem profectionem. Græci neglexerunt : ideòque Constantinopoli solventes, recta Venetias appellunt, inde Ferrariam veniunt, ex quâ sævissimâ peste coacti excedere Florentiam petunt, unde absoluto concilio, et rebus fidei, utut debuerat, dispositis unanimi omnium, unum si excipias Ephesium, consensu, gratiis Deo actis Constantinopolim revenerunt, nec ullus ex illis, nec Marcus etiam Ephesius toto eo tempore Basiliensi concilio animum adverterunt, tantùm abest ut eò profecti scriptum concilio tradiderint. Quid enim expectare potuissent à Concilio jam synodalibus decretis irrito, et cujus auctoritas ad firmanda fidei dogmata nulla erat ? Et Marcum Ephesium, quæ adversùs Purgatorium scripsit, Ferrariæ concinnâsse, gentilis illius, et fortè itineris comes Joannes Eugenicus in Antirrhetico suo adversùs Synodum Florentinam, capite de Purgatorio, disertissimis verbis affirmat : *Satis itaque superque nobis sunt, tum veteris, tum novi Testamenti innumera de hoc testimonia ; nec minùs superabundant una cum aliis et sanctissimi patris, et præsulis, et præceptoris nostri tractatus nunc primùm Ferrariæ recitati, et concinnati, et locis in omnibus divulgati*. Ferrariæ tum primùm de Purgatorio tractatus compositi sunt, et recitati ab Ephesio, à quâ nunquàm postea Basileam versùs pedem direxit : et tu dicis libellum illum Græcæ Ecclesiæ nomine à Marco Ephesio Basiliensi concilio oblatum? Quare scripti illius alius quærendus est auctor, quando jam Græci, qui Florentinam synodum celebrârunt, neque scripserunt, neque exhibuerunt. Idque apertiùs evincitur, si de purgatorio igne tractationem in Florentinâ synodo habitam, cum hâc anonymi conferas. Nam in eâ Græci differentes non omnem verecundiam, neque pietatem omnem, quam colebat Ecclesia Græca, quemadmodùm iste fecit, exuerant. Malè ergo arguitur : In hoc libello nulla pœnarum Purgatorii, quibus obtineatur peccatorum remissio, mentio fit ; ergo Græci, et Ecclesia Græcorum nullas admittit Purgatorii pœnas. Et planè mirum est, quânam fronte id asseratur. Quid oculi prosunt, si in lumine ipso impingis ? Pœnæ nullæ per hunc auctorem luuntur post obitum ; at auctor dicit lui, quæ tamen per ignem non sunt, veluti carcer, caligo et dolor. Ea verba : *Primùm quidem quærendum venit an quorumdam peccatorum remissionem post obitum hominibus Creator largiatur*. Secundò quærit an simplici Dei benegnitatę, et Ecclesiæ precibus Deus placatus, remissionem peccatorum post obitum largiatur, an verò per punitionem eamque corporalem, carcerem scilicet, caliginem et dolorem, vel etiam ignem ut Latini prætendunt, et hoc posito concludit tertium et ne quis aliud esse existimaret, explicat ipse quid intelligat, nempe Purgatorium per ignem à nullo doctorum traditum accepisse, et propterea metuit ne purgatorium ignem statuens universum Ecclesiæ consensum labefactet. Ergo tantummodò negat purgatorium ignem, et tu dicis illum pœnas reliquas omnes, et carcerem, et caliginem, et dolorem negare ? Non sunt ista quæ labefactant Ecclesiæ consensum, quæ benè noverat ipse palàm in Ecclesiâ Græcorum concini, sed punitio, quæ fit per ignem, quam à nullo se Patrum accepisse tradit. Et propterea in libri epilogo concludit propositum dogma de purgatorio igne exterminandum esse ab Ecclesiâ, nullâ factâ mentione de aliis pœnis, quæ si eodem ac ignis passu ambularent, omninò neque prætercundæ, neque silentio erant involvendæ. Quare id habeas à me, qui hæc asseris : cautiùs et attentiùs auctores quos legeris percurrito.

XXXIV. Hic verò paululùm immorandum est, et ex actis ipsius concilii Florentini dijudicandum quid Græci in concilium importârint de purgatorio igne ; quid post varias disputationes, argumentis Latinorum persuasi concesserint ; et quid tandem in Græciam reportârint, cùm videam non neminem hæc alio atque alio modo enarrare, tantùm ut purgatorias pœnas refellat. Cùm Ferrariæ adhuc synodus esset die mensis Junii quarto, quæstio de Purgatorio igne proposita est, et proponentibus Latinis, purgatorio igne in præsenti seculo purgari animas peccatorum peccata habentium venialia, adjuvante etiam Ecclesiâ per sacerdotum preces, et animas illas liberari à pœnis etiam per sacrificia, eleemosynas et alia bona opera ; sanctorum animas esse in cœlo, et sine ullo medio Trinitati assistere, fruique bonis ; peccatorum sine pœnitentiâ defunctorum esse in Inferno ac cruciari, et ideò tria esse loca et differentias, alterum justorum in cœlo, alterum peccatorum sine pœnitentiâ decedentium in Inferno, medium habentium venialia peccata, qui nondùm pro iis neque aliis pro quibus pœnitentiam egerunt, satisfecerint ; hocque probarent testimoniis et sacræ Scripturæ et sanctorum Patrum ;

Græci cùm recepissent allata ab iis testimonia, responderunt, se ad singula capita responsuros. Et sic decimo quarto ejusdem mensis Bessario Nicænus metropolita ex sententiâ Græcorum scripto respondit, exponendo et locum Apostoli, de futuro tantùm seculo intelligi, contra atque Latini, qui in præsenti fatentur purgationem per ignem, et in futuro seculo ignem, at non purgatorium, sed æternum; tenere tamen Græcos pœnam animarum temporaneam, et peccatis obnoxiorum animas abire in locum tenebricosum, in locum mœroris, in quo ad tempus versantur in mœrore et pœnis, divino lumine privatas, purgarique, et à loco illo obscuro et afflictione liberari et absolvi precibus et sacrificiis sacerdotum, et eleemosynis, non autem ignem; et differentiam esse quòd Græci pœnam, mœrorem et pœnæ locum asserunt, sed non per ignem; Latini verò pœnam purgationemque per ignem. Et Græci negant eos qui nunc suppliciis addicti sunt, perfectè pœnas suscepisse, sed expectare corpora, quemadmodùm et animæ sanctorum beatitudinem assecutæ sunt, non tamen perfectè, quâ tum fruentur perfectè, cùm resurgent corpora. Quod Latini quoque asserunt de damnatis; sed sanctorum animas perfectam in cœlo jam adeptas esse laureolam, nunc quidem ut animas, tunc autem suis corporibus indutæ perpetuò lætabuntur. Ita quoque canere Græcorum Ecclesiam, esseque nonnullos inter Græcos, qui opinantur sanctorum animas non esse perfectam consecutas beatitudinem sed versari in loco separato, ibique lætari, mentes volventes cogitationem de perfectâ, quæ ipsos manet, laureolâ, absolutâque beatitudine et adeptione regni Dei. Die vigesimo quinto constituêre ut Itali scriptis probationibus ostenderent esse pœnam, et ignem purgatorium per quem animæ mundentur opitulantibus Ecclesiæ orationibus et sacrificiis; et ignem in præsenti seculo esse ad tempus, in futuro æternum. Et cùm multa essent ad id probandum testimonia à Latinis producta, et Græci suo modo interpretarentur, et moras necterent, et synodum protraherent, donec regum oratores venirent, tandem die decimo sexto Julii cùm convenissent omnes in ædes patriarchæ simul cum imperatore, et de visione sanctorum alia atque alia dicerent, nec convenirent, acceptâ cujuscumque scriptâ confessione ab imperatore, et multâ disquisitione habitâ à matutino tempore usque ad diei horam sextam, jussit imperator ut postridiè conventus renovaretur. Die decimo septimo Julii post multas concertationes firmârunt, *sanctorum animas ut animas ad perfectam pervenisse beatitudinem, in resurrectione tamen perfectiorem esse consecuturas cum propriis corporibus, cùm fulgebunt ut sol.* Dùm hæc agitarentur, sæviente peste, et Basiliensibus non accedentibus, ad quæstionem de processione Spiritûs sancti processum est interim de Purgatorio sermo nullus, sed altum silentium. Et cùm tandem sessione vigesimâ quintâ et ultimâ, quæstio de processione terminata esset, usquequaque dissidiis omnibus sublatis, et unione perfectè absolutâ, denuò cùm nonnullis aliis quæstio de purgatorio igne mota est, et determinatum, *sanctorum animas perfectam in cœlis adeptas esse coronam, quatenùs animæ sunt; peccatorum verò animas perfectè luere pœnas; medias autem esse in loco tormentorum; sed sive ignis sit, sive caligo, sive turbo, non contendere.* Et paucis interjectis, *tres esse ordines defunctorum, unum sanctorum, alterum peccatorum, tertium mediorum, Christianorum videlicet, qui peccârunt, pœnitentiam egerunt, et confessionem emiserunt, nec opera satisfactionis peregerunt, pro quibus etiam orationes et eleemosynæ offerentur; et primùm quidem nempè sanctorum, Dei essentiam sine ullo medio itueri, et qui pariter post sanctum baptisma non sunt in peccata lapsi, similes eorum fieri. Qui verò peccârunt et pœnitentiam non egerunt, pœnis æternis addici; qui verò peccârunt et confessionem emiserunt, positique sunt in numero pœnitentium, in ignem abire purgatorium, purgatosque reponi in eorum cœtum qui sine ullo medio Dei essentiam contuentur.* Quod etiam recepit patriarcha Constantinopolitanus Josephus in postremâ suæ fidei professione. *Præterea confiteor animarum purgatorium,* eo scilicet modo quo supra determinatum fuerat. Et Græci ipsi infra fatentur, se non esse sejunctos ab Ecclesiâ propter Purgatorium: *De Purgatorio dicimus, neque per illud nos fuisse sejunctos, nec esse necessarium. Fiat ergo unio, et postmodùm de hoc agamus.* Et post alia repetita tandem in definitione fidei à Græcis ipsis subscriptâ, ita appositum est. *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut à pœnis ejusmodi releventur, prodesse eis fidelium viverum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundùm Ecclesiæ instituta.* Et hæc quidem sunt quæ Græci in concilium importârunt, et argumentis Latinorum persuasi censuerunt. Quid verò in Græciam asportârint, ex eorum Ritualibus libris, qui nunc publicè in Ecclesiis coram omnibus leguntur, perspicuum fuerit. Et tu non dubitas asserere, aliquos è Græcis episcopis, ut Bessarionem et alios isthùc missos in gratiam Occidentalium, à quibus auxilia adversùs Turcam sperabant, nonnihil concessisse? Marcum Ephesium cum aliis nonnullis in frequentissimo concilio palàm ac disertè huic cæterorum legatorum concessioni contradixisse? Et pœnas in purgatorio esse, non fuisse omnium illorum qui ibi aderant Græcorum sententiam! Et multos studio concordiæ jam tum isthùc propendisse? Et non esse dubitandum Græcos domum attulisse sententiam, quâ asseritur, rejecto igne purgatorio, esse quidem post obitum remissionem quamdam venialium aut gravisculorum nonnullorum delictorum, et in id prodesse Ecclesiæ preces pro defunctis, pœnas tamen nullas omninò lui post obitum, sed liberalissimâ Dei benignitate peccata condonari? Alteram verò Ferrariæ et Florentiæ in gratiam Latinorum, quorum auxiliis tum maximè indigebant natam esse, et à quatuor ampliùs seculis inter ea quæ divulserunt Ecclesiam Latinam à Græcâ, fuisse numeratam controversiam

de Purgatorio? Omnes qui concilio interfuerunt episcopi *aliqui* tibi sunt; Marcus solus Ephesius, per te jam procreatis surculis, Marcus Ephesius *cum aliis nonnullis*, qui obmutuit in frequentissimo concilio, *palàm ac directè contradixit*, et quæ fuit omnium sententia, unum si excipias Ephesium, *non fuisse omnium illorum qui ibi aderant*, omnes *multos* dicis; et Græcos *domum non attulisse aliquas pœnas purgatorias*, qui apertè professi sunt etiam ab initio ignem tantummodò non concedere, sed reliqua tristia ac molesta, quibus expiantur animæ; et quæ post concertationes et disputationes illuxit veritas, *natam esse Florentiæ et Ferrariæ in gratiam Latinorum quorum auxiliis indigebant*. Et cùm Græci dicant hanc de Purgatorio quæstionem non fuisse dissensionis causam, tu dicis eam *numeratam fuisse inter ea quæ divulserunt Ecclesiam Latinam à Græcâ*, ut minutiora præteream, Hoc verò est, sodes, evertere veritatem, non narrare res gestas; et, ut in causâ potior sis, momenta rerum referre, non ut sunt, sed ut tu somnias, et velles fuisse. Lege sodes, acta concilii; multa de tuis demes, multa corriges, multa etiam in aliam atque aliam faciem immutabis. Et ad majorem rerum cognitionem, lege de his iisdem Andreæ de Sanctâ Cruce Collationes in concilio Florentino habitas. Et hæc satis superque sint pro Græcorum sententiâ de Purgatorio in concilio Ferrariensi et Florentino.

XXXV. Sed recurramus nunc ad libellum illum de Purgatorio Barlaami. Etiamne Ecclesia Græca, quia sic in hoc continetur, Origenistas in numerum sanctorum collocat? Neglectâ auctoritate Patrum et conciliorum solis scripturis innititur? Sed ne ego stultus sum, qui cum stultè disserentibus contendo. Dicit hic liber nullum ex Patribus pœnarum Purgatorii meminisse. Quid tum? Dicit ille, ipse nego, cùm videam Patres et auctores etiam ex schismate id asserentes. Sed esto; an nesciebat ille multa nos habere, quæ firmiter tenemus et credimus per traditionem non scriptam; et Patres non omnia uno in loco explicâsse; sed modò obscurè, modò apertè alio atque alio scripto et tempore rem eamdem indicâsse? Et malè quis argutaretur ex verbis Vincentii Lirinensis : *Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua;* ideò hoc tempore Purgatorium non esse recipiendum, quia nihil apud antiquam et primitivam Ecclesiam determinatum est; et tum hâc novâ de Purgatorio sententiâ aliquid fidei adderet; et similes additiones semper omnes tum veteres tum recentiores detestatos esse. Demus enim nihil tum de Purgatorio sancitum fuisse, redderem illis verba sua : nam cùm excusant suum Lutherum, quòd sub initium suæ ab Ecclesiâ Romanâ defectionis Purgatorium admittebat, et postea illud omninò rejecit, dicunt non debere vitio verti Luthero, quòd non ipso primo momento, omnem veritatis evangelicæ lucem remotis tenebris perspexerit. Homo fuit, ideòque et humani nihil ab eo fuit alienum. Sensim autem progredi in scientiæ negotiis, communis est humani ingenii conditio. Nec ipsis quidem Apostolis uno eodemque momento cœlitùs data est scientiæ omnis perfectio. Quod Luthero, uni solummodò homini conceditur, universali negatur Ecclesiæ. Verum est multa Apostolorum ævo et subsecutis etiam seculis in obscuro latuisse, quæ tamen non latuerunt Apostolos, et postea Ecclesia, divino afflata spiritu, exposuit et determinavit, Christique fidelibus credenda proposuit. Hinc Epiphanius contra Aerium : *Res singulæ non omnia à principio habuêre, sed procedente tempore, quæ ad rerum necessariam perfectionem pertinebant, ordinabantur.* Sed ne multis hìc agam, nova et à pietate aliena, et antiquæ fidei contraria fidei addenda non sunt; quæ autem veritatem insinuant, nullus est ex sanctis Patribus, et ex recentioribus etiam Græcis, qui id meritò negat, et potissimùm si illa additio rei obscuræ et in controversiam versæ expositio sit. Unus mihi præ omnibus aliis sit Joannes Veccus, patriarcha Constantinopolitanus, oratione de Unione Ecclesiarum : *Et ego sanè hoc Nicænæ synodi Symbolum sine ullâ suî immutatione robur habuisse affirmo, et in secundâ, et in tertiâ, et in aliis quoque synodis subsecutis. Namque immutationem non additione aut ademptione dictionum circumscribo, quòd non in vocibus, sed in sententiis nostra pietas definiatur. Verùm Photius si additione, et ademptione vocum immutationem traditæ in Nicænâ synodo fidei definitionis præscribit, præsules omnes à secundâ synodo reliquisque aliis et audaces reputat, et præscriptis pœnis adversùs audentes obnoxios facit. Nullus enim ex iis, qui ecclesiasticas res perscrutantur, ignorat nonnullas dictiones è Nicænæ primæ sydoni Symbolo ademptas fuisse, alias etiam illi additas. Et si Romani pœnis subjiciendi sunt, quòd secundæ Synodi Symbolum recitantes, ex Patre et Filio Spiritum procedere addunt, multò antea afficiendi erant accusandique secundæ synodi Patres, hanc totam additionem inserentes de processione Spiritûs primæ synodi Symbolo. Sedenim illi ipsi, qui terribiles pœnas irrogant contra additionem et ademptionem ausuros, in Symbolo Nicænæ synodi, et voces ex eo sustulerunt, et addiderunt. Quod indicium manifestum fuerit, additionem et ademptionem à Patribus nullam aliam reputari quàm illam ademptionem et additionem quæ pietatis sententiam vulnerat. Quare Romani vocem addentes, dummodò piam de Triade sententiam conservant, non sunt à nobis inter schismaticos accensendi, si rectum judicium ferre volumus.* Quòd si exactam hujusce rei cognitionem desideras, adesis Epistolam Gregorii Protosyncelli, patriarchæ Constantinopolitani, ad imperatorem Trapezuntis, quam nos primi Græcè et Latinè edidimus in nostrâ Græciâ orthodoxâ. Et licèt Græci in Florentinâ synodo similem additionem contentiosè respuerent, nihilominùs rationibus Latinorum persuasi, hoc idem quod et Latini professi sunt. Quare et si dogma hoc de Purgatorio in primâ Ecclesiâ non ita inclaresceret, progrediente tamen tempore, et necessitate cogente, divinoque afflante Numine, et Patrum disputationibus in lucem emersit, et vires accipiens divulgatum, tandem auctoritate ejusdem Ecclesiæ approbatum est.

XXXVI. An verò sententiam hanc, quam scriptor iste tutatur, Græci domum attulerint, alii judicent. Quid Græci egerint domum reversi, cùm aliàs dixerim, non est hìc cur denuò repetam. Licèt enim unus vel alter, et, si placet, mille hanc sententiam oppugnaverint, ego nihilominùs video Ecclesiam Græcam universam, etiam post discessum à concilio, ad hæc usque tempora preces pro defunctis iisdem formulis, quibus et ante concilium sueverat, fundere, pœnas agnoscere, easque multas ac varias, ignem etiam ipsum non diffiteri, in Commentariis Patrum, quæ ipsa continuò legit ac veneratur, in officiis commemorationum mortuorum, quæ sæpiùs per annum iterat, et solemniter canit in ecclesiis, omnibus audientibus et assensum præbentibus; nec unquàm de his quæ recitat, hæsitare aut in controversiam vertere : tum enim sententias expunxisset, et eas disertè damnâsset. Et tu dicis sententiam oppugnantem ignem purgatorium domum reportâsse? Cui fidem præstem? tibine qui omnia cavillaris, et morosè perstringis, an Græcorum ipsis ritualibus libris? Ephesione, an Nazianzeno, Nysseno, Basilio, et tot aliis omni exceptione majoribus Ecclesiæ Græcæ doctoribus? An quia tu morosus, ego impius evasero? Et ut etiam illud hìc obiter notem, simul cum eodem libello edita sunt excerpta quædam ex actis octavæ synodi, Ferrariæ incœptis anno 1458 (corrigi debet anno 1438) et peractis Florentiæ, ubi legitur Græcos dixisse : *Ipsi Purgatorium non ignem, sed obscurum quemdam locum ac laborum plenum esse censemus, in quo quidem existentes animæ lumine divino privantur, donec coadjuvante Ecclesiâ expientur et liberentur.* Et oppugnatores Purgatorii, quidquid unus nescio quis scripto mandavit, quia Purgatorium destruit, laudant, et ad probandum Ecclesiæ Græcæ dogma proferunt; acta verò plenæ synodi, quibus Purgatorium Latinorum constabilitur, et Græcorum sententia de Purgatorio enodatur, dicunt non facilè ostendere communem illam fuisse Græcorum omnium qui ibi aderant; et si multos studio concordiæ jam tum isthùc propendisse, haud negandum sit. Nec licere excerptis illis fidem adhibere, cùm sint ab aliquo partis Latinæ conscripta, et quidem eo, qui affectum, imò studium partium non potuit dissimulare. Quid dixissent si illa à Latinis essent publicata? Idem est, qui scriptum adversùs Purgatorium et pro Purgatorio excerpta typis mandat, eaque à Servini libro. Et tu huic fidem præstas, quia tuæ sententiæ suffragari opinaris; illis abrogas, quia Romanæ Ecclesiæ favent? Et si hæc scripta sunt ab aliquo partis Latinæ, quare non et illud scriptum est ab aliquo partis hæreticæ? Ille qui scribit unus est; acta synodalia totam Ecclesiam referunt; et tu singulari homini postponis congregationem fidelium, et synodum generalem? Illa excerpta sunt eruta et bonâ fide ex principio et fine synodi Florentiæ, ut legentibus patere poterit, et tibi, dummodò legas.

XXXVII. Sed quidquid sit de hoc libello, cujus planè apud Græcos nulla auctoritas est, et si verum etiam fateri licet, ferè omnibus incognitus, natus veluti fungus è terrâ, et in latebris, et nunc quoque cum reliquis ejusdem conditionis libris consepultis, proponam argumentum gravissimum, itemque firmissimum ex doctrinâ ipsâ Græcorum, quo stabilietur ignem purgatorium post hanc vitam esse. Certum est à Græcis omnibus errorem Origenis de reparatione animarum improbatum ac damnatum fuisse, et nunc etiam condemnari et improbari. Certum est apud Græcos pœnarum Inferni nullum esse finem, et post hanc vitam in inferno nullam esse pœnitentiam, neque salutem ullam sperari. Certum est in Inferno, præter alios cruciatus, ignem quoque inextinguibilem adurere et afflictare animas. Certum est apud illos orationibus pro defunctis peractis, et aliis bonis operibus, animas separatas, et quæ jam sunt in Inferno et in tormentis, et igne ipso juvari et sublevari, et tandem purgari. Ergo certum est apud ipsos post hanc vitam animas, quæ non sunt integrè expurgatæ, nec in eâ perfectione sunt, ut rectà ad cœlum transeant, detineri in loco in quo ignis est eas ustulans et expians à peccatis; ergo certus est apud illos ignis purgatorius macerans et affligens post hanc vitam. Aliàs cogerentur dicere pœnarum Inferni finem aliquem esse, cùm orant pro iis qui in Inferno sunt, et sic de reparatione animarum idem sentirent cum Origene, aut in Inferno ignem non esse contra Verbi divini decreta; aut mortuos precibus illis non juvari, et sic frustra ipsi singulis momentis blaterarent, auresque divinas obtunderent, cùm orarent pro illis quibus sciunt nulli posse esse emolumento. Si dicant non intelligere propriè Infernum locum illum in quo damnati detinentur, sed alium diversum ab illo in quo animæ cum spe salutis cruciantur, ergo jam præter Infernum propriè dictum, est alius locus in quo deferuntur animæ quæ indigent expiatione, et pro quibus orant, in quo etiam ignis est, eas adurens; ne ipsi dicantur temerè preces fundere, cùm orant eas animas ab igne liberari. Et quid hoc fuerit quàm purgatorium ignem fateri, et eadem dicere quæ et Romana Ecclesia dicit.

XXXVIII. Non dicent ignem illum metaphoricum esse et imaginarium, cùm imaginatione et visionis divinæ privatione non minùs atque igne comburuntur; ne eodem modo fateantur ignem etiam Inferni et gehennæ, à quo postulant liberari, imaginarium esse et metaphoricum, quod planè alienum esset à fide Græcorum, quæ tenet, divinis eloquiis edocta, ignem illum esse calidum et materialem, et reverà animas cruciare per calorem et ardorem; ideòque vocari cruciatum, supplicium, tormentum et pugnam, et Damascenum, qui vocat, lib. 4, in fine, ignem æternum, in quem traduntur dæmones et homo eorum, Antichristus scilicet, non esse materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus, intelligunt, non negare absolutè ignem illum esse materialem, sed non esse eo modo materialem, quo est ignis noster apud nos. Noster enim ignis nutritur, et facilè extinguitur, et consumit corpora; ille nec nutritur, nec extingui potest, semper manens, nec consumens corpora. Est enim instrumentum divinæ justitiæ, à quâ legem sibi

modumque suscipit; nec punit omnes æqualiter, sed secundùm quantitatem et mensuram demeritorum. Neque minùs igne torquerent animas aer et aqua, si assumerentur ut instrumenta divinæ justitiæ sicut ignis. Electus est tamen ignis ob majorem activitatem. Quare necessariò Græci, si decretis suæ Ecclesiæ stare volunt, dicent ignem illum, quo animæ purgandæ cruciantur, et à quo orant eas liberari, non esse imaginarium nec metaphoricum, sed realem, quidquid ineptiant heterodoxi.

XXXIX. Nec illud hìc obiter prætereundum est, quànam ratione Græci pœnas et ignem Purgatorii, à quibus mortuos liberari supplicant, æterna dicant, et gehennæ ignem. In Paracleticâ : *Libera ab igne gehennæ, Domine, eos qui è vitâ decesserunt, lateris tui lanceâ peccati chirographum horum, veluti solus misericors, discidens, et sanctorum splendoris dignos efficiens. Libera ab igne, Christe, æterno, eos qui piè ex hâc vitâ migrârunt, et tribue illis remissionem debitorum, bone, et sempiternam possessionem. Libera à gehennæ igne, et tenebricosis Inferni, ô misericors, habitaculis servos tuos, qui in fide, Domine, obdormierunt tuâ et spe.* Theodorus Studita : *Omnes exoremus Christum, qui memoriam hodiè facimus demortuorum à seculo, ut eos ab igne æterno liberet, qui in fide obdormierunt, et spe vitæ æternæ.* Et Nicolaus, Athenarum metropolita, in officio Olei sancti : *Dimitte, condona, da veniam, oramus te; libera eum ab æternis vinculis et carcere, et colloca eum in splendido tuo loco, ubi electi tui servi requiescunt.* In his precibus Græci uno pede ambulant cum Ecclesiâ Romanâ; nam quem ipsi vocant *ignem gehennæ*, et *ignem æternum*, Romana *mortem æternam, profundum lacum, os leonis et tartarum* nuncupat. *Libera me, Domine, de morte æternâ in die illâ tremendâ, quando cœli movendi sunt* et *terra, dùm veneris judicare seculum per ignem*, in exequiis defunctorum; et post Evangelium, in missâ : *Libera, Domine, animas fidelium defunctorum, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Et cùm Romani et Græci nullum finem pœnis infernalibus ponant, nec orent pro damnatis, quos preces non adjuvant, necesse est ut orent pro iis, quibus eas futuras proficuas opinantur, pro iis scilicet qui cruciantur in purgatorio igne. Quare igitur ignem purgatorium et extinguendum, ignem æternum, et mortem æternam appellant? multis de causis, quas et Romani et Græci etiam recitant; sed ea potissima fuerit, Ecclesiam et orantes orare secundùm quamdam anticipationem et repræsentationem. Nam tum repræsentant animas eo puncto quo à corpore exeunt, et ad judicium referuntur. Tum enim illis optant et mite judicium, et liberationem à pœnis Inferni, cùm adhuc tempus remanet propitium, et possunt pœnitentiam agere, et pro delictis indolere, quod ex iisdem verbis apertissimè colligitur. Precantur siquidem liberari à pœnâ æternâ in die illâ tremendâ quæ tempore quo oratur non adest, sed quando futura sit, Deus scit. Idque magis etiam innotescit, quòd jam defunctum quasi spirantem adhuc introducit loquentem : *Tremens factus sum ego, et timeo, dùm discussio venerit, atque ventura ira.* Non ergo sermo est de rebus præsentibus et jam actis, sed futuris, pro quibus supplicant. Ergo supplicant per anticipationem, et repræsentant morientem hominem et expirantem, non eum qui jam sit mortuus et expiravit. Sic etiam suo hoc more, quando Christi adventum repræsentat, intercedit : *Rorate, cœli, desuper. His perspicuum fit, sic ubi,* ut etiam annotavit Caryophilus contra Gerganum, blasphem. 47, *quispiam sanctorum dicat, obsecrationibus et sacrificiis relevari animas in Inferno, Inferni nomine sine dubio intelligere non gehennæ Infernum, sed Inferni partem, ex quâ veluti tenebricosâ, et ærumnosâ rogat Ecclesia transferri animas piè defunctorum in locum lucidum et regionem vivorum.*

XL. Neque propterea sequitur Catholicorum hoc dogma de purgatorio igne cum Origeniano idem esse, quidquid alii ineptiant, et unà cum illis Simeon Thessalonicensis, qui tractatu de iis quæ Latini innovant, dicit : *Hinc etiam secundùm Origenem finem decernunt Inferni, Purgatorium nescio quod ante tormenta, eorum expurgatorium proponentes, in quod qui deliquerunt, ingredientes, inquiunt, pœnas luunt ad diem usque extremum. Quod nemo ex sanctis tenuit, tanquam quòd verba Domini destruat, quæ Inferni pœnas, quemadmodùm et vitam æternam, æternas astruunt, ac divini Pauli dicta convellat, de sanctis asserente, qui in fide vitam posuêre, non dùm nos recepisse promissionem, nec sine nobis perfectionem assecutos. Et cùm tunc perfectio futura sit, cùm nos resurgemus, et singuli recipient simul cum corpore, cum quo aut peccârunt, aut laudabilia gesserunt secundùm opera sua* ; et Joannes Eugenicus, adversùs concilium Florentinum, cap. de Purgatorio : *Quasi verò non animarum ante communem resurrectionem redintegrationem profiteri, similia decernere sit, et futurum judicium convellere, et secundi Christi adventûs retributionem, et inde ferè etiam Christum judicem esse, et nostrarum actionum retributorem apertè negare.* Nam ille asserebat futuro judicii die per ignem quo mundus conflagrabit, animas expiandas esse. Catholici id fieri ante diem judicii statim post obitum; benè verò addunt quòd si qui eo tempore non plenè satisfecerint, nec satisfacere ob temporis angustiam possunt, à Deo augendas esse pœnas, ut modici temporis momento tantus cruciatus quantus longissimo tempore suffecerit; Origenes, expiationem faciendam et animarum et dæmonum igne infernali per definitum aliquod tempus. Catholici asserunt, igne purgatorio, pro peccatorum modulo; Origenes, eo igne peccatores et damnatos, etiam dæmones ipsos purgandos, et ita purgatos pristinæ felicitati restituendos. Catholici prorsùs inficiantur similem expurgationem : namque planissimè fatentur in Inferno nullam esse redemptionem, et semel pro peccatis condemnatos igni infernali addicendos, nullo unquàm tempore terminando, sed in perpetuum cum Deo ipso duraturo. Ineptè igitur calumniantur hæretici Græcos et Latinos, qui purgatorias flammas asserunt, quasi simili assertione purgatorium ignem in Ecclesiam inferant per definitum aliquod tempus, et æternum gehennæ

extinguant ; sicque segniores reddant homines ad benè faciendum, cum spe certâ recuperandæ salutis, vel improbitatem amplectantur, vel bona opera negligant. Nam cùm Catholici sciant se etiam pro minimis, et quibus non satisfecerint, temporali pœnâ puniendos, et pro majoribus, et quibus pœnitentiam non egerint, æternis cruciatibus et ignibus tradendos, curabunt omninò ut pro minimis satisfaciant, et pro majoribus pœnitentiam agant; quod ex negatione Purgatorii non ita succedat, cùm quicumque peccatis involutus etiam enormibus firmiter teneat, utcùmque obierit, tandem aliquando gloriam sese consecuturum. Ex his etiam perspicuum fit, Patres illos qui damnârunt Origenem, Catholicorum Purgatorium non damnâsse, cùm aliud sit Catholicorum Purgatorium, aliud Origenis; et Patres illos, qui damnârunt Originem, non damnâsse Catholicorum Purgatorium, cùm eodem tempore affirmârunt, et Inferni ignem æternum, à quo nullus nullo unquàm tempore liberatur, et Purgatorium ignem temporarium, in quo animæ expurgatæ piorum precibus et sacrificiis exeuntes, ad cœlestia gaudia deportantur sempiterna.

XLI. Sunt præterea testimonia ex novo veterique Fœdere desumpta, quibus Catholici suum Purgatorium probant, et quorum auctoritatem heterodoxi, utut possunt, imminuunt. Primum est Machab., lib. 2, cap. 12, in quo habetur Judam orâsse pro mortuis. Multa hìc opponunt hæretici : Libros illos Machabæorum non esse verè canonicos ; et licèt ætate Augustini facta sit alicubi mutatio circa canonem, non tamen hinc sequitur mutatam doctrinam fidei, et quidem per Ecclesiam universalem ; et tempore Augustini libros Machabæorum in canone non esse numeratos, constat ex verbis Hieronymi et exemplo universæ Ecclesiæ Orientalis, imò et Ecclesiæ Latinæ. Et impossibile est ut certi quidquam de singulis libris possit vel à totâ Ecclesiâ constitui, num illi sint pro canonicis, hoc est, pro scriptis sancto Spiritu singulariter id agente per prophetas aut viros apostolicos exaratis habendi, necne. Et quod ab initio fuit dubium, non potuit postea certò definiri, citra novam Spiritûs sancti revelationem, qualem Ecclesia catholica tamen non agnoscit. Verbis illis non posse probari animas demortuorum pœnas aliquas purgatorias experiri, tantùm abest ut probetur eas ustulari, quod probandum venit Pontificiis, et potissimùm posterius, utpote qui non tantùm purgatorias pœnas, sed speciatim flammas expurgatorias, sub anathemate obtrudunt. Et debuissent per syllogismum conclusionem istam deducere. Nec enim Protestantium, imò nec Græcorum ulli hactenùs id est datum. Et licèt verum sit propè bis mille annos hanc opinionem animos Judæorum pervasisse, piè et salubriter pro mortuis preces fundi posse, non sequitur dogma de purgatoriis pœnis animarum tamdiù obtinuisse, multò minùs illa quæ nunc feruntur de igne purgatorio. Et hæc de precibus mortuorum non omnium, sed quorumdam Judæorum fuit sententia. Neque id ex facto Judæ colligitur, sed tantùm ex judicio scriptoris qui longè Judâ recentior est. Et sic non negatur sacrificium illud Judæ oblatum esse pro peccato ab occisis illis commisso; sed negatur illud cessisse ad liberandos à pœnis illis interfectos, et affirmatur id factum, ne toti populo crimen illud imputaretur. Et licèt preces illæ pro defunctis ipsis fusæ sint, attamen hinc non sequitur eumdem operâsse aliquam utilitatem à precibus pro animabus adhuc à corpore separatis, qualis speratur in Purgatorio. Et precum illarum fructum tempore resurrectionis futurum sperant, disertè enim scribitur : *Nisi eos qui occiderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.* Et antea dixerat oblatum à Judâ sacrificium, *benè et religiosè de resurrectione cogitante.* Ergo preces illas tantùm in resurrectione juvare dicendum est. Quod exemplo suo nos docuit Paulus, Onesiphoro his verbis precatus, 2 Timoth. 1 : *Det illi Dominus invenire misericordiam à Deo in die illâ, cùm omnes etiam qui sanctimoniâ pollent, misericordiâ indigebunt.* Quare ad rigorem illius judicii leniendum, *videntur* quoque Judæorum veterum preces pro defunctis spectavisse ; idque Pharisæorum dogmati consentaneum videtur, qui judicium crediderunt tempore antecessurum resurrectionem, et solos pios resurrecturos. Et potissimùm, cùm nusquàm in sacris litteris, *Domini dies* aliter accipiatur, atque de extremo judicii die. Præterea preces illas pro mortuis illis occisis temerè prolatas, qui sub tunicis donaria idolorum deferebant, à quibus lex prohibebat Judæos ; nam illis, cùm in peccato mortali decessissent, ad pœnas æternas condemnatis inutiles preces sciebant; ni etiam affirmare velimus pœnis infernalibus finem aliquando futurum existimâsse. Et hæc quidem Heterodoxi satis prolixè.

XLII. Quid pontificii et Græci, audiatur : licèt inter alios canonicos libros ex antiquioribus Patribus nonnulli Machabæorum libros non numeraverint, sed silentio præterierint ; licèt alii de eorum auctoritate dubitaverint, hoc tempore tamen auctoritate Ecclesiæ, in cujus manu est, similia declarare, inter canonicos reponi, et veluti sacros coli, et eorum auctoritate fidei dogmata constabiliri, quidquid Hæretici mussitent. De Tobiâ, Judithâ, Apocalypsi et aliis dubitatum fuisse, quos nunc universalis Ecclesia recipit et veneratur; nec considerat quid hic vel alius dixerit, sed quid universalis ipsa per se tenuerit. Neque istâ explicatione, sive etiam *canonis immutatione*, ut heterodoxorum verbis utar, factam fuisse fidei immutationem. Nam fides neque imminuitur, neque additionem accipit, sed novis emergentibus dubiis ad sedandos titubantium animos, et dogmata stabilienda, et auctoritate Scripturæ, et testimoniis Patrum exponitur ; et ex ipso Augustino, et Nazianzeno, Gregorio et aliis satis constare etiam ante Augustini ætatem inter canonicos esse numeratos. Neque reputari impossibile ab Ecclesiâ constitui qui libri sint pro canonicis habendi, et quinam agente Spiritu sancto conscripti sint, determinareque quinam sint idonei ad probanda dogmata ; et quod aliquando inter privatos fuit dubium certò posse definire Spiritu sancto revelante, et

hoc Ecclesia catholica agnoscit, et veluti certissimum tenet. Quare his freti Catholici tum Græci tum Latini, ex libris Machabæorum veluti canonicis, et Spiritu sancto dictante conscriptis, quemadmodùm et ex aliis sacræ Scripturæ voluminibus probant atque stabiliunt preces fusas pro defunctis, defunctis ipsis esse apprimè proficuas; ideòque orant pro illis, et pro animabus eorum sacrificia offerunt, ut delicta quæ illi viventes commiserunt, nec satisfaciendo absolutam remissionem impetrare potuerunt, ideòque à visione beatificâ exterminati, in loco detinentur, in quo satisfaciunt, quod reliquum est, et pœnas non imaginarias, sed veras et purgatorias, et speciatim igne luunt, remittantur, à quibus postea expurgati, voti sui compotes fiant. Et quamvis in hisce verbis mentio ignis nulla sit, ex doctrinâ tamen Patrum et ipsius Ecclesiæ argumentantur, eas esse in loco, tenebris ac aliis miseriis repleto; aliàs non orarent ut peccatis dimissis in loca lucida, refrigerii et lætitiæ reponantur. Et falsum est eosdem purgatorias pœnas ex igne sub anathemate obtrudere.

XLIII. Et hæc quidem Pontificii et Græci. Quid porrò Syri, Armeni, aliæque nationes Orientales, qui Christo nomina dederunt, Græcæ Ecclesiæ soboles, de Purgatorii pœnis, et fidelium pro defunctis precibus senserint, ne longior ipse sim, audiatur Abrahamus Echelensis Maronita, rerum ecclesiasticarum ac linguarum Orientalium peritissimus, in Notis in *Hebediesu* Sobæ episcopi de Scriptoribus ecclesiasticis : *Officia defunctorum constant orationibus, psalmis, hymnis, precibus, prœmiis, lectionibus, absolutionibus et ejusmodi aliis. Varia sunt quoque hæc officia, juxta varios ordines et gradus defunctorum. Alia enim sunt episcoporum, alia presbyterorum, alia diaconorum et inferiorum ordinum, alia monachorum, alia monialium, alia virorum, alia mulierum, alia virginum. Ex quibus omnibus amplissima sese offert seges et materia convincendi pervicacitatis eos qui Purgatorium inficiantur, ac tanquàm aliquid nuperrimè ab Romanâ Ecclesiâ excogitatum insectantur et nauseant. Cùm tamen nihil hâc de re ab Romanâ Ecclesiâ nunc asseratur, quod in D. Ephræm hisce officiis non occurrit, sive spectet id ad purgatorium ignem, sive ad remissionem delictorum post ipsam animæ hinc migrationem. Utrumque ex hoc uno hymno (ut infinitos alios omittam) qui in omnibus defunctorum exequiis occini solet, planissimè constat :* « *Ros miseri-*
« *cordiarum, qui à Patre missus est, et aspersit pueros*
« *in fornace Babyloniorum, ipsemet roret super defun-*
« *ctos in foveis tristibus inferni, et condonet delicta ser-*
« *vorum suorum, qui obdormierunt super spe illius, et*
« *hæredes constituat eos vitæ novæ, quæ non deficit.* » *Idem habetur in hymno qui canitur in ipso missæ defunctorum exordio, qui est ejusmodi :* « *Impetum ignis*
« *et flammæ dissipa, Domine, clementiâ tuâ à defunctis*
« *qui in te crediderunt, et obdormierunt, et quieverunt in*
« *spe tuâ.* » *Isthæc autem omnia haud antiquiore carent auctoritate, traditione scilicet apostolicâ, quæ tam in diversarum nationum Orientalium inserta legitur constitutionibus, quàm in conciliorum prœmialibus, cum hujusmodi titulo :* « *De defunctis, et quomodò faciendo*
« *pro illis commemoratio est, et est præceptum Pauli*
« *Apostoli; sunt tamen qui dicunt esse præceptum Ja-*
« *cobi.* » *Verba ipsa sunt apud Melchitas et Maronitas, cap.* 36, *apud Cophtitas, cap.* 22, *apud Jacobitas, c.* 5, *sect.* 1 : « *Facito tertiâ die commemorationem pro iis*
« *qui obdormierunt, in psalmis et precibus, quia Chri-*
« *stus mortuus est, et resurrexit tertiâ die. Fiat quoque*
« *(commemoratio) pro illis nonâ die in memoriam vivo-*
« *rum et defunctorum. Facito etiam pro eis trigesimum*
« *(diem) juxta antiquæ legis ritum, quoniam filii Israel*
« *luxerunt super Moyse triginta diebus. Item fiat pro illis*
« *anniversarium, et erogetur de illorum bonis eleemosyna*
« *pauperibus. Et sanè credimus id fieri pro illis qui sunt*
« *prædili continentiâ, fide et justitiâ. Nam pro majo-*
« *rum (criminum) patratoribus et infidelibus, etsi in*
« *eleemosynam erogetur, quidquid in hoc mundo bono-*
« *rum est, nihil illis proderit.* » *Si verò curiosiùs de novine quærat aliquis, sciat, nomen* Sciul *apud Syros, et* Sceol *apud Hebræos, ac* Alhauijato *apud Arabes, commune esse tum loco damnatorum, quàm Purgatorio, quemadmodùm carcer dicitur de loco in quo sunt inclusi, qui ad mortem destinantur, quàm de loco in quo pro levioribus alii ad tempus detinentur. Nihilominùs tamen* purgandi *et* purgationis *vocabulum in hâc ipsâ materiâ apud antiquissimos auctores usitatum legimus. Joannes, episcopus Darensis, lib.* 4 *de Resurrect. mortuorum, cap.* 24, *loquens de animabus, quæ levioribus delictis contaminatæ ex hoc mundo discedunt, non aliis utitur vocabulis, quàm* purgandi *et* purgationis. *Hæc sunt ipsa verba, postquàm multis disseruit de beatorum et damnatorum animabus :* « *Si levibus alis prædita est*
« *anima in suo discessu ad illum qui eam attraxit, in læ-*
« *titiâ perfectâ erit; si verò onus passionum gestat, af-*
« *flictionem patitur, non quòd odit aut ulciscitur Creator,*
« *sed ut ad se attrahat purificatam, quemadmodùm mate-*
« *riam, quæ commixta est auro, in ignem immittunt, ut*
« *purificetur, quæ consumitur, et dissipatur, puritas verò*
« *auri remanet; ita quoque malitia cum igne purificante*
« *omnit absumitur et dissipatur; necesse est etiam ut*
« *anima, cui illa adhæsit, una in igne sit, donec sordes*
« *et malitia pravorum operum, quæ in eâ congregata sunt,*
« *illo igne purificentur.* » *Et postquàm alia purgandi et purificandi attulit exempla, subdit :* « *Ita etiam ab animâ,*
« *quæ passionibus materialibus est inquinata, vi tormen-*
« *torum isthæc abraduntur. Hæc autem afflictio non est ad*
« *damnationem, sed ad purgationem peccatorum et ma-*
« *cularum.* » *Et paulò infra :* « *Scopus enim mentis di-*
« *vinæ is est, ut omnis perfectio sit naturæ nostræ. Sunt*
« *quippe qui statim in hoc mundo à malitiâ purgantur, et*
« *sunt etiam qui post hanc vitam per ignem juxta pas-*
« *siones suorum vulnerum curantur.* » *Certissimum id est, ut de ipsâ re agamus, de nomine nihil curantes; eò tendunt omnia defunctorum officia; eò liturgiæ, eò eleemosynæ, et suffragia non solùm fidelium, sed et infidelium, ipso naturæ instinctu impellente. Judæis id testatissimum et exploratissimum est, ac omnibus notum, ideòque nostrâ non indiget probatione; sed ipsos Mahometanos quod attinet, non minùs hoc persuasum habent, uti eorum os-*

tendunt preces pro defunctis. Ita enim in tractatu inscri-vto : Liber subtilitatum, *pro illis deprecantur :* « *Deus « requiescere fac animas eorum, et illumina sepulcra « eorum, et ablue eos aquâ et nive, et refrigera calores « eorum, et purga eos à peccatis, sicuti purgatur alba « vestis à sordibus.* » *Sed de hoc fusiùs in Epistolâ nostrâ ad clarissimum virum Bartholdum Nihusium.* Hæc Abrahamus Echelensis ex ritualibus et doctoribus Orientalium nationum. Visne clarius? Planè ista conjuratio est, ut omnes omnium nationum Orientalium Ecclesiæ eadem æquè studeant, nolintque omnia in dogmate de Purgatorio, quæ et Romana profitetur et prædicat. Non est lac lacti magis simile, neque ovum ovo, neque apes apibus, quàm illæ similes sunt Ecclesiæ Romanæ. Et tu dissidium inter eas disseminare niteris? Sanè ineptus es, et ecclesiasticarum rerum imprudens ignarusque omnium.

XLIV. Et argumentum est efficacissimum, igneas esse pœnas illas, non quorumdam Judæorum, sed omnium sententiam fuisse, tanquàm qui agnoscerent, et pœnas Inferni perpetuò duraturas, et pœnas alias, etiam ignem, quibus afflictantur post mortem pro peccatis animæ, ad hoc ut expurgentur, tempore præscripto finiendas. Idque ut magis pateat, eorumdem Judæorum dicta proferantur. R. Menachem Calomiti, qui ab orbe condito anno 5178, Christi scilicet 1418, scribebat, et conservatur in Vaticanâ Bibliothecâ sub num. 436, tractatu de Justis, pag. 44, hæc habet: *Etiam justi cum suis bonis operibus resplendent, instar lucis stellarum, et immunes à noxis homines sibi æquales conservant, et quocumque tempore et loco suî gratiâ peccata sui populi oblitterantur; et statum provinciæ necnon civitatis basim firmant et stabiliunt, sicuti scriptum est :* « *Dimittam propter eos omni loco,* « *et non faciam vindictam,* » *et rursùm :* « *Si non Moyses electus ejus « stetisset in confractione in conspectu ejus.* » *Etiam in mundo animarum, liberat à perturbationibus animas, sicut scriptum est :* « *Fructus justi, lignum vitæ,* » *et libertatem nuncupat captivorum.* Et cap. 26, de Pœnâ animarum, paginâ 61: *Quânam ratione Deus benedictus judicat istas animas, et eas facit descendere in abyssum abyssorum?* Et respondet: *Ad hoc nonnulli ex sapientibus, qui legem Dei integram ac perfectam retinuerunt, animam esse alligatam in hoc corpore despiciendo. Et ipsa inquinatur immunditiæ corporis propter opera contemptibilia, quæ in medio illius sunt; et cùm Deus benedictus illam à suâ immunditiæ elicere proponit, ut expurget et reponat ad suos pristinos mores, non abluitur nisi cum igne vallis filii Hinnon, et hic est gehennæ ignis. Nec similis spurcities et immundities abstergitur, nisi illa in ignis medium introducatur; idque addiscere et intelligere possumus ex salamandrâ, animali lacertæ non absimili quæ in fornace vitri reperitur, postquàm in eâ per multos annos elaboratum est, generaturque in ipso igne, et pannus, qui ex eâ conficitur igne tantummodò abluitur. Pari modo anima, quæ propriè ex igne generata est, solùm igne abluitur et perficitur. Propterea que anima justi, si peccatis superbiæ, aut erroris coinquinata est, et in Paradisum vult ascendere, necesse est ut in igne dealbetur, et purificetur, et abluatur super gehennam, ut convenit.* Et ignem purgatorium apud Hebræos quærimus? Explica tu planiùs si potes. Et ut manifestiùs pateat, in libro dicto *Menorath Hamaor*, dicit R. Ieoscivah Ben Levi, Infernum septem habere nomina, et septem habitationes. Nomina sunt *Fovea perditionis, Puteus foveæ, Puteus ruinæ, Creta luti, Umbra mortis, Terra inferna.* Tum subdit : *Impii in Infernum descendunt, et natant, et ascendunt, ut scriptum est in Zacharià*, c. 13, 9 : « *Et ducam tertiam partem per ignem, e « uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut pro« batur aurum; ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam « eum.* » *De illis etiam dicebat Anna, 1 Reg. 2 :* « *Deducit ad fo « veam et reducit.* » *Verumtamen rebelles Israel in corpore suo, nec non rebelles mundi gentium in personis suis descendunt in Infernum, et puniuntur in eo duodecim menses, quibus elapsis corpus eorum absumitur, et anima incenditur, et cineres evadunt sub pedibus justorum, ut est apud « Malachiam 4, 3:* « *Et conculcabitis impios, cùm fuerint « cinis sub plantâ pedum vestrorum.* » *Sed delatores et impii, et qui abnegârunt Thorà et resurrectionem mortuorum, et qui deliquerunt ipsi, et alios delinquere fecerunt, veluti Jeroboam filius Nabath, descendunt in Infernum, et puniuntur in æternum, ut dicit Isaias, 66, 24 :* « *Et egredientur, et vi« debunt cadavera eorum, qui prævaricati sunt in me; quia « vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extin« guetur.* » *Infernus absumitur, et ipsi non absumuntur, ut ait Psalmista 49, 15 :* « *Figura eorum ad veterandum « Infernum.* » Et pag. 11 : *Impiorum anima descendit in terram infimam, in septimam nempe habitationem Inferni, et pendetur, et à seculo venturo abscindetur, ut scriptum est Levit. 23, 30 :* « *Et faciam perdere animam « ipsam de medio populi sui.* » *Abscindetur scilicet à loco, à quo abscisa fuerat, quod dictum est pro blasphemantibus, et iis qui fidem ejurârunt, et idololatris. Et Rabbini nostri addiderunt etiam atheos, et qui prorsùs impietati animum addixerunt. At impii, qui amore vel malo genio, vel etiam fragilitate deliquerunt, non condemnantur ad perditionem animæ, sed pœnam temporalem, ut purgent peccata sua in igne, donec anima dealbetur, ut in proprium statum convertatur. Et de his locuti sunt nostri Rabbini, eas descendere in Infernum, et puniri per duodecim menses, quibus elapsis corpus et animam eorum amburi et calcari plantâ pedum justorum. Quasi dicerent, cùm anima eorum in gehennæ igne detineatur, et pœnas luat, ut expurgetur; et postquàm expurgata fuerit illa anima, dealbatur et in proprium statum revertitur. Et hoc est quod dictârunt nostri Rabbini bonæ memoriæ. Qui descendunt in gehennam duodecim menses puniuntur, et post menses duodecim absumitur eorum corpus, et anima amburitur, dealbatur nempe in igne gehennæ per menses duodecim, et postquàm fuerit purgata, fit cinis sub plantâ justorum; redibunt nempe, et in paradiso Edem in gradu inferiori permanebunt sub animabus justorum.* Neque his contentus, pag. 10, exemplo dicta constabilit. Nam ex scriptore Tanchumà Parascià, sive sectione Nòach, *Rabbi Akibà*, qui sub successore Titi ungulis ferreis discerptus interiit, historiam memorabilem narrat: *R. Akibà*

aliquandò in cœmeterium progressus ; vidit sibi obviàm factum carbonarium, lignis onustum, instar equi currentem. Alloquitur eum Akibà, et cursum reprimit, tum infit : « *Esne tu homo, an diabolus?* » *Respondit ille homo :* « *Mortuus sum, et singulis diebus ad excidenda* « *ligna condemnor, et in ignem immittor.* » *Tum Akibà :* « *Quamnam artem professus es?* » *Et ille :* « *In exigen-* « *dis vectigalibus primum locum obtinui, divitibus par-* « *cens, et pauperes occidens; ingressusque sum in vir-* « *ginem desponsatam, idque die kippur, indulti magni.*» *Akibà :* « *Fili mi, audîstine, si tuî redemptio ulla est?* » « *Est,* » *respondit.* « *Namque dicebant mihi : Si Filius* « *tuus staret in synagogâ, et diceret : Benedicite Deo, et* « *sit benedictus, ab hisce pœnis liber evaderes.* » *Tum dixit ille :* « *Quodnam est nomen tuum?* » *Mortuus respondit :* « *Akibà. — Et nomen uxoris? — Sciuscia-* « *mira. — Et nomen civitatis tuæ? — Rocca.* » *His animo æger R. Akibà, in urbem Roccam proficiscitur, de mortuo Akibà inquirit in domo illius. Responsum accepit :* « *Reducantur in pulverem ossa illius in Inferno* « *gehennæ.* » *Et cùm idem ab uxore perquisîsset, idem accepit. Interrogavit de filio illius; responderunt :* « *Illum nondùm esse circumcisum.* » *Accepit illum R. Akibà, et ad addiscendum legem applicavit, constituitque eum in synagogâ, qui oravit et dixit :* « *Benedicite* « *Domino, et sit benedictus.* » *Statim ille à pœnis Purgatorii creptus, in somnis apparuit, et dixit :* « *Scito me* « *nunc in Edem requiescere, quia tuî gratiâ à pœnis* « *gehennæ liber evasi.* » *Propterea mos apud Hebræos invaluit, ut mortuo, unus ex magis propinquis in synagogâ publicâ dicat illud Kaddisc, et jam dictam precem, ut à judicio gehennæ mortuus liberetur, et vocatum est* Kaddisc Iahòm, *hoc est, Orphani.* Et hæc etiam leguntur in Talmud Massèchet Challà Pèrek Rabbi Jeuda. Ponatur aliud exemplum, quo nomen Hebræum: של גיהנם, pateat latiùs; non unius aut alterius, sed Iudæorum omnium communis de Purgatorio sententia. Narratur in Thalmud Massèchet Caghighà Pèrek, Sceni, cap. 2, Elisæum, qui mutato postmodùm nomine *Achèr* dictus est, doctum equidem, sed improbitatis manifesto modo prehensum, cùm, lege divinâ, quam profitebatur, et observare debuerat, neglectâ, aliis atque aliis sceleribus sese impiaverit, in ipso vitæ exitu à Rabbi Meir, ut sibi provideret, et ad frugem rediret, admonitum, interrogâsse : *Estne mihi remissio, si resipiscam*, annuente Meir, pœnitentiam egisse, et eâ nondùm absolutâ mortem obiisse. Hinc Meir, ut de ejus salute certum aliquid posteris constaret, promisit, statim atque ipse mortem oppetiisset, ex ejus sepulcro fumum emittendum esse. Quod et factum est, donec Rabbi Iochannàn demortuus eum à fumo et pœnis, in quibus cruciabatur, liberavit, et frui beatitudine dedit. Sed ipsa Hebræorum verba sic sonant : *Cùm quievisset anima Achèr, dixerunt :* « *Non judicando judica-* « *bimus, ne in mundum futurum perveniat. Non judi-* « *cando eum judicabimus ; multa enim in lege curiosiùs* « *interturbavit, et cùm scelus commiserit, in mundum fu-* « *turum ne veniat.* » *Dixit Rabbi Meir :* « *Satius esse* « *eum judicari, et in futurum mundum ascendere. Cùm* « *ipse mortem obiero, ex ejus sepulcro fumum ascendere* « *faciam.* » *Et cùm quievisset anima Rabbi Meir, è sepulcro Achèr fumus ascendit. Tum dixit Rabbi Jochannàn :* « *Egregium sanè facinus, ut suus Rabbinus igne* « *cremetur facere. Unus erat inter nos, nec potuit eum* « *liberare. Si ipse manu meâ eum arripiam, quis ex me* « *eripiet? Cùm mortem obiero, extinguam fumum à se-* « *pulcro ejus.* » *Mortuus postmodùm Rabbi Jochannàn ; fumus è sepulcro Achèr sublatus est. Cœpit pro eo plorator, etiam portæ custos :* « *Non stetit ante te Rabbi no-* « *ster.* » Et ut hujuscemodi narrationis obscuriora clariora fiant, ex eodem loco Thalmud Hierosolymitani promantur verba interpretum. Tosaphòth Pérek Kamà, in tractatu Kedoscin relata in Hen Israel : *Cùm ægrotâsset Achèr, dixerunt Rabbi Meir :* « *Rabbinus* « *tuus non benè se habet.* » *Invisit ipsum, et dixit :* « *Re-* « *sipisce.* » *Dixit :* « *Si revertar, recipient me?* » *Dixit illi :* « *Scriptum est : Convertes hominem usque ad con-* « *tritionem, et dices : Convertimini, filii hominum.* » *Tum planxit Elisæus, et transiit. Dixit Rabbi Meir :* « *Suspi-* « *cor eum in medià pœnitentiâ expirâsse.* » Adnotantur quoque ista inter alia : *Cùm hæc narraret Rabbi Meir, descendit ignis de cœlo, et combussit; dixerunt Rabbi Meir :* « *En quod sepulcrum tui Rabbini.* » *Et super extendit pallium et dixit :* « *Pernoctâ nocte, et erit in* « *mane. Si redemit te Tou, redimet, et si noluerit redi-* « *mere te, et redimam te. Inhabita in hoc loco, qui nocti* « *est similis, et eris in mane in futuro seculo. Si redime-* « *rit te bonum Tou, Deus scilicet, sic enim vocatur bo-* « *nus Dominus universi, et miserationes ejus,* » etc. « *Et si noluerit redimere te, ego liberabo te. Legitur* « *enim : Liberatur volumen legis cum lege. Liberandus* « *est enim Elisæus cum lege suâ.* » Noto hìc Elisæum ob violatam legem multis sceleribus obnoxium, adhortationibus Meir commotum, ut à pœnis æternis liberatus in requiem futuram traduceretur, pœnitentiam egisse; eam cùm non perfecisset, ad reliqua peccata, pro quibus anteacta pœnitentia non satisfecerat, expurganda, igni traditum, ut verba insinuant, et fumus super sepulcrum indicat. Fumus enim indicium ignis est. Id quoque ex ipsius historiæ interpretatione satis innotescit, post moram in igne, sive quia tum perfectè pro peccatis satisfecerat, sive etiam quia precibus Jochannàn pœnitentia emollita aut decurtata fuerat, igne eximi, et ad beatam vitam transferri. Et hæc Judæorum omnium placita sunt in ipso Thalmud, quo nihil apud eos sanctius, concinnata et comprobata. Et tu audes dicere quorumdam Judæorum, sed non omnium, fuisse sententiam? Profectò hæc, ne quid pejus dicam, inscitia est. Hæc mihi communicârunt rerum Hebraicarum plurimâ ac variâ scientiâ præditi D. Julius Bartoloccius S. Bernardi monachus ordinis Cisterciensis, et Joannes Baptista Jona. Et tu ipse cùm dicis : *Ad rigorem illius judicii leniendum,* VIDENTUR *quoque Judæorum veterum preces, pro defunctis spectavisse;* quod et de Græcis alio loco pronuntiaveras; *sed fructum precum pro defunctis in extremum duntaxat judicium* VIDENTUR *differre,* voce illâ, *videntur*, ut reddam tibi tua verba, prodis timidam tuam conscien-

tiam, ne dicam, quàm illa non deceat te, qui probare debebas. Certè jam, ut vides, Hebræorum preces, et Græcorum, qui palàm purgatorium ignem fatentur, ridiculè planè ad rigorem illius judicii leniendum per te inscitè differuntur.

XLV. Hebræi itaque, quod tu negas, mortuorum tria agnoscunt loca, primum justorum, secundum damnatorum, qui æternis pœnis addicti, nullà spe liberationis foventur, tertium eorum qui pœnis purgatoriis, et igne potissimùm à peccatis suis expurgantur, et postea eo dealbati in paradisum Edem, ut ipsi aiunt, deferuntur; et hoc apud illos consuetudine, et certo ritu *Kaddisc Iatom* dicto confirmatum, et tu affirmare non vereris, ex precibus istis Judæorum non sequi dogma de purgatoriis animarum pœnis, multò minùs iis quæ nunc feruntur de igne purgatorio? Et hanc de precibus mortuorum sententiam non omnium, sed quorumdam Judæorum fuisse sententiam? Et quibusnam similia venditas? Ignem toties audio; precibus ab igne illo animas liberari, igne illo purgari, dealbari; sic illo igne dealbatas in Paradisum convehi; festum in publicâ synagogâ pro simili liberatione et purgatione constitutum, et postmodùm continuatum, et vis ut ipse neque pœnas, neque ignem purgatorium ex Judæorum sententiâ credam? Sensibus ipse non meis, sed tuis temerè confictis imaginationibus credidero? Ne me, quæso, ad absurda et veritati contraria compellato. Judæi ipsi, quorum causa agitur, clamant et ore et scripto, pro mortuis preces esse fundendas ut à peccatis animæ igne purgatorio expurgatæ in Paradisum gradum faciant, et tu vis ut Judæis etiam dicentibus fidem derogem? Adhuc durus es, et malè credis? Habeto tibi clariora et certiora ex eodem Thalmud Massèchet Rosc Hascianà Pérek Risciòn Arbaà rascè Scianìm : *Hæ tres personarum conditiones judicii die reperiuntur : Una est perfectè justorum, altera est perfectè impiorum, et tertia mediorum. Qui justi verfectè sunt, scribuntur, et consignantur illicò in vitam æternam; qui perfectè impii, statim describuntur, et consignantur in gehennam, ut dictum est :* « *Et multi dormientes in terrâ pulveris, expergiscentur ii ad vitam æternam, et ii ad opprobria et contemptum sempiternum.* » *Medii in gehennam descendunt, natant* (*sibi*, ut explicat Rabbi Salomon, *latrant et plangunt*) *et ascendunt, uti scriptum est :* « *Et inducam tertiam* (partem) *per ignem, et conflabo sicut conflatur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit nomen meum, et ego exaudiam eum;* » *et de illis dixit Anna :* « *Dominus mortificat et vivificat, descendere facit ad inferos, et ascendere facit.* » An quid aptius Pontificii aut Græci dixerint? *Non à nobis id habeat* (tua sunt verba) *illi quos oderunt et detestantur; sed coacti Codicum sacrorum testimoniis, et Patrum suorum doctrinâ confirmati, id ipsum profitentur.* Dicunt ergo, et optimè dicunt Pontificii et Græci, ex facto Judæ colligi pœnas hasce purgatorias, cùm ille non oraverit nisi pro iis quibus utiles esse futuras existimavit. Et preces illæ, quidquid tu vel alii asserant, fusæ sunt ad liberandos à pœnis interfectos. En verba : *Atque ita ad preces conversi rogârunt, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur. Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Offertur pro peccato facto; pro peccatis mortuorum; pro defunctis, ut à peccatis absolvantur : et tu negas illud cessisse ad liberandos à pœnis illos interfectos, affirmasque id factum, ne toti populo crimen illud imputaretur; nec sequi, sperâsse aliquam utilitatem à precibus pro animabus à corpore separatis, qualis speratur in Purgatorio? An parva utilitas est, delictum oblivioni tradi, et à peccatis animas solvi? Et tamen precum illarum hic tantummodò scopus fuit, et oblivio delicti, et à peccatis solutio, quæ consequi absque integrâ satisfactione nemo sperat. Neque enim delicti pœna solvitur, nisi pœnâ; nec anima solvitur à peccato, nisi purgata, et pœnâ, quæ delictum exæquet.

XLVI. Sed dicis, id ex scriptoris judicio tantùm colligi, qui Judâ recentior est. Id propter dogma amplector, quia judicio scriptoris laudatur, qui falli non potuit. Infallibilitas enim in ipso scriptore est, qui Spiritu sancto ductus, mentiri aut falli nescit. Multa sunt in sacris Litteris impiè ab impiis perpetrata, quæ sacer scriptor enarrat. Ita ea gesta fuisse, quia scriptor sic tradit, firmiter teneo, facta quia mala detestor. Sic factum Judæ, etsi per se laudabile est, quia tamen à sacro scriptore approbatur, multò mihi acceptius est, cùm ex scriptoris Spiritu sancto ducti judicio, Judam eodem Spiritu facinus aggressum, et absolvisse cognosco. Et faciunt fidei firmitatem non homines, quorum gesta in libro narrantur, sed scriptor ipse, qui Spiritu falli nescio motus, quæ Spiritus sanctus ipsi dictat, scripto consignat.

XLVII. Illud porrò fructum precum tempore resurrectionis futurum sperari, quod ex textûs verbis elici autumant, planè ridiculum est. Examinemus verba. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans; nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videbatur et vanum orare pro mortuis. Et quia cogitabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Verba apertissima sunt, et nos tenebris offusis in illis somniamus, quod è re verâ non est, etsi apponatur, rectam verborum intelligentiam destruit. Dicitur namque Judam, benè et religiosè de resurrectione cogitantem, contra atque alii inter ipsos Hebræos faciebant, qui nullam admittebant, aut pravis opinionibus convellebant, quales fuêre Sadducæi, qui et resurrectionem et immortalitatem animarum negabant, cogitantem nempe animarum resurrectionem futuram, ideòque precibus illis opus esse; qui enim non resurgunt, preces illas auxiliatrices non poscunt; misisse Hierosolymam pro peccatis mortuorum sacrificium offerri; et facti reddens rationem, subdit : *Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare vro mortuis.* Quod et verissimum est Amens

enim atque insipiens oraret pro eo qui nunquàm resurrecturus est. Temerè preces illæ funduntur neque corpori, neque animæ proficuæ. Prima ergo causa precum illarum, resurrectio mortuorum; altera, quia illi, qui cum pietate dormierant, in gratiâ essent, nec odio habiti rejectique : *Et quia cogitabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Firmum apud ipsum erat, pios homines, et qui Dei indignationem extremam pro peccatis non incurrerant, sed in ipsâ morte adhuc pii et justi reperti sunt, hos sortis homines optimam habere gratiam, nempe de suâ restitutione in integrum, et se fore aliquando Deo familiares sperare. Quare ex hâc secundâ causâ colligitur apertissimè inter mortuos esse aliquos qui et precum et earum fructûs indigerent, ut ab eo loco in quo pro peccatis detinentur, illis precibus sublati, repositam sibi gratiam accipiant, et cum electis Dei reponantur. Id de beatis dici non potest, multò minùs de damnatis; ergo non erit alius locus quàm Purgatorium, in quo persolutâ pœnâ peccata oblivioni traduntur, et defuncti à peccatis solvuntur. Tum enim peccatum oblivioni traditur, et defunctus à peccatis solvitur, cum pœnis purgatoriis à peccatis depurgatur, et sic dealbatus maculas peccati omnes et sordes deponit; temerè ergo fructum precum in diem judicii reportamus, et ut Purgatorium pontificium de medio tollamus, cætera omnia, præter id quod verum est, et verba Scripturæ tinniunt, comminiscimur. Quare dùm illi orârunt pro iis qui idolorum donaria sub tunicis reportârunt, à quibus lex prohibet Judæos, qui dicuntur in pietate dormitionem accepisse, licèt donaria subripuissent, cupiditate et avaritiâ cæci, quòd fidem Judæorum non ejuraverant, et pœnitentiam egerant, quia tamen pro peccato illo non integrè satisfecerant, poterant animis in igne affligi, ut delicti reliqua abluerentur, et ipsi à peccato solverentur; quod nonnisi iis qui in pœnis purgatoriis ustulantur, aptari poterit. Nec aliter interpretatus est hæc verba Machabæorum Eustratius, presbyter Constantinopolitanus, doctus planè auctor, et quem nunc primi nos vulgamus Græcè et Latinè, tractatu de Operatione animarum post hanc vitam. Audiatur : *Et quod sanè admiratione dignum est. Solutio præterea peccatorum eos, pro quibus similia fiunt, consecuta est ab illo qui, ut ita agerentur, præscripsit, humanissimo Deo nostro. Si itaque pro iis qui turpi lucri causâ idola subripuerant, oblationes catè accuratèque legem et tempore servantibus, ut à tali peccato absolverentur, qui illud patraverant, et hoc post mortem eorum qui deliquerant factæ sunt; quantò magis qui nunc in fide Christi, et sanctè obdormierunt, maximam capient utilitatem, si oblationes et supplicationes pro iis peragantur? Hoc innuens Apostolus dicebat :* « *Mementote præpositorum* « *vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* » *Et rursùs :* « *Memoriis sanctorum communicantes.* » *Et alio quoque loco :* « *Et hìc quidem homines decimas* « *morientes accipiunt; ibi autem contestatur; quia vi-* « *vit.* » *Cùm legem divinus Apostolus didicisset, res à Machabæis optimè gestas satis callebat; quin etiam usque ad tertium cœlum raptus, auditis verbis quæ effari non possunt, ritè ac rectè præcepit ut præpositorum memoria ageretur, et sanctorum memoriis communicarent. Hinc postmodùm dicebat : Et hìc quidem homines decimas accipiunt morientes.* Et hæc quidem sunt quæ Pontificii et Græci tum de libris Machabæorum, tum de testimonio illo proferunt, et asseveranter affirmant. Quæ etiam, si falsitatis atque mendacii insimularentur, nihil proficerent heterodoxi. Nam plenè constat Pontificios et Græcos eadem dicere, et inter se concordare, discordare ab hæreticis.

XLVIII. Quia verò video nonnullorum sermonibus hìc vapulare Bartoldum Nihusium, in disciplinis omnibus gravi auctoritate virum, non erit abs re et illius dicta, et aliorum in eum criminationes considerare. Scripserat Nihusius de Machabæorum libris in Obelo : *Semper ab initio ita existimavit Ecclesia catholica nostra, ipsammet per suos rectores, vivâque voce ut Christus omnia tradidit; imò ignorare id, vel quoque negare occipientibus privatis quibusdam, decreto insuper in litteris relato, pronuntiavit* 10 *Kal. mart.* 305 *per Innocentium primum tanquàm regis Christi proregem in terris.* Dicunt Nihusium magis cautè quàm nescio quem alium, et ridiculè locutum. Magis cautè, quòd maluerit fingere fabulas, quàm agnoscere factam in fidei doctrinâ mutationem per nova incrementa ex definitione pontificum; quam impiam doctrinam tamen alios non dubitâsse apertâ fronte profiteri. Meras autem fabulas narrare Nihusium patet, primò, quòd illius ab initio usque factæ traditionis nullum utique in omnibus scriptis vestigium, nulla vola comparet; secundò, si vivâ voce Romana Ecclesia id sub anathemate ab initio tradidit, non latuisset id Hieronymum, rerum et dogmatum Romanæ Ecclesiæ peritissimum, qui disertè dicit : *Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.* Id etiam nec latuisset Melitonem, Origenem, Athanasium, reliquos, qui sine hæreseos infamiâ ab hâc Ecclesiæ doctrinâ desciverunt. Et ut magis Nihusium urgeant, addunt illum alibi scribere non dubitâsse sese *Ecclesiæ catholicæ personam gestare;* item sese *Ecclesiam suam repræsentare*, tanquàm sit novi generis Papa aliquis. Virum memoriâ nostrâ in disciplinis ecclesiasticis celebratum, et ab omnibus bonis probatum malè ab inexpertis, et qui planè rerum divinarum, atque humanarum jejuni sunt, audire, summa laus est. Quare tanto viro gratulor, quòd à similis conditionis hominibus contumeliam patitur; sed quàm iniquè videamus. Multa ab initio nascentis Ecclesiæ non fuisse ab Apostolis tradita scripto, sed ore, quæ postea traditione ad posteros pervenêre; multa quæ apud aliquos in dubio erant, à rectoribus Ecclesiæ fuisse postea determinata et constabilita; multa etiam novis exsuscitatis erroribus fuisse tanquàm de fide determinata, inter Catholicos planum est, nemoque audet de eo dubitare. Hinc si id probare conarer, frustra operam insumerem. Ut ergo alia pleraque, ita etiam et hoc traditum fuisse ad Apostolos, et postea in Ecclesiâ propagatum, non du-

bitabit, nisi qui etiam solem ipso meridie lucere dubitaverit. Quemadmodùm ergo alii libri, de quibus primis illis temporibus dubitatum fuit, subsecutis temporibus ab Ecclesiâ inter canonicos relati sunt, ita et de Machabæorum voluminibus factum est. In Ecclesiæ enim manu est, ut Catholicorum sententia indubitata, similia decernere. Non ineptit ergo Nihusius, neque fabulas narrat, si Catholicus ipse catholicè loquitur, et Catholicorum disciplinis decertat. Adde, ut id quoque nescius ne sis, quemadmodùm in Synagogâ apud Hebræos, cui successit Ecclesia fidelium, semper fuit potestas, ita movente Numine, novum semper canonem librorum sacrorum conficiendi, in quo adderentur quæ in priori non erant; neque enim illo primo canone exinanita fuerat Spiritûs sancti facultas; et sic primus canon Hebræorum ab Esdrâ confectus post captivitatem Babylonicam, cùm nondùm libri Machabæorum essent editi, imò nec res eorum gestæ, quorum historia in iisdem traditur, libros Machabæorum non continebat; potuit tamen eos continere secundus et tertius ab eâdem Synagogâ alio atque alio tempore confectus, quod inuit quoque Genebrardus in Chronologiâ; *ut non sint de Canone primo Hebræorum, tempore Esdræ edito; at sunt de secundo, vel potius tertio*, quem dicit fuisse factum in illâ septimâ synodo Hebræorum, à quo non videtur dissentire Josephus historicus, lib. de Machabæis, in fine: *Hæc itaque*, ait, *quæ in monumentis veterum et sacris Litteris de divis comperi Machabæis, posteritati æternùm legenda consecravi.* Ergo, secundùm hanc Josephi sententiam, libri Machabæorum erant in aliquo canone suo tempore recepti, non in antiquo et primo; ergo saltem in aliquo recentiori. Quemadmodùm ergo in Synagogâ, cùm illa perduraret, nunquàm defuit similis potestas, ita et in Ecclesiâ primi Apostoli, et inter eos eximius Petrus, libros sacros tum veteris, tum novi Fœderis recognoverunt, et in canonem retulerunt, postmodùm novâ cogente necessitate concilia legitimè coacta, et ipsi summi pontifices Spiritûs motu eosdem libros ad examen redigebant, et dubios apud nonnullos, si res ita postulâsset, et doctrina in eis contenta requireret, in canonem ut divinam Scripturam reponebant. Ne nimius sim in aliis recensendis, Judithæ liber à quibusdam in controversiâ positus, tanquàm qui in canone Hebræorum non extabat, à concilio Nicæno, re benè discussâ, in canone sacrorum Librorum receptus est, cùm antea non esset, quod et de aliis quoque, qui nunc sunt in canone, et antea non erant, in eodem Nicæno vel in aliis factum esse, nemo, dummodò æquus sit judex, dubitabit, cùm facultas hoc faciendi in Ecclesiâ nunquàm adempta est. Audi Hieronymum in Prologo Judithæ: *Apud Hebræos liber Judith inter agiographa legitur, cujus auctoritas ad judicanda illa, quæ in quæstionem veniunt, minùs idonea judicatur; sed quia hunc librum synodus Nicæna in numero sacrarum Scripturarum legitur computâsse, acquievi postulationi vestræ.* Stat ergo firmum hoc catholicum dogma, sententiâ Hieronymi. Licèt liber aliquis sit apud Hebræos dubiæ auctoritatis, et qui ad judicanda quæ in quæstionem veniunt, minùs idoneus sit, Ecclesiâ decernente potest de novo in numero sacrarum Scripturarum computari, et consequenter ad quæstiones dijudicandas idoneus fieri. Et extinctâ Synagogâ nulla necessitas cogebat Ecclesiam Hebræorum canone astringi, sed suo à se confecto probatoque, in quo sua recenserentur. Et licèt canor Nicænus hodiè non extet, vel unum hoc Hieronymi testimonium satis potest fidei facere. Et hâc ratione dissolvuntur omnia quæ ex auctoritate Hieronymi et aliorum Patrum in medium afferuntur. Neque propterea antiquam Ecclesiam deceptam fuisse dicendum est, neque nunc errare novam; sed quod antea non erat discussum ob alia atque alia impedimenta, postquàm illa cessaverunt, examinatum atque decretum in canone additum est. Sic multa nunc sunt declarata de fide, quæ antiquis temporibus non erant exposita ab Ecclesiâ, quæ vel nova fides, vel nova dogmata malè dicerentur, cùm sint propriè expositiones fidei ex ipsis articulis fidei prognatæ. His fretus Nihusius de Machabæorum libris scripsit, et verè et catholicè scripsit, et tu eum et minùs cautè et ridiculè scripsisse dicis? Non æquum facis. Si quæ tibi placent scriberet, jam hæreticus esset, et ex albo Catholicorum proscriptus. Quando verò impugnas illius dicta, scito te non Nihusium, sed reliquos omnes Catholicos in arenam vocare, quod quàm feliciter cedet ex tuis et aliorum Catholicorum libris et scriptis dijudicabis.

XLIX. Addis Nihusium dicere sese *Ecclesiæ catholicæ personam gestare*, et, *Ecclesiam suam repræsentare.* Quid tum? Annon verum dicit? Catholicorum singuli, parùm mihi curæ est quid heterodoxi agant, Ecclesiæ catholicæ personam gestant, et illam quæ sua est repræsentant. Et qui non id agit, et etiam contentiosè, extra Ecclesiam est, neque illius pars est, neque membrum. Licèt enim Ecclesia multorum fidelium cœtus est, attamen singuli Ecclesia sunt, et Ecclesiam referunt et repræsentant, quæ sua est. Qui enim Catholicus repræsentaret Ecclesiam alienam, quam et odit et detestatur? Maximum Homologetam post quartam synodum cogunt Monothelitæ ut unà secum de fide decernat: *Omnis*, aiunt, *Christi Ecclesia concors est. Solus tu inter alios gloriaris reliquos omnes prudentiâ superare.* Ille verò duos ex discipulis, qui ibi aderant, cæteris omnibus in hæresim prolapsis, ad se trahens amplectensque: *Vos*, dicebat, *Christi Ecclesia estis.* Rectè et laudabiliter dixit: nam planè demonstravit, cùm discipulos amplecteretur et diceret: *Nos sumus Christi Ecclesia*, professionem quartæ et universalis synodi et Romanæ Ecclesiæ in illis esse, et in illis manere, et illi in omnibus subdi, et in illius statutis perseverare; idque ostendit cùm dicit: *Mittite ad Romanum, ut venia vobis concedatur. Neque enim ipse simplex monachus vos possum ab hæresi absolvere.* Vide Plusiadenum Joannem in disputatione pro concilio Florentino, editum à me Græcè et Latinè in primo tomo Græciæ orthodoxæ, ut in his quoque Ecclesiæ orientalis atque Occidentalis absolutam consensionem conspicias. Et tu ex his Papam nobis novi generis Nihusium eu-

cis? Quæ ista tua argumentatio est? Nihusius Ecclesiæ Catholicæ personam gestat, et Ecclesiam suam repræsentat; ergo novi generis Papa est. *O quantùm est in rebus inane!* ne quid pejus dicam.

L. Nunc Pauli locus examinandus est, in quo exponendo multa dicunt hæretici : Locum Pauli planè difficillimum esse; non esse in fidei controversiis nitendum difficilibus intellectu testimoniis; principium sciendi notius debere esse conclusione; ex principio dubii sive sensûs, sive veritatis, fieri non posse ut scientia certa proficiscatur. Contradictionem involvere, ἀμετάπτωτον fidei articulum niti dubio Scripturæ testimonio; inter antiquos Patres tres tantùm adduci, Chrysostomum, Nazianzenum, Hieronymum; addunt præterea Photium et Thophylactum, qui locum illum de igne purgatorio interpretantur; alios verbà Apostoli accepisse de igne inferni, licèt haud negaverint Augustinum loqui de pœnâ aliquâ emendatoriâ, quâ defunctorum minutâ peccata purgantur; solitum tamen Augustinum interpretari hunc locum de expiatione viventium, nec agnovisse ignem purgatorium, et num post mortem animæ mœrore puniantur dubitâsse; et tandem, præcipua fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu sunt necessaria ad salutem, perspicuè satis esse apostolicis scriptis comprehensa; nomen præterea *ignis* figuratè accipi, et pro igne severi judicii Dei; et neminem Patrum accipere locum hunc de vero et materiali igne, quo animæ expiantur ante extremum judicium; et quotquot Patrum verba Apostoli interpretati sunt de materiali igne, iisdem de illo quo extremo die mundus conflagrabit, aut de infernali omnia hæc accepisse; et cùm in sermone præcedente omnia sint figurata, et figuratè accipiantur, et vox ipsa *ignis*, non videtur evidens illa ratio, quare in illis verbis : *Salvus erit quasi per ignem*, necessariò propria significatio observanda sit. Hæc heterodoxi.

LI. Quibus optimè Pontificii respondent, nec minùs Græci, qui licèt non negant Pauli locum difficillimum esse, nihilominùs explanatoris verbi interpretationem expectant, quam ab Ecclesiâ et Patrum doctrinâ hautientes, veritatem agnoscunt eamque firmiter tenent. Verba sunt Origenis ex Expos. Psal. 50, in Philocaliæ cap. 1 relata : *Dixerim equidem quemadmodùm judicia Dei magna et inexplicabilia sunt, quæ videntur rudibus et ineruditis mentibus erroris causam dare; ita Dei Scripturas magnas quidem, et arcanis abstrusisque et difficillimæ considerationis sententiis refertas esse, sed et difficillimam habere explicationem, et videri rudes ac incultos dissentientium animos in errorem impulisse, qui inconsideratè, nec sine dementi temeritate Deum reprehendunt ob eas quas non intelligunt Scripturas, indeque ad alium Deum fingendum prolabuntur. Itaque tutissimum est explanatoris Verbi interpretationem expectare, et ejus, quæ in arcano latet, sapientiæ, quam nemo principum hujus seculi novit, secundùm denudationem mysterii temporibus æternis conditi, declarati Apostolis et eorum similibus per Scripturas propheticas, et servatoris nostri Verbi, quod erat in principio apud Deum in ipsos extortum.* Et de dictis Pauli Methodius de Resurrectione adversùs Origenem apud Epiphanium, hæresi 64 : *Etenim Apostolus veluti peritissimus quidam jaculator contortas verborum sententias in medium emittens, ut obscuram profundissimis sensibus occultam orationem instituit, sic verissimam rectæque fidei consentaneam, quæ nihil aut negligentiùs dictum, aut absurdum continet. Qui enim non studiosè, sed oscitanter in illius sermones incurrunt, iis nonnunquàm minùs sibi consentanea ac cohærentia dicere videtur. Qui verò operam adhibent, et sobriâ atque experrectâ mente in illos incumbunt, ex ordine omnia, ac rei veritate pronuntiata judicant.* Sic non verentur ipsi, quæ difficillima sunt et dubia in Scripturâ, secundùm expositionem Ecclesiæ et Patrum, quos summoperè venerantur, intelligere, illasque conclusiones elicere, quas Spiritus sanctus, ipsarum Scripturarum auctor, Ecclesiæ et Patribus dictavit, et quotidiè dictat. Et in hoc obsequio captivantes intellectum, fatentur inscitiam, neque volunt plus sapere, quàm ipse Spiritus, qui ut vult, et quomodò vult, et quibus vult, spirat. Quare locum difficillimum Pauli, ut Patres interpretantur, intelligentes, rident, quidquid ad illum convellendum argutantur hæretici. Et cùm Patres illum de igne purgatorio, quod ante judicium est, exponant, ut supra vidimus, ipsi quoque sic intelligunt; et sic neque intellectu difficilibus testimoniis nituntur, neque rebus fidei assensum præbent, sed ex principio, quod jam credunt, licèt de eo demonstrationem non habeant, ideòque ipsâ conclusione notius existimant; certam scientiam etiam de fide eliciunt, et fidei articulus ἀμετάπτωτος, cùm non nitatur dubio Scripturæ testimonio, contradictionem non involvit. Et locum Pauli de igne purgatorio sumi, cùm quinque numerentur auctores ne multitudine opprimatur heterodoxus, in tres tantùm decurtat : *Tres tantùm potuit adducere in speciem, Chrysostomum, Nazianzenum, Hieronymum, Photium, Theophylactum.* Sed quis meliùs (quidquid sit de Photio et Theophylacto) Chrysostomo, Nazianzeno et Hieronymo Scripturas exposuerit? Horum vel minimum omnibus heterodoxorum phalangibus præposuerim. Magna sanè nomina, et doctores Ecclesiæ præcellentissimi, præ quorum uno universorum hæreseon doctores nulli sunt. Quibus si addas Augustinum, nec tu insanis, qui doctiora te habere præsumis. Audiatur etiam ex recentioribus Græcis Manuel Calleca, lib. 4 adversùs Græcos : *Hinc purgationi beatus etiam concinit Paulus dicens : « Quale cujusque opus est, ignis probat; si cu- « jus opus arserit, detrimentum patiatur; hic autem « salvabitur, sic autem quasi per ignem. » Opera quidem ardentia dicens facilè conflagrantem incendio materiam, quam qui ædificaverunt, penitùs ardebunt. Detrimentum enim passa sunt omnia illorum studia, et sine ullo fine torrebuntur. Opera verò, quæ superædificantur, fidei scilicet, et quæ permanent, virtutis dicens opera, qualia juxta proportionem sunt aurum, argentum et pretiosi lapides, quæ qui perfecerit, mercedem sumet, salutem scilicet. Sequitur enim : « Hic autem salvabi- « tur. » Verùm et ipse tum dolore, ut scilicet per ignem*

transiens, purgandusque à brevi sibi inustâ maculâ. Dei enim est, omninò sine peccato esse. De hominibus verò, quantumvis sint mundi, dictum est : « *Quoniam* « *in multis offendimus omnes; et :* « *Nemo mundus à* « *peccato, neque infans unius diei.* » *Dictum est autem et apud Malachiam :* « *Quoniam sicut ignis in fornace,* « *et velut herba fullonum constabit et emundabit quos-* » *dam.* » *Et certè si gehennæ ignem hìc voluit dicere, quomodò possibile est ut qui in eum missus fuerit, salute potiatur? In eo quippe nulla est salutis spes. Constat igitur de igne purgante et probante, velut aurum in fornace, eos qui in illum immittuntur, illi sermonem esse; nam gehennæ ignis neque mundabit aliquos, neque probabit. Quid si quidam sanctorum, quod dictum est: Sal-* « *vabitur veluti per ignem,* » *in igne manebit exposuit, nihil contrarium est; qui enim purgatur, et probatur, quantùmlibet in eo quod se probat et purgat, necesse est maneat, ut sordes ponat. Simulque quod dictum est,* « *per* « *ignem,* » *id quod dicimus comprobat.* Per *enim transitum quemdam motumque significat. Eum verò qui semel in gehennæ ignem injectus fuerit, manere semper in eo necesse est. Attestatur his et D. Chrysostomus, in 4 super Matthæum homiliâ.* « *Sancti quidem, inquit, per ignium* « *flumen gradientes nihil triste patientur; imò inde cla-* « *rioses etiam reddentur.* » *Sanctos fideles dicit, qui sine mortalibus peccatis sanctè justèque vixerunt; hos enim, qui ita vivunt, Scriptura sanctos vocat. Et quod item dicitur :* « *Si justus vix salvabitur, peccator ubi* « *parebit?* » *ad hanc intelligentiam ducit per eum qui vix salvatur, illum commendans, qui per purgationem salute fruitur. Quidam etiam apud nos dictum illud apostolicum exponens ait : In Expositione Isaiæ sanctus Basilius hujus dicti mentionem secundò faciens, ipsum pro purgatione suscepit. In hanc intelligentiam et Nyssenus Gregorius dictum explanavit. Quorum verborum vim quidam non intelligentes, finem post judicium ultimum æterni cruciatûs dicere putârunt; in ipsam intelligentiam et Occidentalem Ecclesiam, quia purgatorii ignis ante ultimum Salvatoris adventum purgationem prædicat; quâ sublatâ plurima absurda sequi necesse est; à nostris culpatur, quasi post judicium finem cruciatum fore affirmans. Sed falsum profectò est ita illam sentire, adeò ut si qui hoc apertè sentire comprobantur, eos à se abscindat, neque illos ad communionem sacramentorum admittat. Idque perspicuum est, et ex antiquis, et ex junioribus illius Ecclesiæ doctoribus, ut ex his quæ in nostrùm linguam inde translata sunt, si quis legere voluerit, animadvertet. Sed hæc hactenùs.* Verum est articulos fidei in divinis scriptis esse comprehensos; at non omnes, quod dicunt, explicitè. Et licèt heterodoxi contendant Purgatorium in Scripturâ non comprehendi, comprehendi manifestissimè, et verbis ipsius Scripturæ, et Ecclesiæ auctoritate, et Patrum testimoniis freti; et ignem illum neque figurate, neque pro igne severi Dei judicii accipi, et Pontificii et Græci affirmant. Vide quæ supra ex patribus recitata sunt, quos ab hæresi Origenis vindicavimus. Hæc et Pontificii et Græci uno eodemque consensu dictis heterodoxorum reponunt; et tu consensionem negas, et discordiam somnias !

LII. Nimius essem, si quæ tum à Catholicis ad firmandum, tum ab hæreticis ad convellendum Purgatorium in medium afferuntur, examinanda hìc mihi proponerem. Satis patet ex dictis, Græcos atque Latinos in potissimis de Purgatorio unam sequi eamdemque sententiam, et dicta hæreticorum aversari. Nam, ut planè et auctoritatibus, et praxi ipsâ Ecclesiæ Græcorum ostendimus, Græci sæpiùs non tantummodò statim post obitum, sed etiam inter annum, et perpetuò publicè in ecclesiis, et privatim, cùm recitant officia, orant pro mortuis, ut illis peccata remittantur ; tum postea à loco in quo sunt, ad alium locum lucidum, quietis et refrigerii, ubi nullus dolor, nullus gemitus, nullus mœror est, deferantur, et gaudiis in regnum cœlorum exultent, à tenebris, cruciatibus, vinculis, carceribus et aliis pœnis, et, quod præcipuum est, igne, quod est potissimum dogma Latinæ Ecclesiæ, liberati. Quare concludendum omninò est, quidquid nonnulli privatim in eâ Ecclesiâ tenuerunt aut scripserunt, ipsam Græcorum Ecclesiam in materiâ de Purgatorio, eamdem atque Latinam sententiam atque dogma fovere; et Allatium, cùm in libro de consensione Orientalis atque Occidentalis Ecclesiæ in signum concordis Græcæ et Romanæ circa Purgatorium doctrinæ preces pro defunctis attulit, quòd illæ satis sint, si tamen recte intelligantur, ad id probandum, verè ac catholicè, et secundùm utriusque Ecclesiæ sanam mentem locutum; et nemini non jam constare, signum rei illi ostendendæ aptissimum esse, et consensionis non dissensionis, quod fuerat illi propositum. Neque enim illi mens erat, Purgatorii pœnas, easque per ignem, sed tantummodò ex precibus pro defunctis, quemadmodùm et Latina Ecclesia probat, stabiliendas. Parùm enim refert, si ex precibus illis falsò an verè conclusio inferatur, dummodò eodem modo tum ab Ecclesiâ Latinâ tum à Græcâ inferatur, quod est signum concordiæ. Sic quoque librum illum Allatii discordiam Græcæ et Latinæ Ecclesiæ prodere rectiùs quàm utriusque concordiam, cùm quis ex heterodoxis probaverit, et id scripto, Allatius planè veritatis amator, suas tuebitur partes, et non se scripsisse temerè, nec ex odio partium, sed ex odio falsitatis atque hæresis commonstrabit. Ingemit enim et dolet ab animo, homines, qui sibi doctrinam aliquam vendicant, cum aliis, quas ipsi vocant Ecclesias amplissimas, communia multa habere, quæ damnat una Ecclesia. Probè enim scit Ecclesiam unam esse, non multas, eamque apostolicam, et quamvis ipsis displiceat, Romanam, à quâ quæ discessit, Ecclesiæ sibi nomen, sed falsò induit. Ecclesia siquidem non est, et multò minùs amplissima.

EUSTRATII,

Sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyteri,

Refutatio eorum, qui dicunt, humanas animas statim atque propriis corporibus solutæ sunt, non operari; neque Deo pro iis precibus effusis et sacrificiis oblatis utilitatem consequi. Namque consequuntur, et sublevantur, ut infra in hoc tractatu conspicies.

MONITUM.

Hunc Eustratii tractatum, quem è tenebris erutum Latinum fecit L. Allatius, commendavit in suâ Bibliothecâ, cod. 171, Photius, cujus verba ab eodem Allatio ex græco idiomate latinè translata, notisque quibusdam illustrata in editione romanâ, quam sequimur, sic referuntur : « Legi librum Eustratii magnæ Ecclesiæ presbyteri, dictione quidem minimè laudabili, « sed sententiis non admodùm culpandis. Modus ipse « dicendi perspicuus est. Propositum illi est tria hæc « confirmandi. Primum, sanctorum animas statim atque corpore solutæ sunt, operari; nec beatorum « tantummodò, sed et omnium hominum omninò, pro « suâ quasque conditione. Secundum, animas illas, « quæ multis sæpenumerò sese variisque modis conspiciendas offerunt, in suâ quamque subsistentiâ « apparere; et non divinam virtutem in formas sanctarum animarum traductam operationes illas exhibere. Quam etenim ob causam formæ seu figuræ « fingendæ sunt, cùm promptiùs à sanctis illis animis, « quæ Numini visa sunt, perfici possint? Et utrumque « hoc caput cùm veteris et novi Testamenti locis, tùm « verò diversorum Patrum testimoniis confirmare nititur. Tertium denique caput studiosè prosequitur, « oblata pro iis qui in fide obierunt, à sacerdotibus « sacrificia, vel alio etiam modo preces, supplicationesque et eleemosynas pro iisdem à fidelibus facta, « salutem ac delictorum remissionem (1) iis, pro quibus hæc conficiuntur, conciliare (1). In his et tertio die similia absolvi ait ab iis qui dominicæ et triduanæ resurrectionis mysterium in precationis subsidium atque auxilium assumunt. Nono « etiam die, quòd post octavum à resurrectione diem « visus est alterâ vice à discipulis Dominus. Præterea « quadragesimo, quòd post tot dies postremùm à discipulis visus in cœlum cum humanâ nostrâ naturâ « ascendit. In eodem illo libro reperi, Pauli in lege « magistrum Gamalielem et credidisse, et baptizatum « fuisse. Nicodemum item diurnum nocturnumque « amicum, martyrio coronatum, quem et Gamalielis « patruelem hæc testatur historia; et utrumque baptizatum à Joanne et Petro, unà cum Gamalielis filio, « cui nomen erat Abibo. Beatum porrò Nicodemum « Judæi, cùm eum baptizatum inaudissent, plagis multis percusserunt, quas cùm fortiter ille pertulisset, « è vitâ non multò post discessit. Et hanc historiam « liber continebat, eamdem Chrysippo adscribebat, « Hierosolymitano Presbytero, qui in martyrem Theodorum laudationem scribens, quasi aliud agens, « Luciani cujusdam meminit, ejusdem quoque Hierosolymitanæ Ecclesiæ presbyteri, cùm Joannes sedi « illi præesset (2). Hic Lucianus nocte quâdam, horâ

(1) Epiphanius, lib. contra Hæreses 3 : Εἰ καὶ τὰ ἄλλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτει, nempe lethalia οὐκ ἀποκόπτει, nec enim damnatis prosunt. Hinc planè insaniunt qui asserunt distinctionem peccatorum mortalium et venialium papisticam esse et nullam, quam tamen agnoscit ante alios Christus, Matthæi 5 : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui dixerit fratri suo : Raca, reus erit concilio; qui dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Uni tantùm infligitur gehennæ pœna; aliæ duæ noxæ leves et veniales censentur, et levioribus pœnis animadversæ. Jacobus, Epist. 1, cap. 8 : *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ; concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Concupiscentia urgens sine culpâ est; si non represseris delectationes, peccas, sed quamdiù abest consensus omninò deliberatus, non lethaliter. *Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem;* peccatum nempe veniale, si plenus consensus accesserit, tum mortale factum, generat mortem; et demùm Augustinus, qui instar omnium doctorum Ecclesiæ sit : *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ; infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiæ, malitia bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quæ sint venialia peccata. Et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pœna debeatur, et hic et in futuro seculo. Quibus benè tractatis, probabiliter judicari potest quinam sint cogendi ad pœnitentiam luctuosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur; et quibus nulla omninò speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per pœnitentiam.* Peccata ergo lethalia supplicio gehennæ, eoque luctuoso et sempiterno punienda, preces, supplicationes, aliaque fidelium beneficia, Epiphanio censore, οὐκ ἀποκόπτει, benè verò venialia, et de hisce etiam Græcorum continuatam sententiam videre poteris in nostrâ Dissertatione.

(L. Allatius.)

(1) Primus contrarium asseruit Aerius. Vide Epiphanium, lib. contra Hæreses 3. (L. Allatius.)

(2) Hic locus vel ab exscriptore pessimè habitus est, vel certè Photius memoriæ lapsu, quæ in scriptore hoc apertissima sunt, confudit. Namque Eustratius noster, neque hæc de Nicodemo Pauli magistro, et aliis Chrysippo presbytero Hierosolymitano adscribit; neque Chrysippus in laudatione Theodori martyris Luciani Hierosolymitani meminit, cùm Chrysippus in eâ laudatione tantùm miracula Theodori commemoret, et postmodùm tanquàm ex alio auctore Luciano, qui de inventione reliquiarum sancti Stephani Commentarium scripsit auctor referat. Et alia est laudatio Chrysippi in Theodorum, alius de inventione reliquiarum sancti Stephani Luciani tractatus, in quo Lucianus historiam Nicodemi et aliorum prolixè narrat. Verba Eustratii sunt : *Narrat porrò Chrysippus presbyter Hierosolymitanus in laudatione martyris hæc*, et cùm narrationi duorum miraculorum finem fecisset, subnectit : *Porrò ut dictis verbis majorem fidem comparemus, licèt quibusdam tædio esse videbimur, unà et eâ solâ visione allatâ, reliquas alias, quibus id placuerit relinquamus. Narrantur ergo in revelatione Luciano presbytero, ob reliquias sancti protomartyris Stephani facta ab eo, qui viderat, post proœmium hæc.* Et infra : *Post hanc visionem, multas alias prosecutus, idem Lucianus, et loca intuitus, in quibus sanctorum re-*

« ferè tertiâ, reverà, non in somnis, dicitur ea quæ « prænarravimus didicisse. Hæc enim adstantem illi

hquiœ urnis repositæ repertæ sunt. Non dici potuit clarius. Malè ergo quæ Luciani sunt, ad Chrysippum referuntur. Et fortè etiam à sciolo quopiam, ne, cùm hæc scriberet, Photium dormitâsse cogamur dicere, addita sunt. Utcumque sit, Eustratii editione, nodus, qui eruditis offendiculo esse posset, extricatur. Ex his Photii malè consutis excerptis sua eruens Possevinus, suis additionibus pejora fecit in Eustratio. Audiatur : *Eustratius, magnæ Ecclesiæ presbyter, ut in Græcâ Bibliothecâ Photius habet, librum scripsit de beatorum glorià, cùm primùm solutæ animæ sunt è corporibus; de aliorum item humanis spiritibus pro dignitate singulorum; deque eorum ipsorum Apparitionibus. De utilitate denique sacrificii sanctissimæ Eucharistiæ, precum, eleemosynarum pro defunctis, et alia hùc spectantia. Vide ibidem in Photio. Præterea de baptismo Gamalielis et Nicodemi, quæ libro, inquit, fuit adtexta Luciani presbyteri Hierosolymitani, qui scribens encomium in Theodorum martyrem, meminit Luciani presbyteri Hierosolymitani, cui revelata sunt corpora Gamalielis, Abibi pueri, et Stephani protomartyris, ad cujus thecam miracula sanitatum edebantur.* Et in Chrysippo : *Sed et Photius meminit sive ejusdem Chrysippi, sive cognominis, qui de martyrio scripsit Nicodemi, Gamalielis, Abibonis.* Falsum est Eustratium scripsisse de beatorum glorià, et de aliorum spiritibus pro dignitate singulorum, neque id Photius habet. Nec idem de baptismo Gamalielis et Nicodemi scripsit, sed tantùm narrat quæ Lucianus in suâ revelatione refert. Falsum item est Eustratium encomium in Theodorum martyrem scripsisse, neque id elici potest ex Photio; multò minùs eumdem scribentem encomium in Theodorum martyrem, meminisse Luciani Hierosolymitani. Errâsse Possevinum cum Photio cùm non legerit Eustratii tractatum, nil mirum; ipse quoque si non legissem, insisterem vestigiis Photii, et verba illius uti verissima aliis etiam propinarem. At Photio appingere, quæ nec ille somniavit quidem, hoc verò oscitantiæ summæ est, ne dicam ignorantiæ. Utcumque tamen se habent verba Photii, plana equidem ea sunt et aperta, nec possunt nisi dormienti imponere. Vide quantùm incommodi nascatur, si animum ad scriptorum lectionem non adjungis, sed dùm legis, ad aliorum negotia studium tuum transmittis. Quisnam porrò Chrysippus iste fuerat, hìc ex vitâ sancti magni Euthymii, quam accuratè nimis ac diligenter Cyrillus Scythopolitanus sub Justiniano imperatore concinnavit, in tui gratiam, lector, colligamus. Fuit hic genere Cappadox in bonis disciplinis cum duobus fratribus Cosmâ majore et minore Gabrielio in Syriâ educatus; postmodùm cum iisdem fratribus prudentiâ et virtutibus animi conspicui ad magnum sese Euthymium recipiunt, ut vitæ genus idem unà cum Euthymio transigerent. Quietis in Euthymio amor, ætas jam adolescens in fratribus, et quod ab ipso sui ortu Gabrielius eunuchus venustâ esset facie, ne in consortium admitterentur, in causâ fuêre, sed nocte admonitus Euthymius, eos à Deo missos esse, et ne in posterum quemquam qui salutem sibi procuraret, expelleret, recepit eâ conditione ut major Cosmas juniorem Gabrielium cellâ exire non permitteret : neque enim decorum videri, muliebri et decorâ facie juvenem in Laurâ cum aliis versari et vivere; et moras Cosmæ non diuturnas eo in loco vaticinatus est, tanquàm qui non diù post in Scythopolitanam Ecclesiam esset promovendus. Quod et effectu comprobatum est. Interim cùm Anastasius vasorum custos, et Chorepiscopus, magni Passarionis alumnus, et in certaminibus socius, visendi S. Euthymium ingenti desiderio teneretur, rem Phido Joppes episcopo, et Cosmæ tum Crucis custodi communicat; incessu tacito progredientes, dùm adhuc essent in Lauræ vicinià, Euthymio iter eorum innotescit; et accersito Chrysippo tum loci œconomo : Age, accinge te ad opus, ait; nam cum fratre tuo patriarcha hìc pergit; illisque progressis, Euthymius mente sublevatus, cum Anastasio, æquè ac si esset patriarcha Hierosolymitanus, colloquium miscet. Reliquis admirantibus, Chrysippus propè factus Euthymio submurmurat, nullum ibi adesse patriarcham, sed tantummodò Anastasium vasorum custodem, quod ex vestibus ipsis, quas patriarcham gestare nefas erat, conjicere potuisset. Hinc non sine admiratione senex respondit : Crede mihi, fili, antequàm sermonem mecum conferres, conspiciebam ipsum candidis vestimentis amictum. Et ad alios reversus : Non sum deceptus, inquit. Verùmtamen quod Deus prævidit prædeterminavitque, illi modis omnibus finem imponet. Non multò post iidem Cosmas et Anastasius ab Eudociâ nobilissimâ muliere ad Euthymium mittuntur, ut sibi aditum apud ipsum impetrent, et assequuntur, quæ deinceps in sanctam urbem ingressa, ejuratâ Monothelitarum hæresi, et Theodosio archiepiscopo hæresis fautore rejecto, iisdem procurantibus à Juvenali patriarchâ catholico in communionem Catholicorum admittitur, et advocatos ex Euthymii Laurâ Cosmæ fratres, accuravit in sacerdotium promoveri; sicque Gabrielium sancti protomartyris Stephani, Chrysippum sanctæ Resurrectionis ædi sacræ præfecit, in quâ pleraque laude dignissima composuit : *Chrysippus verò rectè factis in sanctâ Resurrectione perquàm celebris, multa ingenii sui monumenta, digna quæ omnium manibus terantur, posteris reliquit.* Tandem, defuncto Olympio, episcopo Scythopolitano, Cosmas in locum illius sufficitur, et Chrysippo munus servandæ Crucis, cui antea Cosmas incumbebat, delegatur. Cosmas in secundâ Palæstinorum provinciâ per annos triginta ecclesiam constabilivit, et sumptibus erogatis adornavit; virtutibus item et factorum glorià conspicuus : *Frater verò hujus Chrysippus per decem annos inculpatè custodiendæ Cruci deserviit, admirabilis monimentorum scriptor.* Gabrielius presbyter, ut dictum est, ædi sanctæ Resurrectionis et sancti Stephani præfectus per viginti quatuor annos, exædificato sibi monasterio parvo in valle orientali templi sanctæ Assumptionis, in eo à septimo Theophaniorum die ad Palmarum festum ex traditione S. Euthymii quietus, et ab externis molestiis liber vitam agebat, et in eo diebus quadragesimalibus vitæ finem imponens, sepulturæ locum habuit, octoginta annos natus, et signifer factus. Cùm autem neque adversaretur, neque repugnaret natura, et dicendi cupiditate flagraret, et Romanorum, et Græcorum, nec non et Syrorum linguâ sermonem conferre et scribere didicit. Vivebant sub Marciano et Leone successore. Chrysippus dicendi formam secutus est, ut ex his paucis quæ Eustratius exscripsit conjicere est, non admodùm à sophistarum arte, et eâ quam laudationum scriptores sequuntur, diversam, concisam, floridam, vividam, tropis ac metaphoris interstinctam, et rem digito monstrantem, adeò ut et moveat, et suadeat, et delectet. Sed hæc de Chrysippo, et fratribus Cosma et Gabrielio satis.

Porrò Lucianus hic (de quo sequitur in Photio, supra, in textu), presbyter etiam Hierosolymitanus, scripsit suam de reliquiis S. Stephani protomartyris, Gamalielis, et aliorum revelationem, et earumdem inventionem, eam Latinè transtulit Avitus presbyter Hispanus in gratiam Orosii, alius ab Alcimo Avito episcopo, qui floruit circa annum quingentesimum. Claruit anno 410. De ejus integritate nullus hactenùs inter Catholicos dubitavit. Namque adstipulantur Gennadius, de Viris illustribus, cap. 46; Marcellinus in Chronico; Nicephorus, Historiæ ecclesiasticæ lib. 14, cap. 9; Beda, in Retract. in Act. Apost., et de sex Ætatibus mundi; Nicetas, orat. de Invent. reliquiarum S. Stephani, et alii recentiores. Edita est Latinè apud Surium, tom. 4, die 3 augusti. Observat Casaubonus, exercit. 13, num. 32, multa in eo peccari, quæ tamen in unum reducuntur, quod *Capharmagala* malè interpretatur. At mihi Catholicorum studia potiora sunt. (L. Allatius.)

« Gamatielem revelâsse ; seque ipsum esse Gamalielem, et à dictis Apostolis unà cum Abibo filio baptizatum, et in eâdem capsâ cum eodem filio collocatum. Esseque et Stephanum protomartyrem in thecâ Orientem versùs conditum, atque ad ejus pedes in alterâ thecâ Nicodemum ; et quæ item per quos, et sub quibus passus esset, indicavit ; et thecam proximam suum filiique corpus continere. His dictis Gamalielem præcepisse Luciano, ne posthàc reliquias illas in sole et pluviâ corrumpi per negligentiam sineret. Terræ motum insuper cum hoc visu exortum, multaque plurimorum genera morborum curata esse, protomartyris maximè thécâ medelam afferente. »

Post hæc subsequitur Eustratii tractatus in hunc modum :

1. Sapiens Salomo, prophetæ et regis Davidis filius, et qui ex pace cognomen sibi adscivit, ad optimam operationem in ignaviâ obdormiscentium socordiam excitans, amovensque segnitiem dicebat, Prov. 6, 6, 9 : *Usquequò, piger, jaces? Quando autem è somno excitaberis?* Et rursùs, ibid. 6, 6 : *Vade ad formicam, ô piger, et æmulare vias illius, et esto illâ sapientior ;* quod si id tibi non arridet, lege, ibid., 6, 8 : *Vade ad apem, et discito quomodò operatrix est, operationem quoque quam castam negotietur, cujus redditus tum reges tum privati et imperiti ad sanitatem sibi conservandam usurpant.* Quid itaque nobis innuere sibi proponens Parœmiasta, duorum horum animantium exemplo utitur? Ut mihi videtur, non tantùm ob segnes, et in corporali pigritiâ vitam agentes, similia præcepit, sed duplicem, quæ inter homines sunt suprema, vitarum rationem et institutum insinuare sibi proponens, similes sermones expressit, quarum altera magis est terrestris, et eorum, qui humi repunt, quæque alienorum laborum, et è terrâ prognatos fructus subripit, rursùmque sub terram abscondit. Tale enim est formicarum studium, quæ subjecta oculis à possidentibus corradentes, et rapientes in absconditos ac latentes thesauros sepeliunt ; quibus non immeritò quis assimilaverit violentissimorum inanem atque contentiosam contorsionem. Sed apum extra omnem violentiam, et quæ non aliena à philosopho est, operatio, eorum vitæ rationem, qui sublimiori quodam modo vitam peragunt, innuit : neque enim furum aut prædonum more, qui virtutem exercent, aliorum labores ambiunt, sed vice versâ ex propriis potiùs proximo elargiuntur, quemadmodùm et apis volatu aerem secans, et ex floribus pulcherrima quæque decerpens, fructus haud diminuit, sed ab omni noxâ immunes conservat ; quin etiam non ob usum proprium opere simili defungitur, sed et regibus, et privatis, et omnibus insimul dulcia ac suavissima, eaque abundè et affluenter, quæ sibi produxerat, ad aliorum salutem exponit.

2. Consideremus præterea an ad aliam quoque speculationem ad propositum scilicet nobis scopum, contemptorum horum ac pusillorum animantium ænigma quidquam conferat ? et conferre absque ullâ hæsitatione duco. Nam rebus etiam in aliis sæpissimè divinam Scripturam per exempla, parabolas atque ænigmata nobis sermonem instituere : et præcipuè, Dominum nostrum et Deum in Evangeliis non multitudinem tantùm, sed et sanctos Apostolos per parabolas alloqui et instruere comperimus. Quid itaque est quod quæritur, et quamnam ob causam similes dictiones procœmio nostro præfixæ sunt ? Nonnulli ex iis, qui circa sermones tempus insumunt, et de humanis animis pro philosophorum more disputant, et de iis addubitant, contendunt, post migrationem ex hâc vitâ, et animarum è corporibus secessum, nihil agere, sed ab omni operatione vacare. Et easdem ipsas animas, sive eæ sanctæ sint, sive alio modo se habeant, licèt eorum, qui sanctitate illustres fuêre, aliquibus appareant, secundùm suam propriam subsistentiam, sive existentiam ut ipsi asseverant non apparere, sed divinam quamdam vim ac facultatem eorum figuram assumentem, sanctorum operantes animas ostendere ; illas enim ita aliquo in loco detineri, ut nunquàm possint post migrationem è corpore se ipsas alicui manifestare.

3. Quid itaque nos similia decernentibus opponemus ? Imitemur et nos, ô amici, formicam, eâque multò sapientiores evadamus ; neque somni gravedine oppressi, eosque qui in segnitie atque ignaviâ vitam tradueunt, æmulati, continuò perpetuòque obdormiscamus. Eodem verò modo de animo quoque philosophamur. Pusillum itaque illud animal, dùm nulla agricolatio suppetit, nec ullum habet, qui cogat, æstate alimenta sibi præparat, et tempore mensis multa in penu deponit ; annon multò, magis addecet nos, nihil cunctantes, imò qui nos cogunt habentes, et in promptu sunt et ad manus, multa ex divinis Scripturis et Patrum doctrinis reposita, circa propositæ quæstionis disquisitionem pro virium nostrarum modulo segnes non esse ? Apis etiam, licèt viribus imbecillior sit, pratis apertis ludit, et flores suavissimos legens, et pedibus loco manuum, utens, sapientes favos contexens, ad eos, qui eos prudenter demetere sciunt, transmittit, qui artificiosè eorum ademptionem nec non liquamen molientes, abundè, quibus eâ opus est, agricolationem communicant. Sed illi quidem temporalis vitæ causâ, dulcis nundinationis mercedem accipientes, parvum ad tempus eâ voluptate exsaturantur : nos verò et sententiarum et quæstionum per multos agitatarum ferculis explere cupientes, non ventrem corporeum, qui semper arripit, et semper exinanitur, sed animum alere, similis cibi appetentem, qui nunquàm sese excipientia repositoria in arctum cogit, aut complet, sed quantò magis concupiscitur, eò magis exhibetur, ut ait Ecclesiastes, c. 1, v. 1 : *Non saturabitur oculus visu, nec auris auditu implebitur ;* necesse est ut vires suppetunt, et nos possumus, de propositis sermonem instituere.

4. Dicemus verò in præsenti, non quantùm argumentum ipsum requirit, sed quantùm ipsi possumus, et vires concedunt. *Neque enim, quòd spatium inter cœlum et terram universum oculis prætergredi non valemus,* ut quodam in loco dicit Basilius Magnus, *idcò*

et quod possumus negligimus. Transferamus igitur, ut dictum est, et ad speculationem propositi conatus, hoc ipsum animantium exemplum. Fortè simulacrum aliquod animæ et corporis, postquàm separata sunt, neque rebus in omnibus discordans, neque concordans præ se ferre comperietur. Exempla siquidem secundùm unam partem assumenda sunt, secundùm alteram rejicienda. Quòd si quis omnia omnibus comparaverit, jam tum non ampliùs exemplum, sed res eadem unumque fuerit. Non abs re itaque hoc idem exemplum in propositam sententiam, formicam quidem corpori, apem animæ assimilans, traxeris, et quemadmodùm illa parvum ad tempus super terram versatur, plurimùm verò subtùs terram degit; et habitatio illius sepulcris ipsis haud dissimilis est, hoc eodem modo et nostrum corpus, donec super terram moras agit, in labore, ærumnâ atque divulsione eâque immodicâ occupatur, cùm postmodùm adveniente morte, extra ea factum demortuum, et sepulturæ traditum fuerit, sub terrâ persistit, donec tuba intonuerit, quemadmodùm et formica, donec terra calorem adepta fuerit, et cœlum fragore tonaverit, subterranea immotaque permanet. At apum genus in aere quodammodo semper est, et licèt videatur aliquantulùm abscondi, non universe aut omnibus, sed quibusdam particulatim disperditur; et tum quoque non infra terram aut in obscurissima loca transmigrat, sed in lucidissimis sedibus cum addecenti ornatu et diligentiâ placidissimâ quiete fruitur; et hyberno tempore nonnunquàm solaris caloris particeps effecta, è suo sese domicilio exerit, et non absque suavissimo susurro pervolat, quòcumque volatum direxerit, rursùmque in propriam sedem remeat. Non alio modo animæ, quæ mites ac mansuetæ fuêre, et in præsenti hâc vitâ dulcedinem demessuêre, licèt post obitum in quædam, quæ mente concipimus, loca transmigrant, nihilominùs nutu Numinis in hanc vitam, quæ est eorum qui cum tempestatibus colluctantur, adveniunt et operantur, et commodis multorum, in somniis et inter vigilandum quemadmodum et angeli, transmissæ inserviunt, quod tempore opportuno demonstrabitur.

5. Verùmtamen nos in præsentiâ, eos qui non rectè sentiunt, docentque animas post separationem à corporis non operari, relinquentes, ut ipsi inter sese obdormiscant, et similes ipsorum nugas repellentes, divini Spiritûs auxilio, fundamentum, et sermonis nostri veluti fulcrum ex sacris Scripturis petita testimonia jacientes, ad quæstionis disquisitionem, veniemus, à scriptione Moysis initio sumpto, licèt ille in ænigmate et in figurâ de hisce locutus sit. Dicit itaque in Genesi Cainum Deus alloquens : *Ubi est Abel frater tuus ?* et illo asserente, se nescire, *dicit Dominus ad eum : Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* De quo et secundus Moyses Paulus divinus apostolus pronuntiat, Hebr. 11, 4 : *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse justus, et per illam defunctus adhuc loquitur.* Quânam ratione viventem fratrem demortui nuncupat, nisi ille qui demortuus erat, et vivens, et subsistens clamarèt et alloqueretur, et, quemadmodùm dixit Apostolus, *adhuc loquitur ?* Quid his respondebimus ! Si post separationem à suo corpore anima non operatur, quomodò clamabat ? Et tamen clamor non à demortuo, sed à vivente emittitur. Hinc Apostolus ex parte animæ universum ostendens dicebat : *Defunctus adhuc loquitur*, illud, *defunctus*, corpori; *loquitur*, animæ attribuens. Loqui itaque post mortem cujusnam videtur esse indicium, operantis an non operantis ? vivi an defuncti ? Mihi enim, et cuicumque qui vel parumper sapit, in æquo esse videtur, vivere et operari : quemadmodùm et oppositum, eum qui neque secundùm intellectum, neque secundùm rationem operatur, non subsistere, neque vivere, neque operari, ut verbis vestris utar.

6. Sed fortè nonnulli de sanguine contradixerint, quibus respondemus, palam legem Moysis plerisque in locis animantium omnium, quæ ratione carent, animam sanguinem esse decrevisse; nec absonè propter nominis similitudinem, animam quoque intellectualem, et rationis compotem sanguinem nuncupâsse. Nam ad imperfectos ille et adhuc infantes orationem dirigebat. Scimus præterea sanguinem ipsum per se neque clamare, neque loqui; corpus enim est, et terra. De quo magnus Basilius, Cæsareæ episcopus, et orbis magister, oratione nonâ in Hexameron hæc habet : « *Educat terra animam viventem.* » *Quare animam educit? Ut discas animæ jumenti et animæ hominis discrimen. Et paulò post videbis quomodò anima hominis conflata est. Nunc verò de animâ eorum quæ ratione carent, audi, quandoquidem, ut scriptum est, universi animantis anima sanguis illius est, et sanguis coagulatus aptus natus est in carnem converti, et caro corrupta in terram dissolvitur, dùm non immeritò anima jumentorum terrena quodammodò est.* Jumenti itaque animæ, et animæ humanæ differentia in eo consistit, ut Pater insinuat, quòd altera quidem corrumpitur, et in terram ex quâ et facta fuerat, dissolvitur ; humana verò etiam post dissolutionem corporis perdurat, et clamat, et operatur, et ut Apostolus dixit, *adhuc loquitur*, cùm sit simplex, et rationis compos, et intellectualis, et vacua corpore. Et hæc ita se habere demonstrat idem Basilius. Dicit enim hæc in Psalmum 114 : « *Inclinavit aurem suam* « *mihi.* » *Nam divinæ aures ad sentiendum voce non indigent. Sat namque nôrunt in motu ipso animi, quæ concupiscuntur, agnoscere. Annon vides Moysem nihil pronuntiantem, sed gemitibus inenarrabilibus Deum alloquentem, audire à Domino :* « *Quid clamas ad me ?* » *Novit Deus et sanguini justorum, cui lingua non est, neque vox aerem verberans, aures præbere. Operum verò justorum confidentia, ingens vox est apud Deum.* Cùm comparâsset Pater Moysem et Abelum, ostendit, quemadmodùm Moyses mortis nondùm expertus, sed vivens, et corpore animoque subsistens, non linguâ carneâ loquebatur et clamabat, et Deum supplicabat, sed id animo peragebat, ita Abelum, cui lingua nulla aderat, aerem diverberans, sed anima vi

vens et operans, supplicationes Domino obtulisse. Magis autem hoc ipsum explanatè doctissimus Joannes, episcopus Constantinopolitanus, Commentario in Matthæi Evangelium, oratione 18, edisserit : *Imò verò maximè dolentium est, illo utique modo orare, quo dixi. Nam et Moyses dolebat, et sic orabat, et audiebatur, et propterea dicebat Deus : « Quid clamas ad me? » Anna quoque, cùm vocem nullam prorsùs emitteret, omnia tamen quæ voluit impetravit, quia cor illius clamabat. Abelus verò non modò tacens, sed etiam defunctus orabat, et sanguis ejus emittebat vocem omni prorsùs buccinâ clariorem.* Si ergo Patres ipsi Apostolo consona de Abelo tradiderunt, eum scilicet etiam defunctum orâsse, precatio ipsa agentis, et non otio vacantis fuerit; et buccinâ clariorem vocem emittens sanguis, ostendit et fratricidam, qui illum effudit, et animæ colloquium insinuat. Dixit siquidem Pater : *Non modò tacens, sed etiam defunctus orabat,* non ampliùs instrumento corporeo, sed spirituali sermonem conferens, quemadmodùm et Apostolus dixerat Rom. 8, 26 : *Hoc ipsum quid oraturi sumus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hoc idem de Moyse dictum est, qui nullam vocem emittens, sed inenarrabilibus suis gemitibus postulans, à Domino audiebat : *Quid clamas ad me?* quod et Abelus demortuus intercedebat. Quinimò hoc idem agere nunquàm cessant, qui partis justorum sunt. De animâ igitur, quæ propriè anima est, et rationis compos, et intellectualis, dicitur non absque abusione, et sanguis animantium ratione carentium anima, quæ non semper perdurat, uti anima ratione utens, sed in ea, ex quibus conflata est regreditur. Sed enim anima rationis particeps et spiritalis, etiam postquàm è corpore secessit, ut jam demonstratum est, et permanet, et vivit, et loquitur, ut naturæ suæ congruit, et similiter operatur non imaginatione, sed reipsà; et veluti in rationali et spiritali, et re non materiatà, apud Deum confidentiam habens, eo jubente, in hanc vitam, ut aliis multis beneficiat, dimittitur.

7. Videamus porrò quid præterea de Abrahamo magnus Moyses narrat : *Et deficiens mortuus est Abraham in senectute bonâ, provectæque ætatis, et plenus dierum, et appositus est ad populum suum,* Genes. 25, 8. Populus nunquàm diceretur, nisi vivens et operans, quemadmodùm neque plebs, neque chorus, nisi subsistens et agens, et utilia scilicet peragens. Nec aliter de Rachele sermonem instituit : *Factum est autem ut cùm emitteret animam, imminebat enim mors,* ibid., 35, 8. Non moritur anima, sed ob illius secessum corpus demoritur. Quoniam igitur emissa anima abiit? Manifestum est eam progressam in regionem viventium. Sicuti et de Isaaco innuit dicens : *Consumptusque ætate mortuus est, et appositus est ad genus suum,* ibid., v. 29. Genus aliud ab hoc mundano et temporali, quod semper vivit et nunquàm deperit; quod semper movetur, et nunquàm ab opere vacat. Pari modo sermonem instituere Jacobus quoque videtur : *Ego congregor ad populum meum; sepelite me cum patribus meis. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et defecit, appositusque est ad populum suum,* ibid., 49, v. 29 et 32. Qui ad patres et populum apponitur, partim quidem in regione viventium, partim in terræ aggere apponitur; ex parte enim totum indicatur. Namque *sepelite me*, de corpore accipiendum est, de quo dictum est : *Terra es, et in terram reverteris*, Genes. 3, 19; at *populo et patribus apponi*, eorum qui in lumine vivunt, esse credimus. Qui verò in lumine est, nunquàm non operi vacat; scriptum enim est : *Lumen justis in perpetuum.* Quod etiam dicitur in Exodo à Deo Moysi super rubo, c. 3, v. 6 : *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*, nil aliud præter jam dicta innuit. *Deus enim mortuorum non est, sed viventium,* Luc. 20, 38. Dominus in Evangeliis dicit : *Omnes enim vivunt ei.* Si omnes ipsi vivunt, jam patet et eosdem operari. Quòd si non operantur, ut vos contenditis, neque vivunt. Et non operari, corporum est proprium mortuorum et immobilium. Et in Numeris, c. 16, v. 22, de Dathane et Abirone : *Moyses et Aaron procidentes proni in faciem suam orabant dicentes : Deus spirituum et universæ carnis.* Deus spirituum, animarum scilicet; spiritus verò mortuos esse, et operi non vacare, minimè fieri potest. *Omnes enim ipsi vivunt*, ut Dominus dixit, Luc. 20, 35. Dixit rursùs Deus ad Moysem et Aaron in monte Hor, dicens, Num. 20, 25 : *Apponatur Aaron ad populum suum quoniam non ingredietur in terram quam dedi filiis Israel. Tolle Aaron et Eleazar filium ejus, et duces eos in montem Hor; et nuda Aaron stolâ suâ, et indues Eleazarum filium ejus, et Aaron appositus, moriatur ibi; et fecit Moyses, ut præceperat illi Dominus; et mortuus est Aaron ibi in montis vertice.* Dictis illis divinis, scilicet : *Apponatur Aaron ad populum suum;* et : *Appositus moriatur*, non immunitio aliqua, sed augmentum potius alterius populi viventis atque operantis notatur. In Deuteronomio quoque, c. 32, v. 48, similia digeruntur : *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens : Ascende in montem istum Abarim, et morere in monte quem conscendis ibi, et jungeris populo tuo, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus fuit populo suo.* Cùm toties divina oracula repetant de exitu sanctorum hominum ex hâc vitâ, et additione ad alium populum, indicant manifestò dogma eorum qui tradunt animas ad interitum venire, quique contendunt eas nulli operi incumbere, nullius roboris esse, nec difficilem solutionem admittere; namque qui similia opinantur, à sese mutuò non discordant. Etenim si vivunt et operantur, aut si non operantur, neque vivunt, neque subsistunt, siquidem cùm sint spiritus animæ, uti spiritum addecet, et moventur, et opus sibimetipsis conveniens perficiunt, et nunquàm somno opprimuntur, ut sæpiùs diximus. Job quoque pietatis athleta hæc ait, c. 3, v. 19 : *Pusillus et magnus ibi est, et servus non timens Dominum suum;* et c. 12, v. 9 : *Quis non cognovit in his omnibus manum Domini hæc fecisse; si in manu illius anima omnium viventium, et spiritus cu-*

juscumque hominis? nam si demortuus homo vivet, absolutis diebus vitæ suæ. Qui veritati sese opponunt, hisce ne apertiora conquisiverint? Nam cùm hîc multis certaminibus illustris dicat : *Pusillus et magnus ibi est, et servus non formidans Dominum suum*, clarè constabilivit animas subsistere et operari. Namque illud, *est*, et, *non formidans*, amborum sententiam convellit. Formidare siquidem, et non formidare viventis indicium est. Et cùm pius et verus homo asserat manum Domini hæc fecisse, et in manu illius cunctorum viventium animam, et spiritum cujuscumque hominis esse; namque, si moriatur homo, vivet, non concedit nobis, ut intelligamus, aut non subsistere, aut non operari post separationem hominum animas. Dixit quippe, *si moriatur homo, vivet*, scilicet anima. Spiritus siquidem sive anima cunctorum viventium in manu sui factoris sunt. Dei verò manus effectrices, sive mavis, creatrices ac operatrices facultates non incommodè intelligentur, quæ omnia procreârunt et conservant. Nam inquit, Job 10, 8 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*, quæ sunt, unigenitus Dei Filius Verbum et Deus, et Spiritus sanctus. Rursùs quoque David concinens dicebat, Psalm. 114, 9 : *Placebo Domino in lumine viventium*; et rursùm, *Placebo Domino in regione viventium*. Si David orabat, in lumine et regione viventium moras agere, qui in lumine vivunt, otiosi aut immobiles manere non possunt. Nam si ignis sensui et materiei obnoxius, qui nostri è servitio est, perpetuò sese movens, motui finem nullum ponit, quousque in materiâ conspicitur, quâ ratione intellectualis et rationis compos anima, immota et nihil agendo perdurare poterit, cùm incorporea sit, et igne, quem oculi consequuntur, multò mobilior, et instar divini luminis nunquàm dissolvatur? Simplex enim est, nec in aliquam figuram formata. Et hoc à nobis in alio Commentario de hâc ipsâ et sanctis angelis, eos scilicet incorporeos esse et simplices, fusiùs demonstratum est. Et in Regum libro tertio, c. 11, v. 11, hæc Salomoni Deus infit : *Dirumpens scindam regnum tuum de manu tuâ, et dabo illud servo tuo. Verùmtamen in diebus tuis non faciam hæc, propter David servum meum.* Si post mortem servum appellavit David, palam est, servum nunquàm otiosum esse, sed semper ministerium suum, actionem scilicet sibi addecentem perficere, quemadmodùm in lumine et regione viventium fit laudantem semper Dominum. Et hoc variis in locis per prophetas Deus insinuat, Isaiæ 37, 35 : *Protegam civitatem istam propter me, et David servum meum.* Vides, intercessionibus sanctorum suorum, Deum justas minas nobis imminentes avertere? An igitur sancti intercedentes operantur, vel non operantur, judicio vestro perpendite. Intercessio non est mortuorum dormientium, sed viventium et subsistentium, et operantium.

8. Elias quoque propheta, qui etiam cùm viveret essetque in corpore, super hanc humanam vitam sublatus est, quânam ratione viduæ filium exsuscitavit? Dixit enim, 3 Reg. 17, 20 : *Heu! mihi, Domine, ostis viduæ, cum quâ ego habito cum ipsâ. Tu afflixisti, ut interficeres filium ejus. Et insufflavit in puerum tribus vicibus, et invocavit Deum, et dixit : Domine Deus meus, revertatur anima pueri hujus in ipsum; et factum est ita, et exclamavit puer;* non dixit, exsurgat aut expergefiat, quoniam dormit anima pueri; sed *revertatur*. Hinc liquet eam ad populum viventem, qui in lumine et regionem viventium immorabatur, delatam fuisse, ex quâ rursum reversa est. Si itaque, ut vos opinamini, fieri nequit, ut anima hinc migrans, rursùm in hanc vitam ante universalem resurrectionem revertatur, quânam ratione corporum, quæ surrexerunt animæ, in propria corpora reversæ sunt, aliquidne operatæ aut non operatæ? Hoc non semel, sed sæpiùs in novo ac vetere Fœdere actum est. Et Elisæus propheta non modò cùm vitâ frueretur, mortuum exsuscitavit Somanitidis filium, sed etiam illius demortui corpus, spoliatum animâ, vi divinâ operans, mortuum in vitam revocavit; de quo in quarto Regum, c. 13, v. 20, hæc scripta sunt : *Et mortuus est Elisæus, et sepelierunt eum. Latrunculi verò de Moab venerunt in terram in ipso anno, et factum est, cùm ipsi sepelirent virum, et esse viderunt latrunculum, et projecerunt virum in sepulcrum Elisæi, et aufugerunt, et abiit homo, et tetigit ossa Elisæi, et revixit, et stetit super pedes suos.* Dicetis prorsùs, qui in alia omnia itis, divinam esse vim quæ operatur? nec ipse abnuo. Quis enim adeò est sui immemor, qui aliter sentiat? namque ait : *Glorificantes me glorificabo.* Quomodò ergo glorificat, si animæ non operantur, aut corpora sanctorum, qui eum glorificârunt? Planum itaque apertumque est, quotquot ad sanctorum reliquias confugiunt, eos omnes ex ipsis, ita annuente Deo, sanationes accipere; quotquot autem rursùs ob imbecillitatem corporis ad eorum sana progredi non valent, glorificatum ab illis Deum eosdemque glorificantem, cùm illi complacitum fuerit, illis sanctorum animas, cùm eorum ope indigent, manifestare. Et hæc ita se habere sacer præco Jeremias propheta palam facit, sanctos non tantùm pro piis hominibus intercedere, sed etiam pro iis qui impietati operam dederunt. Hæc enim ait de iis qui in captivitate erant, et in legem Dei prævaricabantur : *Et dixit Dominus ad me dicens : Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad ipsos. Extra mitte populum hunc, et exeant*, Jerem. 15, 1. Illud, *si steterit Moyses et Samuel coram me*, id tantùm indicat, eosdem pro iis qui in lege prævaricabantur, apud Deum intercessuros.

9. Si itaque pro iis qui injustitiis atque impietatibus dediti sunt, sancti non cessant intercedere, quantò magis pro iis qui illis sese addicunt, et ex toto corde eos invocant, tanquàm operantes, misericordi Deo nostro et Domino preces offerunt? Intercedere siquidem actionis est, non otii aut segnitiei species. Sed et tres pueri post creaturarum ferè omnium in factorem nostrum, et creatorem laudum enumerationem subdiderunt, Daniel. 3, 86 : *Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino.* Benedicere et laudes promere justorum animas, non dormientium, aut socordium, sed operantium et aliquid agentium est. Et hæc non

alio modo se habere, apertiùs ex Machabæorum libris dignoscemus. Narrantur itaque in secundo libro hæc: *Machabæus autem continuò confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum, adhortabaturque suos, ne formidarent gentium irruptionem,* 2 Machab. 15, 8, et rursùs, c. 11 : *Singulos autem eorum armans non clypeorum et hastarum securitate, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio mirum in modum omnes lætificavit. Erat autem hujuscemodi visus. Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui à puero in omnibus virtutibus exercitatus erat; hunc manus protendentem orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum, canitie et glorià mirabilem, et magni decoris habitudine atque excellentiâ singularem. Respondentem verò Oniam dixisse : Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multùm orat pro populo, et universâ sanctâ civitate, Jeremias propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judæ gladium aureum dicentem : Accipe gladium hunc, munus à Deo, in quo dejicies adversarios.* Si quid obscurum à nobis de propositâ animarum quæstione, ô viri admirandi, allatum fuisset, par esset adhuc vos, earum actiones sive visus in controversiam vertere; quando verò de Oniâ magno sacerdote, et Jeremiâ fratrum amatore, et qui pro populo urbeque multa supplicavit, hujus historiæ auctor, apertissimos et ad demonstrandum idoneos sermones usurpavit, quid in præsentia vobis videtur? Namque cùm dicit ab eo dignum fide somnium expositum fuisse, existimo hunc eumdem omninò fide dignum esse. Verè itaque visionem qui viderat, et sacerdotem ut sacerdotem, et prophetam ut prophetam conspexit. Quòd si de armaturâ controversia est, jam id quoque variis modis ab incorporeis angelis factum fuisse conspeximus. Sed quemadmodùm angeli propriâ subsistentiâ præsentes in terrâ visiones efformant, ita et sanctorum animæ propriâ subsistentiâ, quòcumque eas miserit Deus, visiones, ut illis Dei donum concedit, ad salutem et utilitatem eorum qui ejus opem implorant, perpetuò efficiunt. Porrò neque sancti angeli, neque sanctorum animæ absque jussu divino visiones, actiones nempe suas, unquàm perficiunt. Nam cùm servi sint, imposita sibi munia cum timore exequuntur. In secundo etiam libro eorumdem Machabæorum historiæ, hæc traduntur, c. 3, v. 23 : *Heliodorus autem quod decreverat perficiebat, et eodem loco cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam. Apparuit enim illis quidem equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus; isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit; qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi glorià, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, et ex utràque parte flagellabant sine intermissione.* Hanc visionem licèt nonnulli obscuram reputent : addubitant siquidem, angeli ne an sanctorum animæ visionem illam expresserint, nos in quarto ejusdem historiæ libro apertè expositam hunc in modum legimus : *Revertenti autem cum armato exercitu Apollonio ad pecuniarum prædam, de cœlo equites apparuerunt angeli, armis resplendentes, et magnum illi metum ac tremorem injicientes*, etc. Et in ejusdem historiæ libro tertio, hæc : *Deus magnæ gloriæ, et omnipotens, et verus, ostendens sanctam suam faciem aperuit cœlestes portas, ex quibus gloriosi duo terribiles angeli descenderunt, omnibus præter Judæis conspicui.* Quando ergo visionem angelorum, qui digni sunt, intuentur, sat nôrunt eos angelos et esse, et nominari. Pari modo cùm sanctorum animas perspexerint, humanas animas viros à parte nuncupant, ut liquet in secundo libro, dùm de Oniâ summo sacerdote, et Jeremiâ prophetâ sermo est. Rursùs eodem in libro hæc refert auctor : *Cùm ingens conflictus factus esset, apparuerunt adversariis de cœlo super equos auro frænatos viri quinque pulchro aspectu, et Judæos ducentes; et cùm medium clausissent Machabæum, et suis armis contegerent, ab omni noxâ immunem conservabant; in hostes verò jacula et fulgura conjiciebant. Ideòque confusi cæcitate interrumpebantur, turbâ pleni.* Accuratè dictis attendentes, ô sapientissimi, agnoscite qui sint visum fugientes viri, quos et duces appellavit historiæ scriptor. Et palam est eum intellexisse patrem secundi Judæ Machabæi, et patruos illius intellexisse. Namque filii Matthiæ quinque fuerunt, Joannes, Simon, Judas, Eleazarus, Jonathan, quatuor veluti pro fratris filio, Simon veluti pro filio ; ipsius enim erat filius secundus Judas, qui et Machabæus. Omnes itaque tanquàm affines armati comparentes præliabantur. Prov. 18, 19 : *Frater* siquidem *fratris auxilio præmunitus, est veluti urbs fortis, et mœnibus circumdata.* Fide dignum itaque et demonstratione constabilitum, animas postquàm è corporibus excesserint, occasionem nactas, nonnullis apparere in hâc vitâ ; et ab hoc testimonio præsens tractatio argumentum assumens, silentium imponit illis qui contendunt eas continuo somno opprimi; quinimò excitat præparatque, ut somno excusso, perennem Deo gloriam arripientes, cum incorporeis potestatibus Deo offeramus, sive in corpore, sive extra corpus versemur. Et jam quæ in veteri Fœdere veluti in figurâ et umbrâ prævaticinata sunt, et ad nostrum hoc argumentum conducunt, ex multis pauca hæc adduximus.

10. Nunc posthàc ad novi Fœderis documenta recurramus. Dicit Matthæus sanctus Evangelista, c. 17, v. 1 : *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsim. Et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol. Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut lumen. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hìc esse. Si vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Testimonium hoc vel solùm ambigentibus satis esse poterat, ut præ eo alia sibi conquirere frustra conentur. Nam ubi veritas præstò est, mendacium prorsùs abigitur. Sed cùm et alia inquirunt, ea postmodùm adnectemus. Quid itaque

inquitis ad hanc verè oblatam visionem? Verène apparuerunt in monte Moyses et Elias, annon? Si verè, ut planè verè, ambiguitates jam dissolutæ cadunt. Ecce enim post obitum visus est Moyses. Quòd si imaginatione, aut opinione tantùm factam asseritis, sequetur prorsùs et reliqua quæ ibi narrantur, imaginatione et opinione facta fuisse : trium discipulorum in montem ascensum, Petri cum Jesu discursum, prophetarum cum Domino colloquium, et ab alto à Patre vocem demissam ; et quò tandem blasphemia procedet, facilè dignosci poterit. Ne igitur in similem blasphemiam prolabamur, utique credendum nobis est, post separationem è corporibus collectivè quidem, atque aptè et congruenter omnes animas, cùm omnes vivant, operari ; sanctorum verò in hunc mundum, ita Deo annuente, advenire, quemadmodùm Moyses in monte visus est. Quod enim fit, pro uniuscujusque mensurâ, potest, et in pluribus fieri, et potissimùm sanctis, cùm in commodum hominum, quidquid fit ab ipsis, vertatur. Ne itaque veras ac firmas historias in allegorias transferatis, quandoquidem ipse audivi à nonnullis dici, non Moysem et Eliam secundùm subsistentiam propriam videntibus apparuisse, sed legem et prophetas. Atqui Evangelista id non asseruit, sed tantùm Moysem et Eliam visum fuisse. Et Petrus tria supplicabat construi tabernacula non legi, et prophetiæ, et gratiæ, ut cum vobis loquar, sed personis, quæ propriâ subsistentiâ existebant, Christi, et Moysis, et Eliæ. Et Moysem mortem oppetiisse, nulli dubium fuerit, qui Deuteronomium legit. Moysem itaque, qui tot ante annos demortuus fuerat, cùm adhuc vivente Eliâ prophetâ, ducit Evangelista, insimul cum Domino et Deo nostro Jesu Christo in monte colloquia conseruisse. De quâ visione præcepit illis Dominus, dicens, Matth. 17, 9 : *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Id ipsum suâ interpretatione clariùs reddet Joannes doctissimus doctor, et Constantinopolitanus episcopus, commentario in Matthæum, hisce verbis : « *Et apparuerunt illis Moyses et Elias, loquentes cum eo.* » *Cujus autem rei gratiâ Moysem et Eliam in medium producit? Multas quidem dicere quis causas posset, et primam hanc : Cùm turbæ alii Eliam, alii Hieremiam, alii prophetarum unum opinarentur, idcircò Moysem et Eliam cæterorum prophetarum vertices inducit, ut quàm magnum sit inter servos et dominum discrimen cernerent.* Et rursùs : *Ad hæc illud etiam possimus dicere : Quid? ut addiscant, tam mortis quàm vitæ eum potestatem habere ; utque supernorum et infernorum Dominus ostenderetur ; idcircò et mortuum, et eum qui nondùm id passus est, in medium produxit.* Et paulò post : *Quid igitur ferventissimus ille Petrus?* « *Bonum est nos hic esse.* » *Et Moyses et Elias quoque adsunt. Elias, qui de cœlo fecit ignem descendere ; Moyses, qui ingressus in caliginem, cum Deo collocutus est. Quid inde? ipse quidem nihil loquitur, sed nec Moyses, nec Elias, Pater autem omnibus major et fide dignior magnam è nube vocem emittit. Sic ferè Deus ita videtur. Nubes enim et caligo in circuitu ejus.* Et paucis adjectis : *Ut autem nulla dubitatio emergeret, et de Christo solum dictum esse intelligerent, illi metu repleti sunt ; neque enim si de uno eorum loqueretur, solus hic remansisset remotis duobus. Quid porrò vox intonat?* « *Hic est Filius meus dilectus?* Apertè tum ex verbis evangelicis, tum ex Deiferi doctoris testimonio, visionem quamdam animarum sanctarum, earumque accessus ad eos, qui digni sunt, Deo nempe ita præcipiente, fieri demonstratum est.

11. Quid porrò Joannes evangelista in conscriptâ ab ipso in insulâ Pathmo Apocalypsi de sanctis, et eorum actione scribat, consideremus : *Et cùm accepisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram throno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas adoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, et canunt canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus ; quoniam redemisti nos Deo, reges et sacerdotes,* Apoc. 5, 8 ; et iterùm, ibid., 6, 7 : *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtùs altare animas sigillatorum propter verbum Dei, et testimonium Jesu, quod habebant. Et clamabant voce magnâ, dicentes : Usquequò sanctus et verus Dominus non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum ex iis qui habitant in terrâ? Et data est illis stola alba, et datum est illis ut requiescerent tempus modicum, donec compleant et conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi erant et ipsi.* Et post pauca, c. 7, v. 9 : *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magnâ, dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Amen, Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* Et rursùm, ibid., v. 14 : *Et laverunt stolas suas et dealbaverunt in sanguine Agni ; ideò sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui sedet in throno, habitabit super illos.* Et post pauca, c. 11, v. 15 : *Et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in secula seculorum ; et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras ; quoniam accepisti potestatem magnam, et regnavisti ;* et c. 14, v. 17 : *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui, qui in Christo moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis ; opera enim illorum sequuntur illos.* Et verba quidem Apocalypsis abundè disposita sunt, quare quæ in illis obscurè et quasi per ænigma Theologo revelata sunt, uti fieri potest, examinemus. Quænam sunt quatuor animalia et quinam viginti quatuor seniores? et animalia quidem intelligenda

sunt animalia quadriformia, quæ intuitus est Ezechieles propheta ; sive quatuor Evangelistæ : *viginti quatuor seniores* duodecim patriarchæ et duodecim prophetæ simul ; sive mavis, duodecim Apostoli cum Patriarchis. Ambos verò *ante thronum cecidisse ;* angelicum cœtum unà cum hominibus preces Deo offerre, indicat. *Citharæ et phialæ aureæ odoramentorum plenæ*, orationes sanctorum sunt. *Cantum novum concinere* non aliud significaverit, quàm nunquàm interruptam neque cessantem eorum laudationem. Quânam igitur ratione tantâ repleti gratiâ segnes et nihil agentes apud nonnullos audiunt? Imò etiam *ex altare signatorum animas clamare, et dicere : Usquequò sanctus et verus Dominus non judicas et vindicas sanguinem nostrum?* apertè eorumdem actionem demonstrat. Percupiunt siquidem perfectè coronas suas consequi. Et perfectè sanè se illos ulturum, ac mercedem eisdem relaturum, nondùm promisit. Dixit enim : *Quiescite modicum tempus, quousque et conservi eorum*, fratres nempe, *compleverint*, quemadmodùm Apostolus docuit his iisdem verbis Hebr. 11, 40 : *Deo melius aliquid pro nobis providente, ne sine nobis consummarentur.* Neque eos propterea absque ullâ actione segnes ac desides in otio reliquit : nam *stolas* illis *albas* tribuere, actiones eorum peculiares insinuat, quæ sunt sanctarum animarum visiones, ad quas ipsæ transmissæ in hanc vitam, propter aliorum multorum commoda, sanationes elargiuntur. Hæ siquidem sub altare clamabant : *Sub altare* verò easdem moras agere, non tantùm eorum corpora sub altare reposita, actiones, hoc est, sanationes perficere, sed et animas eorum subjectas esse Christo notat. Psalm. 83, 4 : *Altaria enim tua, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus.* Hinc post eorum preces expositas, rursùm se vidisse *turbam magnam* refert, *quam dinumerare nemo poterat ;* et hos *stantes ante thronum, et ante Agnum* stolis albis amictos, et palmas in manibus tenentes clamare, et dicere : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Gestare porrò præ manibus palmas clamantes, victoriæ signum subindicat. Vicerunt etenim diabolum, et suos administros ad mortem usque pro Christo certantes ; quando et pueri, ad passionem Domino properanti, cum palmis obviam facti Matth. 21, 9, *hosanna clamabant*, et quod illi prophetarum in morem post passionem Christi victoriam vaticinabantur, hi post finem victoriæ, pulchrum ac spectabile, palmas in manibus ferentes, uti victores gratias Deo agebant, et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium. *Gaudium* enim fit *super uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 10, 7. Si super peccatore, quantò magis super decertantibus, et vincentibus sanctis? *Et ceciderunt ante thronum in facies suas, et adoraverunt Deum, dicentes : Amen, gloria, et benedictio, et sapientia, et honor, et gratiarum actio, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.* Hanc, ut existimo, visionem, sive actionem contemplatus et divus Paulus, ad tertium usque cœlum raptus, dicebat exorans Ephes. 3, 4 : *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur.* Hoc idem catholicæ sanctæ Dei Ecclesiæ rationis compotis gregis præfectis tradidit, ut facerent. Nonne et ipsi noctu diuque genuflectentes pro se ipsis et populo supplicationes illi qui super excelsum, et elatum thronum sedet, *et ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur*, offerunt? Et hoc cùm faciunt, operanturne, an non operantur? Respondeant, qui contraria asserunt. Si igitur horum actio in terrâ sancta operatio dicitur, dicatur similiter et quæ in cœlo ab animalibus, et viginti quatuor senioribus fit. Eadem siquidem et hi et illi pro orbe universo intercedunt. Quare et Deus in ipsis habitat, ut dictum est, 2 Corinth., 6, 16 : *Inhabitabo in ipsis, et inambulabo ; et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Quicumque itaque laverunt stolas suas, et dealbârunt in sanguine Jesu Christi : namque ipse Agnus appellatur, ut dictum est à Joanne, 1, 39 : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, hi sunt ante thronum Dei, et in templo ejus asserviunt diu noctuque, voce magnâ clamantes, et dicentes : *Factum est regnum mundi Domini nostri, et Christi ejus. Gratias agimus tibi, Deus omnipotens, qui es, et qui eras, quòd accepisti virtutem tuam magnam, et regnâsti.* Hoc eodem modo et angeli antiquitùs cum pastoribus choreas ducentes dicebant Lucæ 2, 14 : *Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax inter homines, bona voluntas.* Nam cœlum terra facta est, ex quo Filius Dei in terrâ apparuit, quod *ab oriente sole ad occidentem nomen ejus in gentibus glorificatum est*, Malach. 1, 11. Vocem tandem de cœlo Theologus audivit dicentem : *Scribe : Beati mortui, qui in Christo moriuntur ; amodò dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis : opera enim eorum sequuntur illos.* Quomodò igitur absque ullâ operatione, sive actione, ut more vestro loquar, manent beati sanctique martyres? Sæpiùs enim visiones eorum innotuêre. Quibus apertum remanet, eos, *cùm sint cum Christo*, pro nobis nullo puncto temporis intermisso intercedere. Quod et prorsùs facilèque suadebit illis qui sanctorum animis dormitionem inducunt, ne ita sentiant aut opinentur.

12. Verùmtamen eos procidentes ante illum, qui sedet in throno, propriâ essentiâ operari à Deo missos, etiam post migrationem è corpore, divinus quoque Paulus innuens dicebat, secundâ ad Corinthios Epistolâ, cap. 5, v. 8 : *Confidimus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et adesse apud Deum ; idcòque contendimus sive præsentes, sive absentes, ut illi placeamus.* Cùm enim utramque vitam, et præsentem et futuram comparâsset, potiores partes peregrinationi attribuit, quæ contendit peregrinantes apud Dominum esse. Hos itaque, qui similem vitam commutârunt, absque actione esse asserere, planè impium est. *Si itaque qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati*, ut idem dixit 2 Cor., 5, 4, igitur qui peregrinantur, dummodò virtuti incubuêre, et uti Paulus vixêre, absque gemitu vitam vivunt, ex quâ fugatus est dolor, mœror et ejulatus, et non obdormiscentes, sed gloriam continuò Deo dicentes, in

actione versantur. Quod si neque fide dignum, neque fieri posse vobis videtur, post migrationem è corpore sanctorum animas hìc nonnullis apparere, neque fide dignus sit et Apostoli raptus, qui factus est usque ad tertium cœlum et paradisum, et ante eum Enochi et Eliæ translatio. Quemadmodùm enim horum translatio, cùm adhuc essent in corpore, divino nutu facta est, et nullus est qui illi fidem non adhibeat, sic rursùs nihil obstabit, cùm Deo complacitum fuerit, et sanctorum animas hùc proficisci, et licèt utraque translatio admiratione digna sit, nihilominùs utraque facta est. Quamvis enim uti corpora moram in loco non habeant principaliter, attamen secundo modo in loco fuerint à nostro non dissimili, cùm ad ministerium mittuntur sive sancti angeli, sive sanctorum martyrum animæ : quemadmodùm et vice versâ, principaliter corpora, à suâ corruptione nondùm immunia, ad cœlestia tabernacula non accedunt : nihilominùs secundo modo, qui cum corpore sunt, in cœlum nutu divino convehuntur quemadmodùm Paulus raptus usque ad tertium cœlum, et cæteri omnes, qui veluti ille similium arcanorum per revelationem digni habiti sunt, qui in maximo emolumento ponens dissolvi et esse cum Christo, dicebat, Philipp. 1, 21 : *Mihi vita Christus est, et emori lucrum. Quòd si vivere in carne hoc mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem ex his duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo ; multò longèque melius est.* Melius igitur quamnam ob causam appetit? forte ut nictans semper dormiat, et lucrum nullum inde consequatur, an verò, ut continuò laudes divinas explicet, quod ipse potiùs vigilantiam, nempe actionem, esse existimo, in eamque intromitti contendens ex animo precabatur, ut dissolutus cum Christo esset? Tenebatur scilicet desiderio illorum verborum, quæ audierat, et non licet homini loqui, particeps fieri; ideòque dicebat : *Nostra conversatio in cœli est,* et adhortabatur, ut quæ supra nos sunt, quæreremus et sentiremus; *ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus,* 1 Thess., 5, 10. *Vigilemus,* ut reor, animas, *dormiamus* corporum dormitionem innuens. Quicumque igitur illam conversationem assecuti sunt, et vita eorum cum Christo in Deo occulitur, et gratiam adepti sunt, cum sanctis insimul conversari, eos, quemadmodùm sæpiùs diximus, secundo loco cum animâ peregrinari, in illâ republicâ, in quâ, cùm immorarentur, certaverunt, et immutabilium et sempiternorum bonorum veluti primitiæ participes facti sunt, indubitatum. Hoc enim in Apocalypsi indicatur, cùm dicitur : *Datæ sunt illis stolæ albæ,* quæ sunt donorum, sanationum scilicet actiones, quæ nunc à sanctis efficiuntur. His illud quoque addendum est, non tanquàm illis novam mercedem superaddi, quòd sanationes à Deo et visiones futuris dignis exhibeant : hoc enim asserunt adversarii, eos mercedem assequi, si operari contigerit. Sed nos non id dicemus. Quomodò enim fieri poterit, ut ii, qui in corporibus decertârunt, et nunc extra corpora sunt, bello cum hostibus confligant, ut aut victi ejiciantur, aut victoriam consecuti coronentur? Honoris verò et gloriæ, et, ut aliquis diceret, particularis compensationis causâ, ut ad eorum æmulationem segnes et desides excitentur, talis illis gratia datur. Christus siquidem, et Deus noster et per se, et per servos suos et administros nobis, qui adhuc in hâc vitâ moras agimus, benefaciendi finem nullum facit. Namque ait, 1 Joan. 5, 17 : *Pater meus operatur, et ego operor.* Et ex divinis litteris testimonia veluti in compendio, ut potuimus, pauca è multis digessimus.

13. Videamus nunc quid doctores et sancti Patres, qui tertium locum in Ecclesiâ Dei occupant, asseverent, an animæ sanctorum dignis reverà, vel, secundùm vestra præscripta et rationes, facultas aliqua divina sanctorum animarum formam pro iis accipiens, tali visione dignis appareat? Scribit itaque sanctus et eloquentiâ fluens Gregorius, Nyssenæ urbis episcopus, Basilii magni frater, vitam magni Gregorii Neocæsariensis episcopi et Thaumaturgi enarrans : *Sic igitur jugum subire coactus, omnibus post hæc, quæ fieri solent, solemnibus in eo peractis, cùm exiguum tempus ad mysterium exactiùs cognoscendum ab eo qui sacerdotium ipsi assignaverat, petiisset, non ampliùs, ut inquit Apostolus, carni et sanguini adhærendum esse, et acquiescendum putabat, sed à Deo sibi occulta manifestari petebat; ac non priùs prædicationem sermonis aggredi sustinuit, quàm per quamdam apparitionem ei veritas revelaretur. Cùm enim per totam noctem aliquando de ratione atque sermone fidei dispiceret et specularetur, et varias animo cogitationes agitaret (erant enim nimirùm etiam tunc nonnulli, qui piam et sinceram religionis doctrinam adulterarent, ac per probabiles argumentationes sæpenumerò etiam doctis et prudentibus veritatem facerent ambiguam); pro quâ tunc ei pervigilem curis atque sollicitudine noctem agenti, quidam in figurâ humanâ, facie ac formâ senili evidenter apparet, ornatu atque compositione indumenti augustum quemdam sacrum ac divinum referens decorem, magnam gratiâ vultûs atque dispositione figuræ præ se ferens virtutem. Hic verò visu perterritus, et surgere è lecto, et quis esset, cujusve rei gratiâ venisset, sciscitari. Cùm autem ille perturbationem mentis ejus submissâ voce sedâsset, ac dixisset se jussu divino apparuisse ei propter eas rationes quæ apud ipsum controversæ et ambiguæ essent, ut piæ fidei veritas revelaretur, et bono animo esse audito sermone, et cum quodam gaudio atque consternatione illum contueri ; deinde cùm ille directò manum protendisset, et quasi ostenderet ei per digitorum directam protensionem id quod ex transverso apparebat ; hic et unà cum directâ manûs protensione circumagere suum obtutum, et videre aliud visum adversum ei, quod priùs apparuerat in figurâ muliebri excellentiùs quidam et augustiùs quàm pro humanâ conditione ; rursùs autem perterritus et facie aversâ vultum demittere, ac perplexus et dubitabundus hæsitare de spectaculo, cùm oculis apparitionem ferre non posset (etenim miraculum visionis nimirùm in hoc potissimùm erat, quòd, cùm nox esset obscura, tumen unà cum iis qui apparuerunt, ei affulserat, quasi aliquâ lucidâ tædâ accensâ); cùm igitur oculis ferre apparitionem non posset, eorum qui sibi apparue-*

runt, inter sese rationem ejus rei, de quâ ambigebatur, exponentium sermocinationem audivit, per quam non solùm accepit veram cognitionem fidei, verùm etiam nominatim eos qui apparuerunt, cognovit, utroque eorum propriâ appellatione alterum alloquente. Audivisse enim dicitur ex eâ, quæ in muliebri habitu visa erat, cùm hortaretur Evangelistam Joannem, ut adolescenti mysterium veræ pietatis aperiret ac declararet. Atque illum dixisse se paratum esse etiam in hoc matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi esset; atque ita exposito sermone, qui et rei quæsitæ conveniret, et admodùm benè definitus et circumscriptus esset, rursùm ex oculis decessisse, atque hunc extemplò divinam illam institutionem ac disciplinam litteris mandâsse. Hæc hujusce scriptoris ac doctoris veræ et horribilis visionis verba, cum omni perspicuitate apposita, omnem dubietatem de propositâ quæstione possunt de medio tollere. Narrationi verò divinitùs oblatæ apparitionis accuratè mens figenda est. Neque enim dixit divinam gratiam personarum Joannis Evangelistæ, et Deiparæ semperque Virginis Mariæ Matris Domini figuram assumpsisse; sed divino mandato, ob dubitationes illius ei innotuisse. Etenim visionis admirandum in hoc potissimùm consistebat, quòd, cùm esset nox multa, lumen visis affulserat, quasi aliqua tæda accensa fuisset. Et revelationem hanc divino imperio peractam fuisse, quilibet, dummodò pugnax non fuerit, et à contentione vacaverit, fatebitur. Verùmtamen lumen quod unà cum visis matre duntaxat Domini, et Evangelistâ affulsit, aliud fuisse à personis per sese subsistentibus, et vos metipsi à veritate compulsi, etiam nolentes prorsùs asseverabitis. Namque Gregorius eorum qui apparuerant mutua dicta audiverat, quibus illi rationem rei, de quâ ambigebatur, exponebant, et colloquium inter sese exequebantur. Non dixit à gratiâ formam assumptam, sed personarum apparitionem demonstravit, et nominibus expositis eos, qui apparuerant, manifestavit, utroque eorum à propriâ dignitate alium nuncupante. Quare multa sunt quæ dubium propositum confirmant, personarum fulgoris claritudo, nominum differentia, uniuscujusque varia compellatio, quæ non de rebus imaginatione confictis, sed per se subsistentibus fieri amant, nullumque relinquunt dubium iis qui verarum visionum clarissima spectacula non renuunt admittere. Quòd si non reipsà veræque sanctorum animæ apparuerunt, sive nunc apparent, sint apud vos et angelorum visiones non veræ, sed alienâ formâ et figuratè, tum antiquis, tum recentioribus, dignis tamen, ostensæ atque apparentes.

14. Sed dicet ex vobis quispiam, harum duarum de quibus nobis sermo est personarum apparitiones sanctorum reliquorum apparitionibus aliis multò esse superiores et excellentiores. Dicet verò et non incommodè. Adde etiam visionis hujusce admiranda. Et probè equidem, qui hæc dicit, sermonem instituit. Sed consideret oportet eum qui visionem vidit, quàm magnus erat, quàmque rerum mirandarum conditor, et rectorum dogmatum prædicationis amator, quorum revelationem perfectè poscebat. Peræquà itaque proportione postulatorum et postulantium, qui rebus similibus asserviunt, mittuntur. Nam *et prophetarum spiritus prophetis subjiciuntur*, 1 Corinth., 14, 32. Docebit autem nos hæc fusiùs Athanasius, lumen magnum, et Alexandrinæ urbis episcopus, qui oratione quartâ adversùs Arianos, cujus illud est principium : *Arii asseclæ, ut videtur, hæc scribit : Angeli quidem, quemadmodùm scriptum est, administratorii sunt spiritus, qui ad negotia obeunda emittuntur, et Patris donationes per Filium elargitas renuntiant illis, qui accipiunt. Quin et ipse angelus visus conspectusque se mitti à Domino confitetur, quemadmodùm apud Zachariam, et apud Deiparam Mariam confessus est Gabriel. Et qui angelum viderat, noverat se angelum vidisse, et non Deum. Nam Zacharias angelum vidit, Esaias autem Dominum : Manue rursùs, Samsonis pater, angelum, et Moses Deum; Gedeoni rursùs angelus, et Abrahæ Deus apparuit; neque tamen is qui Deum vidit, angelum viderat; neque qui angelum vidit, Deum se conspexisse arbitratus est. Plurimùm siquidem, imò potiùs in universum naturis dissident res creatæ, et earum creator Deus. Quòd si autem misso aut conspecto angelo, is qui hoc vidit, Dei vocem audierit, quemadmodùm in rubo evenit; siquidem flamma ignis à rubo angelus Domini apparuit, dicens : Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahæ, Deus Isaac, et Deus Jacob; non tamen ob id angelus ille erat Deus Abraham, sed in angelo loquebatur Deus, et is quidem qui conspiciebatur oculis, angelus erat; Deus autem in angelo loquebatur. Nam quemadmodùm in columnâ nubis verba ad Mosem in tabernaculo faciebat, ita quoque in angelis apparens per angelum loquebatur. Pari modo et Jesu Nave per angelum loquebatur. Cæterùm ea quæ loquitur Deus, manifestum est eum loqui per Verbum suum, et non per alium; Verbum autem, utpote non segregatum à Patre, neque dissimile, neque alienum à substantiâ Patris, quæcumque facit. ea Patris sunt opera, et unum opificium absolvit. Et quæ dat Deus Filius, Patris donatio est; et qui Filium vidit, novit se nequaquàm angelum, aut aliquid, quod magis sit angelis, aut ullam denique creaturam, sed ipsum Patrem vidisse.* Visionem Gregorio Thaumaturgo factam magnus Athanasius, imò universas sanctorum martyrum, cultorum scilicet Dei, apparitiones, constabilivit. Si itaque angeli, cùm sint administratorii spiritus, et ad negotia obeunda mittantur, veluti angeli comparent, et non divinâ gratiâ forma angelorum suscepta transformatur, et à dignis conspicitur, ergo et sanctorum animæ, quæ apud Deum aditum et fiduciam habent, etiam postquàm disjunctæ fuerint à corpore, verè et reipsà apparuerunt, et nunc quoque comparent. Et ipsæ prorsùs sunt quæ spectantur, licèt Deus eorum ministerio utens, gratias sese invocantibus impertitur. Nam dùm dicit doctor : *Qui intuetur visionem angelorum, novit se angelum vidisse, et non Deum*, manifestum facit, eum qui martyres conspicit, sive Dei cultores, animas eorum conspicere, unàque cum iis virtutem quamdam divinam collucentem; nec animarum vice angelos aspicere. Quemadmodùm enim rubus propriè rubus spectabatur, et nubes et columna ignea

similiter, Deus autem in illis loquebatur, hoc idem et de visione animarum censendum est. Multis enim id modis rursùs idem Athanasius in vitâ magni Antonii conspecta ab eo narrans, demonstravit. Ita enim sermonem instituit. *Hoc verò in Antonio solùm admiratione dignum erat, quòd licèt in monte suam sedem locaverat, habebat tamen animum vigilem et cor sobrium, et Dominum ea ostendentem quæ eminùs fierent. Namque rursùs cùm aliquando in monte sederet, sublatis oculis, vidit quemdam in aerem sublatum ac gradientem, eorumque, qui illi obviàm irent, ingens gaudium. Miratus, et beatum ejuscemodi chorum prædicans, exoptabat scire quis is esset. Et continuò vox ad aures illius pervenit, animam esse Amunis Nitriæ monachi. Perseveravit autem ille hic in asceticâ vitâ ad senectutem usque; et ab illo loco ad Antonii montem erat spatium itineris dierum quindecim.* Et paucis interjectis : *Monachi verò, quibuscum Antonius de Amunis morte sermonem contulerat, diem notàrunt, et cùm fratres à Nitriæ monte accessissent post triginta dies, audiverunt cognoveruntque Amunim eo die horâque obdormivisse, quo ejus animam senex sursùm ferri viderat.* Si fieri potest, heus vos ! ut anima absque corpore in cœlum progrediens conspiciatur, fieri quoque poterit ut rursùs eadem, si necessitas postulàrit, in hæc nostra loca deferatur. Quidquid enim est, Domini est, qui colligavit atque dissolvit, eamque rursùs hùc demittit, etiam ante tempus resurrectionis, cùm corpus ab eâ resumendum est. Et, ut Pater dixit, Antonii erat puritas, Domini verò ostendere ipsi quæ eminùs erant. Nam et Pauli inter monachos et anachoretas magni animam eâdem ratione conspexit Antonius, inter choros angelorum et Prophetarum receptam, aliam ac diversam ab angelorum et prophetarum ordine. Narrat igitur, qui vitam Pauli concinnavit : *Resumens res beati Pauli percurram. Immoratus est vir ille Christi amans in terrâ, vitam cœlestem peragens annos decem et centum, dùm abbas Antonius in aliâ solitudine annos natus nonaginta sedem locâsset.* Et post pauca : *Et ingressus est iter suum Antonius, cùm nullum prorsùs insimul cibum sumpsisset, sollicitans ac festinans, cupiens iterùm beatum Paulum aspicere; metuebat enim ne se absente, animam ille Domino redderet. Et toto eo die, cùm viam præcipitâsset, ubi subsequentis hora tertia advenit, intuetur in viâ angelorum ordines, et prophetarum, et Apostolorum chorum, et inter eos veluti nivem fulgurantem abbatem Paulum, et unà cum illis in cœlum ascendentem; eodemque momento cecidit prorsùs in terram Antonius, et dolens atque ejulans clamabat : Quare me, Pater, dereliquisti?* Hoc etiam testimonio satis ostenditur eum qui visionem angelorum intuetur, angelos conspicere, et qui sanctorum animas oculis suis videt, sanctorum animas intueri ; et non subvertetur ordo cum ordine. Sed singula in suo ordine perstant; et qui justi animam cum angelorum virtute in cœlum ascendentem contemplatur, posse rursùs eamdem, divinâ virtute unà cum illâ emicante, è cœlo descendentem aspicere. Quemadmodum enim colligata corpori anima absque Dei ope, nullum quit opus quod supra naturam sit, efficere, ita et soluta corpore visiones utiles persolvere non potest. Verùmtamen post separationem à corpore animas operari docet iterùm nos magnus ille præco Athanasius, qui oratione adversùs idola hæc habet : *Si anima corpus movet, ut demonstratum est, nec ab alio movetur, consequens est ipsam à se moveri, et postquàm corpus terræ inhumatum est, ipsam rursùs à se ipsâ moveri. Non enim anima est quæ moritur, sed ob ejus discessum corpus moritur.* Et non multò post : *Etiamsi colligata corpori, non ad corporis exiguitatem contrahitur aut modificatur; sed sæpè corpore in lecto jacente, sine omni motu, et veluti in morte quiescente ipsa suis viribus excubat, transgreditur corporis conditionem, et tanquàm peregrè ab eo discedens, manens tamen interim in corpore, quæ supra terram sunt, imaginatur et spectat, sæpè quoque extra terrena corpora sanctis obviam tendit. Si itaque obviam fit, et ad eos pertingit mentis suæ speculatione, quî fieri poterit ut eadem non multò magis absoluta corpore, cùm ille, qui eam copulavit Deus, voluerit?* Eminùs Ecclesiæ doctor mentis lumine vos cernens, qui animas, postquàm è corpore egressæ sunt, non operari asseveratis, ostendit illis : *Quî fieri poterit ut eadem non multò magis absoluta corpore;* et *: Iis quæ extra terrena corpora sunt, obviam fit?* Si itaque obviam fit, et congreditur, iis scilicet obviam fit qui in ministeria mittuntur, et in hâc vitâ operantur. Hocque si certum atque indubitatum est, indubitatum quoque fuerit eamdem per se ipsam operari. Namque, ut omnibus liquet, colloquia utilia inter somniandum cum defunctis atque vivis conserimus, et laudes et gratiarum actiones sæpenumerò Deo offerimus, et sermones nonnunquàm varios conteximus, quorum etiam experrecti meminimus. Et si, corpore in lecto jacente, ipsa speculans, ut doctor dixit, transgreditur corporis conditionem, et manens in corpore, quæ super terram sunt imaginatur atque rimatur, multò magis cùm fuerit extra corpus, ipsa per se, utut Deo collubitum fuerit, in aliorum beneficia mittitur. Planiùs hoc ipsum magnus Eutychius archiepiscopus Constantinopolitanus, venerandum mihi in omnibus, sacrumque caput, oratione cui inscriptio est : *De iis qui secundo modo naturâ suâ fiunt in loco, notione videlicet, et solâ mente præditis,* ostendere volens animam non esse corruptioni obnoxiam, et de hoc magni Basilii testimonio digesto, quod est : *Incorporeum intellige Deum ex animâ incorporeâ, quæ in te est,* post dictum testimonium refert : *Quòd si corporeâ notâ neque circumvallatur, neque coloratur, aut effingitur, aut corporeo visu non est apta nata discerni, angelorum et ipsa constitutionis fuerit, et incorporea, et simplex, et rationis compos, et intelligentiæ, et suî circumscriptionem corpoream non habet, licèt in præsenti vitâ à Deo formetur, et ex iis quæ non sunt, ad id quod est transvehitur et cùm sensu componitur, et fit tertius mundus; quorum verò una constitutio est, eorumdem et actio eadem. Namque rursùs Basilius Cæsariensis expositione in primum Psalmum hæc insinuat : Quorum natura una est, eorumdem et actiones eædem. Quorum æquale opus,*

horum et merces eadem. Instar etenim angelorum et ipsa corporeis vinculis soluta ascendit, descenditque, et ad benefaciendum aliis veluti sancta et bona delegatur. Quid ad hæc vos, qui Patrum sententiis adversamini, respondebitis? Agnoscitisne magnum Eutychium sanctorum Patrum vestigia sequi? Si doctoribus insistitis, supra modum egregiè facitis, et nos vestram bonam mentem collaudabimus. Si contra nitimini, nos quoque de vobis opposita pronuntiabimus.

15. Ad majorem tamen rei firmitatem, et alia aliorum sanctorum Patrum testimonia in medium afferamus. Sanctus Basilius episcopus Cæsariensis oratione in sanctos quadraginta martyres hæc habet : *Patria igitur martyrum Dei civitas est, cujus auctor atque conditor ipse Deus est, superna Hierusalem, quæ libera est, quæ est mater Pauli, et omnium ei similium.* Et iterùm : *Chorus paratus, accessio magna eorum qui à seculo Deum glorificant, non sigillatim congregati, sed acervatim translati.* Et paucis adjectis voces martyrum hunc in modum digerens subnectit : *Brevi tempore duremus, et sinus Abrahæ nos perpetuò fovebit. Unam noctem cum ævo sempiterno commutabimus. Incendatur pes, ut cum angelis continuò saltet. Torpescat decidatque manus, ut sese in Deum attollendi facultatem assequatur.* Nec non : *Hi sunt qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra adversariorum incursum refugium exhibent. Nec uno in loco sese clauserant, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornaverunt. O miraculum! neque deficiunt numero, neque redundantiam admittunt; si in singulos ipsos diviseris, proprium numerum non excedunt; si verò in unum congregaveris, quadraginta nihilominùs erunt, ac ita ut ignis natura permanent. Nam ille et ad accendentem transit, et totus est apud habentem. Sic hi quadraginta sunt unà simul et omnes apud singulos. Beneficium igitur hoc, fratres dilectissimi, gratiam hanc minimè deficientem ex Deo obtinemus. Paratum est hìc Christianis auxilium, Ecclesia martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpè operam dedistis, sæpè laborâstis, ut unum pro vobis orantem inveniretis; quadraginta sunt hi, unam orationis emittentes vocem.* « *Ubi enim sunt duo vel tres in nomine Domini congregati, ibi Deus est.* » *Ubi verò quadraginta fuerint, quis dubitat Deum esse præsentem? Qui aliquâ premitur angustiâ, ad hos confugit; qui rursùs lætatur, ad hos recurrit; hic ut malis liberetur, ille ut perduret in rebus lætis.* Et rursùm : *O sacrum chorum! ô sacrum ordinem! ô cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani custodes! optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores! Legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum, vos non terra contexit, sed cœlum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ : dignum profectò exercitibus angelorum, patriarchis, prophetis et justis omnibus spectaculum.* Jure merito si unquàm aliàs, nunc quoque psalmorum illud eloquium concinendum est : *Semel locutus est Dominus, duo hæc audivi*, Ps. 61, 12. Ecce enim hic doctor simul unà omnes complectens qui à seculo Domino complacuerunt, patriarchas, prophetas, apostolos, martyres et justos, commonstravit, cum angelis choreas ducere, et simul cum illis gaudio subsilire. Et tamen choreas cum angelis ducere, actionis non otii, sive dormitionis genus est. Et cùm dicit. *Martyrum civitas, civitas Dei est, superna Hierusalem, Pauli, illique similium mater*, planè demonstrat eorum mutuam concordemque Dei laudationem et actionem. Nunquam enim civitas illa diceretur, quæ civibus spoliata est, qui civitati propria atque convenientia non exequuntur. Confirmavitque hæc ita se habere illis : *Chorus paratus accessio magna eorum qui à seculo Dominum glorificant.* Si accessio illa glorificantium Deum magna est, quâ fronte vos dicitis martyrum animas non operari? quod illi non inficiantur, cùm dicunt : *Incendatur pes, ut perpetuò cum angelis saltet.* Hinc prorsùs vides exhibendum illis accessum ad eos qui eorum ope indigent, implorantque. *Decidat manus, ut ad Dominum efferendi sese fiduciam habeat.* Namque illi preces ad Dominum fundentes, manus pro nobis ostendunt. Ideòque veluti *turres* stantes spissæ ab incursu hostium tutos eorum supplices reddunt. Et, quod admiratione dignum est, non *separatim atque sigillatim* divisi ad intercedentes accedunt, sed mixtim atque inter sese confertim choreas ducunt; illud *confertim* ad corpus, *choreas ducere* ad animum referendum est. Accedere itaque et choreas ducere, et securitatem præbere, non dormientes aut segnes homines, sed et maximè vigilantes, et apud Deum fiduciam possidentes insinuat. *O miraculum! et omnes sunt simul, et omnes sunt apud singulos missi à Deo; abundans beneficium.* Quantùm insudâsses ut unum qui pro te Deum placaret, invenires! Quadraginta sunt concordes preces emittentes. Preces atque supplicationes persuadeant vos, non otii, sed actionis partem esse, et potissimùm cùm à dignis illæ Deo effunduntur. Namque ait Matth. 18, 20 : *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine Domini, ibi in medio eorum est.* Ubi verò quadraginta convenerint, erit qui de præsentiâ Dei dubitaverit? Vos itaque, quotquot eâ opinione, sanctorum animas non operari, detinemini, rebus jam enumeratis omnibus à doctore de sanctis martyribus animum advertentes, ne in dubium vertatis eorum præsentiam à Deo fieri. Quæ enim Deus ipse facit, verè facit, non ementitè atque adumbratè persolvit. Namque scriptum est, Sap. 1, 1 : *Animæ justorum in manu Dei.* Manus autem Dei, ejus facultas operatrix atque effectrix intelligenda est. Nunquàm igitur justorum animæ absque operatione esse poterunt. Patres siquidem eas cum angelis choreas ducere tradiderunt in cœlo. Dicit rursùs magnus Basilius de Julittâ martyre : *His dictis in lignorum struem accensam insiluit, quæ perinde ac thalamus splendore coruscus corpus Julittæ circumplexa, animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem, et quæ illius meritis congruebat, requiem; corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus et cognatis incolume, nec ullâ sui parte læsum.* Anima itaque cœlestem beatitudinem tandem adepta, munia quibus sese cœli incolæ implicant, illa eadem et regioni viventium anima ascripta, eodem modo persol-

vit. Uti choro benè concinentium concors associatus, non camum ori apponit, sed diductis labiis et ore insimul adapertisque, magnâ vi vocem benè resonantem emittit, idque cùm fiat, nemo segnem et desidem, qui cum hujusmodi choro adnectitur, appellaverit, non aliâ ratione quicumque angelorum choro uniuntur, eamdem atque illi et actionem et operationem explent. Dicit itaque idem ipse divino Spiritu fretus Basilius hæc in expositione Psalmi 114 : *Reverà consistit illic regio viventium, quippe qui sibi ipsis similes semper sunt, in quâ animo prægestienti prænuntiat propheta maximoperè universorum Deo se esse complacituram, tanquàm qui nullâ illic externæ rei cogitatione speret mentem suam deinceps interpellandam, mox ut ad scopum pertigerit veræ illius, angelis quoque nihilo disparis servitutis.* « *Contendimus, inquit, sive præsen-* « *tes in corpore, sive à corpore peregrinantes placere* « *illi.* » *Viventium est illa regio, in quâ neque nox, neque somnus mortis imitatio locum habet.* Vides Apostoli, Davidis prophetæ, et Ecclesiæ doctoris, divinâ sapientiâ instructorum doctrinam dictaque, ut inter se concorditer intonent ? Nam illud : *Peregrinantes à corpore*, et : *Deo complacere in regione viventium, in quâ neque nox, neque somnus mortis imitatio*, certè non aliud sonat quàm continuam sanctorum operationem. Si itaque neque nox, neque somnus in vitâ illâ versatur, quomodò, ut more vestro loquar, desides, et nihil operantes, et dormientes sanctorum animæ degunt, ad scopum veræ, et angelis nihilo disparis servitutis directæ? Servitium porrò angelorum est, nunquàm intermissâ laudatione Deum celebrare, et ministrare, et asservire, et mitti, et indigentibus ac supplicantibus præstò esse, et aberrantes in viam reducere. Hæc eadem et patriarcha Jacobus conspectâ scalâ perfici intuitus est, Gen. 28, 12, *angelos* scilicet *ascendentes et descendentes*, munera Dei ad eos qui digni sunt ea accipere, deferentes; justorum verò et omnium indigentium supplicationes referentes bonorum largitori Deo. Hoc item Salvator in Evangeliis insinuabat, Matth. 18, 10 : *Videte ne contemnatis unum ex pusillis illis qui credunt in me. Amen enim dico vobis : Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Singulos quippe fideles et divinam vitam amplectentes angelus bonus comitatur, nunc quidem adversùs hostes depræliantibus opem præstans, nunc ad conducibilia conducens. *Immittet enim angelus Domini, in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Et Jacobus rursùs dicebat, Gen. 48, 16 : *Angelus qui eruit me à juventute meâ.*

16. Cùm verò de eo quoque addubitant, qui tenent, post secessum ex hâc vitâ non esse animas quæ sese manifestant, quandoquidem et sanctos et virtuti addictos, qui adhuc corpore involvuntur, sese invisentes nonnulli conspiciunt cùm eorum auxilia poscunt, licèt qui invisunt videnturque longè absint; verùmtamen divina quædam gratia in gloriam eorum id peragit; nec ipsos esse nos dicimus, qui malè sese habentibus assistunt; quid hisce nos respondebimus? Primùm quidem illud indubitatum : *Omnia credenti possibilia esse*, Marc. 9, 22, et Deum eos qui in corpore sunt elevatos in aerem, in alium atque alium locum transvehere ac transfundere, utcumque sibi placuerit, quod in Philippo atque Habacuc peractum est; hunc siquidem ictu oculi ab urbe Hierusalem Babylonem, illum verò rursùs à Gazâ ad Azotum atque Cæsariam transvexit. Nec dissimilia sunt quæ propheta Ezechiel narrat, cap. 8 : *Ego sedebam in domo meâ*, in captivitate scilicet, *et senes Juda sedebant ante me, et suscepit me Spiritus inter terram et inter cœlum, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei juxta ostium interius. Et dixit ad me : Fili hominis, videsne tu quid isti faciunt? Et ingressus vidi, et ecce inanes abominationes, et septuaginta viri de senioribus domûs Judæ, et Jazonias filius Saphan in medio eorum stabant ante faciem eorum. Et dixit ad me : Vides quæ seniores faciunt in abscondito cubiculo suo? Et ecce ante ostium templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies suas ex adverso; et hi adorant solem.* Et cùm has visiones vidisset propheta, non multò post iterùm subdit : *Et suscepit me Spiritus, et adduxit in terram Chaldæorum, in captivitatem in spiritu Domini.* Sat propheticis hisce verbis manifestum est hominem in carne adhuc immorantem posse ope divinâ aliò transjici occultè et absque eo quod ab aliis conspiciatur; atque ita invisere, et mentem bonam suggerere, et sanitates elargiri iis qui toto corde Dominum invocant. Si itaque sancti, adhuc cùm corpore prægravantur visiones efficiunt, quantò magis pondere carnis exsoluti absque ullo impedimento ac celeriter easdem persolvent? Simile quid sub Constantino imperatore peractum reperimus, quod ita Deo annuente sanctus Nicolaus Lyciæ episcopus perfecit; siquidem in ejus vitâ hæc prænarrantur : *Nepotianus verò unus ex ipsis in memoriam revocans quæ sanctus Nicolaus in tres illos viros in Lyciâ patrârat, quos injustè condemnatos à morte liberaverat, dixit : Salva quoque nos, sancte Nicolae, serve Christi; longo licèt intervallo distas à nobis, preces tamen nostræ ad te propiùs accedent clamaque ad Deum propter nos, ut salvati digni efficiamur tuam venerari sanctitatem. Hæc cùm dixisset Nepotianus, reliqui tres una ore supplicantes clamabant : Deus sancti Nicolai salva nos. Verùm sanctus Dei Nicolaus, imperatore inspectante nocte illâ apparuit, et dixit : Imperator Constantine, surge, et libera tres viros exercituum ductores, quos in carcere detines; calumniam siquidem passi sunt. Quòd si mihi parere neglexeris, bellum tibi in Barrachinâ regione excitabo, tuasque carnes volatilibus tradam, cùm congressum adversùs te inivero cum magno imperatore. Dixit imperator : Quis enim es tu? et quomodò in meum hoc palatium ingressus es? Respondit sanctus : Ego sum Nicolaus peccator, qui in Lyciâ commoror apud Myrrhensem metropolim. Et his dictis secessit et abiit. Eodem momento Ablabio quoque præfecto apparuit, eadem edicens.* Annon tandem aliquando vobis, qui affirmatis, non propriâ suâ substantiâ apparere, aut agere sanctorum animas, suademus, dicta nostra sequi, vel adhuc contumaces in propriâ sententiâ persistitis? Prorsùs equidem. Cavete ne contra vos lo-

cum habeat illud Habac. 1, 5 : *Aspicite, despectores, et admiramini;* et illud Jerem. 51, 9 : *Curavimus Babylonem, et non est sanata.* Multas etenim tum ex veteri, tum ex novo Fœdere à sanctis perfectas, sibimetipsis concordes et veritati consonas actiones vobis proposuimus. Illud autem vobis ante omnia considerandum est, ut sibi concorditer consonant, et qui sancti vitam scripsit, et sanctus ipse. Scriptor siquidem ait, *cùm noctu imperatori oculato propriâ personâ apparuisset*, et sanctus ab imperatore interrogatus : *Tu quis es, qui similia imperas?* respondit : *Ego sum Nicolaus peccator, qui in Lycià commoror; et si morem non gesseris, adversùm te bellum concito.* Paria quoque Gregorius oratione funebri in divum Basilium inculcat, cùm scribit : *Verùm ignoscat mihi velim divina anima, mihique et nunc et ante veneranda. Omninò autem, quemadmodùm cùm apud nos ageret, multa mea errata pro amicitiæ jure ac præstantiore lege corrigebat* (*non enim eum virtutis legem omnibus fusse dicere verebor*), *sic nunc quoque supra nos positus facilem se mihi, exorabilemque præbebit.* Veniam poscere, et illud : *Multa mea errata, quemadmodùm cùm apud nos ageret, corrigebat;* sic et *supra nos positus* planè constabilit, accurari à sanctâ laudati animâ, eum qui similia pronuntiat. Nam non multò post et hæc infit : *Uno aut altero ex iis quæ à majoribus ipse habuit, et quæ ipsius vitæ conveniunt, et maximam eidem, si commemorentur, voluptatem allatura sunt, expositis, ad ipsum confestim me convertam.* Qui dicta persentiscit, non dormitans, sed prudens et vigilans persentiscit; unde etiam ignoscit dicenti, si quidem illud ferendum est. Non est itaque hoc socordiæ, sed operationis indicium; nam et infra repetit : *Sed res quidem nostræ, ut Dei voluntas tulerit, ferantur; atque utinam per illius deprecationem meliùs ferantur.* His postmodùm subdit, et æquè atque si sanctum præsentem in speculo cerneret, et ab eo edoceretur, dicit : *A quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor et castigor, si quando ab officio recessero.* Omnem contradictionis ansam magister hic longè repulit cùm dicit : *Per nocturnas visiones admoneor et castigor.* Quomodò admonebatur et corrigebatur, præsentiâne Basilianæ animæ, an tantùm imaginatione similia Gregorius patiebatur? Planè non imaginatione, nequaquàm. Sed reverà conspiciens conspectusque sanæ menti restituebatur. Et paucis adjectis hæc subdit : *Tu verò sacrum ac divinum caput, è cœlo nos, quæso, inspice. carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis siste, aut certè, ut cum forti animo perferamus, persuade; atque omnem nostram vitam ad id quod maximè conducibile est, dirige; nosque postea cùm ex hâc vitâ migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe, ut simul viventes, et sanctam ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam speciem et imaginem accepimus, puriùs pleniùsque cernentes, desideriis nostris finem statuamus.* Singulæ dictiones, imò syllabæ omnia vestræ contradictionis argumenta extinguunt. Quomodò enim è cœlo inspicere, aut intercedere, aut ex hâc vitâ migrantes suscipere in suis ipsis tabernaculis, qui simul unà vitam agentes inspiciunt sanctam ac beatam Trinitatem, et non ita exiguè, ut fit in præsenti, sed puriùs pleniùsque poterunt, si, uti vos contenditis, non operantur justorum animæ? Sed ejiciantur, longèque fiant similium sententiarum portenta. Et quæ vera sunt non uti fabulosa atque commentitia dijudicentur, sed uti vera excipiantur. Rursus enim idem theologus, oratione funebri in proprium patrem, hæc repetit : *Habitatio peregrinatione melior ac præstantior est, quodque navigantibus tranquillus portus est, hoc iis qui hujus vitæ proclivis agitantur, migratio ad alteram vitam existit.* Et iterum : *Deinde si nos eò adduxeris, ut à pastore illo bono, ac pro ovibus animam suam ponente nos ne nunc quidem relictos esse confidamus, quin potiùs eum et adesse, et pascere, et deducere, et oves suas cognoscere, et à suis cognosci non illum quidem corporeo modo sese spectandum præbent sed spiritualem in modum nobis conversantem, ac pro grege adversùs lupos pugnantem, nec quemquam prædonum more, ac per insidias caulam transilire permittentem. Nec dubito quin hoc nunc quoque tantò magis deprecatione suâ quàm priùs doctrinâ præstet, quantò nunc magis Deo appropinquat, ut qui corporeas compedes excusserit, ac limo illo, mentis puritatem inficiente, liberatus sit, nudusque cum nudâ principe illâ et purissimâ mente versetur, angelici ordinis dignitatem et fiduciam, nisi hoc dictu audax est, consecutus.* Quemadmodùm ii qui mare adnavigare incipiunt, cùm adhuc in terrâ sunt, et portum tenent, fortè fluctus et aquarum profunditatem neglectui habent; at cùm medio in pelago præternavigant tremore ac metu eoque immenso corripiuntur; quòd si et venti vehementes ac horridi navigium impetunt, prorsùs de propriâ salute desperant, non dissimilia pati eos ipse reor, qui huic meæ sententiæ obsistunt. Initio siquidem superbientes et despicientes, aliquando etiam conviciis insultârunt; verùm in profunditatem maris progressi, in Patrum duntaxat doctrinam incidentes, omnis illis spes adempta est, et jure merito similis dubitationis, asserendi nempe post discessum ex hâc vitâ sanctorum animas neque operari, neque se ipsas aliis manifestare. Etenim si, ut dixit Pater, neque nunc reliquit nos Pastor bonus, sed adest, et pascit, et conducit, et agnoscit et agnoscitur, quo propior Deo est, nudusque cum nudâ principe illâ et purissimâ mente congreditur, angelici ordinis dignitatem ac fiduciam consecutus, quomodò vos asserere audetis, non apparere sanctorum animas illis qui digni facti sunt eas intueri? Qui enim ordine et fiduciâ angelicâ dignus effectus est, ejusdem prorsùs ministerii particeps efficietur. Rursùs itaque demortuum patrem supplicans adnectit : *Fac sciamus quânam in gloriâ sis, quod lumen te circumstat, atque uxorem tuam aliquantò post, et liberos quos priùs occupâsti, ac me quoque iisdem tabernaculis excipe.* Videtis quibus verbis filius patrem alloquatur? Namque cùm dixerit : *Noster pater*, et *Fac ut agnoscamus ubi* degas, et lumen quod te circumdat ad eum qui similia manifestare poterat, orationem direxit, an verò ad eum qui non poterat? vos metipsi æquiùs dijudicate. Hoc si renuitis, e jam et

nolentes veritati manus dabitis. Iterùm idem hic theologus oratione funebri in Cæsarium fratrem, dicit : *Omnis anima pulchra et Deo chara, postquàm vinculis corporis soluta hinc excessit, protinùs bonum quod eam manet, pensentiscit et contemplatur, utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel deposito, vel quo verbo ea res appellanda sit, nescio, mirabili quâdam voluptate afficitur, et exultat, atque hâc vitâ, tanquàm gravi quodam ergastulo, liberata, compedibusque illis, quibus mentis alæ deprimebantur, soluta, summâ cum hilaritate ad Dominum suum tendit, ac reconditam beatitudinem jam velut per imaginem et simulacrum percepit; post etiam aliquantò, cùm cognatam carnem, quâ res eas philosophata est, receperit,* etc. Animam bonum persentiscere et contemplari, et admirabili quâdam voluptate affici, et ad proprium Dominum tendere, silentium imponit iis qui secùs sentiunt. Rursùs ergo apertâ voce hæc intonat : *Tunc Cæsarium videbo non jam peregrinantem, nec qui jam ab aliis feratur et lugeatur, ac miserationi sit, verùm clarum, illustrem, excelsum, qualis mihi sæpè in somniis visus est, ô fratrum charissime, et fratrum amantissime, sive voluntate meâ, sive ipsâ veritate hoc informante.* Iis quoque verbis divinus hic vir demonstravit, non solùm semel, sed sæpiùs apparentem proprium fratrem vidisse. Neque quispiam opinetur eum addubitantem similia protulisse, cùm dicit, *sive voluntate;* consuevit etenim sæpiùs modestiæ ac moderationis causâ id peragere, cùm et in aliis quoque orationibus similia interserat. Et attendendum potiùs est veritatis inductioni, unde et hæc eadem confirmatur ex aliis testimoniis, certitudini niti. Innumeras igitur Patris demonstrationes de hoc capite prætereuntes, ne in longum protrahentes orationem satietatem lectoribus afferamus, uno et solo testimonio producto, ad reliquas sanctorum Pàtrum auctoritates gradum faciemus. Scribit igitur iterùm oratione priore adversùs Julianum invectiva hæc : *Nec magnos pugiles extimuisti Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui et post illos et ante illos pro veritate periculis se objecerunt; qui cum igni, et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, atacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicârunt. Cur? ne pietatem vel verbo tenùs proderent, quibus præclari honores et festa constituta sunt; à quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur; quorum apparitiones et prædictiones, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur; quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.* Tum supra positorum, tum infra ponendorum testimoniorum, quod nunc attulimus sigillum est apertissima Patris hujusce demonstratio, quamcumque opinionem asserentium, sanctorum animas non apparere, radicitùs evellens; palàm enim insinuat dæmonum expulsiones et sanationes exhibitas, cùm de illis fateatur, *quorum apparitiones, et quorum prædictiones.* Adnexuit quoque non solùm animas per se ipsas operari, *sed et corpora eamdem atque illæ et gratiam et actionem possidere, sive tangantur, sive honorentur,* ope scilicet divinâ propriâ essentiâ operari; non alium pro alio agere aut apparere.

17. Sed auribus æquis et probis una vel altera sanctorum demonstratio planè suffecisset. Verùm ne reliquos aut neglexisse, aut præteriisse videamur, neve vos in suspicionem veniatis, nihil ab illis de hoc capite pronuntiatum fuisse, ex iisdem ipsis nonnulla testimonia in medium adducere, necessarium esse duximus. Dicit itaque Gregorius Nyssenæ urbis episcopus, Commentario in Beatitudines, ad illa verba : *Beati qui persecutionem patiuntur*, etc. : *Ne doleamus igitur, et ægrè feramus, fratres, terrenis nos expelli atque prohiberi; nam qui hinc migraverit, in cœlesti regiâ diversatur. Duo hæc in creaturâ rerum universarum sunt elementa, habitationi rationabilis naturæ attributa, cœlum et terra. Locus eorum qui per carnem vitam sortiti sunt, terra; cœlum autem incorporeorum est; necesse est igitur vitam nostram prorsùs alicubi esse : nisi ex terrâ pulsi et ejecti fuerimus, in terrâ prorsùs manemus; si hinc abierimus, in cœlum traducemur.* Qui hinc migraverit, ut præceptor dixit, cum incorporeis angelis habitans, quæcumque angeli choreas ducentes agunt, illa eadem, et qui cum iis immorantur, persolvunt. Dicit rursùs idem, oratione cui *adversùs eos qui differunt baptismum* titulum præposuit, et principium fecit : *Hujus mundi reges : In electione malorum, magis est eligendum, ut salutare lavacrum assecutus, rursùs sit in peccato, quàm ut gratiæ expers vitæ finem imponat.* Et paucis adjectis : *Animam minimè illuminatam, et regenerationis gratiâ non ornatam nescio an angeli suscipiant, postquàm fuerit separata à corpore. Quomodò enim cùm non sit obsignata, nec ullum ferat signum sui Domini, quam est verisimile ferri per aerem errantem, et vagantem, et minimè quæsitam, ut quæ Domino careat, quærentem quietem et locum in quo maneat, et non invenientem, frustra deflentem, et inutiliter pœnitentem, non secùs atque divitem*, etc. In ambiguo videtur reliquisse hic doctor an animam minimè obsignatam recipiant angeli vel non. Verùmtamen eas quæ sanctorum sunt, angeli, postquàm separatæ fuerint à corporibus, accipiunt; quibuscum animæ illæ quietem consecutæ, actiones, Deique laudationes explent. Idem etiam Pater, dialogo cum propriâ sorore Macrinâ de animâ, adamussim dicit : Et cùm sit omnibus tractatus obvius, veritas inde facillimè elicietur. Operæ pretium tamen est nonnulla hìc ex eodem apponere, quæ ita se habent : *Corporum duntaxat proprium esse, in loco positionem comprehendere; animam verò, quæ incorporea est, nullâ naturæ necessitate certis quibusdam locis retineri.* Et : *Nam difficulter arbitror eos qui non admodùm duri ac pervicaces sint, per ea quæ dicta sunt inductum iri ut post corporum solutionem animam ducant ad interitum et abolitionem; neu quòd ab elementorum naturâ diversa est, idcircò affirmant eam nusquàm in rebus universis esse posse. Licèt enim cum elementis non congruat atque conveniat, intelligentiæ particeps, et materiæ expers, naturâ esse tamen in eis non prohibetur.* En quâ ratione magister eodem loco posuit eos qui asserunt animas postquàm sepa-

ratæ fuerunt à corporibus, ad interitum et abolitionem abire, et eos qui astruunt nunquàm easdem in rebus quæ sunt remigrare posse. Si igitur immateriata et intellectualis substantia, ad elementorum essentiam comparata, non impeditur quin in iis appareat, et potissimùm si proba bonaque fuerit, et utilitatis alicujus gratiâ delegetur in hanc vitam, quomodò ipsi asserunt hoc ex iis esse quæ fieri nequeunt? Considerent attentiùs suæ opinioni germanam ac proximam abolitionem et interitum, et ad illud, quod nullo modo est transitum. Non est itaque ita opinandum, ne pari ratione condemnentur. Sed Patris hujusce tractatum illum omnem propter sermonis longitudinem prætereuntes, ad reliqua doctrinæ similis perquirenda convertamus orationem. Scribit ergo et Joannes, doctissimus Ecclesiæ doctor, et Constantinopolitanus episcopus, ad viduam Juniorem, cùm exularet. Initium Epistolæ ista continebat : *Gravem te quidem accepisse plagam. Nullus hìc lacrymis, sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio ac domicilii mutatio, à deterioribus ad meliora, à terrâ ad cœlum, ab hominibus ad angelorum, atque adeò ipsum archangelorum Dominum.* Et paucis interjectis : *Si eamdem atque ille colere volueris vitam, tumque ipsum non cum hâc corporis pulchritudine, quâ præditus abiit, iterùm recipies, sed cum alio quodam splendore ac venustate, quæ ipsos solis radios fulgore vincat.* Et post pauca : *Quòd si valdè tibi intoleranda videtur temporis longinquitas, verisimile est illum tibi interdùm in somnis adstare, et quæ consueverat tecum colloqui, et optatam faciem ostendere. Hoc te loco epistolarum consoletur ; quinimò id majorem epistolis vim habet. In illis enim litteras tantùm cernere licet ; hìc verò et formam vultûs, et risum tranquillum, et figuram, et incessum et sonum audire, et amicam illam vocem agnoscere.* Qui in somnis apparet, et consueta alloquitur, et formam vultûs amicam et gestus ostendit, operans illa peragit, et mœrore detentos solatur ; ea si dormientibus somnus porrigit, quæ visionis sunt, omnia inutilia erunt et incassùm concident. Sed id non ita est. Absit. Multi siquidem per somnia æquè ac vigilantes multa assecuti sunt munera. Rursùs idem Pater, os super aurum prælucidum, et cujus sermones veluti carbones coruscantes, nunc quidem expurgant, nunc verò illos excipientes illuminant, eàdem expositione in Psalmum tertium decimum et centesimum edocet, cùm scribit : « *Cœlum cœli Domino :* » *Hoc dicit, quòd propterea in illis requiescit, quia sunt ab omni vitio liberi. Quin etiam tu quoque, si non terræ affixus fueris, angelus celeriter efficieris, et in cœlum domum paternam ascendes ; atque adeò vel ante resurrectionem ex hoc jam loco migrâsti, esque jam auctoritate et dignitate præditus.* Et post pauca : « *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* » *Mortuos dicit non eos qui vitâ functi sunt, sed eos qui mortui sunt in impietatibus, vel eos qui in peccatis suis marcuerunt. Quandoquidem et Abraham, et Isaac, et Jacob mortui erant, nihilominùs ita vivebant, ut illorum memoriam providentiam sibi facerent viventes. Moyses enim ad eos confugit, et tres pueri dicentes :* « *Memento Abraham, et Isaac, et Jacob.* » *Si autem tanta erat eorum potentia, quomodò erant mortui?* « *Sed nos* « *qui vivimus benedicimus Dominum, ex nunc et usque* « *in seculum.* » *Nemo in hâc vitâ vivit hanc vitam, sed ii perpetuò vitam agunt cum glorià. Nam peccatores quoque vivunt, sed in pœnâ et supplicio, et stridore dentium ; hi autem in claritate et splendore, utpote quorum sit munus unà cum incorporeis potestatibus, offerre Deo, uti addecet, mysticos hymnos.* Psalmistæ dictum exponens divinus iste Pater palàm apertèque distinxit quinam sint mortui, et quinam ii qui perpetuò vivunt. Itaque si etiam ante resurrectionem, qui virtutibus operam dederunt, ex hâc vitâ migrantes, angelorum dignitate perfruuntur, et sic hymnos unà cum iis Deo offerunt, hoc sibi opus vendicantes, et qui in hâc vitâ afflictionibus opprimuntur, eosdem apud Deum et suggerentes, et adjutorium possident, quânam ratione dicuntur apud vos non posse apparere, nec operari, nec aliud quidpiam peragere? De iisdem rursùs idem Ecclesiæ lumen hæc in oratione cui titulum fecit : *In memoriam sanctorum Apostolorum Petri, et Jacobi, et Joannis*, cujus principium est : *Petra nos hodiè apostolica quasi sagena comprehendit*, pronuntiat : *Similibus rectè factis beati isti culti in cœlestem quietem transvecti sunt, unà cum angelis choreas ducturi. Hos nos quoque, utut possumus, veluti jam coronatos athletas honore prosequimur, in peccati naufragio servatores, communes humani generis meatcos, de orbe universo benè meritos, et in corpore suo Christi notas ferentes.* Qui unà cum angelis choreas ducunt, genus humanum unà inter se omnes custodiunt, et in incommodis medicinam reperiunt, quomodò absque operatione unquàm consistere poterunt? Quemadmodùm gubernatores navigium, non dormientes, sed vigilantes potiùs, et excusso somno à tempestatibus incolume conducunt. His similia et aliâ oratione, quam ille in Machabæos habuit, et cujus principium est : *Quàm speciosa et grata civitas nobis!* scribit : *Non de usitatis solis radiis illuminata præclariùs, sed de lumine martyrum supra coruscum omne fulgur micans illustrata sublimiùs. Multis etenim solibus illustriores sunt martyres, et magnis luminaribus clariores. Propter eos hodiè cœlo ipso ornatior terra lætatur. Sed hìc non attendas cinerem sanctorum corporum, nec favillam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus ; sed aperi oculos fidei, et vide eos divinâ virtute et gratiâ Spiritûs sancti amictos, et divini luminis claritate radiantes. Non tales de superno solis circulo in terram radii jaciuntur, quales à corporibus eorum prosiliunt coruscâ luce fulgores, et ipsos diaboli oculos invidentis obcæcant.* Et non multa post verba hic doctor, uti et magnus Gregorius, non solùm animas, sed et corpora sanctorum, postquàm unum ab alio separatum fuerit, operari postea, hunc in modum pronuntiat : *Ita profectò et dæmones veri latrones, ubi martyrum corpora viderint posita, longè illicò à conspectu eorum pavidi fugiunt, et absiliunt. Non enim ad naturam eorum hic interim mortalem intendunt, sed in arcanam dignitatem et gloriam Christi, qui in agone certantium, induta corpora martyrum suorum sicut arma*

portavit. Hujusmodi enim armis non angelus, non archangelus, non ulla alia creaturæ virtus induta est, sed ipse Dominus angelorum sicut Paulus clamat dicens 2 Cor. 13, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me, Christus? Sic et isti clamare possunt et dicere : An experimentum quæritis ejus, qui certavit in nobis, Christus! Pretiosa enim sunt corpora, quoniam plagas pro suo Domino susceperunt.* Itaque si in propriis certaminibus ac laboribus martyres ipsi proprio in corpore tormenta sustinentes, et luctantes dicebant : *Ejus, qui certavit in nobis, Christus*, uti doctor iste insinuat, et ut Apostolus docuit dicens : *Si experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me, Christus*, nihil impedit quominùs etiam post separationem è corporibus sanctorum animæ appareant, et æquè atque corpora agant, cùm assidentem sibi vim divinam possideant, et Spiritûs gratiâ circumvallentur. Nemo siquidem, sive in corpore, sive extra corpus existat, sine ope auxilioque divino quippiam operari poterit. Omnia enim quæcumque sunt tum ratione prædita, tum mente, sive illi angeli, sive animæ sint, in ministerium à Deo missa, ejus ope atque concursu agunt et operantur, ut illis demandatum est. Sic ergo angelus Habacuc comâ arreptâ momento temporis ex non contemnendâ distantiâ cum strepitu Spiritûs locum in alium transtulit. Sic Gabriel audiit, à quo audiit suum nomen : *Et intelligere istum fac*, Danielem scilicet, *visionem*, Dan. 8, 9. Sic item Ezechiel, 37, 1, narrat : *Et assumpsit me Spiritus, et posuit in campum, et ostendit mihi illum plenum ossibus;* et quæ ille hisce non dissimilia digerit. Sic rursùs, Act. 8, 39, angelus Philippum quidem à curru eunuchoque rapuit, Paulo verò in somniis adstans dixit, ibid., 27, 24 : *Ne timeas, Paule; consistendum tibi ante Cæsarem est.* Sed horum omnium caput : Quânam ratione Deiparam semperque virginem Mariam Gabriel fausto illo nuntio salutat? Quomodò rursùs Josepho dormienti non unà vice apparet, sed eum in Ægyptum amandat, nunc illinc reducit? Et si quæ sunt aliæ apparitiones illius, quas Evangelium percurrat. Sæpè etiam Deus per seipsum et nullius interventu servos suos alloquitur; nonnunquàm servis suis per conservos, quæ sibi complacita sunt, indicat. Et his nulla contradixerit oratio, ita ut quæcumque à servis fiunt, ea rursùm ad Dominum referantur, uti Apostoli dicebant, de eo qui ex utero matris suæ claudus erat, Act. 3, 12 : *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Quemadmodùm itaque, cùm in carne erant, per se res miras patrabant, ita et nunc per se ipsos operantes animâ et corpore curationes meditantur, licèt à sese separentur, et per se quidem anima, per se verò corpus actiones peragat.

18. Quòd si, ut vos contenditis, sola Dei virtus sanctorum martyrum et aliorum justorum et servorum suorum figuras assumens, actiones illas peragit, et curationes efficit, id ipsum et de angelis liceat vobis et intelligere, et palam etiam profiteri. In pari siquidem ordine post exitum ex hâc vitâ sanctorum animæ cum incorporeis potestatibus sunt, licèt et origine præcedant, et glorià præcellant sancti archangeli, ut Patres docuêre. Quòd si hæc non æquè se habeant, falsò, ut vestro utar sermone, sanctorum apparitiones fiunt, sicuti et in theatris alii cùm sint, aliorum personas induunt, et ita simulatè ludos absolvunt. Similes itaque figuras fallaces ac ementitas species Dominus improbans dicebat non ostentationis modo, alia atque alia simulando virtutibus operam dandam esse, *sicut faciunt hypocritæ*, Matth. 6, 2; facies enim suas abolent, ut videantur non Deo, sed hominibus jejunare, à quibus etiam mercedem accipiunt. Etenim si id quod non est, id quispiam videri sese appetit, extra veritatem pedem figit. Quod verò à veritate alienum est, omnibus subjacet falsitatibus; falsitas autem ex diabolo est. Quid inde porrò consequitur? Equidem illud, Ps. 5, 7 : *Disperdet Dominus omnes qui loquuntur mendacium.* Non itaque mendacium sit, ne perditio, imò neque visio vera reputetur imaginatio. Quinimò veræ sanctorum apparitiones sunt, et sanationes ipsæ. Neque enim veluti in scenâ scurrarum, et impostorum atque hypocritarum opus est, sed veritatis. Namque ut animis atque corporibuss utilitates concilientur, sanctorum gratiæ commonstrantur. Quales enim, vel vivi vel defuncti fuêre, tales eos apparere facit Deus, non ementientes gratiam, neque beneficiorum donum adulterantes. Nam si non æquum videtur, dùm alius honorem accepit, alium gaudere; hoc verò accideret si qui incommodis oppressos imaginatione et non re ipsâ liberaverit; qui utilitatem assequitur, sese non ab eo assecutum esse intellexerit; tum enim ambo veritate exciderent, et qui beneficium accipit, ignorans, à quo sanationem habuit, et qui beneficium contulit, tanquàm qui non per se ipsum, sed per alium sanitatem reddiderit. Quorum vel unum asserere planè alienum est, et peregrinum à nostrâ orthodoxâ fide.

19. Testimonia itaque è sanctis Patribus pauca ex multis produximus. Quòd si et Patrum antiquiorum, et Ecclesiæ doctorum alia testimonia afferenda videntur, hoc idem præstabimus. Ait ergo martyr et Romanus episcopus Hippolytus, in Danielem prophetam oratione secundâ, hæc : *Tum ergo adstans Azarias et cum eo alii hymnis ac precibus Deo in medio fornacis confitebantur. Hinc à sancto, glorioso atque magnifico nomine exordium ducentes, ad ipsa Dei opera pervenêre, et primùm quidem cœlestia compellantes, dicebant glorificantes : « Benedicite, omnia opera Domini, Domino; » post hæc ad filios hominum descenderunt, ordine suo hymnum disponentes. Deinceps subterraneos advocârunt spiritus angelorum, qui profunda tartara tenent, et justorum animas, ut cum illis insimul divinas laudes concinerent.* Justorum animas Dei laudes concinere, actionem, non otium aut dormitationem commonstrat, et tartara tenentes angeli, uti operantes hymnos prosequuntur. Postmodùm et dæmones credunt timentque quòd unus Deus sit. Et modo quo vivunt et sunt pulchrum bonumque peroptant; *electione enim, et non naturâ dæmones mali sunt*, ut ait magnus Dionysius. Et sanctus martyr, itemque episcopus Methodius, ad Aglaophon-

tem oratione, veluti ab Origene dictata ista pronuntiat. *Animæ porrò ab opifice ac universorum patre, cùm sint intellectualia corpora, membris, quæ ratione speculari possunt, adornantur, hanc vel illam species formæ suscipientes. Hinc et in inferno, uti de Lazaro et divite narratur, et linguam et digitum, et alia similiter membra habere dicuntur; non quòd aliud illis informe corpus adhæreat, sed quòd ipsæ animæ involucro omni spoliatæ, tales essentiâ suâ sunt. Verùntamen cùm manifestum sit animas non supra passionem esse, nec item post migrationem ex hâc vitâ alia corpora possidere, cum quibus visuntur ante resurrectionem, consequens fuerit, eumdem hùc quoque à seipso discordare, et contraria sibimetipsi asserere.* Et paucis annexis : *Fatetur itaque ipse, quando dicit. Narratur aliquem ex mortuis eâdem ipsâ figurâ, quâ et prœditus erat, cùm in carne erat, visum fuisse. Quânam itaque ratione non dicemus te hæc, Origenes, apertè dicere? Nam si ipsa anima etiam postquàm migrârit ex hâc vitâ, non dissimilis est carni, si iisdem ipsis membris efformata est, ut et linguum et digitum, et reliqua habeat, quam ob causam propriâ ac principe animæ parte,in illam figuram transformatâ, non item per ipsum corpus futurum in eamdem animæ speciem effingetur?* Accusans Origenem redarguit sanctus martyr Methodius, non quòd dixerit ex hâc vitâ migrantium animas apparere, sed quòd instar corporis, incorporeas effingat, et linguam, et digitum, et alia membra æquè ac si illa naturâ suâ possideant, attribuat. Sibimetipsi itaque Origenes adversatur, quòd incorporeæ animæ corpus exhibens, tali eam figurâ circumvolvit; quod verò incorporeum est, naturalem habitum, speciem scilicet et figuram utique nullam habet. Alteram itaque sententiam, animas nempe corpora esse, refellit, cùm ostendat eumdem sibi contraria asserere; alteram verò, in hâc vitâ animas apparere, cùm ob eam haud criminetur Origenem, manifestò sese martyr indicat, dictum illius approbâsse, quando id verè pronuntiâsse visus est ipsâ veritate compulsus. Quod et S. Basilius, de eo Eusebio Palæstino, orat. de Syllabis (de Spirit. S., ad Amphilochium, c. 29), de eo : *Cum Spiritu sancto*, tractans insinuavit : *Sic, utique reor, traditionis robur sæpius viros compellebat suis ipsis dogmatibus contradicere;* non videtur itaque absurdum et nunc dicere traditione convictum Origenem de apparitione animarum similia tradidisse, licèt non perfectè rem totam explicaverit. Reperimus præterea Eustathium Antiochiæ Syriæ episcopum et confessorem, Patribus jam laudatis consona scribere, oratione de Animâ et contra Arianos. *Concordia his prosequens idem Jeremias, vocibus Dei asserviens, insinuat, quibus commonstrat, neque se justorum supplicationes acceptas habere, si velint illi propter homicidas preces fundere. Et dixit Dominus ad me, dicens : « Si steterit Moyses et Samuel ante faciem meam, « non est anima mea erga ipsos. »* In divinis Litteris indicatur Moysem et Samuelem vitâ esse defunctos; quomodò ergo pro iis qui minimè digni sunt, orant, si per vos non operantur? Hisce præterea idem Pater adnectit et quæ sequuntur : *Si itaque postquàm Christus apparuit, in paradisum genus humanum introduxit; cùm verò cruci affixus est, latronem eodem die in illum introducere prædixit, corpore adhuc intra sepulcrum involuto, constat, ab animâ Christi propriè cum Deo et verbo, res omnes creatas in se continente, commorante, naturâ sibi similem hominis animam in Paradisum illatam fuisse. Non enim scriptum est, ante sancti corporis resurrectionem corpus latronis in vitam revocatum, promissi convosfactum fuisse. Consequens ergo fuerit, si cautè rem intelligere volumus, animâ à cognatâ sibi animâ, tanquàm quæ majore auctoritate polleret, humaniter ductam, promissa sua eodem die persolvente, cùm aperuisset Paradisum in præclaram hæreditatem invectam fuisse.* Fatetur hic doctor à Christo humanum genus, eos scilicet, qui vitâ optimè ductâ inclaruerant, et fidem catholicam professi fuerant, quemadmodùm latronem, ex parte enim eorum, qui virtuti operam dedêre, genus universum ostendit, in Paradisum introductum fuisse.

20. Quòd si creatum Adamum Deus in Paradiso posuit, ut illum coleret et custodiret, ergo ii etiam qui ante resurrectionem in Paradisi delicias deferuntur, otiosi esse non poterunt, sed eum incorporeis virtutibus laudes Deo concinunt. Idque cùm isti peragant, hùc quoque in aliorum utilitates delegantur. Et hoc multis visionibus demonstratur, sed potissimùm ex narrationibus martyrum, quæ verè conscriptæ sunt; paucis veritatem ostendere possumus. Narrat itaque historiæ martyrii sancti Basilei Amasiæ episcopi et martyris scriptor, quæ sanctus ille diaconos suos, antequàm vitæ suæ finem poneret, admonuit : *Scitote, filii mei, hâc nocte apparuisse mihi Dominum evidenter cùm vigilarem, et finem meæ ad ipsum dissolutionis, et quæcumque ille servum suum magnificando absolvet manifestâsse. Vos ergo estote bono animo, et in Christo revertentes confirmate fratres. Eutychium verò filium Callistrati post me in episcopatum promovete; ita enim Dominus mihi revelavit; sed et vile corpus meum gratiâ suâ efficiet, ut vobis dedatur.* Et post pauca : *Christo verò fidissimus Elpidiphorus assumens unà secum diaconos in domum revexit, ut eos consolaretur. Et nocte illâ astitit ipsi angelus ter hunc in modum adhortans « Basileus episcopus Sinopem proficiscitur, et ibi vos « expectat. Experrectus itaque accipe illius diaconos, « et ascensâ naviculâ ad ipsum venito. » Ille verò trinam experrectus animo volvens præceptionem, narravit clericis, quærens, si revera locus aliquis ipsis innotescit, qui Sinopes sibi nomen vendicet, et Parthenius urbem eam esse fassus est, ad quam et Christi Apostolus Andreas pervenit. Sed ego quoque vigilans visus sum mihi præbere magno illi manus, et in Dominicum ingrediens audire, ut nunc vides, ita futurum est tibi.* Ex jam propositâ narratione tria revelationum genera dignoscimus; alio siquidem modo Deus sancto apparuit, alio angelus Elpidiphoro; hic verò cum diaconis suis Amasiâ in Nicomediensium urbem profectum sanctum Basilea hospitio excepérat; et alio martyr atque episcopus suo archidiacono. Parthenius enim archidiaconi dignitate præfulgebat. Et hæ visiones postquàm

capite imminutus sanctus Basileus, in Nicomediense mare projectus est, commemorantur; conjunctum verò est caput corpori sancti; ita ut cervicis scissura, cicatrice eâ circum ambiente, manifesto pateret, ad fidem faciendam corpus sancti visuris. Et sic in Ponticum mare à Nicomedià urbe adnavigavit, et viginti quatuor dierum spatio per profunda maris perrepens Sinope repertum est, quod sagenis ab iis qui visionem viderant, attractum in propriâ urbe reponitur. Quid ad has visiones respondebimus? Num alius pro alio apparuit? non ego equidem opinor aliquem, licèt admodùm contentiosus sit, similia effutire. Namque uti firmissimum supra demonstratum est, Dominum veluti Dominum apparuisse et apparere, et angelum veluti angelum, et sanctum veluti sanctum. Quòd si id verum non est, visiones omnes sive apparitiones per vos jam falsæ fuerint. Et quis, dummodò habeat sal in pectore, vos similia dicentes tolerabit? Angelus planè Dei sibi nomina adsciscere non sustinebit, quod et pluribus demonstrabitur, uti in Manoe Samsonis patre. Et Apostoli scindunt vestimenta sua, cùm apud Lycaones audîssent, Act. 14, 10: *Dii assimilati hominibus ad nos descenderunt.* Divinæ igitur et angelicæ, necnon sanctorum visiones reverenter accipiendæ, et uti addecet, dijudicandæ sunt; sic discrimen inter servum et Dominum agnoscendum, æquèque honor ac veneratio exhibenda. Quânam porrò ratione et sanctorum quadraginta martyrum reliquiæ ex fluvio extractæ sunt? Annon episcopo, qui tum præerat, per visionem revelârunt? Hæc itaque leguntur in eorum martyrio: *Congregatas autem et adornatas sanctorum reliquias in fluvium jecerunt, quæ congregatæ sunt in loco gelido, et nihil ex illis fluvius imminuit. Revelatumque est urbis episcopo: « Custo- « ditæ sunt reliquiæ nostræ in hoc loco. Procede ita- « que noctu, et extrahe nos. »* Hanc vocem, uti ipse reor, nunquàm angelus emisisset. Nam si emisisset, non vera, sed falsa pronuntiâsse evinceretur. Si angelus fuisset, sermonem ita direxisset: *Extrahe corpora sanctorum.* Sed quando martyres episcopo apparuêre, ipsi illi, ut id faceret, præceperunt, dixeruntque: *Reliquiæ nostræ in flumine sunt*, et: *Extrahe nos.*

21. Non sunt ergo aliis aliorum personæ adaptandæ. Hoc enim apud ventriloquos factum est, et nunc quoque fit. Nam sub Saüle, cùm non eduxisset Samuelem Pythomantis, interrogata, 1 Reg. 28, 13: *Quem vides?* respondit: *Deos vidi ascendentes de terrâ.* Et hæc proferens reputata est eduxisse Samuelem; postmodùm audiens deceptrix à malè sano Saüle: *Ne timeas*, mutatâ voce respondit: *Hominem rectum ascendentem de terrâ, amictum diploide video.* Dùm furiis agitatus Saül ventriloquo dicit: *Vaticinare mihi in ventriloqua*, et illa respondet: *Deos vidi*, prorsùs deceptionem esse quis piè credet, si fidem adhibebit iis qui hæc fusiùs exposuêre? Verùm hæc et his similia, quæ vel facta sunt, vel fiunt, mendacii pater illiusque satellites confingentes ostendunt. Qui autem veritatem amant, verum formant, et ostendunt illis qui veritatem ambiunt.

22. Neque prætereà abs re fuerit, rursùs hic pauca, quæ ex libris scriptis de sancto Theodoro decerpsimus, apponere. Narrat Chrysippus, Hierosolymitanus presbyter, in laudatione martyris hæc: *Sed quis potis fuerit exprimere, in morbis omnium generum sanationes, in omnibus omnium afflictionibus subsidia, tum nocturnas, tum diurnas apparitiones, in quibus semper cum armorum ornatu comparet, neque nunc, licèt regni cœlestis hæredibus ascriptus, habitum militarem recusans?* Quænam verò sunt quæ de eo Pater iste enarrat? Cùm duodecim miracula in eo Commentario digerantur, unum tantùm aut alterum ob sermonis prolixitatem afferam. Adnectit itaque post pauca dicitque: *Ensem nescio quis præpulchrum et auro undique ornatum in templo, in quo sanctus veneratur, obtulit. Cùm casu adfuisset puer, et ex altaribus in uno ensem conspexisset, pulchritudinis, quæ in eo erat, amore captus supplicabat martyrem mente non malâ, illum sibi habere peroptans. Quânam ergo ratione, et puero veluti pater illusit, et rem cessit? Admovit ensi dexteram puer, et martyr permittebat accivere. Cùm verò se firmiter eum tenere existimaret, et manum contraheret, in unum congressi cancelli manum alligabant; ubi verò rem acceptam desereret, et manus vinculis solvebatur, aggrediebatur rursùs arripere, et rursùm eadem vincula manum comprehendebant, adeò ut ætatis simplicioribus moribus utens, hisce martyrem exoraret: « Cedito mihi, pater sanete, « cedito mihi servo tuo rem hanc; quæ enim tibi ensis ne- « cessitas? Anne aves mactas? an pecudes? an aliquid aliud « generis ejusdem? bonus pater, hoc mihi donum elar- « gire. » Similia eaque multa pronuntians, et similia efficiens, tum equidem mœrore oppressus abiit; neque enim quod ambiebat secum detulerat. Post illius recessum apparens sanctus sacerdoti, quisnam esset et unde, puerum indicat, et ut alloquio suo demulserat. Quare tu eumdem advoca, et desiderium exple. Sic simplicitatis suæ, quam ætas ministrabat, mercedem, ensem assecutus recessit, non tantùm propter ensem, quàm ob martyris erga ipsum benevolentiam beatus existimatus. Vidistis, ut mitis et blandus ubi lenitatis opus; videte rursùs ut acer et vehemens, ubi acritudinis opus est. Cùm annua illius memoria fieret, non nemo alteri, qui celebritati aderat, aurum concredens, deposuit. Et, qui acceperat, denegante, auro spoliatus, multis cum lacrymis in thalamum accurrit, exorans ne sibi soli solemnitas illa mœrori esset. Inter somniandum martyr apparens: « Cessa, « inquit, à lacrymis, et quietus in atrio commora, et « ego quæ exposcis, ut assequaris modum inveniam. » Duo vel tres dies præteriêre, et qui inficias iverat sponte accessit, et congregatarum illarum nationum, et omnis generis multitudinis in medio, in aere suspensus pendebat, et veritatem omnem, veluti verberibus coactus enuntiabat. Fatebatur siquidem adhuc apud se integrum depositum esse, supplicabatque omnes ut tormentorum sibi precarentur solutionem. Hisce ille quidem deposita resumpsit, hic à doloribus liber evasit, et nihil ultra perpessus, secessit.* Notumne vobis remanet ex his narrationibus, imò visionibus veris, sanctos nunc vigilantibus, nunc dormientibus apparere, eorumque postulata, eodem Deo ferente, complere, et non, ut vos,

contenditis, solam Dei virtutem figuras eorum accipientem apparere, sed ipsam martyres exhibendo accessus illorum evidenter, cùm necessitas urget, efficere? non alium pro alio aut respondere, aut operari, quemadmodùm vesana ventriloqua respondit, et in fraudem interrogantem illiciendo machinata est? Ne itaque fabulas sequentes in errorem inducamur, sed veritati potiùs attendentes, stemus in eâ benè radicati atque fundati.

23. Porrò, ut dictis nostris majorem fidem comparemus, licèt quibusdam tædio esse videbimur, unâ et solâ visione allatâ, reliquas alias, quibus id placuerit relinquemus. Narrantur ergo in Revelatione Luciano presbytero, ob reliquias sancti protomartyris Stephani factâ ab eo qui viderat, post procœmium : *Cùm verò ipse quiescerem in domo Photisterii, die Paraseeve illucescente, tertiâ horâ noctis, et adhuc vigilarem, et extra me factus essem, vidi hominem aspectu quidem senem, corpore pusillum, specie venerandum, barbatum, albis vestimentis amictum, qui sese ante me silenter motitabat. Ego apud me hæsitare, quisnam ille esset? an à Deo, vel ab aliâ virtute? Ille nihil cunctatus procedit ad me, et baculo, qui illi præ manu erat, pungit, tertiùm vocans :* « *Luciane, Luciane, Luciane. — Respondi : Quid est,* « *domine? et dixit : Ascende, dic Joanni Hierosolymitano episcopo : Quousque obseramur? quousque non* « *aperis nobis? locus noster, in quo jacemus, vehementer* « *negligitur, et nunc quidem reliquiæ nostræ imbre ma-* « *defiunt, nunc sole aduruntur.* » *Ego autem humilis Lucianus, interrogavi eum :* « *Quis es tu, domine, et qui* « *unà tecum sunt?* » *et ille :* « *Ego sum Gamaliel qui* « *Paulum enutrivi, et in urbe Jerusalem legem docui.* « *Qui verò unà mecum jacet in orientali urnâ, est domi-* « *nus Stephanus, qui lapidibus à Judæis in eâdem Jeru-* « *salem obrutus decessit. Secundus est Nicodemus filius* « *fratris mei, qui noctu à Salvatore nostro Jesu Christo* « *res fidei instructus, et à Petro Joanneque discipulis* « *baptizatus est; quod cùm audissent principes sacerdo-* « *tum ægrè tulerunt, et densis sic eum verberibus mul-* « *ctârunt, ut post paucos dies obdormierit propriâ suâ* « *quiete, et curavi ut ille ad pedes sancti Stephani veluti* « *Christi confessor apponeretur. Tertius qui unà mecum* « *jacet, est Abibus, meus dilectus filius, qui mecum* « *Christi prædicationi credidit, cum me patre suo uno* « *die à commemoratis discipulis est baptizatus. Hic cùm* « *ante me dormiisset, purus atque incorruptus, penes* « *eos in tertiâ urnâ repositus est in quâ et ipse jaceo.* » Post hanc visionem, multas alias prosecutus idem Lucianus, et loca intuitus in quibus sanctorum reliquiæ urnis repositæ repertæ sunt, subdit : *Eâdem ipsâ horâ terræ motus ingens factus est, ut sancti Stephani corpus resiliret et revivisceret, odorque immensus ex urnâ illius effunderetur : sanatæque sunt ilte die animæ tres et septuaginta, auæ ibi convenerant, è variis morbis.* Et hæc quidem pauca è multis recollegimus, confirmare volentes non credentes, sanctorun visiones verissimè fieri. Probat igitur docetque visio satis abundèque actiones et adventus martyrum esse.

24. Sed fortè aliam quoque nobis dubitationem proponent, quomodò nempe sanctorum animæ aliquando armis instructæ, aliquando alienas figuras, vel equorum vel aliarum notationum præ se ferentes apparent, cùm nudæ in præsentiâ et absque corpore existant? Respondemus, quemadmodùm angeli, licèt sint incorporei, cùm mittuntur in ministerium, exequuntur mittentis mandata, et visiones efformant, modo quo recipientes visiones digni judicati fuerint, eâdem ratione animæ formas non naturales, veraces tamen accipiunt; et veluti pictor è multis coloribus res efficit subsistentes, non tamen naturâ animalia, et alia, si quæ fuerint; pari modo quæ incorporea sunt, et ratione utuntur, parvum ad tempus formas effingere possunt, quæ tamen imaginationes vocandæ non sunt, nec res naturales; nec propterea dicendum est, visiones illas et apparitiones veras non esse. Hoc in Abraham et in tribus angelis factum est, et verè quidem, sed non naturaliter manducaverunt angeli, neque imaginatione factum illud absolutum est. Dicit porrò et Dionysius Areopagita, doctor insignis, nono capite de cœlesti Hierarchiâ : *Illud quoque pontificiæ tuæ prudentiæ commemorabimus, ut et Pharaoni ab angelo Ægyptiorum præside, et Babyloniorum principi à proprio itidem, omnitus prospicientis atque dominantis providentia potestasque per visiones fuerit intimata, utque gentibus istis veri Dei ministri, ductorum instar, fuerint præfecti ad figuratas illas angelicas visiones interpretandas, quæ viris sanctis angelorum similibus, Danieli, inquam, et Josepho, ex parte Dei per angelos ante fuerant revelatæ;* et capite tertio decimo : *Quin et divinum illud præstantissimumque laudis canticum discebat, angelo, qui visionem efformabat, prout poterat, ipsi theologo sacram suam scientiam communicante.* Neque dissimilia sunt, quæ Theologus Gregorius oratione in Heronem Philosophum, scribit; ait enim : *Angelicus splendor lumenque, cùm instar corporis efformantur.* Cùm igitur, ut Patres docuerunt, licèt angeli incorporei sunt, facultate tamen à Deo acceptâ, revelationes efformant, pari ratione et sanctorum animæ, quæ angelis proximæ sunt, eumdem in modum et illæ, Deo auxilia opemque illis præbente, virtutes perficiunt. Nemo ergo decipiatur, vel potiùs alium decipiat, quæ aliis insunt, aliis attribuens : unumquodque enim in proprio ordine manere, qui ordinum princeps est, jubet : nam et *spiritus prophetarum prophetis subditur*, 1 Cor. 14, 32. Neque Deus confusionis est, sed pacis.

25. Satis abundèque declaratum, sive, ut veriùs dicam, multis modis demonstratum est, sanctorum animas esse quæ in visionibus apparent, cùm opus fuerit eas nonnullis apparere. Quando verò id demonstratum est, et adhuc addubitatur de iis qui nec virtutibus addicti, neque, ut Deo placuit, vel medio quodam modo ex hâc vitâ migrârunt, an operentur, aut hùc adveniant; an verò similis illis accessus denegatus sit, et quomodò quibusdam apparent, quæ sanctorum animæ nullo modo sunt; ut vires suggerunt, Deo sermonem suppeditante, saltem ex parte respondebimus. Dicemus itaque medium nullum esse, sed aut virtutibus aut vitiis eorum qui sunt robustâ atque integrâ ætate animas præstare. Et hoc supra à nobis demonstratum est.

Non fuerit nihilominùs absurdum, rursus eadem repetere. Namque ait Nyssenus Gregorius : *Duo hæc in creaturâ rerum universarum sunt elementa, habitationi rationalis naturæ attributa, cœlum et terra. Locus eorum qui per carnem vitam sortiti sunt, terra; cœlum autem incorporeorum est. Necesse est igitur vitam nostram prorsùs alicubi esse : nisi ex terrâ pulsi et ejecti fuerimus in terrâ prorsùs manemus, si hinc abierimus, in cœlum traducemur.* Anima ergo, ut Doctor dicit, quæ se ipsa non assuefecit, cùm adhuc carni alligaretur, terram deserere, sursùmque à spiritu saltem brevissimo tempore efferri, et mundi illius res meditari, cùm à vinculo carnis liberabitur, quomodò poterit in cœlum traduci? Ait enim : *Nisi ex terrâ pulsi et ejecti fuerimus in terrâ prorsùs manemus.* Id quoque de divite indicatum est, cùm dicitur, Luc. 16, 22: *Mortuus est dives, et sepultus est.* Confirmat præterea ista et alio suo testimonio supra adducto : *Animam minimè illuminatum, et regenerationis gratiâ non ornatam, nescio an angeli suscipiant, postquàm fuerit separata à corpore. Quomodò enim cùm non sit obsignata, nec ullum ferat signum sui Domini, quam est verisimile ferri per aerem errantem, et vagantem et minimè quæsitam, ut quæ Domino careat,* etc. Si itaque anima non obsignata Domino caret, et minimè quæritur, et per aerem fertur, par est eam, ita Deo permittente, rarò admodùm, apparentem imaginationes efformare, non ut commoda afferat, sed ut decipiat. Quomodò enim utilitatem afferre poterit nunc demùm, quæ nunquàm cum in corpore esset, tale qui, piam comminisci conata est? Et qualem ex parte gloriam sibi vindicaverit, quemadmodùm in præsentiâ sancti, qui etiam ante resurrectionem, licèt perfectè non glorificati sunt ut in Apocalypsi traditur, et cùm essent in carne indesinenter beneficia indigentibus conferebant? Id idem et diviti insinuans Abraham dicebat, Lucæ 16 : *Chaos magnum firmatum est, et unus ad alium transire non potest.* Et hoc, non quòd justi non possint inde hùc transmeare (nam volebat ille Lazarum ad fratres transmitti, quod pluribus demonstravimus fieri posse), sed quòd justi impediantur, ne unà cum peccatoribus sint, patriarcha significavit. Et quomodò fieri poterit, ut aliquando simul sint? Scriptum enim est, Gen. 21, 50 : *Non hæreditabit filius ancillæ cum filio liberæ, animæ* siquidem *justorum in manu Dei,* Sap. 3, 1 ; et per prophetam dicit Deus ; *Omnes animæ meæ sunt.* Et licèt generatim de omnibus pronuntiavit, partim nihilominùs in nuptiali thalamo, in cœlo nempe, partim extra, in terrâ scilicet, propter opera sua admittuntur. Et hæc differentia rata ac firma semper est ; namque dixit, clausam esse januam, et inter eos chaos magnum firmatum hoc indicat. Supplicabat ergo dives Lazarum mitti ad corrigendos fratres, sed nullam virtutis rationem habens, u multis utilitati esset, eosque ad opus præclarum converteret, similia enuntiabat; verùm affectui carnis adhuc mancipatus, quinque qui numeratu faciles erant fratres germanos à periculis eripere conabatur. Et qui suos quinque sensus non expurgaverat, neque curaverat, cùm adhuc vivus in terrâ degeret, quânam ratione in inferno, et inter tormenta aliorum medicus fieri poterat? Non immeritò ergo audierit, Luc. 4, 13 : *Medice, cura te ipsum.* Hanc igitur ob causam fortè Abraham asseverabat, non posse Lazarum chaos pertransire. Tuî scilicet causâ divitis, qui similia postulas. Namque, cùm delictis dives sis, eisque affluas, haud facile tibi fuerit supplicanti, captivos alios et temetipsum in libertatem vindicare. Servo siquidem servus libertatem non dat; sed neque mortuus demortuo vitam. Propterea que inquit : *Habent Moysem et prophetas, ipsos audiant.* Quotquot itaque de illis generatim benè meruêre, dùm inter eos quibus benefecerint immorabantur, et cùm abiêre à terrâ, in cœlum delati sunt, quando jam in benefaciendi assuetudine perstant, non impediuntur iterùm similia peragere. At qui rursùs piscium more in aquarum profunditatibus vitam transegerunt, licèt videantur et velint ad supremam consueti sui instituti superficiem deferri, non possunt expediti eò conduci. Quod et in divite factum est. Namque aliquando intra esse volvebat animo dicens : Filium me vocavit Abraham. Si dixero de Lazaro : *Mitte eum ad fratres meos,* omninò mihi respondebit : Mittam te, et tu ad eos accede. Idque si fuerit, jam tristium quæ me opprimunt finem inde invenero. Hinc miserabiliter dicebat : *Miserere meî, et mitte Lazarum,* nunc quidem ad fratres, nunc ad semetipsum, exorans. Quid porrò humanissimus Abraham? Non affecit injuriâ, non ignominiâ, non minis rem expediit, non asperè et acerbè respondit. Sed ut audiit, eodem animi affectu repensat. Patrem me, inquit, vocas, sed tantùm nomine ; neque enim paterna madata observâsti, et hospitalitatem in domo tuâ sectatus non es, neque eam, uti par est, in honore habuisti, ut et illa justorum tibi tabernacula conciliaret. Ego quoque pari modo te filium nuncupo. Voce vocem tuam nunc delinio, non opere. Quânam enim ratione te, qui nullum unquàm opus bonum effecisti, bonis operibus compensare possum? Non absonè ergo quidam dixerint : An igitur ante universalem resurrectionem judicium actum est? Non id dicimus. Sed quod modis omnibus futurum erat, Evangelium prædixit. Qui ergo dùm in hâc vitâ degunt, intellectuales, et quas visus consequi non potest, portas scilicet cœlestes, non reserârunt, et thesauros indeficientes sibi non thesaurizârunt, *ubi ærugo et tinea non demolitur, et fures non effodiunt et furantur,* Matth. 6, 19, quomodò eas reseratas invenerint, ut eò transferantur ad angelos et justos ; aut rursùs, inde hùc transmigrantes, aliquibus æquè ac sancti utilitatem afferant? Scriptum est enim Eccli. 2, 16 : *Non est memoria sapientis cum insipiente in æternum, quæ enim concordia luci cum tenebris?* 2 Cor. 6, 14. Spes siquidem, sive stationes non eædem sunt, ut eædem etiam apparitiones sint eorum qui operibus inter sese mutuò minimè communicant.

25. Sed fortassè dicitis : Operantur aliquid hæ animæ, vel non operantur? Respondemus, eas operari, non tamen eâ operatione, quâ sanctorum animæ, sed modo quo vivunt et sese movent, et pœnitentia ducuntur, quemadmodùm et dives dicebat : *Pater Abra-*

ham, miserere meî, et quæcumque de eo Evangelium narrat, non tamen eæ à Deo mittuntur ad aliquos beneficentiæ gratiâ, nisi quis asseruerit, ita Numine annuente id fieri, et quemadmodùm Pater dixit : *Cùm careant Domino, et per aerem ferantur errantes et vagantes*, imaginariè apparitiones efficere, fortè propriâ libertate utentes. Quòd si ita Deo mandante id agatur, *quis dicet illi : Quare hoc fecisti?* Narratur enim et de Eliâ prophetâ, eum ob asperam et triennem ab eodem increpationem populo indictam, et famis crassationem, per impuram alitem, corvum, inquam, ali Deum mandâsse. Jure ergo optimo atrore nigroreque profusæ animæ nonnullis rariùs sese manifestant.

26. Quonam verò in loco aut sedibus illæ degunt, vel immorantur? Antequàm Christus hominem assumeret et passionibus subderetur, et ex mortuis resurgeret, Patres affirmârunt, et divina id eloquia pronuntiârunt, ut apud Jobum scriptum est, cap. 30, v. 16 : *Venisti verò ad fontem maris, aut in vestigiis abyssi ambulâsti? Aperiuntur verò tibi metu portæ mortis, et janitores inferni videntes te obriguerunt*, Hinc manifestum est, in profundissimis terræ visceribus omnium animas detentas fuisse, quas ereptas eduxit Dominus et Deus noster, morte mortem conculcans, et portas inferi conterens; ideòque Evangelista adnotat multa dormientium sanctorum corpora resurrexisse, et multis apparuisse. En *apparuerunt* dixit. Et si id tum factum est, manifestum est et nunc quoque apparere. Cùm enim sanctorum animæ id agere cœperint, ad consummationem usque mundi hoc idem peragendi finem non ponent. Et animas ex obscuris illis atque infimis, quæcumque sint loca illa, exsolutas esse, de omnibus universè animabus asserendum est, quod Apostolorum princeps scripserit : *Propterea et his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit*, Petri 3, 19. Sese verò manifestâsse, de sanctis tantummodò, et non de omnibus Evangelista pronuntiavit. An porrò corpora fuêre sanctorum, qui ante multos annos, vel ante paucos, vel tum recens mortem obierant, quod et verisimilius mihi videtur, cùm dicat, *apparuerunt*, ut recentem memoriam et mutuam cognitionem indicaret; *non omnes id sciunt, sed quibus datum est intelligere*. Attamen *multis apparuisse* citra ullam ambiguitatem et contradictionem asseruit. Corpus verò demortuum absque animâ nullam apparitionem efficere potuerit; at anima, tanquàm quæ perenniter vivit, et nunquàm dissolvitur, etiam absque corpore operatur, et visiones effingit, et sese ipsam Dei ope, ut multis jam demonstravimus, manifestat. Et de primâ animarum statione in universum hæc dicta sint.

27. De præsenti verò sanctarum animarum statione planè jam à nobis expositum est eas in cœlo cum angelis choreas ducere; cùm et de Lazaro referat, Lucæ 16, 22 : *Factum est autem ut morereturmendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est.* Sepultura siquidem sanè est, cùm transire non valeas, neque prætergredi principem mundi et tenebrarum, et quæ sub eo sunt potestates rebelles et ordines. Nec aliâ ratione de animabus quæ vitiis implicantur, nonnulli ex Patribus locuti sunt, eas scilicet è corporibus egressas, sive à malis, sive à bonis angelis comprehendi. Ex quo conjectari licet quibus in locis degant, postquàm separatæ fuerint à corpore. Idque apertè Gregorius Nyssaensium episcopus, ut supra ostendimus, indicavit. De hoc eodem et deifer Athanasius, Alexandrinæ urbis episcopus, Antonii vitam enarrans, scribit : *Quondam horam circiter nonam mente sese raptum sensit Antonius, quodque suspiciendum est, stans vidit seipsum tanquàm extra sese; atque à quibusdam velut in aerem deduci, ibique tetros nonnullos et terribiles consistere, transitum ejus ut impedirent. Reluctantibus verò ejusdem ducibus, expostulavêre illi quasi obnoxius illis esset. Cùmque rationes à nativitatis exordio exposcerent conferrentque, iidem Antonii duces prohibuêre, ac dixêre, culpam à natali die omnem delevisse Dominum; licere autem illis à monachatûs tempore, et quo se Deo consecrâsset, primordium exigendi capere. Cùm autem accusarent quidem, non autem convincerent eum, libera minimèque impedita illi via fuit. Tum illicò se veluti reversum vidit, atque priore loco integrum stare. Ibi oblitus capere cibum substitit per tempus, quod diei erat reliquum, noctem verò totam gemitibus et precibus transegit. Admirabatur enim ut vidit adversùs quot nobis lucta esset; et transitus per aerem quanto labore constaret, et recordabatur id ipsum esse quod Apostolus dixerat : « Secundùm principem « potestatis aeris hujus. » Hæc enim est hostis potestas, pugnare atque experiri omnia, quominùs quispiam transeat; unde præ aliis adhortatur : « Accipite armaturam « Dei, ut possitis resistere in die malo, ut is qui ex ad- « verso est vereatur, nihil habens malum dicere de no- « bis. » Quo nos cognito, meminerimus verborum Pauli, « sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. » Et Paulus quidem usque ad tertium cœlum raptus, auditis verbis arcanis, descendit; Antonius autem usque ad aerem se vidit pervenisse, luctatus donec liber evaderet. Aliud rursùm Antonio fuit donum. Sedens enim in monte solus, si quâ de re unquàm apud se dubitabat, ea ipsi divinâ providentiâ revelabatur, eratque, ut Scriptura loquitur, beatus ille à Deo edoctus. Post id temporis cùm de animæ conditione cum quibusque familiaribus disseruisset, quis hinc migraturæ locus esset futurus? nocte proximâ quidam desuper vocato ipsi : « Antoni, ait, sur- « ge, prodi, atque vide. » Egressus igitur : nôrat enim aures quibus dandæ; longum quemdam cernebat oculis; deformem ac terribilem stantem, et ad ipsas pertingentem nubes; nonnullos etiam quasi alis præditos ascendere; illum manus extendere, et alios quidem ab illo impediri, alios superiùs volare, et transitu perfunctos securè sursum ferri. Ob hos ergo stridebat dentibus prælongus ille, ob delapsos verò lætabatur. Tum vocem Antonius audiit : « Considera visum. » Et apertâ ipsi mente animadvertit animarum esse transitum, et prælongum illum stantem, esse hostem, qui credentibus invidet, sibique obnoxios teneret, nec transire pateretur; eos vero qui illum non audissent, teneri haud posse, ut qui subvehantur. Quo rursùm cognito, et velut commonefa-

ctus magis contendit quotidiè in iis quæ potiora essent progredi. Satis apertè abundèque divus Athanasius magni Antonii revelationem exponens, apostolici dicti mentionem induxit, fidem suis dictis eorumque habitibus ex eo concilians, illaque confirmans. Ambarum itaque bonarum, inquam, animarum, et dissimilium stationis sive conditionis discrimen postquàm è corporibus emigrârunt, cùm Patres explicaverint, omnem dubitationem et hæsitationem procul abegerunt. Inquit etiam sanctus Basilius, oratione in Baptismum, hæc : *Non aderit qui baptizat, mors irruet, abductores urgebunt. Quis liberabit? Deus tibi despectus? At, inquis, Deus me tunc exaudiet. An tu verò nunc ipsum audis? Præscriptum tempus aliquod addet; scilicet quo dato benè es usus? Nè, miser, decipiaris. Nemo te inanibus seducat verbis. Aderit tibi repentinum exitium, ac interitus similis procellæ te evertet. Veniet angelus tristis per vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam; teque demùm magnoperè cruciatum, et absque voce querentem præcluso lamentis vocis organo ad nigra tartara deducet.* Illius vestigia secutus est frater Gregorius, cùm extulit quæ supra posuimus. Nihilominùs ad dicta nostra corroboranda eadem hìc repetere non gravabimur. Sunt porrò hæc : *Ne doleamus igitur, et ægrè feramus, fratres, terrenis nos expelli atque prohiberi; nam qui hinc migraverit, in cœlesti regiâ diversatur. Duo hæc in creaturâ rerum universarum sunt elementa habitationi rationalis naturæ attributa, cœlum et terra. Locus eorum qui per carnem vitam sortiti sunt, terra; cœlum autem incorporeorum est. Necesse est igitur vitam nostram prorsùs alicubi esse, nisi ex terrâ pulsi et ejecti fuerimus, in terrâ prorsùs manemus; si hinc abierimus, in cœlum traducemur.* Et iterùm : *Animam minimè illuminatam, et regenerationis gratiâ non ornatam, nescio an angeli suscipiant postquàm fuerit separata à corpore. Quomodò enim, cùm non sit obsignata, nec ullum ferat signum sui Domini, quam est verisimile ferri per aerem errantem, et vagantem, et minimè quæsitam, ut quæ Domino careat, quærentem quietem et locum in quo maneat, et non invenientem, frustra deflentem, et inutiliter pœnitentem non secùs atque divitem!* Et hæc quidem sunt Patrum documenta. Quid verò de duobus divitibus Dominus enuntiavit? De uno siquidem hæc dicit, Lucæ 12, 20 : *Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te. Quæ autem parâsti, cujus erunt?* De altero verò rursùm : *Et mortuus est dives, et sepultus est.* Quæ itaque Patres obscurè et veluti in ænigmate loqui visi sunt, ea Dominus, ut qui veritatis apicem solus callebat, et qui naturâ verèque verax esset, suo calculo comprobavit. Ipse enim omnia in sapientiâ fecit, et quoscumque voluit, quinimò quotquot digni effecti sunt ut acciperent sapientiam et intelligentiam, sapientes fecit; *omnia* siquidem *operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique peculiariter sicuti vult*, 1 Corinth., 12, 11, et, *ubi vult spirat*, Joan. 3, 8. Ubi verò vult? Ad eos nempe qui semetipsos præparârunt, siquidem dixit, Matth. 18, 20 : *Ubi sunt duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* et : *Inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero in illis Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Hic ergo in omnibus sanctis suis, prophetis, et apostolis, et doctoribus inhabitans, quæcumque voluit per eos revelavit; et illi postmodùm de omnibus Ecclesiam illius instruxerunt. Et animas quidem, postquàm migrârunt ex hâc vitâ, operari, et sedes in quibus immorantur, pro viribus nostris ex divinis Scripturis et Sanctorum Patrum documentis leviter modicèque edocuimus.

28. Progrediamur itaque et ad subsequentem quæstionem, quam nos promisimus extricaturos. Quæritur siquidem ab aliquibus, *num oblationibus, et inter preces, et supplicationes commemorationibus animæ utilitatem capiant?* Conabimur itaque etiam de hoc nonnulla testimonia apponere. Et primùm illud ostendemus, in veteri lege, licèt obscuriùs veluti in typo hujusce nostræ et veræ legis, sanctorum commemorationes modis omnibus præceptas fuisse; dicitur enim in Genesi, c. 50, v. 2, de Jacobo : *Præcepitque servis suis funeratoribus, ut funerarent patrem suum, quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies; iste quippe mos erat cadaverum conditorum. Flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus.* Et in Deuteronomio de Moyse hæc narrantur : *Moyses autem erat centum viginti annorum, quando mortuus est. Non caligaverunt oculi ejus; nec corrupti sunt labelli ejus. Et fleverunt filii Israel Moysem in Araboth Moab in Jordane adversùs Jericho, quinquaginta diebus, et completi sunt dies planctûs lugentium Moysem.* Attamen, cùm *futurorum bonorum umbram lex obtineret*, ut dixit Apostolus, Hebr. 10, sub uno numero luctûs dies omnes enumeravit. Verùmtamen nunc, qui Verbum et Deum suis viderunt oculis, illique administrârunt, aliter Ecclesiæ tradiderunt, et quinquaginta dies in tres partes diviserunt, in tres scilicet, novem et quadraginta. Pari etiam ratione Dominus post quartum suæ resurrectionis diem manifestavit semetipsum discipulis, clausis januis, cùm illis dixit, Joan. 20, 21 : *Pax vobis, et insufflavit in faciem eorum, et dixit : Accipite Spiritum sanctum.* Notaturque unum ex ipsis non fuisse simul cum illis. Et post dies octo rursùs erant intùs discipuli ejus, et Thomas cum ipsis. En post resurrectionem intra octo dies secundùm discipulis apparuit. Dùm itaque Evangelista dicit, *post dies octo*, resurrectionis ipsam diem non numerat, cùm illa siquidem novem sunt. Secundùm itaque hanc formam nos à die sepulturæ usque ad diem nonum bis eorum, qui piè obdormierunt, commemorationes peragimus. Similiter et die quadragesimo, quandoquidem quadragesimo die Dominus assumptus est. Hæc autem fieri tradita sunt non utcumque et temerè, sed prorsùs alicui commodo futura. Commodum autem quodnam aliud fuerit, quàm utilitatis quæ defunctorum animabus resultat? Invenimus siquidem et in veteri Fœdere, suscitare semen fratri defuncto à vivente miserationem esse, utilitatem nempe, quæ defunctum consequebatur. Quare dicit Noemi; hæc verò socrus erat Ruth, de affini suo Booz. Dixit verò Noemi nurui suæ Ruth, c. 2, 20 : *Benedictus est Domino; quoniam reliquit misericordiam suam et cum viventibus et cum mortuis.* Benefacta ergo non in bene-

facientibus tantummodò remanent, sed pro iis etiam, pro quibus benefaciunt, benefacta peraguntur, et in eos utilitas immeat. His expressiora et clariora dicta gestaque in Machabæorum historiâ repereris. In secundo siquidem illius libro hæc digeruntur : *Judas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam; et cùm septima dies superveniret, secundùm consuetudinem purificati, in eodem loco sabbatum egerunt, et sequenti die venit cum suis Judas, ut corpora prostratorum tolleret, et cum parentibus poneret in sepulcris paternis. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Judæos; omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur. At verò fortissimus Judas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes, quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderunt, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis). Et quia considerabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Quare prudenter considerandum est quot in hâc historiâ continentur, admodùm rectè et religiosè fecisse Machabæum, qui sacrificium pro peccatis duarum millium drachmarum sacrificium Deo obtulit; rectè de quiete cogitantem id peregisse; orandum esse pro iis qui cum pietate obdormierunt, et gratias agendum; sanctam esse denique et piam similem cogitationem. Et quod sanè admirandum est, solutionem peccatorum eos pro quibus similia fiunt, consecutam esse ab eo qui ut ita agerentur præscripsit, humanissimo Deo nostro. Si itaque pro iis qui turpis lucri causâ idola subripuerant, oblationes catè accuratèque legem eo tempore servantibus, ut à tali peccato absolverentur ii qui illud patraverant, et hæ post mortem eorum qui deliquerant, factæ sunt; quantò magis qui nunc in fide Christi et sanctè obdormiverunt, maximam capient utilitatem, si oblationes et supplicationes pro iis peragantur? Hoc innuens Apostolus dicebat, Hebr. 13, 7 : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei;* et rursùs, Rom. 12, 13 : *Memoriis Sanctorum communicantes;* Et alio quoque loco, nempe Rom. 7, 8 : *Et hìc quidem homines decimas morientes accipiunt; ibi autem contestatur quia vivit.* Cùm legem divinus Apostolus didicisset, res à Machabæis optimè gestas satis callebat; quin etiam usque ad tertium cœlum raptus, auditis verbis quæ effari non possunt, ritè ac rectè præcepit ut præpositorum memoria ageretur, et sanctorum memoriis communicarent. Hinc postmodùm dicebat : *Et hìc quidem homines decimas accipiunt morientes.* Dionysius item Areopagita, Athenarum episcopus et Martyr, hæc et his similia instructus atque edoctus ab eo qui in se Christum loquentem habebat, in mysterio synaxeos, sive communionis tradit : *Sacrarum porrò tabularum quæ post pacem adhibetur recitatio deprædicat eos qui sanctè vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt; nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum quietemque deiformem adhortando ac manuducendo, illos verò ceu viventes celebrando et, ut Theologia docet, nequaquàm mortuos sed ex morte ad vitam divinissimam translatos. Adverte autem ut et sacris memorialibus inserantur, non quasi humano more memoria divina in eâ parte memoriæque visa recipit inesse declaret, sed ut quis dixerit pro Dei dignitate secundùm eam quæ in Deo est, rerum perfectarum ad deiformium pretiosam, et immutabilem cognitionem. Novit enim, ut eloquia testantur, qui sunt ejus; et « pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, » morte sanctorum pro sanctâ consummatione acceptâ. Sed et illud quoque sanctè observa, ut impositis divino altari sacris symbolis, quibus Christus significatur ac sumitur, protinùs adsit sanctorum illa descriptio, quæ individuam eorum conjunctionem unionemque cum illo supermundialem sacramque insinuat.* Si itaque ut vivi, qui obdormierunt, deprædicantur, ut Pater hìc docet, ergo et ut vivi utilitatem persentiscunt. Quod enim commodum demortuis fuerit, dùm alii munera offerunt, si id quod fit in eosdem non redundat, sed in offerentes solùm convertitur? ut vos inquitis; neque enim ad mortem, sed ad vitam divinam ex morte transplantati sunt. Propterea que sacris memorialibus inseruntur, et individuè Christo conjuncti, choris sanctorum adsunt; ideòque operantur, et in hunc mundum ad aliorum multorum commoda mittuntur, et oblationem quæ pro iis fit persentiscunt. Satiùs idem doctor, capite de iis qui sanctè obdormierunt, hæc eadem docet : *Accedens divinus antistes precem super eo sacram peragit, quâ finitâ ipsemet antistes defunctum amplectitur, et post eum præsentes omnes. Rogat itaque precatione illâ divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam ac vivorum regionem transferat, et collocet in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, in loco à quo dolor, tristitia gemitusque aufugiunt.* Qui antistitis precatione solutionis peccatorum dignus efficitur, commodumne capit, annon? Prorsùs hoc concedendum est, licèt id nonnullis displiceat. Quod igitur precatio facit, hoc idem multò magis et ampliori mensurâ oblationes perficient. Postmodùm rursùs hæc subnectit : *Sinus autem, meâ quidem sententiâ, sunt beatorum patriarcharum, cæterorumque sanctorum divinissimæ beatissimæque quietis sedes, quæ viros omnes deiformes excipiunt in suâ insenescibili beatissimâque consummatione;* et : *Justorum autem preces etiam in hâc vitâ, nedùm post mortem iis solis prodesse, qui sanctis precibus digni sunt, veræ nos eloquiorum traditiones docent.* Et : *Etenim divinis id decretis stabilitum est, ut divina munera iis qui eorumdem participatione digni sunt, eo quo Deum decet ordine distribuantur ab illis qui iisdem distribuendis sunt præfecti.* Et paucis interjectis : *Divinus itaque antistes,*

ut eloquia testantur, interpres est divinorum judiciorum. Angelus enim Domini omnipotentis est Dei, quapropter ex Scripturis divinitùs traditis accepit, quomodò iis qui sanctè vivunt, pro cujusque meritis divina clarissimaque vita ab æquissimis istis lancibus retribuatur, divinâ nimirùm clementiâ, pro bonitate suâ, maculas ex humanâ fragilitate contractas dissimulante, quòd nemo, ut eloquia tradunt, mundus sit à sorde. Hæc itaque promissa novit antistes ex verissimis Scripturis; quare petit illa compleri, indulgerique iis qui piè vixerint, sacra præmia. Et : *Etenim antistes, cùm sit præcipuus divinæ justitiæ præco, nunquàm postularet ea quæ non essent Deo quàm gratissima, et juxta promissiones ejus deiformiter concedenda. Quamobrem defunctis improbis nequaquàm istiusmodi precatur, non solùm quòd interpretis officium in hoc violaret, atque præsumptuosè sibi quidquam munerum pontificalium arrogaret, ab auctore mysteriorum minimè motus; verùm etiam quòd impiâ petitione frustraretur, et à justo prorsùs elocuto etiam ipse meritò audiens :* « *Petitis, et non accipitis, quia* « *malè petitis.* » Infidelium eorumque qui in fide obdormierunt, discrimine exposito, Ecclesiæ doctor persuasit, et nunc quoque persuadet, probos castosque viros pro iis qui sanctè pièque mortem obierunt, supplicationes et oblationes afferre. Nihil enim ad conciliandum benevolentiam tanti est, quanti animi affectio redonata. Ephræmus etiam, inter Syros magnus eximiusque doctor, de hoc capite in Testamento ab se facto hæc insinuat : *Accedite ad me, fratres mei, et extendentes componite me; nam spiritus meus penitùs defecit. Et comitamini me in psalmis atque orationibus vestris, et, ut consuetum est, pro meâ parvitate oblationes facere dignemini; et quando diem trigesimum complevero, meî memoriam faciatis. Mortui enim in precationibus atque oblationibus commemorationis, sanctorum vivorum beneficio afficiuntur. Et videte in rebus etiam à Deo creatis singulis aliquid simile : veluti germen vitis, racemusque acerbus in agro et vinum expressum in doliis est, atque in ædibus. Quando igitur racemus in vite maturuerit, tunc vinum agitabitur, ac de suâ quodammodò naturâ recedet, si in domo immutatum fuerit. Similiter etiam de cepâ intelligite : cùm enim in domo fuerit aliqua arida, et aliqua in agro sata, eodem tempore quo hæc suam viriditatem explicat, etiam illa domi arida germinat. Si igitur creaturarum fœtus sic inter sese consentiunt, quantò magis mortui in memoriis ipsarum oblationum persentiscunt? Quòd si mihi scitè respondeas, hæc naturam rerum creatarum sequi, intelliges te esse primitias quasdam creaturarum Dei; quòd si adhuc non te simile convincit, nisi testimonium quoque adduxero, variè in scriptis relata esse reperio, et si tibi animus est, prudenter facta excipe. Servus Dei; Moyses benedictionibus Ruben ad tertiam usque generationem benedixit. Si ergo non redimuntur mortui, quâ de causâ Ruben Moyses usque ad tertiam generationem benedixit? Audi quid clamet Apostolus dicens : Si omninò mortui non resurgunt, cur et baptizantur pro mortuis? Qui enim sub lege ad expectationem resurrectionis in mysterio detinebantur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat, sicut legistis quòd in oblationibus sacrificiorum sacerdotes in lege mundabant etiam; quantò autem magis novi Testamenti sacerdotes Christi delere meritò poterunt debita eorum qui decedunt, in sanctis oblationibus et precationibus! Cùm verò ad memoriam faciendam accesseritis, videte, fratres mei, ne quispiam in sancta peccet; sed attentè et reverenter atque humiliter, et sanctè ac purè invigilate.* Omnem contradictionem quâ simile argumentum oppugnari poterat, doctor exterminavit. Nam et exemplis satis aptè usus est, et apertè enuntians docuit, illis, quorum inter oblationes memoria fit, emolumentum accedere. Neque ab his discordant, quæ Cyrillus Hierosolymitanus in quintâ mystagogicâ catechesi, cujus principium est : *Dei humanitas*, tradit : *Postmodùm memoriam facimus eorum qui ante nos obdormierunt, primùm patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras; deinde pro defunctis sanctis Patribus et episcopis; denique pro omnibus oramus, et qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio etiam multos dicere : Quid juvat animam sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio, exulibus eidem offerent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum et nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis et illis, eum qui est benegnissimus Deus, propitium reddamus.* Illisce non dissimilia sunt quæ sapientissimus Alexandrinæ urbis episcopus, oratione suâ, cui titulum fecit : *Adversùs eos, qui audent dicere non esse offerendum pro iis qui in fide obdormierunt*, et incipit : *Qui suæ mentis oculum dirigunt*, edocet : namque ita rem prosequitur : *Non inclementer itaque illis dicimus : Instituite animum ad cogitandum de Domino; finem ponite, veritatis dogmatibus audacem mendacemque linguam opponendi; finem ponite ritus Ecclesiæ temerè criminandi. Neque enim ad decet, inquiunt, nos ad ipsa sepulcra progressos pro iis qui obdormierunt, vota supplicia fundere; offerreque, et intento etiam animo, Christo veluti præsenti per sanctum et mysticum sacrificium.* Et paucis annexis : *Quid ergo absurdi fuerit, corpore Christum præsentem pro iis qui in fide obdormierunt, supplicationes accipere? Et enim si nulli commodo est, sed verè vanum atque inutile oblationis nostræ eos dignos facere, id neque in simplicibus nostris precationibus locum habeat. Tum siquidem quispiam, dummodò velit, sacrificii, quod pro iis conficitur, superfluum depurget. Quòd si charitatis legibus conculcatis, quòd illi in nullâ apud vos æstimatione sunt, et eos relinquitis, ut modis omnibus suffocentur, lapides nos duri atque inhumani absque ullâ hæsitatione ostendimur. Quid invedit ne cum precibus pro illis fusis unà*

secum convehant et sacrificium ; et qui id facere sibi proponunt, oblatis auxiliis eorum animas juvent ? Et rursùs : *Cùm itaque pro defunctis sacrificia et preces offerimus, ne quis nobis crimen appingat. Dùm supplicamus, quàm optimum super illos facere conamur, per quod ad miserandum promptior Pater accedet. Mors etiam ipsa abrogatur.* Et : *Licèt enim è terrenis corporibus extra factæ sunt defunctorum animæ, nihilominùs viventes adhuc reputantur apud Deum. Quis hoc asserere recusabit ?* Et paucis interjectis : *E sententiis itaque bonis ac sapientibus, nec mediocriter excidisse quisque comperiet eos, qui dormientes et sacrificio mystico, et supernâ clementiâ spoliare conantur. Vivunt enim vitam quæ in imagine Dei vivitur, et quam semper simul cum Christo victuri sunt.* Et post pauca Jobi pro filiis sacrificio apposito (dicitur enim, Job. 1, 5 : *Mittebat Job, et purificabat eos, exurgens mane, et offerens pro eis victimas secundùm numerum eorum*), infert : *Ergo sacrificia offerre pro aliis à Deo non rejicitur, quod absque crimine fieri vermittit. Laudat igitur tanquàm utile.*

Tum deinceps historiâ atque miraculo quæ in Lucæ Evangelio de paralytico et iis qui ex tecto eum submiserant, expositis, subinfert et ait : *Non absque miraculo fidem eorum qui adduxerant reliquit. At hic dolorum solutionem abundè consequebatur, et quod alterius erat, in candidum Dei amorem immutavit, et sibi à Christo qui à peccatis simul et ægritudinibus liberat, benevolentiam conciliavit.* Itemque centurionis mentione inductâ (cujus in Matthæi Evangelio historia narratur, dicentis, cap. 8, v. 6 : *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur, et ait illi : Ego veniam et curabo eum. Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel ; tum ipsi : Vade, et sicut credidisti fiat tibi, et sanatus est puer in illâ horâ*), subnectit, et ait : *Vide etiam in hoc absentem per alterius fidem sanatum. Quid igitur nobis avaritiam et lucri cupidinem exprobratis rerum similium prorsùs ignari, qui supernam clementiam in fide defunctis conciliare nitimur, et sacrum ac mysticum pro illis sacrificium perpetramus, cujus ope misericordiam consequimur, cujus subsidio ipsius mortis robur cecidit, et vitæ nunquàm desinentis spes in Christo Jesu Domino nostro reluxit ?* Contentiosè admodùm orationem suam sapiens ac optimus Pater instituens, non sine indignatione atque gravi offensione ab errore quàm longissimè repellit eos qui non rectè sentire sibi in animo proposuerant ; tum deinceps abundanter nimis sacris eloquiis et miraculis à Christo in omnibus Deo quæ pro aliis precationes, necnon sacrificia, et donaria fide sibi oblata excipiens confecit, instructus, illis, qui adversantur, seseque opponunt constitutioni, consuetudini scilicet, et recto catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ dogmati, silentium imponit, suadetque in posterum sæpiùs pro mortuis oblationes atque supplicationes absolvere, cùm planè calleant, illis Deo et Patri oblatis maximam inde mortuis emanare utilitatem. Opportunum itaque in præsentiâ est, verborum ac sententiarum tantorum doctorum concordiam respicientes, Salomonis illud dictum Prov. 18, 19, in memoriam revocare : *Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas munita, et mœnibus cincta.* Quod etiam David non sine laude extollebat Psalm. 131, 1 : *Ecce quàm bonum et quàm jucundum habitare fratres in unum !* Munimentum porrò et habitatio nuncupatur, et est jucunda, concors doctorum animus atque unus consensus. Quid item percelebris Byzantinæ urbis episcopus Joannes, oratione 28 Commentarii in Matthæum docet ? En verba : *Quid ergo defunctum exagitas ? Cur facis ut alii mortem timeant atque formident ? Cur causam præbes ut nonnulli Deum incusare audeant, quòd mala nobis tanta invexit ? Imò verò cur post mortem tuorum pauperes presbyteros convocas ad orandum ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem habeat. Propter hæc ergo fles atque ululas ? Non habuisti eum hæredem ? Sed factus est Christi. Sed cui pretiosas, inquies, vestes, cui ædes, cui servos, cui agros relinquemus ? Illi ipsi profectò, et multo tutiùs quàm si viveret. Nihil enim prohibet. Nam si multæ barbaræ gentes unà cum defunctis res eorum cremare solent, quantò æquiùs defuncto sua tradere poteris, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reaaant ! Et si peccator ille decesait, ut illis se à maculis detergat ; si justus, ut mercedi et retributioni adjectio accedat. Sed videre ipsum cupis ? Eamdem quam ille vixit vivito vitam, et sacrum illum aspectum citissimè consequeris.* Et commentario in primam ad Corinthios Epistolam, homil. 1, quæ incipit : *Sed dicet quispiam : Quomodò resurgunt mortui ?* hæc rursùm divinus doctor inculcat : *Propter hoc ipsum etenim.* ***

(Sic explicit in editione Romanâ præsens Eustratii tractatus è Græco in Latinum idioma ab Allatio translatus.)

DE INDULGENTIIS.

(AUCTORE COLLET.)

Præsentis hujusce tractatûs novem erunt capita. Primum Indulgentiarum nomen et essentiam aperiet. Secundum potissimos ipsarum effectus reserabit. Tertium expendet an in Ecclesiâ sit potestas Indulgentias concedendi. Quartum disseret de fundamento Indulgentiarum, seu de Ecclesiæ thesauro. Quintum indulgentiarum valorem et usum explanabit. Sextum de iis aget qui Indulgentias lucrari possunt. Septimum

erit de altaribus privilegiatis. Octavum varias circa præsentem materiam difficultates expendet. Nonum abusus qui occasione Indulgentiarum quandoque irrepunt, recensebit.

CAPUT PRIMUM.

De nomine et essentiâ Indulgentiarum.

1. Indulgentiæ nomen aliquando malam in partem sumitur, nimirùm pro licentiâ cuipiam ad malè agendum concessâ, secundùm illud :

Magna patrum segnes facit indulgentia natos.

Sed et aliquando sumitur in bonum, videlicet pro benignâ debiti alicujus remissione. Sic Isai. 61 : *Spiritus Domini..... misit me, ut..... prædicarem captivis indulgentiam*, seu *remissionem*, ut habet Lucas, cap. 4. Quamvis autem remissio possit esse peccati, vel quoad culpam, vel quoad pœnam, usu tamen ecclesiastico receptum est, ut in præsens sumatur pro condonatione pœnæ, quam subire debent pœnitentes propter peccata, etiamsi fuerint sibi per Pœnitentiæ sacramentum quoad culpam dimissa. Ita Sylvius, Suppl. q. 25, unde Indulgentia definiri potest : *Remissio pœnæ temporalis quæ post culpam et pœnam æternam condonatam luenda superest; à legitimo superiore extra sacramentum concessa per applicationem thesauri Ecclesiæ.*

2. Dicitur 1° *remissio* seu condonatio *pœnæ* temporalis (ejus scilicet quæ Deo debita est, non justitiæ civili vel ecclesiasticæ); remissio enim seu culpæ, seu pœnæ æternæ non fit per Indulgentiam, sed simul cum culpâ per sacramentum Pœnitentiæ, in re vel in voto.

3. Dicitur 2° pœnæ *quæ post culpam et pœnam æternam dimissam luenda superest*. Siquidem dimisso peccato non semper tolli pœnam omnem, fusè probavimus in Tract. de Pœnitentiâ.

4. Dicitur 3° extra *sacramentum* concessa. Fit enim quidem in quolibet sacramento ritè suscepto, atque etiam per missæ sacrificium, aliqua pœnæ remissio, per applicationem satisfactionum Christi. Verùm remissio hæc non est Indulgentia sensu ordinario intellecta. Aliunde Indulgentia neque sacramentum est, nec idonea quæ sacramentorum instar, gratiam sanctificantem infundat.

5. Dicitur 4°, *à superiore legitimo*, id est à Prælatis Ecclesiæ, nimirùm summis pontificibus et Episcopis, qui soli ordinariam habent potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ. De quo infra, cap. 5.

6. Dicitur 5°, *per applicationem thesauri Ecclesiæ*, seu per applicationem superabundantium satisfactionum Christi vel sanctorum, in acceptione divinâ permanentium. Dixi porrò *Christi vel sanctorum*, quia ut ex Bellarmin., lib. 1 de Indulgentiis, c. 4, observat Eusebius Amort. (1), part. 1, § 1, ad Indulgentiam sufficit ut hæc applicetur parte sui præcipuâ, prout scilicet constat ex meritis Christi; non autem necesse est ut simul adhibeantur merita Sanctorum, quamvis id laudabiliter fiat et ab Ecclesiæ initio factum fuerit.

Indulgentia, ex Extrav. *Unigenitus*, 2, de Pœnit. et Remissionib., dividitur à Clemente VI, 1° in plenariam seu totalem; et partialem, seu non plenariam.

Indulgentia plenaria ea est quæ remittit totam pœnam temporalem debitam peccatis quoad culpam remissis.

7. Indulgentia partialis est ea quæ solùm remittit certam ac determinatam partem pœnæ iisdem peccatis quoad culpam remissis debitæ eamque majorem vel minorem, juxta tenorem Indulgentiæ. *Pœnæ*, inquam, *debitæ*, actu vel potentiâ. Nec enim ut quis partialem Indulgentiam lucretur, necessum est, ut sit debitor pœnæ totius quam partialis Indulgentia remittit; alioqui viri sanctiores ad hujusmodi Indulgentias minùs idonei forent, quàm minùs sancti, quod absonum foret. Unde si quis vel minùs, vel id tantùm debeat, quod per indulgentiam relaxatur, hæc etsi de se partialis, per accidens respectu ipsius plenaria erit.

8. 2° Indulgentia plenaria à Bonifacio VIII, in Extrav. com. *Antiquorum*, 1, de Pœnit. et Remiss., dividitur in plenam, pleniorem et plenissimam (1).

9. Circa divisionis hujus sensum hærent theologi. Alii per plenam Indulgentiam eam intellexerunt, quæ pœnam solis mortalibus debitam remitteret; per *pleniorem* seu *largiorem*, quæ insuper pœnam debitam venialibus condonaret; per *plenissimam* verò, quæ præter utramque hanc pœnam remitteret ipsam venialium culpam. Alii plenam dixerunt Indulgentiam, quæ injunctam in Pœnitentiæ tribunali pœnam totam relaxaret; pleniorem, quæ pœnitentiam secundùm antiquos canones olim adimplendam dimitteret; demùm plenissimam, quæ pœnam totam secundùm Dei ipsius judicium debitam remitteret. Alii crediderunt nullum à parte rei esse discrimen inter Indulgentiam plenam, pleniorem, etc. At iis vocibus per emphasim quamdam usos esse pontifices, ut ostenderent se divinæ misericordiæ thesauros aperire quantùm possent, et ad id gravissimis de causis impulsos fuisse. Alii demùm, et nostro quidem judicio meliùs, divisionem hanc non repetunt ex effectu Indulgentiæ, quæ statim ut plenaria est, pœnam totam peccatis debitam ex integro dimittit, si fructus ejus ex integro percipiatur; sed ex privilegiis eidem Indulgentiæ annexis; adeò ut dicatur plenaria, *quando tota pœna in foro et judicio Dei debita remittitur; plenior, quando superadditur potestas extraordinaria absolvendi à casibus et à censuris reservatis; plenissima, quando dispensandi in votis et hujusmodi vinculis potestas communicatur*, secundùm diplomatis formam, quæ semper

(1) De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum.... Notitia historica, dogmatica, polemica, critica... Auctore D. Eusebio Amort., canonico regulari Lateranensi... Augustæ Vindelicorum et Græcii, 1735. Volum. in-fol.

(1) « Non solùm plenam et largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum. » Bonifacius VIII, cit. cap.

attentè pensanda est. Ita Marchantius, in Tribunali, tomo 3, tract. 5, tit. 2, quæst. 3.

10. Indulgentia plenaria vocatur aliquando indulgentia ad instar Jubilæi, vel in formâ Jubilæi. Hæc tamen nihil aliud importat, quàm plenariam pœnarum remissionem, non verò specialia Jubilæi ordinarii vel extraordinarii privilegia, nisi hæc disertè exprimantur in diplomate; unde, quod indirectè observat Suarez, disp. 50, sect. 4, n. 8, cavendum iis qui hujusmodi Indulgentias denuntiant, ne fideli ulli persuadeant iis annexa esse eadem quæ Jubilæis privilegia. Neque enim id, nisi expresserit, intendit Pontifex, sed tantùm ut vehementiùs ad lucrandam Indulgentiam excitentur fideles, et sciant eam urgentioribus de causis concessam fuisse.

3° Indulgentia partialis multiplex secernitur; alia nimirùm est quadragenæ, seu quarantenæ; alia septenæ; alia quadraginta aut centum dierum, vel annorum; alia de injunctis pœnitentiis.

11. Indulgentia quadragenæ, seu, ut alii breviùs loquuntur, quadragena, est remissio tantæ pœnæ temporalis, quanta in Dei judicio remissa fuisset per pœnitentiam communem quadraginta dierum olim ex præscripto canonum pro quibusdam peccatis adimplendam.

12. Dixi, *per pœnitentiam communem;* Indulgentia enim quâ remittebatur rigorosior pœnitentia quadraginta dierum in pane et aquâ, sicut et eadem pœnitentia, carena, seu carenæ Indulgentia vocatur. Carena enim, juxta plures, dicitur à carentiâ cibi et potûs, queis uti homines consueverunt.

13. Indulgentia septenæ est remissio pœnitentiæ per annos septem juxta canones adimplendæ; seu remissio tantæ pœnæ, quanta condonaretur per canonicam septem annorum pœnitentiam. Sunt qui velint carenam complecti remissionem tam rigidioris pœnitentiæ quadraginta dierum, quàm pœnitentiæ sequentis annorum septem. Nituntur ii cap. 13, de Accusationibus, ubi sic: *Quadraginta dies in pane et aquâ, quod carena vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteat.* Verùm prior carenæ interpretatio magis recepta est, et textui mox citato ampliùs consonat.

14. Ex his intelligitur Indulgentiam tum 40 aut 100 annorum, tum mediæ, tertiæ vel quartæ partis peccatorum, nihil aliud esse quàm remissionem vel pœnæ totius, vel partis pœnæ, quæ intra certum tempus fuisset juxta canones exsolvenda. Dico, *juxta canones*, non autem in Purgatorio, propter rationes infra exponendas.

Duplex hìc exsurgit difficultas: prima quorsum plenariis Indulgentiis aliquando jungantur partiales, puta quadragenæ: ad quid enim dierum vel annorum aliquot Indulgentia, ubi plenaria præstò est?

Secunda. Quid de iis 10, 20, 50, imò 100, annorum millium Indulgentiis sentiendum sit, quæ apud varios scriptores à diversis pontificibus concessæ leguntur?

15. Ad primam respondet Suarez, ibid. n 9; 1° se nullam talium Indulgentiarum formam invenisse, vel in Decreto aliquo juris, vel in authenticâ quâpiam bullâ; 2° posito quòd aliquæ id genus Indulgentiæ exstiterint, eas, si verba sinant, ad diversa tempora referri debere; ita ut quis primùm plenariam lucretur Indulgentiam; postmodùm verò, si novæ pœnæ reatum incurrerit, partialem lucrari valeat; 3° si ad idem tempus utraque pertineat, verisimile esse concessionem hanc sic esse dispositam, ut plenaria Indulgentia cadat in commodum agentis; partialis autem in commodum alterius, seu vivi, seu defuncti, pro quo hanc per modum suffragii offerre voluerit. Addunt alii Indulgentias, si quæ tales occurrant, à diversis concessas fuisse pontificibus, quorum alter partialem tribuit; quam posterior fecit plenariam; utramque verò conservatam esse, ut si fortè finalis causa Indulgentiæ non sufficeret ad plenariam, minimùm sufficeret ad partialem.

16. Ad secundam respondent Gerso, Estius, et alii passim, abnormes hujus generis Indulgentias omninò fictitias esse. *Non enim*, ait Bellarminus, lib. 1, c. 3, *solebant* antiqui *Indulgentias concedere, nisi tot annorum quot annorum pœnitentiæ injungebantur: pœnitentiæ verò non solebant injungi, nisi unius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quæ ultra centum annos porrigi non solet.*

17. Subdunt alii prædictas Indulgentias, si fortè aliquando in usu fuerint, respondisse numero annorum, per quos facinorosi quidam ob geminata in uno vel multiplici genere crimina, juxta canonum rigorem plecti meruerant. Is enim numerus cùm juxta proportionem arithmeticam cresceret, crescebat in immensum. Si enim adulter et homicida annorum viginti pœnitentiâ dignus erat, qui centies utrumque hoc scelus geminaverat, quoti, quæso, temporis pœnitentiam merebatur? Quid ergo si idololatriam, aliaque paris mensuræ portenta portentis prioribus junxisset, ut ii faciunt, qui *bibunt quasi aquam iniquitatem*, Job. 15? Ita ibid. Bellarminus (tomo mihi 7, pag. 444). Nec grandem moram facit quod respondet Tournelyus, pag. 256, nimirum hanc computandæ pœnitentiæ rationem veteribus planè incognitam fuisse. An enim non eam promerebat peccator, quia ab Ecclesiâ non judicebatur? Si merebat autem, quidni ab eâ potuerit absolvi? Facilè tamen crediderim istud Indulgentiæ genus nunquàm certæ fidelium multitudini fuisse concessum; at privatis nonnullis potuisse concedi, qui ob innumera flagitia penè acti in desperationem, indigebant ut sibi tota quanta est misericordia Dei patienter exhiberetur.

18. Indulgentia *de pœnitentiis injunctis* est condonatio pœnæ æquivalens illi remissioni, quam in judicio Dei obtinebant antiquitùs, qui pœnitentias pro certis criminibus per canones injunctas adimplebant. Porrò fatentur saniores quique cum Marchantio, supra, q. 2, à solo Deo posse statui, quanta esset in judicio Dei remissio pœnæ, quæ vi pœnitentiæ per canones injunctæ obtinebatur. Sanè, ait idem

theologus, *quæstiones de illis non generant nisi opiniones*, etc.

An autem Indulgentia hæc dimittat solùm pœnas quæ à canonibus pro certis peccatis injunctæ erant, an eas etiam quas quis meruerat per alia peccata, quibus nullæ per canones indicebantur pœnæ, gravis est inter scholasticos controversia.

19. Censent plures cum Durando, Cajetano et aliis apud Suarem, disp. 50, sect. 3, n. 2, per Indulgentiam de pœnitentiis injunctis, non remitti omnes prorsùs pœnas, sed eas solùm quæ vel à canonibus injunctæ fuissent, vel à confessario injunctæ sunt. Unde duo infert Cajetanus: 1° per ipsas etiam plenio-res Indulgentias non remitti nisi pœnas quæ injunctis pœnitentiis correspondent; 2° plus ex Indulgentiis lucri ab iis percipi quibus graviores à confessario impositæ erant pœnitentiæ. Quapropter, inquit, orare debet pœnitens, ut gravior illi satisfactio indicatur, quo deinceps per Indulgentiam à gravissimâ pœnâ illi correspondente liberetur.

20. Alii verò cum Suarez, ibid. sect. 5, n. 8 et 14, docent Indulgentiam tam sine, quàm cum particulâ *de pœnitentiis injunctis*, non solùm remittere pœnitentias injunctas, seu pœnas illis correspondentes, sed etiam alias quaslibet *juxta quantitatem seu largitatem concessionis*; ita ut verba, *de pœnitentiis injunctis*, non sint restrictiva, sed ampliativa, adeòque eorum sensus *etiam de pœnitentiis injunctis*.

21. Quòd Indulgentia, quæ simpliciter et absque clausulâ *de pœnitentiis injunctis* conceditur, pœnam omnem remittat, probant 1° quia Indulgentia valet prout conceditur, neque restringenda est, sed potiùs instar favoris amplianda, quantùm verba ferunt. Ergo cùm verba generalem sensum ferant, generaliter, cùm id in animarum favorem cedat, sunt interpretanda. 2° Quia Bonifacius VIII, in frequenti cardinalium consistorio, declaravit suam hanc esse intentionem ut tam plenam indulgentiam concederet, quàm per Ecclesiæ claves concedi posset. Atqui dubio procul poterat idem Pontifex Indulgentiam in prædicto sensu, seu ad quaslibet pœnas concedere.

22. Quòd autem Indulgentiæ sub clausulâ, *de injunctis pœnitentiis*, eas etiam pœnas remittant pro quibus nullæ pœnitentiæ injunctæ fuerint, probant 1° quia sic sentiunt SS. Thomas in 4, dist. 20, q. 1, art. 3, quæst. 1, ubi simpliciter docet Indulgentias valere ad remissionem pœnarum, sive pœnitentiæ sint injunctæ, sive non; Antoninus, 1 parte, tit. 10, cap. 3, aliique plures gravissimi. 2° Quia quod solvit majus, debet in eodem genere solvere et minus. Atqui Indulgentiæ quæ solvunt injunctas à confessario pœnitentias, majus quid solvunt, quàm aliæ. Majus est enim remittere pœnam à judice constitutam, quàm quæ ab eo necdùm inflicta sit: siquidem in priori casu duplex tollitur vinculum; unicum autem in posteriori. 3° Quia probabile est eum qui per voluntarias pœnitentias ex opere operantis pro peccatis suis satisfacit, priùs extinguere pœnam debitam peccatis pro quibus nulla sibi pœnitentia injuncta est quàm eorum quæ jam in confessione judicata sunt: quia pœnæ hujus remissio reservatur pœnitentiæ ex confessarii præcepto postea adimplendæ. Ergo pari jure credendum est Indulgentiam priùs et faciliùs extinguere pœnam debitam peccatis quibus nulla constituta est pœnitentia, quàm extinguat pœnam iis debitam peccatis, pro quibus injuncta est pœnitentia. 4° Quia remissio de pœnitentiis injunctis, vel intelligeretur de pœnitentiis impletis, vel de non impletis. Neutrum porrò dici potest. Non primum, quia tunc vel nihil remittitur, eò quòd jam satisfactum sit, vel remittitur pœna aliis peccatis debita; quod intendit Suarez. Non secundum quia alioqui melior esset conditio illius, qui pœnitentiæ sibi injunctæ executionem distulit ex negligentiâ; quod absurdum est.

23. Alii demùm mediam ineunt viam cum Lugo, disp. 27, de Pœnit. n. 13, et docent Indulgentiam, si absque clausulâ, *de injunctis pœnitentiis*, concedatur, ad omnes pœnitentias, etiam non injunctas, extendi; eamdem verò additâ prædictâ clausulâ ad eas tantùm pœnas extendi quæ impositæ sunt.

24. Probant primam partem, tum ex dictis num. 19, tum quia sic expressè declaravit Pius V, apud Bellarminum hìc, lib. 1, cap. 7.

25. Secundam verò partem probant, quia constat Indulgentias olim magnâ ex parte inductas fuisse, ut temperarentur gravissimæ pœnitentiæ quæ juxta canones pœnitentibus imponebantur. Eæ enim primitùs multo fervore implebantur; at cùm tepescente pietatis æstu languescerent, sæpè etiam omitterentur, cœperunt pontifices per Indulgentias aliquid de injunctis pœnitentiis detrahere, remittendo vel annos vel dies aliquot ex illis qui in pœnitentiam injungebantur. Ergo prima Ecclesiæ intentio fuit, ut injunctum pœnitentibus onus, quod ii præ fragilitate suâ ferre non poterant, imminuerent atque moderarentur. Jam verò nihil est cur relaxatio ad unum pœnitentiæ genus ex Ecclesiæ intentione relata, ad aliud extendatur. Ergo.

Nec nocent quæ contra objiciuntur à Suare.

26. Non primum. Ubi enim doctores doctoribus opponuntur, habenda est ratio probationum, non auctoritatis.

27. Non secundum. Hæc enim regula: *Qui solvit majus, solvit et minus*, de iis est intelligenda, quorum unum in alio, minus scilicet includitur in majori. Quâ de causâ dispensatus ad sacerdotium, ad inferiores ordines dispensatus censetur. Porrò dispares pœnæ in se invicem non includuntur. Neque ulla est connexio inter liberationem ab uno debito, etiam majori, et liberationem ab alio.

28. Non tertium. Quia aliud est pœnam faciliùs remitti posse; aliud Pontificem velle ut ea per Indulgentiam remittatur. Imò ne tollatur pœnitentis satisfactio, simulque ut ad eam implendam accendatur, æquum est ut à graviori pœnâ liberetur, sed non ab omni. Valet enim exhortatio isthæc: Debes centum; remittentur tibi misericorditer octoginta; age ergo, et saltem enitere ut reddas viginti.

29. Non quartum. Hæc enim remissio intelligitur

de pœnitentiis non impletis, sive per incuriam, sive per oblivionem, sive quia necdùm advenerat tempus quo implendæ essent. Neque, ait ibid. Lugo, n. 13, novum est, quòd hujusmodi concessiones minùs prosint diligentioribus. Nam quando per Jubilæum conceditur facultas commutandi vota, is qui votum suum jam implevit, nihil ex eo favore lucri habet: habet verò qui ex negligentiâ, vel aliam ob causam distulit executionem voti. *Imò propter ejusmodi personas minùs diligentes fiunt ejusmodi concessiones, ut liberentur à periculo, quod ob fragilitatem vel negligentiam suam possunt incurrere.*

30. At, inquies, graves illæ antiquorum canonum pœnitentiæ jam injungi non solent. Ergo inutiles erunt Indulgentiæ, per quas pœnitentes ab his solùm pœnitentiis liberarentur.

31. Respondet idem qui mox cardinalis, n. 14, graves quidem illas veterum canonum pœnitentias jam de facto propter fidelium socordiam non imponi ab homine; sed tamen imponi à jure. Unde qui eas à confessario per accidens non recepit sub obligatione, poterit adhuc per Indulgentias liberari ab illo radicali onere et debito, quod ex lege habebat subeundi graves ejusmodi pœnitentias. Sicque conciliabitur utraque opinio, ita ut Indulgentia non solùm ab injunctis de facto pœnitentiis liberet, sed ab aliis insuper; iis nimirùm quæ de jure injungendæ erant. Hæc ille quæ ex dicendis partim innotescent, partim æquis limitibus coercebuntur.

32. 4° Dividitur Indulgentia in *temporalem*, quæ ad certum tempus, puta ad septennium concessa est; *indefinitam*, quæ simpliciter et absque temporis seu durationis determinatione tribuitur; et *perpetuam*, quæ in perpetuum conceditur. Fatentur communissimè theologi, Indulgentiam sine determinatione temporis concessam, eamdem habere vim ac quæ in perpetuum tribuitur; sive quia agitur de materiâ favorabili, quæ verba quantùm possunt, extendi postulat: sive quia decet principis privilegium, quod limitatum non est, tanquàm perpetuò concessum reputari, verùm theologos inter controvertitur, an indulgentia in perpetuum concessa, reapsè perpetua sit. Negant Pontas, v. *Indulgence*, cas 7; Tournely, p. 311, uterque ex Gamachæo, qui c. 6, de Indulgentiis (tomo 3, pag. 820) nixus regulâ 57 cancellariæ Romanæ, docet *Indulgentiam absolutè concessam alicui Ecclesiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, restringendam esse ad viginti annos, aut ad summum ad annos viginti tres*, id est, usque ad tempus magni Jubilæi.

33. Ast nemini jam licet dubitare, quin Indulgentia in perpetuum, vel indefinitè concessa reapsè perpetuò duret nisi fortè revocetur, quod fieri non solet. Ità expressè contra Pontasium docet R. P. Theodorus à Spiritu. S. sacræ Indulgentiarum congregationis consultor, in suo de hâc materiâ tractatu Romæ impresso an. 1743, ubi et quinquagesimam septimam cancellariæ regulam à Gamachæo pessimè citatam esse ostendit; et à Clemente VIII revocatam. Idipsum invictè probat R. P. Servatius Le Febvre, in supplemento Theologiæ Francisci Henno: ubi p. 381, refert authenticum ejusdem S. congregationis decretum, quo ad instantiam provincialis sui definitum est die 22 januarii, an. 1753. Indulgentias quæ conceduntur, seu *pro tali die cujuslibet anni futuri*; seu sub formâ, *in perpetuum*, non reduci ad viginti annos, sed in perpetuum durare.

5° Dividitur indulgentia in localem, realem et personalem.

34. Localis ea dicitur quæ certo loco affixa est, quam proinde lucrantur, qui sub conditionibus in diplomate expressis locum hunc invisunt. Hæc porrò ut plurimùm particulari cuidam diei affixa est. Aliquando tamen singulis diebus durat in perpetuum; qualis ea est quam percipiunt, qui certa terræ sanctæ loca; vel limina Apostolorum Romæ visitant. Et *tunc*, ait S. Thomas in 4, dist. 20, q. 1, a. 3, quæst. 2, ad 4, *quoties vadit aliquis*, ad hunc locum, *toties* (1), servatis servandis, *Indulgentiam consequitur*. Secùs de Indulgentiâ non perenni, quæ semel tantùm percipitur. Vide Pontas., ibid. casu 16, qui casu 8, observat non posse plenariam novam Indulgentiam constitui in loco, qui aliâ jam simili vel dissimili Indulgentiâ fruatur; ob hanc Brevis pontificii clausulam: *Volumus autem, ut si alias fidelibus in quocumque alio anni die dictam Ecclesiam, seu capellam aut altare in eâ situm visitantibus, alia aliqua Indulgentia, vel perpetua, vel ad tempus nondùm elapsum, concessa fuerit, præsentes nullæ sint.* Quod apud Sylvium in resolutionibus, v. *Indulgentia*, n. 3, declaravit Urbanus VIII. 2° Posse tamen quibusdam ejusdem loci incolis, v. g., ob confraternitatem, cui sese adscribi curabant, novam aliam, eamque plenariam Indulgentiam concedi: quia etsi de jure communi locales duæ Indulgentiæ simul non subsistunt; potest tamen localis alia subsistere cum aliâ personali, qualis ea est quæ piis Sodalitiis conceditur. Unde S. J. Congregatio die 16 martii an. 1677, approbante Papâ declaravit, prædictâ clausulâ *minimè contineri altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut confraternitati, regularibus et capitulo, aut certum pium opus in ipsâ Ecclesiâ peragentibus, ut litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christianâ doctrinâ eruditiuntur, vel alios eruditunt, et qui SS. Eucharistiæ sacramenti expositioni cum oratione quadraginta horarum intersunt, neque stationum Urbis, et septem altarium Indulgentias, instar septem altarium basilicæ Vaticanæ concessas; neque demùm quæ pro unâ vice conceduntur. Cæterùm, si alia Indulgentia, sive plenaria, sive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio R. Pontifice generatim Christi fidelibus ecclesiam, vel aliquod ejus altare, seu capellam visitantibus, eodem anni die, vel diverso concessa fuerit, de quâ non fiat mentio in litteris apostolicis, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsùs irritas ac nullas*, ita refert Ferraris, v. *Altare privilegiatum*, n. 7. Ut solvantur nonnullæ aliæ difficultates.

(1) Hæc S. Thomæ decisio limitanda est ex dicendis, cap. 5, q. 5.

Quæres 1° quid juris, si pereat locus cui annexa erat Indulgentia, vel in profanum convertatur?

35. R. 1° : Certum est non perire Indulgentiam, si ecclesia per partes tantùm et paulatim destruatur atque reædificetur, quia semper perseverat eadem numero Ecclesia.

36. R. 2° : Si ecclesia penitùs concidat, nec reædificetur, perire cum ipsâ Indulgentiam, utpote eidem affixam.

37. R. 3° : Si reædificetur ecclesia; vel in eodem loco extruitur, vel transfertur in alium. Si primum, probabilis satis est opinio eorum qui Indulgentiam perseverare opinantur; præcipuè si statim inchoetur reædificatio, quia propter actûs vicinitatem censetur eadem ecclesia moraliter perdurare. Imò videtur etiam subsistere Indulgentia, licèt instauratio ad multum tempus differatur; quia idem est situs quoad locum, idem et templum in morali hominum æstimatione. Si secundum, multoperè dubitat Suarez, ibid., disp. 52, sect. 1, n. 9, an permaneat Indulgentia. Isthæc enim concessa fuit huic numero ecclesiæ, non autem in communi ecclesiæ talis oppidi. Porrò ecclesia in alium locum translata nullatenùs manet eadem ecclesia, vel quoad ædificium, vel quoad solum, seu situm Ergo multò verisimilius est Indulgentiam in hoc casu extingui, nisi aliunde ex privilegii verbis satis constet Indulgentiam non restringi ad hunc locum quasi materialem, sed concedi vel ecclesiæ quam hæc vel illa religio aut communitas eo in loco habet, vel intuitu patroni. Hactenùs fermè Suarez. Benè, meo quidem judicio, sibi consulent, qui in casu ecclesiæ, non modò translatæ, sed et continenter in eodem loco reædificatæ, novas sibi, quod facile est, Indulgentias accersent; nisi ex privilegii verbis probabilissimè constet priores perdurare.

Quæres 2° an, quando annexa est Indulgentia visitationi alicujus Ecclesiæ, necesse sit eam corporaliter ingredi, et an ingressus ille sufficiat.

38. R. ad primum pensanda esse privilegii verba; hæc enim si expressè requirant ingressum in ecclesiam vel actionem quæ sine hoc ingressu fieri non potest, puta celebrationem aut communionem in tali ecclesiâ, visitationem quinque altarium, non poterit quis Indulgentiam lucrari, etiamsi per vim, vel propter populi multitudinem ab ecclesiæ ingressu arceatur. Si autem verba impleri possint per moralem accessum ad ecclesiam, ut impleri posse videntur, cùm bulla solùm exigit ut quis ecclesiam visitet, imò, et probabiliter, cùm exigit ut quis in ecclesiâ oret; tunc qui ob vim, puta quia occlusæ sunt januæ, vel ob populi turbam, nonnisi ante fores orare poterit, nihilominùs lucrabitur Indulgentiam; quia ex morali hominum existimatione Ecclesiam invisisse reputabitur. Ita Suarez, ibid., n. 7. Honoratus à S. Mariâ, in Gallico de Indulgentiis et Jubilæo tractatu, pag. 133, aliàs 112; Blasius ab Assumptione, in opere cui titulus : *Recueil de cas de conscience et de questions qui concernent le Jubilé*, cap. 5, casu 11, pag. mihi 196. Quarti, in Tract. de Jubilæo, pag. 120; Lugo, disp. 27, n. 98, ubi, etsi non requirit motum corporis ad hoc ut altaria censeantur visitari, cùm quis in eo ecclesiæ loco et situ est in quo moraliter reputetur orare coram unoquoque ex iisdem altaribus; credit tamen non esse satis ut quis intra ecclesiam positus animo converta tur ad tale altare. *Imò*, inquit, *etiamsi sis in loco apto, ut in medio ecclesiæ, vellem tamen aliquo gestu vel conversione capitis aut corporis, significari conversionem ad singula altaria. Nam exigitur visitatio sensibilis; hoc est, talis actio, quæ exteriùs significet orationem fieri ad tale altare.*

39. R. ad secundum vel cum visitatione ecclesiæ præcipitur aliquod speciale opus in ecclesiâ faciendum, puta orationum aliquot recitatio; vel non. Si primum extra dubium est non percipi Indulgentias ab iis qui solo in ecclesiam ingressu contenti, iisdem orationibus defuerint. Si secundum, constat quoque Indulgentiarum expertem fore, qui locum hunc, ut et alia loca profana, puta ex curiositate, aut illùc transeundo inviseret : quia visitatio ad Indulgentiam requisita, debet necessariò pia esse ac religiosa, et in Dei aut sancti honorem cedere. Ita idem Suarez, n. 4.

40. Indulgentia realis est ea quæ annexa est quibusdam rebus piis, puta cruci, numismatibus, seu medaliis, ut passim loquuntur, Rosariis, etc., et conceditur fidelibus, qui res easdem devotè gestant, sub conditionibus in Indulto expressis. De his infra.

41. Sed hìc exurgit dubium, quod nonnihil etiam locales Indulgentias spectat. Quid enim ad pietatem vel satisfactionem interest, quòd quis in hoc potiùs templo preces fundat, quàm in alio, iisve potiùs ad orandum calculis utatur quàm istis.

42. R. cum eodem Suare, ibid., Indulgentiam huic templo affixam multùm conferre ad augendam devotionem, tum erga locum ipsum, tum erga sanctum qui in eo colitur, quemque magis ac magis honorari intendit Ecclesia. Faciunt etiam Indulgentiæ ut fideles cultum et gloriam Dei et sanctorum ejus in eodem loco per eleemosynas adaugeant; qui finis semper honestus est, et ad Indulgentiæ effectum accommodatus.

43. Pari jure cùm Indulgentia conceditur imagini, cruci, reive cuipiam alii per seipsam dignæ reverentiæ, fit ex concessione istâ ut imago hæc majori sit in veneratione, et fidelium devotio in prototypon ipsius vehementiùs exardescat. Quod verò ad calculos seu grana benedicta pertinet, ut iis annectatur Indulgentia, satis est quòd ex se et ante Indulgentiam, sint veluti quædam actûs religiosi, orationis nempe, instrumenta; et ea secum deferre, quædam sit virtualis professio fidei. Cur autem his numero granis alligetur Indulgentia, non aliis, ratio præcipuè duplex affertur : Alia quòd non deceat Indulgentias, ne vilescant, Rosariis omnibus annecti : alia quòd eædem res, ut majoris boni principium, longè pluris æstimentur, quatenùs signa speciali modo ad profitendam fidem, et exercendos religionis actus deputata.

44. Circa realem Indulgentiam hæc breviter annotanda : 1° re moraliter destructâ, ita ut nec eamdem

formam gerat, nec eadem res esse in æstimatione communi censeatur, perire Indulgentiam; 2° ex adverso perseverare Indulgentiam, si res ita priorem formam retineat, ut pro eâdem moraliter habeatur. Unde qui pereuntem Rosarii funiculum funiculo novo resarcit; aut pauca grana deperditis substituit numero minori, non excidit à jure Indulgentiæ; 3° ad lucrum Indulgentiæ realis necessum sæpiùs esse ut rem deferamus nobiscum, juxta tenorem privilegii; eo scilicet tempore quo intenditur consecutio Indulgentiæ; nec enim ex coronâ Indulgentiam lucratur, qui eam servat domi, dùm recitat; 4° contra Bonacinam hìc, disp. 6, q. 1, puncto 7, n. 2, neminem posse lucrari Indulgentiam utendo re alteri ad Indulgentiam concessâ; quia Indulgentia, licèt realis, ordinem dicit ad personas quibus res sacræ distribuuntur. Hinc qui habet numisma vel coronam, quibus ex indulto Papæ annexa est Indulgentia, si hæc alteri donet vel commodat, non transfert cum iis Indulgentiam, nisi id expressè concesserit Pontifex; atque ita declarârunt Alexander VII, die 6 februari 1657, et Innocentius XIII, die 15 junii 1721. De his rursùs cap 8, n. 6 et seq.

45. Indulgentia personalis est ea quæ conceditur immediatè personis, seu in individuo, seu in communi, non tamen omnibus generatim, sed tali, v. g., sodalitio vel confraternitati adscriptis; et hi, ubicumque fuerint, Indulgentiam per opera præscripta, seu sani, seu in articulo mortis lucrari possunt, secundùm tenorem ejus.

46. Circa hæc tria veniunt notanda, 1° sub Indulgentiis alicui oppido vel civitati concessis, ipsos etiam clericos comprehendi; quia et ipsi pars sunt christianæ plebis. Idem de religiosis etiam exemptis dicendum, quoad ipsas episcopales Indulgentias. Nam sunt exempti in favorem, non verò in detrimentum; adeòque quoad favorabilia censentur subditi, eo ipso quo sunt de talis episcopi territorio. Ita idem Suarez, cit. disp. 52, sect. 1, n. 13.

47. 2° Eum qui Indulgentiam concedit ejus participem fieri posse.

48. 3° Paucos esse qui Indulgentiam in articulo mortis, summè licèt utilem, lucrentur; quia pauci præstant quæ tum præstari debent. Sed de his, Deo dante, in decursu.

CAPUT II.

De effectibus Indulgentiarum.

Ut intelligatur plenius, et simul, quantùm opus erit, vindicetur allata in præcedenti capite Indulgentiæ definitio operæ pretium est ut partes ejus potissimas revocemus ad examen, et à cavillis pluribus tueamur. Discutiendum igitur in præsens, 1° an Indulgentia temporalem solùm pœnam, non item æternam, vel ipsam culpam dimittat; 2° an verè coram Deo remittat id omne quod remittit; 3° quâ ratione effectum hunc præstet; 4° an Indulgentia eos quibus applicatur, ab operibus pœnitentiæ eximat; 5° quo instanti effectum suum pariat Indulgentia. De quibus sit

Conclusio I. Indulgentia per se non confert remissionem culpæ mortalis, imò nec venialis,

1. Prob. prima pars, quam de fide certam existimat Suarez, disp. 50, sect. 1, n. 2. Prob., inquam, 1° quia peccatum mortale nunquàm remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis, uti docet Tridentinum, sess. 6, cap. 7. Atqui gratia sanctificans non potest infundi, seu per Indulgentiam, quæcumque ea sit, seu per ullam remissionem extra sacramentum factam. Minor est de fide, cùm Tridentinum, sess. 6, can. 4, et sess. 14, cap. 2, expressè doceat, neminem sive infidelem, sive baptizatum consequi posse justificationis gratiam sine Baptismi aut Pœnitentiæ sacramentis, vel contritione cum eorum voto. Jam verò Indulgentia, nec octavum quoddam Sacramentum est, nec contritio. Atque etiamsi recipiens quis Indulgentiam, haberet contritionem cum Sacramenti voto, jam Indulgentia non operaretur remissionem peccati mortalis, sed inveniret illud deletum perfectâ contritione, quæ peccatum quodcumque tollit, etiam ubi deest Indulgentia, aut cùm eam homo hìc et nunc lucrari non intendit. Ergo.

2. Prob. 2° quia Ecclesia non solvit actualia peccata, nisi per modum judicii. Atqui Indulgentiæ non conceduntur per modum judicii.

3. Prob. 3° quia omnes Indulgentiarum formulæ semper declarant per illas compensari satisfactionem in pœnitentibus contritis vel confessis. Ergo præsupponunt ad earum effectum requiri ut jam ablatum sit mortale peccatum, seu per confessionem, seu per contritionem.

Atque hinc sequitur pœnam æternam mortalibus peccatis debitam per Indulgentias remitti non posse. Quæ enim culpam, pœnæ æternæ principium, remittere non possunt, non possunt pœnam hanc remittere, Unde ea vel cum culpâ concomitanter remittitur, vel consequenter per satisfactionem, etc.

4. Prob. secunda pars, 1° quia Indulgentiarum formulæ non concedunt pœnæ remissionem, nisi contritis et confessis. Ergo supponunt culpam alterutro modo priùs tollendam esse, quàm solvatur pœna.

5. 2° Quia culpa venialis de lege ordinariâ tolli non potest sine hominis actu; quo prior ejus voluntas aliquo modo immutetur; secùs de pœnæ remissione, quæ mutationem hanc non requirit. Atqui per Indulgentiam non datur actus hujusmodi contra peccatum veniale. Indulgentia enim neque dat contritionem, cùm eam nec ipsa sacramenta dent; nec ejus defectum supplet, ut facit pœnitentia, quæ justificat cum attritione, ad justificationem extra sacramentum impari. Quoties enim remissio culpæ etiam venialis contingit sine dispositione per se sufficiente ad remissionem ejus, necessum est ut interveniat causa, quæ ex opere operato ad hujus culpæ remissionem concurrat, cujusmodi est sacramentum. Atqui Indulgentia, nec ad culpæ etiam venialis, nec ad alium quemvis effectum concurrere potest per actionem ex opere operato; utpote quæ solis sacramentis competat. Ergo. Et hæc communior est theologorum opinio contra Paludanum et alios paucos.

6. Dixi in conclusione Indulgentiam non conferre

per se remissionem ullius culpæ, immediatam videlicet; quia indulgentia ad remissionem hanc concomitanter prodesse potest, quatenùs nimirùm et varia postulat pietatis opera, quæ indubiè ad obtinendam Dei misericordiam disponunt, et varios, qui ab eâ removent, obices tollit, puta reservationem peccati, censuras, ipsa etiam quandoque vota, quod tamen solæ Jubilæorum Indulgentiæ præstare consueverunt.

7. Obj. Nonnulli pontifices in diplomatibus suis testantur se absolvere *à culpâ*, vel *à peccato*. Atqui verba hæc, utpote generalia, de peccato etiam lethali intelligi debent, ad minimum autem de veniali. Ergo.

8. Respondent aliqui : Neg. maj. Indulgentiæ enim *tali tenore*, seu quæ à culpâ et pœnâ simul absolvant, *nusquàm à Sede Apostolicâ emanant*, ut dicit Felinus, in tract. de Indulgentiâ, et post eum Barth. Fumus, in Armilla : ita ex bonis theologis refert Maldonatus, tomo 2 de Pœnit., q. 6.

9. Atque hinc Sabbatina, ut aiunt, Bulla, in quâ Joannes XXII, ex jussu B. Mariæ, quæ sub habitu Virginis Carmelitæ eidem apparuerat, Carmelitis tribuit Indulgentiam quâ *fratres dicti ordinis à supplicio absolventur et culpâ*; gravi falsitatis suspicione apud eruditos plures laborat. Nescit nemo quot Indulgentiæ variis temporibus prodierint, quæ nedùm à S. Sede profluerent, ab eâdem indignanter rejectæ sunt. Sanè si *falsa latinitas vitiat rescriptum*, habet Bulla hæc quam refert Amort, *pag* 146, unde explodatur. Sed et hinc vitiosa est, 1° quòd ,uxta eam, *qui sanctum intrabit* Carmelitarum *ordinem, salvabitur*; 2° quòd, et ibidem sic loquitur B. Virgo ad confratres et consorores ordinis prænominati : *Ego Mater gratiosè descendam sabbato post eorum obitum, et quod inveniam in Purgatorio liberabo.* Hinc Bulla hæc, *vera an ficta, non disputo*, inquit Amort, sic explicata est sub Paulo V, ut Carmelitis *permittatur prædicare, quòd populus christianus possit piè credere*, B. Virginem prædictis fratribus et sororibus, qui christianè decesserint, *speciali protectione post eorum transitum, præcipuè in die sabbati adfuturum.*

10 R. 2° : Dist. maj. Testantur quandoque pontifices se absolvere à culpâ vel peccato, id est, à pœnâ peccatis debitâ, concedo. Id est, ab ipso peccatorum reatu, subdist. ; absolvere dispositivè, quatenùs varia concedunt privilegia, quæ ad obtinendam peccati remissionem non parùm conducunt, concedo. Formaliter et efficienter, nego. Peccatum non rarò sumitur pro pœnâ peccati; ut cùm Christus *pro nobis peccatum* factus esse dicitur, 2 Corinth. 5, 21, quo sensu theologorum pars maxima illud intelligit 2 Machab., 12 : *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*; neque enim, aiunt, eò loci agitur de ipsâ remissione peccati, quod in primo post mortem instanti dimittitur per vividum contritionis actum ; sed de condonatione pœnæ peccato debitæ. Sed, quidquid de eo sit, constat pontifices eo sensu culpam remittere per Indulgentias, quòd multam ejus remissionis obtinendæ facilitatem procurent; tum plures confessarios offerendo; tum et removendo non paucos obices, ut statim diximus.

Conclusio II. Indulgentia pœnam canonicam remittendo, consequenter verè et coram Deo remittit pœnam Purgatorii; quo autem in gradu et quâ mensurâ, soli Deo notum est.

11. Prob. prima pars, 1° ex ratiocinio S. Thomæ, Suppl., q. 25, ubi sic O : *Dicendum, quod ab omnibus conceditur, Indulgentias aliquid valere, quia impium esset dicere, quòd Ecclesia aliquid vanè faceret. Sed quidam dicunt quòd non valent ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundùm judicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione quâ sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera 1° quia est expressè contra privilegium Petro datum, cui dictum est, ut quod in terrâ remitteret, in cœlo remitteretur..... Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quàm adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo à pœnitentiis injunctis*, per quas citra dubium eædem Purgatorii pœnæ immunitæ fuissent (unde, prout notat Sylvius, ibid., verum esset quod dixit Lutherus, Indulgentias esse fraudes seu deceptiones fidelium). Ergo *remissio quæ* per Indulgentiam *fit quantùm ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantùm ad forum Dei.*

12. Confirm. quia clavium Ecclesiæ effectus propriè respicit futurum seculum ; cùm ideò claves cœli vocentur. Atqui Indulgentiæ fundantur in potestate clavium ; ut infra dicemus. Ergo.

13. Prob. 2° quia condonatio quam incesto fecit Apostolus, 2 Corinth. 2, 10, non minùs efficax fuit, quàm si à Christo ipso facta esset : quandoquidem facta sit Christi vice et auctoritate, seu, ut loqui audet Apostolus, *in personâ Christi*. Atqui condonatio à Christo ipso facta, in foro Dei rata fuisset et efficax. Ergo.

14. Prob. 3° : Prosunt, quocumque tandem modo, defunctis Indulgentiæ, ut paulò post ostendemus. Atqui non prosunt eis quoad solutionem pœnæ cujusvis ab homine, quia jam isti non subjacent. Ergo prosunt quoad solutionem pœnæ in foro Dei debitæ.

15. Prob. 4° : Non minor est efficacia Indulgentiæ per Christi et sanctorum merita nunc concessæ, quàm illius quæ olim lapsis concedebatur per libellos martyrum. Atqui hæc sic à pœnis humanis, si ita loqui fas est, solvebat, ut etiam coram Deo valeret. Minor patet, tum ex S. Cypriano, qui Tract. de Lapsis agnoscit *merita martyrum* coram Deo plurimùm valere ; nempe, ait Epist. 14, pag. 27, *ut lapsi* fideles *cum pace à martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur*. Unde Tertullianus, jam ad Montani partes abreptus, martyres, quòd sibi assumerent potestatem dimittendi per merita sua pœnas divinæ justitiæ debitas, his verbis sugillabat, lib. de Pudicitiâ, cap. 22 : *Sufficiat martyri propria delicta purgâsse; ingrati et superbi est*

in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Ergo.

16. Prob. 5°, tum ex Sixto IV, S. P. qui in constitutione *Licèt ea*, proscripsit istam Petri Oxoniensis thesim : *Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest*, tum ex Leone X, qui inter alios Lutheri articulos hunc num. 14, perstrinxit : *Indulgentiæ his qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam.* (Tomo 14 Concil. p. 295.)

17. Prob. secunda pars contra eos qui tot Purgatorii dies vel annos per Indulgentiam remitti credunt, quot in bullâ Indulgentiæ exprimuntur. Prob., inquam, 1° quia Indulgentia quadragenæ, v. g., vel septenæ, eas solùm pœnas remittit, quarum quis obtinuisset remissionem canonicam per dies 40, vel septem annos pœnitentiam obeundo. Atqui prorsùs incertum est an per hujusmodi pœnitentiam obtinuisset remissionem pœnæ in Purgatorio per dies 40, vel annos septem subeundæ. Nec dubium est quin è duobus qui æquè rei eamdem pœnitentiæ mensuram præstant, multò plus veniæ obtineat, qui pœnitentiam hanc jugi et alacri studio decurrit, quàm qui remissè et segniter exequitur. Ergo.

18. Prob. 2 quia fieri facilè potest, ut Deus secundum æquissimas sapientiæ suæ leges, graviores aliquando, sed breviores, aliquando leviores, sed diuturnas magis, defunctis pœnas constituat. Atqui in hâc hypothesi, quæ supremo omnium rerum arbitro nihil repugnat, fieri naturaliter non potest, ut numerus annorum Purgatorii decrescat pro numero annorum pœnitentiæ, vel impletæ vel indulgenter remissæ. Ergo *inscrutabilis judicii est* definire quoto in gradu operetur Indulgentia. Sed unum id scire refert, remissionem pœnæ eò futuram majorem, quò major fuerit pœnitentis cujuslibet, aut Indulgentiam lucrantis devotio. Unde tritum illud, de quo infra, valere Indulgentias quantùm sonant, *modò nec clavis erret, nec fidelis deficiat.*

Objectiones quotquot hìc proponi possent, capite proximè sequenti expendentur.

Conclusio III. Indulgentiæ viventibus applicantur per modum solutionis simul et absolutionis judiciariæ, defunctis autem per modum meræ solutionis, sive per modum suffragii.

19. Ut intelligatur conclusio, prænotandum est Indulgentias per modum absolutionis judiciariæ applicari, quando Ecclesia satisfactionum Christi superabundantium dispensatrix, virtute clavium immediatè et moraliter fidelibus sibi actu subditis applicat easdem Christi satisfactiones, quibus solvuntur pœnæ temporales à fidelibus debitæ pro peccatis. Contra verò Indulgentiæ applicantur per modum suffragii, solutionis meræ, et oblationis, quando Ecclesia satisfactiones Christi è thesauro suo virtute clavium extractas, offert Deo in satisfactionem pœnarum justitiæ divinæ debitarum, pro illis qui non ampliùs subjacent jurisdictioni ipsius, quod aliqui satisfactionum applicationem moralem vocant, alii oblationem vocare malunt. Quapropter Pontifex quoad vivos se habet instar viri, qui debitoribus in proprio ejusdem carcere inclusis dat in manu pecuniam unde se redimant; quoad defunctos verò, instar viri qui extraneos in alieno carcere inclusos juvare volens, nec suam ad eos pecuniam immediatè transferre valens, quia id non sinunt leges loci, eamdem hujus carceris domino offert, ut eos ab ergastuli ærumnis misericorditer eruere dignetur. Jam

20. Prob. prima pars : Ut Indulgentiæ vivis applicentur per modum solutionis simul et absolutionis juridicæ, duo sufficiunt, 1° ut Ecclesia Indulgentias largiendo, solvat debita Fidelium quibus eædem applicantur; 2° ut debita hæc non solvat simpliciter, sed solvat, subditos suos juridicè absolvendo. Atqui 1° Ecclesia per Indulgentias solvit fidelium suorum debita. Quæ enim in locum satisfactionis à fidelibus debitæ, pro potestate sibi concessâ offert infinitas Christi ipsius satisfactiones, hæc utique non gratis relaxat debita suorum, sed abundantissimè solvit et persolvit. Atqui Ecclesia in locum satisfactionis, etc. Nimirùm verò Ecclesia in dispensatione thesauri sibi commissi non se habet ut domina, quæ pro arbitrio absolvat, sed ut judex, Christi judicis personam sustinens. Atqui judex, quà talis, debet justitiæ jura servare illæsa. Ergo quod unâ ex parte dimittit, ex aliâ solvendo ad minus æquivalenter compensare debet. Atque hinc Clemens VI, in Extrav. comm. *Unigenitus*, 2, de Pœnitentiis, etc., docet per Indulgentias fieri solutionem ex thesauro Ecclesiæ Meritò igitur S. Thomas, suppl., q. 25, art. 1, ad 3, docet quòd *faciens Indulgentias, solvit pœnam de bonis Ecclesiæ communibus.*

21. 2° Ecclesia fidelium debita solvit absolvendo. 1° Quia potestas Ecclesiæ quantùm ad Indulgentias his nititur Christi verbis : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis.* Atqui verba hæc juridicam absolutionem important. Unde Martinus V plenariam Indulgentiam tribuens in Constantiensi concilio, dicit se *absolutionem plenariam* concedere; quo etiam *absolutionis* verbo frequenter utitur Gregorius VII. 2° Quia Indulgentia vivis concessa non valet, nisi concedatur subditis. Ergo requirit ut concedens in eos quibus concedit, jurisdictionem habeat. Atqui jurisdictio hæc non est necessaria nisi ad absolvendum juridicè. Unde Alexander III, cap. *Quod autem*, 4, de Pœnitentiis, etc. *Cùm*, inquit, *à non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, Indulgentiæ solis illis prosunt quibus proprii judices eas indulserunt.* 3° Quia Indulgentiæ eò distinguuntur à suffragiis, quòd hæc privatà auctoritate fieri possint, non illæ. Ergo Indulgentiæ vivis concessæ sunt absolutiones.

22. Prob. secunda pars. Ex dictis, ad absolutionem requiritur jurisdictio in eum qui absolvitur. Atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in defunctos, utpote qui jam solius Dei foro subjaceant. Unde, juxta aliquos, non dixit Christus generatim : *Quæcumque solveritis;* sed, *quæcumque solveritis super terram*, id est, interprete, ut volunt, Christo, Joan. 21, quidquid solveritis quantùm ad eos qui velut *oves* in hoc mundo

pasci à vobis possunt, *erit*, idicialiter *solutum in cœlis*.

23. Non desunt equidem qui ista Christi verba sic explicent : *Quoscumque super terram positi feceritis solutionis et ligationis actus, ii in cœlo rati erunt.* At ii simul docent per solutionem non intelligi solum absolutionis propriè dictæ actum, sed generaliter quamcumque remissionem, dispensationem, relaxationem, etc. Sicut etiam per actum ligandi generaliter intelligitur ligatio per legem, per decretum fidei aut morum, per excommunicationem, per pœnitentiæ injunctionem. Ita Sylvius, ad q. 71, art. 10. Porrò juxta expositionem hanc quæ Suarezio non improbabilis est, stat defunctorum animas in terris, seu à Pontifice solvi, nec tamen propriè et judicialiter absolvi.

24. Confirm. Quæ nullos alios jurisdictionis actus, in subditum necessariò exercendos, in animas Purgatorii exercere potest, non potest in easdem exercere actum absolutionis judiciariæ à pœnis. Atqui Ecclesia nullos alios actus jurisdictionis qui in subditos solos exerceri possint, in animas purgantes exercet : sic enim nec excommunicantur defuncti, licèt quandoque declarentur mortui esse in vinculo excommunicationis ; nec ab excommunicatione per vitam contractâ liberantur, quamvis viventes aliquando liberentur ab onere non communicandi cum ipsis per orationem et suffragia. Ergo Indulgentiæ defunctis applicantur per modum solutionis. Cùm autem solutio hæc nunquàm pro defunctis pendatur à viventibus, nisi per pœnalia quædam opera à Pontificibus præscripta, meritò dicitur habere rationem suffragii. Quia suffragium nihil est aliud quàm *opus bonum et pœnale, remissionis pœnæ proximi impetratorium.* De his adi Suarem, cit. disp. 53, sect. 2 et 3.

25. Obj. 1° contra primam partem : Absolutio dari potest invito, ut patet in censuris. Atqui Indulgentia non potest invito dari.

26. R. Ad primum, dist. maj. Absolutio, quæ nullam in suscipiente dispositionem vel actionem requirit, dari potest invito, quemadmodùm ea quæ tollit censuras, concedo. Absolutio, quæ certas requirit, dispositiones, ut absolutio sacramentalis à peccatis, aut Indulgentia, nego.

27. Obj. 2° : Ad absolutionem judiciariam prærequiritur causæ cognitio. Atqui indulgentia hanc causæ cognitionem non requirit. Unde dari solet in communi iis omnibus qui hoc vel illud executi fuerint.

28. R. Dist. maj. Ad absolutionem judiciariam quæ latur in particulari, secundùm allegata, requiritur causæ cognitio, concedo. Ad absolutionem generalem, et conditionatè tantùm datam, subdist. Requiritur cognitio generalis causæ, concedo. Cognitio in specie, nego. Itaque absolutio particularis, seu *ab homine*, particularem causæ cognitionem requirit, ut patet in absolutione sacramentali à peccatis. Verùm absolutio communis, seu *à jure*, communem tantùm causæ notitiam requirit : hæc autem nunquàm deest. Novit enim Ecclesia fideles suos summâ Dei Indulgentiâ indigere ; etsi aliunde investigare debet an hic et nunc Indulgentiæ thesauros aperiri expediat.

29. Obj. 3° : Si indulgentiæ per modum absolutionis judiciæ concedantur, Papa earum particeps esse non poterit ; cùm nemo in eum jurisdictionem habeat, nec ipse semetipsum absolvere valeat. Atqui falsum consequens.

30. R. Nego sequel majoris : potest enim Rom. Pontifex indulgentiis frui, vel subjiciendo se sacerdoti, qui eum sicut alios à culpâ per sacramentum Pœnitentiæ absolvat, et à pœnâ per Indulgentiam ; vel quia, licèt seipsum directè absolvere non possit, potest tamen iis uti rebus quas aliis concesserit : neque enim ad Indulgentias participandas accedit ut prælatus, sed tanquàm unus de Christi grege, cui illæ in communi sunt propositæ. Ita Sylvius, pag. 109.

31. Obj. 4° contra secundam partem : Si quid obstet ne Indulgentiæ per judicii et absolutionis modum concedantur defunctis, id præsertim quòd defuncti jam Ecclesiæ jurisdictioni non subsint. Atqui falsum consequens. Ecclesia enim mortuos aliquando excommunicat, aliquando solvit ab excommunicatione. Ergo.

32. R. Ad primum, nego min., quæ omninò sensui Ecclesiæ repugnat. Dùm enim pontifices in gratiam defunctorum Indulgentias largiuntur, hanc penè semper adhibent clausulam, *per modum suffragii ;* prout videris in Diplomatibus Alexandri VI, Clementis VII, Julii III, Gregorii XIII, Leonis X, in Epist. ad Cajetanum, quam laudat Estius in 4, dist. 20, § 11. Unde cùm Joannes Angeli propositionem hanc emisisset : *Animæ in Purgatorio detentæ sunt de jurisdictione Papæ*, sacra facultas Parisiensis eam, prout refert qui præsens aderat Major, in 4, dist. 20, q. 2, reprobavit ut *suspectam, scandalosam, et nullatenùs publicè prædicandam.*

33. Ad secundum, dico Ecclesiam nec mortuos percutere censuris, nec à censuris solvere directè et quoad ipsos, sed quoad viventes, quibus declarat vel errore facti damnatum fuisse innocentem, vel eodem errore absolutum reum. Ita Bellarminus hìc, lib. 1, c. 14, et nos jampridem, ubi de censuris.

An autem reipsà ex Indulgentiis per suffragii modum juventur defuncti, expendemus cap. 6. In præsenti enim absolutionem suffragio opposuimus, ut magis de utriusque discrimine constaret.

Circa quæstionem quartam, an scilicet Indulgentia eximat ab operibus pœnitentiæ, quædam recepta sunt apud theologos, quædam in controversiam vocantur.

34. Et quidem 1° constat per Indulgentiam, quin et sine Indulgentiâ speciali eximi peccatorem à laboriosis illis canonicæ pœnitentiæ operibus, quæ fusè à nobis alibi recensita sunt. His enim jam nunc nemo subjicitur.

35. Constat 2° neminem esse, qui ob Indulgentias quempiam ab omni prorsùs pœnitentiâ eximat. Tunc enim ad minus in locum pœnitentiæ à confessario injunctæ ea subingreditur, quæ ad Indulgentiam lucrandam præscripta est ; quæque non rarò gravior est eâ quam pluribus verè Christianis injungeret confessarius ; ut patet in magnis Jubilæis, quæ et

jejunia nonnulla, et crebras Ecclesiarum plurimarum visitationes, et in iis preces piè recitatas indicunt.

36. Sed et constat 3° neminem per Indulgentiam, quæcumque ea sit, eximi à pœnitentiis medicinalibus sibi in tribunali sacro impositis. Unde cui injunctum est, ne tabernam, ne puellam hanc, ne hunc perditæ famæ adolescentem frequentet, id ad amussim observare tenetur; alioquin Indulgentiam minimè lucraturus; quia qui periculum amat, jam reus est peccati, cujus se periculo gravi exponit, prout alibi expendimus.

37. Tota igitur lis est, an ab aliis quibuscumque pœnitentiis dispenset indulgentia. Porrò circa quæstionem ad hosce limites redactam non una est omnium sententia. Sunt enim plures, non infimi nominis theologi, qui pœnitentem ab omni, modo non medicinali, pœnitentiâ, per Indulgentiam eò usque eximi opinantur, ut hunc ei deesse tutò posse existiment. *Omnes ferè Catholici conveniunt*, ait Suarez, disp. 50, sect. 3, n. 1, *per Indulgentias relaxari pœnitentias injunctas in sacramento Pœnitentiæ.* Concinit Lugo, disp. 27, n. 22, ubi hæc: *Communis sententia, ni fallor, antiquorum et recentiorum simpliciter et universaliter affirmat liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam; quam videtur expressè docere S. Thomas, in 4, dist. 20, q. 1, art. 3, quæstiunc. 1.* (Suppl. q. 25, art. 1.) His verbis O *: Dicendum est quòd* Indulgentiæ *valent, et quantùm ad forum Ecclesiæ, et quantùm ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, et absolutionem, et confessionem, sive sit injuncta, sive non.* Unde vult duntaxat *consulendum* esse *eis qui Indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis à debito pœnæ essent immunes; et præcipuè quia quandoque sunt plurium debitores, quàm credant.*

38. Idem apud Lugo docent expressè Navarrus, Sylvester, Angelus, Armilla; generatim verò, qui citra distinctionem ullam docent per Indulgentias tolli obligationem pœnitentias implendi, ut Alexander Alensis, S Bonaventura, Durandus, etc.

39. Eadem est Sylvii doctrina in eamdem q. 25, art. 2, pag. 112, qui tamen ob citatas S. Thomæ rationes consulit ne fideles propter Indulgentias ab operibus pœnitentiæ sibi injunctis abstineant.

40. Consonat Habertus, § 1, de Indulgent., ubi hæc habet, pag. mihi 405: *Quia pœnitentes non accedunt satis parati, ut per absolutionem reatus pœnæ totaliter expungatur, sacerdotes ex præcepto divino tenentur imponere satisfactiones congruas ad eluendum quod superest pœnæ temporalis. Porrò Indulgentia est ejusmodi satisfactionis remissio et pœnæ relaxatio.* Qui rursùs, § 3, resp. 1, sic statuit: *Indulgentiæ quæ absolutè et absque restrictione conceduntur, se extendunt ad omnem pœnam temporalem, sive injunctam, sive injungendam.* Vult nihilominùs idem magister, ut nemo injunctæ sibi pœnitentiæ desit; quia nemo certus est an Indulgentiam lucratus sit.

41. Non desunt tamen qui per Indulgentiam eas tantùm remitti pœnas, credant, quæ vel olim à canonibus imponebantur; vel à sacerdote injungerentur, si, non habitâ fragilitatis pœnitentium ratione, parem delictis eorum pœnitentiam injungeret, quam passim minorem indicere consuevit. Ita vir minimè suspectus, R. P. Honoratus à S. Mariâ, in Gallico de Indulgentiis tract., pag. nunc 46, ubi tamen utcumque contradictoria loqui videtur. Ad hanc opinionem non parùm accedit Tournelyus, pag. 260, ubi statuit concl. 5, quòd *Indulgentiæ vix unquàm hominem penitùs eximunt ab omni pœnâ temporali, et laboriosis pœnitentiæ operibus.* Dolendum sanè quòd partem hanc arripiant lubenter, qui Indulgentias deprimere amant. Sed quid non tollendum à theologiâ, si ab eâ resecari oporteat id omne quo abutuntur viri *prurientes auribus*, et Ecclesiæ parùm addicti? Nos ut dissentientes animos, si potis erit, conciliemus, hæc arbitramur statuenda, quæ pio et erudito examini spontè subjicimus.

Conclusio IV. Indulgentiæ nec eximunt, nec quemquam eximere possunt à laboriosis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum Deo reconciliationem aliquando prærequiruntur.

42. Prob. 1°: Indulgentia nec eximit, nec eximere potest ab iis quæ ad ejus consecutionem ex naturâ rei prærequiruntur. Atqui ad Indulgentiæ consecutionem prærequiritur status gratiæ, et vera cum Deo reconciliatio; quæ potissimùm in peccatoribus crimini jam pridem addictis nonnisi per prævia laboriosæ pœnitentiæ opera impetrari solet. Minor constat, 1° ex agendi ratione Apostoli, qui 1 Corinth., 5, v. eodem. Incestum Corinthium gravi addixit pœnitentiæ, ut *spiritus* ejus *salvus* fieret *in die Domini;* id est, ut cum Deo reconciliari mereretur: quam quidem pœnitentiam non ante indulgenter relaxavit Apostolus, quàm scelestus ille per annum totum eâ defunctus esset. 2° Ex S. Cypriano graviter eos redarguente, qui libellaticis, priusquàm judicari possent ad divinam reconciliationem habiles, pacem et communionem, quam iis expostulaverant martyres, præproperè indulgebant. *Contra Evangelii vigorem*, ait Tract. de Lapsis (pag. 173), *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et accipientibus nihil profutura.* Minus tamen quid, ob martyrum preces et commendationem exigebat S. doctor, quàm cæteroquin exegisset. Unde Epist. 10: *Peto*, inquit, alloquens confessores qui libellaticis veniam orabant, *ut eos quos ipsi videtis, quos nôstis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.* Ubi observanda verba hæc, *pœnitentiam satisfactioni proximam*, id est, quæ ad æqualitatem accedat.

43. Prob. 2° Quia, ut benè Tournelyus, pag. 262, contraria opinio plura inveheret absurda et incommoda; ex eâ enim sequeretur, 1° hodiernas Indulgentias veteribus longè dissimiles fore; istæ enim, ut nox vidimus, gravem exigebant pœnitentiam; nostræ verò aut nullam, aut levissimam. 2° Faciliùs in gratiam re-

cipi, qui peccaverunt post baptismum, quàm qui ante: cùm his per Indulgentias succurri non possit, illis possit facillimè; præsertim in urbibus, queis Indulgentiæ non desunt. 3° Majorem fore vim Indulgentiarum, quàm sacramenti Pœnitentiæ; quandoquidem rarò contingat totam pœnam in isto sacramento dimitti. His adde quòd si fidelium vulgò semel persuasum esset, omne pœnæ debitum per Indulgentias sine congruâ pœnitentiâ extingui; hinc erumperent torpor, negligentia disciplinæ Ecclesiasticæ, ipsarumque consequenter Indulgentiarum despectus. Unde patens hæreticis, aliisque non tam Indulgentiæ quàm Papæ osoribus, aperiretur campus Ecclesiæ insultandi.

Conclusio V. Indulgentia nunquàm eximit à totâ pœnitentiâ per confessarium injunctâ. An à parte ejus pœnali eximat, controvertitur. Curandum in praxi ut hæc tota impleatur.

44. Prob. prima pars: Ex Tridentino, sess. 14, cap. 8, confessarius pœnitenti satisfactionem injungere tenetur, tum *ad peccatorum vindictam atque castigationem, tum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum*. Atqui nulla est in terris potestas, quæ à postremâ hâc dispensare valeat; præsertim cùm major sit pœnitentiæ ut medicinalis necessitas, quàm ut simpliciter afflictivæ, prout alibi ostendimus. Et verò quis ob Indulgentiam permittere ausit, ut tabernam vir devotus vino, amasiam impudicus, pro more suo antiquo invisat. Meritò igitur Suarez, disp. 50, sect. 2, n. 7: *Quia Indulgentia nec moderatur passiones, nec pravam consuetudinem seu habitum remittit, non obstante Indulgentiâ manet eadem obligatio applicandi medicinam præservativam: in quo etiam doctores conveniunt.*

45. Recessit quidem ab eâ communi opinione card. de Lugo, disp. 27, n. 22, quem secutus est Martinon, disp. 53, n. 79. Uterque nimirùm contendit, per Indulgentiam tolli debitum pœnitentiæ etiam ut medicinalis: Scilicet, inquiunt, quamvis Confessarius sit simul judex et medicus, *non tamen obligat ut medicus, cujus est solùm consulere, non præcipere*. Ergo solùm obligat ut judex, proinde quatenùs pœnitentiam imponit in pœnam peccati. Atqui cessat obligatio pœnæ, eo ipso quòd per Indulgentiam condonatur pœna.

46. Et verò, pergit Lugo, n. 26, si condonatâ pœnâ sacerdos adhuc obligaret ad jejunium per modum medicinæ, vel jejunium illud deberetur ut satisfactio sacramentalis, quæ sit pars sacramenti, vel non. Porrò deberi non potest ut satisfactio, quia qui nihil jam debet pro peccatis, non potest obligari ad solvendum; nec potest puniri à judice ille cui condonata est pœna. Ergo jejunium illud non imponitur ut satisfactio: ergo non erit pars integralis sacramenti. Ex hoc autem infertur, nec posse illud imponi in puram medicinam; quia inauditum est, quòd pœnitens ex mero præcepto confessarii obligetur ad aliquid, quod si ponatur, non possit esse pars integralis sacramenti.

47. Hæc ille, quæ si à moroso quopiam paulò severiùs expenderentur, gravem fortè censuram non effugerent. Quòd enim quia terreni medici consulunt, non autem præcipiunt, confessarius quà medicus, dùm pœnitentiam medicinalem imponit, consulat tantùm, non præcipiat; in Ecclesiâ Dei prorsùs inauditum est. Profectò ubique receptum est, quòd pœnitentiæ minister, sive præterita peccata puniat, sive præservet à futuris, id Dei auctoritate et clavibus utendo, faciat. Ergo non obstantibus argutiis dicendum, quòd pœnitentia quæcumque ab eo imposita, sit verè sacramentalis, et ut sic ex opere operato producat, seu remissionem pœnæ, si quæ luenda supersit; seu gratiam, quâ pœnitens contra futuros lapsus muniatur.

48. Prob. secunda pars, quia circa punctum istud theologi graves gravibus adversantur. Qui pœnitentiam pœnalem vi Indulgentiæ remitti credunt, pugnant, 1° unanimi penè theologorum consensu, de quo supra Suarez. Ab eo autem non est recedendum sine gravibus argumentis.

49. 2° Quod pœnam omnem dimittit, eam etiam dimittit quæ à confessario imposita est. Atqui Indulgentia, plenaria scilicet, per se omnem pœnam dimittit, seu, ut loquitur Habert, pag. mihi 416, pœnam, sive injunctam, sive injungendam.

50. Prob. min. 1° Quia Christus, Matth. 16, absolutè et absque limitatione ullâ dedit Apostolis potestatem solvendi. Nec est cur ea potestas ad has vel illas pœnas restringatur. Licèt enim Indulgentiæ quædam sub clausulâ, *de injunctis pœnitentiis* tribuantur; plures tamen, potissimùm à Bonifacio VIII, in Extravag. *Antiquorum*, à Clemente VI, in Extravag. *Unigenitus*, Sixto IV, in Extravag. *Quemadmodùm*, et aliis subinde, præsertim autem in Jubilæis, plenariè et citra restrictionem concessæ sunt; seu quantùm claves sese possunt extendere, prout teste Glossâ in prædictam Extravag. *Antiquorum*, declaravit ipse Bonifacius VIII.

51. 2° Si Indulgentiæ pœnitentiam à confessario injunctam non remittunt de se, vel quia effectum hunc habere non valent, vel quia ad effectum alium destinantur à Pontifice; nempe ad remissionem pœnæ canonicæ, vel ad suppliendam quæ pœnitentibus inest, plenè satisfaciendi impotentiam. Atque nullum ex his dici potest. Non primum. Ecquis enim neget sanguinem Christi sat habere virtutis ut suppleat paucæ quædam jejunia à confessario indicta? Non secundum, tum quia Pontifices volendo, quod identidem volunt, ut Indulgentia omnem, quem claves ferunt, effectum sortiatur, effectum hunc non restringunt; tum quia alioquin Indulgentiæ iis solùm prodessent primi ordinis peccatoribus, qui tot admisêre crimina, ut ea nullâ idoneâ satisfactione redimere possint; non autem justis insignibus, qui duntaxat venialium ex obreptione rei, eadem non ita difficulter abluere valent, et sæpè satis abluunt, ut statim à morte glorià cœlesti donentur; tum quia si quis pœnitentiam mortali suo delicto parem à confessario accepisset, quod fieri potest, is nullam ex indulgentiâ perciperet pœnæ suæ relaxationem; quia nihil esset tunc in ejus pœnitentiâ supplendum. Ergo dicendum videtur per Indulgentias remitti pœnam, sive injunctam, sive injungendam; vel potiùs eam in opera ad Indulgentiam præscripta commutari.

52. His tamen non obstantibus contrariam opinionem tenent non pauci; atque inter eos Amort ad calcem tractatûs præcitati, ubi postquàm confessus est *minui posse* pœnitentias ratione Jubilæi, hanc statuit thesim, pag. 46 : *Doctrina theologorum illorum qui asserunt per Indulgentias plenarias tolli obligationem ad satisfactionem sacramentalem, repugnat intentioni summorum pontificum, menti conciliorum, communi sensui Patrum et theologorum primi ordinis, ac denique traditioni et praxi constanti Ecclesiæ per quatuordecim priora secula.* Congerit is quidem non pauca quæ solvi possint; sed et non pauca habet quæ suam hanc causam solidè juvent; ut quòd Martinus V, concessâ per Bullam *Cruciatæ* Indulgentiâ maximâ, velit ut hæc proficiat, *injunctâ pro modo culpæ salutari pœnitentiâ;* quòd Sixtus V, in Jubilæo an. 1589, præcipiat ut *juxta modum delicti* imponatur salutaris pœnitentia, etc. Sed de his, quibus non egent cauti confessarii, quæque vix prosunt laxioribus, adeantur tum idem theologus, tum quæ in Jubilæis edi solent pastoralia episcoporum documenta. Unde

53. Prob. tertia pars, 1° quia cùm quæstio hæc in opinione posita sit, pars quæ sacramenti integritati magis consulit, præferri debet; cum præcipuè sine gravi incommodo præferri potest. Porrò sacramenti integritati consulit, qui injunctam sibi in sacro Tribunali pœnitentiam exequitur.

54. 2° Quia non potest quis à sacramentali satisfactione immunis esse, nisi prout certus est se Indulgentiam totam lucratum esse. Id autem non ita certò constare potest, et ei multominùs qui parcus in Deum, pœnitentiam ut plurimùm satis modicam omittit.

55. 3° Quia ut Indulgentia tota percipiatur, necesse est, ut nec fidelis deficiat, nec clavis erret. Atqui plerùmque deficit fidelis; et fieri potest ut clavis erret; licèt id minimè sit præsumendum. Ergo cùm debitor tamdiù debito teneatur, quamdiù illud solutum fuisse non probat; pœnitens, non obstante Indulgentiâ, pœnitentiam injunctam exequi debet.

56. 4° Quia Pontifices rebus maturè expensis, hanc suis Jubilæorum diplomatibus clausulam apponunt : *Injunctâ salutari pœnitentiâ.* Ergo non debet præsumi eorum mentem esse ut ab eâ immunes sint qui Indulgentiam lucrari volunt. Hinc suspectum videri possit, quod narrat Glossa in Extrav. *Antiquorum de Pœnit. et Remiss.*, videlicet Bonifacium VIII, in anni sancti Jubilæo, quod sub ipsius pontificatu an. 1300 celebratum est, noluisse ut confessarii ullas pœnitentibus illud lucraturis pœnitentias indicerent; et ægrè tulisse quòd à nonnullis fuissent indictæ. Tutior sanè et salubrior est praxis quam tenuêre plerique ejus successores. Atque id demùm communissimè fatentur utriusque partis theologi.

57. Hinc colliges dubium esse id quod post Lugo, ibid. n. 31, tradit Martinon, cit. disp. 63, n. 83, *pœnitentes*, scilicet, *quibus ex præcedentibus quibuscumque confessionibus supersunt multæ pœnitentiæ implendæ, juvari posse et levari hoc onere per Indulgentias plenarias*, ad quarum opem recurrere possint, sive ex consilio vel præcepto confessariorum (*quod*, inquit, *præceptum aut consilium dari potest non auditis peccatis pro quibus illæ fuerint injunctæ atque etiam extra sacramentalem confessionem*), sive ex voluntate propriâ, et sine cujusquam consilio vel jussu; *quia hæc non est commutatio juridica ad quam necessaria sit potestas jurisdictionis et cognitio causæ; ut quando pœnitentia injuncta ab uno confessario mutatur ab alio; sed est simplex obligationis cessatio per subtractionem materiæ, quæ subtractio materiæ fit à S. Pontifice concedente Indulgentiam, et condonationem pœnæ, quâ condonatâ cessat obligatio satisfaciendi.* Id, inquam, ob rationes modò propositas nonnihil dubii habet. Quanquàm opinio hæc (quam, inquit, ibid. Lugo, *viri doctissimi Salmanticenses à me consulti approbârunt*, et in manuscriptis approbaverat Alphonsus Rodriguez) inservire possit erga eos quibus confessio etiam utcumque generalis (qualis ab iis facienda est, qui pœnitentiæ sibi injunctæ obliti sunt), vel admodùm incommoda esset, vel ob scrupulos, tentationes, aliaque id genus periculosa.

58. Obj. contra primam partem cum Lugo, ubi supra : Satisfactio quæcumque, etiam medicinalis, est pœna; neque ad eam obligare potest confessarius, nisi quatenùs eam imponit in pœnam peccati. *Sicut, licèt judex debeat procurare quòd pœna delinquentis sit talis, ut simul sit medicina in futurum; non tamen posset imponere illam pœnam, nec verberare reum, si pœna fuisset à principe condonata.* Atqui ubi condonatur pœna omnis, ut fit per Indulgentiam, jam nulla est obligatio ad pœnam. Ergo.

59. R. Dist. min. Ubi condonatur pœna omnis, tam quæ est à medico, quàm quæ est à judice, concedo; pœna omnis, sed tantùm prout est à judice puniente, nego : si enim idem homo judicis semel et medici partes agat, et multò plus medici quàm judicis; fieri facilè potest, imò et debet, ut qui vindictam remittit, non remittat medicinam. Idque in exemplo quod à Lugone proponitur, videre est. Si enim princeps cuipiam homicidium in tabernâ horumce criminum feraci condonet; potest judex, gratiæ regiæ executor, non consulendo tantùm, sed et præcipiendo, tabernâ hâc reo in perpetuum interdicere. Et verò, si Indulgentia omnem prorsùs etiam medicinalem pœnitentiam remitteret, qui lucratâ Indulgentiâ, pœnitentiam sibi à confessario injunctam lubens adimpleret, ut moris est, nullum per eam ex opere operato fructum consequeretur. Id autem, licèt à Delugo concessum, nemo, ut quidem existimo, admittet. Quidni enim medicina contra peccatum gratias ad peccati fugam necessarias, ex opere operato producat. Adde dubium semper esse an ipsa etiam pœna, quæ est à Judice, condonetur; quia semper dubium est an percipiatur totus Indulgentiæ fructus.

60. Obj. Contra secundam partem : Non potest ab ullo mortalium irritari sententia in supremo tribunali lata. Atqui suprema est sententia quâ confessarius hominem ligat, et pœnitentiæ addicit. Is enim quâ judex nullum in terris superiorem agnoscit. Ergo.

61. Respondent qui cum Suare sentiunt, dist. maj.

Non potest irritari directè, propriè et per veram dispensationem sententia suprema, concedo. Non potest irritari indirectè, et per materiæ substractionem, nego. Se habet prælatus, dùm Christi satisfactiones cuipiam applicat, quoad pœnitentiam à confessario injunctam; sicut se habet vir opum dives, qui proprio ex ære solvit mulctam, quâ quis condemnatus est ex Senatusconsulto. Atqui vir ille dives, tametsi debitorem à lege sibi impositâ eximit, nullam tamen jurisdictionem habet in senatum qui legem hanc tulit; sed tantùm materiam ejus aufert. Ergo pari de causâ Pontifex, dùm Indulgentias largitur, nullam in confessarii pronuntiatum auctoritatem habet; sed tantùm ejus materiam subtrahit. Sanè verò posset Christus pœnitentiam alicui à confessore injunctam dimittere, illum ab omni pœnâ liberando. Atqui quod facit vicarius Christi, id Christus ipse facere censetur.

62. Ergo, inquies, gravium reus criminum, propter quæ ex confessarii præcepto tenetur eleemosynas largiri, orationi ac jejunio incumbere, etc., ab his per Indulgentiam plenariam immunis erit. Id autem quis ferat?

63. R. 1° : Neg. ant.; ex his enim non pauca erunt necessaria ad comparandum illum justitiæ statum, sine quo non percipiuntur Indulgentiæ. Nec enim gravium criminum rei statim cum Deo reconciliari solent.

64. R. 2° : Dist. ab his immunis erit, si constet ipsi quòd Indulgentiam plenè lucratus sit; et aliunde opera hæc in meram vindictam imposita sint, non autem ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, concedo. Secùs, nego. Porro nullus, absque revelatione speciali, certus esse potest, reatum pœnæ cui obnoxius erat, per Indulgentiam esse expunctum. Etsi enim pœnitens confidere potest, se in gratiam Dei rediisse; at temerè confideret se eò usque rediisse in gratiam, ut non peccatum modò, sed et omnes peccati pœnas absterserit. Unde David, qui peccatum suum à se translatum esse resciebat, graves ex eo sibi pœnas imminere expertus est; et sæpiùs inclamavit : *Ampliùs lava me*, etc. Adde quòd homo de Indulgentiæ lucro certus, à vindicativâ quidem et merè pœnali satisfactione liber foret; non autem à pœnitentiâ medicinali, ut supra ostensum est.

65. Inst. Ex hâc responsione sequitur Indulgentias nullius jam esse utilitatis. Cùm enim hodiè non vigeant antiqui pœnitentiæ canones, levior quæ peccatoribus indicitur satisfactio, magis est ad novæ vitæ custodiam, quàm ad vitæ præteritæ vindictam. Atqui ex dictis per Indulgentias non remittitur satisfactio tantum medicinalis. Ergo nihil est quod remittatur.

66. R. Nego sequel. *Imò*, ait Habertus, pag. 419 : *Quia Ecclesia propter refrigescentem charitatem de pristinâ suâ disciplinâ aliquid remisit*, imò multùm, *fideles existunt ampliùs obnoxii, et debitores justitiæ divinæ; magisque indigent Indulgentiarum subsidio.*

67. Obj. 2° : Sacramentum Pœnitentiæ non potest privari eâ sui parte, quæ ad minus est integrans, quin et in voto essentialis jure divino. Atqui talis est satisfactio, ut patet ex Tridentino, sessione 14, cap. 3 et 8.

68. R. 1° Sacramentum nunquàm privari totâ satisfactione, cùm ea semper adimplenda sit, prout medicinalis est. Quin nec usquàm privatur satisfactione pœnali; tum quia hanc semper, ob incertitudinem percepti Indulgentiæ fructûs, exequi student fideles ex confessariorum præcepto; tum quia nulla Indulgentia comparatur sine operibus à pontifice præscriptis. Porrò confessarius hæc ad minimum injungere censetur ei qui Indulgentiam lucrari volet. Unde hìc occurrit substitutio pœnitentiæ, non autem ejus ablatio.

69. R. 2°.: Dist. min. Satisfactio est pars integrans sacramenti, cùm manet ejusdem satisfactionis fundamentum, scilicet reatus pœnæ in foro Dei, concedo. Cùm fundamentum illud aufertur per ipsam Dei auctoritatem, nego. Sacramentum Pœnitentiæ non postulat integritatem satisfactionis, nisi ut dimittatur pœnæ reatus coram Deo. Ergo qui hunc effectum consecutus est, nihil detrahit sacramento, eò quia integritatem hanc omittat. Imò, ait Suarez, disp. 50, sect. 3, n. 7 cùm sacramentum Pœnitentiæ sit justum, ex se postulat ut satisfactio non exigatur, si debitum jam aliâ viâ solutum sit, vel remissio consecuta. Verùm hæc vix ullius in praxi sunt utilitatis ob rationes passim mox expositas.

Conclusio VI. Indulgentiæ effectum suum pariunt, quo instanti consummatum est moraliter opus ad eas lucrandas præscriptum.

70. Prob. Quia percipitur fructus Indulgentiæ, cùm ponitur conditio, cui annexa est Indulgentia. Atqui ponitur conditio hæc, cùm moraliter consummatum est opus, ad eam lucrandam necessarium. Ergo.

71. Dixi, cùm consummatum est *moraliter*. Si enim tali jejunio alligata sit Indulgentia, non videtur necessarium ad ejus consecutionem, ut jam præterierit physicè dies tota, adeò ut non possit jam frangi jejunium hujus diei; sed satis est, ut homo peracto jam, ut moris est, jejunio, ad illud punctum devenerit, ubi conscio Deo, jejunium minimè sit violaturus. Quo pacto martyrium, effectum suum obtinet, non in ipso physico mortis instanti, quo jam anima à corpore separata est, quodque est primum hominis non esse, sed aliquo antea instanti, quo et mors necessariò secutura est, et charitas nusquàm amittenda.

72. Non nego gratiam Indulgentiæ percipi posse per partes; ut si concessa sit iis qui divina officia in tali festo audierint, fieri poterit ut quis missam audiendo, deinde vesperas, postea *salutem*, certam ex missâ, ex vesperis, ex salute lucretur Indulgentiam, quæ poterit dici pars respectu Indulgentiæ diei totius. Sic enim qui satisfactionem sacramentaliter injunctam adimplet per partes, per partes aliquam pœnæ sibi debitæ remissionem consequitur : alioqui nihil ex eâ perciperet lucri, si quid omitteret; *quod sine dubio falsum est*, ait Suarez, disp. 52, sect. 2, n. 9. Verùm stat in hoc casu Indulgentiæ partem nonnisi impleto opere cui annexa est, v. g., auditâ missâ, obtineri.

73. An indulgentiæ sapienter concessæ effectum

suum habeant infallibiliter, liquebit ex dicendis in decursu. Nihil longius videtur mihi, quàm ut Indulgentiarum existentiam, unde cætera pendent, vindicem. At vix earum definitio poterat intelligi nisi satis intelligerentur effectus.

CAPUT III.

An possit Ecclesia Indulgentias dispensare.

1. Indulgentias negârunt duodecimo Ecclesiæ seculo Valdenses, quorum articulus 16, in concilio Lateranensi III, proscriptus is erat : *Prælatorum Indulgentiæ nullius sunt valoris.* Idem error à pluribus tribuitur Wiclefo, ut qui articulo suo 15 dixerit : *Fatuum esse Indulgentiis credere.* Scribit tamen Jacobus Lenfant, in Historiâ concilii Constantiensis Wiclefo non ipsam rem, sed rei abusionem improbatam fuisse.

2. Fuerunt et Indulgentiæ lapis offensionis, in quem impegit Lutherus. Is videlicet, ut nôrunt omnes, dolore furens et invidiâ, quòd princeps Albertus, Moguntinus archipræsul, Indulgentias, quas sub certâ stipe adversùs Turcas, et ad construendam D. Petri Basilicam insumendâ, concesserat Leo X in Saxoniâ prædicandas commisisset, non Augustinianis, ut moris erat antiqui, sed Joanni Tetzelio è Dominicanorum familiâ, insurrexit primò in abusus qui graves erant; tum, pro erroris indole, ipsam rerum substantiam impugnavit eo quo solebat furore. Unde cùm primò dixisset Indulgentias esse *pias fraudes*, postea dixit : *Revoco hoc, et dico Indulgentias esse impias sceleratissimorum pontificum fraudes et imposturas.* Novatorem è vestigio secuti sunt Zuinglius et Calvinus novatores. Contra eos sit

Conclusio. Ecclesia recepit à Christo potestatem Indulgentias conferendi.

3. Prob. 1° ex Matth. 16, v. 19, ubi sic Christus Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum ; et quodcumque solveris super terram erit solutum in cœlis.* Atqui generalis hæc et amplissima promissio, nullum, *quodcumque* sit, vinculi genus excipit. Ergo sicut indubiè ad peccata in sacramento Pœnitentiæ quoad culpam remittenda extenditur; sic et extendi debet, si potest, ad remittendas extra idem sacramentum pœnas peccati. Atqui ad has etiam potest extendi; tum quia nihil repugnat quin superstites peccatorum pœnæ ex applicatis Christi passionibus abluantur; tum quia exigebat infinitus erga nos Christi amor, ut medium tribueret quo omnia salutis impedimenta ab electis suis removerentur; quæ inter salutis impedimenta est etiam vinculum, seu reatus pœnæ temporalis; tum denique quia ex iisdem verbis semper collegit Ecclesia datam sibi esse potestatem solvendi vota et juramenta; quæ cæteroquin divini juris sunt. Ergo.

Prob. 2° : Potestas quâ semper usa est Ecclesia, nonnisi ab ipso Christo profluere potest; neque enim directa à Spiritu sancto Ecclesia transilit fines suos. Atqui hâc *indulgentiali* potestate, si ita cum nonnullis loqui liceat, semper, et ab ipsis primordiis usa est Ecclesia.

4. Prob. min. inductione. Et quidem 1° ex agendi ratione Apostoli erga incestum Corinthium, quam totam refero ex 2 Corinth., 2, ubi sic v. 6 et seq. : *Sufficit illi qui ejusmodi est*, incesto videlicet, *objurgatio quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis et consolemini, ne fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur qui ejusmodi est... Cui autem aliquid donâstis, et ego ; nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi, ut non circumveniamur à Satanâ*, etc. Ex iis sic in formâ. Ut ex eo loci concludatur Indulgentiarum usus, sufficit ut Apostolus non dimittat incesto ipsam peccati culpam, aut pœnam exteriorem excommunicationis, cui is propter crimen suum addictus erat; aut ulteriorem, quam in Ecclesiæ foro debebat satisfactionem; adeoque dimittat, quantùm in se erat, pœnam peccati, prout hodièque in Ecclesiâ per Indulgentias dimittitur. Atqui

5. 1° Apostolus non dimittit ipsam peccati culpam, tum quia loquitur de absente in quem non exercetur pœnitentiæ ministerium; tum quia quod dimittit Apostolus, id ad Corinthiorum preces dimittit : porrò absolutio sacramentalis, per quam dimittitur culpa, non datur ad preces aliorum, sed ad confessionem et instantias pœnitentis.

6. 2° Nec dimittit exteriorem excommunicationis pœnam, uti minùs rectè sentit Suarez, disp. 49, sect. 2. Namque 1° illud *in personâ Christi*, quod in his fundatur Christi verbis : *Quæcumque solveritis super terram*, ad amplius aliquid, quàm excommunicationem extendi potest. Ergo nihil est cur ad eam restringatur, contra communem theologorum sententiam; 2° quia perspicuè indicat Apostolus se donare aliquid diversum ab eo quod donaturi erant Corinthii : *cui donâstis*, inquit, seu, ut interpretantur versio Arabica et Tertullianus, *cui donabitis, et ego donavi.* Atqui ministri Ecclesiæ Corinthi incesto donaturi erant absolutionem à censurâ, quam et ipsi contra eum tulerant ex eo mandato Apostoli, 1 Corinth. 5, v. 13 : *Auferte malum ex vobis.* Ergo quod donat Apostolus non est solutio ab excommunicatione; 3° quia utcumque dubitat Apostolus num aliquid donet : *Quoa donavi*, inquit, *si quid* tamen *donavi.* Atqui non erat cur dubitaret an incestum solveret à censurâ, si solvere voluisset; esse verò poterat cur dubitaret an eum à superstite delicti pœnâ solveret, quia dubium erat an pœnæ alicujus debitor maneret, qui crimen suum tam acri diluerat pœnitentiâ, ut verendum esset, *ne* tandem *abundantiori tristitiâ* absorberetur.

7. 3° Demùm, non relaxat Apostolus satisfactionem in solo Ecclesiæ foro debitam. Cùm enim dixisset : *Si quid donavi propter vos, in personâ Christi*, subjungit continenter : *Ut non circumveniamur à Satanâ ; non enim ignoramus cogitationes ejus.* Ergo utilis erat incesto condonatio eidem ad Apostolo facta. Atqui si condonatio hæc pœnam tantùm in Ecclesiæ foro, non autem in foro divino debitam relaxâsset, jam nedùm fuisset utilis incesto, fuisset eidem insigniter noxia. Sanè verò utilior est duræ pœnitentiæ continuatio, quæ debitas in foro Dei pœnas exsolvit, quàm ejusdem relaxatio cum subjectione iisdem pœnis.

Prob. 2° eadem minor propositio ex usu Ecclesiæ, tum secundo, tum tertio seculo.

8. Tertullianus, lib. 1, ad Martyres, cap. 1, testatur confessores carceribus detentos indulgentias hujusmodi procurâsse iis qui in persecutione lapsi erant. Sic ille, pag. 137. *Quam pacem quidam in Ecclesiâ non habentes, à martyribus in carcere exorare consueverunt; et ideò eam etiam in vobis habere, et fovere et custodire debetis, ut si fortè et aliis præstare possitis.* Hanc quidem Indulgentiarum potestatem suggillat Tertullianus idem factus Montanista, lib. de Pudicitiâ, cap. 22, at dùm impugnat, à Catholicis probatam fuisse ostendit.

9. Cyprianus aliquando equidem cum martyribus disputavit quoad Indulgentias; at non circa potestatem eas concedendi, sed duntaxat circa usum quem illegitimum credidit quoad eos, qui necdum pœnitentiam delictis suis penè parem egissent; quanquàm et hos, si urgeat periculum mortis, in pace dimitti velit S. doctor. *Qui*, ait Epist. 2, pag. 25, *libellum à martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliquâ et periculo ceperint, exomologesi factâ, et manu eis in pœnitentiam impositâ, cum pace à martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur.* Atqui, per hos textus lapsi non tantùm liberabantur à pœnitentiis juxta canones subeundis, uti docuit Petrus de Osmâ à Sixto IV condemnatus, sed et à pœnis divinæ justitiæ debitis solvebantur. 1° Quia lapsi per martyrum Indulgentias *apud Dominum in delictis suis* adjuvabantur; qui autem *apud Dominum* juvantur, non ab exterioribus solùm Ecclesiæ vinculis immunes fiunt. 2° Quia ex usdem Indulgentiis ad Martyrum preces concessis fiebat, ut lapsi fideles *ad Dominum cum pace sibi à martyribus* iisdem *promissâ* remitterentur. Porrò si Indulgentia hæc solùm ab Ecclesiæ pœnis exemisset, nedùm ad Dominum misisset cum pace, nihil aliud ea fuisset, uti blasphemavit Lutherus, quàm *impiissima*, non *Papæ*, sed martyrum *impostura*, *noxia fidelibus*, *eosque in infernum deducens falsâ spe* consecutæ remissionis, quam per canonicas pœnitentias obtinuissent; nullatenùs autem in gratiam martyrum à Deo poterant consequi. 3° Quia Tertullianus jam Montanista, ut martyrum Indulgentias derideret, hæc Lutheri more eructabat: *Sufficiat martyri propria delicta purgâsse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus.* Ergo tunc Ecclesiæ toti persuasum erat, ex martyrum meritis *purgari* fidelium delicta. Atqui non quantùm ad culpam, quæ nonnisi ex præviis pœnitentium actibus purgari potest. Ergo quoad pœnam; non exteriorem, quam obtinuisse non erat *pro magno* martyribus qui huic obnoxii non fuerant. Ergo interiorem et coram Deo.

10. Idem confirmari potest ex pluribus conciliis: Nicænum I, can. 11, aliàs 12, statuit, ut qui seriò pœnitentiæ vacant, Indulgentiæ aliquid ab episcopo obtinere possint. *Licebit*, aiunt Patres, *episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Idipsum habent concilia Ancyranum, cap. 5, Laodicense, can. 12, Neocæsariense, Carthaginense IV, quæ proinde sicut Nicænum, volunt ut qui segniùs pœnitentiâ defuncti fuerant, totum ejus stadium emetiri cogantur. Atqui nihil est id aliud, quàm prioribus indulgere, non verò posterioribus. Nec quisquam facilè capiet, concilia hæc satisfactionem saluberrimam minuendo, haud eam ex Christi et Ecclesiæ meritis compensâsse: fuisset enim hæc alioqui crudelis misericordia, ut toties pontificibus objecêre Lutherani. Ergo jure ac meritò declarat Trid. synodus, in Decreto de Indulgentiis, ad calcem sess. 24, quòd *potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitùs sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illâ usa fuerit.* Neque id ex solis, quas modò adduxi, auctoritatibus comprobatur, sed ex pluribus antiqui ævi monumentis. Unde

11. Prob. 3° eadem prima minor ex concessione Indulgentiarum factâ à plurimis pontificibus pietate simul et scientiâ conspicuis. Namque 1° S. Gregorius M., qui seculo VI labente vixit, in diebus Stationum Indulgentias concessit, prout referunt S. Thomas in 4, dist, 20, q. 1, art. 3, et qui eum præcessit Guillelmus Altisiodorensis, lib. 4 Summæ Theol., tract. 6, cap. 9, ac diù post Bonifacius VIII. 2° Idem fecit Leo III, qui ann. 795 sedere cœpit, atque *per Allemaniam et Galliam multas Indulgentias* contulit, ut testatur S. Ludgerus, in Epist. de S. Swibertò, quæ post hujus vitam exstat apud Surium, tom. 2. 3° Sergius junior, seu II, qui circa an. 844, trium annorum Indulgentiam fecit iis qui S. Martini ecclesiam in montibus per diem ejus festum inviserent, ut constat ex ejus rei memoriâ, quæ in eâdem ecclesiâ exstat in marmore antiquissimis litteris inciso, nulla ut fingi possit fraudis suspicio. Atqui nemo sibi in animum inducat, prædictos pontifices, viros procul dubio sanctissimos malique doli incapaces, rem novam ac præteritis retrò temporibus inauditam, comminisci ausos fuisse. Sed nec concipiet quisquam, neminem è tot episcopis ac doctoribus, qui *per Allemaniam et Galliam* florebant seculo octavo, rei novitate attonitum, contra sacrilegam profanationem reclamâsse. Ergo quidquid ab his pontificibus factum est, id ab eorum decessoribus factum erat: rariùs quidem, quia quamdiù viguit pœnitentia canonica, veritum est ne sanctæ ejus severitati derogaretur; aliquando tamen, cùm id speciales causæ exigerent

12. Huic tamen, quod utcumque est Bellarmini, argumento nolim admodùm inniti. 1° Quia Joannes Diaconus, in vitâ S. Gregorii, lib. 2, cap. 28, scribit equidem sanctum hunc pontificem stationes per Basilicas, et martyrum cœmeteria ordinâsse; at de Indulgentiâ ne verbum quidem habet, sicuti nec Anastasius, aut Guillelmus, uterque bibliothecarius, uterque etiam penè ad finem usque noni sèculi superstes. 2° Quia nullo magnæ fidei momento probari potest, Indulgentias ad tres vel septem annos à quopiam Pontifice ante seculum XI, fuisse concessas. Porrò stationarias, ut aiunt, S. Gregorii indulgentias septennes

fuisse scribit S. Thomas, ibid. ut et Guillelmus, Antisiodorensis primùm, subindè Parisiensis episcopus. Ita Franciscus Pagi in Sergio II, n. 12. Quanquàm fieri potuit ut stationibus à S. Gregorio M. annecterentur Indulgentiæ, quæ temporum lapsu pro septennibus à populo habitæ fuerint : nec prorsùs obest argumentum negans è silentio Bibliothecarii utriusque petitum; cùm neuter omnia prorsùs gesta pontificum exscripserit.

13. 2° Multo infirmioris est momenti Epistola S. Ludgero adscripta, quam in vitâ ejus, § 4, n. 34, potenter excutiunt Bollandistæ, simulque affictam Leoni III Indulgentiarum effusionem.

14. 3° Demùm, exploratæ fidei non est marmorea tabula, quam ad an. 747 exscripsit Baronius, et ut fraudis expertem habet Bellarminus. Hujus auctoritatem solidè convellit Papebrochius, in Conatu chronico-historico, dissert. 17, ubi lapidis hujus inscriptionem, quanta est, redarguit falsitatis et convincit.

15. Non desunt tamen his temporibus certa Indulgentiarum exempla, quæ mortuis faciliùs quàm vivis concessa videantur. Sic, ut advertit Mabillonius in præfat. ad seculum VI Benedictinum, n. 108 et 109, Joannes VIII Indulgentiam his qui in bello contra Paganos an. 878 occubuerant, vel in futurum occumberent, concessit; eamdemque gratiam episcopi Bajoariæ petierunt à Joanne IX, sub annum 900, pro Arnulpho imperatore mortuo, cujus animam ipsius auctoritatis potestate absolvi postulaverunt. Sibi quoque *ab apostolico* Indulgentiam, quam fletibus multis rogaverat, obtinuit Salomon, episcopus Constantiensis, qui trium adversariorum suorum necem procuraverat.

16. Nec dubium quin variis temporibus Indulgentiæ plures concessæ sint, quarum periit memoria. Sic in Codice manuscripto Lucensis Ecclesiæ, inter Vaticanæ bibliothecæ libros asservato legitur Alexandrum II, peractâ an. 1070 ejusdem Ecclesiæ dedicatione, concessisse, *ut octo dierum spatio dedicationis memoria peragereturannis singulis, concessâ indulgentiâ.* Idem, sed specificatâ *anni unius de injunctis pœnitentiis* remissione, fecit Honorius II, in consecratione Ecclesiæ Casæmarii, ut videre est apud Baronium ad an. 1130. Speciales posteriorum temporum Indulgentias fusiùs prosequi superfluum fuerit. Nescit nemo quot et quales à S. Gregorio VII, an. 1084 et 1090; à Paschali II, an. 1100 et aliis deinceps pontificibus fuerint erogatæ. Veniendum ad eas quæ in frequentibus conciliis concessæ fuerunt.

17. Prob. Itaque 3° conclusio ex conciliis pluribus quæ Indulgentiarum largitionem approbando, catholicum de iis dogma necessariò approbaverunt.

18. Concilium Claromontanum an. 1095, cui interfuerunt archiepiscopi tredecim, et tam episcopi, quàm abbates pedo insigniti 205, comprobavit datam Crucigeris Indulgentiam, quâ Urbanus II, iisdem *injunctas pro suis delictis pœnitentias* relaxabat : ita ut, aiebat Pontifex, *qui in verâ pœnitentiâ decesserint, et peccatorum indulgentiam, et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros.*

19. Concilium Lateranense numerosissimum an. 1116 celebratum, Indulgentiam dierum 40, iis qui ad ipsum convenerant donatam, lubentissimè suscepit. De quo vide abbatem Uspergensem, in Chronico ad eumdem annum.

20. Concilium Lateranense IV generale, sub Innocentio III habitum, cui interfuerunt episcopi 412, varios, qui circa Indulgentias prodierant, abusus emendavit, ut patet ex cap. 14, de Pœnit. et Remiss. Abusus porrò testatur rem esse antiquissimam; non enim irrepunt abusus, nisi in rebus quæ diù fuerunt in usu.

21. Concilium Constantiense, non solùm damnat errores Wicleſi de Indulgentiis, sed et plenariam, quam in excitu concilii tribuit Martinus V Indulgentiam humiliter et gratâ mente acceptat.

22. Denique concilium Trident., sess. 25, ita indulgentiarum abusus reprobat, ut rei substantiam approbet atque revereatur.

Ex eo autem quòd hanc conciliorum sibi adversantium auctoritatem derideant pseudoreformati, non magis sequitur eam reipsà deridendam esse, quam quia Nicænum Ariani, Ephesinum I, Nestoriani, Chalcedonense Eutichiani deriderent, sequitur hæc contemptu et ludibrio digna fuisse. Moris est ut qui in tribunali quocumque causâ cecidit, tribunal illud mordaci dente insectetur.

23. Prob. 4° : Dogma miraculis indubiis confirmatum extra omnem dubii aleam positum esse debet. Atqui Indulgentiarum prædicationem à S. Bernardo factam Deus miraculis insignibus confirmavit. Minor patebit ex dicendis in brevi dissertatione, ad hujus capitis finem apponendâ.

24. Obj. 1° : Admitti non potest doctrina quæ nullum habet in Scripturâ vel Traditione fundamentum. Atqui Indulgentiarum doctrina....

25. Non in Scripturâ, cùm textus Matth. 16, 19, ad summum de remittendâ per claves culpâ peccati intelligatur; nihil verò probet exemplum incesti Corinthii; tum quia nihil erat quod ei condonaretur; seu quia non ei constituta erat certa pœnitentiæ mensura; seu quia impositam sibi pœnitentiam anni totius decursu impleverat; tum quia nondùm ille à culpâ fuerat absolutus, sed à culpâ simul et pœnâ ad imperium S. Pauli absolutus fuit.

26. Non in Traditione, cùm altum sit apud Græcos atque Latinos Patres de Indulgentiis silentium. Ergo.

27. R. ad primum : Nego min. Constat enim ex allatis probationibus, quarum sensus in Ecclesiâ quasi de manu ad manum transmissus est, datam fuisse Petro ejusque successoribus potestatem pœnitentibus, secundùm pietatis leges, indulgenter subveniendi. Nec obsunt quæ contra futiliter objiciuntur.

28. Non primum : Verba enim Christi, quantùm generaliter fieri potest, salvis vocum proprietate et Christianæ prudentiæ regulis, intelligi debent. Ergo

ad peccatorum dimissionem in solo Pœnitentiæ sacramento impetrandam restringi non debent, uti jam diximus, n. 2.

29. Non secundum : Nihil enim dubii est quin gravis, eaque diuturna, *in interitum carnis* indicta fuisset Corinthio illi pœnitentia ; quam et.i jam anno fortè toto impleverat, necdùm impleverat scandaloso suo crimini adæquatam. Unde meruerat quidem fervore suo, sed et simul indigebat ut sibi per Indulgentiam opitularetur Apostolus; quod et fecit, non quia jam culpæ suæ pœnam exhausisset incestus, sed *ne abundantiori tristitiâ* absorberetur.

30. Quod additur Corinthium hunc nondùm à culpâ suâ absolutum fuisse ; 1° gratis dicitur, cùm Corinthius et ex plenâ suâ contritione et sacramentaliter, quod nemini non contumaci negat Ecclesia, potuisset absolvi. 2° Si verum esse supponatur, nihil probat. Nihil enim ad Indulgentiam interest an ea ante absolutionem concedatur, an postea ; licèt de facto ab iis solùm percipiatur qui cum Deo reconciliati fuerint.

31. Non tertium quod è Traditionis silentio eruitur; 1° quia ex allatis Tertulliani et S. Cypriani textibus, non ineptè colligitur Indulgentiarum doctrina. Sanè ex eorum verbis constat, eos qui lapsi erant, non quidem sine satisfactione, sed ante congruam, ut alioqui futura erat, satisfactionem, in omnia non lapsorum jura fuisse restitutos. Atqui non restituebantur, nisi quia judicabantur, partim ex propriis, partim ex martyrum operibus, divinæ justitiæ satisfecisse. Hæc autem divinæ justitiæ satisfactio, vel nulla erat, vel pœnam in foro Dei debitam remittebat. Utique lapsorum satisfactio propria remittebat pœnam, ut facilè intelligunt omnes præter Lutheranos. Ergo et eamdem pœnam remittebat aliena martyrum satisfactio, quæ propriæ æquiparabantur.

32. 2° Quia Patres alii, licèt speciatim de Indulgentiis non disserant, sæpè tamen de concessâ Ecclesiæ tam solvendi, quàm ligandi potestate disserunt. Atqui sub illâ solvendi potestate continetur potestas Indulgentias erogandi ; quemadmodùm sub eâ continetur potestas dispensandi in votis, et juramenta relaxandi, quam Patres in specie non attingunt.

33. 3° Quia duo obstabant, ne Patres Indulgentias fusiùs commendarent; alterum, quòd id ad vindicandam fidem non esset necessarium, nondùm exortis Indulgentiarum calumniatoribus ; alterum, quia id utcumque noxium fuisset salubri, qui tum vigebat disciplinæ rigori. Nescit nemo quot ambagibus ex paulò notiori Indulgentiæ doctrinâ obnoxius fuerit Cyprianus.

34. Inst. Si S. Cyprianus credidisset pœnas peccati remitti ad martyrum vota, non tantam exegisset à lapsis satisfactionem ; sed iis statim à prioribus sinceræ pœnitentiæ indiciis pacem reddidisset. Atqui falsum consequens. Ergo credidit quidem pœnam ab Ecclesiâ exteriùs remitti, sed tunc tantùm quando vi contritionis perfectæ jam à Deo remissa esse præsumebatur.

35. R. Neg. maj.; plura enim obstabant ne confestim pax lapsis restitueretur. 1° Terror aliorum, qui instante novâ persecutione, ex severiori erga lapsos disciplinâ in officio continendi erant. 2° Quòd qui pacem ex martyrum libellis quærebant, eam uti rem stricto jure sibi debitam urgerent ; cùm tamen Indulgentiarum concessio sit penes episcopum. 3° Quòd ex lapsis reconciliationem ecclesiasticam tam vividè ambientibus, multi nullo penè suo opere gratiam hanc promeruisse viderentur. Cyprianum audiisse juvet ; sic ille epist. 11, ad Confessores in carceribus detentos : *Credideram quidem presbyteros et diaconos, qui illic præsentes sunt, monere vos et instruere plenissimè circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est* (nota antiquam consuetudinem), *ut diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore agnosco.... à quibusdam presbyteris* contrarium fieri. *Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero impositam, offerre lapsis pacem, et Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audent.* Et infra : *Oro vos quibus possum precibus, ut Evangelii memores, et considerantes quæ et quanta antecessores nostri martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint ; vos quoque solliciè et cautè petentium desideria ponderetis.... inspiciatis et actum, et opera et merita singulorum ; ipsorum quoque delictorum genera et qualitates cogitetis, ne, si quid abruptè et indignè, vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.* Ubi et Indulgentiarum antiquitas traditur, et quàm cautè dispensari debeant ostenditur ; quod, ut patet ex Historiâ Cypriani, et relatis mox verbis, non satis cautè observabant nonnulli ex martyribus.

Neque tamen, quia tot dispositiones à lapsis requirebat Cyprianus, idcircò arbitrabatur per eas expunctam fuisse pœnam omnem quam eorum culpa merebatur (alioqui enim nihil concessisset votis martyrum). Sed id persuasum habebat quod et hodie persuasum habet Ecclesia, nec sanctorum nec ipsius Christi satisfactiones cuipiam applicari posse, nisi obices, quibus earum effectus retardari possit, per seriæ pœnitentiæ, non tamen omnimodæ, labores removeantur.

36. Obj. 2° : Augustinus et alii Patres instar principii supponunt, peccatum vel ab homine in præsenti vitâ puniri ; vel à Deo in futurâ. Atqui in hypothesi Indulgentiarum, neque homo peccatum suum puniret in hâc vitâ, quando quidem non punitur quod gratiæ condonatur ; nec Deus in alterâ, quia non punitur quod remissum est.

37. R. Dist. maj. Supponunt peccatum puniri, nisi ab homine in præsenti vitâ puniatur, adæquatè vel inadæquatè, concedo. Nisi puniatur adæquatè, subd. Supponunt puniri, cùm defectum humanæ satisfactionis non compensat superabundans Christi aut beatorum satisfactio, concedo ; secùs, nego. Punitur homi-

nis peccatum donec satisfactione congruâ expungatur. Verùm ubi meruit homo, ut satisfactioni suæ accedat juxta Ecclesiæ consilium satisfactio Christi, tunc peccatum ex aliquâ parte punitur, et ex aliquâ indulgenter relaxatur. Idque, ut ubique misericordia et veritas obvient sibi, vel in ipsis inferis, dispari tamen sensu, locum habet. Qui enim sanctos ultra condignum remunerat Deus, idem reprobos plectit citra condignum, ex communi doctorum sensu.

38. Instabis 1° : Pœna temporalis, si quæ post remissam culpam luenda supersit, divino jure debita est peccato. Sed quod lege divinâ peccato debitum est, ab homine condonari nequit. Ergo.

39. R. Dist. min. Non potest condonari ab homine per propriam ejus virtutem, concedo ; per potestatem utendi clavibus à Deo concessam Ecclesiæ, nego. Et verò majus est remittere peccata, quod nemo de se potest, nisi Deus, quàm remittere pœnam peccatis debitam. Atqui tamen peccata remittit homo per claves ; cùm scriptum sit Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo et eodem jure potest à fortiori homo pœnam peccati, solvendo, dimittere ; cùm scriptum sit Matth. 16. *Quæcumque solveritis.* Neque inde gloriandum homini, cùm quidquid condonat, id, Apostoli exemplo, donet *in personâ Christi.*

Cæterùm cui per Indulgentiam dimittitur pœna, non absolvitur gratis, sed ex Christi satisfactionibus debitum solvit. Sicut verè solvit debitum, qui illud alieno ære sibi misericorditer concesso persolvit. Ita S. Thomas, Suppl., q. 25, art. 1, ad 2.

40. Inst. 2° : Usus clavium non potest extra tribunal pœnitentiæ exerceri. Atqui Indulgentiæ conceduntur extra tribunal illud.

41. R. Nego maj. Etsi enim usus clavium quoad culpæ remissionem, quæ juridicam causæ totius notitiam requirit, nonnisi intra Pœnitentiæ tribunal exerceri potest, potest tamen ille multis in casibus extra idem tribunal exerceri, ut patet in juramentis et in votis, quæ nonnisi per usum clavium solvuntur. Ergo pariter quoad dimissionem pœnæ temporalis extra pœnitentiæ tribunal poterit exerceri. Et verò ideò potestas solvendi reatum culpæ in solo Pœnitentiæ sacramento exeritur, quia potestas illa ab ordine sacro dimanat. Atqui contra potestas solvendi reatum pœnæ non ordine sacro profluit, sed mera est potestas jurisdictionis, uti subinde dicemus. Ergo.

42. Inst. 3° : Remissio pœnæ peccatis debitæ, extra sacramentum, pertinet ad potestatem *excellentiæ*, quæ solius Christi propria est. Ergo potestas hæc tanta in hominem transfundi non potest.

43. R. dist. conseq. Non potest in hominem transfundi ab homine, concedo. Ab ipso Christo, nego. Qui enim largiri potuit facultatem remittendi culpam, potuit et magis largiri facultatem remittendi pœnam. Distat tamen insigniter vel ex eo capite Minister à Domino. Is enim vi propriâ et culpam et pœnam sine satisfactione condonare poterat : id verò non potest minister, sed tantùm satisfactionem Christi infinitam miseræ hominis satisfactioni substituendo.

44. Neque tamen hinc inferas nullum pœnitenti in diebus plenariæ Indulgentiæ, à confessario injungendam esse satisfactionem, ab operibus ad Indulgentiæ lucrum præscriptis diversam, tum quia semper cavendum est, quod enixè cavebat Cyprianus, ne concidat propriæ satisfactionis studium ; tum quia satisfactio, quâ parte pœnale aliquid habet, habet et quòd medicinalis sit ; tum denique quia semper vereri est ne quis Indulgentiam, saltem quantâ indiget, minimè percipiat. Sed de his jam supra.

45. Obj. 3° : Lex et Prophetæ non aliam peccatorum remissionem annuntiant, quàm per Christum, cujus in sanguine mundari nos docet Evangelium. Atqui doctrina Indulgentiarum annuntiat nobis remissionem peccatorum per libellos supplices, ac merita martyrum. Ergo doctrina hæc Legi, Prophetis et Evangelio contradicit.

46. R. Neg. min. quatenùs, ut quid probet, falsò et calumniosè supponit, vel libellos, vel satisfactiones martyrum per propriam et independentem à virtute Christi efficaciam concurrere ad satisfactiones nostras. Cùm è contra doceamus Catholici, partim cum B. Petro, Act. 4, 12, *Non* esse *aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos*, quocumque modo *salvos fieri ;* partim cum Apostolo dilecto, 1 Joan. 2, v. eod. Christum esse propitiationem *pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam totius mundi.* Annectimus quidem sanctorum satisfactiones satisfactionibus Christi ; sed ut commendemus, tum omnipotentiam ejusdem Christi, qui ut amicos suos nimis honoraret, iis concessit unde sua et aliena debita utcumque redimerent ; tum summam illam benignitatem, quâ, ut loquitur Ambrosius, lib. 5, in Luc., cap. 5 : *Aliorum merito ignoscit aliis, et dùm alios probat, aliis relaxat errata.*

47. Inst. : Esto Deus ex aliorum merito ignoscat aliis ; inde profectò nihil in gratiam Indulgentiarum depromi potest. Siquidem ad eas non sufficit ut adhibeantur beatorum intercessiones ad obtinendam pro peccatis nostris misericordiam Dei, sed requiritur ut Ecclesia satisfactiones sanctorum pro alienis delictis dispenset auctoritativè, ut aiunt. Neque enim jam ampliùs Papa sanctos precatur ut orent pro pœnitente, sed eorum satisfactiones etiam ab invitis sumit, et pro genio suo applicat. Unde damnata est hæc Baii propositio, num. 60 : *Per passiones sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta ; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Cùm igitur constet nihil aliud olim à martyribus factum esse, quàm ut pro lapsis intercederent, constare debet doctrinam Indulgentiarum ex martyrum facto nullatenùs probari. Quæ ut paucis contrahantur, sic disputo in formâ. Ut ex Patrum textibus et martyrum facto aliquid in gratiam moderni Indulgentiarum dogmatis elici possit, necesse est ut probetur, non quidem martyres intercessisse pro lapsis, ut erga eos temperaretur Canonicæ pœnitentiæ rigor ; id enim extra dubium est ;

sed satisfactiones martyrum lapsis juridicè fuisse applicatas. Atqui postremum istud neutiquàm probari potest. Unde nusquàm contingit ut martyres Indulgentias lapsis orarent, sed tantùm ut isti ad Eucharistiæ participationem, relaxatâ sibi canonicâ pœnitentiâ, ante tempus admitterentur. Ergo.

48. R. Dist. min. : Non potest probari martyrum satisfactiones lapsis juridicè applicatas fuisse, si per applicationem juridicam ea intelligatur, quæ fit imperiosè, et citra deprecatoriam Ecclesiæ oblationem, concedo; si per applicationem juridicam ea intelligatur, in quâ ad preces Ecclesiæ, et ex Christi benevolentiâ, satisfactio superabundans unius compensat coram Deo debitum satisfactionis alterius, nego. Itaque certum est 1° satisfactiones sanctorum non ita dispensari ab Ecclesiâ, quasi hæc supremam earum se dominam esse confidat, ac de iis pro nutu, invitis quadamtenùs Christo et sanctis, disponat, prout impudenter subindicat objectio. Certum est 2° ut benè observat Amort, ibid., pag. 9, quòd sicut omnis sive sanctorum, sive Ecclesiæ oratio, aliquam involvit oblationem; quia oratio per bona opera Deo commendari debet; sic et vicissim oblatio omnis, quâ Deo exhibentur propria vel aliena justorum opera pro effectu indebito, involvit tacitè aliquam deprecationem. Ergo martyrum intercessio non obest Indulgentiarum dogmati, posito quòd martyrum satisfactiones pœnam à lapsis debitam ex parte exolverint, et utcumque redemerint. Atqui rem ita esse constat ex supra dictis Constat nimirùm lapsos hinc habuisse ut ad Dominum cum pace mitterentur, ut ex remissâ sibi pœnitentiâ nihil funesti detrimenti caperent, ut justitiam divinam placâsse censerentur. Ergo.

49. Potest id non malè confirmari ex iis quæ scribit Sozomenus, lib. 7, Hist., cap. 16, ubi sic : *In Occidentalibus Ecclesiis, et maximè in Romanâ, est manifestus pœnitentium locus. Stant enim in eo mœsti, et cum lamentatione se in terram pronos projiciunt. Tum episcopus similiter humi cum ejulatu collabitur, ac tota Ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur. Pœnâ demùm quasi pro debito exsolutâ, quisque à peccatis absolvitur.*

50. Consonat id Ambrosii, vel alterius, quisquis ille sit, auctoris, lib. 1, de Pœnitentiâ, cap. 15 : *Benè, ait Apostolus :* « *Expurgate vetus fermentum.* » *Velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur à peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini Jesu meruit adventum, ut per omnes redimerentur.... Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum et fletu et oratione, et dolore est; et quasi fermento ejus se totum conspergit, ut per universos ea quæ superflua sunt in alijuo pœnitentiam agente.... purgentur.* Atqui supposito quòd verum est Ecclesiæ thesaurum non modò ex sanctorum qui jam in cœlis regnant, sed et ex justorum qui adhuc vivunt, meritis coalescere, vera et germana se in textibus mox adductis præbet Indulgentiæ imago. Ubi enim unus per alium, ex concessione Christi, redimitur; ubi onus, non quidem peccati, quod personale est, sed pœnæ, ab omnibus suscipitur, ita ut quod ejus residuum erat, purgetur, hic sanè est æternæ pœnæ relaxatio, quæ Indulgentiam constituit. Atqui ex textibus modò adductis, præsertim autem ex posteriori, unus per alium redimitur, etc. Ergo.

51. Nec obsunt duo quæ in contrarium objecta sunt. Non primum. Neque enim damnata est Baii propositio, quia assereret justorum opera pro nobis per tacitam deprecationem offerri; hanc enim admittunt ut minimùm ii omnes qui censent opera illa, ut pro alienis peccatis valeant, indigere gratuitâ Dei acceptatione; sed quia propior Lutheri assecla crederet nullam iis operibus inesse condignitatem, nullam gratiæ inhabitationem, vi cujus acceptentur ratione sui, ita ut Deus ab his etiam operibus moveatur ad indulgendum nobis : quod dudio procul Catholici omnes rejiciunt.

52. Non secundum. Etsi enim martyres non exorabant formaliter et explicitè Indulgentiam pro lapsis; eam tamen virtualiter et implicitè pro iisdem orabant; cùm precabantur ut ii quasi peractâ pœnitentiâ ad Eucharistiæ participationem admitterentur, et ad Dominum cum pace migrarent. Nec dubium quin episcopi votis martyrum annuendo, Indulgentiam hanc largirentur; cùm alienâ hâc satisfactione satisfactionem à lapsis divinæ justitiæ debitam ita redimi crederent, ut lapsos coram Deo verè adjuvari arbitrarentur.

53. Confirm., tum quia alioqui hæc pœnitentiæ relaxatio lapsis admodùm funesta fuisset, uti supra ponderavimus; tum quia relaxationem hanc semper intellexit Ecclesia eo quo nunc intelligimus sensu; quandoquidem Indulgentias largiendo, id unum facere credidit, quod primitùs à S. Paulo, et à S. Cypriano factum est.

54. Neque est quod objiciatur S. Cyprianum sæpiùs de hujusmodi Indulgentiâ conquestum esse : nec enim ipsam rei substantiam redarguit, sed duntaxat abusum, qui tantus erat, ut nonnulli sacerdotes *contra Evangelii legem, contra honorificam* martyrum *petitionem ante actam* à viris sanis *pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam*, etc., *lapsis pacem et Eucharistiam dare præsumerent.* Porrò qui solum abusum redarguit, rem ipsam approbat.

Obj. 4° : Si Ecclesiæ insit potestas Indulgentiarum, ea vel ordinis erit vel jurisdictionis; et hæc rursùm vel à solo summo Pontifice, vel ab aliis exerceri poterit.

Pro solutione sit

Conclusio II. Potentia largiendi Indulgentias, non est ordinis, nec ordinem prærequirit, sed est jurisdictionis. Ita communiter theologi cum S. Thomâ, in 4 dist., dist. 20, q. 1, art. 4, quæst. 2. Ita etiam canonistæ.

55. Prob. prima pars. Si potestas illa esset potestas ordinis, posset sacerdos quilibet vi ordinationis suæ conferre Indulgentias. Atqui id non potest : cùm id

nequidem possit episcopus simplex, id est, absque episcopatu reali consecratus; quia neuter vi ordinationis solius quemquam ligare vel solvere potest. Cujus rei ratio à priori est, quòd nemo ex solâ ordinis potestate subditos habet; nullus autem nisi subditis Indulgentias conferre potest, uti definit Alexander III, cap. 4, de Pœnit. et Remission. Ergo.

56. Prob. secunda pars. Si quem ordinem prærequirat potestas illa, maximè sacerdotalem, qui solus ad remittenda peccata institutus est. Atqui hunc non requirit.

57. Prob. min. ex usu Ecclesiæ, secundùm quem cardinales et alii non sacerdotes ex pontificis gratiâ Indulgentias largiuntur; quas etiam tribuit Papa electus, licèt necdùm consecratus, sicut et absolvit à censuris. Ergo potestas Indulgentiarum nec est de se potestas ordinis, nec ordinem prærequirit.

58. Et verò si Indulgentia ordinem prærequireret, maximè quia per eam vera datur absolutio, idque per clavium potestatem. Atqui hæc ratio nulla est. Licèt enim ad remittendam in sacramento Pœnitentiæ culpam, et cum ipsâ pœnam æternam requiratur potestas ordinis, non tamen ad absolvendum à pœnâ temporali; hujus quidem remittendæ facultas oritur à potestate clavium; sed inadæquatâ et partiali, qualem habere possunt etiam inferiores Ecclesiæ ministri, qui idcircò in juramentis et votis dispensare aliquando possunt. Non nego Indulgentias communiter percipi in foro Pœnitentiæ, quia communiter percipiuntur cum absolutione à peccatis, ad quam prærequiritur potestas ordinis; sed nego eas per potestatem ordinis dari seu offerri.

59. Prob. tertia pars, 1° quia actus qui à judice nonnisi in subditos exerceri potest, est de se actus jurisdictionis, sive ordinem sacrum prærequirat, sive non. Atqui Indulgentia nonnisi in subditos erogari potest. Minor patet ex cit. cap. 4, de Pœnitentiis et Remission., ubi consultus Alexander III, *an Indulgentiæ* seu *remissionnes quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum.... aliis prosint quàm his qui remittentibus subsunt*, respondet non prodesse, *eò quòd à non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi.*

60. Prob. 2°: Dispensatio in aliquâ lege, et concessio alicujus privilegii, actus est jurisdictionis. Atqui Indulgentia magnum sanè importat privilegium, quo gravis vitæ alterius pœna in pœnam operis alicujus multò leviorem commutatur; rursùs per eamdem Indulgentiam fit certa quædam dispensatio in lege quâ reus certæ satisfactioni addictus erat. Ergo.

61. Objicit Durandus 1° quòd jurisdictio etiam in invitum exerceri possit; non autem Indulgentia tribui invito; 2° quòd alioqui Indulgentiæ largitor non posset ejusdem particeps esse, quia nemo in seipsum jurisdictionem exercere potest; 3° quòd Ecclesia Indulgentias applicet defunctis in quos jurisdictionem non habet. Verùm hæc flocci facienda. Unde

62. Ad primum dist. Jurisdictio coactiva in invitum exerceri potest, concedo; jurisdictio gratiosa et voluntaria, quæ certas ex parte subjecti dispositiones requirit, nego. Itaque jurisdictio coactiva in invitum exerceri potest, ut patet ex omnium tribunalium praxi. At jurisdictio gratiosa, quæ sine piis subjecti dispositionibus prodesse nequit, et voluntaria quædam ejus opera prærequirere solet, non potest in invitum exerceri, ut patet ex terminis. Cæterùm jurisdictio in Indulgentiis exerceri solita, non est semper ex parte superioris omninò voluntaria; potest enim quandoque ad eam obligari, *saltem ex charitate, si magna sit subditorum necessitas*, ut benè Suarez, dist. 49, sect. 3, num. 8. Sed neque Indulgentiarum consecutio prorsùs semper est voluntaria: quia potest quis à confessario, vel à superiore ad eas lucrandas obligari. Verùm obligatio hæc non nascitur ex illâ Indulgentiarum jurisdictione, sed ex aliâ, quam habent sacerdotes ad ligandum vel solvendum in foro sacramentali, quæ longè diversa est, quæque, quatenùs etiam ligare ac punire potest, aliquid participat jurisdictionis contentiosæ.

63. Ad secundum: Nego seq.; potest enim vel ipse Papa alicui in se ut in peccatorem nonnihil tribuere jurisdictionis, quantùm ad pœnam, sicut et tribuit in sacro tribunali; quantùm ad culpam. Deinde cùm jurisdictio in totam communitatem exercetur, effectus ejus redundat in ipsum judicem, tanquàm partem communitatis.

64. Ad tertium: Nihil quidem jurisdictionis habet Ecclesia in defunctos, sed habet in viventes, quibus concedit ut per modum suffragii lucrentur Indulgentiam pro defunctis. De hoc infra.

Conclusio III. Potestas concedendi Indulgentias, tantùm residet in primis Ecclesiæ pastoribus, episcopis nimirùm, ac præsertim summo Pontifice, qui multò plus hâc in parte potest, quàm episcopi.

65. Prob. prima pars. Potestas Indulgentiarum est actus jurisdictionis, et quidem ex virtute, clavium dimanans. Atqui jurisdictio hæc, si quibus, certè primariis Ecclesiæ pastoribus competit; iis nempe quibus jure quodam proprio competit solvere et ligare, oves Christi pascere, et regere Ecclesiam Dei. Matth. 16, 19; Joan. 21, 17; Act. 20, 28. Ergo.

66. Confirm. 1°: Indulgentiarum concessio est dispensatio boni communis, seu thesauri Ecclesiæ concessi. Atqui dispensatio boni communis non privato cuilibet, sed iis solum competit, qui communitati præficiuntur. Ergo.

67. Confirm. 2°: Ex concilio Constantiensi (tomo 12, Concil. pag. 270), ubi Martinus V, hæresis Wiclefianæ suspectum interrogari jubet, *utrùm credat, quòd Papa omnibus Christianis verè contritis ac confessis, ex causâ piâ et justâ concedere possit Indulgentias in remissionem peccatorum; et quòd singuli episcopi suis subditis, secundùm limitationem sacrorum canonum possint etiam illas concedere.*

68. Et verò constat ex dictis potestatem hanc à S. Cypriano et collegis ejus, secundùm id quod ab antecessoribus eorum factum erat, quoad lapsos exercitam fuisse. Atqui quod potuêre priores episcopi, possunt

id posteriores, nisi quid resistat; quæ restrictio ex mox dicendis innotescet. Ergo.

69. Hinc colliges cum multis contra multos, quos sequitur Sylvius hìc, q. 26, art. 3, episcopos non à jure solùm ecclesiastico, sed à divino, subalterno tamen, et juxta canones restringibili, potestatem habere concedendi Indulgentias : etsi enim Petro datum est, ut cum agnis ipsas etiam oves pascat, datum est tamen episcopis ut agnos pascant, ut ligent et solvant, etc. Hæc autem quæ à Christo est potestas, ad Indulgentias etiam, sicut et ad vota et juramenta extenditur. Unde in his potest equidem, ex Christi institutione restringi, prout patet ex usu; sed non omninò extingui. Et verò, ex confesso Sylvii, habent episcopi potestatem ordinariam concedendi Indulgentias, non merè delegatam, quia hanc habent *ex vi muneris, seu officii episcopalis.* Ergo sicut officium episcopale habent à Christo, sic et ab ipso habent potentiam largiendi Indulgentias.

70. Neque solùm potestatem hanc divino jure habent episcopi, sed et vetare possunt ne ullæ in diœcesibus suis, nisi de licentiâ suâ, publicentur Indulgentiæ, prout statutum est in conciliis, Cameracensi, an. 1567, Rothomagensi, an. 1581, Turonensi, an. 1583, Narbonensi, an. 1609, et à clero Gallicano, in generalibus comitiis anni 1625. Ratio est, tum quia cavendum ne Indulgentiæ apocryphæ pro genuinis exponantur; tum quia ponderandum est an quæ generatim salubres sunt, huic vel illi loco profuturæ sint, an non potiùs contemptui, licèt iniquo, futuræ. Jam

71. Prob. secunda pars, quia æquum erat, ut qui gregem totum et oves ipsas cum agnis seu cum populis episcopos ipsos regit atque moderatur, in quâcumque materiâ (potissimùm verò in præsenti, quæ ipsum Christi thesaurum spectat); plus quàm cæteri haberet auctoritatis. Id autem de facto contigit. Nimirùm verò Papa et *omnibus Christianis* Indulgentias tribuere potest, uti supra aiebat Martinus V, et plenarias, datâ causâ largiri valet, et non ita rarò largitur. Contra, episcopi, nec aliis quàm diœcesanis suis beneficium hoc impendunt; neque illud tam amplè largiri ausint. Licèt enim Cypriani ævo potestas eorum quantùm ad præsens hoc caput solis recti et æqui limitibus restricta fuisse videatur, ab eâ tamen non minimùm detractum est à concilio Lateranensi IV, can. 62, eò quòd ipsâ plures in ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum abuterentur. En concilii verba, prout referuntur cap. *Cùm ex eo*, 14, de Pœnit, etc. : *Quia per indiscretas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum prælati facere non verentur, et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur, decerninus, ut cùm dedicatur basilica, non extendantur Indulgentiæ extra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus episcopis consecretur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque numerum dierum Indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur.* Hâc occasione.

72. Quæres 1° an hæc potentiæ episcopalis restrictio non solùm in foro exteriori locum habeat, quod fatentur omnes, sed et in foro pœnitentiæ; ita ut episcopus non possit, auditâ confessione pœnitentis, ampliorem ei tribuere Indulgentiam, quàm quæ sibi à concilio Lateranensi permissa sit.

73. Negat Suarez id eum posse, tum quia episcopi in pœnitentiæ foro *non se gerunt propriè ut episcopi, sed ut sacerdotes habentes jurisdictionem huic foro proportionatam, ex vi cujus nulla potest Indulgentia concedi;* tum quia *si simul uti velint jurisdictione episcopali ad concedendas Indulgentias, jam formaliter non remittunt in foro pœnitentiali, sed in foro Indulgentiarum, quod* ab illo *distinctum est. Quòd autem simul cum altero concomitanter et secretò exerceatur, per accidens est, nec mutat naturam talis actionis, nec excludit illam à limitatione concilii generalis,* quod *absolutè loquitur, et universalem ponit negativam.* Hæc ille.

74. Aliter (si tamen aliter; secunda enim Suarezii ratio quæstionem de nomine instituere videtur) post Innocentium, Joannem Andræam, et quosdam alios canonistas sentiunt Silvester, verbo *Indulgentia*, num. 1, et Prosper Fagnan, in cit. cap. *Cùm ex eo*, 14, de Pœnit., etc., num. 17, qui assertum suum non probat. Ratio esse possit, tum quia restrictio juris episcopalis, utpote odiosa, strictè interpretanda est, proinde limitanda ad concessionem publicam, de quâ solâ loquitur concilium Lateranense; tum quia cùm episcopi, aliis distenti negotiis, rarò confessiones excipiant, non est verenda illa hæc indulgentiarum profusio, quæ è tot antistitibus totum per orbem sparsis immineret, et cui occurrendum ipsi etiam episcopi agnoverunt in Lateranensi concilio.

75. Nihil, meo quidem judicio, vetat quominùs opinionem hanc practicè sequantur episcopi, qui missionibus per seipsos incumbunt. Si enim fortè potestatis suæ limites excedant, non valebit quidem Indulgentia quoad excessum, sed valebit quoad gradum jure permissum; quia in iis quæ dividi possunt, *utile per inutile non vitiatur;* et ita post Navarrum et alios plures tenet Barbosa, part. 3, de Officio et Potest. episcopi, allegat. 88, n. 22, pag. mihi 358. Subdit idem, n. 24, non posse episcopum Indulgentiam concedere pro mortuis, quia ejus facultas videtur ab Apostolicâ Sede restricta ad ejus subditos degentes in hâc vitâ. Et id quoque, licèt traditum à non paucis, mihi dubium est. 1° Quia ut jam dixi, restrictio, ut odiosa, præsumi non debet, sed certò probari. 2° Quia defuncti non magis immediatæ summi Pontificis, quàm episcoporum, jurisdictioni subsunt; unde eos nonnisi viventium ope juvare potest : quidni autem id per subditos suos possint episcopi? 3° Quia limitatio, quæ ad gloriam Dei non confert, Apostolicæ Sedi nonnisi per injuriam affingi potest. Atqui limitatio vi cujus non posset episcopus patri, matri, et aliis familiæ suæ defunctis succurrere per Indulgentiam, non

utique conferret ad gloriam Dei. Ergo hæc non debet nec potest supponi. Cavendum tamen ne episcopi ultra potestatis suæ fines excurrere præsumant.

76. Quæres 2° an episcopus ante consecrationem suam possit Indulgentias largiri, et num id possit per delegatum.

77. R. ad primum affirm., modò sit post nominationem vel electionem suam confirmatus. Ratio est quia ex tunc fruitur potestate jurisdictionis; et ita docent multi apud Barbosam, ibid. n. 7, unde

78. R. Ad secundum posse episcopum ope delegati conferre Indulgentias, quia potestas jurisdictionis de se habet quod delegari possit.

Non potest tamen facultas illa committi laico, quia laici de jure ab ecclesiasticis muneribus, quale istud est, excluduntur. Ita idem Barbosa, n. 11.

79. Ut verò episcopus per se aut per delegatum Indulgentias tribuat, necesse est ut per ecclesiasticam censuram non sit ab usu jurisdictionis suæ suspensus; tunc enim ne eas quidem Indulgentias quæ per modum suffragii, non autem absolutionis, conceduntur, impertiri valide posset. Esto enim concessio Indulgentiæ per modum suffragii non sit actus jurisdictionis; at saltem est actus administrationis ecclesiasticæ, quâ etiam privatur excommunicatus. Ita Suarez ibid. n. 18. At non obesset Indulgentiarum validitati status peccati in quo versaretur, sive Papa, sive episcopus, qui eas concederet; quia peccati status validum jurisdictionis usum non impedit. *Et ideò*, ait S. Thomas, Suppl., q. 26, art. 4, O : *Indulgentiæ æquè valent, si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus;* quia neuter dat de suo, sed solùm de thesauro Ecclesiæ. Idem docet Suarez, ibid. n. 20, ubi addit, eum qui in tali statu Indulgentias tribuit, *per se loquendo, et secluso scandalo*, non peccare; *quia ibi non intervenit absolutio sacramentalis, neque illa est tam sacra, tamque gravis actio, nec confert aliis essentialem sanctitatem, ut eam in ministro requirat tanquàm condignam dispositionem.* Fatendum nihilominùs non adeò levem esse actionem, quâ dispensantur Christi merita, ut qui eam facere vult, sinceræ contritionis actum tutâ conscientiâ omittere posse videatur.

80. Quæres 3° an episcopi purè titulares, vel episcoporum coadjutores, proprio jure Indulgentias erogare possint.

81. R. negat., sequitur ex eo quòd facultas illa, non ipsi caracteri annexa sit, sed pendeat à jurisdictione, quam nec titulares episcopi habent, nec coadjutores. Atque ita definiit sacra congregatio 15 jun. 1591, apud Ferraris, v. *Indulgentia*, num. 20. Possunt tamen utrique ad id muneris ab episcopo, cui subsunt, delegari, cùm vel ipsi clerici ad illud deputari valeant.

82. Quæres 4° an episcopus illam jurisdictionem extra territorium suum exercere possit.

83. R. episcopum, qui extra diœcesim suam degit, Indulgentias concedere posse, non quidem incolis alienæ hujus diœceseos, in quos nullam habet jurisdictionem; sed propriis suis subditis, sive hi in suâ diœcesi, sive in aliâ commorentur. Ratio est, tum quia jurisdictio voluntaria ab absente in absentem subditum exerceri potest; tum quia episcopus diœcesanum suum, ubicumque sit, sacramentaliter absolvere valet, aut etiam à censuris solvere. Quod autem jura dicunt, neminem extra territorium jus dicere posse, id intelligendum de jurisdictione contentiosâ, quæ publicum tribunal requirit.

84. At, inquies, cùm plures episcopi Ecclesiam consecrant, eorum quisque plenariam anni unius Indulgentiam confert; nec tamen tunc subditis suis eam confert; sec incolis loci, in quos ad summum ex eis unus jurisdictionem habet.

85. R. in hoc casu dari à jure singulis episcopis jurisdictionem in incolas loci illius; qui proinde, tametsi vacaret episcopalis sedes, eamdem Indulgentiam largirentur; sed quod notandum est, ad annum duntaxat; quia episcopi ii omnes per modum unius se habent.

86. Cæterùm possent singuli iidem præsules, propriis quisque diœcesanis eamdem largiri Indulgentiam, hâc conditione ut recentem basilicam piè inviserent. Quia nihil repugnat quin Indulgentiam annectant operi à subditis suis extra proprium territorium adimplendo, ut benè Suarez, cit. disp. 55, sect. 3, n. 17. Favet, quod utcumque objici posse videretur, caput *Quod autem*, 4, de Pœnit. et Remiss., ubi Alexander III, decernit *remissiones* seu Indulgentias, *quæ fiunt* in *dedicationibus Ecclesiarum, aut* ex charitate *conferentibus ad ædificationem pontium.... prodesse illis tantummodò, quibus ut prosint, proprii judices*, seu episcopi, *specialiter indulserunt.* Siquidem in hypothesi nostrâ quilibet episcopus basilicæ consecrator, est diœcesanorum suorum proprius judex. Ergo si remissionem iis prodesse velit sub certâ conditione, proderit indubiè, si conditionem hanc impleant diœcesani illius.

87. Quæres 5° an archiepiscopus easdem in provinciâ suâ Indulgentias concedere possit, quas episcopus in propriâ suâ diœcesi.

88. R. affir., siquidem sermo sit de locis in quibus viget invecta per decretales disciplina. Hæc enim licèt extra visitationis aut appellationis casus ordinariam quantùm ad cætera jurisdictionem abneget archiepiscopis; extraordinariam nihilominùs quoad Indulgentias iisdem concedit, cap. *Nostro*, 15, eod. tit. de Pœnit., ubi sic Honorius III : *Breviter respondemus, quòd per provinciam tuam liberè potes concedere litteras* remissionis; *ita tamen quòd statutum generalis concilii non excedas.*

89. Quæres 6° an concilium generale, cui Papa nec per se, nec per legatos suos præest, possit Indulgentias Ecclesiæ toti concedere.

90. Negat fusè Suarez, cit. disp. 55, sect. 1, quia concilium acephalum nec potestatem hanc habet à Christo, qui eam non contulit Ecclesiæ; cùm hæc ad ejus regimen necessaria non sit pro brevi eo tempore quo Ecclesia caret capite; nec à pontifice, cui hanc im-

mediatè contulit Christus, quandoquidem supponatur vel nullus esse Papa, vel saltem potestatem hanc prædicto concilio non impertiri; nec demùm ab Ecclesiâ; cùm ea corpori Ecclesiæ tradita non fuerit à Christo. Nec refert quòd concilium tunc congregatum repræsentet universalem Ecclesiam ; hunc repræsentat sine capite, atque adeò sine illâ potestate. Ita et Sylvius, hìc, q. 26, art. 3.

91. Aliter sentiunt canonistæ plures et theologi, nec immeritò, 1° quia opinio contraria supponit, totam, quæ singulis pastoribus inest, jurisdictionem à Rom. Pontifice, ceu à fonte rivulos, in eosdem pastores derivari; quod falsum esse suo loco probabimus. 2° Quia indulgentia, *brevi eo tempore quo Ecclesia capite caret*, longè utilior esse potest, quàm quæ quotidiè conceduntur à Papâ; puta cùm, ut olim, agitur de extinguendo exitiali schismate. Ergo non est cur facultatem ejus impertiendæ in casu tam urgenti censeatur Christus denegâsse. 3° Quia concilium, vacante Sede Apostolicâ, generales censuras ferre valet. Si autem generaliter ligare potest, quidni et per Indulgentias solvere. 4° Quia concilium Basileense, non modò, sess. ult., ubi jam ad schisma conversum erat; sed et sess. 24, quam contra Sylvium legitimam fuisse agnoscit Suares, ibid., n. 8, Indulgentiam concessit. Reponit is quidem Indulgentiam hanc concedi potuisse ex generali summi Pontificis licentiâ, cujus legati nondùm recesserant; at licentiam hanc vel à Papâ datam fuisse, vel à concilio, quasi eâ indigere crederet, fuisse acceptatam non probat. Quia tamen incertum est quò usque concilium illud legitimum fuerit; aliis canonicitatem ejus ad sexdecim primas sessiones restringentibus; aliis ad sessionem 25 protendentibus; aliis illud semper illegitimum fuisse opinantibus cum Cabassutio in Notitiâ Eccles., vix certi quidpiam ab hujus concilii factis elici potest, donec auctoritas ejus eliquata fuerit; quod non est præsentis loci.

92. Quæres 7° an cathedrare capitulum Indulgentias, sede vacante largiri possit.

93. Negant plures cum Dom. Soto et Suare, disp. 55, sect. 4, n. 5, quia licèt capitulum succedat episcopo in jurisdictione, non tamen in dignitate. Porrò jura potestatem Indulgentiarum annectunt, et quasi reservant Pontificiæ dignitati. Et ita tenent Navarrus et alii quorum opinionem approbat Sylvius, q. 26, art. 1.

94. Aliter sentiunt Silvester, v. *Capitulum*, et Zerola in praxi, v. *Indulgentia*. Quin et teste ibidem Sylvio, *usus obtinuit quòd vicarii generales, sede vacante, concedunt Indulgentias 40 dierum sicut episcopi.* Atqui, juxta Suaresium, ibid., n. 3, consuetudo, licèt per se solam non possit esse origo hujus jurisdictionis, quando tamen præscripta est, est indicium jurisdictionis aliquando legitimè concessæ. *Quia non est verisimile in re tam gravi, propriâ auctoritate fuisse usurpatam, et tanto tempore tacentibus et consentientibus prælatis continuatam.* Ergo quisque antiquum Ecclesiæ suæ morem sine scrupulo sequi potest.

95. Quæres 8° quid in Indulgentiali materiâ possint cardinales, archidiaconi, pœnitentiarii, et generales episcoporum vicarii.

96. R. eos nihil posse jure ordinario, quia jus illud nec à Christo accepêre in personâ Apostolorum, quibus non succedunt; nec generatim, ab iis quibus à Christo creditum est. Ergo nihil in præsenti negotio possunt, nisi quod ex speciali licentiâ, vel præscriptâ consuetudine, sibi concessum fuerit. Sic legati ex speciali vel generali summi Pontificis auctoritate Indulgentias in universis legationis suæ locis impendere possunt. Sic referente Navarro, Cardinales largiuntur Indulgentias centum dierum; quod *magis consuetudine, quàm lege niti* declarat Bellarminus, lib. 1, cap. 11. Sic demùm parem centum dierum Indulgentiam à majoribus Pœnitentiariis erogari posse scribit Paludanus in 4, dist. 20, q. 4, art. 2, quod ipsi ex loci, in quo desudant, consuetudine dijudicare debent.

97. Quæres 9° quid juris de abbatibus, prælatis religionum et parochis.

98. Non defuêre, qui cum Angelo et Barth. Fumo, v. *Indulgentia*, num. 5 et num. 2, crediderint parochos, imò sacerdotes omnes, qui jus habent confessiones audiendi, posse in ipso confessionis sacramento Indulgentias concedere, remittendo id quod expiandum superest, cùm minorem injungunt pœnitentiam, quàm quæ sufficiat ad exhauriendam pœnam totam peccatis debitam. Verùm *sententia communis contrarium docet*, ut testatur Bellarminus cit., cap. 11, et quidem meritò, cùm Innocentius III, in concilio generali Lateran. IV, can. 60, qui refertur cap. 12 de Excessib. prælat., severè redarguat *graves et grandes quorumdam abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt dignitatis episcopalis* extendebant, *concedendo etiam Indulgentiarum litteras.* Unde, inquit, *præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit evitare periculum, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel aliâ legitimâ causâ*, consuetudine videlicet, *valeat se tueri.* Atqui hæc decisio superiores religionum, parochos et alios tangit; cùm his minùs quàm abbatibus insit *episcopalis dignitas*, cui annexa est Indulgentiarum potentia. Ergo.

99. Confirm. 1° tum quia potestas largiendæ Indulgentiæ, quam parochis et confessariis tribuunt Angelus et alii pauci, non oritur ab ordine, prout ipsi malè supponunt; tum quia si ab ordine proflueret, non idcircò competeret parochis. Hi enim sicut et quicumque alii sacerdotes approbati, nullam habent jurisdictionem nisi in foro pœnitentiæ. Atqui de ratione Indulgentiæ est ut sit remissio pœnæ independenter à sacramento. Quòd enim Indulgentia in ipsâ etiam confessione dari possit concomitanter, non mutat naturam ejus. Unde qui hanc in sacro tribunali largitur, potest et extra ipsam largiri.

100. Confirm. 2° quia potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ non convenit nisi veris prælatis, qui rectores sunt integri populi. Atqui soli episcopi, ut qui præsint toti populo atque hominibus omnium

ordinum, ætatum, sexuum, conditionum, sunt propriè et simpliciter prælati. Abbates enim qui solis præsunt monachis, sunt tantùm quasi patres unius vel multiplicis domûs; parochi verò plebi suæ præsunt tanquàm uni familiæ. *Ergo sacerdotes parochiales, vel abbates, aut alii hujusmodi prælati* (qui *non sunt simpliciter et* propriè *prælati*) non *possunt Indulgentias facere.* Ita S. Thomas, Suppl., q. 26, art. 1.

101. Obj. 1°: Religionum præfecti spiritualia communitatis suæ bona quibusdam benefactoribus suis, per *affiliationis* litteras communicare solent. Atqui communicatio hæc est Indulgentia propriè dicta.

102. R. nego min. 1° quia communicatio hæc non fit ex thesauro meritorum Christi et sanctorum, sed ex piis fratrum operibus. 2° Quia per eam non applicantur satisfactiones præteritæ, quæ cùm superabundârunt, in Ecclesiæ thesaurum transvectæ sunt; sed futura tantùm opera. 3° Quia per communicationem hanc *non solvitur* quis *à debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ;* secùs de Indulgentiâ. Ita ibid. S. Thomas; cujus tertia hæc ratio ex dictis cap. præced. metienda est.

103. Obj. 2°: Quilibet sacerdos sacramentaliter absolvendo, non culpam tantùm, sed et pœnæ aliquid remittit. Atqui remissio hæc vera est Indulgentia.

104. R. nego min. Indulgentia enim, ut dictum est, est remissio pœna per externi fori jurisdictionem concessa, et vi cujus pœnæ alioquin debita, saltem ex parte imminui potest. Porrò parochi et confessarii quà tales non habent jurisdictionem fori externi; nec possunt auctoritate Christi satisfactionem à pœnitente debitam auferre; quam contra delictis parem injungere debent; vel si id non fœrat pœnitentis infirmitas, *residuum ei committere, per se assumendum, vel à Deo expectandum.* Ita idem S. Thomas.

105. Obj. 3°: Ipsi Corinthii fideles incesto fecerunt Indulgentiam, secundùm id pauli 2 Corinth. 2: *Cui aliquid donâstis, et ego.* Nec dubium quin id quotidiè faciant ii etiam de populo, qui aliis satisfactiones suas applicant. Ergo.

106. R. dist. Fecerunt Indulgentiam, quatenùs voto, precibus, commiseratione obtinuerunt, ut ab Ecclesiæ præpositis donaretur; quo sensu Augustinus, lib. 3, de Bapt., cap. 18, ait *remissionem peccatorum dari per gemitus columbæ*, concedo. Fecerunt per seipsos, nego. Non aliter Corinthia plebs incesto residuum pœnæ dimisit, quàm ipsum vel impœnitentem vinxit anathemate, vel pœnitentem ab eodem anathemate solvit. Atqui neutrum hoc per seipsam fecit, sed per episcopos. Ergo nec indulgentiam eidem concessit, nisi hoc sensu, quòd hanc ipsi per intercessionem suam acceleravit.

Quod additur de satisfactionibus quas aliis quandoque applicant fideles, constat eas ab Indulgentiis plurimùm differre; tum quia, etsi quamdam important pœnæ solutionem, non tamen juridicè applicatam; tum quia cùm iis stat hominem à nullâ pœnitentiæ sibi injunctæ parte liberari. Ita idem Sylvius.

DISSERTATIO

De Indulgentia a S. Bernardo cruce signatis denuntiata.

107. Nescit nemo bellum sacrum adversùs Saracenos terræ sanctæ invasores, et Christiani nominis hostes infensissimos, à S. Bernardo, hortante Ludovico VII, cognomento juniore; imperante autem Eugenio III, anno R. S. 1146, prædicatam fuisse in Galliis primùm, deinde in Germaniâ; ubique autem tanto successu, ut, quemadmodùm scribit Otto Frisingensis episcopus, *non solùm ex Romano imperio, sed etiam ex vicinis regnis, id est, ex occidentali Franciâ, Angliâ, Pannoniâ, innumeris populis ac nationibus hâc expeditionis famâ ad sumendam crucem commotis repentè totus penè occidens siluerit;* atque ut scribit ipse Bernardus, urbes et castella incolis destituta remanerent, et uxores viduæ ante mortem maritorum.

Cùm autem cruce signatis ad id belli profecturis amplissimas Indulgentias concessisset Eugenius III, videlicet *omnium de quibus corde contrito confessio facta fuerit, peccatorum remissionem;* juvat expendere an Indulgentiarum dogma vel ex ipsâ Bernardi prædicatione confirmari possit. Difficultatem movet infelix belli hujus exitus, in quo tot signatorum millia, morbo, ærumnis et hostili gladio corruerent, ut frequentibus per orbem fermè totum dicteriis Bernardus impeteretur. Sit paucis

Conclusio. Indulgentiarum dogma vel ex unâ S. Bernardi *cruciatam*, ut aiunt, denuntiantis prædicatione, solidè probatur.

108. Prob. Dogma innumeris hominis insigniter sancti miraculis confirmatum, pro indubio haberi debet. Atqui Indulgentiarum dogma innumeris, et quidem viri insigniter sancti, miraculis confirmatum est.

109. Major constat. Etsi enim contendunt plures dæmonem prodigia quædam, non specie tenùs, sed ipsâ reverà operari posse; at nec ea usquàm per viros insigniter sanctos, nec Ecclesiæ ipsius jussu et nomine; nec demùm in iis circumstantiis perpetrabit, in quibus nec ab auctoritate ullâ rejici, nec aliis efficacioribus signis elidi possint.

110. Prob. Itaque minor ex Gaufrido, teste coætaneo, et plerùmque oculato. Sic ille in Vitâ D. Bernardi, cap. 4 (edit. 2 Mabilloni, tom. 2, pag. 1120). *Evidentur verbum hoc prædicavit*, nempe ut Occidentales *in pœnitentiam et remissionem peccatorum iter* in Palæstinam *arriperent, aut liberaturi fratres, aut suas pro illis animas posituri.* Et prædicavit quidem, *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis et quàm multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedùm narrare difficile foret. Nam et eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demùm scriptorem numerositas scribendorum, et materia superavit auctorem; nimirùm cùm aliquando unâ die viginti, seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facilè ab hujusmodi* curationibus *die ullâ vacaret. Denique plures eo tempore Christus per servi sui tactum et oratio-*

nem, ex ipsis etiam matrum uteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire et mutos loqui; mirabiliùs restituente gratiâ quod minus præstitum fuerat à naturâ.

111. Nec solùm ante Jerosolymitanum iter, sed et post infelicem ejus successum probavit S. Bernardus se ore Dei ipsius et jussu fuisse locutum. Sic enim ibidem num. 10, prosequitur Gaufridus (p. 1121) : *Accidit autem, ubi primùm de ejusdem exercitûs dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, ut illuminandum Dei famulo filium cæcum offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenùs si ab eo verbum prædicationis illius exierat, et prædicanti Spiritus ejus affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dùm verò post orationem orationis præstolaretur effectum : Quid facturus sum? ait puer; video enim. Attollitur illicò clamor adstantium, plures enim non modò è fratribus, verùm etiam è secularibus aderant, qui ut puerum vidêre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.*

112. Miracula hæc quæ in genere solùm recenset Gaufridus, plura sigillatim refert qui præsens Thaumaturgo aderat in Germaniâ Philippus, Legionensis archidiaconus, exinde à S. Bernardo in monachum Clarævallensem conversus. Verùm hæc tot et tanta sunt, ut hæc apud auctorem ipsum legi oporteat, lib. 6 Vitæ S. Bernardi, part. 1, cap. 2 et seq. (Tom. 2, pag. 1167.)

113. Idem fatetur, cæteroquin Bernardo nequaquàm favere solitus, Otto Frisingensis, lib. 1 de Gestis Frederici, cap. 39. Narrat enim Bernardum, quem cogente factorum evidentiâ, *sanctum abbatem* vocat, cap. 60, *plurima in publico vel occulto fecisse miracula.* Sanè verò eam quam infinitis hominibus cruce signationem persuasit, vix aliter persuasit quàm miraculis; cùm eò quòd *Romanâ linguâ* loqueretur, vix à populo intelligi posset. Adi vitam ejus eod. lib. 6, cap. 4, n. 16, pag. 1173.

114. Quin et de miraculis in expeditionis sacræ susceptionem à se perpetratis, ut quæ neminem laterent, Eugenium ipsum, modestè tamen, interpellare audet Bernardus, post auditam cruce-signatorum internecionem. Sic enim loquitur lib. 2 de Considerat., cap. 1, ubi apologiam suam instituit (tomo 1, pag. 417, n. 3) : *Sed dicunt forsitan isti* (obtrectatores Bernardi) : *Unde scimus quòd à Domino sermo* cruce-signationem annuntians, *egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi? Non est quòd ad ista respondeam : parcendum verecundiæ meæ. Responde tu pro me et pro te ipso, secundùm ea quæ audisti et vidisti.*

115. Quòd autem Bernardus vir fuerit eximiè sanctus, haud quidem probabimus ex eorum suffragio, qui miserâ hâc nostrâ ætate, sub Christiani larvâ, quam prorsùs deponere non ausint, impii faciem obtegunt; sed nec ex judicio Ecclesiæ, quam tacitè dedignantur : venient nobis in suppetias ejusdem Ecclesiæ hostes infensissimi, qui S. doctoris mores et vitam commendavêre. Bernardus, judice Luthero, in colloquiis convivialibus, *omnes Ecclesiæ doctores vincit.* Eumdem *virum Dei* nuncupat Bucerus, libro de Concordiâ, art. de Justificatione : *In libris de Consideratione ita loquitur, ut veritas ipsa loqui videatur*, ait Calvinus, lib. 4 Instit., cap. 10 et 11; Bernardi, Meditationes, ait Heinsius, orat. 3, *rivus paradisi, ambrosia animarum, pabulum angelicum, medulla pietatis.* David Chytræus, in orat. de Phil. Melancthone, *Bernardus admirabili Religionis studio, et sacrarum litterarum peritiâ.... Melliflui nomen non immeritò* adeptus est. Georgius Carleton, in consensu Ecclesiæ Catholicæ, etc. *Utinam tales multos, imò vel unum talem hodiè haberemus... qualem Bernardum fuisse constat,* etc. Et hæc contra quemdam tacitè dicta sunto, quia silendum *à bonis.*

116. Obj. : Prædicatio temerè suscepta, et cujus exitus orbem totum lacrymis implevit, temerè ad minus in argumentum veritatis trahitur. Atqui talis fuit cruciatæ prædicatio à S. doctore facta.

117. R. Neg. min. pro primâ parte. Nec enim temerè factum est, quod cogente utriusque potestatis imperio factum est, et à Deo per innumera prodigia confirmatum. Atqui nemo nescit denuntiatam à S. Bernardo fuisse crucis-signationem, primùm ex jussu Ludovici VII, postmodò autem (quia nihil inconsultâ, in negotio tanti momenti, Sede Apostolicâ, tentandum esse crederet Bernardus) jussu summi Pontificis. Unde in eod. cap. 1, libri 2 de Consid. : *Quasi verò*, inquit, *temeritate in opere isto, aut levitate usi sumus. Cucurrimus planè in eo, non quâsi in incertum, sed jubente te, imò per te Deo, et sermonem confirmante sequentibus signis;* ut supra aiebat Gaufridus, et à nobis probatum est.

118. R. ad secundam partem : Nego maj. Neque enim funestus belli sacri exitus argumentum est malæ Bernardi prædicationis, sed pessimæ crucigerorum conversationis, qui viam suam omni criminum genere vitiantes, sacram expeditionem sacrilegè dehonestârunt, ut tradidêre coævi scriptores, et in his Willelmus Tyrensis. Ast Bernardum de his temperatè loquentem audire placet. Sic ille ibid., n. 2 (pag. 415) : *Et quomodò tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minimè comprehendere valet? Recordemur supernorum judiciorum quæ à seculo sunt, si fortè sit consolatio.... Rem dico ignotam nemini, et nunc nemini notam. Nempe sic se habent mortalium corda. Quod scimus, cùm necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terrâ Ægypti, meliorem illis pollicitus est terram.... Eduxit, eductos tamen in terram, quam promiserat, non introduxit. Nec est quod ducis temeritati imputari queat tristis et inopinatus eventus; omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, et opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, duræ cervicis fuit.... Benè illi*, Hebræi, *increduli et rebelles; hi autem,* cruce-signati, *quid? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est quod fatentur ipsi?... Quòd si illi ceciderunt et perierunt propter iniquitatem suam; miramur istos eadem facientes, eadem passos? Sed numquid illorum casus ad-*

versùs promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei justitiæ Dei præjudicant. Et audi aliud.

Num. 3 : *Peccavit Benjamin; accinguntur reliquæ tribus ad ultionem, nec sine nutu Dei. Designavit denique ipse ducem præliaturis; itaque præliantur, freti et manu validiori, et causâ potiori, et quod his majus est, favore divino. At quàm terribilis Deus in consiliis suis super filios hominum! Terga dedêre sceleratis ultores sceleris, et paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, et Dominus ad eos : Ascendite, inquit. Ascendunt denuò denuòque fusi et confusi sunt. Ita Deo primùm quidem favente, secundò et jubente, justi justum certamen ineunt, et succumbunt. Sed quò inferiores certamine, eò fide superiores inventi sunt. Quid putas de me facerent isti, si meo hortatu iteratò ascenderent, iteratò succumberent?* etc.

Num. 4.... *Hæc pauca vice apologiæ dicta sint, ut ipsa qualiacumque habeat conscientia tua ex me, unde habeat me excusatum, et te pariter, etsi non apud eos qui facta ex eventibus æstimant. Perfecta et absoluta cuique excusatio, testimonium conscientiæ suæ. Mihi pro minimo est ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum*, etc. *Et si necesse sit unum fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi, si me dignetur uti pro clypeo.*

His concinit Otto Frisingensis, cit. c. 60, ubi hæc : *Si dicamus sanctum illum abbatem spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamque nostram salubria mandata non observantes, meritò rerum personarumque dispendium reportâsse, non* erit id *ab antiquis rationibus vel exemplis dissonum.*

119. Neque tamen magno successu caruit expeditio sacra, quæ coram hominibus infelix, multos cives peperit cœlo, qui si fratres suos non liberaverunt, *suas pro illis animas* posuêre ; ita ut si ex profectione illâ Orientalis Ecclesia liberarì non meruit, certè cœlestis meruerit impleri et lætari, nempe ob eorum mortem, qui, ut scribit Gaufridus ubi supra, *in fructibus pœnitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt.* Quod et Joannes Casæ-Marii abbas sanctus sibi ex revelatione compertum Bernardo significavit, ut videre est in ejus ad eumdem Bernardum Epistolâ, quæ apud Mabillonium est inter Bernardinas, num. 386.

120. Et hæc, si fortè nonnihil extra rem dicta videbuntur, singulari nostræ in S. doctorem observantiæ indulgebit lector. Dolemus sanè tanti viri memoriam à nonnullis de industriâ obscurari. Nuncupet eum quis hominem sine titulo et sine charactere ; præponat ei Sugerium, imò fortè fastos historiæ qui Sugerium celebrant, fastis Ecclesiæ, qui Bernardum coli jubent ; ægrè quidem feremus, sed non impendio admirabimur. Unum timemus, ne qui carnalia hæc legunt clerici juniores, hominum facta non ex Evangelii regulis æstiment, sed ex mundanâ celebritate, quam cæteris majorem habere solent reprobi, quæque nihil profuisset Sugerio, nisi Bernardi monitis obtemperans, et suos et cœnobii sui mores immutâsset. *Quid* enim *prodest homini, si mundum universum lucretur*, etc.

CAPUT IV.

De thesauro Indulgentiarum fonte.

1. Per Ecclesiæ thesaurum, quæ vox in præsenti metaphorica est, intelligitur cumulus et congeries bonorum spiritualium, quorum dispensatio Ecclesiæ concredita est. Patet porrò ex dictis cap. præced., et ex mox dicendis confirmabitur thesaurum hunc existere, videlicet in invisibilibus mentis divinæ ærariis, et Dei acceptatione. Verùm tria hìc inquiruntur ; 1° an thesaurus ille primariò et essentialiter coalescat ex meritis Christi ; et de hoc nulla est inter theologos difficultas ; etsi Franciscus Maironis, de Minorum familiâ, minùs aptè quid eâ de re scripserit ; 2° an ipsa sanctorum, seu jam regnantium cum Christo, seu hodiè-que superstitum merita ad thesaurum illum pertineant ; 3° posito quòd sic, an sanctorum merita ad Indulgentiam concurrant per modum suffragii tantùm, seu intercessionis impetratoriæ ; an non etiam per modum solutionis et absolutionis ; quod quidem circa caput salvâ fide disputant theologi. Sit

Conclusio I. Thesaurus Ecclesiæ primariò coalescit ex infinitis ac superabundantibus Christi meritis atque satisfactionibus. Conclusio videtur esse *de fide*, ait Suarez infra, *et saltem contraria sententia erronea censetur.*

2. Prob. 1° Quia non est ditior fundus, unde coalescere possit thesaurus Ecclesiæ quàm merita Christi, qui, teste Paulo, 2 Corinth. 8, v. 9 : *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* Unde Clemens VI, in Extrav. *Unigenitus*, de Pœnit., etc. : *In arâ crucis innocens immolatus* Salvator, *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset ; sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse ... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis et superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit? Quem quidem thesaurum, non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

3. Prob. 2° : Si thesaurus Ecclesiæ non coalescat ex meritis Christi, vel quia hæc in seipsis finita sint, ut censet Durandus ; vel quia licèt infinita supponantur, sufficiens præmium habuerunt ; cùm propter ea exaltatus sit Christus, et habuerit nomen quod est super omne nomen, uti docere videtur Maironis. Atqui neutrum dici potest. Non primum. Constat enim merita Christi, non solùm ex acceptatione divinâ, quæ ea, ut sic loquar, pluris æstimaverit quàm valerent, infinita esse, sed in se et ex se, *propter unionem ad Verbum*, ut statim aiebat Clemens VI, et fusiùs probant theologi in tract. de Incarnatione ; alioqui enim Christus non fuisset per se Redemptor perfectus, ut qui ex solâ Dei indulgentiâ haberet, quòd merita sua,

nobis in omni gratiarum et satisfactionum genere prodessent. Non secundum, quod hæresim sapit, ut observat Maldonatus hìc, q. 2 generali, pag. 371. Vel enim, cùm dicit Maironis suum Christi meritis par præmium retributum esse, loquitur de præmio essentiali, nimirùm de visione beatificâ; vel, quod ratio ejus probat, de præmio accidentali, id est, de exaltatione humanâ Christi, de dilatatione Ecclesiæ, etc. Atqui neutro sensu admitti potest opinio ipsius. Non priori, quia præmium essentiale, vi unionis hypostaticæ Christo debitum erat, et ei connaturale. Non posteriori : 1° quia confundit merita Christi cum ejus satisfactionibus; quæ tamen duo longè diversa sunt; unde etsi Christus supponatur secundùm merita remuneratus, manent tamen ejus satisfactiones, quæ cùm ipsi non profuerint, nobis, ne superfluæ dicantur, prodesse debent; 2° quia nomen super omne nomen, quod Christo datum est, quantumcumque sit, cum infinito valore operum Christi comparari non potest; 3° quia si jam exhausta foret per accidentalem Christi gloriam merces operum ejus, jam nec quidquam per Christi merita postulare, nec per ea remissionem peccatorum in sacramentis aut ex sacrificio consequi possemus; quæ omnia, ait Suarez, disp. 51, sect. 1, n. 5, sunt absurda et hæretica. Ergo.

4. Obj. : Ex assertione hâc nostrâ duo sequuntur, 1° thesaurum hunc, utpote infinitum, etiam post judicii diem perpetuò duraturum, et sine condigno pretio permansurum; 2° eum ne ab ipso quidem Deo exhauriri posse et condignè remunerari. Atqui primum justitiæ Dei, secundum omnipotentiæ ejus repugnat. Ergo.

5. R. Concessâ maj. nego min. Sicut enim perpetuò durat potentia Dei, nec verè otiosa dici potest, licèt non operetur infinita quæ operari posset; sic et perpetuò durabit thesaurus satisfactionum Christi, licèt non durent quibus applicari possit. Neque id derogat vel justitiæ divinæ, quæ concedit totum id ad quod efficaciter ordinatur Christi satisfactio; vel divinæ potentiæ, cui sufficit ut tantùm remunerare possit, quantùm Christus mereri potuit; unde merita Christi non vincunt potentiam Dei, sed potentiam, vel potiùs impotentiam hominum ad peccandum : quia plus potuit ipse solus satisfacere, quàm possint omnes homines demereri. Ita idem Suarez, n. 9.

Conclusio II. Coalescit etiam thesaurus Ecclesiæ ex supereffluentibus sanctorum omnium meritis atque satisfactionibus.

6. Prob. 1° ex citatâ jam Clementis VI Decretali, in quâ sic prosequitur : *Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque electorum à primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur; de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenùs formidandum, tam propter infinita Christi merita, quàm ex eo quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Atqui his conclusio nostra disertè continetur.

7. Confirm. ex bullâ Leonis X, quam videris apud Cajetanum, 3 p., q. 48, art. 5, ubi docet Indulgentias concedi *ex superabundantiâ meritorum Christi et sanctorum*, subditque *thesaurum meritorum Christi et sanctorum* à Pontifice dispensari.

8. Prob. 2° : Ut Ecclesiæ thesaurus ex ipsis sanctorum satisfactionibus coalescat, tria sufficiunt, 1° ut sancti multi satisfactiones multas habuerint, quibus non indigebant; 2° ut probabile non sit eas otiosas manere et inutiles; 3° ut proinde Deus et ipsi sancti nobis eas applicari velint. Atqui constat 1° sanctos non paucos ex suis pro Christo passionibus satisfactiones habuisse plurimas, quibus non indigerent. Quis enim id neget de B. Virgine, quæ etsi ab omni labe immunis, tot tamque acerba pertulit, ut animam ejus gladius doloris pertransierit? Quis id inficietur de Christi præcursore, qui ab infantiâ degens in desertis satisfactiones satisfactionibus per totam vitam, potissimùm verò in morte cruentâ cumulavit? quis id vocet in dubium de tot martyribus, qui à baptismo recentes, proinde ab omni culpâ et pœnâ liberi, atrociora quæque Neronum ac Domitianorum supplicia perpessi sunt?

9. Nec probabile est hujusmodi satisfactiones otiosas manere. Deus enim nullam condigni meriti partem absque præmio relinquit. Ergo quæ uni superflua sunt, alteri indigenti applicare existimandus est; præsertim si id exigant leges ab eo constitutæ, eoque collineent sanctorum vota. Atqui, etc.

10. 3° Utrumque istud meritò supponitur. Constat enim ex Scripturis Deum ex sanctorum precibus moveri ad condonandas ipsis etiam impiis pœnas, quas promeruêre. Sic pepercit non tantùm justo Loth propter fidem Abrahæ; sed et rebellibus Israelitis propter Moysen servum suum; ipsi Sodomæ parciturus, si decem in eâ justos reperisset. Atque ea erat intima primævæ Ecclesiæ fides, cùm ad martyrum vota debitas lapsis pœnas moderabatur. Quin et id utcumque exigit quæ à Deo instituta est *communio sanctorum*. Per hanc enim efficitur ut membra se invicem juvent, et quod ab uno perficitur, ad alium quodam jure, quantùm fieri potest, pertineat. Ergo nihil est cur sanctorum merita ab Ecclesiæ thesauro excludantur; est verò cur in eodem dicantur asservari, non ut quid essentiale, quasi absque iis non sufficiant merita Christi; absit : sed ut secundarium aliquid per quod Deus sanctos suos honorari voluit.

11. Obj. 1° : Admitti non debet opinio, quæ cedit in dedecus Christi. Atqui talis est opinio quæ satisfactiones sanctorum : coadunat Christi satisfactionibus. Annon enim istæ sufficiunt? Annon indignum est quòd operi divino uniatur humanum? An plus recipit homo ex applicatis sibi sanctorum satisfactionibus, quàm ex solis Christi? An utræque simul applicantur, vel seorsim; ita ut juventur homines partim à Christo, partim à sanctis.

12. R. Ad primum, nego min.; imò hinc insigniter commendatur Christi satisfactio, quæ tantæ virtutis fuisse ostenditur, ut ipsis etiam hominum operibus

vim tribuerit, quâ non sibi tantùm, sed et fratribus suis prodesse valerent. Utique sufficit sola Christi satisfactio; at dignum erat, ut quò amicos suos honoraret, non minùs satisfactiones ipsorum ad pœnæ nostræ remissionem acceptaret, quàm Stephani preces at conversionem Pauli. Sanè ad conversionem hanc sufficiebat gratia; et tamen in divinis consiliis decuit ut ad eam concurreret mortalis homo. Neque id mirum, cùm in hâc regendâ et conservandâ rerum universitate Deus causis secundis utatur, non ex necessitate quidem aut indigentiâ, sed ex liberâ, imò et ex omnipotenti suâ voluntate.

13. Nec obsunt quæstiones in argumento propositæ; tum quia operationis divinæ modum et viam rimari temerarium est; tum quia quæ tantam adversariis bilem movent, nihil præferunt absurdi. Neque enim absurdum est 1° quod operi divino annectatur humanum; cùm id quotidiè fiat et in naturali hominum ac brutorum conservatione; et insigniter factum sit in generis humani per Incarnationem redemptione; et pluribus consecratum sit Scripturæ exemplis, ut cùm Exodi 14, 31, dicitur *Israelitas credidisse Domino et Moysi servo ejus;* cùm 4 Reg., 19, v. 34, dicit Deus: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum;* cùm Apostolus, 1 Corinth. 3, se facit *adjutorem* Christi, etc.

14. 2° Nec absurdum est quòd quis ex Christi et sanctorum satisfactionibus unitis plus recipiat quàm ex solis Christi. Non quòd tantùmdem et ampliùs à Christo solo dari non potuerit; sed quia quòd per se daturus erat, in sanctos suos referri voluit; præsertim cùm quidquid in iis est boni, ab ipso dimanet. Hinc

5. 3° Nec absurdum est quòd partim à Christo, partim ab homine juventur homines, sive id simul et semel fiat, sive seorsim, quod à supremâ ejus voluntate pendet. Id enim et ad sanctorum gloriam eximiè confert; et Christi mediationi non adversatur. Absit enim ut sancti dicantur redemptores etiam ex parte; cùm is solus possit dici redemptor, qui propriâ virtute pro alio perfectè solvit, et ex perfectâ justitiâ meruit, ut sua solutio pro aliis acceptaretur. Ita idem Suarez, disp. 51, sect. 2, n. 21, pag. mihi 660; vide infra, n. 42.

16. Obj. 2°: Satisfactio unius nonnisi de voluntate ejus alteri applicari potest. Alioqui, ait Maldonatus, qui superfluas satisfactiones non habet, pro aliis posset satisfacere; imò posset quis non cogitando, satisfacere pro omnibus. Atqui sancti non potuerunt velle ut bona opera quibus incubuerunt, pro futuris deinceps aliorum peccatis applicarentur; tum quia non potest quis hodiernam suam orationem pro futuro alterius peccato applicare; quia nemo dominus est operis sui nisi dùm operatur; tum quia sancti præ modestiâ suâ, vix se levioribus suis delictis expungendis pares existimabant.

17. R. 1°: Nego maj., et dico cum Lugo, disp. 27, n. 37, applicationem hanc non ab ipsis sanctis fieri, sed à Deo, qui satisfactionis eorum Dominus est, et ex eâ moveri potest ad dimittendam aliis pœnam, quam promeruêre; non modò sicut movebatur Deus ex meritis David ad protegendam Jerosolymam, sed et moveretur princeps ad compensandam fratris injuriam intuitu pœnæ quam frater ejus innocens laudabiliter perpessus esset. Porrò Deus nec aliis applicat satisfactionem, quæ mihi necessaria est; nec pro omnibus idoneam habet satisfactionem, quæ non sufficit pro omnibus.

18. R. 2°: Nego min. Sancti enim generalem habuêre intentionem, ut Deus quo vellet modo de eorum satisfactionibus, seu per se seu per Ecclesiæ ministerium disponeret. Ex eo autem quòd alius alii orationem hodiernam pro futuro ejus peccato applicare nequeat; non sequitur quòd ea à Deo per Ecclesiam pro præteritis peccatis applicari non possit. Ita fermè Suarez, cit. sect. 2, n. 17, quem malè satis emendat Lugo, ubi supra.

19. Nec obest sanctorum modestia; cùm eâ non obstante semper exoptent ut *fiat voluntas* Dei, *sicut in cœlo et in terrâ.*

20. Obj. 3°: Supponit assertio nostra esse quædam sanctorum opera ipsis superflua; atqui id falsum est. Non est enim superfluum id quod mercedem suam habet. Atqui nullum est vel minimum opus sanctorum quod mercede suâ careat, saltem accidentali. Sic confessoribus datur ex martyrio laureola sua, sicut et virginibus, etc.

21. Confirmatur, 1° quia sancti nihil fecerunt, nisi quod facere debuerunt, secundùm id Luc. 17: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* 2° Quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8, v. 18.

22. R. Dist. maj. Supponit assertio quædam esse opera sanctorum ipsis superflua, seu superabundantia in genere pœnæ et satisfactionis, concedo; in genere bonitatis et meriti, nego. Fatemur nullum esse sanctorum opus in genere meriti, quod eis ad mercedem quamcumque superfluum sit. At contendimus esse non paucas sanctorum satisfactiones, quæ eis superfluentes sint ad remissionem pœnæ propriis peccatis debitæ; quia fieri potest, ut vel nullam hujusmodi pœnam promeruerint, quemadmodùm de B. Virgine tenet Ecclesia; vel si quam meruerint, certè multò minorem quàm quæ per pœnalia eorum opera compensari possit; secundùm illud Job 6: *Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior, in staterâ, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Jam verò mirum fuerit, si excessus ille otiosus maneat, et nemini cedat in bonum; præsertim cùm ejus applicatio sanctis honorifica sit, et iis præmii *accidentalis* loco esse queat.

23. Nec obest quòd martyribus sua tribuatur aureola; hæc enim vi legis à Deo constitutæ datur, non verò propter ipsas martyrii pœnalitates. Unde licèt martyr totâ hâc pœnâ, imò longè majori indigeret ad satisfaciendum pro peccatis suis: quod supponi facilè

potest in Romanis militibus, qui à gentilitate ad fidem unâ die conversi sunt, et morte damnati; haud tamen sua ipsi deesset aureola. Idem de virginibus, sed cum proportione, dicendum.

24. Ad primam confirm., dist.: Sancti qui sola præcepta implent, nihil faciunt nisi quod debent, concedo. Sancti qui ipsa consilia exequuntur, sub.: Nihil faciunt nisi quod debent, id est, quod Deus ab ipsis exigere non possit multiplici titulo, concedo; quod non debeant strictè, nego. Est tota hæc Patrum solutio; sic S. Bernardus, tract. de Præcept. et Disp., non ita longè ante finem: *Dicit Christus:* « *Servi inutiles sumus,* » etc., *ac si dicat: Si solis contenti estis præceptis.... et non spontè etiam perfectionis vos consiliis mancipatis, liberi quidem estis à debito, non tamen pro merito gloriosi, evasistis pœnam, sed non acquisistis coronam;* insignem scilicet, quæ præcepta simul et consilia exequentibus præparata est. Qui enim pœnam evadit, coronam aliquam necessariò assequitur. Præterea, aliud est quod sancti humiliter dicant se servos inutiles esse; aliud quòd omninò tales sint; cùm enim id dicunt, dicit Christus: *Euge, serve bone et fidelis,* ut observat S. Chrysostomus.

25. Ad secundam confirm., fatemur hujus temporis passiones, per se et à gratiâ seclusas, nullam habere cum glorià proportionem, imò nec, quocumque spectentur sensu, eidem gloriæ pares esse; quia breves et modicæ sunt; gloria autem immensa et perpetua. At cum eo stat gloriam rependi ut laboris nostri mercedem. Ut autem eam verè merentur sancti, sic et eam aliis procurare suo modo possunt; sive iis gratiam impetrando, quod fit per intercessionem; sive ab iis removendo ejusdem gloriæ obices, quod fit per satisfactionem.

26. Obj. 3°: Ex conclusione nostrâ sequitur, 1° Thesaurum Ecclesiæ ante Christum, proinde ante Ecclesiam incœpisse; 2° eum quotidiè augeri, cùm tamen in infinitum augeri non possit; 3° ad eum deferri ipsas justorum viventium satisfactiones. Atqui hæc totidem sunt portenta.

27. Nego min. 1° Nihil absurdi quòd satisfactiones Abelis, Jobi et aliorum id genus in memoriâ divinâ vixerint, suo tempore applicandæ. Quod quidem negat Suarez eâd. sect. 2, n. 20, factum in Synagogâ cui cœlorum claves datæ non erant. Unde thesaurus ille usque ad Christum clausus fuit, nemini haetenùs datâ illius aperiendi potestate.

28. 2° Nihil absurdum est quòd infinitum intensivè augeatur extensivè per novas satisfactiones.

29. 3° Nec absurdum quòd viventium qui in justitiâ morituri sunt, satisfactiones in thesauris cœlestibus recondantur. An autem eæ, dùm adhuc in terris degunt, parentibus aut amicis eorum applicentur, solus novit, qui pro supremo nutu facit.

30. Obj. 4°: In sacramentis non applicantur nobis satisfactiones sanctorum. Ergo neque per Indulgentias.

31. Confirm., quia Pontifex Indulgentias largiendo, non absolvit auctoritate sanctorum. Ergo.

32. R. Ad primum nego conseq. Voluit Christus in Sacramentis, quæ fidei nostræ fundamenta sunt, et totam ab eo vim suam habent, solus operari; voluit verò in Indulgentiis, sicut et in precibus quas alii pro aliis fundunt, operationem suam utcumque partiri cum hominibus; sic tamen ut totum sit præcipuè ipsius, quia ab eo totum descendit.

33. Ad secundum nego rursùs conseq., quia licèt ex sanctorum satisfactione fiat solutio, non fit tamen per potestatem ab ipsis sanctis acceptam, sed per potestatem acceptam à Deo; qui solus et sanctis dedit unde satisfacerent; et satisfactionem hanc è pœnâ præteritâ repetitam acceptare potuit pro pœnâ nunc debitâ.

34. Obj. 5°: Non cohæret nostra hæc doctrina cum doctrinâ Clementis VI. Is enim non dicit augeri Ecclesiæ thesaurum ex satisfactionibus, sed *ex meritis* sanctorum.

35. R. Meriti nomen vel à Clemente VI sumi materialiter, quia satisfactio quævis habet etiam rationem meriti, licèt sub hâc meriti ratione non reponatur in thesauro; vel sumi latiori sensu, pro omni bono opere, quod à Deo acceptari potest in satisfactionem; et sic sæpè loquuntur theologi.

36. Inst.: Si Clemens VI non loquatur de meritis formaliter ut meritis, stare non potest id quod ipse dicit, videlicet ad hujus thesauri cumulum pertinere *omnium electorum merita, à primo justo usque ad ultimum.* Nam habuêre quidem justi omnes merita; sed non omnes habuêre satisfactiones superfluas; seu quia eas aliis vivis aut defunctis, applicaverint, seu quia iis pro semetipsis indigerent, ut de eis constat quibus aliquid superfuit in Purgatorio abluendum.

37. Confirmatur 1° quia dicit idem Pontifex, *de* hujus thesauri *minutione non esse formidandum, pro eo quòd quantò plus ex eo* trahitur *ad justitiam, tantò magis* augetur. Quæ ratio non valet, si de satisfactionibus intelligatur. Neque enim quicumque thesauri participes sunt, eum propriis augent satisfactionibus, licèt omnes propriis eum adaugeant meritis. Ergo necessum est ut de meritis propriè dictis intelligatur Clemens VI.

38. Respondent aliqui cum Suare, eâd. sect. 2, n. 14 et seq., justorum omnium merita congrua manere in thesauro; quorumdam verò tantùm satisfactiones, eorum videlicet qui sibi superfluas habuerunt.

39. Alii verò, quibus non placet hæc solutio, respondent cum Lugo, disp. 27, n. 44, verba Pontificis non esse intelligenda de omnibus electis materialiter, sed per accommodam distributionem, ita ut sensus sit satisfactiones electorum omnium qui quasdam habuêre superfluas, in thesauro reponi. Sunt enim electi innumeri, qui nec congrua merita, nec ullas prorsùs satisfactiones habuêre, ut infantes post baptismum mortui, et ex iis plures qui jam destituti sensibus, per Baptismum aut Pœnitentiam, quæ antea expetierant, reconciliati sunt in extremis. Hoc ergo restricto sensu intelligendus est Clemens VI, cujus mentem clariùs expressit Leo X, cùm pœnæ nobis debitæ solutionem fieri dixit ex superabundantibus sanctorum satisfactionibus, et hanc fuisse Romanæ Ecclesiæ doctrinam.

40. Quæres 1° an in thesauro reponantur etiam superfluæ justorum aliquando reprobandorum satisfactiones.

41. Respondet Lugo, ibid., n. 47, eas quidem manere in thesauro, quamdiù ii sunt in gratiâ; at post mortem deleri; quia scilicet immitantur merita, quæ per peccatum mortificantur. Et verò quis credat, Deum nunc alicui condonare pœnam intuitu satisfactionis olim præstitæ à Judâ, dùm esset in statu gratiæ. Meritò igitur Clemens VI, ubi de thesauro, solorum electorum mentionem facit.

42. Quæres 2° an Indulgentiæ nunquàm aliunde quàm ex thesauro concedantur; et vicissim an nunquàm dispensetur thesaurus nisi per Indulgentias.

43. R. ad primum affirm., tum quia falsum est quod docuit Medina, Pontificem posse immediatè, et citra thesauri opem, pœnam remittere, sicut ex causâ in voto dispensare potest; tum quia exigit rectus ordo, ut divinæ justitiæ, dum etiam gratis condonare dignatur, satisfiat per condignam satisfactionem. Hæc autem satisfactio, utpotè non solùm remittens pœnam, sed verè redimens, è thesauro, qui satisfactiones continet, depromi debet. Unde hanc Indulgentiæ concessionem solent Pontifices appellare solutionem et dispensationem thesauri.

44. An autem ad omnem Indulgentiam concurrant sanctorum satisfactiones, sicut et Christi, non omninò constat. *Verisimile est tamen ita fieri, quia cùm Christus voluerit sanctos honorare, admittendo eos ad suum consortium in hâc pœnæ remissione operandâ, magis videtur ad eorum honorem pertinere, si nunquàm eorum consortium in hoc effectu rejiciat.* Ita Lugo, n. 55, ubi et conjectat thesauri hujus distributionem sic à Deo dispositam esse, *ut in fine mundi omnes satisfactiones sanctorum superfluæ, quæ in illo continentur, suum effectum adæquatum habuerint.*

45. R. ad secundum cum eodem, n. 56, satisfactiones Christi in thesauro contentas dispensari etiam per sacramenta; et quoties, etiam extra sacramenta, remittitur seu culpa quæpiam, seu etiam pœna, absque condignâ satisfactione. Atverò conclusæ in eodem thesauro sanctorum satisfactiones nonnisi per Indulgentias ab Ecclesiâ dispensari posse videntur. Sacramenta enim totam suam efficaciam habent ex meritis et satisfactione Christi. Ergo nihil ad ea sancti concurrunt. *Extra sacramenta autem non apparet quando aut quomodò Ecclesia possit facere talem applicationem, nisi per Indulgentias.* Hæc idem, quem de cæteris interroga. Vide et Bellarminum, lib. 1, cap. 3.

46. Jam expendendum est quomodò sanctorum satisfactiones nobis prosint; id enim dupliciter fieri posse intelligitur. 1° Ita ut sanctorum merita, non per modum solutionis, sed tantùm per modum impetrationis concurrant ad pœnæ nobis, vel mortuis debitæ relaxationem; quatenùs scilicet merita sanctorum ab Ecclesiâ offeruntur Deo, non ut quædam solutio pœnæ hujus, sed ut motivum ex quo Deus propitietur peccatoribus, eoque dignos efficiat, quibus Christi merita per Indulgentias applicentur. 2° Ita ut ipsa sanctorum merita, seu magis satisfactiones, ad remissionem hanc immediatè concurrant per modum veræ solutionis; quatenùs nimirùm ex superfluis eorum satisfactionibus eruit Ecclesia pretium aliquod, per quod unà cum infinitis Christi satisfactionibus pœnæ nostræ verè solvantur. Is autem modus longè distat à priori: aliud est enim impetrare ut alicui debitum suum ab alio remittatur; aliud remissionem hanc soluto in ejus locum debito illo consequi. Sit jam

Conclusio III. Satisfactiones sanctorum ad Indulgentias concurrunt, non modò per viam impetrationis, sed et per modum veræ solutionis.

47. Prob. 1° quia si satisfactiones sanctorum non concurrant immediatè ad Indulgentias per modum solutionis seu veræ satisfactionis; maximè quia, ut adversarii volunt, non potest quis pro alio satisfacere, solvendo pœnam ejus. Atqui falsum est non posse hominem in virtute Christi pro alio satisfacere, pœnam ejus solvendo. 1° Quia opinio id negans *valdè nova est in theologiâ, ideòque omninò vitanda in materiâ adeò gravi*, ut docet, cui hâc in parte fides haberi possit, Suarezius, disp. 48, sect. 2, n. 4, ubi contra citat S. Thomam, in 4, dist. 20, q. 1, art. 2, S. Bonaventuram, et alios complures. 2° Quia evidenter repugnat Catechismo Romano, qui sub finem materiæ de pœnitentiâ, num. 61, hæc loquitur: *In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonavit, ut unus pro alio possit satisfacere; ita ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec verò*, subdit, *de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo sanctorum communionem profitetur.* 3° Quia communis est Ecclesiæ sensus quòd justus unus pro alio satisfacere possit. Atqui in proprietate sermonis satisfacere, non est gratuitam pœnæ remissionem cuipiam obtinere, sed solvere debitum ejus; alioqui cœlites pro nobis satisfacere possent, quia etiamnùm pro nobis orare possunt, et pœnæ remissionem nobis efficaciùs impetrare, quàm possit viator viatori alteri. Ergo.

48. Prob. 2° quia opinio contraria malè admodùm cohæret cum verbis pontificum, qui de Indulgentiis sermonem habuêre; præsertim autem Leonis X, qui in Bullâ à Cajetano relatâ, docet per Indulgentias remitti pœnas temporales *ex superabundantiâ meritorum Christi et sanctorum.* Atqui, ut benè ponderat Suarez, disp. 51, sect. 2, n. 8, vocula, *ex*, non dicit causam intercedentem, sed propriè indicat pretium ex quo fit solutio: idque eò certiùs est, 1° quòd Pontifex solâ *superabundantiâ* sanctorum merita recenset, non autem alia, quæ tamen non minùs intercederent; 2° quòd paulò post subdit, *thesaurum meritorum Christi et sanctorum dispensari*, idque per modum *absolutionis vel solutionis.* Atqui dispensare merita alicujus, non est propter ipsa quidpiam impetrare, et multò minùs cùm ea *per modum solutionis* dispensantur.

49. Prob. 3° quia vel superfluæ sanctorum satisfactiones nobis per modum solutionis prodesse possunt, vel non. Si non, dicant adversarii unde et quo pacto

id repugnet. Si sic, ergo non debet his denegari effectus ille, qui quanti apud Deum sint beati evidenter demonstrat; qui impedit ne satisfactiones eorum effectu sibi admodùm congruo priventur; qui demùm ostendit in eis ad apicem impleri illud Christi apud Lucam 21 : *Et capillus de capite vestro non peribit.*

50. Prob. 4° ex censurâ hujus Baii propositionis, num. 60 : *Per passiones sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Atqui censura hæc opinionem nostræ adversam directè afficit. Neque enim negabat Baius sanctorum passiones nobis prodesse impetrando, sed tantùm negabat prodesse redimendo, seu condignum pretium solvendo. Hinc et alia ista ejus propositio, num. 59, pariter confixa. *Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiâ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum Deo pretium offerimus, sicut quidam errantes autumant : nam alioqui essemus saltem aliquâ ex parte nostri redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.* Quod et expresserat idem theologus hâc thesi, num. 10 : *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè remanet, et corporis resurrectio propriè nonnisi meritis Christi attribuenda est.* Ergo eodem modo, licèt non eâdem nativâ vi, prosunt nobis humanæ satisfactiones, quo satisfactiones Christi; nec inde timendum quòd ex parte simus redemptores nostri. Atqui satisfactiones Christi nobis, non impetrando solùm prosunt, sed verè et propriè solvendo. Ergo.

51. Obj. 1° : Opinio hæc Scripturæ et Patribus adversatur; Scripturæ quidem, ubi Christus lavit nos à peccatis nostris, Apocal. 1 ; Et *semetipsum dedit redemptionem pro omnibus*, 1 Timoth., 2; Patribus autem; sic enim Origenes, homil. 84, in Num. : *Talis hæc fuit hostia, ut una sufficeret pro totius mundi salute. Cæteri enim precibus peccata, hic solâ potestate dimisit.*

52. Augustinus, tract. 24 in Joan. : *In fraternorum peccatorum remissionem nullus sanguis martyrum funditur.*

53. S. Leo, epist. 97, aliàs 83 : *Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi : acceperunt justi, non dederunt coronas.... Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit.*

54. Demùm qui pressior est S. Thomas, 3 p., q. 48, art. 5, ad 3 : *Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli et exhortationis.*

Unde sic : Si sancti ad Indulgentias per modum solutionis concurrerent, jam Christus neque solus à peccatis lavisset nos in sanguine suo, neque solus fuisset propitiatio mundi. Atqui falsum consequens, ex citatis textibus. Ergo.

55. R. Nego maj.; qui enim primaria et essentialis est redemptionis nostræ origo, seu cùm eam per se facit, seu cùm dat sanctis ut ei suo modo cooperentur; ille solus propriè nos lavit à peccatis, et mundi propitiatio nuncupatur. Atqui Christus solus, etc.

56. Inst. Ad minus ex opinione nostrâ sequitur sanctos nobis aliter prodesse quàm per preces, per exempla, per modum exhortationis, eosque idcircò debitum nostrum aliquatenùs persolvere. Atqui id negant citati Patres.

57. R. Dist. min. Negant Patres sanctos nobis aliter prodesse quàm per preces, quantùm ad remissionem culpæ et pœnæ æternæ, de quâ ex professo loquuntur, ut Christi redemptionem commendent, concedo. Quantùm ad remissionem pœnæ alicujus temporalis, subdist. Negant nobis aliter prodesse quàm per preces, quia satisfactiones sanctorum nobis non applicantur, nisi per gemitus columbæ, et supplicem Ecclesiæ oblationem, concedo. Quasi ea nullo sensu nobis applicari possint, nego. Constat itaque 1° sanctos nonnisi pro nobis intercedendo, nostram à peccatis resurrectionem obtinere posse; 2° eorum satisfactiones non habere ex propriâ virtute, quòd pœnæ nobis debitæ reatum extinguant; unde et ad hunc finem à Deo acceptari debuerunt, et aliunde non acceptantur, nisi consequenter ad demissam Ecclesiæ oblationem. At simul constat, positâ utràque hâc, tum divinæ acceptationis, tum et factæ per Ecclesiam oblationis conditione, prodesse nobis easdem satisfactiones, etiam titulo solutionis; tum quia ex eo titulo primævis temporibus in gratiam lapsorum acceptatæ sunt; tum quia id nullus objectorum Patrum negavit. Qui enim plus facessit negotii Angelicus doctor, dicit quidem passiones sanctorum valere nobis *per modum exempli et exhortationis;* sed nec expendit eò loci an etiam valeant per modum satisfactionis; quia id non postulabat necessariò textus Apostoli ex Coloss. 1, v. 24, quem explicat; neque eas sic valere negat; quin et expressè statuit sic valere, tum art. 2, ibid., ad 1, ubi hæc : *Dicendum quòd caput et membra sunt quasi una persona mystica; et ideò satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet. In quantùm etiam duo homines sunt in charitate, unus pro alios satisfacere potest.* Et Suppl., q. 13, art. 2, O : *Quantùm ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodò sit in charitate.* Qui rursùs ibid. q., 23, art. 1 : *Sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita, si sibi satisfactio alterius per eum qui potest distribuatur.* Ergo prodest sanctorum satisfactio per Pontificem distributa, sicut prodest satisfactio ab uno alteri applicata in charitate. Atqui hæc indubiè prodest per modum solutionis, licèt hæc non sine precibus fiat. Ergo.

58. Obj. Ex citatâ Clementis VI Extravagante, *omnium electorum merita* conferunt *ad cumulum thesauri.* Atqui non omnium electorum merita ad eum conferunt per viam satisfactionis; cùm ex eis plures in Purgatorio debita sua solvere cogantur. Ergo necesse est ut ad eam conferant per viam impetrationis.

59. R. Huic argumento à nobis esse satisfactum num. 34 et seq., unde dicendum vel merita congrua sanctorum ad thesaurum etiam pertinere; vel vocem, *omnium*, ad eos debere restringi, qui superfluas satisfactiones habent.

CAPUT V.

De Indulgentiarum validitate et usu.

Commune est apud theologos effatum, *Indulgentias tantùm valere, quantùm sonant, vel prædicantur;* modò clavis non erret, nec fidelis deficiat. Nunc igitur videndum quid, vel in clavi requiratur, ne erret; vel in fideli, ne deficiat: quæ duo duobus articulis prosequemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De requisitis ad valorem Indulgentiæ.

Ut solvatur prima quæstio, quæ claves spectat videndum an et quæ causæ ad Indulgentiarum concessionem requirantur.

1. Causa porrò quadruplex statuitur à philosophis, *efficiens*, à quâ producitur effectus, *finalis*, seu *motiva*, quæ ad agendum determinat; *materialis*, quæ vel est *in quâ*, seu subjectum; vel *ex quâ* res quæpiam coalescit; ac demùm *formalis*, per quam res in esse suo constituitur.

2. In præsenti non movetur quæstio de causâ efficienti principe; hanc enim unum esse Christum misericordiæ omnis et veniæ fontem confitentur omnes. Sed nec sermo est de causâ materiali; vel *ex quâ*, quæ dubio procul in Ecclesiæ thesauro consistit; vel *in quâ*, seu de Indulgentiarum subjecto, quod capite sequenti expendemus. Demùm nec agitur de causâ formali, quæ ex Indulgentiæ definitione satis deducitur. Præcipua igitur difficultas est de causâ finali, licèt occasione hujus de aliis etiam nonnulla disputari possint. Sit

Conclusio. I. Ut Indulgentia licitè concedatur, requiritur causa aliqua. Ita omnes.

3. Prob. Potestas Indulgentiarum in ædificationem data est Ecclesiæ pontificibus, non in destructionem. Atqui Indulgentiæ sine causâ concessæ in destructionem et grave Ecclesiæ damnum vergerent, prout declaravit in concilio Lateranensi Innocentius III, cap. *Cùm ex eo*, 14 de Pœnit., etc., ubi ait, *quòd per indiscretas et superfluas Indulgentias.... et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur.*

4. Obj.: Ut alicui detur temporale subsidium, causa sufficiens est indigentia ejus. Ergo et ut dispensetur spiritualis Indulgentiæ eleemosyna, sufficit indigentia lucrantis Indulgentiam. Atqui hæc semper reperitur. Ergo.

5. R. Nego ant. intellectum de eo cujus desidiam, otium et facilitatem proruendi in vitia foveret intempestiva liberalitas. Atqui Indulgentia citra causam concessa occasionem daret licentiùs peccandi et *pœnitentialem satisfactionem* paulatim enervaret; præterquàm pro malâ hominum indole, quibus communia vilescunt, facillimè veniret in contemptum. Ergo Indulgentiæ sine causâ concessio *non esset opus misericordiæ, sed crudelitatis.* Ita Cardin. de Lugo, disp. 27, num. 138. Adde cum Sylvio hìc, q. 25, pag. 114, eleemosynam fieri ex bonis propriis, quorum quisque dominus est; Indulgentiam verò ex bonis communibus quorum prælati sunt tantùm dispensatores. Sed de hoc plenìùs conc. seq.

Conclusio II. Ut valeat Indulgentia, requiritur non solùm auctoritas ex parte dantis, sed et causa legitima, seu Indulgentiæ gradui proportionata.

6. Prob. prima pars, quia ex vulgari juris effato, non est major defectus quàm defectus potestatis.

7. Prob. secunda pars 1° ex communi theologorum sententiâ, contra veteres nonnullos, quorum meminit Paludanus.

8. 2° Ex modo loquendi pontificum, qui omnes justam ad Indulgentias causam requirunt. Sic Clemens VI, cit. Extrav. 2, de Pœnit., *Ecclesiæ thesaurum* Petri successoribus commissum esse dicit, *fidelibus salubriter dispensandum, ex propiis ac rationabilibus causis.* Sic, ut alios eodem sensu loquentes præteream, Martinus V vult in fide dubios interrogari, num credant Indulgentias justis de causis à Papâ concedi posse.

9. 3° Quia nec Papa, nec quivis alius, dominus est thesauri Ecclesiæ, sed merus dispensator, secundùm illud D. Pauli 1 Corinth., 4: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei,* tum Petri, Epist. 1, cap. 4: *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Atqui dispensator non potest sine causâ de rebus domini disponere.

10. 4° Ideò non potest pontifex sine causâ validè dispensare in voto, quia vinculum ejus est de jure divino. Atqui pariter vinculum seu reatus pœnæ est de jure divino. Ergo.

11. 5° Quia, ut ait Lugo, ibid., n. 139, si Papa supremus esset Indulgentiarum arbiter, posset diebus singulis omnes Purgatorii animas uno verbo liberare. Id autem quis vel cogitare ausit?

12. Quòd autem causa hæc Indulgentiæ gradui proportionata esse debeat, secùs ac præeunte S. Thomâ senserunt plures apud Suarem, disp. 54, sect. 3, n. 1. Prob. 1° ex locutione prædictorum pontificum, qui potestatem Indulgentiarum exerceri volunt *ex justis et rationabilibus causis;* justa enim causa ea est quæ cum boni distributione proportionem habet. 2° Quia fidelis dispensator non solùm indiget causâ, sed et causâ æquali, si non secundùm quantitatem, certè secundùm proportionem. 3° Quia tam dissonum est rationi pro causâ modicâ Indulgentiam magnam, quàm modicam pro causâ nullâ largiri. Ergo si non valeat posterioris hujus concessio, nec valebit concessio prioris. 4° Quia Bonifacius VIII, cùm Indulgentiam plenissimam anno sancto visitantibus basilicas SS. Petri et Pauli concederet, subjunxit: *Unusquisque autem plus merebitur, qui basilicas ipsas devotiùs frequentabit.* Supponit igitur, ait Lugo, num. 141, cer-

tiorem esse Indulgentiæ effectum, quò major fuerit causa.

13. Obj. 1° : Valet collatio beneficii facta indigno; licèt conferens non sit dominus, sed dispensator, et peccet contra jus divinum. Ergo pari jure valet Indulgentia sine causis paribus concessa ; licèt in hoc, ut in beneficii casu, graviter peccet dispensator.

14. R. Quidquid sit de antecedente, nego conseq. Ex his enim quæ sunt contra jus divinum, quædam per se irrita sunt, quædam verò gravibus de causis tolerantur, donec irrita fiant. Sic donatio prodiga, et collatio iniqua beneficii prohibentur divino jure; et tamen subsistunt, donec per leges aut superiores irritentur. Et verò grave esset incommodum, quòd quis pro vero haberetur parocho, licèt talis non esset; neque ex eo quòd valeat collatio ipsi facta, sequitur incommodum irreparabile ; cùm jure suo privari semper possit et debeat. Aliud est de Indulgentiâ, sicut et de voti dispensatione; utraque enim divino jure irritatur; partim quia irritatio hæc nihil habet incommodi, partim quia existimata utriusque hujus dispensationis validitas, funestos haberet exitus. Quid enim gravius quàm ut voto ligatus votum non impleat, aut ut dimissam sibi peccati pœnam existimet, cui pœna hæc dimissa non est. Ergo à beneficio, etiamsi indigno validè collatum supponatur, ad Indulgentiam sine causâ factam nulla est illatio. De his adi Suarem, disp. 54, num. 12 et seq.

15. Obj. 2° : Indulgentiæ duobus nituntur; 1° meritis Christi et sanctorum ; 2° potestate absolutè à Christo concessâ *quodcumque solvendi*. Porrò quæ nituntur solis Christi meritis nullam causam requirunt; sed id solùm ut à legitimo superiore dispensentur. Unde pontifices Indulgentiam absolutè concedunt iis qui præscripta opera præstant, nec de causâ loquuntur. Annon verò deciperent fideles, absolutè permittendo id quod solùm conditionatè largiri valent ?

16. R. Dist. maj. Nituntur meritis Christi, sed fideliter dispensandis, concedo. Dispensandis temerè et pro arbitrio, nego. Absolutio à peccatis, et votorum dispensatio, nituntur etiam meritis Christi, et potestate *solvendi* per eum concessâ. Atqui tamen neutra valet, si absque causâ legitimâ detur. Ergo nec pari jure valet Indulgentia citra causam concessa. Utique in Evangelio reprobatur villicus dissipans bona domini sui, neque dissipationem thesauri sanguine suo acquisiti ratam habet Christus. Ergo *hic*, ut alibicumque, *jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*.

17. Quod additur, pontifices de causâ nihil loqui, 1° falsum est, cùm finem à se intentum in diplomatibus suis exprimere soleant; et is aliunde ex circumstantiis facillimè intelligi possit. 2° Nec, si quandoque verum sit, quidquam probat; quia, ut benè Sylvius, in verbis sine restrictione prolatis, conditio quæ ex rei naturâ inest, per se satis intelligitur. *Talis autem est aliqua necessitas, vel causa proportionata, ad hoc ut œconomus fideliter dispenset thesauros sibi concreditos*. Unde neminem decipiunt pontifices, qui cùm generatim docuerint se *ex piis et justis causis* Indulgentias largiri posse, id in speciali quocumque casu præstare censendi sunt.

18. Obj. 3° : Si vera sit assertio nostra, fideles semper anxii erunt de valore, atque adeò de lucro Indulgentiæ. Id autem absurdum est.

19. R. Nego maj. Namque 1° non erunt anxii fideles, quoties causa effectui manifestè proportionata. erit, quod sæpè contingit. 2° Nec anxii esse debent, cùm causa, licèt de se impar, à pontificibus tamen prudenter æstimatur sufficiens et verè proportionata. Censent enim multi piè et probabiliter cum Suare, disp. 54, sect. 3, n. 11, et Lugo, ibid. n. 145, valere eo in casu Indulgentiam, quia id unum à dispensatore requiritur, ut secundùm prudentiæ regulas agat; nec infidelis dissipator audire potest qui sic operatur. 3° Nec anxii erunt, si causa evidenter improportionata sit (quod difficilè supponi et difficiliùs præsumi potest) quia tunc perspicua erit Indulgentiæ nullitas; non quidem ex omni parte, sed quantùm ad excessum. Docent enim communiter theologi, Indulgentiam, quæ errante clave, seu deficiente causâ omnimodis pari, non valet ad totum, valere ad partem. 1° Quia pontifex id saltem quod potest, remittere intendit : ergo si non potest remissionem totam ponere, ponet partem illius ; sicut absolvens pœnitentem, qui venialia quatuor confessus, de uno non dolet, absolvit à tribus, quia id vult et potest. 2° Quia in divisibilibus *utile per inutile non vitiatur*, ut constat ex cap. 3, de Pœnit. et Remiss. Præcipua ergo fidelium anxietas ex eo repetenda est, quòd rarò opera sibi à pontificibus præscripta eo animi et cordis fervore adimpleant, quo ad obtinendum finem et effectum Indulgentiæ, eadem impleri necesse est. De quo infra.

20. Obj. 4° : Nonnisi temerè dici potest, pontifices irritas Indulgentias sæpissimè largiri. Atqui id positâ opinione nostrâ certum et apertum erit. Namque 1° sæpiùs concedit Papa Indulgentiam inæqualem, propter eamdem causam. Ergo sine proportione. 2° Plenissima anni sancti Indulgentia conceditur Romano civi Urbis basilicas invisenti, quod opus levissimum est. 3° Pontifex non rarò grandes pro vivis atque defunctis Indulgentias tribuit recitanti paucas orationes ; quæ certè causa nihil habet cum tantâ gratiâ proportionis. Idem à fortiori dicendum de Indulgentiâ iis concessâ qui præ foribus Ecclesiæ S. Petri adsunt, dùm Papa solemniter benedicit populo in die Paschatis.

R. ad primum : Nego min. quæ triplici quod objectum est argumento pessimè probatur. Unde

21. Ad primum : Ex eo quòd major quandoque, quandoque minor eamdem ob causam concedatur Indulgentia, non sequitur causam majori Indulgentiæ imparem esse ; sed tantùm Pontificem non id omne largiri quod posset ; *in quo non errat, sed minùs est liberalis*, ut observat Suarez, disp. 54, sect. 2, n. 17. Adde cum eodem et Sylvio, pag. 114, 1° proportionem ad Indulgentiæ effectum requisitam non consistere in indi-

visibili, sed varios habere gradus, et moraliter æstimandam esse, ut fermè pretia rerum. 2° Fieri posse, ut eadem causa uno tempore sit magis ob circumstantiarum mutationem proportionata ad effectum, quàm tempore alio. Utique eadem oratio, idem jejunium, eadem eleemosyna, plus cum Indulgentiâ majori proportionis habet, quando major est Ecclesiæ necessitas.

22. Ad secundum R. cum Lugo, n. 142, proportionem causæ in ordine ad Indulgentiam, non debere desumi ab his vel illis personis in particulari, nec ab opere uniuscujusque per se considerato (sic enim incerta forent omnia, cùm idem jejunium aliis asperum sit, aliis facile), sed è bono communi, et intento per Indulgentiam fine, qui ex eo bonorum operum aggere obtinetur, quique non minùs ad honorem Dei, Ecclesiæ bonum ac pietatis augmentum in fidelibus conducit, quàm integra satisfactio à pœnitente adimpleta. Porrò maximè cedit in honorem Dei, Ecclesiæ utilitatem, professionem fidei, et fidelium unionem, quòd orbis totus pari charitatis æstu succensus confluat ad eumdem locum, ubi est vicarius Christi, et omni auro pretiosiores innumerorum martyrum, Petri præsertim et Pauli reliquiæ conquiescunt. Ergo potuit opus istud, etsi aliquibus leve, quia tamen grave ratione finis, plenariâ Indulgentiâ compensari. Hàc de causâ per Bullam Cruciatæ, non Indulgentiæ solùm maximæ, sed et privilegia non pauca iis erogantur qui, ad fovendum contra infideles bellum, Juliorum duorum stipem largiuntur; etsi enim eleemosyna hæc opus est exiguum respectu divitis, bonum tamen quod ex illâ eleemosynarum congerie profluit, maximi est momenti. Unde Maldonatus : *Fieri potest*, inquit, *ut melius agat pœnitentiam, qui jejunaturus erat per integrum annum, dato uno aureo nummo ad redimendos captivos, aut defendendam Ecclesiam ab hostibus, quod Indulgentiis præscribitur, quàm si jejunâsset totum annum; non quòd non sit facilius unum aureum nummum dare, quàm jejunare totum annum, sed quòd propter præsentem necessitatem et alias circumstantias, pluris est* ad Dei gloriam, proximi salutem, Ecclesiæ præsidium, *dare unum aureum, quàm jejunare*. Pari jure valere potest Indulgentia dierum 40 iis concessa, qui horas canonicas concludunt per orationem *sacrosanctæ et individuæ Trinitati*, etc., quia magnum est quòd conjunctis animis clerici sacrosanctam Trinitatem, Virginem Deiparam, sanctos omnes, suo quemque ordine et gradu concelebrent. Sed heu ! quàm pauci, nisi decipiôr, quod enixè velim, Indulgentias illas, quarum de nimiâ facilitate conqueruntur, etiam ex parte (quod in omni opinione fieri potest) lucrantur de facto. Utinam semel in mense.

23. Ad tertium dico 1° hujusmodi Indulgentias non concedi solùm propter breviusculam hanc precum recitationem; sed ob plures circumstantias quæ transeunt in partem causæ; puta propter religiosam professionem quam eæ personæ amplexæ sunt; propter augendum cultum alicujus sancti, cujus veneratio multùm fidelibus profutura sit; propter egregia merita principis alicujus, *ad cujus instantiam et preces fit concessio*. Quæ autem Indulgentiæ extrinsecis id genus motivis non juvantur, aliis juvantur; et talis est quæ ipso Paschatis die præ foribus D. Petri tribuitur à summo pontifice. Etsi enim eò concurrere facile esi pluribus; at magnum est quòd coadunata plebs pastori, in homine mortali Christi vicarium palam veneretur, et protestetur facto, se nunquàm à fide et communione ipsius esse divellendam.

24. Dico 2° nemini theologo venire in mentem ut quamcumque Indulgentiam vindicet in specie; an enim semper interveniat causa reapsè proportionata, *res est facti; quare sicut non est certum absolvi eum validè, quem Papa absolveret; aut semper validam esse dispensationem voti quam concederet; sic non oportet quòd sit certus valor Indulgentiæ concessæ*. Hæc tria certa sunt et sufficiunt; 1° in dubio præsumendum pro valore Indulgentiæ; multa enim nôrunt superiores, quæ latent cæteros, quæque efficiunt ut coram Deo æquum sit quod philosophantibus non ita æquum videtur, 2° nullam esse Indulgentiam ex quâ non possit quid lucri percipi, quia nulla est quæ pro gradu operis et motivi non valeat ad certum aliquem gradum; 3° dolendum quòd in amplis urbibus, quæ plenarias Indulgentias non rarò exhibent, tam pauci, et ii vix unquàm qui hàc gratiâ magis indigent, eam sibi procurare enitantur.

Saltem, inquies, arguendum quòd Indulgentiæ nonnullæ absque ullius operis impositione concedantur; puta iis qui certa numismata secum deferunt, aut jacentibus in articulo mortis, qui jam plerùmque omni sensu destituti sunt.

25. R. ad primum errare et turpiter errare eos, qui ad Indulgentiæ lucrum satis esse putant, ut cruces, numismata et similia materialiter deferantur. Hæc ergo non prosunt, nisi sub certis precibus, quæ licèt ratione suî modicæ, non tam ut faciliùs, quàm ut ferventiori animo recitentur, multùm conducunt ad augendam devotionem, seu erga Christum à cruce pendentem, seu erga Virginem Deiparam.

26. R. ad secundum Indulgentias pro articulo mortis certas etiam conditiones requirere, de quibus infra suo loco. Cæterùm Indulgentia, si quæ sine opere actuali conceditur, conceditur in gratiam operis anteà præstiti.

27. Obj. 5° : S. Thomas, Suppl., q. 25, art. 2, expressè refellit eos qui contendunt, quantitatem remissionis mensurandam esse *secundùm causam pro quâ Indulgentia datur*. Idem in resp. ad 1, hæc loquitur : *In arbitrio dantis Indulgentiam est, taxare quantùm per Indulgentiam de pœnâ remittatur. Si tamen inordinatè remittat, ita quòd homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias : nihilominùs quis plenam Indulgentiam consequitur*. Et ad 5 : *Causa*, inquit, *non requiritur ad hoc quòd secundùm eam mensurari debeat remissio pœnæ*, etc. Jam verò grave est ab Angelico dissentire.

28. Respondet Sylvius hìc, pag. 114, non usque adeò clarum esse quid senserit D. Thomas; siquidem

q. 71, art. 10, hæc profert : *Ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens.* Et Suppl., q. 26, art. 3 : *Potestas*, inquit, *faciendi Indulgentias plenè residet in Papâ, quia potest facere quod vult; causâ tamen existente legitimâ;* quæ postremæ voces benè ponderandæ sunt.

29. Quod ergo in objectis textibus dicit S. doctor, sic intelligi potest, ut nolit quidem ad Indulgentias requiri causam effectui commensuratam secundùm absolutam æqualitatem (tunc enim non daretur à Pontifice Indulgentia, sed adæquata ex parte hominis satisfactio, aut saltem unius operis in aliud æquale commutatio) sed tamen requiri causam verè justam, aut quæ à superiore prudenter talis reputetur. Sed de hâc facti quæstione adeatur Sylvius. Ut solvantur nonnullæ difficultates.

30. Quæres 1° an Indulgentia quæ defectu causæ non sufficit ad pœnæ remissionem, valeat in cæteris, puta quoad absolutionem à censuris, et casibus reservatis, commutationem voti, etc. Ratio dubitandi est, quia favores illi conceduntur in ordine ad Indulgentiam. Ergo si hæc nulla est, et ipsi debent nulli esse; quia ubi corruit principale, corruere debet et accessorium.

Dicendum nihilominùs cum Suare, disp. 53, sect. 2, n. 17, hujusmodi facultates validas esse, licèt Indulgentia ipsa non valeat. Ratio est quia quòd possit quis hunc aut illum vel absolvere à censuris, vel, existente legitimâ causâ, dispensare à voto, res est quæ à voluntate Pontificis omninò dependet. Et licèt hæc concedat in ordine ad Indulgentiam, non tamen vult ut Indulgentiæ valor sit conditio ad eorum valorem omninò necessaria; sed in utroque vult operari quantùm potest. Hæc ille, quibus addideris, futurum alioqui ut fideles circa factam sibi votorum commutationem sæpiùs anxii forent; quia licèt de valore Indulgentiæ præsumere debeant, sciunt tamen ne ipsum quidem Papam de eo plenè certum esse. Quanquàm vix fieri potest, ut Indulgentia quæ non valet ut plenaria, nequidem valeat ut aliquatenùs partialis.

31. Quæres 2° an ad Indulgentiam requiratur causa publica, vel privata sufficiat.

R. cum Lugo, cit. disp. 27, n. 145, ad Indulgentiam particularem sufficere causam privatam; ad generalem verò requiri causam generalem, nisi fortè bonum privatum tanti foret momenti, ut publico bono æquivalere prudenter judicaretur.

32. Quæres 3° quæ præcipuæ sint Indulgentias largiendi causæ.

R. cum Sylvio, Suppl., q. 25, art. 2, concl. 3, has inter causas censeri præcipuè basilicarum extructionem et consecrationem, conversionem infidelium, hæreseon extirpationem, devotionem christianæ plebis, tum erga sanctos, tum erga Sedem Apostolicam, gloriam martyrum, eorumque vitæ et passionis commendationem, morbum corporibus aut periculum animabus impendens; quæ posteriores causæ, licèt ut plurimùm privatæ sint, id tamen habent, quòd multùm commendent mansuetudinem Ecclesiæ, quæ membris suis tenerè compatitur, ne *abundantiori tristitiâ absorbeantur*, 2 Corinth. 2.

33. Quæres 4° an Indulgentiæ causa, non solùm ex conferentis, sed et ex suscipientis parte, eidem debeat esse proportionata.

R. affirm. cum eod., ibid., concl. 5, alioqui enim è duobus, quorum alter piè et christianè vixit, alter immania quæque scelera perpetravit, uterque per eadem planè opera, neque ferventiùs ab isto quàm ab illo facta, plenam consequeretur remissionem : id autem nemo facilè vel difficilè concipiat. Hinc Bonifacius VIII, in Extrav. *Antiquorum : Unusquisque*, inquit, *plus merebitur, et Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui basilicas ampliùs et devotiùs frequentabit.* Concinit Bonaventura in 4, dist. 20, q. ult., ibid. : *Ille qui dat Indulgentias, considerat causam pro quâ reputat eum dignum tantâ gratiâ; et secundùm quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de Indulgentiâ.* Et Adrianus : *Concedo*, inquit, *quòd eorum qui idem opus faciunt, unus plus consequitur de Indulgentiis, quàm alter;* quod et probat his B. Thomæ verbis, q. 25, ad 3 : *Quando indeterminatè datur Indulgentia contribuentibus ad fabricam Ecclesiæ, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat, et secundùm quod accedit ad hoc, secundùm hoc plus vel minùs de Indulgentiâ consequitur.*

Quæres 5° quomodò cesset valor Indulgentiæ.

34. R. cessare pluribus modis; et quidem 1° cùm jam obtenta est, si pro unâ tantùm vice concessa sit. Porrò pro unâ vice concessa censetur, quæ tali diei affixa est, uti contra Angelum et Rosellam docent Suarez, disp. 57, sect. 1, n. 7; Bonacina, disp. 6, q. 1, puncto 5, n. 32; Lugo, ibid., n. 96. Quæ verò per totam octavam, propter populi concursum et commoditatem perduraret, singulis semel diebus percipi probabiliter posset, ut sentit idem Lugo. Quòd si Indulgentia iis qui talem Ecclesiam inviserint, perpetua sit, poterit quis eam lucrari *toties quoties* eamdem Ecclesiam visitaverit; dùm tamen actio hæc humano modo repetatur. Si quis enim ingrediendo et egrediendo, sexcenties Ecclesiam hanc inviseret, non utique sexcenties lucraretur Indulgentiam; quia non esset hæc alia moraliter visitatio, sed eadem moraliter continuata. Ita iidem.

35. Verùm hæc nunc de Indulgentiâ solùm partiali intelligi possunt; quandoquidem, teste Dom. Vivâ, pag. mihi 612, declaravit Innocentius XI, Indulgentiam plenariam non posse pluries eâdem die comparari. *Quare solùm*, ait idem Viva, *Indulgentia non plenaria potest sæpiùs eodem die obtineri; et probabiliter etiam plenaria, si ea pro variis defunctis applicetur, quando conceditur à Pontifice, quòd possit iis applicari; tum quia sic nullus pluries eodem die Indulgentiam lucrabitur; tum etiam quia si in concessione Indulgentiarum non intelliguntur eæ concessæ pro defunctis per modum suffragii applicabiles, nisi id exprimatur, ut declarârunt Sixtus IV et Leo X... à fortiori dicendum quòd in revocatione Indulgentiarum, non intelliguntur revocatæ pro defunctis, nisi fiat specialis*

mentio; cùm revocatio sit odiosa, atque adeò restringenda.

36. An possit quis Jubilæi ejusdem Indulgentiam pluries lucrari, quæstio est suo loco expendenda.

37. Sed num translato in alium diem Festo, cui annexa est Indulgentia, transfertur et ipsa Indulgentia.

38. Respondent Sylvius in Resolutionibus, v. *Indulgentia*, 2, Azor, tomo 2, lib. 1, cap. 28, q. 8, et alii quos sequitur Pontas, eod. verbo, cas. 6, vel Indulgentia huic festo cum præfixâ eidem die annexa est, puta Festo B. Vincentii, quod in diem Julii 19 cadit; vel simpliciter festo citra diei mentionem affigata est. Si primum, translato festo, seu ob festi majoris concursum, seu in gratiam populi, non transfertur Indulgentia, nisi id specialiter in pontificio diplomate expressum sit; sed manet diei affixa. Si secundum, transfertur, quia pro festo independenter à die concessa est. Favet vulgata hæc regula : *Beneficium* principis, quantùm verba ferunt, *plenissimè interpretandum est.*

39. E contra censent alii Indulgentiam non transferri, si Festum transferatur (seu in choro tantùm, seu in choro simul et foro), nisi fortè festum sit ex naturâ suâ vel usu mobile. Probant 1° ex hâc S. congregationis decisione, quam referunt La Croix, l. 6, part. 2, n. 2055; Amort., in Quæst., q. 15, etc. *Translato festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali.* 2° Quia sæpiùs concessit Papa vel S. congregatio, ut cum festo transferretur Indulgentia, puta RR. PP. Minimis pro festo S. Francisci de Paulâ, Jesuitis pro festo Annuntiationis, etc. His porrò concessionibus nihil opus fuisset, si Indulgentia cum festo etiam solemni (addo contra Amort, etiam maximè mobili) ex conditione rei transferretur. Huic opinioni adhærendum in praxi. Unde qui festum suum in aliam diem legitimis de causis transferre cogitant, et id cogitare debent, ut Indulgentiæ translationem obtineant.

40. 2° Cessat Indulgentia, per revocationem concedentis successoris aut superioris, et hoc, etiamsi quis jam incœpisset facere opera ad Indulgentiæ hujus lucrum necessaria. Peccaret tamen qui sine causâ Indulgentiam alioqui utilem revocaret; et multò graviùs, si jam graves ad ejus consecutionem sumptus facti essent; ut si quis belli sacri Indulgentiam consecuturus jam penè omnia ad id necessaria præparâsset.

41. Docent porrò Sylvester, h. v., n. 17; Navarrus de Jubilæo, Notat. 31, n. 28, et alii, Indulgentiam subsistere, donec revocatio ejus moraliter pervenire potuerit ad locum, cui eadem concessa erat.

An autem valeret revocatio per actum merè interiorem facta, disputant theologi. Affirmat Suarez, disp. 57, sect. 2, n. 10, quia cùm Indulgentiæ efficacia pendeat ex concedentis voluntate, non potest illa vel dari ab initio, vel in decursu subsistere, cùm deest voluntas ejusdem dandæ vel continuandæ. Aliter sentit Lugo ibid., n. 148, quia cùm claves tam ad claudendum, quàm ad aperiendum, pertineant ad jurisdictionem visibilem, non possunt operari validè, nisi hæc per actus visibiles atque externos exerceatur. Hæc disquisitio practicè inutilis est, quia nulla unquàm Indulgentia vel dabitur, vel semel data revocabitur, nisi per actum exteriorem. Unum igitur addere sufficiat, videlicet Indulgentiam generaliter concessam, si pro tali determinatè loco revocetur, non ideò pro locis aliis revocari, ut docet ibid. Navar., Notat. 26, n. 8, quia stare potest Indulgentia Lugduni, licèt desinat Parisiis. Quâ etiam de causâ si communem Ecclesiæ alicujus Indulgentiam revocari contingat, non revocantur Indulgentiæ, vel uni capellæ, vel pio cuipiam ejusdem Ecclesiæ sodalitio concessæ; secundùm hanc juris regulam in 6 : *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

42. 3° Indulgentia cessat aliquando per mortem concedentis, aliquando et sæpiùs non cessat. Cessat quidem si concessa sit ad beneplacitum dantis; quia ex cap. *Si gratiosè*, 5, de Rescriptis, in 6 : *Beneplacitum* omne *per obitum* Rom. Pontificis *omninò extinguitur.* Non cessat verò, *si usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur. Tunc enim* (*quia Sedes ipsa non moritur*) *durabit perpetuò, nisi à successore fuerit revocata.* Hinc generaliter post mortem concedentis permanent privilegia, gratiæ et facultates ab eo concessæ; quia hæc vel illimitatè conceduntur, vel ad beneplacitum Sedis, non personæ.

43. 4° Cessat Indulgentia, vel ex parte subjecti cui conceditur, vel per mortem ipsius, vel per ejus ab Ecclesiâ præcisionem; excommunicati enim nullam in communibus Ecclesiæ bonis partem sibi possunt vindicare; quod probabiliùs in ipsis etiam contritis locum habet, ut dictum est in tract. de Censuris, part. 2, cap. 1, art. 3, sect. 1.

44. 5° Cessat, uti jam supra dictum est, ex parte rei cui annexa erat, per moralem ejus destructionem. Solet tamen concedi, ut si amittatur vel frangatur imago, granumve talem habens Indulgentiam, possit primâ vice granum aliud, vel alia imago in locum prioris cum eâdem Indulgentiâ substitui. Sed cuinam annexa erit Indulgentia, si prior imago quæ post idoneam diligentiam inveniri non potuit, tandem reperiatur? *Et quidem ego credo non amplius priorem, sed posteriorem habere Indulgentiam; quia verificata fuit conditio, ut posset ritè eligi secunda, nempe quòd prima fuisset amissa. Tutius tamen erit utramque retinere.* Ita Lugo, num. 150, qui subdit electionem hanc, utpote quæ non sit actus jurisdictionis, sed conditio mera ad valorem Indulgentiæ, fieri posse per solum mentis actum, sine actu exteriore.

45. 6° Cessat Indulgentia, cùm cessat causa propter quam ea indefinitè concessa erat; si causa ad perpetuam Indulgentiam sufficiens non erat; et cùm conceditur ad obtinendum sibi felix Ecclesiæ regimen, Jubilæum à novo Pontifice, qui paulò post moritur, ut contigit Pio III, qui diebus 26; Marcello II, qui diebus 22; Urbano II, qui diebus 12; Leoni XI, qui diebus 25 sederunt. Si verò ad eam sufficiebat, non cessat, etiamsi causa jam desierit. Unde si indi-

ctum fuerit ad hebdomadas duas Jubilæum pro obtinendâ pace, et pax hebdomadâ primâ sanciatur, perseverabit tamen indulgentia; quin et ab eis percipi poterit, qui nullam, nisi stabilitâ jam pace, Jubilæi hujus notitiam habuêre. Ratio est quia concessio hæc *à principio valida fuit propter necessitatem tunc urgentem, quæ proportionem habebat cum totâ illâ.* Unde causa cur perseveret Indulgentia hujusmodi, *non est perseverantia illius necessitatis, sed necessitas præterita, quæ sufficiebat ad concedendum pro tempore sequenti* quidquid concessum est. Ita idem cardinalis, num. 152, cujus opinio confirmari potest, tum quia gratiæ ab initio legitimè concessæ semper durant, ut patet in dispensatione voti absolutâ; tum quia Deus ex futurorum operum intuitu moveri potuit ad dandum sinè morâ id quod fortasse diù distulisset.

46. 7° Cessat quandoque ad tempus Indulgentia propter concursum alterius celebrioris; uti contingit tempore Jubilæi. Sed de his suo loco.

47. Quæres an cesset Indulgentia per renuntiationem internam illius cui concessa est?

R. eam nequidem cessare per renuntiationem externam, nisi hæc à concedente acceptata fuerit; quia cùm totus rei hujusce valor proveniat ab applicatione thesauri factâ per habentem claves, non potest is per voluntatem alterius impediri. *Poterit hic quidem eam non lucrari; non potest tamen facere quòd non maneat potestas eam lucrandi;* idem ubi statim. Meliùs aut saltem clariùs dixeris, Pontificem semper intendere et peroptare ut gratia semel concessa iis etiam prosit, qui ab initio eamdem dedignati sunt, si meliores et saluti viciniores sensus postmodùm induerint.

Articulus II.

De conditionibus ad Indulgentiæ consecutionem necessariis.

Quæstio est an sicut ad Indulgentiæ valorem justa requiritur causa ex parte Indulgentiam largientis, sic ad lucrum ejus justa requiritur cooperatio ex parte subjecti; imò annon præter hanc aliæ quædam requirantur conditiones.

48. Et quidem 1° fatentur omnes ad Indulgentiæ effectum prærequiri, ut quis charactere baptismali insignitus sit; neque enim à pastore dispensari potest thesaurus, nisi iis qui pertinent ad ovile, cujus ipse est pastor. Sicut tamen Indulgentia defunctis indirectè conceditur, sic et indirectè per modum suffragii Catechumenis prodesse potest. Ad id enim sufficit ut ex facultate Pontificis possint hominis justi opera ad eum dignitatis gradum elevari, ut alii cuicumque justo valeant ad remissionem pœnæ. Id autem tsi quoad baptizatos fieri non solet; ne eorum, qui sibimetipsis opitulari possunt, inertia foveatur, non tamen absolutè repugnat fieri. Ergo sicut potest justus in gratiam Catechumeni jejunare, eique satisfactiones suas applicare; sic et ei Indulgentiæ fructum applicare posse videtur; prout docet Lugo, n. 77.

49. 2° Constat etiam Indulgentiam iis tantùm prodesse, qui aliquando rationis usum habuerint; quia Indulgentia ad id solùm valet, ut tollat reatum pœnæ temporalis; hunc autem non habent, qui nullum actuale peccatum, defectu rationis, commiserunt. Aliunde tamen certum est, ut quis Indulgentiæ effectum obtineat, non requiri ut actu compos sit rationis. Qui enim ut Indulgentiam consequatur, jejunavit, fructum ejus, transacto jejunio, assequetur; licèt tunc vel dormiat, vel delirio ex febri laboret.

50. Quin etsi credunt non pauci, eum qui ex rationis usu in amentiam incideret, non posse indulgentiam subinde concessam lucrari; quia Indulgentia se habet per modum privilegii, quod ignoranti non acquiritur, sed scientiam et acceptationem privilegiati requirit; non desunt tamen, qui cum Lugo, hìc n. 81, existiment, ad Indulgentiam lucrandam nihil opus esse ut quis eam vel sciat, vel lucrari intendat; 1° quia fructus suffragii, seu ex opere operantis, seu ex opere operato, puta sacrificii, etiam ignoranti prodesse potest. Ergo et pari de causâ prodesse poterit fructus Indulgentiæ, ex communi Ecclesiæ thesauro, etiam ignoranti, per Pontificem applicatus; 2° quia etsi quædam sunt privilegia, quæ privilegiati actionem requirunt, non tamen sic se habere videntur ea in quibus aliquid pro alio solvitur; unde sicut potest ab aliquo solvi debitum Petri, licèt Petrus solutionem hanc ignoret, sic et potest communis thesauri dispensator ex eodem solvere debitum tuum, licèt id ignores. Atque id de facto intendere videtur Pontifex, seu cùm moribundo sensibus destituto, seu cùm post Missam à se in basilicâ celebratam omnibus qui præsentes sunt, licèt omnes id non audiant, vel sciant. Indulgentias largitur. Ita idem, num. 82, ubi subdit aliud fore, si ad Indulgentiæ assecutionem certa quædam opera pro speciali quâpiam necessitate applicanda requirantur, v. g., orationes contra imminens periculum recitandæ; quia, inquit, non potest opus fieri cum tali intentione, sine aliquâ ejus notitiâ. Verùm hæc inutilia sunt, quia nullæ de facto ignorantibus conceduntur Indulgentiæ.

His præmissis, quæ partim certa sunt, partim non improbabilia, quæritur 1° num ad lucrandam Indulgentiam requiratur status gratiæ in fine operum ad eamdem Indulgentiam præscriptorum; 2° annon etiam requiratur in toto eorumdem operum decursu; 3° an ad assequendum hunc gratiæ statum requiratur sacramentalis confessio, cùm ejus mentio fit per hæc pontificii diplomatis verba: *Contritis et confessis;* 4° an opera ad Indulgentiam præscripta per alium impleri queant; vel prosint non omninò impleta. Quæ ut cum aliis nonnullis solvantur, sit

Conclusio I. Ad indulgentiam lucrandam requiritur status gratiæ. Ità communiter theologi post S. Thomam, quodlib. 2, art. ult.

51. Prob. 1°: Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccato debitæ. Atqui pœna peccato debita remitti non potest, quamdiù manet peccatum; quia peccatum, quamdiù manet, suâ pœnâ dignum est. Hinc est quòd in bullis dicantur Indulgentiæ concedi *contritis et confessis.* Ergo.

52. Prob. 2° : Remissio pœnæ temporalis non indulgetur nisi in ordine ad vitam æternam. Atqui nemo in statu mortalis peccati capax est vitæ æternæ. Ergo nec in eodem statu capax est remissionis pœnæ ; præsertim cùm ante omnia deberet assequi remissionem pœnæ æternæ, quam profectò obtinere non potest, qui lubens et volens perseverat in statu peccati. Unde sicut graviter reis non prosunt aliena suffragia, sic nec iisdem prosunt Christi vel beatorum satisfactiones per Indulgentias applicatæ.

53. Prob. 3° : Participatio Indulgentiarum pertinet ad communionem sanctorum in charitate fundatam. Ergo cùm per peccatum habituale tollatur hujusmodi communio, tolluntur et quæ in eâ fundantur Indulgentiæ.

Imò fidelis nemo, quantùmvis in gratiâ sit constitutus, potest obtinere remissionem pœnæ peccati etiam venialis, cujus necdùm veniam obtinuerit ; prout docent uno ore theologi ; quia culpa, quamdiù manet, meretur et quasi exigit pœnam.

Conclusio. II. Ut quis Indulgentiam consequatur, necesse non est ut omnia ad eamdem præscripta exequatur in statu gratiæ, nisi id pontificio diplomate expressum sit ; sufficit ergo et requiritur 1° ut omnia impleat animo verè pœnitenti ; 2° ut sit in statu gratiæ, cùm operum, quæ ad Indulgentiam præscripta sunt, ultimum adimplet. Constat tamen eos plenius Indulgentiam lucrari, qui vel in statu gratiæ, vel ex vehementiori pœnitentiæ spiritu omnia præscripta exequuntur.

54. Prob. prima pars, 1° ex multò communiori theologorum sententiâ.

55. 2° Ex Bonifacio VIII, in Extravag. *Antiquorum*, ubi plenariam Indulgentiam concedit, *non solùm pœnitentibus et confessis accedentibus ad basilicas* designatas ; sed *etiam iis qui verè pœnitebunt et confitebuntur*. Ergo potest Indulgentia percipi, seu præcedat, seu subsequatur confessio. Atque hinc, ut advertit Sylvius in q. 27, art. 1, in variis Jubilæis, puta anni 1606 et 1617, præscribitur jejunium feriis quartâ, sextâ et sabbato, cum confessione prævià vel sequente. *Signum est ergo non esse necessarium quòd opus impleatur in statu gratiæ, cùm peccatores ordinariè non justificentur ante confessionem.*

56. 3° In Jubilæis præcipi solet, quod et injunxit Bonifacius VIII, in cit. Extrav. ut Romani Ecclesias visitent per dies quadraginta, forenses verò per quindecim. Atqui *moraliter fieri nequit ut omnes illæ visitationes passim fiant ab omnibus in statu gratiæ.* Hinc

57. Prob. secunda pars, quæ quatenùs dicit satis esse ut injuncta opera fiant animo verè pœnitenti, sequitur ex mox dictis ; quatenùs verò id requiri asserit, non obscurè traditur à Gregorio VII. Is enim apud Baronium, tomo 11, concedens episcopo Lincolniensi peccatorum Indulgentiam, subdit : *Si tamen bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, quantùm valueris, corporis tui habitaculum, Deo mundum templum exhibueris.* Quæ verba expendens prædictus Annalium ecclesiasticorum scriptor, ait Sedis sanctæ Indulgentias eis impendi, qu.. quantùm suppetunt vires, benè operari non prætermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac desidiâ torpentibus.

58. Confirm. Ad Indulgentiam requiritur opus quod natum sit movere Deum per modum intercessionis, ad concedendum effectum qui per Indulgentiam intenditur. Atqui nullum opus, nisi vel in gratiâ fiat, saltem animo pœnitenti, cujus fervor defectum gratiæ suppleat, Deum movebit ad concedendam pœnæ remissionem, quæ per Indulgentias intenditur. Ut quid verò vindicem Dei manum à se averterunt Ninivitæ, nisi quia *plenam terroribus pœnitentiam egerunt*, ut docet Tridentinum ?

59. Confirm. 2° : Ve. is qui Indulgentiam lucrari vult aliquem habet motum *bonæ pœnitentiæ*, ut loquitur ibid. Sylvius, pag. 116, vel perseverat in affectu ad peccatum suum ; vix enim, si vix, potest eo in casu medium quid inter utrumque fingi. Atqui nemo concipiet posse hominem, qui in affectu ad peccatum perseverat, utcumque promereri remissionem pœnæ eidem debitæ. Ergo rejiciendum id quod post Suarem, disp. 52, sect. 6, docet hìc Lugo, n. 85, *opus licèt in individuo non sit bonum*, elevari per Indulgentiam ad obtinendum ipsius finem.

60. Prob. tertia pars, videlicet ad Indulgentiam sufficere et requiri ut postremum opus fiat in statu gratiæ. Siquidem ex conclusione primâ ad Indulgentiæ perceptionem requiritur status gratiæ. Atqui is non requiritur in decursu operum præscriptorum, ex conclusione secundâ. Ergo requiritur saltem in fine, et quando vel lucranda est Indulgentia, vel ei renuntiandum.

61. Prob. quarta pars 1° ex ipsius Ecclesiæ sensu, quæ hanc S. Bonaventuræ doctrinam approbat, in 4, dist. 20, q. ult. : *Ille qui dat Indulgentias, cùm eas tribuit, considerat causam pro quâ reputat eum dignum tantâ gratiâ, et secundùm quòd plus vel minùs accedunt homines ad illam causam, plus vel minùs participant de illâ gratiâ.*

62. Concinunt Bonifacius VIII, in cit. toties decretali *Antiquorum*, ubi de Jubilæo quod anno 1300 amplissimum concessit, verba faciens : *Unusquisque tamen*, inquit, *plus merebitur et Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui basilicas ampliùs et devotiùs frequentabit.* Et Innocentius IV, in cap. *Quod autem*, 4, de Pœnit., etc., ubi : *Licèt*, inquit, *generaliter fiat Indulgentia propter laborem, propter devotionem*, etc., *tamen unus plus præ alio habet intra metam à prælato constitutam, secundùm quod plus devotus est, vel plus laborat, vel majoribus periculis se exponit.*

63. Prob. 2° : Indulgentiæ non efficaciùs operantur quoad remissionem pœnæ, quàm sacramenta quoad effectus suos. Atqui hæc plus operantur in iis qui ad ipsa piè magis ac devotè accesserint. Ergo.

64. Obj. contra primam partem : Opera per quæ percipiuntur Indulgentiæ, talia esse debent, ut Deus per ea placari possit. Atqui placari non potest Deus per opera extra statum gratiæ facta, cùm ea mortua sint.

65. R. cum Sylvio, ibid. 1° Indulgentiam non niti labore nostro nostrisve satisfactionibus, sed meritoriis Christi et sanctorum operibus, quæ in gratiâ perpetrata fuêre.

66. R. 2° : Nego min. Si enimverò quodam sensu placatus est Deus per Ninivitarum pœnitentiam, quæ non tota in statu gratiæ perfecta est, potest dispositivè placari per opera extra gratiæ statum perpetrata. Neque verò, ait Sylvius, opera quæ fiunt à pœnitentibus necdùm justificatis, sunt prorsùs mortua, cùm fiant per spiritum Dei, et prosint ad salutem vitæ æternæ.

67. Si tamen præciperet Papa, prout potest, ut opus injunctum perficiatur in gratiâ ; tunc gratiæ status necessarius foret, cùm opus præstaretur, et quando Indulgentia esset percipienda.

68. Obj. contra secundam partem cum Lugo, num. 85 : Si ad Indulgentiæ assecutionem inutilia sint opera cum peccato facta, qui præscriptam ad Jubilæum eleemosynam dabit ex vanâ gloriâ, Jubilæum non lucrabitur. Atqui id durum est.

69. Respondet Sylvius ibid., concl. 1 et 2, his verbis : *Si peccatum veniale committatur quando Indulgentia est percipienda, et non vitiet opus ad eam consequendam præscriptum, non impediet fructum Indulgentiæ, nisi quoad remissionem pœnæ illi veniali peccato debitæ ; ut si quis inter jejunandum pro consequendis Indulgentiis, officiosè mentiatur. Ratio est quia peccatum mortale potest remitti sine veniali, et unum veniale sine alio ; nullum autem remitti potest, quando geritur affectus ad illud. Si autem peccatum veniale vitiet opus injunctum, ita ut illud ipsum sit peccatum, quamvis veniale, impedit fructum Indulgentiæ ; ut si quis jejunet vel oret ob vanam gloria. Talem enim opus non est dispositio requisita ad Indulgentiam. Ita Adrianus in tractatu de Clavibus.* Sed his addendum quod dictum est in tract. de Actibus human. cap. 4, art., sect. et concl. 2, videlicet posse actui cuipiam nostro advenire circumstantiam venialiter malam, quæ totam ejus bonitatem ac meritum non auferat ; ut si quis, non equidem ex vanâ gloriâ, sed cum aliquo ejus motu stipem eroget. Quòd autem is cujus actio omninò mala esse supponatur, ad Indulgentiæ finem non deveniat, non est durum, sed æquissimum ; et ità docent Bellarmin., Layman, Amort, in Quæst. q. 36.

70. Saltem, inquies, si quis ultimum opus in peccato confecerit, et id sincerè post aliquot dies doleat, tunc demùm Indulgentiam lucrabitur.

71. R. hanc Indulgentiæ reviviscentiam à nonnullis admitti, sed negari à pluribus, quia nullum est fundamentum unde erui possit hanc esse Pontificis intentionem.

72. Obj. contra ult. part. : Indulgentia, juxta theologos, effectum suum parit quasi ex opere operato. Ergo eum non parit ex proportionato operantis concursu, sed ex simplici præscripti operis positione.

73. R. Nego conseq. Indulgentia effectum suum parere dicitur quasi ex opere operato, quia remissio pœnæ non respondet meritò actionum ad Indulgentiæ consecutionem præscriptarum, sed obtinetur per applicationem satisfactionum Christi. Verùm applicatio hæc respondet gradui cooperationis nostræ, quæ se habet per modum conditionis sine quâ non. Unde *Indulgentiam efficaciùs consequitur*, qui præscripta opera *ampliùs et devotiùs* exequitur. Et verò, ut dictum est, Indulgentia non concurrit efficaciùs ad remissionem pœnæ, quàm sacramenta ad productionem gratiæ. Atqui tamen majori gratiâ donatur, qui Sacramenta piè magis suscipit. Ergo.

74. Instabis : Indulgentiæ valent quantùm sonant. Atqui non tanti valerent, si plus prodessent ei qui piè magis operatur, minùs autem minùs disposito.

75. R. dist. Tantùm valent positis ponendis, concedo ; secùs, nego. Sicut enim non valent ut plenariæ quæ ut tales concèduntur sine causâ sufficiente ; sic nec plenè prosunt quæ cum sufficienti causâ datæ, minùs perfectè suscipiuntur. Utique enim, ait idem Servatius Faber, pag. 415, si magnus quilibet peccator per communem præscriptorum operum executionem lucrari posset plenariam Indulgentiam, perinde ac justi, qui nonnisi venialibus culpis obstricti sunt, sequeretur gravissimos quosque peccatores, cæteris aliunde paribus, virtute clavium ad cœlos transferri posse in curribus et in equis ; justos verò, nonnisi incedendo pedibus, et flendo, mittentes semina sua.

76. Neque hinc, uti jam observatum est, sequitur, majorem minoremque subjecti devotionem esse causam meritoriam remissionis pœnæ per Indulgentias obtentæ ; sed tantùm eam se habere per modum conditionis ad applicationem satisfactionis Christi requisitæ.

77. Quæres an Indulgentiæ iis etiam prosint, qui cùm per se ipsos satisfacere valeant, minimâ contenti quæ sibi à confessario injungitur pœnitentiâ, postmodùm desides manent, eâ spe quòd residuum pœnæ sibi debitæ in Purgatorio sint exsoluturi.

Duplex est eâ de re opinio. Prima, quam post Altisiodorensem et Paludanum tenet Cajetanus tract. 10, de Suscipientibus. Indulgentiam existimat hanc iis duntaxat prodesse qui solliciti sunt ut in hâc vitâ integrè satisfaciant pro peccatis, atque ideò vel condignas satisfactiones sibi imponi curant, vel spontè assumptas implent pro viribus.

78. Fundamenta hujus opinionis, quam in postremo jubilæo è sacro suggestu annuntiavit illustrissimus Ecclesiæ S***. princeps, isthæc sunt. I. Qui cùm potest, satisfacere non vult, indignus est cui applicetur aliena satisfactio. Atqui Ecclesia thesauri sui beneficium indigno applicare non intendit sicut in republicâ benè institutâ non distribuuntur bona communia ære alieno gravatis, si per seipsos satisfacere valeant. Sed nec ab amico rectè petes id quod tibi ipsi præstare possis.

79. II. Cyprianus confessores enixè precabatur ut ad pœnitentiæ relaxationem eos solùm episcopo commendarent, quorum pœnitentia idoneæ satisfactioni proxima foret. Idem graviter redarguebat presbyteros, non modò quòd citra episcopi consilium, sed quod ante justum tempus lapsis Indulgentiam darent,

iisdem in damnum cessuram. Ergo sentiebat B. martyr iis solùm prodesse Indulgentiam qui satisfactione suâ ad modum proportionatæ satisfactioni vicinum accessissent.

80. III. Concilia à nobis passim adducta iis duntaxat pœnitentiam relaxari volunt, quorum sancta opera relaxationem hanc promeruerunt. Unde S. Chrysostomus, homil. 5, in Matth., negat prodesse nobis sanctorum merita, si ipsi desides fuerimus; sed tunc demùm prodesse ait, si nostram ipsi quoque sollicitudinem impendamus.

81. IV. Indulgentiæ non conceduntur nisi verè pœnitentibus; non sunt autem verè pœnitentes, qui non habent propositum faciendi dignos fructus pœnitentiæ.

82. Hæc sententia, ait Estius, in 4, dist. 20, aliis plerisque non placet; eamque ut antiquæ opinioni contrariam rejicit Sylvius in eamdem q. 27, art. 1, *Quæritur* 2. Rationes ejus sunt, 1° quòd qui vivum est Christi membrum sit capax influxûs, qui à Christo per Indulgentiam emanat. 2° Quòd etiam particeps sit communionis sanctorum, proinde illorum satisfactionibus juvari possit. 3° Quòd dùm opus ad Indulgentiam præscriptum adimplet, curat pro parte suâ satisfacere quantùm requiritur, atque ita non omninò iners dici debet. 4° Quòd Indulgentiarum usus ideò invaluit, quia exigit quadamtenùs pietas Ecclesiæ, ut adjutricem præbeat manum fidelibus, quorum animos et corda debilitaret antiquæ pœnitentiæ rigor. Atque hujus rei argumentum sumi potest ab Apostolo, qui remissæ incesto satisfactionis hanc reddit rationem, *ne fortè* is *abundantiori tristitiâ absorbeatur*. Unde apparet iis utiliter relaxari pœnitentiam, qui graviorem ferrent impatienter; quapropter Chrysostomus, Homil. 4, in eumdem Pauli locum hæc scribit: *Non enim quòd dignus sit, neque quòd sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quòd infirmus sit. Ideò, inquit, dignor illum veniâ.* Quibus verbis videtur Chrysostomus id adstruere quod negat Cajetanus, videlicet indignum, defectu scilicet proportionatæ satisfactionis, Indulgentiæ fructum consequi. Neque obsunt Cajetani argumenta. Unde

83. Ad primum, nego maj. Non enim verè indignus est qui, licèt possit, non vult tamen aliter quàm per Indulgentias satisfacere, modò ita sit affectus, ut per seipsum, si deficeret Indulgentia, satisfacere niteretur.

84. Ad confirm. dicendum cum Sylvio, bonorum communium dispensatorem, licèt ordinariè non possit solvere debitum ejus, qui de suo satisfacere potest, id tamen posse, si justa quæpiam causa occurrat; ut si debitor ex insolito labore, cui se, ad satisfaciendum, dedere cogetur, gravi tristitiâ obruendus sit, et animum desponsurus; idque magis verum est, si boni communis thesaurus non possit exhauriri; et sic nihil unquam ex eo ad indigentium opem deficiat. Sed nec amicitiæ repugnat ab amico aliquid petere quo ipse non eget, etiamsi aliunde possis tibi succurrere.

85. Ad secundum, reponit idem Sylvius Cyprianum voluisse quidem ut lapsi ante certam satisfactionem minimè reconciliarentur, quia id postulabat ratio Ecclesiasticæ disciplinæ, non verò quia is satisfactionis gradus omninò et quasi ex naturâ rei necessarius foret. Cæterùm non deest omnis satisfactio ei qui præscriptâ ad Indulgentiæ consecutionem opera fideliter exequitur.

86. Ad tertium eadem est responsio, neque iners prorsùs dici debet, qui multo cum dolore confitetur, qui pœnitentiam sibi injunctam adimplet, prout implere solent fideles, etc.

87. Ad quartum: 1° *Verè pœnitens* dici potest *qui habet propositum satisfaciendi per se, vel per alium, quatenùs opus fuerit;* quique omnia laboriosi Jubilæi opera exequitur animo sincerè contrito. Hæc illi.

88. Postrema hæc opinio speculativè defendi potest, ut ex modò dictis liquet. At priori practicè, quantùm fieri poterit, adhærendum. 1° Quia posterior non probatur invictè; 2° quia ab Indulgentiis id omne removendum est quod torporem fovere possit, et catholicum dogma maligno hostium ejus denti exponere; 3° quia Indulgentiæ majorem vel minorem effectum pariunt, pro majori vel minori pœnitentis piâ dispositione. Nec dubium quin debilem prorsùs effectum in eo parerent, qui sub earum prætextu sibi deinceps otiosè indulgere intenderet; 4° quia cùm satisfactiones nostræ vix pares sint quæ debitorum gravitati respondeant, raròque vel ipsæ pleniores Indulgentiæ secundùm se totas prosint, sapienter sibi consulit, qui propriæ satisfactioni Indulgentias, et Indulgentiis proprias satisfactiones adjicit. Unde nec otiosa erit Indulgentia quæ satisfactionis defectum supplebit; nec satisfactio quæ aliqualem Indulgentiæ abusum resarciet; et is videtur esse Tournelii nostri sensus, pag. 299.

89. Ex dictis colliges pro praxi, 1° eum qui quædam ex operibus ad Indulgentiam præscriptis fecit cum affectu peccati mortalis, Indulgentiam non lucrari, nisi eadem iteret, vel in statu gratiæ sanctificantis, quod malè exigit Tournelius, pag. 300, vel piè et religiosè. Quòd si hæc jam repeti non possint, in alia quæ fieri valeant, mutanda erunt à confessario.

90. 2° Rarum esse ut fidelis post lucratam quamcumque Indulgentiam ab omni post hanc vitam pœnâ immunis coram Deo efficiatur; quia rarum est ut omnem ad certas veniales culpas affectum deponat, proinde ut remissionem pœnæ iisdem debitæ obtinuerit. *Sæpè tamen*, ait Faber, pag. 415, *videmus homines melioris vitæ, majori cum fervore et spiritu pœnitentiæ implere opera ad Indulgentias requisita, quàm homines vitæ communis:* Habenti dabitur, et abundabit, etc.

91. 3° Non tamen negligendam esse Indulgentiarum praxim, iis qui sese in virtutis viâ languidos esse animadvertunt; cùm quas ex integro non lucrantur, aliquâ saltem ex parte percipiant, quæ pars longè superat, seu opera, quæ ad Indulgentiæ luerum fecerunt, seu quæ ut plurimùm proprio nutu fecissent.

Conclusio III. Ad Indulgentiam *contritis et confessis* propositam non requiritur confessio sacramentalis iis qui nullam peccati mortalis conscientiam gerunt, nisi expressè requiratur ut pars operis injuncti.

92. Prob. prima pars contra Sanchem, lib. 8, de Matrim., disp. 15, n. 19, et alios quosdam. Ut confessio in præsenti casu minimè requiri dicatur, sufficit ut ea non requiratur à Pontifice, nisi ut dispositio ad statum gratiæ; quâ quidem dispositione non egent qui per Dei gratiam à mortalibus sunt immunes. Atqui confessio non ut pars operis, sed ut dispositio ad gratiam requiritur in præsenti casu. Prob. min. ex communi doctorum sensu, qui ambiguas leges interpretatur. Sic enim cum Suare, disp. 52, sect. 3, n. 6, docent theologi innumeri quos congerit et sequitur Diana, tomo 1, tract. de Bullâ Cruciatæ, resol. 107. Jam verò non paterentur pontifices, qui opinionem hanc non nesciunt, eam ubique doceri cum magno fidelium detrimento, si ab eorum mente aliena foret. Quin et consultus eâ de re Clemens XI, ab uno è nostris remisit eum ad theologos. Id autem docere censentur theologi, quod eorum pars longè major et gravior docet.

93. Imò existimat Suarez, disp. 52, sect. 3, n. 10, cum Gersone et aliis pluribus, confessionem in voto sufficere ei qui perfectam gravis sui peccati contritionem habet. Sed quia opinio contraria securior est, ut ipse fatetur, et aliunde rara est perfecta contritio, curandum semper ut confiteatur, qui sacerdotis approbati copiam habet.

94. Prob. secunda pars, quia si confessio requiratur ut pars præscriptorum operum, non minùs necessaria erit, quàm opera quæcumque cætera.

95. Porrò censebitur requiri ut pars eorumdem operum, quando non concedetur Indulgentia nisi illis qui confessionem præmiserint. Tunc autem satis erit si fiat de peccatis non confessis. Quamvis enim Diploma annuntiet Indulgentiam peccatorum omnium, de quibus quis contritus fuerit et confessus, *non dicit quòd jam de novo debeat esse contritus et confessus de omnibus totâ vitâ factis.* Ita Sylvius, eâd. q. 27, art. 1. Neque tunc sufficiet communio pridiè facta; quia Indulgentiæ à primis vesperis, non à mane incipiunt; sed nec fortè sufficit confessio duobus ante communionem diebus peracta; quia juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam confessio non solet ordinari ad communionem, nisi eâdem die fiat, vel præcedenti. Ita Amort, in Quæst., q. 32, ubi hæc subdit: *Si quæ tamen personæ haberent consuetudinem in hebdomadâ bis confitendi, sæpiùs autem communicandi, crederem confessionem etiam biduo præcedentem sufficienter ordinari ad communionem.* Et id quoque non illubens credidero; sed quis in hujus momenti rebus incerta certis sciens et volens præponat?

Conclusio IV. Opus ad Indulgentiam requisitum non potest per alium poni; nec prodest nisi integrè positum.

96. Prob. prima pars, quia facere ut alius jejunet, vel preces fundat, non est jejunare vel precari. Ergo cùm bulla præcipit ut jejunes vel ores, non sufficit ut hæc per alium exequaris.

97. Aliud est si concessum sit ut quid per alium præstes, puta ut alium in tuî vicem Jerosolymam tuis impensis mittas. Item potest per alium dari eleemosyna, quæ hanc verè dat, qui de suo pauperi benefacit. Unde sicut Indulgentiæ expers est, qui pecuniam furto, vel malè partam, tribuit manu propriâ, sic et ejus particeps efficitur, qui suam largitur per famulum.

98. Prob. secunda pars, quia Indulgentia non conceditur divisibiliter pro partibus operis, sed indivisibiliter pro toto opere; sicque, ait Lugo, num. 89, differt à satisfactione sacramentali, quæ divisibiliter operatur; unde qui dimidium operis ad Indulgentiam præscripti exhibet, non lucratur dimidium Indulgentiæ, nisi hæc etiam iis concessa sit, qui certam, sed totam, operis partem implent; puta qui tali die matutinis aut vesperis intersunt. Tunc enim pars quælibet spectatur ut totum respectu operantis.

Ut solvantur nonnullæ difficultates,

99. Quæres 1° an qui opera ad Indulgentiam præscripta tempore designato exequi non potest, eadem alio tempore exequi possit.

R. non posse, si opera hæc certæ diei affixa sint, putà visitationi hujus Ecclesiæ die quartâ octobris; posse verò si certæ diei annexa non sint, ut aliquando jejunium, vel eleemosyna: tunc enim ex prudentis Confessarii dispensatione, vel commutari, vel in aliud tempus differri possunt; sic tamen ut semper Indulgentiæ præmittantur.

100. Quæres 2° an possit quis uno et eodem actu lucrari plures Indulgentias, distinctis titulis seu causis concessas; an, v. g., qui habet grana duo benedicta diversis benedictionibus, quorum cuique concessum est ut, recitatis semel litaniis, anni unius Indulgentiam præstet, duos Indulgentiæ annos lucretur, semel Litanias recitando.

R. neg. cum Suare, eâdem disp. 52, 1° quia auctâ Indulgentiâ necessum est augeri causam; præsertim cùm causa vix de se ad Indulgentiam simplicem sufficiens videtur quæ enim uni Indulgentiæ proportionata est, impar est pluribus. 2° Quia unaquæque Indulgentia postulat actum ad effectum illius applicabilem. Atqui idem actus finitus, si ad multa applicetur, minor est in singulis. 3° Quia alioqui qui duplici viâ haberet, quòd recitando coronam B. Virginis, immunis foret à Breviario, semel recitando coronam, à geminæ diei officio liberaretur, quod absurdum esse meritò advertit Lugo, ibid. n. 92.

101. Hic tamen notandum 1° ut quis plures in pluribus Ecclesiis Indulgentias lucretur, sufficere ut in singulis oret, etsi in unâ tantùm Eucharistiam recipiat. An autem sufficiat unica communio, si secunda Indulgentia non eâdem die, sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurrat, non convenit inter theologos. Affirmat Lugo, n. 93, quia confessio et communio non videntur exigi directè ad Indulgentiam, sed præsuppositivè, et ut fideles Indulgentiæ sint magis idonei. Sed ut tutior, sic verior apparet opinio negans; tum ob rationes num. præced. allatas, quæ recurrunt in præsenti; tum quia unica Lugonis probatio negari faciliùs potest, quàm admitti.

102. Notandum 2° actum unum ad Indulgentias plu-

ves sufficere. cùm eæ per aliam tertiam concessæ sunt ad modum unius; ut cùm talem Ecclesiam invisenti conceduntur omnes omnium Urbis Ecclesiarum Indulgentiæ. Sed et hìc optandum quòd causa tot et tantis Indulgentiis proportionata sit.

Quæres 3° an possit quis eodem tempore lucrari diversas Indulgentias, partiales scilicet (plenaria enim una, si integrè percipiatur, idem facit quod plures) per actus distinctos, qui eodem tempore poni valeant, an, v. g., qui *saluti* interest, et Rosarium recitat, simul et Indulgentiam quæ saluti huic annexa est, et quæ annexa est recitationi Rosarii percipiat.

103. Affirmant nonnulli, quia sicut præcepta duo impleri possunt, puta audiendæ missæ, et recitandi Officii, sic et annexa utrique actioni merces simul potest obtineri.

104. Mihi decisio hæc, nisi absurda, ut minimùm dubia videtur; 1° enim si quis audiendo missam, et simul officium suum recitando, duplicem, quæ unicuique harum actionum annexa est, Indulgentiam percipiat, eò plus quisque lucrabitur, quò minùs perfectè aget. Constat siquidem eum agere perfectiùs, ne quid ultra dicam, qui suum missæ tempus, suum et Breviario speciale assignat; 2° cùm Ecclesia iis qui missæ vel *saluti* intersunt, Indulgentiam tribuit, iis sanè qui piè et religiosè intersunt. Ergo et iis qui pias fundunt preces, seu Rosarii eæ sint, seu aliæ quas voluerint. Ergo qui per *salutis* tempus Rosarium recitat, eligit quidem è multis precibus unam, vi cujus Indulgentiam *saluti* annexam promereatur; sed nihil facit unde novam Indulgentiam lucrari possit. Ad summum ergo duplicem Indulgentiam lucrari posset, qui *saluti* huic piè simulque flexis genibus interesset. Verùm hìc occurreret duplex actio, alia hominis salutem piè audientis; alia hominis salutem flexo genu audientis.

105. Hinc colliges ad minus dubium esse num ad Indulgentiam sufficiat opus aliunde præceptum, puta recitatio Breviarii, vel adimpletio pœnitentiæ sacramentalis, cùm Indulgentia pias preces requirit. Ratio est, quia, extra particulares circumstantias, censetur Pontifex studium pietatis per opera supererogatoria promovere velle. Hinc Eugenius IV Monachis Valli soletanis Indulgentiam pro mortis articulo concessit eâ lege ut jejunarent singulis feriis sextis, et aliam diem jejunio huic constituerent, *si prædictis feriis ex præcepto Ecclesiæ, injunctâ pœnitentiâ, voto, vel aliàs jejunare teneantur.*

Si tamen aliud constet de mente Pontificis, ut in Jubilæis, ubi, ob alia quæ concurrunt opera, contentus est jejunio aliunde præscripto; vel quando neglectæ alicujus legis observantiam revocare intendit, tunc sufficeret actio jam præscripta. Sic multæ die 19, octob. 1606, Prænonstratensibus concessæ sunt Indulgentiæ, si dimidiâ horâ vacarent meditationi, matutinis de nocte adessent, etc. Vide Amort, q. 33.

106. Quæres 4° an possit quis pluries eodem die lucrari Indulgentiam iis concessam, qui quasdam certâ die ecclesias piè inviserint.

R. negat. Si sermo sit de indulgentiâ eodem titulo concessâ; unde qui in festo D. Benedicti manè invisit Ecclesiam monachorum hujus instituti, vespere autem sacras ædes monialium ejusdem ordinis, unam tantùm Indulgentiam lucratur. Si autem sermo sit de Indulgentiâ non eodem, sed duplici titulo concessâ, puta in honorem SS. Bernardi et Francisci, et quæ ad utramque præscribuntur opera, pluries iterari valeant, nihil est cur non possit quis hanc et illam unâ die lucrari. Vide quæ supra diximus, n. 89.

107. Quæres 5° num ad lucrandam Indulgentiam requiratur opus externum.

R. negat. Quandoque enim conceditur Indulgentia iis qui conscientiæ examen cum sincero contritionis actu instituunt; quandoque et iis qui in mortis articulo, si ore non possunt, corde saltem nomen Jesu invocaverint. Et verò ipsis etiam vivis, qui de Ecclesiâ benè meriti sint, aliquando citra opus ullum actuale conceditur Indulgentia, causâ scilicet et titulo remunerationis, solatii, medicinæ, etc. Ita Lugo, ibid., n. 86.

108. Quæres 6° qualis ad lucrandas Indulgentias requiratur intentio.

R. Quando Bulla determinatam intentionem requirit, puta ut oretur pro concordiâ principum, pro hæreseon extirpatione, etc., ut minimum requiri ut oratio fiat *secundùm intentionem Ecclesiæ.* Imò censet Amort, in Quæst., q. 31, generalem hanc intentionem non sufficere, sed requiri expressam, saltem virtualiter perseverantem in iis qui ejus capaces sunt; quia preces cum intentione specificâ longè validiores sunt, quàm quæ generatim funduntur. Opinio hæc, etsi rigidior, vel ex eo tenenda est, quod prodesse potest, non autem nocere; tenenda tamen absque nimiâ sollicitudine; quotidiè enim expositas Indulgentias lucrantur fideles cum generali intentione id præstandi quod optat Ecclesia, quodque quale sit in specie ut plurimùm ignorant.

CAPUT VI.

De Indulgentiarum subjecto.

1. Constat apud Catholicos omnes Indulgentias fidelibus Ecclesiæ militantis per charitatem Christo conjunctis applicari posse. Cùm enim ii et Indulgentiarum capaces sint, et Ecclesiæ jurisdictioni feliciter subsint, nihil est cur erga ipsos non exerceatur clavium usus. Tota igitur difficultas in eo est an ipsi etiam fideles defuncti per Indulgentias juvari possint, et quâ ratione; an per modum absolutionis, vel per simplicem viam suffragii, an infallibiliter, an ad merum Dei beneplacitum; quid item ad id necessum sit. Quæ ut intelligantur, nonnulla juvat prænotare.

2. Not. itaque 1° auxilium spirituale unius posse alteri prodesse septem modis; 1° nempe per modum meriti condigni; sic Christus hominum redemptionem condignè promeruit. 2° Per modum sacramenti, sic per manûs impositionem recipiunt fideles Spiritum sanctum. 3° Per modum sacrificii; sic incruenta altaris victima ab uno pro aliis offertur. 4° Per modum in-

tercessionis; sic Coloss. 1, dicit Apostolus : *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientiâ*, etc. 5° Per modum meriti de congruo, ut si quis jejunet, aut Eucharistiam sumat ad obtinendam alteris conversionem; quo sensu ait ibidem Paulus : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* 6° Per modum absolutionis, quâ ratione Indulgentiæ vivis prosunt. 7° Per modum suffragii, seu oblationis simplicis ad Deum directæ.

3. Not. 2° : duo hìc præcipuè inquiri à theologis; 1° an Indulgentiæ defunctis prosint per modum absolutionis, an per modum suffragii; 2° in quo hæc suffragii ratio consistat.

4. Sensit olim Joannes Angeli, animas in Purgatorio detentas esse de jurisdictione Papæ; quam ejus propositionem, uti cap. 2 animadvertimus, reprobavit sacra facultas Parisiensis. Ex hâc porrò doctrinâ sequebatur Indulgentias mortuis prodesse per modum absolutionis.

5. Aliunde Cajetanus et Corduba existimârunt Indulgentiam per modum absolutionis prodesse, cùm infallibiliter prodest; prodesse verò per modum suffragii, cùm applicatio ejus non parit effectum infallibilem. De his quædam nobis statuendæ conclusiones; sed tamen ut quæ jam cap. 2 dicta sunt, strictim tantùm et obiter refricemus.

Conclusio I. Indulgentiæ ipsis etiam mortuis prosunt, si in formâ earum dicatur ipsas etiam defunctis applicari posse. Propositio pertinet ad fidem, ait Sylvius, in q. 71, Suppl., art. 10.

6. Probat. 1° ex citatâ pluries Augustini regulâ, epist. 54, aliàs 118, n. 6 : *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ audaciæ est.* Atqui tota per orbem Ecclesia Indulgentiarum mortuis applicationem frequentat. Prob. min. 1° quia, ut docet S. Thomas, ibid., arg. 1, Ecclesia *facit prædicari crucem, ut aliquis Indulgentiam habeat pro se, et duabus vel tribus, et quandoque etiam decem animabus, tam vivorum quàm mortuorum;* quòd esset *deceptio, nisi mortuis prodessent.* 2° Ex constanti doctrinâ SS. pontificum; siquidem Sixtus IV, teste apud Sylvium Gabriele, declaravit Indulgentias per modum suffragii prodesse animabus in purgatorio igne detentis, cùm ad eas per Rom. Pontificem disertim extenduntur. Idem fecêre Paschalis I, Pius II, Innocentius VIII, unde Leo X, in Bullâ ad Cajetanum, legatione pontificiâ tunc defungentem (exstat hæc apud eumd. Cajetan. in 3 parte, q. 48, art. 5), sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ decernit ab omnibus tenendum, quòd Indulgentiæ per Rom. Pontificem, sive viventibus, sive defunctis concessæ, eisdem valeant ad pœnæ remissionem.

7. Prob. 2°. Ut Indulgentiæ defunctis proficere valeant, duo sufficiunt, 1° ut defuncti fideles sint nobiscum ejusdem corporis mystici membra, per fidem et charitatem coadunata. 2° Ut ejusdem corporis membra se invicem quâcumque possibili ratione adjuvare possint. Atqui certissimè constat, 1° defunctos fideles ejusdem mystici corporis nobiscum membra esse. *Neque enim*, ait Augustinus, lib. 20, de Civ. Dei, cap. 9, *piorum animæ defunctorum ab Ecclesiâ separantur... Cur enim pro eis ista fiunt*, seu offeruntur sacrificia, *nisi quia fideles, etiam defuncti, ejus membra sunt?* 2° Nec minùs constat ejusdem corporis membra alia aliis mutuò sibi opitulari posse; cùm teste Apostolo, 1 Corinth. 12, 25 : *Pro invicem sollicita sint membra;* ita ut *si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* 3° Et illud etiam constat, posse viventes defunctis applicare Indulgentias : non enim id magis repugnat, quàm repugnet viventes sua vivis aut defunctis suffragia, suas et satisfactiones applicare; quod quidem ultimum fieri posse, et de facto fieri tota docet Ecclesia, *Non est* igitur *aliqua ratio*, ait ibid. S. Thomas, *quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos, et non in mortuos.*

8. Dixi in Conclusione, *si in formâ*, etc., quia, ut benè Sylvius, licèt fidelis quilibet possit opus proprium offerre Deo per modum suffragii impetratorii, tam pro vivis, quàm pro defunctis, atque ita pro illis satisfacere; nemo tamen Indulgentiam cuipiam alteri applicare potest auctoritate propriâ, sed tantùm ex intentione concedentis; quia privatus nemo dispensator est satisfactionum Christi et sanctorum, sed is solùm cui thesauri communis dispensatio specialiter commissa est; atque hinc solus Papa Indulgentias defunctis applicabiles concedere valet, quia ad extendendum extra militantem Ecclesiam Ecclesiæ thesaurum, requiritur plenitudo potestatis clavium, quæ ad unum Christi vicarium pertinet. Ita saltem D. Thomas, hìc, q. 26, art. 3.

Conclusio II. Indulgentiæ non prosunt defunctis per modum absolutionis et judicii, sed per modum suffragii.

9. Prob. prima pars, tum quia, ut jam dictum est cap. 2, defuncti non subsunt jurisdictioni Pontificis, cùm is nec eos citare possit, nec causas eorum dijudicare; tum quia nonnisi in oves quas, Joan. 21, pascendas suscepit, auctoritatem habet. Defuncti autem non sunt ex eis ovibus, cùm Ecclesia nullum eis vitæ vel doctrinæ pabulum præbere possit.

10. Prob. secunda pars, tum ex ibid. dictis, tum quia Indulgentiæ nullâ aliâ quàm suffragii viâ defunctis communicari valent; non per viam judiciariæ absolutionis, ut ex modo dictis liquet; non per modum meriti cujuscumque aut impetrationis; cùm Indulgentia, quâ talis, nec sit meritoria, nec impetratoria. Ergo superest ut defunctis prosit *per modum suffragii satisfactorii, id est, eo modo quo suffragium satisfactorium prodest, scilicet per modum solutionis, satisfaciendo nimirùm pro illis ei pœnas ab eis debitas solvendo de satisfactionibus Christi et sanctorum, in Ecclesiæ thesauro reconditis, quæ à Pontifice offeruntur Deo in compensationem.* Ita post Navarrum Sylvius, cit. q 71, pag. 279.

11. Obj. 1° : Papa nec directè, nec indirectè defunctum ligare potest, pœnam ejus augendo, vel protra-

hendo. Ergo nec directè, nec indirectè eum solvere potest, pœnam ejus minuendo vel coarctando.

12. R. Prætermisso antecedente, nego conseq. Disparitas est quòd claves Pontifici datæ sint in favorem fidelium (unde ne unum quidem per censuras ligare potest, nisi ut huic et aliis prosit), non autem in eorum perniciem; gravis porrò contingeret pernicies animæ, cui jam terribiliter afflictæ, nova nec merita adderetur afflictio.

13. Obj. 2° : Ex communione sanctorum non sequitur Indulgentias defunctis applicari posse; hujus enim sanctorum communionis participes sunt Catechumeni. Atqui tamen non possunt Indulgentiæ Catechumenis applicari.

14 R. ad primum : Neg. ant. Ad secundum dist. Non possunt indulgentiæ Catechumenis applicari per modum absolutionis, quia non subjacent jurisdictioni Ecclesiæ, concedo; per modum suffragii, nego. Si enim pro iis utiliter orari, atque etiam sacrificium offerri potest, quidni et Indulgentiæ applicari. Adde quòd defuncti fideles plus ratione baptismalis characteris ad Ecclesiam pertinent, quàm Catechumeni.

15. Obj. 3° : Si Indulgentiæ prosint defunctis, vel directè, vel indirectè. Neutrum dici potest.

16. R. cum Gamachæo, disp. de Indulgentiis, cap. 11, tomo 3, p. 840, col. 2, B : *Indulgentias non tribui ipsis defunctis directè, sed potiùs indirectè ac mediatè per homines viventes, quibus conceditur, ut pro defunctis illas obtineant, iisque applicent, si velint; quemadmodùm et possent suas satisfactiones privatas illis communicare, unde et hoc vocatur per modum suffragii.* Idem prædocuerat S. Thomas, cit. q. 71, art. 10, ubi : *Dicendum*, inquit, *quòd Indulgentia dupliciter alicui prodesse potest. Uno modo, principaliter. Alio modo, secundariò. Principaliter quidem prodest ei qui Indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo datur Indulgentia, ut qui visitat limina alicujus sancti. Unde cùm mortui non possint facere aliquid horum pro quibus Indulgentiæ dantur, eis directè Indulgentiæ valere non possunt;* sed *secundariò et indirectè*. De cæteris objectionibus vide quæ diximus sub finem tractatûs de Purgatorio.

Conclusio III. Indulgentiæ defunctis verisimiliter prosunt, non solùm ex liberâ Dei misericordiâ, proinde ex congruo, sed ex quâdam justitiâ, proinde ex condigno (nisi aliud exigat ratio divinæ justitiæ), ità Martinon, disp. 63, n. 58, ubi in idem adducit doctores Angelicum et Seraphicum, Alensem, Suarem, etc. Est contra Estium, in 4, dist. 20, § 11, Sylvium ad q. 71, art. 1, Tournelius, pag. 293, etc.

17. Prob. 1° ex Bullâ Leonis X, ad Card. Cajetanum transmissâ, ubi dicitur : *Omnes tam vivos quàm defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, à tantâ temporali pœnâ secundùm divinam institutionem pro peccatis suis debitâ liberari, quanta concessæ et acquisitæ Indulgentiæ æquivalet.* Atqui his significat Pontifex defunctos per Indulgentiam liberari infallibiliter, si justa ac rationabilis Indulgentia veraciter acquiratur : non autem liberari, si Indulgentia hæc acceptetur pro libero Dei arbitrio; hoc enim idem esset ac dicere eos liberari si liberentur. Ergo.

18. Confirm. quòd Deus ex liberâ misericordiâ acceptat, id pro nutu acceptat vel rejicit, uti consequenter loquendo docent plures ex adversariis. Atqui fatetur ibid. Sylvius, concl. 4, Indulgentias, *positis omnibus requisitis*, prodesse *defunctis infallibiliter*, quod solidè probat, tum quia Deus alia quæ pro defunctis offeruntur, Ecclesiæ suffragia, semper acceptat, prout docet Augustinus, Enchir., cap. 110, et lib. de Curâ pro mortuis, etc., cap. 1, tum quia Indulgentias defunctis infallibiliter prodesse tradit D. Thomas, hìc, q. 25, art. 2. Ergo Indulgentiæ acceptantur quidem ex misericordiâ Dei, eo sensu quòd Deus easdem ut vivis, sic et defunctis instituerit; sed non eo sensu, quòd positâ semel hâc institutione, dubium maneat an prosint, necne.

19. Prob. 2° : Ut Indulgentiæ defunctis prosint de condigno, duo sufficiunt : 1° Ut satisfactionem divinâ justitiâ dignam exhibeant; 2° ut veri admodùm simile sit intervenisse divinam de satisfactionis hujus acceptatione promissionem. Atqui primum constat; secundum verò piè et probabiliter credi potest. Et quidem 1° nemini dubium est quin Indulgentiæ satisfactionem divinâ justitiâ dignam exhibeant; quandoquidem ipsas Christi satisfactiones complectantur; 2° tam probabiliter quàm piè credi potest intervenisse certam acceptationis hujus promissionem, in ipsâ scilicet quæ Petro facta est clavium promissione. Clavis enim, nisi errat aut inepta est, id omne solvit ad quod solvendum destinata est. Porrò non absurdè creditur datas esse Petro claves, non quidem ut defunctos absolveret, sed ut iis viventium ope per Indulgentias mederetur. Siquidem per *solvendi* potestatem non absolutio tantùm judiciaria, sed et favor omnis vi potestatis hujusce concessûs, intelligi aptissimè potest, et meliùs intelligitur, prout ex ipso Sylvio advertimus, supra, cap. 2, num. 22.

20. Et verò, ut benè Suarez, disp. 53, sect. 3, n. 4, nisi sub *solutione*, de quâ loquitur Christus, intelligeretur ipsa etiam thesauri applicatio per modum suffragii, jam Indulgentiæ nec virtute clavium, nec apostolicâ auctoritate tribuerentur pro defunctis, uti definiit Leo X, sed fieret per modum deprecationis, quomodò possunt quilibet fideles orare Deum, ut propter Christi merita purgantes animas liberet à flammis; hinc autem plurimùm decresceret Indulgentiarum dignitas.

21. Atque hinc colliges cum Martinon, ibid., n. 59, potestatem largiendi Indulgentias, non esse generatim potestatem jurisdictionis, sed cujusdam auctoritatis thesauri ecclesiastici dispensativæ, quæ circa vivos adjunctam quidem habet rationem jurisdictionis et absolutionis; circa defunctos verò, dispensationis tantùm, et solutionis factæ per modum suffragii.

22. Obj. Si Indulgentiæ ex aliquali Dei justitiâ et infallibiliter prosint defunctis, ii semper per quas-

cumque Indulgentias plenarias ab omni pœnâ solventur; unde jam pro iis orandum non erit. Absurdum consequens.

23. R. neg. seq. maj.; 1° quia ex his quæ in opinione posita sunt, non est argumentandum practicè, potissimùm in rebus unde pendet animarum pœna, vel liberatio. Fatemur porrò cum Bellarmino opinionem nostræ oppositam esse *rationabilem*, etsi nostram, quam idem uti *piam* habet, paulò verisimiliorem esse conjicimus. 2° Quia incertus est fervoris ac pietatis gradus, quo viventes Indulgentiam lucrantur, quam defunctis applicent. 3° Quia incertus quoque est gradus charitatis in quo fideles decesserint; et is tamen regula est vel esse potest gradùs Indulgentiæ quæ eis applicatur.

24. Hinc Maldonatus, tract. de Indulg., q. 6, has quorumdam altarium inscriptiones redarguit: *Qui hùc missam facit, liberat animam Purgatorii*, etc. Licèt enim sensus sit per hanc celebrationem offerri Deo pretium æquivalens toti, quæ ab hoc vel illo defuncto debetur, satisfactioni; semper tamen incertum est an pretium illud eâ quâ par est pietate offeratur. Imò et incertum est an à Deo acceptetur, quia incerta est opinio nostra.

25. Quin etsi moraliter loquendo, Indulgentiæ ex condigno prodessent defunctis, nihil absurdi foret, si regula hæc suas, pro summâ Dei sapientiâ et æquitate, restrictiones pateretur, ne quis ante tempus à totâ fermè pœnâ geminatis sacrificiis et Indulgentiis solveretur. Atque hæc exceptio iis potissimùm timenda est, qui temporali vel spirituali in proximum misericordiæ defuerunt; quod legitimè inferri potest, tum ex Parabolâ servi nequam, quem, quia in fratrem suum immisericors fuisset, *tradidit dominus tortoribus, quoad usque redderet universum debitum*, Matth. 18, 34, tum ex iis Marci 4, *in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis*. His fortè adjungi possit, quod refertur in vitâ Rabani Mauri, videlicet à Deo rejecta fuisse suffragia oblata in favorem monachi, qui vivens partem eleemosynæ pauperibus per abbatem constitutæ subtraxerat; Regnald., tomo 7, part. 2, q. 5, fol. 289. Favere possit quòd in bullâ ad Cajetan. ait Leo X, videlicèt eos quibus prosunt Indulgentiæ, à tantâ pœnâ *secundùm divinam institutionem* liberari, quanta concessæ Indulgentiæ æquivalet; hæc enim divina institutio potest quidem intelligi de effectu, infallibiliter, sed juxta gradum et mensuram à Deo constitutam, obtinendo. Sed de his quæ soli Deo nota sunt, satis hactenùs.

Conclusio. IV. Ut Indulgentiæ defunctis prosint, variæ requiruntur conditiones.

26. Prob. inductione; 1° enim requiritur ex parte concedentis, ut à summo Pontifice concessæ sint, quia ei soli tanta auctoritas concessa est. Ita Sylvius, ibid. Bellarminus, lib. 1, cap. 14, et alii, à quibus non est temerè recedendum.

27. 2° Requiritur ex parte ejusdem causa justa; hæc enim si necessaria est, cùm agitur de viventibus, qui humano foro subjacent; quantò plus requiritur quoad defunctos, qui ad forum Dei specialiter pertinent? Unde S. Thomas, in 4, dist. 45, q. 2: *Non quantam voluerit Pontifex defunctis potest concedere remissionem; sed quantam postulat ratio*, seu *causa conveniens*, ut loquitur idem S. doctor, Suppl., q. 71, a. 10; alioqui posset pro arbitrio Papa *totum evacuare Purgatorium*, quod uti ridiculum explodit Angelicus, cit. dist. 45.

28. Porrò, ut benè ubi supra Bellarminus, *non sufficit pro causâ utilitas illarum animarum, vel gloria Dei quæ redundaret ex animarum illarum liberatione: nam si ista sufficerent, Christus ipse*, pius ac misericors, *jam omnes animas liberâsset. Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, et Ecclesiæ utilitatem, sicut de Indulgentiis pro viventibus diximus; ita ut S. Pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam cujus gratiâ Indulgentiæ conceduntur, quàm executionem justitiæ quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii*. Atque hinc, meo quidem judicio, præcipuè repetendum, quòd Indulgentiæ, licèt quoad ipsos defunctos, positis omnibus ponendis, infallibiliter operari dicantur, penè semper maneant incertæ. Ecquis affatim nósse potest, an Deo *gratior* sit illarum liberatio, quàm prolixior cruciatus.

29. 3° Requiritur ex parte viventium pia operis cujuscumque ad Indulgentiam hanc præscripti executio: cùm enim, ut supra docebat S. Thomas, Indulgentiæ directè et primariò solis viventibus tribuantur, mortuis autem indirectè, non possunt hi, nisi per illorum opera adjuvari. Ergo his vel deficientibus, vel minùs religiosè positis, Indulgentia ex toto, vel ex parte deficiet.

30. 4° Ex eorumdem viventium parte requiritur ad *omninò tutius*, status gratiæ; licèt enim non desint, qui statum hunc, nisi in diplomate exprimatur, probabiliter non requiri credant cum Sylvio et Suare, disp. 53, sect. 4, n. 6; Cordubâ, etc., eò quia opus ad hujusmodi Indulgentias præscriptum, non est causa earumdem meritoria, sed solùm conditio ab iis præstanda qui Indulgentiam lucrari volunt; multò tamen probabilius est requiri statum gratiæ, saltem si sacrificium exceperis. Ratio est 1° quia opera præscripta non se habent ut conditio merè sterilis, sed ut complementum causæ finalis, ob quam conceditur Indulgentia. Ergo sicut ad Indulgentiam sibimet lucrandam requiritur status gratiæ, sic et ad eam aliis lucrandam. 2° Quia peccator non est idoneus qui Christi satisfactiones Deo in aliorum gratiam offerat. Nec obest quòd malus sacerdos possit per missæ sacrificium remissionem pœnæ obtinere aliis, non autem sibi; quia in sacrificio occurrit victima per seipsam intercedens, non in Indulgentiis. 3° Quia ex rescripto Innocentii XII, cujus meminit Tournelius, pag. 296, constat Innocentium X, Alexandrum VII, Innocentium XI, certas in mortuorum gratiam concessisse Indulgentias *utriusque sexûs fidelibus verè pœnitentibus et confessis*. Hæc autem conditio, cùm pia sit, et Indulgentiarum securitati consulat, quidni non suppleatur ubi non est expressa?

31. 5° Et id etiam ex eorumdem parte requiritur, ut injuncta opera fiant ex intentione obtinendi defuncto Indulgentiam. Alioqui enim opera hæc non essent formaliter opera Indulgentiarum, id est, nullâ ratione fierent in gratiam hujus defuncti; quod tamen in pontificiâ bullâ requiritur.

32. 6° Disputant theologi an ex parte eorum quibus applicatur Indulgentia, requiratur character baptismalis. In affirmativam propendet Suarez, ibid., n. 8, eâ præsertim ratione, quòd negent Patres sacrificium missæ pro Catechumenis offerri posse ad remittendum iis pœnam temporalem ex opere operato. Verùm alibi observavimus Patres aliquos pro Catechumenis sacrificium obtulisse, puta Ambrosium pro Valentiniano; nec absurdum quòd Indulgentiæ nullam jurisdictionem postulantis participes sint, qui non equidem ratione baptismi, sed ratione fidei et charitatis ad Ecclesiæ animam et sanctorum communionem pertinent.

33. 7° Ambigunt etiam doctores annon, ut defunctis prosit Indulgentia, necessum sit ut de congruo in vivis meruerint eam sibi prodesse. Censet enim Cajetanus, hìc, tract. 16, q. 5, Indulgentiam iis solùm defunctis prodesse, qui dùm viverent, devoti fuerunt clavibus Ecclesiæ, mortuos juvare studuerunt, et pro peccatis suis satisfacere non neglexerunt. Atque id ex eo probat, quòd juxta celebrem Augustini textum, Enchir. 109, suffragia non omnibus mortuis prosint, sed iis tantùm qui in hâc vitâ meruerunt, ut sibi prodesse possent.

34. Sententiam hanc Cajetani piam ac utilem esse dicit Bellarminus, cit. cap. 14, lib. 1, quia viventes ad bona opera excitat. Sed eam minùs veram esse, et ideò *ab omnibus passim refelli* contendit. Utique verò, inquit, Augustinus in adducto loco, nullas ex iis quæ in Purgatorio degunt animas, à suffragiis excludit; sed solùm animas reproborum, quia hi, utpote in peccato mortui, non meruerunt juvari post mortem.

35. Mihi quidem hæc Cajetani opinatio sapit plurimùm; et iis quæ superiùs n. 24, secundùm rationis, ut existimo, et justitiæ leges dixi, non parùm consonat. Neque mirum foret, si dùm reprobi, quia nihil boni meruerunt, à suffragiis omnibus excluduntur, justi à certâ suffragiorum specie excluderentur, quia id per aliqualem eorum despectum meruissent.

36. Quæres an Indulgentiæ prosint specialiter eis pro quibus in particulari suscipiuntur, an omnibus in communi.

Sensit præpositivus, de quo S. Thomas, in 4, dist. 45, q. 2, art. 4, suffragia semper prodesse defunctis in communi, eisque ampliùs qui liberationi propinquiores sunt: quo ferè pacto lucerna pro rege accensa, vel liber pro eo lectus omnibus prosunt, et quibusdam magis quàm regi. Aliter censent doctores cæteri; licèt enim fateantur, Indulgentias omnibus defunctis prodesse quoad gaudium accidentale; quia facit charitas, ut quis de alieno bono lætetur veluti de proprio; docent tamen unanimes, suffragia, proinde et Indulgentias quæ per modum suffragii mortuis proficiunt, eis solis prodesse quorum in gratiam suscipiuntur. Atque id patet 1° ex bullis pontificum, puta Paschalis I, Alexandri VI, Clementis VII, qui concessas à se Indulgentias per modum suffragii tribuunt animabus patris, matris, vel cujuscumque alterius pro quo suscipiuntur. 2° Ex sensu totius Ecclesiæ, et omnium fidelium. 3° Ex Augustino, qui lib. de curâ pro mortuis, cap. 4, scribit, Ecclesiam suffragia quædam communia transmittere ad animas defunctorum, ut quibus specialia desunt à consanguineis vel amicis, non desint aliqua à communi matre, quæ est Ecclesia. 4° Quia nihil est cur satisfactiones uni cuipiam animæ per intentionem satisfacientis applicatæ, vel ei non plus prosint quàm aliis, vel aliis ullo modo prosint. Nec oppositum probat gemina Præpositivi similitudo; neque enim Indulgentiæ, vel privata suffragia, quidpiam habent similitudinis cum lucernâ vel libro, sed cum pecuniæ summâ, quæ in unius redemptionem expensa, alium redimere non potest. Ita Bellarm., eod. c. 14.

37. Quæres 2° an verum sit omnes Indulgentias ex recenti summi Pontificis concessione posse applicari defunctis.

R. negat. cum Amort, in Quæst. practicis, ad prolixi Operis calcem, pag. 53. Id equidem optaverat illustris de Lerma, congregationis Indulgentiarum secretarius, prodieratque ab eâdem congregatione decretum in favorem (in quo quidquid penè à SS. pontificibus in gratiam piè defunctorum constitutum est, fusè recensetur; idque inter cætera annotatur, suspensis per annum Jubilæi cæteris Indulgentiis, eas tamen quæ pro defunctis sunt, integras perseverare, prout à Clemente X, die 5 maii an. 1674, declaratum est). Verùm decretum illud neque à Papâ subscriptum est, neque publicatum.

38. Quæres 3° an Indulgentiæ quæ in defunctorum gratiam concessæ sunt iis qui certam Ecclesiam piè inviserint, obtineri possint ab iis qui prædictam Ecclesiam, vel quia absunt, vel quia legitimè sunt impediti, visitare non valent.

R. negat. Ita enim quoad vivorum Indulgentias responsum est Româ, an. 1709, 1716, 1724, 1732, ut videris apud eumdem Amort, ibid. Porrò eadem est omnium Indulgentiarum ratio: unde etiam qui opus aliquod ex ignorantiâ vel oblivione prætermittit, excidit ab Indulgentiâ. Si tamen omissa pars esset quia minimi, ut in Rosario *Pater et Ave*, non nutaret Indulgentia, ex communiori theologorum sensu, cui non immeritò præsumitur congruere intentio Pontificis; cùm prudentia œconomica quæ doctores saniores regit, Pontificem ipsum dirigat. Eodem modo judicandum de jejunio, auditione sacri, etc.

CAPUT VII.

De altaribus privilegiatis.

Privilegiata dicuntur altaria, in quibus sacerdos pro defuncto celebrans, plenariam eidem Indulgentiam lucrari potest. De his variæ proponuntur quæstiones, quæ cùm multam suî partem sint facti, solâ auctoritate resolvi possunt.

1. Quæres 1° an sacerdos celebrans in altari privilegiato, non Indulgentiam tantùm, sed et missam in defuncti subsidium applicare debeat.

R. affirmat., idque extra dubium esse constat, 1° quia Indulgentia ex Rom. Pontificis intentione annexa est sacrificio prout ad hoc altare oblato; 2° quia is est communis sensus doctorum et simplicium, qui cùm missam in hujusmodi altaribus postulant, eamdem defuncto applicari intendunt. Porrò nefas fuerit hanc intentionem frustrari; 3° quia non desunt, qui ad plenam animæ à Purgatorio liberationem, fructum Indulgentiæ unà cum fructu sacrificii concùrrere velint; uti subindicat La Croix, lib. 6, part. 2, n. 518. Vide infra, q. 4.

2. Quæres 2° cui prosit missa in altari privilegiato celebrata pro defuncto, si is jam sanctus vel reprobus, ipsâ non indigeat.

R. eam vel à Deo acceptari in solamen eorum præsertim pro quibus non funduntur suffragia, uti docet D. Thomas, in 4, dist. 45, q. 3, art. 2, vel si defunctus jam regnet in cœlo, eam his applicari, de quorum salute magis est sollicitus; vel demùm, juxta tacitam petentis intentionem, ad amicos ejus, consanguineosve, aut alios indigentes devolvi. Quoniam verò hæc incerta videri possint, expedit ut qui missam petit, vel celebrat, intentionem hanc conceptè efformet.

3. Quæres 3° an missa in altari privilegiato celebrata, necessariò esse debeat de defunctis.

R. nec debere, nec semper posse celebrari de *Requiem*. Ut autem tota hujus materiæ doctrina concipi faciliùs possit, varia S. R. congregationis decreta quæ hùc spectant, referri placuit, prout habentur apud Meratium in Indice, num. 396, 430, 439 et 625.

4. Primum sic jacet : *Omnibus et singulis sacerdotibus, tam secularibus quàm regularibus cujusvis ordinis, etiam necessariò exprimendi, districtè præcipitur, ut missas privatas pro defunctis, seu de* Requiem *in duplicibus nullatenùs celebrare audeant, vel præsumant. Quòd si ex benefactorum præscripto, missæ hujusmodi celebrandæ incidant in festum duplex, tunc minimè transferantur in alium diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii, juxta mentem eorumdem benefactorum.* S. R. congregatio approbante Alexandro VII, aug. 5 an 1662, ubi notandum in hoc decreto de solis missis privatis sermonem haberi; quod ut cujuscumque dubii expers foret, prodiit die 20 nov. 1664. Decretum istud ab eodem Pontifice comprobatum : *Anniversaria et missæ cantatæ de* Requiem, *relictæ ex dispositione testatorum quotannis in die ipsorum obitûs, etiam in duplici majori contingentis, possunt celebrari, et proinde in decreto die* 5 *aug.* 1662, *edito, non comprehenduntur.*

5. Secundum sic habet : *Missæ de festo duplici celebratæ in altari pro animabus in perpetuum privilegiato... suffragantur ac si celebratæ fuissent pro defunctis (seu de* Requiem) *ut declaravit Alexander VII*, 22 *januar.* 1667. Tunc autem addenda est collecta pro defuncto, exceptis festis primæ classis; quia dubium est, quidquid dicant Navarrus, Bellarminus, etc., an sufficiat commemoratio defuncti sub solo *Memento*.

6. Tertium præcedentis extensio est, et his exponitur verbis : *Privilegium Alexandri VII die* 22 *januarii* 1667, *circa missas de festo duplici in altaribus perpetuò privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde missæ quæ ibidem de festo currenti, in quo missæ defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex solâ Fidelium devotione celebrabuntur, suffragantur; ita ut animæ Christi fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequantur in omnibus ac per omnia, perinde ac si missæ defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent.* S. R. congregatio 20 julii, annuente Clemente IX, 3 augusti 1669.

7. Quartum hæc statuit : *Declarationes Alexandri VII*, 22 *januarii* 1667, *et Clementis IX*, 23 *sept.* 1669, *circa missas defunctorum in altari pro animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licèt loquantur tantùm de festis duplicibus, tamen intelligendæ sunt etiam de diebus dominicis et infra octavas Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus, licèt à festo duplici non impediantur, adhuc tamen missæ defunctorum juxta ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenùs nimirùm missa, quas iisdem diebus celebrare licitum est, servatâ cæteroquin privilegiorum formâ ad altaria privilegiata celebrarentur.* S. R. congregatio 3 aprilis 1688, ab Innocentio XI, per breve quod incipit : *Aliàs postquàm*, 14 maii confirmatum, et denuò ab eâdem demandatum 15 septembris 1714, annuente Clemente XI, 29 ejusdem mensis. Ergo ut defunctis in altari privilegiato acquirantur Indulgentiæ, necessum non est ut in iisdem diebus impeditis celebrentur missæ de *Requiem*, sed sufficit ut iis applicetur missa de festo vel de die currenti. Idque quidquid dicere videatur Amort, p. 70, non de iis duntaxat missis verum est, quæ ex fundatione Testatorum celebrandæ essent de *Requiem*, sed de iis etiam quæ *ex solâ fidelium* viventium *devotione* pro mortuis expetuntur : unde hi, si stipendium determinatè conferant pro missâ de *Requiem*, monendi sunt eam hâc vel sequenti die, utpote impeditis, celebrari non posse, juxta declarationem num. 4 recensitam.

Sed quid juris 1° si privilegium Altari cum restrictivâ hâc clausulâ *ad dies non impeditos*, ante declarationem Alexandri VII concessum fuerit? An ei suffragabitur ejusdem Alexandri VII declaratio ita ut per missas in eo celebratas de festo currenti acquiratur Indulgentia. 2° Si sacerdos juxta diœcesis suæ ritum, Officium recitavit de duplici, et in alienâ Ecclesiâ ubi Officium de semiduplici vel de feriâ recitatum est, missam celebret in altari privilegiato; an ut privilegium defuncto acquirat, tenebitur Missam celebrare de *Requiem*, vel juxta Officium suum de Festo celebrare?

8. R. ad primum negativè, et ita teste Amort, pag.

61, declaravit S. congregatio 16 julii 1725, nec immeritò, cùm privilegium iis tantùm diebus valere possit pro quibus concessum est.

9. Ad secundum respondet Merati, in tit. 5, part. 1 Rubric., *quòd cùm ex decreto S. ejusdem congregationis, die 11 julii 1701, possit sacerdos in tali casu celebrare in alienâ Ecclesiâ missas votivas, vel de* Requiem *ad satisfaciendum suis oneribus; hinc fit quòd in prædicto casu tenetur celebrare missam de* Requiem *ut privilegium præfati altaris in quo celebrat, suffragetur defunctis pro quibus offert sacrificium: privilegium quippe Alexandri VII solummodò habet locum in illis missis de festo duplici, vel de die occurrenti celebratis, in quibus non possunt juxta rubricas et specialia decreta celebrari missæ de* Requiem. *Cùm igitur in præfato casu, et inhærendo antedicto decreto, prædictus sacerdos in alienâ Ecclesiâ celebrans, possit dicere missam de* Requiem, *ut satisfaciat suæ obligationi, et indulgentias altari privilegiato concessas pro animabus in Purgatorio existentibus acquirat, debet pro festo missam non de suo officio duplici, sed de* Requiem *celebrare. Ita etiam præscindendo à tali decreto sentit Hagerer.* Hæc illæ quæ propter auctoritatem scriptoris hujus, in Italiâ totâ celeberrimi, admiserim magis, quàm propter decretum, cui innititur, quodque hæc solùm habet apud eumdem Merati in Indice Decretorum, n. 558: *Sacerdotes etiam regulares diebus quibus propria officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in aliis Ecclesiis, quando peragitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent celebrare missas conformando se ritui et colori earumdem Ecclesiarum; in aliis verò diebus possunt, sed quando prohibentur missæ votivæ, vel defunctorum, debent se uniformare, saltem quoad colorem.*

10. Quæres 4° an qui stipem recipit ut pro defuncti animâ celebret in altari privilegiato, oneri huic satisfaciat, si in altari communi celebret, applicando defuncti animæ indulgentiam aliam pro defunctis, quam, v. g., annexam ipse habet recitationi coronæ B. Virginis.

R. negat. cum Lezanâ, Fabro et aliis; 1° quia certior est et authentica magis Indulgentia privilegiato altari per missæ celebrationem affixa, quàm quæ recitationi hujus vel illius precis, vivæ, ut plurimùm, vocis oraculo alligata est; 2° quia obtemperandum est legitimæ stipendium dantis intentioni: is porrò missam privilegiatam postulat, quam et tacitè ad minus, spondet sacerdos. Ergo.

11. Quæres 5° cùm in concessione altaris privilegiati apponi soleat clausula hæc: *Dummodò in Ecclesiâ tot*, v. g., *viginti, quindecim*, et ad minus *septem missæ quotidiè celebrentur;* an teneat concessio, si minor in eâ celebretur missarum numerus.

R. 1° ex omnium confesso perire vel suspendi privilegium, si certus missarum numerus ad ejus valorem præscribatur, tanquàm conditio; an autem ita de facto præscribatur, controverti. Negant plures apud Dianam part. 9, tract. 2, id regulariter ita esse, adeòque clausulam hanc volunt non apponi ut conditionem, quæ ad privilegii valorem necessaria sit, sed narrativè tantùm, ut innotescat Pontifici magnum esse in Ecclesiâ, cui privilegium oratur, sacerdotum numerum. Id autem suadere conantur, 1° quia in hujusmodi brevibus non idem semper exprimitur numerus sacerdotum; sed in aliis septem, in aliis quindecim, in aliis verò quadraginta. Quæ diversitas non aliunde oritur, quàm ex diversitate supplicationum, quas recenset Pontifex, cùm gratiam largitur. 2° Quia particula, *dummodò*, regulariter modum significat, non conditionem. Porrò modus actum, seu privilegium non constituit, sed eidem perfecto adjicitur. Hæc illi.

12. Aliter sentiunt plures cum Sylvio, in Resolut., parte 2, v. *Altare privilegiatum;* eique opinioni, prout multò tutiori adhærendum esse opinamur, 1° quia Sedes Apostolica privilegium de quo agitur ægrè admodùm, vixque unquàm concedit ecclesiis, quæ pauciores quàm septem diebus singulis missas habent; quod argumento est clausulam, *dummodò*, non esse narrativam modi, sed expressivam conditionis; tum quia nunquàm Fidelibus ut certa exhiberi debet gratia, cujus valor, gravium ac timoratorum judicio dubius et anceps videatur. Et verò, cùm tam facilis Romam pateat accessus, quidni interrogetur largitor gratiæ?

13. Non me fugit pluribus ex adversariis certum videri, vel, admodùm probabile, quod positâ probabili opinione, licèt, reapsè falsâ, de valore Indulgentiæ, ea nihilominùs acquiri possit, prout docet Viva, hic, q. 3, pag. mihi 585. Verùm etsi id admitti solet de eâ probabilitatis specie quæ tanta est apud cautiores theologos, ut errorem communem generet: at rejiciendum prorsùs, si de illâ intelligatur probabilitate, quæ scholas tot annos invasit, ipsumque penè divini amoris neglectum fecit probabilem.

14. R. 2° cum eodem Sylvio et aliis sanioribus communiter. Si fortuitò accidat ut unâ vel alterâ die desit missarum numerus, modò ut plurimùm et communiter occurrat, non ideò suspenditur Indulgentia; tum quia hujusmodi conditiones non physicè, sed moraliter intelliguntur, ex leg. 3, 4, 5 et 6, ff. de Legibus, tum quia ita declaravit S. congregatio an. 1707, his verbis: *Si tempore quadragesimæ vel Adventûs*, quo regulares in pagis et villis extra domum concionari solent, *desit sacerdotum numerus, suspenditur altare privilegiatum: secùs, si desit propter infirmitatem alicujus sacerdotis.* Unde meritò colligit Faber, pag. 438, suspendi privilegium, licèt missarum numerus, ut in casu mox adducto, deficiat sine culpâ rectoris Ecclesiæ. Cæterùm reviviscente post aliquod tempus numero sacerdotum reviviscit et privilegium; ita colligitur ex decreto S. congregationis 10 junii 1720. Imminuto tamen (non ad dies aliquot, vel ad certum tempus quasi accidentaliter) præscripto sacerdotum numero, extinguitur omninò privilegium ex declaratione ejusdem congregationis die 16 julii 1725.

15. Nec obest hæc juris civilis regula: *Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quominùs adimpleatur conditio, haberi debet ut adimpleta;* hæc enim ut aliæ non paucæ, fallit in pluribus; atque in his præsertim

quæ ex notâ superioris voluntate habent se ut conditiones necessariæ. Sic militarem gradum non assequitur, qui præliandi cupidine succensus, morbo distinetur domi. Sic, ne ex præsenti campo egrediamur, qui Ecclesiam præscriptam invisere nequit, expers est indulgentiæ. Quod et de eo dicendum qui gravi adstrictus peccato, ex confessarii defectu clausulam *confessis* implere non valens, actum sinceræ contritionis elicit, prout à sacrâ congregatione declaratum est 20 septemb. 1654, cujus integrum decretum refert Amort.

16. R. 3° ad valorem actualem privilegii nihil interesse an missæ per sacerdotes ecclesiæ addictos celebrentur, an per extraneos, qui illic fortuitò celebrent; quia Pontifex tot equidem missas requirit, at non requirit ut ab his vel illis celebrentur. Adde quòd pietatis est certam presbyterorum multitudinem ad ecclesiam suam accersere.

17. Fieri tamen potest ut extranei sacerdotes, quam per sacrificia sua loco procurant Indulgentiam, ipsi minimè lucrentur, si nempè domesticis tantùm sacerdotibus concessa sit. Tunc autem eam nequidem acquirerent ejusdem ordinis religiosi, tantùm hospites et advenæ; quia ut ibidem advertit Sylvius, licèt ejusdem sint instituti, imò, licèt per constitutiones suas, domorum ad quas diversantur præpositis, quamdiù ibidem degunt, obsequi debeant, non sunt tamen vera ejusdem domûs membra, sed in eâ tantùm hospites. Unde si de electione prioris agereter, non haberent jus suffragii. Concinit Pontas., v. *Indulgence.* casu 11. Nihilominùs cùm in apostolicâ concessione dicitur privilegium altaris *solis Ecclesiæ* hujus *sacerdotibus* profuturum; per eos sacerdotes non intelliguntur tantùm canonici, parochive aut convictores ejusdem Ecclesiæ, sed et alii etiam qui ei deservire solent, *ut cantores, organœdi, habentes cooperaturam, coadjutoriam, expectantiam, ac in primis beneficiati. Ita colligitur ex responso S. congregationis dato* 1713, *mense septembris;* Amort. ibid., pag. 70.

18. Subdit Faber, pag. 440, ex speciali Benedicti XIV Indulto, dato 1740, presbyterum etiam secularem, qui in aliquo ecclesiarum D. Francisci altari celebrat *pro animâ fratris aut sororis ejusdem ordinis*, eidem perinde suffragari ac si in altari privilegiato celebrâsset.

19. Quæres 6° an per privilegiorum communicationem ipsæ etiam pro defunctis Indulgentiæ et cum his altarium privilegia communicentur.

R. communicari Indulgentias pro defunctis, non autem altarium privilegia, quæ pro favore, ut aiunt, exorbitante habentur, et speciali egent concessione. Ita semel et iterùm declaravit S. congregatio apud Amort, pag. 61.

20. Quæres 7° an cùm obtinetur renovatio privilegii, pro altari cujus privilegium nondùm expiravit, valeat renovatio hæc, non obstante clausulâ : *Volentes ecclesiam N., in quâ aliud altare privilegiatum non reperitur erectum, hoc speciali dono illustrare*, etc.

R. affirm. secundùm superiùs dicta cap. 1, n. 31. Ratio est quia clausulæ hujus finis est excludere multiplex altare privilegiatum, et quidem ejusdem rationis, ab unâ eâdemque ecclesiâ. Atqui tunc non inducitur multiplex in eamdem Ecclesiam privilegium; sed solùm efficitur ne idem etiam ad tempus deficiat.

21. Quin et ex ibid. dictis, si concessum fuerit ecclesiæ altare privilegiatum pro defunctis omnibus, non obest prædicta clausula, quid aliud obtineri possit pro certo personarum genere, puta pro certi sodalitii confratribus, pro defunctis alicujus familiæ in hâc capellâ sepultis, etc.

22. Quæres 8° an altari tantùm portatili, cui sancti alicujus imago apposita sit, annecti possit privilegium de quo loquimur.

R. annecti posse; at dubium esse an de facto annectatur; quia gratiam hanc ægrè, nec statim, concessit sacra congregatio an. 1715. Unde hujusmodi privilegium oraturi, longè meliùs sibi et aliis providebunt, si hujus sui altaris conditionem candidè exponant. Vide Amort, pag. 70.

23. Quæres 9° an dirutâ ecclesiâ, vel etiam altari, concidat privilegium altaris.

R. concidere in priori casu (manente etiam altari, uti decisum esse tradit Diana) et aliquando denegari pro novâ ecclesiâ, ut patet ex responso S. congregationis an. 1710 et 1712, apud Amort, in responsis, pag. 5 et 10. Non concidere autem, si manente, solùmque reparatâ eâdem ecclesiâ, nova loco priorum altaria constituantur. Ita eadem congregatio anno 1723.

24. Quæres 10° an Indulgentiæ altaris privilegiati suspendantur in Jubilæo.

R. Non suspendi, sicut nec cæteras pro defunctis Indulgentias. Ita declarârunt Innocentius X, præsente Dianâ, et Clemens X, quorum sensui inhærere meritò præsumuntur alii pontifices. Vide Amort, ibid. pag. 71, quîcum obiter animadvertes falsum esse, quòd pio S. Rosarii sodalitio concessum fuerit altare perpetuò privilegiatum; quandoquidem illud de septennio in septennium renovari debeat, uti mense maio ann. 1729 respondit S. congregatio. Unde, inquit, *vehementer deciperetur populus, si in hâc et similibus confraternitatibus non peteretur confirmatio privilegii singulis septenniis; quia in hâc materiâ error populi non tribuit privilegium altari.*

25. Quæres 11° an privilegium altaris ad septem annos concessum, incipiat à die gratiæ concessæ, an à die factæ ejus publicationis.

R. *S. congregatio die* 18 *maii* 1711, *declaravit, non die publicationis, sed à die datæ brevis, septennii tempus incipere.* Idque à Clemente XI approbatum est.

26. Quæres 12° quid requiri soleat ut altari alicui tribuatur privilegium.

R. id nullâ certâ lege definiri posse. Communiùs tamen privilegium tribuitur ecclesiis, quæ ab ingenti peregrinorum numero piè invisuntur, aut in quibus missæ plures diebus singulis celebrantur. Constat id ex pluribus decretis quæ adducit Amort, in Responsis, etc.

27. Quæres 13° quid remedii, si ex missis ad altare

privilegiatum celebrandis, tot supersint, ut omnibus satisfieri non possit.

R. suppliciter agendum esse apud S. J. congregationem, ut missæ illæ in alio altari cum simili privilegio celebrari valeant. Atque id ann. 1710 et 1714, ab eâdem S. congregatione indultum est. Tunc tamen negatum sæpiùs altare aliud privilegiatum, etiam à secundâ novembris die usque ad Pascha. Quin et an. 1706, die decembris 11, à Clemente XI mandatum est Thianensi episcopo, ut in loco publico affigeretur tabula juxta decretum ann. 1628, à sacrâ concilii congregatione editum, sequentis tenoris : *S. congregatio concilii censuit, eleemosynas tutò accipi posse, dummodò sacrista, vel alius minister admoneat singulos qui eleemosynas offerunt, tam magno celebrandarum numero, illorumque intentioni satisfieri non posse ipsâ missarum celebratione ac sacrificii distinctâ applicatione, sed tantùm eos participes fore missarum, quæ singulis diebus in dictâ ecclesiâ celebrabuntur*, idem, ibid. pag. 14.

28. Quæres 14° cur sæpiùs defunctis applicentur plenariæ altarium indulgentiæ, cùm iis una sufficiat.

Respondet Bonacina id fieri, 1° quia fieri potest ut defectus aliquis intervenerit in concessione Indulgentiæ, ut si absque sufficienti causâ concessa sit; 2° quia contingere potest defectus ex parte accipientis Indulgentiam, unde minuatur valor ejus. 3° Quia fieri potest ut Deus Indulgentiam non acceptaverit. Quæ postrema ratio in nostrâ etiam opinione locum habere potest, ut superiùs dicta tantillùm meditanti apparebit.

29. Quæres 15° an onera perpetua et fundationes ad altaria privilegiata recipere liceat.

R. negat. : ita respondit S. congregatio die 14 decembris 1711. Amort. in Quæst., q. 20.

CAPUT VIII.

Solvuntur variæ quæstiones de Indulgentiis.

Quæstiones illas proponam sine ordine, sed non sine delectu.

1. Quæres itaque 1° an rosaria terræ sanctæ, etc., si vendantur, excidant ab Indulgentiâ.

R. affirmat. Ità definitum à sacrâ congregatione, 14 decemb. 1722.

2. Quæres 2° an cui concessum est à Pontifice, ut cum numismatibus, v. g., Indulgentias, seu, ut aiunt, *intentiones* vel *benedictiones* distribuat, suam hanc facultatem distribuendi, possit alii in toto, vel ex parte impertiri.

R. negat. 1° quia hæc tanta facultas meritò præsumitur cuipiam ob singularem ejus prudentiam concessa. 2° Quia sanxit Alexander VII, die 6 febr. 1657, ne Indulgentia Rosario vel numismatibus affixa ab unâ personâ in aliam transiret (citra speciale privilegium). 3° Quia qui contrarium opinionem tradiderat Gobatus, eamdem revocavit ob rationes Dianæ de oppositâ Romanæ Curiæ praxi testantis.

3. Unde colliges, quòd si religiosus *intentiones*, ut vocant, non distribuit, dùm ageret in vivis, non possit ejus superior eas post illius mortem distribuere; quia sic non ab eo distribuerentur, cui soli demandata est distributionis hujus facultas.

4. Quæres 3° quid sint indulgentiæ stationum, qui eas lucrari possint, et quâ conditione.

R. Indulgentias stationum iis concedi qui certas ecclesias (1) certave oratoria piè inviserint. Indulgentiæ illæ, quæ ante seculum XIII *magnam remissionem* indeterminatè spondebant, post Nicolaum IV anni unius Indulgentiam, saltem pro basilicâ Vaticanâ continent. Ad eas porrò lucrandas religiosi preces suas offerre debent *pro christianorum principum concordiâ, hæresum extirpatione, R. pontificis salute*, æternâ, simpliciter; temporali conditionatè, *ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione*. An autem in ecclesiis regularium, qui cum aliis regularibus in privilegiis communicant, stationum indulgentias lucrari valeant seculares, vel ipsis religiosis hodiéque incertum est. Negant multi, tum quia sicut per communicationem privilegiorum non communicatur favor altaris privilegiati; sic nec per eam gratia regularibus facta ad seculares transire posse videtur; tum quia ita sibi ab erudito, qui eruditos alios plures Romæ consuluerat, responsum esse scribit Gobat, part. 2, cap. 8, n. 345. Eadem erat sententia Eusebii Amort, qui opus suum an. 1735 juris fecit publici. Nihilominùs docet R. P. Felix Potestas, in examine confessariorum, tomo 1, parte 4, cap. 8, de Ministro pœnitentiæ, n. 3810, pia loca *viæ crucis*, seu *Calvarii*, si à minoritis erecta sint, prodesse ad Indulgentiam *omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs*. De quo infra.

5. Quæres 4° quæ sint annotanda circa Indulgentiam portiunculæ.

R. hæc notatu digna esse; 1° Indulgentiam hanc ab Honorio III concessam esse an. 1221; 2° eam ab initio affixam esse rurali prope Assisium capellæ, dictæ *de Angelis;* idque ad annum usquè 1480 undè iis etiam D. Francisci religiosis vel monialibus, qui Indulgentiam hanc consequi intenderent, prædictam ad capellam eundum erat ad diem 2 augusti. 3° Hanc à Sixto IV et aliis subindè pontificibus sic extensam, ut qui vel quæ in ordine Seraphici Patris clausulam servarent, eamdem in ecclesiis suis lucrari possent. 4° Eamdem PP. Capucinis à Paulo V, ad decennium, subindè à Gregorio XV, an. 1622, in perpetuum concessam fuisse; prout et an. 1643 ab Urbano VIII ad ecclesias tertii ordinis S. Francisci propagata est;

(1) Ecclesiæ illæ in urbe Româ sunt septem, nimirùm patriarchales quinque, videlicet S. Pauli intra muros, quæ Alexandrino patriarchæ; S. Mariæ Majoris, quæ Antiocheno; S. Laurentii extra muros, quæ Jerosolymitano; S. Petri, quæ Constantinopolitano, si quando Romam ob negotia adventarent, assignatæ erant; et Lateranensis, seu Salvatoris, quæ omnium ecclesiarum mundi antiquissima dicitur, et Rom. Pontifici, totius Occidentis patriarchæ adscripta est. Quia verò in harumce ecclesiarum visitatione transeundum erat per duas alias basilicas impendio celebres, videlicet SS. Fabiani et Sebastiani, ubi est innumerorum martyrum cœmeterium, et S. Crucis, ubi pars sanctæ crucis asservatur maxima; ideò invaluit usus ut hæ duæ ecclesiæ cum aliis quinque inviserentur.

undè deducit Gobat Indulgentiam hanc non competere omnibus Minorum ecclesiis per privilegiorum communicationem. 5° Indulgentiam illam non posse pluries eâdem die acquiri, prout ex dictis, atque è pluribus S. congregationis declarationibus generatim constat. 6° Ad eam extra Assisium (1) lucrandam requiri confessionem, communionem, visitationem ecclesiæ, et orationem juxta tres consuetas intentiones. Dico *extra Assisium*, quia Assisii communionem requiri negat Rodriguez, tomo 1, q. 55, a. 18. 7° Eamdem tempore Jubilæi non suspendi in ipsâ B. Mariæ de Angelis ecclesiâ, sed cæterarum instar in cæteris ordinis Seraphici ecclesiis suspendi. 8° Eam in eâdem S. Mariæ Angelorum ecclesiâ quotidianam esse, seu quotidiè acquiri posse, ex Indulto Innocentii XII 28 Augusti 1695. 9° In aliis ejusdem instituti ecclesiis posse ipsam bis comparari, semel pro vivis, semel et pro defunctis, iteratâ ecclesiarum visitatione, prout à concilii congregatione an. 1700 et 1723 declaratum est. 10° Si fortè possit quis Indulgentiam Assisiensem lucrari per alium qui ecclesiam hanc suo nomine invisat, quod asserit auctor *Portiunculæ theologicæ*, et alii negant non posse hanc intermedio hoc modo in aliis Minorum ecclesiis certò percipi; undè id cùm ad minùs valdè incertum sit, non est populis prædicandum, inquit Amort, ibid., q. 44. Nec obest quòd portiunculæ Indulgentia an. 1622 Minorum ecclesiis communicata sit; quia aliud est communicari Indulgentiam, aliud communicari privilegia eidem annexa; sic Jubilæi tempore non suspenditur Assisii, quæ tamen ubivis locorum suspenditur indulgentia. 11° Et id notandum, Indulgentiam hanc profanis esse ludibrio, indevotis cuidam despectui, verè piis pretiosam et perpetuò salubrem, prout B. Franciscus prædixerat, et eventu comprobatur.

6. Quæres 5° quid advertendum circa Indulgentias reales, id est, certis rebus affixas, puta numismatibus, rosariis, granis, aliisque hujusmodi.

R. 1° constitutum esse ab Alexandro VII, die 6 februarii 1657, ut Indulgentiæ coronis, imaginibus, et aliis id genus concessæ, *non transeant personam illorum qui ea de facto obtinent; neque commoduri, aut etiam precariò dari possint; alioquin careant Indulgentiis concessis.* Insuper ut *alicui ex rebus præmissis perditæ altera pro eâ subrogari nullo modo possit*, nisi id expressè concessum sit.

7. 2° Indulgentias non solere concedi *medallis* beatorum, sed sanctorum duntaxat; non referre tamen si ex parte unâ sit beati effigies, modò in alterâ sit effigies sancti alicujus, prout an. 1710, declaravit S. J. congregatio.

8. 3° Ad hujus Indulgentiæ assecutionem aliquandò requiri ut quis rem secum deferat; aliquandò tantùm ut eam domi decenter asservet. Unde inspiciendus concessionis tenor.

(1) Id est, extra ecclesiam B. M. de Angelis, quod notandum, quia conventuales S. Francisci in civitate Assisiensi Indulgentiam et ipsi quotidianam habent ex brevi Innocentii XIV *Commissa nobis* Ita P. Felix Potestas, num. 3798.

9. 4° Fractâ re, sic ut in æstimatione morali non eadem sit quæ priùs, perire Indulgentiam. Idem est si res deperdatur, de quo jam supra, cap. 1, n. 39. In dubio an res moraliter destructa sit, non potest jam proponi Indulgentia, nisi ut dubia.

10. 5° Dubitari posse an uni eidemque rosario plures applicari possint Indulgentiæ, stantibus decretis quæ hodiè Indulgentias plenarias non concedunt ecclesiis, nisi sub hâc clausulâ : *Si alia indulgentia concessa fuerit, præsentes nullæ sint.* Si enim ne ipsis quidem ecclesiis multiplex conceditur Indulgentia, an concedetur privatis?

11. 6° Iisdem rebus venditis aut commodatis, perire in priori casu Indulgentiam, non prodesse in posteriori. Ita pluries definitum à S. congregatione.

12. 7° Rosarii nomine in bullis Pauli V, Gregorii XV et Urbani VIII, teste Gobatio, intelligi Psalterium B. Virginis, seu 150 salutationes Angelicas cum 15 orationibus Dominicis; per coronam Christi 33 *Pater* et *Ave;* per coronam Dominæ nostræ, 72 *Ave* cum 7 *Pater*, etc. Quanquàm cùm postremi pontifices coronis ac rosariis Indulgentias tribuunt, videntur nomina hæc populari quam nunc habent significatione intelligere.

13. 8° Concessas prædictis ab Innocentio XI, Alexandro VIII et Innocentio XII, Indulgentias, esse sequentes : Qui semel in hebdomadâ recitant coronam Domini ex 33 *Pater et Ave* constantem; aut coronam B. M. Virginis, ex 63 *Ave*, interjectis septem *Pater*; aut tertiam Rosarii partem; aut officium B. Virginis, vel defunctorum; hi quotiescumque communicant in primariis anni Festivitatibus, videlicet Natalis Domini Epiphaniæ, Assensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. M., Nativitatis S. Joannis B., in Festis duodecim Apostolorum, ac in solemnitate Sanctorum omnium, ac denique in articulo mortis, invocato SS. Jesu nomine, præmissis, si fieri potest, confessione, et communione, plenariam lucrantur Indulgentiam, quam et defunctis applicare valent.

14. 9° Numismata hæc quotidiè à Papâ pos' missam benedici solere, et quidem quot quis, etiam plura numero millia obtulerit.

Quæres 6° quid advertendum sit circa regularium Indulgentias.

15. Respondet Amort, q. 50, pag. 71, 1° Indulgentias omnes quæ antea regularibus directè concessæ fuerant à Paulo V, per bullam *Rom. Pontifex*, an. 1606, revocatas fuisse, neque subinde revalidatas esse, ut patet ex propositionis hujus censurâ : *Indulgentiæ concessæ regularibus, et revocatæ à Paulo V, hodiè sunt revalidatæ.*

16. 2° In revocatione hâc eas solùm Indulgentias contineri, quæ utriusque sexûs regularibus directè concessæ erant; non autem quæ ipsis etiam secularibus communes sunt, ut sunt Indulgentiæ Jubilæorum; aut quæ ad seculares solos pertinent, quales sunt quæ in certis sanctorum ordinis festivitatibus

concessæ sunt parentibus, cognatis, famulisve religiosorum.

17. 3° Indulgentias ordini uni vel monasterio concessas tunc solùm ab ordinibus aliis per communicationem participari, quando monasterio vel ordini quatenùs parti statûs religiosi directè vel immediatè concessæ sunt; non item si eidem concessæ sint relativè ad seculares. Sic concessa uni monasterio per triduum Bacchanalium Indulgentia, ut populus ab hujus temporis impietate retrahatur, nedum ordinibus aliis, sed nec aliis ejusdem instituti domibus communicatur : Alioqui infinita esset *in œconomiâ indulgentiali confusio*. Idem.

18. 4° In generali Indulgentiarum unius ordinis ad alium communicatione non comprehendi eas quæ cùm soleant difficillimè concedi, ob specialia merita huic vel illi ordini concessæ fuisse præsumi debent. Sanè absurdum fuerit, ut quæ profusi in Ecclesiam laboris merces sunt et remuneratio, iis etiam qui de Ecclesiâ nihil benè, quin et aliquando malè merentur, citra delectum et examen applicanda venirent. Unde sequitur in dubio an extraordinaria quædam Indulgentia huic instituto vel domui, tanquàm gratia singularis, concessa fuerit, extensionem ad alios ordines dubiam esse; adeòque ex decreto *de Indulgentiis dubiis*, non posse promulgari. Idem pari de causâ de aliis privilegiis dicendum. Unde si verum sit istud ejusdem scriptoris : *Nunquàm aut rarò possumus esse certi an non intercedat in concessione Indulgentiæ factæ uni ordini prorsùs speciale motivum, quo non exstante in aliis ordinibus, indulgentia non censeatur extendi ad alios ordines per generalem communicationem;* multam sui partem corruet summa illa privilegiorum et Indulgentiarum communicatio, cui tantoperè innituntur plerique regulares.

5° Non ita abstulit Paulus V erogatas regularibus indulgentias, ut omnes demerit; imò certiores istas benignè largitus est, apud Amort., part. 1, sect. 5, pag. 169.

19. 1° Plenariam cuicumque fideli christiano suscipienti habitum religionis approbatæ cum intentione profitendi, modo habitum contritus, confessus et sacrâ communione refectus suscipiat.

20. 2° Plenariam cuilibet novitio, qui pœnitens, confessus et sacrâ communione refectus, completo probationis anno, vota solemnia emiserit.

21. 3° Plenariam cuilibet religioso, qui in principali festo ordinis sui contritus, confessus et Eucharistiâ refectus, oraverit pro Ecclesiæ exaltatione.

22. 4° Plenariam cuilibet religioso sacerdoti primam missam celebranti, et omnibus aliis religiosis, qui, sacrâ refecti Eucharistiâ, missæ eidem interfuerint, aut ipso die missam similiter celebraverunt.

23. 5° Plenariam cuilibet religiose, qui pœnitens, confessus, ac sacrâ communione refectus, nomen Jesu ore, si potuerit, sin saltem corde devote invocaverit in articulo mortis.

24. 6° Plenariam iis *qui de suorum superiorum licentiâ, à negotiis per decem dies alieni in cellâ commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, at aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem inducentium, lectionibus operam suam dederint; addendo sæpè consideraliones et meditationes mysteriorum fidei, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis D. N. J. C. et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem, orationibus mentalibus se exercendo, adjunctis etiam confessione, communione, aut celebratione sacri, quoties hoc exercitium peregerint.* Hæc exercitia pro Minoribus ad octo dies ab Alexandro VII, die 14 junii 1659 restricta fuêre.

25. 7° Religiosi intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, et devotè coram venerabili sacramento oraverint pro exaltione Ecclesiæ, etc., consequentur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis et extra Urbem, diebus stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesia personaliter visitàssent.

26. 8° Quilibet religiosus claustraliter vivens, et devotè recitans quinies *Pater et Ave*, coram venerabili sacramento ecclesiæ suæ, *in quolibet die quinque annos et totidem quadragenas* lucratur.

27. 9° Easdem Indulgentias lucratur religiosus, qui de superiorum licentiâ extra claustrum existens, seu in itinere, seu alibi degens tanquàm prædicator et lector, eadem coram cujuscumque ecclesiæ altari præstiterit.

28. 10° Quilibet religiosus qui *per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerit, ac confessus, et sacrâ communione, ultimâ Dominicâ mensis hujusmodi refectus fuerit, sexaginta annos* Indulgentiarum, *et totidem quadragenas* percipiet.

29. 11° Religiosi, *qui contrito corde et pœnitentes*, culpas suas et *peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, exercitium virtutum facient, tres annos* lucrabuntur *et totidem quadragenas.*

30. 12° Religiosi à Papâ, vel à legitimo superiore missi ad terras infidelium vel hæreticorum, Evangelii prædicandi causâ, contriti, confessi et Eucharistiâ refecti, plenariam Indulgentiam bis lucrantur, *videlicet quando se itineri ascingunt*, seu in egressu conventûs sui, *et quando provinciam*, id est, missionis suæ locum *ingressi fuerint.*

31. 13° Lucrantur et plenariam, *qui spatio saltem duarum horarum in diverso tempore interfuerint orationibus quadraginta horarum, quas superior in visitatione generali ordinaverit, si pœnitentes, confessi et communione refecti*, pro finibus consuetis, *et pro disciplinæ regularis augmento oraverint.*

32. *Hæ Indulgentiæ*, subdit idem Pontifex, *etiam suffragantur monialibus perpetuam clausuram servantibus. Omnes autem et singulas Indulgentias quibuscumque ordinibus et institutis regularibus, etiam Mendicantibus, tam vigore litterarum apostolicarum, quàm vivæ*

vocis vraculo, aut aliàs quovis modo per quoscumque Romanos pontifices concessas, confirmatas et innovatas, revocamus. Datum Romæ, 23 *maii* 1606.

33. Negat tamen Amort., cit. q. 50, per hæc postrema verba revocatum esse, tum privilegium communicandi in Indulgentiis cum aliis ordinibus, an. 1519, quibusdam Mendicantium ordinibus concessum; tum privilegium facultatis lucrandi in propriâ ecclesiâ Indulgentias ecclesiarum ejusdem civitatis, Lateranensibus canonicis indultum. Ratio ejus est, quòd *privilegium hoc non sit Indulgentia, sed privilegium versans circa Indulgentiam.*

34. Utut est (fortè privilegium istud nonnullis videbitur esse virtualis quædam Indulgentiæ concessio) sunt et aliæ Indulgentiæ quas lucrari possunt regulares, puta quæ variis confraternitatibus et ecclesiis concessæ sunt, modò ad eas præscripta, sicut et alii observaverint; sed et dubio procul earum capaces sunt, quæ fidelibus aut ecclesiæ ministris in communi tribuuntur. Harum nonnullas expendere juvat. Unde

35. Quæres 7° quid juris de Indulgentiâ pro defectibus in Breviarii recitatione commissis.

R. Indulgentiam hanc, per quam Leo X *orationem* Sacrosanctæ, etc., *devotè post officium recitantibus defectus et culpas in eo persolvendo ex humanâ fragilitate contractas indulsit*, nonnullis suspectam videri, eò quia is loquendi modus *culpas indulsit*, in authenticis pontificum Indulgentiis sit insolitus. Sed cùm Indulgentia hæc Breviariis jussu Urbani VIII, *per aliquot eruditos et sapientes viros* recognitis præfixa sit, nihil est cur authenticitas ejus in suspicionem veniat. Nec desunt bullæ quæ peccatorum remissionem spondent, ut ex passim dictis liquet. Unde hìc, ut in illis, per culpas intelligi debent pœnæ culpis debitæ, sumptâ causâ pro effectu. Porrò per culpas ex humanâ fragilitate commissas intelliguntur solùm eæ veniales, quæ nonnihil irreverentiæ habent, quales sunt, ait post Gobatium Amort., *deproperatio, distractio* brevis *voluntaria, vana gloria de amœnitate vocis, indignatio propter muscam*, etc. Subdunt iidem, ut Indulgentia hæc percipiatur, satis esse si prædicta oratio post totum officium, imò si duabus aut tribus horis post completorium recitetur; etiamsi completorio subnexum sit matutinum diei sequentis. His absolutè reniti nolim. Solent tamen melioris notæ sacerdotes orationem hanc post matutinum et laudes, post minores horas, ac demùm post vesperas et completorium exsolvere. Nec timendum ne pluries per diem acquiratur Indulgentia; timendum ne quotidiana exercitatio sæpiùs fastidium et inattentionem redolens, prohibeat ne vel semel comparetur.

Quæres 8° quæ sint Indulgentiæ fidelibus omnibus communes, et quid circa illas observandum.

36. R. 1° nec tutum esse, nec consultum varias fidelibus Indulgentias ex hujusmodi gratiarum compilatoribus exscriptas proponere; quia fallunt plerumque vel falluntur. Hinc decretum de apocryphis Indulgentiis ab Innocentio XI approbatum, et *inviolanter servari* jussum, die 7 martii 1678.

37. R. 2° constare de sequentibus Indulgentiis 1° qui libet fidelis confessus divino assistens officio in festivitate Corporis Christi, percipit Indulgentiam 400 dierum, si missæ; 400, si matutinis; 400, si vesperis; 160, si cuilibet ex horis minoribus intersit. Infra octavam verò, mediam ejusdem Indulgentiæ partem lucratur, si iisdem intersit officiis; proinde Indulgentiam 200 dierum, si missæ, matutinis, aut vesperis; 80 verò, si minoribus horis assistat.

38. Eamdem concessit Sixtus IV iis qui divinis officiis in festo et per octavam immaculatæ Conceptionis intersunt in ecclesiis Minorum.

39. Sed et pares concessit Clemens VIII iis qui officio SS. Nominis Jesu assistunt, et pro finibus consuetis devotè precantur.

40. 2° *Qui hoc modo salutaverint alios, nempe suo vulgari seu Latino sermone:* Laudetur Jesus-Christus; *et qui sic responderint:* In secula, *vel* amen, *aut* semper, *utrisque tam salutantibus, quàm respondentibus, ubicumque id factum fuerit*, Indulgentiam 100 dierum concessit Sixtus V, quam 22 januarii, an 1728, renovavit Benedictus XIII; uterque verò *iis* qui per vitam *præfata agere consuevcrint, si in articulo mortis constituti, et ore, vel si non potuerint, saltem corde SS. nomen Jesu et Mariæ invocaverint, insuper plenariam Indulgentiam adjecit.* Sed et uterque *easdem Indulgentias tribuit prædicatoribus, qui inter prædicandum hortati fuerint, ut modo supra exposito SS. nomen Jesu laudantes, se invicem salutent, et idem nomen Jesu et Mariæ invocent, cæterisque omnibus qui hanc salutationis formam usui esse curaverint.*

41. 3° Ex eodem Sixti IV indulto, qui devotè recitaverint litanias SS. Nominis Jesu, trecentos; qui autem litanias Deiparæ ducentos dies Indulgentiæ lucrantur.

42. 4° Qui facem deferunt, cùm ad infirmos portatur viaticum, lucrantur Indulgentiam septem annorum, et totidem quadragenarum, ex Indulto Innocentii XII, die 5 januarii 1695. Qui verò sine lumine sacrosanctum viaticum comitantur, annorum quinque, et quadragenarum totidem Indulgentiam percipiunt. Sed qui legitimè impediti facem per alium deferri curant, Indulgentiam annorum trium, triumque quadragenarum sibi comparant, ex eodem indulto, indultum Innocentii XI, 1 octobris 1688 ampliante.

43. 5° Qui devotè publicis quadraginta horarum precibus intersunt, et coram venerabili Sacramento orant per horæ unius spatium, lucrantur Indulgentiam trium annorum. Si interfuerint processioni cathedralis, quæ in principio vel fine hujusmodi precum instituitur, decem annorum; si verò aliarum ecclesiarum processionibus adstiterint, annorum quinque Indulgentiam percipiunt. Item frequentiùs piis earumdem 40 horarum exercitiis præsentes, contriti, confessi, et sacrâ communione refecti, plenariam omnium peccatorum remissionem obtinent, ex indulto Gregorii XIII, die 5 april. 1580.

44. 6° Qui ad campanæ pulsum devotè ac flexis genibus, mane, meridie et vespere recitaverint *Angelus Domini*, contriti, confessi, et sacrâ communione refecti, in uno cujuslibet mensis die ad placitum eligendo, plenariam Indulgentiam; in reliquis autem diebus, singulis vicibus dierum centum Indulgentiam lucrantur, ex indulto Benedicti XIII, 14 septembris 1724 (Idem Pontifex 5 decem. 1727, regularibus per litteras in formâ brevis concessit, ut si quo tempore pulsatur campana, rebus ad regularem observantiam pertinentibus impediti sint, eamdem lucrentur Indulgentiam, cùm sublato impedimento eamdem precem flexo genu recitabunt). Gratiam hanc confirmavit die 20 aprilis 1742, Benedictus XIV, et addidit posse paschali tempore loco *Angelus* recitari Antiphonam *Regina cœli*, cum versu et oratione. Vide num. 46.

Duo hìc exsurgunt dubia, 1° an salutatio Angelica ipso etiam paschali tempore flexo genu ad Indulgentiam recitari debeat; 2° an item ei addenda sit strophe ultima *Sancta Maria Mater Dei*.

45. Ad primum negativè respondet Amort, q. 52, pag. 74, 1° quia non ea fuit intentio Pontificis ut ritum induceret novum, veteri qui admodùm antiquus est et laudabilis abrogato. Porrò ritum standi ad preces tempore paschali perantiquum esse patet ex Nicæno concilio can. 29, ubi hæc: *Quoniam sunt quidam in die dominico genua flectentes, et in diebus Pentecostes, ut omnia in diversis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio à Paschate usque ad octavam Pentecostes, stantes Domino vota persolvere, vel Deo orationes effundere.* Idem diù ante observaverat Tertullianus; 2° quia Benedictus XIII, exigendo ut oratio hæc flexo poplite recitaretur, iisdem usus est verbis, quibus Joannes XXII usus erat, dùm eamdem orationi huic Indulgentiam alligavit. Atqui bulla Joannis XXII nusquàm in Italiâ sic intellecta est, ut oratio prædicta paschali tempore vel dominicis diebus flexo genu persolvenda esset; ut constat ex Romanis scriptoribus, qui omnes cum Angelo Rochâ ordinis S. Augustini docuerunt quòd *salutatio Angelica tribus vicibus recitari solet, genibus quidem flexis, Paschatis, Resurrectionis et Pentecostes diebus exceptis, atque item Dominicis, et vespere sabbati totius anni*, etc.

46. Quia tamen genuflexionem expressè requirunt prædicti pontifices, eaque res est facilis aleæ, satius cum Sorbonistis quibusdam verè piis credideram adnærendum esse litteræ bullarum, ubi id non incommodè fieri potest; præsertim quia in Carmelitarum cæremoniali præscribitur ut *ad pulsationem Angelicæ salutationis, fratres, etiam tempore paschali, genu flectant, exceptis dominicis diebus à primis vesperis, in quibus non genu flectent, sed stabunt.* Verùm qui Indulgentiam hanc confirmavit an. 1742, Benedictus XIV voluit 1° ut precatio illa à vesperis cujuslibet sabbati usque ad dominicam totam sequentem à stantibus recitaretur; 2° ut tempore paschali loco *Angelus*, diceretur, etiam stando, antiphona, *Regina cœli, lætare*, cum versiculo et oratione respondente, *Deus, qui per resurrectionem*; ita tamen ut qui antiphonam hanc memoriter nesciverint, eamdem ex recitatione orationis *Angelus* Indulgentiam percipiant. Idem Pontifex die 23 decembris 1740, *omnibus et singulis Christi fidelibus, qui singulis feriis sextis totius anni horâ tertiâ post meridiem ad sonum campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, cathedralium, parochialium* (*quarum*, inquit, *parochis, rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis superioribus, ut campanam uniuscujusque ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, et in virtute sanctæ obedientiæ mandamus*), flexis genibus quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam devotè recitaverint, et oraverint, ac pro christianorum principum concordiâ, hæresum extirpatione ac sanctæ Matris exaltatione, necnon salutari perditorum hominum emendatione, pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in *formâ Ecclesiæ consuetâ*, relaxavit. Vide Theodor. à Sp. S., tomo 2, de Indulg., p. 189, edit. in fol.

47. Ad secundum respondet idem, Indulgentiam iis etiam accrescere, qui versum, *Sancta Maria*, etc., omittunt, juxta morem patrium, prout saltem Navarri tempore, in magnâ Belgii parte, et ante annos 140, in Augustanis Germaniæ Breviariis, teste ibid. Amort., omittebatur. Idem de iis est qui ultima hæc, magni tamen et pii momenti verba: *Nunc et in horâ mortis nostræ*, prætermittunt, prout docente eodem Navarro à Belgii et Hispaniæ laicis omitti solent. Huic decisioni non illubens accessero; quia conditiones ad Indulgentias præscriptæ juxta morem locorum intelligi debent, innumeris alioqui nusquàm profuturæ. Valent profectò ad Jubilæorum gratiam jejunia, prout in Gallià et Germanis observantur; neque in his tamen à butyro et lacticiniis abstinetur, ut fit in aliis locis.

48. En præcipuas Indulgentias, quæ fidelibus universis obviæ sunt, et quibus adjungi possint quæ crebrò in amplis urbibus hinc et inde proponuntur. *Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Venite, emite absque argento et absque ullâ commutatione vinum et lac*, Isaiæ 55. Sed heu! quot, ferreâ hâc virtuti ætate, Indulgentias nesciunt, quot stolidè despicantur! quot vel ex ipso clero risum moveas, si his in itinere tenerrimam hanc et pietatis plenam salutem exhibeas: *Laudetur Jesus Christus!* quam tamen nos olim in Germaniæ littoribus frequentissimam exsultanti animo vidimus. Doceant hanc praxim populos suos rurales parochi, tum è suggestu, tum et præcipuè exemplo; erit procul dubio ut cum tempore germinet atque coalescat. Hanc ego, auspice te, piissime Jesu, docebo pro viribus, nec plebeculam tantùm, quæ docilior esse solet, sed et, si potis erit, magnates ipsos; persuasus videlicet, neque præter nomen tuum esse nomen aliud in quo nos oporteat salvos fieri, neque illud satis unquàm invocatum iri.

49. Quæres 9° quid annotari oporteat circa Indulgentias confraternitatum.

R. Tria hæc potissimùm: 1° adscriptos sodalitiis hujusmodi non teneri sub peccato preces in iis deno-

tatas recitare; *quod quidem*, ait Navarrus in Miscellaneis, n. 8 et 14, *providè factum est ad tollendos scrupulos, quibus multi omittentium* (præsertim ex negligentiâ, ibid.) *anguntur*. 2° Eos die, hebdomadâ, vel mense, quibus hæc omiserint, alienos esse ab Indulgentiâ, quam aliàs lucrati essent. Sic altare privilegiatum suo frustratur effectu, cùm desunt requisitæ ad eum conditiones, quibus denuò positis reviviscit idem effectus. 3° Non posse unam confraternitatem alteri aggregari cum participatione Indulgentiarum ejus, uti semel et iterùm respondet S. congregatio.

Quæres 10° quid statuendum de Indulgentiâ in articulo mortis.

50. R. 1° articulum mortis esse unum illud vel multiplex temporis punctum in quo cuipiam impendet proximum mortis discrimen, seu ex morbo, seu à casu, puta naufragio, pugnâ imminenti, etc.

51. 2° Dubium esse inter theologos an Indulgentia hæc prosit in articulo mortis probabiliter *præsumptæ*, an tantùm in articulo *veræ* mortis. Sunt qui eam in articulo tantùm veræ mortis valere credant, cum Navarro; sunt et qui eam valere opinentur, quoties mors probabiliter imminet; tum quia hæc intentio ex parte Pontificis plus rationi congruit quàm opposita, adeòque *legalis* est et vera; tum quia durum est quòd æger qui omnia ad hujus Indulgentiæ fructum accuratè implevit, eodem orbatus maneat; tum quia non decet ut gratia hæc primâ vice extinguantur (prout censent alii) quia Pontificis mens est ut fidelis ex hâc vitâ mundus discedat. Quia tamen responsio hæc non est certa, suadet Navarrus, ut qui plures habet hujus generis Indulgentias; aliam in articulo mortis præsumptæ, aliam in articulo veræ mortis applicare nitatur.

52. 3° Episcopos non posse aliis delegare facultatem largiendæ *agonizantibus* Indulgentiæ pro articulo mortis, juxta responsum S. congregationis, an. 1710. Fuit tamen episcopo cuidam concessa facultas Indulgentiam hanc, seu monialibus per earum directorem, seu aliis nocturno tempore per confessarium applicandi.

53. 4° Prædictam Indulgentiam non suspendi tempore Jubilæi, prout contra Layman, Tannerum et alios quosdam docet Viva hìc, q. 4, tum ex declaratione Urbani VIII, tum quia in generali dispositione non veniunt quæ quis non esset in specie comprehensurus. Absit autem ut pii Pontifices hominem in extremo agone positum, tantâ gratiâ privatum voluerint, præsertim si Indulgentiæ Jubilæi percipiendæ incapax sit.

54. 5° Indulgentiam hanc non prodesse iis confraternitatum sociis qui vel ab eis propriâ sponte discesserunt, vel ob discolos mores ejecti fuêre; vel cùm iis inscripti sunt, non habuerunt seriam earum statuta implendi voluntatem.

55. 6° Indulgentiam hanc eò plus prodesse, quò seriùs applicatur; quia cùm per eam commissa tantùm, non verò futura peccata dimittantur, fieri potest ut eâ susceptâ quis venialiter ante mortem peccet, et sic novis pœnis obnoxius fiat. Et id notandum à confessariis.

56. 7° Indulgentiam hanc rarò prodesse, seu propter inadvertentiam moribundi, seu propter confessarii imperitiam.

Et quidem ex moribundi parte necessum est, ut conditiones ad Indulgentiam hanc præscriptas observet sedulò. Sunt autem eæ, 1° ut confessarium seligat Indulgentiam hanc sibi applicaturum; 2° ut peccata sua ore confiteatur, et corde detestetur; 3° ut ad minus voluntatem hæc faciendi declaraverit verbis, aut saltem, quæ D. Antonini opinio est, eam animo sincerè conceperit. Siquidem, teste Rodriguez, q. 88, art. 2, declaravit Gregorius XIII, sufficere confessionem et communionem in voto, quoad eos qui neutrius in actu exercito capaces erunt. Favet praxis recentiorum pontificum, qui ægris, corde, si ore non possunt, nomen Jesu invocantibus, plenariam tribuunt Indulgentiam, quando confiteri, et Eucharistiâ refici non valent.

57. Ex parte confessarii requitur ut Indulgentiam applicet, quod his verbis fieri consuevit: *Auctoritate Sedis Apostolicæ mihi pro nunc commissâ, concedo tibi plenariam remissionem peccatorum tuorum, de quibus es contritus et confessus, exceptis his quæ in confidentiâ hujus indulti commisisti*. Haud tamen, ex communiori opinione, nutaret Indulgentia, si demerentur hæ voces, *exceptis his*, etc. Imò idonea et sufficiens videtur formula quæcumque Indulgentiam satis declarans, qualis ista fuerit: *Concedo tibi Indulgentiam plenariam in hâc bullâ contentam*. Quòd si ægrum, re integrâ, in phrænesim rapi contingat, poterit nihilominùs applicari Indulgentia, si hanc ejus intentionem fuisse ex præteritâ ipsius agendi ratione conjici possit. Ita fermè R. P. Honoratus à S. Mariâ, ubi confessarios monet ut à moribundis sciscitentur, annon ratione alicujus confraternitatis, vel aliunde, aliquo hujusce generis privilegio insigniti sint.

Quæres 11° quid sit Indulgentia *viæ crucis*.

58. R. Indulgentias *viæ crucis* eas esse quæ à variis pontificibus concessæ sunt iis qui viam crucis, seu varias stationes quas decurrit Christus sub aditum passionis, piè inviserent Jerosolymis. Has Benedictus XIII, an 1726, extendit ad fideles omnes qui in ecclesiis fratrum Minorum *exercitium viæ crucis* obirent. Ast Clemens XII, an. 1731, eamdem gratiam concessit iis qui exercitium illud obirent extra Minorum ecclesias in locis ab eorum ordine non dependentibus; dummodò *via crucis* à deputatis prædicti ordinis religiosis erigeretur. Erigitur autem depictis passim tabellis 14, in quibus exhibentur præcipuæ Christi passuri aut patientis stationes. Quæ verò cuique stationi respondeat Indulgentia, definiri non potest, cùm id vetuerit S. congregatio; constat tamen ex iis quasdam esse partiales, quasdam et plenarias. Ad earum acquisitionem necessaria est in unoquoque loco brevis meditatio passionis Christi vel privatim facta, si Indulgentia privatim vel publicè lecta et corde imbibita, si Indulgentia *provisionaliter* comparetur. Indul-

gentia hæc pro vivis aliis suscipi non potest, *sed pro se duntaxat, vel pro defunctis.* Ita fert encyclica epistola provincialis Minorum Bavariæ, apud Amort., q. 58, p. 82.

59. Quæres 12° quâ horâ incipiunt vel desinunt Indulgentiæ certis diebus affixæ.

R. Cum eodem inspiciendum esse concessionis tenorem. Unde quando conceditur Indulgentia à primis vesperis usque ad solis occasum, ut fieri solet pro diebus festis, incipit eâ horâ, quâ in eo loco vel in vicinis vesperæ dici consueverunt; desinit autem quâ horâ sol infra horizontem, vel eidem loco, vel si is in imis vallibus jacet, vicinis montibus descendere incipit. Si autem Indulgentia absque vesperarum expressione tribuatur, v. g., pro feriâ secundâ vel tertiâ ante cineres, probabilius est eam pro usu in Ecclesiâ recepto à medio ad medium noctis perdurare; quia feriæ non habent primas vesperas.

60. Quæres 13° an Indulgentiæ concedi soleant pro cultu beatorum vel sanctorum qui martyrologio non inscribuntur.

R. id perrarò impetrari, ut liquet ex responsis à sacrâ congregatione datis an. 1715, 1718, 1722, 1731, 1732, etc.

61. Quæres 14° quibus sub conditionibus soleat Indulgentia concedi pro peregrinis.

R. quandoque ob celebritatem loci et aditûs difficultatem concedi, etsi non ita frequens sit peregrinorum concursus; quandoque attendi ad numerum seu missarum, quæ annuatim celebrantur in loco, seu processionum quæ eò confluunt. *Nunc regulariter requiritur numerus centum millium peregrinorum ad novam concessionem; et ne tunc quidem semper conceditur, quando in vicinià est ecclesia similem habens Indulgentiam. Sed pro confirmatione semel obtentæ gratiæ aliquando conceditur pro minori, dummodò testetur episcopus, concursum priorem, qui fuit motivum concessionis prioris, non fuisse imminutum.* Sequuntur hæc ex variis S. congregationis responsionibus. Idem, ibib. q. 65.

62. Quæres 15° an pro authenticâ haberi possit Indulgentia, quando habetur duntaxat authenticum ejus exemplar.

R. affirmat., modò constet exemplar illud, vulgò *copiam* dicunt, ex originali transumptum esse. Ita declaravit an. 1711 S. congregatio, apud eumdem, q. 59.

CAPUT IX.

De Indulgentiarum abusu.

Cùm, uti piè scribit Servatius Faber, nostrum non sit angelos Ecclesiarum judicare, de iis tantùm abusibus loquemur, qui ex fidelium parte occurrunt; et hos quidem cum appellato mox Scriptore ad quinque revocabimus. Itaque

1. Indulgentiis abutuntur 1° qui sub spe plenariam in articulo mortis remissionem peccatorum consequendi, desides languent; nec satisfactoriis operibus incumbunt. Quasi nempe ignorent Dominum instar furis eâ horâ quâ non putant, venturum esse? Quasi rursùs contritionis donum eos certò maneat, qui nullâ ratione illud promereri studuerint? Quasi demùm Ecclesia intendat tepidorum inertiam per beneficia sua fovere, ac veluti promovere. *Ecce spes ejus frustrabitur eum, videntibus cunctis præcipitabitur.* Job. 40.

2. 2° Qui indiscretas Indulgentias promulgant aut distribuunt; quod quidem religiosis sub interminatione æternæ damnationis prohibetur Clement. 1, *de Privilegiis.* Indiscretæ porrò dicuntur Indulgentiæ, 1° quæ vel nusquàm concessæ sunt, vel desierunt lapsu temporis, vel revocatæ sunt. Nusquàm autem in rei veritate concessæ sunt, quas subreptitiè vel obreptitiè impetrari contigit; 2° quæ ultra concessionis limites extenduntur, quæ privilegia nequaquàm indulta continent, quæ media ad gratiæ lucrum prærequisita dissimulant, ne ab his deterreantur fideles, etc. Hæc sanè figmenta improbat, quæ in omnibus verax est Ecclesia; sic tamen ut dùm deceptæ plebi nihil prosunt, graviter noceant deceptoribus; 3° quæ dubiæ sunt, seu in radice ipsâ, seu in progressu; unde nec jam licet tales exponere, nec usquàm verè licuit; quod malum ut averteret Trid. synodus, statuit sess. 21, cap. 9, *Indulgentias et alias spirituales gratias per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo.... publicandas esse.*

3. 3° Qui indulgentias quasi venales exhibent, et turpes earum occasione quæstus faciunt. Hanc Lutherani erroris originem fuisse nemo nescit. Quapropter rursùs Tridentinum, sess. 25, in decreto de Indulgentiis *statuit pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in populo christiano abusuum causa fluxit, omninò abolendos esse.* Quod ut insigniter exequeretur Pius V, per Constitutionem *Etsi dominici*, 13 febr. an. 1567, revocavit Indulgentias qualescumque, pro quibuscumque et quàcumque, etiam redemptionis captivorum maximè favorabili causâ concessas, *pro quibus consequendis manus porrigendæ sunt adjutrices*, id est, dandum aliquid eleemosynæ ad Ecclesiæ fabricam, aliudve pium opus. Hinc et solent pontifices hanc diplomatibus suis clausulam apponere: *Si aliquid datum fuerit ad obtinendum Indulgentiæ hujus privilegium, ea statim nulla sit et irrita;* ut semel nôrint Indulgentiarum osores, cœlestes Ecclesiæ thesauros non auro contra æstimari, sed gratis acceptos, gratis in fidelium spirituale levamen dispensari.

4. Hîc obiter notandum, quòd si eadem bulla Indulgentias duas, quarum una duntaxat quæstuaria sit, complectatur, alia non, posterior isthæc, revocatâ priori, perseveret; quia utile per inutile vitiari non debet. Ita resolvit sacra congregatio an. 1715.

5. 4° Et ii fœdè Indulgentiis abutuntur, qui certas orationes, imagines, amuleta sacra, cum annexis, ut aiunt, Indulgentiis, fidelibus, nec utique gratis, distribuunt; et quæ ut plurimùm ex certâ quam requirunt

orationum formulâ, aliisque circumstantiis superstitionem redolent. De his generalem hanc regulam post Marchantium statuit prædictus Faber : *Quidquid in Indulgentiis non mensuratur ordinariâ et clarâ pontificum regulâ, et moderatione ad sacram theologiæ limam, id tibi ut superstitiosum et vanum suspectum sit.*

DE JUBILÆIS.

(EODEM AUCTORE.)

Non amplum et uberem de Jubilæo tractatum exhibebo; verùm, summa rerum fastigia secutus, breviori oratione dicam 1° de nomine, essentiâ et divisione Jubilæi; 2° de his qui Jubilæi percipiendi capaces sunt; 3° de operibus ad lucrandum Jubilæum præscriptis; 4° de privilegiis Jubilæi, præsertim in ordine ad censuras et vota; 5° de suspensione Indulgentiarum tempore Jubilæi.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, essentiâ et divisione Jubilæi.

1. Jubilæus, vel Jubilæum (utrumque enim promiscuè dicitur, etsi malint aliqui ut annus quo Indulgentia conceditur, dicatur *Jubilæus*, ipsa verò Indulgentia Jubilæum), derivatur juxta quosdam à voce Latinâ *jubilare*, quæ idem est ac ingentis lætitiæ signum edere; quod tunc fieri maximè potest cùm fidelibus aperiuntur Ecclesiæ thesauri; juxta cæteros à voce Hebraicâ *Jobel*, unde meliùs Jobelæus quàm Jubilæus nuncuparetur. *Jobel* autem pro variis unde deducitur radicibus, idem est ac deducere in libertatem, dimittere, germinare, tubâ clangere, etc., quæ omnia Hebræorum Jubilæo post quinquaginta annos redeunti apprimè conveniebant. Tunc enim et servi manumittebantur, et remittebantur debita; et possessiones avitæ pristinis possessoribus sine pretio restituebantur, etc. Unde Levit. 25, 10 : *Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ : ipse enim est Jubilæus : revertetur homo ad possessionem suam*, etc. Sed et tunc vel agri spontè germinabant, vel anno Jubilæum præcedente geminam frugum mensuram dabant. Demùm Jubilæus annus buccinæ sonitu indicebatur.

2. Jubilæum novæ legis, quod et uberiores et ordinis longè superioris gratias spondet et præstat, definiri vel describi potest : Remissio totius pœnæ temporalis peccatis debitæ in foro Dei, extra sacramentum, cum singularibus privilegiis concessa per applicationem satisfactionum Christi in communi Ecclesiæ thesauro contentarum. Breviùs verò, Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis sub certis conditionibus concessa. Jubilæum quatenùs *remissionem* importat, convenit cum sacramentis, quæ etiam peccata suo quæque modo remittunt; quatenùs *pœnæ totius temporalis* remissionem dicit; convenit cum Indulgentiis plenariis; quatenùs demùm magna et singularia privilegia importat, ab iisdem distinguitur.

3. Cavendum porrò ne Indulgentiis quæ privatis Ecclesiis *in formâ Jubilæi* aliquando conceduntur, eadem inesse credantur privilegia, quæ Jubilæis ipsis, ut malè docent Vega, Filliucius, etc.; hæc enim opinio nec practicè tuta est, ut docet ipse Gobat, nec ullâ verisimili ratione nititur; quin et probatur falsa esse, tum ex praxi, quæ optima est legum interpres; tum quia Jubilæum nonnisi præmissis jejuniis, orationibus, etc., concedi solet; tum quia nec ipsum anni sancti Jubilæum hunc præstare favorem solet, ut quisque approbatum ab ordinario confessarium eligere possit, per quem à reservatis absolvatur. Ita Suarez, tomo 5, in 3 p., disp. 7, sect. 5; Navarrus, Domin. Viva, hìc, q. 1, art. 1, n. 4.

4. Jubilæum dividitur 1° in Romanum, Compostellanum, et extraordinarium.

5. Romanum illud est quod Romæ per totum annum sanctum, singulis 25 annis hodiè recurrentem celebratur. Et illud quidem in festo Ascensionis Domini, tum pro Romanis, tum pro cæteris orbis fidelibus promulgari solet. Incipit verò in Nativitatis dominicæ vigiliâ, quâ post meridiem aperitur porta sancta, à Papâ quidem porta S. Petri, à tribus verò cardinalibus portæ Basilicarum S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, et S. Mariæ Majoris. Perdurat autem toto anno usque ad ejusdem Nativitatis Dominicæ pervigilium, quo eadem porta sancta novo muro occluditur, qui manet integer, donec iterùm annus sanctus recurrat.

6. Compostellanum illud est quod Compostellæ celebratur toto illo anno, quo S. Jacobi festum incidit in Dominicam, et à vigiliâ Circumcisionis usque ad ultimam anni sequentis diem, tam incolis loci, quàm peregrinis eò affluentibus apertum est.

7. Extraordinarium est illud quod vel post annum sanctum pro aliis diœcesibus extra Romam, vel post inaugurationem Pontificis, aut in gravi Ecclesiæ periculo, aliove quocumque urgenti casu conceditur.

8. Jubilæa Romanum et extraordinarium in eo conveniunt, quòd utrumque et à solo Papâ conceditur, et plenariam omnium peccatorum Indulgentiam fidelibus confert. Discrepant autem 1° quòd Jubilæum anni sancti per annum integrum perduret; extraordinarium verò per unum aut alterum mensem, plerùmque per duas tantùm hebdomadas; 2° quòd illud determinato tempore, quolibet nimirùm vigesimo quinto anno, conceditur; istud ad Pontificis beneplacitum, et prout exigunt casus, indulgeri consuevit; 3° quòd in Jubilæo anni sancti variæ adhibentur cæremoniæ, ut portæ sanctæ apertio, non in aliis; 4° quòd certiùs obtinea-

tur anni sancti, vel sequentis in aliis diœcesibus. Indulgentia; quia hæc et opera graviora magisque propertionata requirit, et universaliorem habet causam, nempe fidelium totiusque Christiani populi salutem; 5° quod in Jubilæis extraordinariis semper concedatur facultas commutandi vota reservata (religionis et continentiæ perpetuæ exceptis), non autem, saltem expressè, in Jubilæis anni sancti.

9. An autem privilegia extraordinariis Jubilæis concessa, ipsi etiam anni sancti, seu ut hìc intelligimus, Romano Jubilæo competant, ambigunt doctores. Negant Lugo, Gobat, Blasius ab Assumptione, part. 2, q. 1, et alii non pauci; 1° quia in his materiis pontificia indulta non plus valent quàm sonant. Atqui indulta seu bullæ, quæ anni sancti gratiam recensent, plenariæ solùm Indulgentiæ mentionem faciunt; de potestate verò eligendi confessarium qui à reservatis absolvat, vota commutet, etc., penitùs silent.

10. 2° Quia pontifices, qui extraordinaria Jubilæa concedunt, postquàm dixêre se largiri Indulgentiam anni sancti, subjiciunt: *Insuper cupientes ut omnes fideles tanti thesauri participes fiant, facultatem concedimus eligendi sibi confessarium qui à reservatis absolvat*, etc. Atqui si facultas ista Jubilæis anni sancti tacitè inesset, perperàm diceretur superaddi Jubilæis extraordinariis.

11. 3° Quia Clemens X *de gratiis Indulgentiæ anni sancti annecti solitis*, à Jesuitâ quodam, an. 1531, interrogatus, *expressè negavit se illas concedere*, prout refert Gobat, num. 562, quod et rursùs in *Notificatione* suâ declaravit.

12. Contrariam nihilominùs opinionem veluti *probabilem* cum aliis multis (demptâ tamen eligendi confessarii facultate) amplectitur Dom. Viva, q. 3, art. 3, unde cùm per ipsum, ibid. art. 2, *probabilissimum sit Jubilæi favores*, non tamen indulgentiam, *obtineri, sequendo opinionem probabilem, etiamsi à parte rei falsa sit;* consequens est, privilegia de quibus loquimur, reipsà prodesse, licèt ea Pontifex largiri non intenderit. Sua quidem sunt utrique opinioni huic momenta; sed nec si graviora sint, quemquam movere debeant, ut sibi per auctoritatem dubiam extra necessitatis casum in rebus tanti momenti provideat.

13. Dividitur 2° Jubilæum in Jubilæum simpliciter dictum, et Jubilæum *ad instar*. Verùm hæc divisio coincidit cum præcedenti; Jubilæum enim simplex est ipsum Jubilæum anni sancti; Jubilæum *ad instar* idem est cum extraordinario, neque est *ad instar*, nisi ratione plenariæ Indulgentiæ, cùm cæteroquin et mox dictis plura habeat privilegia quæ non habet, aut saltem, certò non habet Jubilæum anni sancti. Id solùm observari oportet per Jubilæum *ad instar* illud unum à pluribus intelligi, quod à pontificibus extra annum sanctum vel sequentem conceditur. Certè moris est ut in Galliis anno, v. g., 1726 et 1751, Jubilæum anni sancti lucrari dicamur.

14. Quæres 1° cui competat facultas concedendi Jubilæum.

R. hanc soli Pontifici competere, cùm ipse solus et plenariam Indulgentiam, et potestatem à certis votis dispensandi tribuere possit.

15. Quæres 2° quis fuerit Jubilæi institutor.

R. Veri non est simile quod cum Polydoro Virgilio narrant plures, Jubilæi usum à Bonifacio VIII pro anno 1300, institutum esse. Constat enim ex Extrav. *Antiquorum*, de Pœnit. et Remiss., Bonifacium non instituisse, sed renovâsse, et ad summum de novo statuisse, ut Jubilæum determinato tempore, quovis nimirùm centesimo anno celebraretur, et plena tunc perciperetur Indulgentia ab iis qui Apostolorum limina piè inviserent; quod quidem tanto gentium omnium concursu an. 1300 factum est, ut totâ anni hujus serie ducenta peregrinorum millia in Urbe commorarentur. Verùm dubio procul altiùs repetenda est institutio Jubilæi; cùm Alexander III, qui Ecclesiæ ab an. 1159, adeòque 130 et ampliùs annis ante Bonifacium præfuit, Compostellanæ basilicæ Jubilæum instar Romani concesserit, quod in Bullâ suâ jampridem à decessoribus suis Calixto II, Eugenio et Anastasio, eidem Ecclesiæ indultum fuisse agnoscit. Quin et plures institutionem Jubilæi vel ab Apostolis, vel ab eorum successoribus ortam esse contendunt, ut apud Ferraris et Palaum videre est.

16. Utut sit, Clemens VI, annum sanctum, qui post unum duntaxat seculum rediens, paucis admodùm prodesse poterat, ad quinquagesimum quemque annum reduxit anno 1350. Sed quia, et hoc etiam temporis intervallum longius foret, Urbanus VI, anno 1378. Jubilæum post annos triginta tres in memoriam annorum quibus Christus vixisse communiter creditur, haberi voluit; quod et servatum est à Martino V et Nicolao V, uti refert Paulus II, in Constitutione *Ineffabilis providentia*, quâ an. 1470 statuit ut in posterum celebraretur annus Jubilæus anno quolibet vigesimo quinto, ut ætas omnis fieri posset tanti thesauri particeps. Atque hoc tempus annorum 25 hactenùs à successoribus Pauli II religiosè observatum est; siquidem Alexander VI Jubilæum pro anno 1500 edixit, Clemens VII pro an. 1525, Julius III pro 1575, Clemens VIII pro 1600, Urbanus VIII pro 1625, Innocentius X pro 1650, Clemens X pro 1675, Innocentius XII pro an. seculari 1700, Benedictus XIII pro an. 1725, ac demùm Benedictus XIV pro an. 1750.

17. Quæ verò sit epocha Jubilæi extraordinarii post annum sanctum regionibus aliis concessi, non omninò certum est. Constat id equidem à Clemente VIII pro anno 1601, ab Urbano VIII pro an. 1625, etc., factum esse; sed an ante factum non esset, haud omninò constat. Id certum, gratiam hanc à Papâ, non *motu proprio*, sed ad instantiam, vel nuntiorum, vel episcoporum, quandoque etiam regum indulgeri.

18. Sed neque constat quis omnium primus post coronationem suam Jubilæum concesserit. Nullus quidem, saltem in utriusque Cherubini Bullario, id ante Sixtum V, an. 1585, fecisse reperitur. Verùm quia idem Papa in constitutione suâ, quæ incipit: *Virium nostrarum infirmitate*, etc., signatè præmittit: *Similem indictionem per omnes ferè pontifices* promulgari

solitam, extra dubium est concessionis hujus originem in Sixtum V malè refundi. Sed de his quæ ad praxim, hujus operis summam, nihil pertinent, hactenùs plus satis.

CAPUT II.

De his qui Jubilæi lucrandi capaces sunt.

1. Constat ad hoc ut Jubilæum comparare quis possit, requiri 1° ut viator sit; neque enim lucrari Indulgentiam possunt piè defuncti, etsi hæc eis applicari potest; 2° ut compos sit rationis, quia alioqui præscripta opera humano modo adimplere non potest; quanquàm ut à dormiente, cùm jejunii tempus impletur, percipi potest Indulgentia; sic et ab eo, juxta plures, recipi posset, qui præstitis universis aliis Jubilæi operibus, in dementiam lapsus, absolveretur et Eucharistiâ reficeretur; 3° ut fidelis sit et baptizatus, tum quia aliàs confessionis et Eucharistiæ incapax est; tum quia thesaurus Ecclesiæ solis ejus membris dispensari potest; 4° ut ab excommunicatione, saltem majori, liber sit; eâ enim ligatus, quamvis seriò contritus, nec absolutione donari, nec Eucharistiâ refici potest, quæ ex dictis alibi metienda sunt. His ergo prætermissis, quæ nihil difficultatis, saltem in præsenti expendendæ, habent,

2. Quæritur 1° quinam Romanum, seu anni sancti Jubilæum lucrari valeant.

R. eos solùm, qui Romam se conferunt, ibique opera præscripta secundùm Ecclesiæ intentionem devotè exequuntur; nisi ex privilegio habeant facultatem Jubilæum in proprio domicilio, vel extra Romam lucrandi.

3. Quæritur 2° quibus competat privilegium istud

R. Privilegium istud à Papâ iis tribui, 1° qui vel in Urbe, vel etiam in itinere ad Jubilæi lucrum suscepto, ante morbo corripiuntur, quàm injuncta opera vel absolvere, vel inchoare possint; 2° et iis etiam, saltem ex bullis Innocentii X et Clementis X qui Romam contendere non possunt, puta sanctimonialibus, anachoretis, eremitis, iis item qui in carceribus, vel diuturnâ infirmitate detinentur. Ut autem hi gratiâ sibi oblatâ fruantur, necessum est 1° ut hypotheticam quidem, sed veram et seriam Urbis invisendæ, si liceret, voluntatem habeant; 2° ut verè sint pœnitentes et confessi; 3° ut opera sibi vel à superioribus, vel à prudenti confessario injuncta pro viribus implere studeant; 4° ut prædictis obicibus, non autem aliis, qualis est conditionis status, distineantur. Nec enim causidicus, judex, mercator, quia suo quisque officio alligatus est, etiam cum sincerâ itineris voluntate Indulgentiam lucrabuntur.

4. Quæritur 3° quid sanctimonialium vel eremitarum nomine intelligendum veniat.

R. ad primum, monialium nomine intelligi, tum eas quæ tribus religionis votis obstrictæ sunt, tum et eas, juxta Vivam, q. 7, art. 1, quæ licèt tria hæc vota non emittant, de licentiâ episcopi collegialiter intra monasterium aliquod vivunt, cum obligatione servandi perpetuam clausuram. Veniunt et Novitiæ, quæ in favorabilibus sub religiosarum vocabulo comprehenduntur; quin et juxta eumdem Vivam eodem fruuntur privilegio, quæstuariæ, quæ quibusdam in locis civitatem, stipis captandæ gratiâ, circumeunt, dum interim reliquum monasterii corpus clausuram servat; quia stat eas membra esse communitatis ad clausuram adstrictæ; quod in privilegiis quæ latè interpretanda sunt, sufficit. At sub monialibus non veniunt educandæ quæ cum iis convivunt; quia eæ nullo sensu perpetuæ clausuræ subjacent. Hæc ille à quibus dissentit P. Mansuetus Koch, canonicus regularis Lateran. in opere cui titulus *Jubilæum universale*, ubi, pag. 76, ad privilegii hujusce usum perpetuam cum tribus votis clausuram exigit; et meo quidem judicio non ineptè; puellæ enim quæ sine iisdem votis clausuram servant, sunt verè seculares, etiamsi vota simplicia emittant, et eo nomine parentibus succedunt in bonis, nisi obsistat Lex regia. Porrò seculares puellæ à monialibus omninò distinguuntur.

5. R. ad secundum cum eodem Vivâ, eremitarum, seu, quod idem sonat, anachoretarum nomine veniunt, qui seorsim ab hominum consortio eremum incolunt in solitudine, ut contemplationi vacent, etiamsi religiosi sint, ut Camaldulenses. Monachi tâmen cùm seorsim ab hominum societate non vivant, sub eremitis quoad præsens non comprehenduntur. Unde Cassianus, collat. 18, cap. 4, distinguit monachos cœnobitas ab eremitis. Subdit idem Viva, Carthusienses, seu in conventibus intra civitates, seu extra degant, eodem privilegio potiri, tum quia rarò conveniunt inter se, tum quia et ipsi in cellulis vivunt ut cœlestium meditationi vacent. Nec obest, inquit, quòd de domo in domum transmigrent: quia hinc sequitur paulò leniorem esse ipsorum clausuram, quàm sanctimonialium (quæ et ipsæ identidem nihilominùs ad salubres aquas, vel ob aeris incommodum aliò transeunt) non tamen eos perpetuæ, qualis viros decet, clausuræ non esse mancipatos. Sanè verò Carthusienses, quò meditationi vacent, è cellulis propriis non exeunt, nisi ad ecclesiam, aut gravibus de causis.

6. Quæritur 4° quid carceratorum vel infirmorum nomine intelligendum sit.

R. ad primum: Carceratorum appellatione veniunt, qui contra propriam voluntatem ita detinentur, ut quò visum fuerit vagari non possint; quales sunt non ii modò qui continentur in ergastulis, sed et qui civitatem habent carceris loco: item qui sub fidejussione relaxantur, quia hi statim ut à Judice vocati fuerint, comparere tenentur; et potiori jure damnati ad triremes. Aliud est tum de militibus, tum de religiosis; quia licèt neutri arcem vel claustrum deserere possint, haud tamen contra propriam voluntatem, quæ ad minus subsistit in causâ, detineri censentur. Quòd si sub indignationis comminatione vetuerit princeps ne quis è certo loco abscedat, is, ut honestiori, sed tamen vero carcere detentus, privilegio frui posset.

7. R. ad secundum, per infirmos a nonnullis eos

intelligi qui præ morbo Extremæ-Unctionis capaces sunt. Sed malè, quia multò duriùs in re favorabili, et quantùm verba ferunt extendendâ. Malim ego cum aliis eos intelligi, qui præ caducâ valetudine, quantùmcumque velint, quod semper est supponendum, sanctam peregrinationem sine notabili periculo tentare non possent. Atque in eo ordine erunt epileptici, qui ægritudine suâ non rarò corripiuntur, leprosi, cæci, claudi, saltem si Româ longiùs distent; senes item minimè vegeti. Ubi notandum cum Vivâ, eâdem q. 7, art. 2, n. 2, infirmitatem in Bullâ requisitam, quod et idem de carcere dicendum, debere esse diuturnam, id est, quæ majori anni parte duratura sit, aut saltem diù duratura præsumatur.

8. Quod de senibus et infirmis dictum est, spectat ad religiosos, qui pejoris non sunt conditionis quàm cæteri, modò et itineris faciendi licentiam obtenturi essent, et sinceram ejus decurrendi voluntatem gerant. Hâc occasione duo exsurgunt dubia. Unde

9. Quæritur 5° an regularibus qui, nisi obesset infirmitas, Apostolorum limina essent invisuri, opera pia ad lucrandum Jubilæum ab ordinariis locorum injungenda sint, an etiam à superioribus eorum possint injungi.

10. R. posse ab ipsis etiam superioribus injungi, 1° quia vix probabile est mentem Pontificis esse ut in iis quæ jurisdictionis sunt, regulares subjiciat ordinariis; 2° quia Pius V, an. 1571, in const. 132, Dominicanis concessit, ut in religiosos ac moniales ordinis sui id possent, quod in clericos et seculares sibi subjectos possunt episcopi, tam in ordine ad absolvendum et dispensandum, quàm in ordine ad alias quascumque facultates. Istud autem privilegium, quod *exorbitans* dici nequit, ad regulares alios privilegiorum communicationem habentes extenditur. Si cui dubia erit decisio hæc, quia Pontifex, cùm de sanctimonialibus et eremitis loquitur, dicit opera ad Jubilæi lucrum esse iis ab eorum superioribus, vel de ipsorum mandato à confessariis injungenda; cùm autem de infirmis aut carcere conclusis verba facit, jubet eadem opera ab ordinario indici; is et suâ et episcopi auctoritate uti poterit.

11. Quæritur 6° an Papa, qui fideles universos ad anni sancti gratiam invitat, religiosis eo ipso licentiam faciat Romam absque superiorum facultate contendendi.

R. neg., quia hæc vagorum cursitatio vergeret in summum regularis disciplinæ detrimentum. Sanè qui tunc prætenderetur favor, et dubius admodùm foret, et plurimis, juvenibus præsertim, impendiò exitialis.

12. Quæritur 7° an peregrini qui transeunt per diœcesim vel civitatem, cui apertum est Jubilæum aliquod, illud lucrari possint, ut incolæ loci, aut qui in eo quasi domicilium habent; modò præscripta ad ipsum opera perficiant.

R. affirmat., modò peregrini illi in hâc diœcesi vel civitate adimpleant opera, non dico quæcumque, sed localia, quæ videlicet in hoc loco præstari debent, scilicet Ecclesiarum visitationem. Unde qui basilicas in hâc urbe invisit, et in aliâ, etiam ubi apertum non est Jubilæum, jejunat, rursùsque in aliâ peccata deponit, et Eucharistiâ reficitur, Jubilæi Indulgentiam obtinet; an etiam privilegia suo loco expendam.

13. Ratio primæ partis est, 1° quia usu communi receptum est ut gratiæ pontificiæ alicui loco concessæ ad peregrinos et advenas extendantur. Neque verò eas bullæ concedunt *incolis*, sed *fidelibus* hujus loci; sunt autem in hoc loco fideles qui loci incolæ non sunt; 2° quia Jubilæi favor non est *merè* personalis, sed etiam localis et realis, quatenùs ad suî consecutionem certa opera in tali loco præstanda, puta hujus vel illius basilicæ visitationem exigit; 3° quia episcopi legitimi gratiæ pontificiæ interpretes, in diplomatibus suis, citra ullam incolæ et advenæ distinctionem testantur gratiam Jubilæi ad eos omnes spectare, qui præscripta opera compleverint; 4° quia gratia Jubilæi, utpote nemini nocens et de se favorabilis, latè est interpretanda, quantùm sinit verborum proprietas; 5° quia alioquin vagi, aut qui rerum suarum causâ iter faciunt, vix summæ Jubilæi gratiæ participes fieri possent; quod quàm durum sit nemo non videt. Imò nec illud ii consequi possent, quorum episcopis à Papâ fuisset denegatum, uti non ita pridem contigit.

14. Ratio secundæ partis est, quòd ad Jubilæi consecutionem sufficit opera præscripta adimplevisse. Sed qui designatas ecclesias Lugduni invisit, et Viennæ confitetur atque Eucharistiam recipit, omnia ad Jubilæi consecutionem præscripta exequitur. Haud equidem sufficeret ut ecclesias Viennæ, ubi vel non est, vel non erit Jubilæum, invisat; quia necessum est, ut non quascumque ecclesias, sed designatas visitet. Verùm necesse non est ut in hâc potiùs quàm in illâ ecclesiâ peccata deponat, vel communicet, quia id nullâ lege constitutum est. Sanè moris est, ut quisque in parochiâ suâ communicet; nec tamen quælibet parochialis Ecclesia semper est ex earum numero quæ visitandæ sunt.

15. Confirm., quia privilegium Jubilæi ita locale est, ut personam afficiat. Ergo qui in hoc loco opera designata incœpit, jus acquisivit ad idem Jubilæum; proinde illud alibicumque, cætera necessaria implendo, lucrari potest; modo hæc intra tempus constitutum, puta bimestre, exequatur. Nec dubium quin variis in diœcesibus, modò in iis apertum sit Jubilæum, et adhuc duret, stationes suas exsolvere possit; quia sic verum est quòd designatas ecclesias, quoties locali lege præscriptum erat, inviserit.

16. Hinc 1° qui Meldis hebdomadâ primâ ecclesias quotquot opus erat, invisit, Jubilæum lucrabitur, etiamsi Parisiis jejunium, confessionem et alia perficiat, sive Parisiis apertum sit Jubilæum, sive non.

17. Hinc 2° qui Meldis Jubilæum lucrari neglexit, in vicinam diœcesim transmeare potest, et ecclesias invisendo, quamdiù stat Jubilæi tempus, gratiam ejus consequi.

18. Imò in Jubilæis *ad instar* potest toto anno Indulgentia obtineri; quia Jubilæa hæc ab initio fidelibus universis concessa sunt et aperta. Quod autem dicitur ea nondùm in hâc aut illâ diœcesi aperta esse, eo solùm sensu verum est, quòd in hâc diœcesi necdùm obtineri possint, quia necdùm in iis designata sunt seu jejuniorum tempora, seu ecclesiæ quæ visitari debeant. Ita Mansuetus Koch, et meliùs Blasius ab Assumptione, in libro cui titulus : *Recueil de Cas de conscience... sur le Jubilé*, c. 1, casu 16 et seq.

19. Quæritur 8° an qui in diœcesi suâ Jubilæum lucratus est, illud denuò in aliâ, repetitis quæ præscripta sunt operibus, lucrari possit.

Negant plures cum Suare, Navarro, Layman, Bonacinâ, et aliis contra non paucos, è quibus sunt Diana, p. 5, Tr. 12, resol. 28, Koch, q. 1, n. 99. 1° Quia qui Jubilæum Romanum in Urbe lucrati sunt, idem denuò lucrari possunt ex speciali privilegio. Ad quid verò privilegium istud, si quisque bis Jubilæum lucrari possit? 2° Qui Jubilæum in Urbe lucrati sunt, illud tantùm alterâ vice ad suos reversi lucrari possunt. Ergo deterioris forent conditionis, quàm qui ad Urbem, seu Romam, non contenderunt; hi enim si bis, utique decies et vicies Jubilæum lucrari possent. 3° Quia ita respondisse fertur Clemens VIII, et indubiè idem an. 1620, resolvit sacra congregatio. 4° Quia si quis Jubilæum bis obtinere posset, posset bis à censuris et reservatis casibus, quos denuò incurrisset, absolvi. Atqui id non concedit Papa, sed solùm ut *hâc vice*, et *ad hunc* Jubilæi lucrandi *effectum* absolvi valeant. Ita idem Blasius, eod. cap., casu 2. Quia tamen nemo certò scit se Jubilæi gratiam promeruisse, sunt qui piè Jubilæi opera repetant, ut si primâ vice gratiam ejus non attigerint, hanc novo conatu promereantur. Et id, si sine anxietate fiat, laudandum. Hæc illi, ad quos spontè accederem. Aliud tamen definiit Benedictus XIV, in bullâ *Convocatis*, § 52, ubi hæc : *Qui hoc anno sancto bis aut pluries omnia et singula* Jubilæi *opera... iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni sancti Jubilæum lucrari. Nos enim habità ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilæum protenditur* (quæ ratio pro cæteris ejusdem formæ Jubilæis militare videtur) *ita de apostolicæ liberalitatis plenitudine concedimus. Hoc tamen declarantes, neminem posse, nisi semel, id est, primâ tantùm vice frui, seu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis*, quales sunt, ut ibid. dicitur, absolutio à censuris et casibus reservatis de novo contractis, commutatio votorum, etc.

20. Quæritur 9° an viatorês ab itinere reversi Jubilæum lucrari possint, et quamdiù.

R. In bullis Jubilæorum *ad instar* concedi viatoribus ut ad sua reversi Jubilæum lucrari possint; de hoc autem sileri in Jubilæis anni sancti, quæ in præsenti distinguimus à Jubilæis *ad instar*. Sed quia bullæ pro Jubilæis anni sancti ordinariis concedunt facultatem procurandi viatoribus ad sua reversis Jubilæi, constat viatores gratiam hanc consequi posse, si id expresserit episcopus, quod cavendum ne unquàm omittat.

21. Quamdiù autem perseveret facultas gratiam hanc consequendi, nonnisi ex episcopalis mandati tenore dijudicari potest. Si enim expresserit Episcopus futurum ut Jubilæi participes essent qui *immediatè* post reversionem sacro operi incumberent, excident à gratiâ, qui ex ignorantiâ vel desidiâ rem aggredi prætermiserint. Si verò nullum præscripserit tempus, existimat citatus casuista, part. 1, cap. 5, cas. 25, posse viatorem, qui etiam *per plures menses* à reditu de Jubilæo non cogitavit, illud tandem, ad meliores sensus reversum, promereri. Quoniam tamen decisio hæc pia magis est quàm certa, providè sibi consulunt, qui quamprimùm moraliter valent, præscriptis operibus vacant.

22. Quòd si ab episcopo constitutum sit ut viatores Jubilæum lucrentur, si intra duos à reditu menses præscripta opera fecerint, gratiæ ejus particeps fieri poterit, qui uno aut altero die ante postremi mensis exitum, Confessarium pro tunc approbatum in tribunali convenerit; is enim opera præscripta in alia, juxta prædictum auctorem, commutare poterit, quod difficile videtur; vel Jubilæi tempus eidem prorogare, prout iis quotidiè fit qui procrastinando, ad ultimos designati temporis dies devenerunt. Vide eumdem Blasium ab Assumpt. cit. cap. 5, casu 28 et seq.

23. Quæritur 10° an ad Jubilæi consecutionem sufficiat intentio habitualis vel interpretativa, ita ut qui Jubilæi planè nescius opera omnia ad ejus lucrum ponit, gratiam ejus obtineat.

Affirmant Layman, lib. 5, tract. 7, cap. 6, n. 5; Diana, part. 5, tract. 12, Resol. 6; Koch, q. 1, sect. 5, n. 75; Blasius, cap. 2, casu 9. 1° Quia si justus justo alii planè nescio satisfactiones suas applicare valet; potest universalis Ecclesiæ pastor satisfactiones Christi et sanctorum nescio cuipiam, præscripta tamen exequenti, applicare; 2° quia in humanis potest alter alterius inscii debita expungere; 3° quia qui Missam festâ die audit, nescius Festi, Ecclesiæ legi sufficienter obtemperat, etc. Hæc fusiùs non prosequor, quia summè inutilia. Quis enim, nisi in fictitiis casuistarum hypothesibus, jejunia, stationes in his numero Ecclesiis, orationes secundùm Pontificis intentionem persolvet, si de Jubilæo nihil audierit? Imò quis, nisi fortè æger, qui id de industriâ celabitur, nullam, dùm villæ et urbes Jubilæum resonant, Jubilæi notitiam habebit? eâve habitâ omnia ad consecutionem ejus necessaria præstet, absque virtuali ejusdem lucrandi intentione? Longè faciliùs fieri potest eadem hypothesis quoad communes Indulgentias; nec enim mirum est, si quis earum inscius communicet in Ecclesiâ cui affixæ sunt, et oret pro exaltatione S. Ecclesiæ, pro principum concordiâ. In hoc autem casu Indulgentiam satis probabiliter percipi diximus in tract. præced., cap. 5, num. 40.

Quæres 11° an possit quis Jubilæi Indulgentiam alii seu vivo seu defuncto applicare.

24. R. ad primum, etsi, quod tuentur multi, concedere possit summus Pontifex, ut vivus vivo alii Indulgentiam hanc applicet, nusquàm tamen id ab eo permissum esse; quia quisque eam sibi lucrari ipse

potest, et alienâ indignus est ope, qui sibimet opitulari non vult.

25. R. ad secundum, esse hanc apud multos simplicioris judicii fideles persuasionem, quòd post consecutum sibi priore hebdomadâ Jubilæum, illud posteriori defunctis lucrari possint; sed perperàm : in his enim quæ à superioris voluntate pendent, id unum possumus quod ipse concessit. Porrò non solet Pontifex concedere ut Jubilæi Indulgentia defunctis cedat. Ita passim theologi.

26. Quæritur 12° an Jubilæum ante lucrificri valeat, quàm fuerit promulgatum ab episcopo.

R. ita multis videri, qui non improbabiliter docent moribundum, si ad promulgationem usque victurus non creditur, à confessario opera postmodùm præscribenda commutante, ad Jubilæi consecutionem posse disponi. Ratio est quia licèt Pontifex, cùm Jubilæum largitur, episcopo certarum ecclesiarum designationem committat, non tamen eò usque conditioni huic gratiæ valorem annectit, ut ea in necessitatis casibus ante designationem hanc prodesse non possit. Quia tamen hæc à legislatoris voluntate non satis cognità dependent, addendum est, moribundo, si præter spem vitam protraxerit ad tempus Jubilæi, aut etiam omninò convaluerit, curandum prorsùs ut promulgato deinceps Jubilæo, vel eadem opera iteret, vel nova ex confessarii præcripto exequatur.

27. Quæritur 13° an fidelibus incumbat obligatio lucrandi Jubilæum.

R. Non equidem incumbere per se, quia Jubilæum offertur tanquàm favor, non autem ut onus sub præceptum cadens; at vix posse fieri ut quis sciens et volens sine omni peccato consecutionem tantæ gratiæ negligat; quia, secluso etiam contemptu qui à lethali immunis non esset, subest hìc desidiosus torpor, et spiritualis boni negligentia, sæpè etiam scandalum aliquod, quæ ab omni culpâ excusari non possunt.

28. Quæritur 14° an qui præscripta opera præstant, omnes ex æquo Jubilæi gratiæ participes sint

Non movetur quæstio de Jubilæi privilegiis. Constat enim omnes qui Jubilæum verè lucrantur, etsi cum minori devotionis affectu, ex æquo à casibus reservatis et censuris absolvi, item frui votorum commutatione, etc ; alioqui tam pœnitentes quàm confessarii gravibus obnoxii forent scrupulis, si pietatis gradus in prædictâ relaxatione diversitatem induceret. Tota igitur difficultas est de primario Jubilæi effectu, qui in Indulgentiâ plenariâ consistit.

29. Et quidem constat per Jubilæum à fidelibus, tametsi opera æquali fervore obeant, non semper obtineri Indulgentiam materialiter æqualem. Ratio est, quia non omnes æqualem pœnæ reatum habent; sed alii pluribus obnoxii sunt pœnis, alii paucioribus.

Sed dubitatur 1° an fideles omnes qui opera præscripta non eodem, sed tamen sufficienti affectu adimplent, ita ut alter pinguiorem eleemosynam largiatur, severiùs jejunet, in Ecclesiis ferventiùs et diutiùs precetur, alter hæc omnia præstet remissiùs piè tamen, eamdem formaliter Indulgentiam, id est, pœnæ omnis, licèt multùm inæqualis, veniam consequantur; 2° an ad minus Indulgentiam hanc formaliter æqualem recipiant duo, qui eadem opera simili fervoris gradu exsolvunt, sed in gradu admodùm diverso debitores sunt justitiæ divinæ.

30. Affirmant multi pro utràque parte, 1° quia fideles omnes, qui opera præscripta exequuntur, ponunt conditiones omnes ad Indulgentiæ propositæ consecutionem injunctas; 2° quia velle potest Pontifex ut ii etiam qui fervidè minùs, piè tamen præscripta opera adimplent, totius Indulgentiæ participes sint. Ergo id probabiliter vult, nisi contrarium exprimat, quod facere non consuevit; 3° quia Indulgentia remissionem pœnarum confert ex opere operato, scilicet ex meritis Christi et sanctorum, non autem ex opere operantis. Ergo major minorve operantis fervor, nihil ad remissionem hanc præstat.

31. Aliter quantùm ad primam partem sentiunt Navarrus, Coninch. et alii, quos in præced. tract. secuti sumus, cap. 5, n. 61 et seq. Neque verò contraria opinio nutriendæ pietati, sed minuendæ potiùs inservire potest.

32. Quod spectat ad alteram partem, nobis hìc hærendum incertis ; cùm pœnæ remissio non à solâ hominis, sed potissimùm à Dei voluntate pendeat, juxta quam vult Pontifex quidquid vult. Valere. nisi fallor, in præsenti potest istud Christi de peccatrice, Luc. 7, v. 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, cui autem minùs dimittitur, minùs diligit*, sicut minùs remittitur ei qui minùs diligit.

CAPUT III.

De operibus ad lucrandum Jubilæum requisitis.

Opera ad Jubilæorum consecutionem præscribi solita, sunt 1° animus pœnitens, 2° confessio, 3° participatio Eucharistiæ, 4° visitatio ecclesiarum, atque in iis fundenda oratio, 5° largitio eleemosynæ, 6° jejunia.

Circa hæc generatim certum est vel admodùm probabile, 1° in materiâ Jubilæi ad amussim sequendum esse pontificii diplomatis tenorem; 2° requiri ut eadem opera honestè fiant, et à peccato, saltem mortali vacent (1); 3° ut integrè ponantur, etsi enim levissima quæpiam omissio non noceat, obesset tamen notabilis, qualis est unius *Pater et Ave*, quia precatio hæc, licèt in se levis, est quid grave respectu quinque *Pater et Ave;* 4° opera hæc inter præfixum tempus, demptâ tamen confessione (2) absolvenda esse, proinde intra annum, si de Jubilæo Romano, intra menses duos, duasve hebdomades, si de aliis, sermo sit; quæ ex dictis exceptionem patiuntur in moribundis; 5° ex his tamen operibus esse nonnulla, tria videlicet jejunia, quæ eamdem intra hebdomadam perfici debeant; 6° nihil interesse quo ordine prædicta opera compleantur, nisi, quod fieri non solet, eorum ordo à Pontifice præscriptus sit. Excipienda sanè confes-

(1) Vid. tractatum præced., cap. 5, n. 51.
(2) Vide ibid.

sio, quæ si necessaria culpiam erit, Eucharistiæ præmitti debet; 7° perinde esse quòd opera in hoc vel illo oco fiant, demptâ tamen ecclesiarum visitatione, quæ extra designatas ab ordinario præstari non potest; licèt in viatoris gratiam à confessario in aliud opus possit commutari; nisi viator privilegio suo post reditum uti velit; 8° curandum ut qui opera præscripta adimplent, non solùm Jubilæi gratiam lucrari intendant, sed, quod multi è mitioribus theologis penè judicant certò necessarium, ut saltem initio precum (1) intendant pro finibus à Pontifice assignatis orare, puta, *pro peccatorum suorum remissione, pro pace inter principes christianos conservandâ, hæreseon extirpatione, sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, præsentibus Ecclesiæ necessitatibus*, aliisve quæ fuerint injuncta; 9° neminem posse sibimetipsi præscripta opera etiam in aliquid melius commutare; posse verò hæc, si justa id ratio postulet, à confessario commutari, etiam extra tribunal, imò etiam absente, juxta Lugo, disp. 27, n. 113; Koch., q. 2, n. 35, unde sequi videtur Confessarium posse extra tribunal Jubilæum prorogare, puta quia instante Jubilæi exitu non possit omnium confessiones excipere; 10° in commutatione minùs habendam esse rationem pœnalitatis operis, quàm respectûs ad finem à Pontifice intentum; 11° multò satius esse ut opera præscripta commutentur in aliàs indebita; imò id à pluribus requiri ut conditionem veræ et idoneæ commutationis; tum quia qui ex voto eleemosynam debet, non satisfacit dando ei cui debet ex justitiâ; tum quia, ut benè Viva, q. 8, art. 1, opus pro indulgentiâ injunctum habet rationem oneris; quod autem ex pacto oneroso præstandum est, aliàs indebitum esse debet; unde sicut qui ex præcepto ad audiendam die festâ missam tenetur, non satisfacit Pœnitentiæ sibi injunctæ; sic qui aliunde ad hoc vel illud opus tenetur, non potest vi ipsius legem sibi à Papâ indictam adimplere, nisi mens ejus sit ut per opus aliàs debitum satisfiat, ut quando jejunia pro Jubilæo indicit quadragesimali tempore. His quæ fusiori, sed in præsens minimè possibili expositione indigerent, obiter præmissis, sit

ARTICULUS PRIMUS.

De confessione.

1. Quæres 1° an confessio, non secùs ac opera cætera in Pontificis diplomate expressa, ad Jubilæi consecutionem necessaria sit.

R. confessionem semper requiri in eo qui conscientiam mortalis habet, ut certò Indulgentiam consequatur. Ratio est, 1° quia de contritione perfectâ, quam difficilè haberi fatentur omnes, potest quis sibi perperam blandiri; 2° quia ad minus dubium est an confessio in hoc casu, licèt etiam à Pontifice per modum conditionis non requiratur, non sit tamen ex mente ipsius dispositio ad Indulgentiam Jubilæi necessaria, sicut et ad Eucharistiam. Id quidem negant Paludanus et alii, quorum opinio Suari probabilis est; at cùm fateatur ipse, quod diffiteri nemo possit, nostrum esse securiorem, quis salutis suæ vel saltem profectûs spiritualis verè studiosus, incerta certis et facilibus præponat.

2. Objiciuntur quatuor, 1° quòd verba hæc *contritis et confessis* disjunctivè intelligi possint, ita ut Jubilæum tam contritis prosit, quàm confessis; 2° quòd confessio non requiratur ut opus injunctum, sed ut dispositio ad gratiam. Hanc porrò dispositionem habet ad gratiam qui perfectâ contritione donatur; 3° quòd Pontifex thesaurum Ecclesiæ dispensare censeatur, quo potest meliori modo; potest autem etiam contritis dispensare; 4° quòd alioqui necessaria foret confessio habenti solùm venialia; quia Pontifex non distinguit inter habentem mortalia et non habentem, et aliunde venialium confessionem instar dispositionis prærequirere potest. Verùm hæc absque negotio solvi possunt. Unde

3. R. ad primum, non esse gratis et cum periculo recedendum à verborum proprietate. Porrò voces *contritis et confessis*, utriusque dispositionis conjunctionem litteraliter postulant; alioqui, quod facile erat, dicendum fuisset *contritis* vel *confessis*. Nec obstat quòd vocula, *et*, sensum disjunctivum habere possit: id enim quia rarum est, nisi clarè probetur, præsumi non debet.

4. R. ad secundum, nihil interesse pro præsenti an contritio requiratur per modum operis injuncti, an per modum puræ dispositionis; statim enim ut carebit homo, non quidem dispositione, quam per contritionem habere supponitur, sed perfectâ illâ et certâ dispositione, quam confessioni alligavit Pontifex, eâ demptâ erit quidem capax Indulgentiæ ut sic, sed non hujus numero Indulgentiæ.

5. R. ad tertium, Pontificem dispensare thesaurum, 1° eo modo quem disertim exprimit, 2° et eo modo qui, quod unicè ambit, peccatores ad Deum certiùs reducat. Atqui et confessionem exprimit, et ea longè certiùs ad Deum revocat. Ergo.

Pro responsione ad quartum,

6. Quæres 2° num ad Indulgentiam Jubilæi necessaria sit etiam venialium confessio.

R. ex dictis tract. præced., cap. 5, n. 93, confessionem venialium esse necessariam, si per modum operis ac conditionis præscribatur à Pontifice; secùs, si duntaxat per modum dispositionis. Ratio primæ partis est quia non percipitur gratia, nisi adimpleantur conditiones quibus hæc alligata est. Ratio autem secundæ partis, quam contra Sanchem, Soto, Silvestrum, et alios quosdam tuentur Suarezius, Layman, Viva, Comitolus et alii communiter, ea est, 1° quòd confessio

(1) Dixi, *initio precum*, quia non videtur exigere Pontifex ut jejunia et eleemosynæ eâdem intentione fiant. Etsi autem melius est ut quis pro assignatis finibus distinctim oret, nobis tamen cum citato P. Blasio, cap. 5, casu 17, satis esse videtur, ut quis generalem habeat intentionem orandi ad mentem Pontificis. Imò, ait idem, qui orat ex intentione lucrandi Jubilæi, virtualiter orat secundùm intentionem largientis Jubilæum. Hortandi tamen sunt fideles ut cujusque stationis initio, præscriptos à Pontifice fines, si non in specie singulos, at saltem in genere animis revolvunt.

simpliciter dicta intelligitur de mortalibus; 2° quòd confessio non magis necessaria sit per se ad Jubilæi lucrum, quàm ad Eucharistiæ participationem. Ergo sicut exstat præceptum de confessione ante Eucharistiam, neque illa tamen intelligitur de venialibus; sic et in præsenti.

7. Quando autem confessio requiratur ut opus injunctum, seu per modum conditionis, ex ipso diplomatis tenore definiendum est. Si habeat diploma : *Qui peccata seu confessi*, vel *qui præmissâ confessione ecclesias visitaverint*, etc, absque eo quòd quidquam de pœnitentiâ vel contritione adjungatur, videtur multò tutius ut præmittatur venialium quorumdam confessio, licèt id non pauci requiri negent. Si verò pontificium breve gratiam Jubilæi offerat *contritis et confessis*, vel *pœnitentibus et confessis*, tunc non equidem requiritur confessio de solis venialibus, sed mortalium reo præscripta censeri debet, prout docent cum supra citatis, Navarrus, Bellarminus, Peyrinis, et alii quos sequitur Koch eâd. q. 2, n. 65. Atque utinam difficultates istas elevent SS. pontifices, prout his verbis fecit in Jubilæo suo Benedictus XIV : *Cùm confessio sacramentalis in hoc Jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc Jubilæum lucrari velit.* Vide Theod. à S. Spiritu, cap. 6, de Jubil., n. 6.

8. Quæres 3° an confessio seu mortalium seu venialium, cùm hæc ut opus Jubilæi præscripta est, adeò necessaria sit, ut eâ vel inculpatè omissâ, vel per inscitiam aut nequitiam confessarii defectuosâ, non possit Jubilæi gratia comparari.

R. contra Dianam et alios quosdam affirmat., nisi in aliud opus commutetur, quod à confessario etiam absente, puta incarcerato, vel relativè ad incarceratum, fieri posse diximus. Ratio est quia ad Jubilæi consecutionem necesse est ut observetur forma à legislatore præscripta. Nec magis prodest ejus servandæ impotentia, quàm prosit ignorantia Jubilæi; unde sicut qui nullam ejus notitiam habuit, idem, post elapsum tempus lucrari non potest, sic nec qui lucrari quidem voluit, sed necessaria ad ipsum, formaliter aut æquivalenter implere non potuit. Non est tamen dubium quin Deus magnam bonæ hujus voluntatis rationem habeat.

9. Quæres 4° qualis ad Jubilæum confessio requiratur et sufficiat.

R. non sufficere sacrilegam, prout sacrilegè quidam existimaverunt; sed sufficere veram, quæ in alio quocumque casu ad absolutionem valere possit; qualis est signis et nutibus facta, in eo qui verbis confiteri non potest; integra solùm formaliter, facta absque perfectâ contritione; quia licèt bulla de *contritis et confessis* loquatur, non alio sensu, nomen contritionis accipit, quàm à Tridentino acceptum est, sess. 14, cap. 4; ibi autem pro eo etiam doloris imperfecti gradu accipitur, qui ad fructuosam confessionem cum sacramento sufficit.

Quæres 5° an ad idem Jubilæum sufficiat unica confessio; seu an denuò confiteri teneatur, tum qui post receptam absolutionem, unius vel multiplicis peccati inculpatè obliti recordatur; tum qui in novum grave peccatum relabitur. Et hæc quidem quæstio de eo procedit, qui necdùm opera omnia præstitit. Si enim præstiterit, jam Indulgentiam lucratus est.

10. R. ad primum, non teneri ad confessionem hìc et nunc : ita Granadus, Palao, Vasquez, q. 66; Lugo, disp. 27, n. 102; Viva, q. 8, art. 3, n. 4; Blasius, cap. 3, casu 5, contra Suarem, tomo 4, disp. 52, sect. 3, n. 7. Ratio est, tum quia ad Jubilæum sufficit status gratiæ per confessionis viam obtentus; et is habetur in præsenti; tum quia ex alibi probatis nequidem nova requiritur confessio ad Eucharistiæ receptionem, in casu peccati invincibiliter obliti. Neque si hæc ad Eucharistiam requiri dicatur, ideò ad Jubilæum requiri dicenda foret; quia urgeret in uno lex Ecclesiæ, quæ in alio non urget.

11. R. ad secundum, novâ tunc opus esse confessione. Ideò enim præcipitur confessio ut quis obices omnes qui gratiam impedire possint, quà securiori potest viâ removeat. Sed qui denuò in peccatum proruit, obices illos hâc efficaci viâ non removit. Quando-quidem in eo sit quoad Jubilæi gratiam statu, in quo primam ante confessionem versabatur. Ergo tametsi se perfectè contritum supponat, in quo falli non ægrè potest, dubium est ad minus an Indulgentiam consequatur. Ergo ad novam confessarii absolutionem recurrere debet. Ita Blasius ab Assumpt., casu 7; Suarez, disp. 52, sect. 3, cujus sententiam solidioribus niti fundamentis observavit Benedictus XIV, qui ideò novam in hoc casu ad Jubilæi sui lucrum exegit confessionem, ut videris apud eumd. Theodor., ibid., pag. mihi 129.

12. Sed quid si pœnitens ille ad confessarium reversus postremâ die, reconciliationis beneficium ab eo consequi non potuerit?

Respondet idem Blasius, eum, si verè contritus erat, et absolutionis beneficio injustè privatus est, indulgentiam nihilominùs esse consecutum; 1° quia quantùm de se fuit, præscripta quæcumque opera executus est; 2° quia pontificium diploma exigit quidem ut pœnitens delicta sua deponat, non autem ut ab his absolvatur; 3° quia alioqui quis omnia ad jubilæum præscripta adimplens, invitus et planè nolens gratiâ Jubilæi privaretur; quod durum est.

13. Ego quidem, si per tempus liceret, ad confessarium alium recurrerem. Si non liceret, orarem ut Jubilæi tempus prorogaret; potest enim tempus legitimè impedito prorogari. Atqui legitimè impeditus est, qui extrinsecè atque etiam iniquè à medio ad finem necessario, aut saltem multò securiori impeditur. Ergo.

14. Idem observari velim, si cui ob venialium consuetudinem differatur absolutio, quod ex dictis in tract. de Pœnit., fieri aliquando potest et debet.

15. Quæres 6° quo tempore ad Jubilæi consecutionem facienda sit confessio, an ante omnia opera, ut censet Navarrus, an in fine hebdomadis, ut alii volunt.

R. Nihil interest an præcedat confessio, an interpo-

natur, an fiat in fine. Patet id tum ex fidelium praxi, tum ex doctorum consensu, tum quia ex eo quòd in diplomate confessio cæteris operibus præponitur, nihil concludi potest, cùm ordo rerum ad substantiam rei minimè pertineat. Et verò cap. *Licèt*, 47, de Testib. et Attestat., multa reperire est in depositione testium præstanda, quæ tamen non eo debent ordine fieri quo recensentur.

16. Imò potest confessio fieri, antequàm alia opera peragere liceat, puta sabbato, vel etiam feriâ 6 præcedente dominicam primam Jubilæi; tum quia sic usu receptum est, propter confitentium multitudinem; tum quia confessio non est necessaria iis qui conscientiam mortalis non habent, nisi id ex Bullâ indubiè constet. Porrò, ut supponimus, non habet conscientiam mortalis, qui unâ aut alterâ post confessionem die, cùm jam apertum est Jubilæum, Eucharistiam recipit. Nec nocet quòd Jubilæi lucrandi tempus diebus quatuordecim concludatur; in nostrâ autem hypothesi extendatur ad dies sexdecim; id enim de aliis operibus intelligendum, non de confessione, quæ tantùm iis necessaria est qui lethalibus sunt innodati.

17. Sed num poterit confessio differri in dominicam sequentem?

Videtur quòd non: siquidem plerùmque dicitur in Bullâ: *Qui eâdem vel sequenti hebdomadâ dictas ecclesias visitaverint, necnon feriâ 4 et 6, et sabbato ejusdem vel sequentis hebdomadæ jejunaverint, atque peccata sua confessi, sequenti saltem Dominicâ SS. Eucharistiæ sacramentum reverenter sumpserint*, etc. Constat nihilominùs confessionem non minùs quàm communionem, ad tertiam usque dominicam posse differri; 1° quia dominica hæc, licèt reipsà initium sit hebdomadæ sequentis, ex peculiari privilegio in materiâ Jubilæi habetur tanquàm complementum hebdomadæ præcedentis, prout docent card. de Lugo, Bonacina et alii qui Ecclesiæ Romanæ usum propiùs intuiti sunt; 2° quia quæ mox relata sunt bullarum verba ad sensum hunc citra vim ullam flecti possunt; 3° quia hanc confessionis dilationem ad tertiam usque dominicam approbat consuetudo, optima legum et privilegiorum interpres. Unde observant Layman, lib. 5, tract. 8, cap. 8, n. 7; Palao, tract. 24; Koch, q. 1, n. 24, duas Jubilæi hebdomadas non 14 diebus concludi, sed quindecim constare, nimirùm tribus dominicis, et diebus duodecim intra eas inclusis.

18. An autem consultius sit cæteris operibus præmittere confessionem, vel postponere, vix respectu fidelium omnium definiri potest. Nam inde quidem videtur melius, ut confessioni reliqua opera præmittantur; tum ut mens per eadem opera ad uberiorem sacramenti gratiam præparetur; tum quia qui ultimo loco confitetur et Eucharistiam recipit, de suo gratiæ statu certior est. Hinc verò magis videtur expedire, ut à confessione ducatur exordium; quia opera deinceps ab homine jam justificato perpetrata, vim merendi apud Deum atque impetrandi majorem habent. Et ita fieri post S. Carolum optabat Benedictus XIV, in suâ ad Minores pœnitentiarios epistolâ encyclicâ, n. 75, apud Theodor., pag. 315 et seq. Sed quid tantùm si semel initio, semel sub finem Jubilæi confiteantur fideles.

Cæterùm ex dictis in tract. præced. consequitur neminem sub Indulgentiæ cujuslibet obtentu à pœnitentiali satisfactione esse eximendum, licèt hæc ob gravia Jubilæi opera utcumque imminui possit.

Articulus II.

De communione.

19. Quæres 1° an in omni Jubilæo necessaria sit communio.

R. in Jubilæis Romanis, seu quæ per annum sanctum comparantur Romæ, ne verbum quidem de communione apponi (1); unde cùm hæc nec divino jure, nec lege Pontificis præscripta sit, haud requiri videtur. Quia tamen hanc ex consuetudine et praxi necessariam esse credit Filliucius, et cum eo pauci quidam, hortandi sunt fideles ne ei desint, quod hominibus gratiæ statum consecutis et facile est, et impendio salubre. Cæterùm quin in Jubilæis *ad instar* necessaria sit communio nemini dubium esse potest. Tunc porrò non sufficere sacrilegam, quidquid contra eructare ausi sint Filliucius, Suarez ipse, disp. 52, sect. 6; Henriquez, et alii apud Vivam hìc, q. 8, art. 4, liquet ex censurâ hujus propositionis apud Innocentium XI, 53: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, quæ à pari vel à fortiori concludit in præsens. Quis enim dixerit velle Pontificem sacrilegis, quà talibus, Indulgentiam et favores Jubilæi impendere?

Sed neque sufficit communio merè spiritualis; quia in usu communi per communionem non intelligitur metaphorica, sed realis et exterior.

20. Quæres 2° annon ergo Jubilæum lucrari possit Antonius, qui ultimâ Jubilæi dominicâ tantillùm aquæ imprudens deglutiit.

Resp. posse, quia legitimè impeditis potest aliquod Jubilæi opus in aliud à confessario commutari, vel eisdem prorogari Jubilæum. Atque id ultimum facto opus erit, si pœnitens eâ ipsâ die quâ communionem meditabatur, in grave aliquod peccatum decideret, propter quod hìc et nunc absolvi non possit.

Quæres 3° an ad Jubilæi lucrum sufficiat communio solùm informis, non autem formaliter sacrilega; qualis est cùm quis ab ultimâ confessione gravem commisit noxam, quam levem ratus, nec pœnitentiâ, nec idoneo dolore ante Eucharistiam expiavit.

21. Negat Viva, ibid., n. 3, quia etsi opera cætera extra statum gratiæ peracta ad Indulgentiam prodesse valent, non tamen communio; cùm isthæc tantùm prodesse possit, quando est animæ refectiva, et omnes piæ communionis conditiones habet.

22. Mihi nonnullâ distinctione opus esse videtur. Si enim quis peccatum illud suum nullatenùs doluerit, non potuit Indulgentiam promereri; quia ultimum opus adeò in gratiâ perfici debet, ut nulla hìc opitu-

(1) Testatur, si memini, Benedictus XIV, se primum omnium communionis hujus legem indixisse.

letur ignorantia etiam invincibilis, prout fatentur omnes. Si verò quis eam attritionem habuerit, quæ Eucharistiæ receptioni conjuncta gratiam primam tribuit per accidens, tunc non videtur Indulgentiæ expers; quia et communionem utilem fecit, et ipso ultimi operis tempore in statu gratiæ constitutus est. Ita Blasius, cap. 4, casu 6. Neque hinc recedit ipse Viva; loquitur enim de communione informi; non est autem informis, quæ licèt per accidens, vitam tribuit et gratiam.

23. Quæres 3° an pueris qui necdùm ad sacram communionem admissi sunt, hæc in aliud opus sit commutanda.

Negant Vasquez, Viva, etc. Rationem dant, quia ex cap. *Tua*, de Testamentis, conditio de jure impossibilis, etiamsi apposita sit, habetur pro non appositâ. Atqui communio relativè ad pueros est conditio de jure impossibilis; neque profectò id ignorat S. Pontifex. Et verò facultas opera injuncta commutandi ad eos tantùm extenditur, qui fortuitum et accidentale impedimentum habent, ut infirmi, carceribus detenti, etc. Qui porrò à jure impedimentum habent, non sunt in eo casu.

24. Quoniam tamen tanti non est Ecclesias quinque pro quatuor invisere, aut invisere per dies sexdecim, dùm alii per quindecim invisunt; et præcipere solent episcopi ut communio pueris in aliud quodvis opus à confessario commutetur; idcircò quantùmcumque probabilis judicetur Vivæ opinio, contrariæ adhærendum est in praxi, quam et in Jubilæo suo secutus est Benedictus XIV. Et verò monialibus de jure impossibilis est ecclesiarum visitatio, et hæc tamen iis in alia opera debet commutari.

25. Quæres 4° quo tempore peragenda sit communio.

R. hanc præscripto per diploma tempore perficiendam esse, adeòque expendenda diplomatis verba, quæ quantùm ad præsens non semper eadem fuêre, uti probat Koch, q. 2, n. 92.

Articulus III.

De visitatione ecclesiarum, et oratione in iis faciendâ.

26. Constat in Jubilæo Romano præter confessionem requiri ut incolæ per dies triginta continuos vel interpolatos, advenæ verò per dies quindecim visitent basilicas quatuor S. Petri, S. Joannis in Laterano, S. Mariæ Majoris, et S. Pauli, ibique orent pro suâ et totius christiani populi salute. Constat rursùm in Jubilæis *ad instar* visitari debere Ecclesias quæ ab ordinario designatæ fuerint. Verùm hâc occasione non pauca emergunt dubia.

27. Quæres itaque 1° an hìc locum habeat parvitas materiæ; ita ut Romanus qui Ecclesias vicies novies tantùm inviserit, à gratiâ Jubilæi excidat.

R. eum qui unicæ visitationi defuerit, minimè lucraturum Indulgentiam. Ratio est quia conditio, cùm formæ rationem induit, strictè servari debet, ex cap. 34, de Præbendis. Ergo cùm conditio sub quâ tribuitur indulgentia, in hoc definitè numero consistat, nequaquàm ab eo recedere licet. Nec prodest quæ in contrarium objicitur præsumpta Pontificis benignitas, quia non licet à præsumpto ad expressum procedere.

28. Quæres 2° annon saltem, cùm præcipitur quatuor ecclesiarum visitatio, liceat eam partiri, sic ut duæ vel tres hodiè, cras autem una vel duæ invisantur.

R. negat. cum Navarro, Quarti, et aliis communiùs. Obstat enim praxis fidelium, qui omnes in hoc puncto bullam strictè interpretantur. Atqui praxis et observantia declarant Jus, ex cap. 8 de Consuetudine, prout cum communi doctorum tradunt Baldus, Viva, hìc a. 5, etc.

29. Quæres 3° quæ ecclesiæ visitatio requiratur.

R. eam requiri quæ devotè et religiosè fiat: fieri autem devotè, quæ fit mente ad Deum piè elevatâ, et precibus attentè recitatis. Etsi autem quò nutriatur ille devotionis affectus, plurimùm decet ut ipsum iter non sine aliquo religionis sensu conficiatur, si quis tamen jocando se ad ecclesiam conferret, non deesset substantia operis præscripti, modò post ingressum colligeret animos, et reverenter precaretur; imò nec venialis circumstantia, puta aliquis gloriolæ motus, non quidem causans actionem, sed eam stipans, valori ejus obesset absolutè. Sed nec id faceret habitus peccati mortalis, cùm fide constet ex Tridentino, sess. 6, cap. 7, non omnia quæ ante justificationem fiunt opera, mala esse. Si tamen ecclesiæ visitatio ultimum esset opus, dubio procul in statu gratiæ peragenda foret. Cæterùm nihil ad substantiam interest an quis pedes vel eques ecclesias visitet, an ab iis longo vel brevi itinere distet; licèt viæ defatigatio et molestia citra dubium coram Deo computentur.

30. Quæres 4° an satis sit extra fores ecclesiæ precari.

R. id à nobis expensum esse in tract. præced., c. 1, n. 34. Unum nunc addere sufficiat, nempe si trium aut quatuor ecclesiæ altarium visitatio præcipiatur, non satis esse ut oretur ante fores; quia etsi moraliter ecclesiam visitare dicitur, qui eam ingredi non valens, ante limen orat; non tamen hoc vel illud altare visitare dicetur, qui extra januam preces fundit. Sed neque satis erit ut in medio templi positus ad altaria sese animo convertat: Quia præscripta visitatio debet esse sensibilis, sicque fieri ut exteriùs appareat orationem aut aliud pietatis opus ad hoc vel illud altare dirigi. Sed de hoc jam in cit. tract., ubi supra.

31. Quæres 5° qualis esse debeat oratio, an expressè finem intendens, an vocalis, et quanta.

R. ad primum, melius esse ut quis, cùm potest, saltem in primæ ecclesiæ visitatione, fines à Pontifice expressos expressim recolat; satis tamen esse ut pro iis in genere precetur. Nec vulgò aliud potest plebecula, maximè cùm plurimos fines assignat diploma pontificium.

32. R. ad secundum, mirum ac penè dolendum quòd hujusmodi quæstiones versent scholastici. Annon ex omnium confesso tutius est quòd orationi mentan jungatur vocalis? An vocalis quinæ dominicæ orationis recitatio tam ardua est, ut in eâ persolvendâ

desudandum sit? An etiam in minimis studendum est mollitiei fidelium, etc. Esto eum qui bonâ fide mentaliter solùm oraverit, consolari enitar; et dicam quòd non improbabiliter Jubilæi gratiam consecutus sit; sed ut quid nonnihil dubia, fortè etiam falsa, ante actionem proponam? At, inquit Viva, q. 8, a. 5, oratio mentalis magis est propriè oratio quàm vocalis. Sanè magis est oratio quàm labiale murmur verba sine sensu et affectu effundens; sed num magis quàm vox cordis voci oris intimè conjuncta? An minùs benè orat Ecclesia, quæ in jubilo et cantu, quàm pii fideles qui mente solùm precantur? Hinc Benedictus XIV, in bullâ *Convocatis*, n. 51: *Qui solâ mente ad fines* designatos *devotè orare voluerit, laudandus est: Aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.*

33. R. ad tertium: Si Pontifex cujusque devotioni preces suas permiserit, prout fecit Innocentius X, et ante eum alii, hâc solùm usi clausulâ, *ibique devotè Deum oraverint*, sufficere videtur oratio etiam brevis, modò non ridicula ex brevitate. Sed quidquid de eo sit, semper consulendum fidelibus, ut ad minimum per tempus repetitæ quinquies Dominicæ orationis cum Angelicâ salutatione precentur. Non quòd brevior temporis mora minimè sufficere possit; sed quia non decet ut fidelis in Deum tam parcus sit, cùm Deus suas in eum opes pleno cornu effundere dignatur.

34. Quæres 6° quid facto opus sit, si ecclesia in stationem designata in urbe ab episcopali paululùm dissitâ, inopino casu corruerit, prout an. 1702 evenisse scribit Elasius ab Assumpt. cap. 5, casu 12.

R. recurrendum esse ad episcopum qui aliam designet, atque in eorum gratiam qui stationes necdùm decurrerunt, Jubilæum protrahat. Neque enim satis est ut hujus ecclesiæ loco aliam invisant fideles; quia Indulgentia non cuicumque Ecclesiæ, sed designatæ annexa est. Quòd si qui ante collapsam ædem orare perrexerint, credimus eos satisfecisse penso suo, priusquàm alia ab episcopo designata esset Ecclesia, non autem postquàm hæc designata fuit; quia designatio hujus fuit virtualis revocatio illius quæ collapsa est.

35. Quæres 7° an episcopus stationes quatuor à Pontifice præscriptas ad unam, puta ad unius parochialis ecclesiæ visitationem reducere possit.

R. id equidem posse in gratiam eorum quibus, præ infirmitate et locorum distantiâ, plures invisere difficilius fuerit; non posse verò generali lege, quæ ad omnes etiam vegetos se extendat, quia alioqui temerè dispensat in lege superioris. Cæterùm ecclesiæ loco potest designari ruralis capella, crux ad venerationem exposita in bivio, etc.

36. Quæres 8° an episcopus confessariis largiri possit facultatem stationes ad minorem numerum coarctandi justis de causis.

R. posse, imò et debere; 1° quia cùm per semetipsum his omnibus invigilare non possit, necessum est ut minutiorem eorum curam aliis committat, ne quis à Jubilæi gratiâ excidat, aut circa ejus executionem anxius sit et incertus; 2° quia ex alibi dictis *delegatus ad universalitatem causæ subdelegare potest.* Episcopus porrò ad universalem Jubilæi causam delegatus est; 3° quia idem habet diœceseon praxis, nativa legum interpres.

Articulus IV.

De eleemosynâ.

37. Eleemosyna duplex, corporea, quæ est boni temporalis erogatio facta pauperi; et spiritualis, quæ etiam diviti, mentem ejus divinis pascendo, impendi potest.

38. Dubitatur 1° an cùm bulla Jubilæi præcipit eleemosynam, sufficiat spiritualis.

R. negat., quia eleemosyna vulgari sermone de corporeâ intelligitur; et multò magis cùm *pauperibus* facienda præscribitur, ut in Jubilæis. Unde nec satis esset ut quis infirmos visitaret et consolaretur.

39. Dubitatur 2° an tunc temporis sufficiat eleemosyna quælibet, etiam modicissima.

Affirmat contra communiorem Pasqualigo, q. 133, quia modicam stipem erogans, erogandæ stipis legem implevit. Negant alii passim, quia cùm præcipitur eleemosyna, dubio procul, sicut et oratio, præcipitur secundùm prudentiæ regulas. An porrò secundùm prudentiæ regulas operatur dives, qui decem aureos facilè largiri valens, æris dat minuta duo. Alii bullæ verba ponderari volunt. Hæc autem aliquando habent, ut Indulgentiam lucretur, *qui dederit eleemosynam*, vel quod in idem recidit, *qui dederit juxta devotionem et arbitrium*, vel *prout cuique suggeret sua devotio*; quandoque autem: *Qui dederit eleemosynam quantùm pro suâ cuique facultate visum fuerit.* Et quidem in hoc postremo casu Indulgentiam non lucrabitur modicissimæ eleemosynæ largitor, imò nec semper qui mediocrem dabit, quia hæc facultatibus ejus non erit proportionata. At in priori lucrari poterit, qui stipem aliquam, licèt cæteroqui facultatibus longè minorem dabit. Dico *lucrari poterit*, non autem certò lucrabitur; quia si ex avaritiâ, quæ de se mortale est peccatum, sit in pauperes parcus, jam quia in gravi peccato positus, gratiæ Jubilæi incapax erit. Sin autem hìc et nunc parùm det legitimis de causis, puta quia paulò post Jubilæum prævidet affore sibi nubem pauperum, quibus benefacere consuevit; nihil est cur à Jubilæi gratiâ exclusus censeatur; imò dat pro facultate suâ præsenti, prout cuicumque rem penitiùs intuito constabit.

Dub. 3° an ipsi pauperes ac religiosi stipem erogare teneantur.

40. Negant Faustus, Navarrus, etc., 1° quia veri non est simile Legem his constitui, qui ejus servandæ incapaces sunt. 2° Quia ex lege *Num ad ea*, etc. ff. de Legibus: *Quæ semel aut bis accidunt, contemnunt legislatores*, neque pro his regulam sanciunt. Porrò vix unquàm accidit, ut quis ne obolum quidem impendere valeat. Hinc deducunt necessum non esse ut iis eleemosyna in aliud opus commutetur.

41. Aliter sentiunt doctores plerique, quos sequuntur Viva, q. 8, art. 6; Koch, q. 2, num. 104, etc., et eleemosynam omnibus adeò necessariam esse do-

cent, ut nisi fiat, aut in aliud opus commutetur, percipi non possit Indulgentia; et his ducimus assentiendum, 1° quia ad Jubilæi consecutionem servari debet forma per bullam præscripta. Atqui hæc eleemosynam, non secùs ac jejunium et communionem requirit. Ergo sicut duo hæc commutari debent infirmis, qui ea ex morbo vel vomitu adimplere non valent, sic et illa. 2° Quia nemo tam egenus est, ut obolum dare non possit, vel ab alio ut det, petere. 3° Quia opinio hæc et tutior est, et ad minus æquè probabilis ac opposita.

42. Hinc sequitur religiosos ipsos ad stipem, seu per se, seu per superiores erogandam teneri; quod et de uxoribus, filiisfamiliàs, servis, etc., dicendum. Etsi autem docent aliqui subditum, cui negaretur à superiore stips egeno danda, posse aliquid ex monasterii bonis clanculùm subripere, ex præsumptâ, non quæ sit, sed quæ esse debeat, superioris voluntate; id tamen meritò ab aliis rejicitur. Stat enim superiores potestate suâ abuti, et eis tamen parendum esse; suâ enim potestate abutitur episcopus, qui sacerdotem excipiendis confessionibus idoneum approbare recusat aut approbatum excludit, et huic tamen omninò parendum est. Quapropter sibi religiosus in hoc casu per viam commutationis providere debet; quod et faciendum erit, si superior exeundi domo ad visitandas ecclesias facultatem justè vel injustè recuset.

43. Nec obsunt rationes in contrarium num. 41 adductæ. Non prima. Non enim voluit quidem Pontifex ut fieret quod fieri nequit; at velle potuit, et velle censetur, ut quod fieri non posset, in aliud possibile commutaretur. Sciebat utique Papa non defore infirmos qui jejunare non possent. Ergo sicut his jejunium commutari intendit, sic et intendere potuit ut aliis commutaretur eleemosyna. Si autem potuit, ergo dubium est an non voluerit. In dubio autem quis prudens subeat periculum gravis detrimenti?

44. Non secunda; aliud est enim quòd legislator pro casibus ferè metaphysicis leges non sanciat; aliud quòd favorem certæ conditioni annectens, conditionem hanc vel in se, vel in æquivalenti adimplere non intendat. Ergo cùm de conditione constet, non autem de exceptione, pessimè sibi consulit, qui eam in se ipsâ perficere non valens, eamdem non implet in æquivalenti per viam commutationis.

45. Dubit. 4° an eleemosyna hæc in simplici tantùm pecuniæ alicujus traditione consistat.

R. negat.; hæc enim per alia corporalis misericordiæ opera satis impletur; unde qui pauperem cibat, qui religiosum excipit hospitio, qui nudum vestit, qui sepelit mortuum inopem, qui mutuum dat egeno, imò qui vehiculum aut similia eidem commodat, conditionem à bullâ injunctam exequitur; quia hæc omnia stipis corporeæ vocabulo intelliguntur à theologis post S. Thomam, 2-2, q. 32, a. 3. Ita partim Koch, q. 2, n. 106, partim Blasius ab Assumpt., cap. 2, casu 18.

Dubitatur 5° an Jubilæi particeps sit, qui eleemosynam famulo commisit distribuendam, sed quæ vel distributa non est, vel non nisi post elapsum Jubilæi tempus distributa fuit.

46. Duplex est iis de casibus opinio, utraque probabilis. Prima docet tunc obtineri gratiam, 1° quia verè dat eleemosynam, qui se rei dominio exuit in gratiam pauperis. Id autem fit in prædictis casibus; quòd autem pauper vel seriùs, vel nunquàm rem ad se missam recipiat, cùm sit per accidens, et præter intentionem dantis, nihil ei nocere debet. Et verò de substantiâ eleemosynæ est ut per eam sublevetur indigentia. Si quis tamen ficto pauperi stipem tribuat, non sublevat indigentiam, et tamen indulgentiam ex omnium confesso lucratur. 2° Quia non decet pietatem Pontificis, ut *rem quæ culpâ caret*, totumque suum coram Deo meritum sortitur, *in damnum* vertat. Sic sentiunt Vega, Sà et alii plures, qui inde colligunt dominum, si tempestivè famuli sui nequitiam cognoscat, non teneri ad novæ stipis erogationem.

47. Secunda opinio, quam tenent card. Lugo, disp. 27, n. 112; Corduba, Leo, et alii quos sequitur Viva, ibid. n. 3, docet in eo casu non percipi Indulgentiam. Rationem dant, 1° quòd ubi deest conditio ad Jubilæi assecutionem necessaria, non acquiritur Jubilæum. Atqui non distributâ, sed tantùm distribui mandatâ stipe, deest conditio, quia verè deest eleemosyna; ad hujus enim substantiam spectat, ut indigenti propter Deum tradatur. Ergo si nihil tradatur indigenti, sed duntaxat tradendum committatur, deest substantia eleemosynæ. Neque verò magis de facto eleemosynam largitur, qui tantùm largiendam committit, quàm de facto matrimonium contrahit, qui tantùm alteri committit ut nomine suo contrahat; 2° quòd donec eleemosyna verè detur pauperi, dominus semper summæ commissæ proprietarius manet, ita ut repetere eam possit sine cujusquam injuriâ, cùm nulla donatio valida sit ante acceptationem. Ergo nihil hùc usque indigenti verè datum est; nec proinde acquiritur quæ soli dono annexa est Indulgentia; 3° quia sicut non restituit, nec justitiæ actum completè exercet, qui rem debitam committit Joanni ut Petro restituatur, si hæc de facto ad Petrum non perveniat; sic non donat, nec eleemosynæ actum completè exercet, qui dat eleemosynam indigenti distribuendam, donec ea ad indigentem perveniat.

Hæc opinio, licèt nonnihil dura, priori verior videtur. Nec obstant quæ in istius gratiam, ingeniosè licèt, excogitata sunt. Unde

48. Ad primum: 1° Non exuit se verè dominus proprietate rei suæ, cùm eam sibi, quamdiù apud famulum manet, revendicare possit; quod à multis non semel factum est. 2° Nec sufficit abdicandæ proprietatis intentio, nisi proprietas hæc ad alium reipsà devolvatur. Aliàs qui pecuniam seposuit ante Jubilæi finem dandam egeno, et ex oblivione non dedit, Indulgentiam lucraretur; quia et hìc subest actus aliquis eleemosynæ incompletus, cui sua coram Deo merces erit. Atqui tamen nemo dicet id sufficere, nec qui dixerit fidem merebitur, ut benè Viva, n. 4. Aliud sanè est cùm quis ficto pauperi eleemosynam tradit: 1° quia is omni prorsùs dominio sese exuit; 2° quia

alioqui severè discutienda foret petentis inopia, quod sanctorum Patrum consiliis adversatur. 3° Quia eleemosynæ titulo datur, quidquid reipsà datur ad sublevandam egeni necessitatem; unde eleemosynam dedit, qui dat ei cujus necessitas non sublevatur, seu propter furtum alterius, seu quia interea dives evadit. Cæterùm bullæ aliquando solùm præcipiunt ut fiat eleemosyna, absque pauperum mentione, ut advertit Lugo, disp. 17, n. 113, pag. mihi 623.

49. Ad secundum : Sicut non facit pietas Pontificis ut qui dandæ stipis vel stationis faciendæ oblitus est, Indulgentiam percipiat; sic nec in præsenti casu eleemosynæ defectum supplere censenda est. Et verò quidni utcumque intenderit Pontifex ut eleemosyna saltem aliqua, tutiori quâ potis esset viâ, erogaretur?

50. Dices : In casu ficti pauperis non fit verè eleemosyna; ad hanc enim requiritur animus dominium transferendi. Atqui animum hunc non habet, qui solùm verò pauperi donare intendit.

51. Respondet Lugo, ibid., in his minutioribus esse regulariter animum transferendi dominium, licèt propter dolum revocari possit donatio. Solutionis hujus difficultatem nemo non sentit; præsertim cùm largior quandoque eleemosyna in his occasionibus fieri possit, quam nemo in fictum pauperem transmissam velit; unde dicendum videtur per eleemosynam in præsens ex communi Ecclesiæ sensu intelligi quidquid reapsè datur animo sublevandæ paupertatis; unde qui angelo indigentis formam præferenti daret, Indulgentiam consequeretur. Nec dubium quin in præcitatis casibus id misericorditer suppleat Dominus, quod ex parte hominum deficit.

52. Dubitatur 6° an cùm eleemosyna pro alio erogatur, necesse sit ut illud resciat, eamque donationem ratam habeat tempore Jubilæi.

Respondet Lugo, ibid., n. 117, superiorem, idemque est de marito respectu uxoris, domino respectu famulorum, etc., qui daret eleemosynam insciis subditis, nec saltem intra hebdomadæ decursum ratihabentibus, nihil iisdem ad Indulgentiam esse profuturum; quia dare elemosynam est actio moralis, ad quam prærequiritur aliqua cognitio et voluntas : unde operæ pretium est ut ante de stipe ipsorum nomine largiendâ omnes admoneantur; quod et in communitatibus benè ordinatis fieri solet. Id autem cùm *longè securius* esse fateantur qui virtualem ratihabitionem, in solâ Jubilæi lucrandi voluntate positam, sufficere existimant, nunquàm est omittendum.

53. Dubitatur 7° quoties et quando ad Jubilæi gratiam fieri debeat eleemosyna.

R. ad primum, sufficere ut eleemosyna semel detur; quia etsi bullæ de eleemosynis loquantur in plurali, non tamen plures à singulis, sed tantùm ab omnibus exigunt. Si tamen Pontifex triplicis jejunii loco triplicem eleemosynam requirat, uti fecit Sixtus IV, cùm an. 1585, Jubilæum indixit tempore paschali, quo, ut aiebat, *jejunia non indicuntur*, non sufficeret eleemosynam semel largiri, sed tripam dari oportet, eamque consuetâ majorem, quia hæc bini operis vices gereret.

54. R. ad secundum, eleemosynam posse fieri ante vel post communionem, imò quovis alterutrius hebdomadis die, modo intra hujus temporis spatium impendatur. Ratio est quia bulla, ex communi doctorum intellectu, non exprimit tempus quo facienda est eleemosyna; nec ex eo quòd eam identidem post opera alia recenseat, sequitur hanc iis esse postponendam; quia operum ordo non est de substantiâ Jubilæi. Si tamen eleemosyna certæ diei affixa sit, prout feriis 4, 6, et sabbato per Sixtum V, annexa erat, non est dubium quin stato tempore debeat erogari.

Articulus V.

De Jejunio.

55. Quæres 1° an jejunia semper ad Jubilæi assecutionem requirantur.

R. negat.; neque enim exiguntur in Jubilæis anni sancti, et quæ ea extra Urbem in aliis regnis consequi solent. Exiguntur verò in Jubilæis *ad instar*, seu extraordinariis, ut peragenda feriâ 4, 6, et sabbato, et quidem unius ejusdemque hebdomadæ.

56. Quæres 2° quali ad Jubilæum opus sit jejunio.

R. idem et non aliud requiri, quàm quod fidelibus ab Ecclesiâ certis diebus præscriptum est. Quia cùm nihil speciale de jejunio statuat Pontifex, purè ecclesiastico contentus esse videtur. Unde sicut ecclesiastico jejunio facit satis, qui certis in regionibus utitur, ovis et lacticiniis, sic et jejunio Jubilæi satisfacere existimandus est. Idem dixeris si quis justâ de causâ sub meridiem cœnulam faciat, et cœnet sub noctem. Etsi autem permittunt boni et faciles Germani cum Gobat., n. 209, Koch, n. 99, ut quis non modò *pomum vel aliquid simile* sumat, *ad sedandam stim.* vel *vel interdiu extra refectionem vinum, cerevisiam, vel aquam bibat;* id sanè nos constanti traditione freti rejicimus. Quod verò docent iidem, eum qui *per immoderatum potum se inebriat, peccare quidem contra temperantiam, non tamen contra præceptum Ecclesiæ, nisi* fortè *se inebriet ne difficultatem jejunii persentiscat*, ut ridiculum æquè ac veræ pietati adversum exhorremus.

57. Quæres 3° an si Jubilæum paschali tempore lucrandum proponatur sub conditione jejunii, possit jejunium illud ab episcopo in triplicem eleemosynam commutari.

Affirmat Gobatius, cap. 28, n. 202, quia sic à Sixto V factum sit : sed malè; quia Episcopi præscriptam à superiore formam commutare non possunt, nisi cùm eam hìc et nunc adimpleri impossibile est. Porrò jejunare tempore Paschali, nec impossibile est de facto, ut per se patet; nec de jure, cùm Ecclesia, etsi tunc temporis non jejunat, voluntaria tamen jejunia commendet, ut constat ex cap. 10 et 11, dist. 76, ubi refertur id Hieronymi, Epist. ad Lucinium : *Utinam omni tempore jejunare possimus, quod Apostolorum dicbus Pentecostes... credentes fecisse legimus*, etc. Porrò jejunium Jubilæi voluntariè fit ab iis qui illud lucrari cupiunt. Et verò Urbanus VIII paschali tempore Jubi-

læum indicens, jejunia triduana præscripsit. Ergo hujus temporis circumstantia non est ratio sufficiens ut Episcopus jejunium commutet.

58. Quæres 4° annon saltem commutari possit jejunium, quod in præcipuum loci alicujus festum inciderit.

R. non posse jejunium tunc in aliud opus ab episcopo commutari, sed posse in aliam diem transferri. Nam ex cap. 2, *de observat. Jejun.*, solemnitas Festi de jure communi est causa anticipandi jejunium, prout fit in urbe Sanquintinianâ, ubi unâ ante vigiliam omnium Sanctorum die jejunatur, ne ipso S. Quintini die jejunetur. Si tamen festivitas quædam in antiqua, quæ toto in orbe certæ diei affixa sint, jejunia sæpè incidat, ut Roïæ festum S. Florentii, melius dubio procul erit festum transferri, quàm jejunium.

59. Quæres 5° an omnes ad jejunium pro Jubilæi consecutione teneantur.

R. Teneri universos, adeòque senes etiam et adolescentes, nisi per accidens, nimirùm ex nimiâ virium imbecillitate, aut ex alio capite sinè notabili incommodo jejunare non possint. Etsi enim juvenes annis 21 minores non adigit Ecclesia ad jejunia quæ cùm multa sint, adolescentiæ non parùm onerosa forent, rarum est tamen ut jejunia tria sustinere non valeant. Quapropter si iis ob solam ætatem commutetur jejunium ab improvido directore, non assequentur gratiam Jubilæi.

60. Etsi autem generatim statuit Mansuetus Koch, n. 100, pauperes, messores, aliosque artifices, qui à jejunio ecclesiastico excusantur, ut se, suamque familiam laboribus suis sustentent; nobis tamen æquius est ac tutius quod docet Viva ibid., n. 4, talibus scilicet jejunium commutari non posse, *si absque notabili incommodo possint vel jejunare, vel à laboribus cessare.* quoti non rarò à labore vocant, ut vacent ebrietati? Subdit idem Viva, quòd licèt cæteris paribus major ad dispensandum, quàm ad commutandum requiratur causa; major tamen requiratur causa ut cuipiam commutetur jejunium Jubilæi, quàm ut is à jejuniis ecclesiasticis dispensetur. Ratio est, quòd hinc quidem jejunium jubilæi offertur tanquàm conditio voluntariè acceptanda; inde verò ecclesiastica jejunia, ut quæ frequenter recurrunt, multis grave præjudicium inferrent.

61. Quæres 6° quando jejunandum sit ob finem Jubilæi.

R. Jejunandum esse 1° intra tempus pro Jubilæi consecutione designatum; 2° eâdem hebdomadâ, et iisdem diebus quibus jejunium fieri præscriptum est; unde si designatæ sint hebdomades duæ, non satisfacit qui semel primâ, bis autem secundâ jejunat; aut qui loco feriæ 4 jejunat feriâ 5. Ratio est, 1° quia diplomatis verba ex se ipsis, atque ex communi Doctorum sensu exprimunt jejunia et prædictis diebus, et intra eamdem hebdomadam facienda esse. Ecquid aliud sibi velint isthæc: *Qui feriâ 4, 6, et sabbato primæ, vel secundæ hebdomadæ* aut *alterius ex duabus hebdomadis* jejunaverint? 2° quia scopus Pontificis, dùm jejunia hæc præscribit, est ut affligatur caro; ad id verò non parùm conducit quòd eadem jejunia sibi proximè succedant; 3° quòd Jubilæi jejunia quamdam habent cum quatuor temporum jejuniis affinitatem. Hæc autem, juxta omnes, unâ eâdemque septimanâ observari debent.

62. Nec obest quòd continua tria Feriæ 5, 6 et sabbati jejunia, ut quæ continuo ductu fiant, sint magis difficilia, et ideò meritoria magis quàm si interpolatis diebus fiant. Namque 1° in positivis, non tam operis præstantia, quàm Pontificis intentio spectanda est; 2° et hæc Pontificis intentio jejunia utcumque faciliora efficientis, inde commendanda est, quòd et eâ viâ curare voluerit ut plures afflictâ simul iisdem diebus carne, vim quamdam Cœlo inferrent; et è familiis abigere dissidia, quæ facilè erupissent, si suam quisque pro libitu jejunio suo diem affixisset.

63. Quæres 7° quid juris si elapso jejuniorum tempore accedat quis ad confessarium die dominicâ, sibique, ut Jubilæum lucretur, jejunia commutari efflagitet.

R. Cum Vivâ q. 8, art. ult., si pœnitens inculpabiliter et ex Jubilæi ignorantiâ id fecit, dubio procul poterunt jejunia, vel in eleemosynas vel in alias preces eo die præstandas commutari, ut jam tunc Indulgentiam lucrari valeat. Si verò id malâ fide fecerit, *poterit*, quin et debebit *confessarius illum plectere commutando jejunia præterita in jejunia ponenda tribus primis diebus*, vel paulò post, semper tamen intra eamdem hebdomadam, ut servetur Jubilæi forma. *Nam quamvis voluntariè redditus sit impotens, adhuc tamen est potens postmodum ponere injuncta jejunia; et in casu impotentiæ potest Confessarius tempore Jubilæi opera injuncta commutare etiam in opera post Jubilæum ponenda, quoties datur causa differendi consecutionem Jubilæi, ut videtur adesse in casu hujus inculpabilis impotentiæ.* Hæc ille.

CAPUT IV.

De privilegiis Jubilæi.

1. Circa Jubilæi favores attentè ponderanda sunt diplomatis verba, quandoquidem in negotio Indulgentiarum valet tritum istud axioma: *Quod non est in bullâ, non potest esse in praxi.* Unde malè quis ex eo quòd gratia hæc vel illa in tali Jubilæo concessa fuerit, statim inferat eam proinde in præsenti Jubilæo concessam supponi debere.

Duo igitur duntaxat hìc emergunt dubia: primum, an, si contingat Pontificem mori paulò post Jubilæum, ad causam quæ jam non subsistit, puta ut Ecclesiam feliciter gubernaret, concessum; et ante cognitam ejus necem fideles à censuris aut votis absolvantur, valeat hæc absolutio, seu commutatio. Secundum, an omnes Jubilæi gratiæ, puta absolutio à censuris, et votorum commutatio ab uno eodemque sacerdote conferri debeant.

2. R. ad primum affirmat. Ratio est, 1° quia error communis, saltem cum titulo colorato dat jurisdictionem, idque meritò ad vitanda animarum pericula.

Atqui in præsenti casu datur error communis, et adest titulus pontificiæ delegationis; 2 quia tametsi potestas vicarii generalis, utpote quæ eadem sit cum potestate episcopi, statim expiret etiam in causis jam cœptis, ut habet communis doctrina apud Sanchem lib. 3, de Matrim., disp. 30, valent tamen vicarii acta, quamdiu mors episcopi publicè ignoratur, uti docent Henriquez, Lessius, Barbosa, part. 3, de Offic. et Pot. episc., alleg. 54, n. 152; Reiffenstuel in tit. 28, lib. 1, n. 104, etc. Ergo à fortiori valent absolutiones et commutationes post mortem Pontificis factæ in locis ubi ea communiter ignoratur, *à fortiori*, inquam, quia potestas delegati post mortem delegantis diutiùs ex juris dispositione perseverat, quàm vicarii potestas; hæc enim in causis etiam incœptis statim desinit; illa verò etiam post cognitam delegantis mortem perseverat usque ad finem causæ jam cœptæ, ut docent omnes ex cap. *Gratum*, 20, et cap. *Licet*, 30, de Officio et Potest. Judic. delegati.

3. Quin et censet utcumque Suarez, disp. 57, sect. 2, n. 9, revocationem Indulgentiæ etsi aliàs satis promulgatam, non nocere quoad absolutionem à peccatis reservatis, ei qui Indulgentiæ revocationem invincibiliter ignorans, ea confessus est. Et ego quidem cum eodem scriptore *cupio esse veram* hanc *sententiam, quia valdè favorabilis est* et pia; *eritque vera, si hæc sit voluntas pontificum; unde autem hæc voluntas colligatur non satis apparet.* Ergo cùm inniti non liceat jurisdictione, quæ *non satis apparet*, contraria opinio tenenda est in praxi. Quod ægrè quidem dico, et pluribus abhinc annis circa gravem hanc materiam ita suspensus, ut aliquando me humana quædam miseratio in partem leniorem trahat; aliquando timor revocet ad duriorem, quæ sola saluti tutò providere videatur.

4. R. ad secundum posse vel unum eligi qui omnia privilegia conferat, id est, qui simul à censuris absolvat, et vota commutet; vel plures, quorum alter peccata, vota alter relaxet. Ratio est quia Bullæ, præsertim recentiores, nihil habent quod strictè exigat, ut omnia ab eodem confessario fiant. Harum verba hæc esse solent: *Insuper omnibus et singulis Christi fidelibus*, etc., *facultatem concedimus, ut sibi eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quàm cujusvis ordinis et instituti regularem ex approbatis, qui eos*, etc.; atqui verba hæc nullatenùs exigunt, ut omnia ab uno fiant. Stat enim, præsertim in materiâ admodùm favorabili, proinde extendendà, hominem ab electo confessario absolvi, stat et eidem ab electo confessario vota commutari, etsi absolvat alius, alius verò commutet. Et verò quid mali, si anceps an emissum castitatis non perpetuæ votum commutari postulem; sub initium hebdomadæ à confessario, quem primùm inveni, ab omnibus peccatis absolvar; sub finem verò ejusdem hebdomadæ, ab ordinario confessario voti mei commutationem obtineam? Atque ità docent card. Lugo, disp. 27, n. 120, et alii plures. His in antecessum præmissis, sigillatim expendendi veniunt universi Jubilæorum favores. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

De facultate eligendi confessarium.

5. Quæres 1° an Jubilæi tempore possit quilibet sacerdos in confessarium eligi.

R. negat.; is enim solus eligi potest qui ab ordinario approbatus fuerit. Imò nec semper sufficit approbatio generalis; quia potest episcopus certos Jubilæi confessarios, aliis prætermissis designare; tuncque prætermissi, vel omninò ab audiendis confessionibus cessabunt, si ita superiori videbitur; vel ut antea confessiones excipient, sed Jubilæi privilegia non dabunt. Patet id ex diplomatum pro Jubilæis extraordinariis tenore, ubi hæc: *Concedimus singulis Christi fidelibus facultatem ut sibi eligere possint quemcumque presbyterum confessarium ex approbatis à locorum ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis absolvant.* Vide q. 3.

Quæres 2° à quo ordinario approbatus esse debeat sacerdos *Jubilaris*.

6. R. 1° non sufficere approbationem datam à quocumque episcopo, cujuscumque loci sit, uti perperàm et ridiculè docent Henriquez, Postellus, Lezana et alii apud Vivàm q. 9, art. 3, n. 3. Ratio est 1° quia si valeret approbatio episcopi nullam habentis jurisdictionem vel in confessarium, vel in pœnitentem, posset quis in Indiâ episcopus sacerdotes omnes per litteras approbare; quo nihil absurdius fingi potest; 2° quia jurisdictio nonnisi subdito, vel saltem relativè ad oves subditas committi potest. Atqui jurisdictio à quocumque episcopo commissa, nec subdito committeretur, nec relativè ad oves committenti subditas, ut patet, tum ex terminis, tum ex hypothesi.

7. R. 2° controverti inter theologos an sufficiat approbatio facta à solo pœnitentis episcopo. Eam semper, maximè autem Jubilæi tempore, satis esse docent Suarez disp. 28, sect. 6; Sanchez, lib. 3, cit. disput. 33; Ledesma, Sylvester, et alii quos sequitur Viva ibid. n. 1. Horum rationes sunt 1° quòd approbatus ab ordinario pœnitentis habet jurisdictionem in illum quocumque in loco, quia quatenùs confessarius gerit vices Christi, cujus jurisdictio nullo loco circumscribitur; 2° quia episcopus subditum suum ubilibet absolvere potest, cùm jurisdictionem voluntariam in foro etiam exteriori extra territorium exercere valeat. Atqui quod per se facere potest episcopus, hoc alii faciendum demandare potest. Idque adhuc certius est Jubilæi tempore, quo approbat quidem episcopus, sed jurisdictionem tribuit summus Pontifex.

8. Aliter sentiunt Rodriguez, Layman lib. 5, trad. 6, cap. 11, in fine, et alii quos secuti sumus, ubi episcopi utriusque, loci scilicet et pœnitentis, jurisdictionem necessariam esse diximus. Neque hinc recedendum, cùm in his saltem regionibus usu constanti receptum sit, quòd jurisdictio delegata, non subditum modò, sed et locum afficiat. Et verò quid non scandali, si sacerdos Versaliis non approbatus, fortè et interdictus, eorum quos ad se mitteret vicinus Carno-

tensium episcopus confessiones palàm audiret, vel clanculùm audire resciretur?

9. Confirm. quia Clemens X, in bullâ quam die 2 augusti, an. 1670, edidit, disertim declarat, regularem ab episcopo approbatum ad audiendas secularium confessiones in suâ diœcesi, non posse in aliâ diœcesi audire pœnitentes non eidem episcopo subditos citra approbationem episcopi diœcesis in quâ versatur. Atqui definitio hæc, quidquid regerat Viva, à paritate rationis militat contra presbyteros seculares; nec est quòd ad alia quàm Jubilæi tempora restringatur, cùm ex violatione ipsius eadem quocumque tempore consequantur incommoda; nec Jubilæum violandis Constitutionibus debeat inservire. Ergo. de his adi qui contra Vivam fusè disserit, Theodorum à Sp. S., cap. 8, p. mihi 147.

10. R. 3° nullatenùs etiam sufficere approbationem ab episcopo solius confessarii, non autem pœnitentis factam. Ita idem Viva cum Ugolino, Barbosâ, et aliis pluribus contra Suarem, disp. 28, de Pœnit., sect. 6, Cordubam, Henriquem, etc. Ratio est, 1° quia episcopus neminem approbat nisi relativè ad oves suas, quas unas cognovisse supponitur, et quæ solæ regimini ejus subjacent; nec plerùmque quem suis, quia ductu facilibus, committit, eum alienis, quia difficilioribus, committeret. Ergo qui relativè ad episcopi sui gregem approbatus est, se ad gregem episcopi alterius habet perinde ac si non esset approbatus; 2° quia ad solum pastorem spectat ovibus suis consulere, quod et quasi rationem Deo redditurus, omni quâ potest vigilantiâ facere tenetur. Atqui non rarò ovibus suis pessimè consuleret, qui eas ad quemcumque ministrum à vicino episcopo approbatum recurrere permitteret. Cùm fieri possit ut vicinus antistes, quia facilior, vel suspectæ fidei, obvios quosque et suspectos præ cæteris approbet.

11. Objiciuntur equidem variæ S. congregationis declarationes; sed quia earum nulla est quæ verè sit authentica, quin et aliæ aliis adversantur, idcircò nihil ex iis certi deduci potest; confer cap. 8, de Pœnit., n. 133.

12. Quæres 3° an confessarius pro diœcesibus Parisiensi et Meldensi ab utroque episcopo approbatus, possit in utrâque absolvere à casibus reservatis, etc.

R. Id eum aliquando posse, aliquando non posse. Potest quidem in Jubilæis *ad instar*, quia in hisce Jubilæis quilibet confessarius est confessarius *Jubilaris;* in Jubilæis verò anni sancti non potest, nisi *ad hoc* expressè nominatus sit. At nominatus in unâ diœcesi, non ideò in aliâ nominatus erit. Ita Blasius ab Assumpt. part. 2, cap. 2, casu 2.

13. Quæres 4° an qui ab episcopo designatus est confessarius jubilaris, in totâ diœcesi absolvere possit.

R. posse, si approbatio ejus illimitata sit; si verò ad hanc parochiam, vel ad ruris incolas sit restricta, non poterit aliorum confessiones excipere, vel simpliciter, si nullatenùs quoad istos approbatus sit vel quantùm ad censuras et casus reservatos, si non sit approbatus ut sacerdos jubilaris.

14. Quæres 5° an validè jubilaris confessarii munus obeat, qui illimitatè quidem approbatus est, sed alio laborat impedimento audiendi confessiones, putà regularis, cui à superiore interdictum est ne confessiones secularium excipiat, aut qui censuris ligatus est vel irregularitate.

R. regularem in priori casu graviter peccare contra obedientiam, à quâ utique per Jubilæum non eximitur. At censeo contra Joannem de Cruce, Rodriguem, etc., valere absolutiones ab eo datas, cùm ab Episcopo, et eo mediante, à Papâ jurisdictionem accepit. Neque enim jurisdictioni huic obstat manda tum prælati regularis, sed tantùm habet se velut conditio necessaria, ut omnia debitè et secundùm ordinem fiant. Aliud fuerit, si à Papâ constitutum esset, ut regularis nemo sine proprii superioris approbatione à quopiam jurisdictionem validè accipere posset. Tunc enim secluso erroris communis casu, invalidæ forent absolutiones ab hujusmodi interdicto concessæ.

Quod spectat ad casum de excommunicato vel irregulari, repetenda sunt quæ de utroque in specialibus eâ de re tractatibus dictum est.

Quæres 6° an regulares vi Jubilæi confessarium extra religionem eligere possint.

15. Circa præsens punctum, atque utinam in eo solo, adversantur sibi regulares. Affirmant Lugo, disp. 20, de Pœnit., n. 187; Mizarius, Ugolin., et alii plures quos sequitur Navarrus, Koch, etc.: 1° Quia privilegia communitatibus concessa, ne quis suorum extra ordinem sibi confessarium eligere possit, in casu Jubilæi desinunt; cùm eis expressissimè deroget bulla his verbis: *Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, seu quævis alia mentio facienda esset.... hâc vice specialiter ad effectum præsentium derogamus.* 2° Quia Gregorius XIII, die 19 decemb. an 1581, in consistorio respondit: *Tempore Jubilæi posse omnes regulares confiteri peccata sacerdotibus, etiam secularibus, approbatis ad confessiones; quia in bullâ non fit mentio nisi de ordinario eorum qui audituri sunt confessiones, non de ordinario pœnitentis.* 3° Quia privilegium ne religiosi à secularibus absolvi possint, respicit immediatè religionem, et consequenter est privilegium generale; contra verò privilegium quod in Jubilæis conceditur, respicit particulares personas per se et primariò, proinde est privilegium speciale. Atqui privilegium speciale posterius derogat privilegio generali priori, ut communiter docent cum Covarruviâ et Menochio. 4° Quia privilegium, quòd regulares extra religionem confessarium eligere non possint, sic intelligi potest, ut id nec ordinariè possint, nec in extraordinariis etiam casibus indulti vel Jubilæi specialis, non autem quòd id non possint in Jubilæo universali; quia hujus favor, quàm rationabiliter potest, extendi debet; illud verò, cùm animarum utilitati adversetur, quantùm potest, debet restringi. Atque ideò S. Tho-

mas, in 4, dist. 17, q. 3, art. 3, docet prælatos esse debere faciles ad concedendam subditis facultatem aliis confitendi, ne multis ac sibi ipsis damnationis laqueum injiciant.

16. Contrariam opinionem tenent Reginaldus et alii plures quos sequitur Viva, cit. q. 9, art. 1, n. 2. Horum ratio est, 1° quia jure communi, videlicet cap. *Cùm igitur*, de Privilegiis, vetitum est ne quis religiosos invitis eorum superioribus absolvat. Atqui bullas novasque leges sic semper interpretari debemus, ut juri communi non derogent. Ergo Jubilæi bulla sic interpretanda est, ut huic communi juri non adversetur.

17. 2° Quia idem Gregorius XIII, die 24 octob. an. 1584, vivæ vocis oraculo declaravit non esse suæ mentis ut per bullas cruciatæ, Jubilæorum, aut similes, huic religionum privilegio derogaretur, etiamsi in bullis apponantur clausulæ privilegiorum derogatoriæ, et addantur voces : *Quâcumque prohibitione sublatâ;* prout liquet ex Compendio privilegiorum societatis Jesu, v. *Gratiarum usus*. Unde necessum est ut Gregorius XIII, concessionem an. 1581 à se factam revocaverit.

18. 3° Quia idem Gregorius, an. 1575, privilegium (in quo aliæ etiam religiones communicant)) societati Jesu concessit, ne quis vi Jubilæi confessarium extra religionem à solo loci ordinario approbatum eligere posset, aut facultatibus in Jubilæis, bullis cruciatæ et similibus, concessis absque expressâ Superiorum licentiâ uteretur. Ergo neutiquàm id agere tutum fuerit, præsertim à patribus societatis, quibus, teste Vivâ, ibid., pag. mihi 633, à congregatione VI generali, decreto 5, sub gravibus pœnis vetitum est, ne quis unquàm doceret, in conscientiâ securum esse, qui vi bullæ cruciatæ sibi ad absolutionem à reservatis confessarium eligeret.

19. 4° Quia Benedictus XIV, in bullâ *Convocatis*, ubi à tritâ decessorum suorum viâ recedens, permittit quibuscumque regularibus, ut à minoribus pœnitentiariis basilicarum quatuor Romanæ urbis absolvi valeant; id ut et alia multa *pro hoc duntaxat anno sancto* indulget. Ergo in cæteris locum non habet, nisi exprimatur.

20. En utriusque partis momenta; eò sanè præferenda est posterior, quòd in materiâ ad sacramentum pertinente sit tutior. Unde qui ex invincibili repugnantiâ nollet cuipiam ex fratribus suis confiteri, à Superioribus suis obtinere deberet licentiam ad alium sacerdotem recurrendi, quod et illi negare non deberent, præsertim si in oratoris domo pauci adessent sacerdotes. Quia tamen erunt fortè nonnulli qui priori sententiæ in damnum suum adhæreant,

21. Quæres 7° à quo approbatus esse debeat sacerdos apud quem confiteri vult regularis ex Jubilæi gratiâ.

R. Vel sacerdos ad quem confugiet religiosus, est secularis, vel regularis alterius instituti. Si primum, debet hic approbari ab ordinario loci; tum quia hujus approbationem requirit pontificium diploma; tum quia religiosus ad eum confugiens se habet ut simplex quilibet fidelis. Si secundum, docet cum aliis non paucis Sanctarellus satis esse quòd ille à proprio suo regulari superiore approbatus sit; 1° quia regularis superior est verè subditorum suorum ordinarius; 2° quia Gregorius XIII, ex dictis supra, n. 15, requirit approbationem ordinarii confessariorum, non autem pœnitentium.

22. Verùm longè melius docent Suarez, disp. 28, sect. 6, Lezana, etc., istud, *ab ordinario loci*, intelligendum esse de ordinario, seu episcopo diœcesis, nec probinc sufficere regularis prælati approbationem. Ratio est 1° quia nomine ordinarii locorum veniunt solùm episcopi, et qui episcopalia jura in seculares exercent, utì notat Rota, decis. 798, part. 4. 2° Quia cùm Pontifex requirit approbationem ordinarii, intelligi debet de approbatione secundùm formam juris, atque adeò de eâ quam præscribit Tridentinum, sess. 23, cap. 15, quia dispositio omnis intelligitur facta secundùm jus commune, ad cujus sensum verba dispositionis reduci debent, ut advertit Barbosa. Porrò Tridentinum citato loco episcopi approbationem requirit Ita in terminis Viva, qui hinc, quod utique notandum est, colligit contra nonnullos, regulari, ut Indulgentiam et favores Jubilæi assequatur, non esse satis ut eligat confessarium à suo duntaxat superiore approbatum, nisi is etiam ab episcopo approbatus sit; quia approbatus à superiore regulari non dicitur approbatus ab ordinario loci, sed ab ordinario communitatis.

Quæres 8° an moniales eligere possint quemcumque sacerdotem ab ordinario seu episcopo approbatum.

23. R. 1° cum eodem Vivâ, ibid., art. 2, moniales, ut Jubilæum lucrentur, eligere non posse confessarium à solo prælato regulari approbatum; sed eligere debere approbatum ab episcopo. Ratio est quia in hâc materiâ se habent perinde ac religiosi. Ergo, ut et illi, eligere debent approbatum ab ordinario loci; solus porrò episcopus ex communiori doctorum sensu est ordinarius loci. Ita et Suarez, ibid.

24. R. 2° : Neque etiam sufficit ut moniales quemcumque ab episcopo approbatum eligant; sed requiritur ut eligant approbatum pro monialibus. Ratio est, 1° quia ut possit quis in confessarium Jubilarem eligi, non sufficit quæcumque approbatio ab episcopo facta; sed requiritur approbatio relativè ad personam à quâ eligendus est. Unde qui solùm pro viris approbatus fuerit, non potest virtute Jubilæi in confessarium eligi à mulieribus, ut qui quantùm ad ipsas sit non approbatus. Atqui approbatus simpliciter ad audiendas confessiones, non est approbatus ad audiendas monialium confessiones; prout an. 1670 definiit Clemens X, et ex praxi constat. 2° Quia approbatus ad certum locum vel tempus, non potest universim eligi in confessarium virtute Jubilæi. Sed qui ad moniales approbatus non fuit, non est ad certum locum approbatus. Minor per se patet. Major communiter admittitur, ijsque tantùm dubia est, quibus dubia

fuêre præcipua christianæ moralis capita. 3° Quia sacra congregatio (apud Theodorum à Sp. S., pag. 160), die 3 sept. 1671, definiit *moniales eligere non posse confessarium sibi benè visum, etiam tempore Jubilæi, sed teneri eligere unum ex approbatis pro monialibus.*

25. At, inquiunt, bulla universis utriusque sexûs fidelibus permittit ut confessarium ab ordinario loci approbatum absolutè sibi eligere possint. Ergo nulla est ratio cur specialis quoad moniales requiratur approbatio. Et verò Urbanus VIII, in bullâ *Pontificia sollicitudo*, expressè sanctimonialibus concessit ut in Jubilæo quemcumque ex approbatis ab ordinario eligere possent.

26. R. Neg. ant.; non enim aliud permittit bulla, quàm quod permisit qui temerè objicitur Urbanus VIII, per constitutionem *Pontificia sollicitudo*. Atqui per hanc tantummodò concessit Urbanus VIII ut moniales eligere possent Confessarium *ad id probatum*, id est, ut habet communis intellectus, ad audiendas earum confessiones; quod etiam habetur in Bullâ Innocentii X, an. 1650, Clementis X, an. 1675, et ut alios prætermittam, Benedicti XIV, an. 1750. Ergo bullæ quæ paulò generaliùs loqui videntur, ad hunc sensum necessariò flecti debent.

27. Sed num poterunt moniales, exemptæ scilicet, ad confessarium ab Episcopo approbatum recurrere, contra superiorum suorum voluntatem?

Negat Viva; alioqui enim, ait ibid., n. 4 : *Jubilæi tempore possent omnes confessarii reluctantibus prælatis* regularibus *ad monasteria monialium accedere ad confessiones audiendas; quod certè magnum aperiret ostium laxitati, et in destructionem potiùs cederet, quàm in ædificationem.*

Longè aliter sentit Blasius ab Assumpt., pag. 290, quia, inquit, bullæ facultates confessariis concessas, non à superiorum beneplacito, sed ab episcopi approbatione suspendunt. Optandum ut in eo casu nec superioribus invisos approbent episcopi, nec ab Episcopis approbatos facilè rejiciant superiores.

28. An autem vi Jubilæi possint moniales eligere sibi confessarium generatim duntaxat pro monialibus approbatum, disputant Theologi. Negat Matthæulcius, quia Clemens X absolutè et simpliciter statuit, approbatos pro monialibus unius monasterii, non posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Hæc sententia Theodoro à Spir. S. rigidior videtur; quia nihil ex privilegio Jubilæi moniales commodi perciperent, si tenerentur ei solùm presbytero confiteri, qui pro earum monasterio esset approbatus. Favet quòd Benedictus XIV, in Constit. *Paterna charitas*, an. 1749, *monialibus earumque novitiis, pro primâ vice duntaxat*, indulget, *ut confessarios quoscumque à locorum respectivè ordinariis ad audiendas monialium confessiones approbatos eligere valeant.* Nec nocet declaratio Clementis, quæ de Jubilæi privilegia magna habentis tempore non procedit. Si tamen Episcopus certos certis monialibus confessarios designet, quod gravibus de causis facere potest, his vel confitendum erit, vel Jubilæi privilegiis renuntiandum.

29. Quæres 9° an parochus et quicumque pastoralo beneficium habet, in confessarium Jubilæi eligi possit.

R. posse eligi in confessarium, qui à peccatis simplicibus absolvat, et sic pœnitentem percipiendæ Jubilæi gratiæ idoneum reddat; at non posse, juxta non paucos, nisi ad id approbatus sit, eligi in confessarium Jubilarem, id est, qui à censuris absolvat, vota commutet, etc. Unde nec moniales etiam episcopo subditas, in suæ etiam parochiæ finibus positas absolvere magis potest tempore Jubilæi, quàm extra idem tempus. Cæterùm qui beneficio, ratione cujus tantùm approbatus erat, cessit, ne quidem in simplicem, nedùm in jubilarem confessarium assumi potest.

Articulus II.

De potestate Confessarii quantùm ad censuras et casus reservatos.

30. Utramque potestatem conjungimus, quia casus Papæ reservati censuram annexam habere consueverunt. De facultate porrò ab iis absolvendi sic vulgò sanciunt pontificia Jubilæorum diplomata, quæ severo oculo legi debent. *Qui*, confessarius ad id approbatus, *fideles ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis censuris, à jure vel ab homine quàcumque causâ latis et inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantùmvis gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, et aliàs per quascumque nostras, aut Rom. pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones..... quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ; et hâc vice tantùm, absolvere et liberare valeant..... injunctâ tamen eis in supra dictis omnibus casibus pœnitentiâ salutari.* Et infra : *Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ.* Neque *etiam easdem præsentes iis qui à Nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo prælato, seu judice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publicè denuntiati fuerint, nisi infra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.* His præmissis,

31. Quæres 1° an ea potestas absolvendi à censuris ad omnes omninò censuras et casus reservatos se extendat.

R. eam extendi ad censuras omnes tam à jure, quàm ab homine, etiam per sententiam specialem ubicumque latas; imò ad casus in bullâ *Cœnæ* contentos; ut liquet ex verbis mox adductis, quæ tamen positis ponendis intelligenda sunt, uti ex dicendis innotescet.

32. Quin etiam contendunt aliqui futurum ut ea extenderetur, tam ad casus bullæ *In cœnâ*, quàm ad casus episcopis reservatos; etiamsi de utrisque altum sileret pontificium diploma.

33. At primam decisionis hujus partem rejiciunt Suarez, Sanchez et alii multi, quos sequitur Diana, part. 5, tract. 12, resol. 34, quia casus in bullâ *Cœnæ* contenti, nonnisi propter specialem, quæ iis ab Apostolicâ Sede inesse judicatur, gravitatem reservati sunt. Atqui vix in animum induci possit, casus qui ut gravissimi habentur, ex concessione admodùm vagâ et generali relaxari posse : cùm ex regulâ 81, in 6 : *In generali concessione non veniant quæ quis non esset veristimiliter in specie concessurus.*

34. Longè probabilior est secunda pars ejusdem decisionis, quam cum Suare, disp. 7, de Censuris, c. 5, Laymano, Vasque, Vivâ, q. 11, art. 2, tenent plurimi contra non paucos. Ratio est, 1° quia ex regulâ 53, in 6 : *Cui licet quod est plus, licet et quod est minus.* Porrò majus est à casibus Papæ reservatis absolvere, quàm à casibus reservatis episcopo. 2° Dictio hæc, *à quibusvis casibus*, tam latè, præsertim in materiâ quæ gratiam et favorem continet, explicanda est, quàm sinit verborum proprietas. Atqui sinit, quin et jubet proprietas verborum, ut dictio hæc, quæ de se admodùm universalis est, generali sensu intelligatur. 3° Quia vox *etiam*, utpote *implicativa*, dùm casum magis dubium exprimit, minùs dubium involvit et supponit. Atqui casus Romanis Pontificibus reservati, quia cæteris omnibus longè difficiliores sunt, sunt dubii magis. Ergo cùm Bulla eorum reservationem aufert, episcopalium *etiam*, et à fortiori, reservationem tollere censetur. 4° Quia potest Papa per se ipsum ab episcopalibus casibus absolvere, non validè modò, sed licitè, nisi obstet ordinis servandi necessitas. Atqui quod Papa semel intra quindecim aut viginti annos, quò amplam Fidelibus universis gratiam procuret, per sacerdotes ab ipso ordinario designandos suas et alienas censuras relaxet, nihil tranquillo Ecclesiarum regimini nocet; neque sic ordinem subverti conqueretur quisquam nisi juris sui protervè studiosus.

35. Objiciuntur tria, 1° quòd ex c. 1, de Constitut. in 6, lex generalis non derogat consuetudinibus particularibus. Ergo nec generalis facultas absolvendi à reservatis Papæ, particulari episcoporum reservationi derogabit. 2° Quòd Clemens VII statuit an. 1601, ne quis à casibus ordinario locorum reservatis prætextu cujuscumque privilegii aut facultatis absolvere possit. Unde et Alexander VII propositionem hanc, n. 12, proscripsit : *Mendicantes possunt absolvere à casibus episcopo reservatis, non obtentâ episcoporum facultate ;* et tamen Mendicantes fruuntur privilegio à casibus pontificiis absolvendi. 3° Quia præsumi non debet Pontificem inferre velle præjudicium episcopis, contra dispositionem capitis *Super eo*, 15, de officio Jud. deleg., aut derogare Tridentinæ sanctioni, sess. 25, c. 18. de Reformat. quâ episcopis sua casus reservandi potestas asseritur. Ergo hùc redit citata superiùs lex : *In generali concessione non veniunt*, etc. Verùm hæc nec ægrè ab aliis solvuntur. Reponunt itaque

36. Ad primum, nego conseq. Ideò enim lex generalis non derogat privatæ, quia Pontifex hujus notitiam habere non præsumitur, prout monet objectum caput 1 de Constitut.; et aliunde lex universalis quæ particularibus statutis derogaret, privatæ diœceseon utilitati non rarò insigniter et constanter adversaretur. Neutrum porrò locum habet in eâ quam nunc expendimus materiâ; quia nec ignorat Rom. Pontifex episcopos sibi casus reservare, nec quam obiter et semel largitur eos solvendi facultas, seriam diœcesanæ ulli disciplinæ plagam inferre potest; imò eò tendit unicè, ut reconciliatis intuitu gratiæ amplissimæ cum Deo populis, ubique vigeant ordo et tranquillitas. His adde quòd in Jubilæo facultas à casibus reservatis absolvendi, cùm ad unam tantùm vicem tribuatur, non se habeat per modum legis, sed per modum dispensationis. Atqui dispensatio universalis hinc quidem ad omnia se extendit; inde verò cùm unico actu exhauriatur, nihil damni episcopis inferre potest. Quin et his id unum timendum est ne rebelles populi oblatâ sibi gratiâ uti recusent.

37. Ad secundum : Decretum Clementis VIII, sicut et thesis ab Alexandro VII reprobata procedunt de privilegiis particularibus, quorum usus, utpote admodùm frequens, grave episcopis et disciplinæ præjudicium inferebat. Nos verò loquimur de universali dispensatione, cujus exercitium ab episcopis approbantibus dependet, quodque, cùm unâ tantùm vice et ex causâ fidelibus admodùm favorabili concedatur, prodesse potest, non autem nocere.

38. Ad tertium : Pontifex nullum episcopis præjudicium infert : 1° quia qui jure suo admodùm moderatè utitur, non violat alienum. Porrò jus habet Pontifex per se, vel per alios absolvendi à casibus cuicumque reservatis, præsertim cùm id exigit fidelium salus ; 2° quia gratiæ suæ executionem committit Episcopis, qui hanc, cui solùm libet, committunt.

39. Neque verum est, ait Viva, quòd in generali istâ à reservatis absolvendi facultate Pontifex non esset verisimiliter concessurus licentiam absolvendi à reservatis episcopo; cùm et facultatem tribuat à casibus cœnæ gravissimis, aliisque quantùmlibet enormibus absolvendi; et hæc illius concessio fideles in charitate coadunans, episcopis unam fidelium suorum salutem anhelantibus jucundissima accedere debeat.

40. Ex his colliges vi Jubilæi posse quempiam absolvi, 1° ab excommunicatione contractâ propter duellum, procurationem abortûs, ingressum in monialium ædes, 2° à suspensione propter ordinationem sine titulo, vel ante ætatem legitimam, vel contra eos qui feminas intra septa regularium inducunt, statutâ, 3° ab interdicto alicui culpæ per jus annexo; licèt de eo nulla, ut in antiquis Jubilæis, mentio fiat. Ratio est quia verba hæc, *et aliis ecclesiasticis censuris*, nihil excipiunt.

41. An autem ejusdem Jubilæi virtute ab hæresi, si expressa non fuerit, absolvere liceat, controvertunt graviter extranei. Affirmat Lugo, disp. 23, de Fide, n. 102, et cum eo recentiores multi, tum propter

aliquam sacræ pœnitentiariæ responsionem an. 1617, tum quia cùm nemini ignotum sit opinionem hanc à gravissimis doctoribus practicè teneri ; Pontifex hæresim disertè exciperet, si vellet excipere, ut à simili colligitur ex cap. 2, de Translat. episcop.

42. Aliter sentiunt Suarez, Avila et alii innumeri, apud Dianam, part. 1 tract. 5, resol. 1, et docent, quod eum ipsis docerem, vi Jubilæi, quod solam à reservatis in bullâ *Cœnæ* casibus absolvendi facultatem largitur, neminem ab hæresi etiam occultâ absolvi posse. Ratio est, 1° quia concessâ per Jubilæum facultate à casibus simpliciter reservatis absolvendi, non intelligitur ex communiori, ut et tutiori doctorum opinione facultas absolvendi à casibus in bullâ *Cœnæ* contentis; quia hi strictam habent et gravissimam reservationem. Atqui pariter casus hæresis strictam habent et specialem in pontificio jure reservationem; cùm ad discussionem hæresis speciale tribunal institutum sit; nec absque expressâ clausulâ privato cuique commissa censeantur, quæ gravissimo senatui demandata sunt. 2° Quia Sixtus V, an. 1589, et Clemens VIII, an. 1594, licèt casus bullæ *Cœnæ* concessissent, in specie tamen concesserunt hæresis crimen. Ergo non videtur in generali concessione venire.

43. Fatentur tamen iidem theologi contra Azorium et alios quosdam, ex privilegio Jubilæi absolvi posse, tum receptatores et fautores hæreticorum, tum qui retinent, legunt, imprimuntve eorum libros; tum et schismaticos qui schismati hæresim minimè conjunxerint; tum et dubios in fide, qui positivè dubii non sint, sed negativè duntaxat, quatenùs judicium suum circa res fidei suspendunt. Nempe, inquiunt, ad hæresim requiritur error contra fidem in intellectu, et pertinacia voluntatis. Atqui fautores hæreticorum, aliique mox recensiti, licèt gravissimè peccent, nullum in intellectu errorem habent. Ergo propriè non veniunt nomine hæreticorum. Ergo etiamsi hæresis à Jubilæi favore excipiatur, non tamen ea crimina. Hæc illi, quæ ubicumque viget bulla *Cœnæ*, haud difficulter sequerer, præter ultimum caput, quod dubium negativum spectat, quodque expositione, ut reor, indigeret plurimâ. Verùm hæc, Deo dante, nullius in Gallià sunt utilitatis, cùm episcopi nostri juxta constantem regni hujus usum, ab hæresi tam occultâ, quàm publicâ, per se et per alios absolvant; utì fusè in Gallico de dispensationibus tractatu, tomo 3, Epist. 2, probatum est.

44. Quæres 2° an qui nominatim percussus est censurâ, virtute Jubilæi absolvi possit, et quando.

R. absolvi posse, cùm bullâ sancitum est ut absolvi possit, prout supra, n. 30. Tunc autem necessum est, quod cautè præscribit bulla, ut *infra* præscriptum *tempus satisfecerit, aut cum partibus concordaverit*. Hìc porrò per *satisfactionem* intelligitur restitutio, seu honoris, seu famæ vel alterius boni, cujus ob læsionem excommunicatio fuit inflicta; per *partes* autem non ipse prælatus aut judex, auctoritas utcumque contempta est (cùm, ut advertit Suarez, disp. 7, de Censuris, sect. 5, n. 46; Benedictus XIV, in epist. encyc., ad minores Pœnitentiarios, n. 66, contemptus ille in omni censurâ interveniat, et aliunde prælatus absolutionis facultatem demandans, jure suo cedere censeatur); sed persona una vel plures, cui vel quibus illata est injuria quæ censuram promeruit. Quapropter si quis excommunicatus sit propter violentam clerici percussionem, licèt per hoc Ecclesiæ injuriam irrogaverit, poterit tamen absolvi, si vel veniam petierit à percusso, vel ei percussus offensam expressè aut tacitè remiserit, pristinam ei suam familiaritatem restituendo. Qui verò censurâ percussus est, donec concubinam ejiciat, vel damnum alicui illatum reparet, non est absolvendus nisi hoc vel illud cum effectu præstiterit; unde peccaret graviter qui quempiam his nondùm adimpletis absolveret; quia et magnum læsæ parti præjudicium inferret, et commissæ sibi potestatis limites transgrederetur. Hinc, meo quidem judicio, rectè docet Suarez, ibid. n. 41, cum communiori sententiâ, sacerdotem, qui *contentus proposito, promissione aut juramento* pœnitentis hìc et nunc satisfacere, aut saltem idoneam de satisfaciendo cautionem dare valentis, eumdem absolveret, non illicitè modò, sed et invalidè operaturum; quia absolvendi potestas non est eidem data, nisi sub hujus satisfactionis conditione.

45. Quin et existimat Soto in 4, dist. 22, q. 2, art. 3, pœnitentem qui ex impotentiâ non potest præsenti tempore vel loco satisfacere, haud posse absolvi ab homine, licèt coram Deo absolutus sit : *Quia facultas non est amplior quàm verba sonant; verba autem simpliciter requirunt ut pars jam sit satisfacta.* At duriorem hanc sententiam meritò rejicit Suarez, ibid., n. 40, et docet, quòd si absolutio differri non possit, nisi per multum tempus, vel cum magno pœnitentis detrimento, sufficiat ut ille faciat satis eo modo quo de præsenti valet, id est, præstando cautionem, vel pignoratitiam, si potest, vel juratoriam, si majorem non potest; et talia exhibendo pœnitentiæ vel propositi signa, ut confessor probabiliter judicet absolutionem et pœnitenti profuturam, et læsæ parti nullatenùs nocituram esse. Ratio est 1° quia cùm Pontifex ait *satisfactâ parte*, intelligendus est, quantùm pœnitens satisfacere valet; quia prudens nemo conditionem impossibilem exigere censetur. 2° Quia jus sæpè largitur facultatem absolvendi sub simili conditione, et tamen prædicto semper modo intelligitur, ut colligere est ex Clement. 1 et 2, de Hæreticis, et observat Navarrus in Summâ, cap. 27, n. 47 et 48.

46. Sed quid, si pœnitens qui juratoriam cautionem dedit et ideò absolutus est, postmodùm satisfacere negligat ?

R. eum non ipso facto in censuram reincidere, at eidem de novo posse subjici, ut colligitur ex cap. 8, de Officio judic. ordinarii. Ratio est quia pœnitens per Jubilæi bullam absolvitur simpliciter, non autem ad reincidentiam, si conditioni sibi impositæ desit.

Quæres 3° an jubilaris confessarius possit extra sa

cramentum tollere reservationem, et proinde ad communem confessarium remittere, qui à peccatis ipsis absolvat.

47. R. confessarium nec peccati reservationem extra tribunal auferre posse, quod communiter admittunt doctores; nec censuræ reservationem, quod malè docent Lezana, Diana, Kock, q. 3, n. 69, etc. Ratio primæ partis est, 1° quòd licèt superior ipse, qui peccatum sibi reservavit, reservationem auferre valeat non auditâ pœnitentis confessione, id tamen jubilaribus confessariis per bullam minimè conceditur; nec concessum intelligi potest absque eo quòd innumeri per Jubilæi tempus constituantur majores pœnitentiarii; quod certè non intendunt Rom. pontifices. Unde et contrarium habet constans Ministrorum Jubilæi praxis. 2° Quia Pontifex, cujus delegatum agit jubilaris confessarius, non aliter quàm juxta communem usum tribuere censendus est facultatem à reservatis absolvendi; quod etiam nonnulli eorum suis in bullis expresserunt. Atqui communi usu sancitum est ut confessarius simplex extra Tribunal non absolvat à reservatis. Ergo.

48. Ratio secundæ partis est, 1° quòd solidè probari non possit, absolutionem à censuris à privato sacerdote extra confessionem impendi posse. Quis autem, præter Dianam et Dianæ sequaces, in materiâ tam gravi potestate incertâ uti ausit? 2° Quia generatim periculosum est, ne à censuris gravibus absolvas eum, cujus intimas dispositiones nescis: unde id licèt facere possint episcopi, rarissimè faciunt. 3° Quia Pius V, in bullâ Jubilæi, an 1568, declaravit non posse extra confessionem absolvi à censuris: quod autem regerit Diana declarationem hanc istud duntaxat Jubilæum spectâsse, nisi falsum est, est saltem dubium; quod vanæ probabilitatis osoribus sufficit. 4° Quia Sixtus V, in bullâ suâ expressè decernit eligendum esse confessarium qui *auditis diligenter* pœnitentium *confessionibus*, *eos absolvat*. Hæc autem absolvendi ratio censuras æquè ac casus reservatos complectitur; et ubi expressa non est, subintelligi debet. 5° Quia Benedictus XIV, in bullâ *Convocatis*, § 25, expressè habet: *Advertant insuper* confessarii *prædictas absolutiones*, *commutationes*, *dispensationes non posse à se exerceri extra sacramentum confessionis*.

49. Imò nec vult Suarez, ibid., n. 35, ut confessarius etiam in tribunali, pœnitentem necdùm ad reconciliationem planè dispositum, à censuris priùs quàm à peccatis absolvat, ut sacro intersit, etc. Quod etsi non probat invictè, uti tutius tenendum est, nisi priùs habita sit specialis eâ de re licentia; quam, ut olim ego, sic et alii non ægrè obtinebunt.

50. Quæres 4° an possit à reversatis absolvi, qui in eâ ex spe Jubilæi incidit.

R. affirmat. Etsi enim privilegio carere meretur, qui ex spe illius peccat, non ideò tamen gratiâ illius privatur: alioqui sacramentaliter absolvi non possent, qui ex spe confitendi peccata geminaverunt. Et verò qui ex spe Jubilæi delinquit, novi quidem præsumptionis peccati reus est; sed quod nullam habet reservationem. Nec obest quod ex Chrysostomo, homil. 13, in cap. 7 Epist. ad Hebræos (et refertur cap. 128, dist. 4, de consecrat.), peccans spe veniæ, pœnâ dignus sit, non veniâ. Sensus enim est, uti eum in locum notat Glossa, non rarò fieri ut qui ex baptismo, aliisque sacramentis veniam sperando, interea peccatis indulgent, ad veniæ obtinendæ tempus nequaquàm deveniant.

51. Quæres 5° an etiam à reservatis absolvi possit, qui ea post Jubilæi promulgationem commisit.

Negat Glossa in Extrav. *Antiquorum*, de Pœnit. et Remiss., sed malè prorsùs; 1° quia quæ Jubilæi tempore datur à reservatis absolvendi facultas, amplissima est, nec ad peccata hoc vel illo tempore commissa restringitur; 2° quia licèt condonatio peccata duntaxat præterita respiciat, ipsa tamen absolvendi facultas, tam commissa quàm committenda ante absolutionem peccata respicere potest, et de facto in Jubilæis respicit, ut quæ indistinctè tradatur.

Quæres 6° an qui jam lucratus est Jubilæum, denuò à reservatis in quæ postea decidit, absolvi possit.

52. Affirmat post Leonem Viva, q. 11, art. 3, n. 3, quia censet Jubilæum obtineri posse, quoties quis injuncta opera perficit. Unde ait: *Si quis post acquisitionem Jubilæi in reservata incidit, et possit vel iterùm ponere injuncta opera, vel, si nequeat, obtinere à confessario commutationem illorum, poterit denuò à reservatis absolvi.* Idem docet Pontas, v. *Jubilé*, cas 17.

53. Aliter sentiunt, non ii modò qui contrariam opinionem tenent, cum Sanche, lib. 4, in Decalog., cap. 54, n. 22, et Sylvio in Resolutionibus, v. *Jubilæum*, 2 et 3, sed et quicumque Jubilæum bis acquiri posse rati, negent ejus privilegia bis prodesse. Utut est, quamvis teneatur prima opinio, cui favet Benedictus XIV, ut dictum est cap. 2, n. 37, tenendum omninò est in praxi, eum qui semel à reservatis absolutus Jubilæi gratiam promeruit, ab iisdem alterâ vice absolvi non posse. Et verò isthæc bullarum verba, *hâc vice tantùm absolvant*, in obvio sensu de unâ duntaxat absolutione ad unius Jubilæi lucrum relativâ intelligi posse videntur.

Quæres 7° an cui dilatum est Jubilæum, quia actu Indulgentiæ incapax foret, à reservatis quæ commisit post finitum Jubilæi tempus absolvi possit, et à quo.

54. R. ad primum, affirmat. Ratio est quia potest absolvi pœnitens quamdiù sibi durat Jubilæi tempus. Atqui tempus illud, licèt cæteris finitum, ei tamen perdurat cui dilatum est Jubilæum. Ergo absolvi potest à reservatis, quæ ante, per et post Jubilæi tempus incurrit.

55. R. ad secundum posse pœnitentem hunc absolvi, non solùm ab eo confessario, qui ei absolutionis simul et Jubilæi gratiam distulit, sed et ab alio quocumque, modò is unus foret è Jubilæi confessariis; quia Jubilæi privilegia impendere potest omnis et solus, cui id muneris ab episcopo commissum est. Et

verò cur summâ Jubilæi gratiâ privaretur, qui ad eumdem confessarium, quia vel mortuus sit, vel aliò transmeârit, vel durior aut lenior appareat, recurrere non potest.

56. Quæres 8° an qui jam à reservatis absolutus fuit, ab iis denuò absolvi valeat, si necdùm Indulgentiam lucratus sit.

R. posse et debere, cùm aliter Jubilæum lucrari non possit. Ratio est, quia potest quis à quibuscumque peccatis absolvi, quoties id necessum est ut Jubilæi gratiam lucretur. Ergo si semel absolutus, denuò in reservatum incidat, antequàm implerit opus ultimum, cui annexa est Indulgentiæ perceptio, necessum est ut secundâ vice absolvatur, seu ab eodem, seu ab alio jubilari confessario. Potest autem ab his absolvi, quia eorum potestas nonnisi per ipsam Jubilæi acquisitionem exhauritur.

57. Quæres 9° an qui reservati peccati in confessione suâ oblitus est, ab eodem post Jubilæum lucratum à quocumque confessario etiam minimè jubilari absolvi possit.

R. eum qui in Jubilæi confessione oblitus est reservati alicujus, illudve hìc et nunc confiteri non debuit, ab eo etiam post Jubilæi tempus absolvi posse à quocumque etiam simplici confessario. Ita Reginaldus, Sylvester, Gabriel, Navarrus, Lugo, disp. 20, de Pœnit., n. 100, Pontas et alii contra Suarem, Habertum et alios quosdam. Ratio est, 1° quia hinc quidem pœnitens absolutionem reservatorum interpretativè petit; inde verò sacerdos, quoad ejus fieri potest, concedit. Ergo sicut culpam indirectè tollit, sic et reservationem indirectè aufert. 2° Quia consuetudinem hanc induxisse videtur communis theologorum sententia. Unde hanc, ægrè tamen, admittit Blasius ab Assumpt., pag. 347. Idem, sed spontè, facit Theodorus à S. S., cap. 9, n. 11: *Nisi*, inquit, sacerdos *contrariam intentionem habeat*; quod non est præsumendum.

58. Objiciuntur tria, 1° quòd actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum. Porrò jubilaris confessarius, idemque est de superiore, solùm habet generalem intentionem conferendi sacramentum, non verò tollendi reservationem; 2° quòd sacerdos non potest absolutionis sententiam proferre nisi cognità causâ, ex Trid., sess. 14, cap. 5. Ergo si nihil prorsùs de reservatis peccatis cognoscat, non potest ferre sententiam super reservatione, nec proinde eamdem tollere; 3° quòd reservatio in eo casu nec directè nec indirectè auferatur. Non directè, cùm non exponantur reservata oblita; non indirectè, quia absolutio indirecta ad ea solùm se extendit, ad quæ se extendit gratia per sacramentum conferenda; hæc autem tantùm se extendit ad peccata removenda, non verò ad tollendam reservationem.

59. R. ad primum: Nego min.; vult enim absolvens levare pœnitentem dispositum ab omni onere *quantùm potest* ipse, quantùmque indiget pœnitens ad percipiendum omne Jubilæi privilegium. Et verò si culpam tollere vult, quod maximum est, à fortiori reservationem tollere intendit.

60. Ad secundum: 1° Sacerdos reservationem tollendo, non judicat de peccatis oblitis, sed eorum judicium ad inferiores remittit. Non est autem absurdum quòd inferiores per accidens judicium ferant de peccatis reservatis, quando hæc in memoriam redeunt. 2° Etsi generatim loquendo ad æquam sententiam opus est ut sacerdos causam omnem cognoscat, non tamen id in omni prorsùs casu absolutè necessarium est: alioqui nemo per signa, aut dimidiatè tantùm confessus absolvi unquàm posset; quod fidei, ut et praxi, omninò adversatur.

61. Ad tertium: Sacerdos pro reservatis approbatus reservationem oblitorum indirectè tollit: ideò enim peccata oblita remittit indirectè quoad culpam, quia gratiam horum remissivam confert, absque eo quòd de illis directè judicet. Atqui etiam confert eorumdem oblitorum absolutionem quoad omne eorum onus quod tolli potest, proinde quoad reservationem. Ergo licèt de iis directè non judicet, eorùm reservationem indirectè tollit. Undè licèt gratia sanctificans nonnisi ad culpam delendam se extendat, quia illi soli opponitur, absolutio tamen se ad censuras et reservationem extendit, quia et nanc et illas tollere potest, et *quantùm potest* intendit.

62. Inst. Per verbum, *absolvo*, non tolluntur censuræ, nisi exprimantur, aut saltem nisi absolvens explicitam habeat intentionem ab iis absolvendi. Ergo neque per verbum, *absolvo*, tollitur reservatio, nisi specialis de eâ mentio fiat, saltem mentaliter. Imò cùm censuræ et reservatio per solum mentis actum non tollantur, necessum est ut intentio easdem tollendi pœnitentibus innotescat, quod in casu nostro minimè habetur.

63. Respondet Viva, cit. q. 11, art. 4, n. 5, per verbum, *absolvo*, satis innotescere, quòd sacerdos intendat tollere omne peccatum, ejusque onus, quoad fieri potest, et consequenter reservationem, etiamsi de eâ mentionem explicitam non faciat; idemque dicendum de censuris, quamvis ad securitatem soleat et debeat earum mentio explicita fieri, ne fortè, juxta Vasquesii et aliorum opinionem, sacramenti effectus per censuras occultas impediatur. Quia verò reservatio occulta non impedit sacramenti effectum, ideò non solet de eâ mentio fieri, cùm non est ratio dubitandi ne ea subsit. Hæc ille, quæ pro primâ parte hinc confirmari possunt, quòd sicut per datam à Christo ligandi potestatem tam intelligitur facultas decernendi censuras, quàm retinendi peccata; sic et per absolutionem æquè intelligitur censuræ ac peccati remissio.

Quæritur 10° an etiam à reservatis inculpatè oblitis absolvi possit, qui vel sacrilegam confessionem facit in Jubilæo, vel post, validum Jubilæum suâ culpâ minimè lucratus est.

64. R. ad primum negat., licèt malè et miserè contradicat Lugo, disp. 20, n. 113. Ratio est quia confessio sacrilega ignem æternum meretur; quod autem

pœnam meretur à Deo, non potest à Dei vicario mereri Jubilæi privilegia.

65. Major est circa caput secundum controversia; existimant enim Sanchez et alii quos sequitur Viva, ibid., n. 4, eum qui bonâ fide, et cum animo lucrandi Jubilæum confessus est, quamvis deinceps nec injuncta opera præstet, nec Jubilæum lucretur, per quemvis subinde confessarium à reservatis oblitis posse absolvi. Ratio est, aiunt, quia is verè absolutus est, quantùm potuit sacerdos. Atqui poterat sacerdos hominem ritè dispositum à quibuslibet reservatis directè vel indirectè absolvere. Ergo licèt à reservatis absolvi non possit, qui Jubilæum lucrari non cogitat, potest tamen ab iis absolvi qui lucrari actu intendit, subinde verò voluntatem mutat. Et verò extra dubium est, quòd pœnitens ille à reservatis quæ confessus est absolutus fuerit; cùm absolutio eidem simpliciter, purè, et citra ullam de futuro conditionem data sit. Atqui eo ipso quo à confessis reservatis directè absolutus est, à non confessis indirectè fuit absolutus. Ergo.

66. In oppositam sententiam propendet Suarez, tomo 4, disp. 31, sect. 4, n. 23, ut *maximè tutam*, quod nemo negaverit, et *valdè probabilem*. Ratio est, 1° quòd omnia Jubilæi privilegia in ordine ad comparandam Indulgentiam tribuuntur. Ergo si ad eam non perveniatur, non licet iisdem privilegiis frui, nisi quatenùs jam executioni mandata sunt. Unde peccata quæ directè remissa sunt, manent quidem non reservata, quia jam non manent subjicienda clavibus; at peccata oblita, quæ clavibus necessariò sunt subjicienda, à reservatione libera non sunt; quia defuit finis, cujus intuitu sublata fuisset reservatio. 2° Quia peccata hæc nec directè remissa sunt pœnitenti, neque is superioris intentioni satisfecit. Ergo non est cur tractetur ut qui satisfecit eidem intentioni. Opinionem hanc licèt non demonstratam sequerer in praxi, quoad eos maximè qui Jubilæi lucrum culpâ suâ omiserunt. Quantùm ad eos verò qui ex inopino quopiam eventu à gratiâ ipsius excidissent, non ægrè partem primam amplecterer : quia nemo jure jam acquisito sine suâ culpâ privandus est.

Sed num peccat qui virtute Jubilæi à reservatis absolutus, opera injuncta subinde non implet?

67. Fatentur omnes contra Ugolinum, eum qui à censuris, vel reservatis absolutus est, nec in reservationem, nec in censuram relabi, si opera injuncta non præstet; quia absolutio non fuit ei data ad reincidentiam; et id docet Benedictus XIV, cit. constit. *Convocatis*, § 54 : « Absolutiones à censuris.... commutationes item votorum, dispensationes, juxta concessas « hoc anno respectivas facultates, semel obtentæ, « permanent in suo vigore, etiamsi contigerit illum « qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod priùs « habuerat, sincero et serio proposito Jubilæum hoc « lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilæo consequendo ampliùs non laborare. » Rursùm fatentur omnes eum mortalis reum fore, si ex contemptu gratiam hanc negligat. Verùm an secluso contemptu peccet, aut quæ sit peccati ejus gravitas non conveniunt. Negant eum peccare Sanchez, Bonacina, etc., quia obligatio lucrandi Jubilæum ei nec à Pontifice, nec à confessario imposita est. Censent alii cum Bossio cum venialiter delinquere. At lethalem ei culpam nec immeritò adscribunt Suarez, cit. disp. 31, sect. 4 Vasquez, Filliucius, Viva, ibid., art. 5, n. 2. Ratio est quia qui favorem certæ conditioni annexum acceptat, tacitè spondet se conditionem hanc impleturum esse, neque ei, si gravis sit materia, sine gravi peccato deesse potest. Atqui pœnitens, dùm à censuris aut reservatis casibus virtute Jubilæi absolvitur, favorem acceptat, sub eâ tantùm propositum conditione Fidelibus, ut Jubilæi opera præstando, gratiam ejus acquirant, etc. Ergo.

68. Dices : Si Jubilæi virtute absolutus pactum cum Pontifice tacitè initum violare dicatur, dici poterit, quòd in censuris reincidat. Atqui tamen non reincidit. Minor patet ex concessis. Prob. maj. quia ut in censuras reincidere dicatur, satis est ut ei absolutio à censuris non absolutè data sit, sed sub pacto quod Jubilæi opera adimpleret. Atqui, etc.

69. R. ad primum, nego maj.; ad secundum, nego min.; nam data quidem est absolutio ex spe, quòd tacitam quam fecit de implendis Jubilæi operibus promissionem adimpleret; sed non data est sub conditione ut fidem hanc violando, in censuras reincideret; quia nunquàm incurritur reincidentia, nisi exprimatur. Et verò si censura reviviscerat, vel propter delictum præcedens, vel propter præsens neglecti Jubilæi peccatum. Atqui nec reviviscit propter delictum præteritum, quod jam absolutè remissum est, cùm absolutio sacramentalis semper sit absoluta; neque propter peccatum præsens, cùm huic nec à jure, nec ab homine annexa sit censura. Ergo nullatenùs reviviscit.

Quæres 11° an jubilaris confessarius, ut à censuris absolvere, sic et ab irregularitatibus dispensare valeat.

70. Negant omnes de irregularitate *ex defectu*, sed affirmant aliqui, ut Soto et Corduba, de irregularitatibus, quæ cùm sint *ex delicto*, pœnæ rationem habent. Moventur 1° quia irregularitas hæc est censura; porrò per Jubilæum datur facultas à censuris omnibus absolvendi; 2° quia tametsi non esset verè censura, est tamen pœna. Atqui Jubilæi bullæ permittunt ut absolvatur pœnitens *à censuris et pœnis ecclesiasticis*. Ergo.

71. At dicendum cum Suare, tomo 4 de Relig. tract. 10, lib. 9, cap. 2, n. 42; Reginaldo, Molinâ, et aliis pluribus, nullam à confessario virtute Jubilæi irregularitatem, aliamve inhabilitatem (nisi hæc sublatâ censurâ per se tollatur), relaxari posse; 1° quia per bullam præcisè datur facultas absolvendi à censuris. Atqui irregularitas nec censura est, nec censuræ nomine venit, ut colligitur ex cap. *Quærenti*, 20, *de Verb. significat.* 2° quia bullæ Jubilæi solam tribuunt absolvendi facultatem, nequaquàm verò dispensandi. Atqui irregularitas per absolutionem non tollitur, sed per solam dispensationis viam; 3° quia opinio contra

ria neque juri, neque doctorum antiquiorum traditioni, neque praxi Romanæ Curiæ, neque demùm rationi consentanea est, ut advertit Suarezius, tomo 5, in 3 p., disp. 40, sect. 3, n. 3.

72. Huic opinioni (nisi aliud expressè indulgeat Pontifex (1)), adhærendum, præsertim post *notificationem* Clementis X, die 1 februarii an. 1675 emissam, ubi sua Sanctitas declarat *se non intelligere aut dispensare, aut dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, et in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem et inhabilitatem quomodocumque contractam spectant, nequidem in foro conscientiæ.* Quapropter ecclesiasticæ pœnæ quas bullæ jubilares tolli aliquando permittunt, non de irregularitatibus intelligi debent, sed, v. g., de censurarum aggravatione et reaggravatione, de condonatione apostasiæ, puta quòd religiosi apostatæ ad ordinem suum impunè reverti possint, uti concessum est ab Urbano VIII, Clemente X, Benedicto XIII et XIV.

73. Quæres 12° an confessarius tempore Jubilæi possit criminis sui socium absolvere, ubi id per statutum synodale prohibetur.

Affirmant nonnulli, modò tamen absit relabendi periculum. Horum ratio est quòd jubilaris confessarius absolvit tanquàm delegatus à Pontifice. Ergo eos omnes quos Pontifex ipse absolvere possit. Verùm ut sanior, sic et longè certior est contraria opinio, quam tenent Bonacina, disp. 5, de Sacram., q. 7, puncto 5, § 3, n. 10; Viva, q. 11, art. 3, n. 4. Ratio est quia in confessario requiritur approbatio relativè ad personas, quarum confessiones excipit. Atqui confessarius, cui per statuta loci prohibetur absolutio complicis, nullam relativè ad ipsum approbationem habet; non ab episcopo, ut liquet; non à Pontifice, qui disciplinam piè et sapienter constitutam infringere non vult. Imò Benedictus XIV, in constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, declaravit, *quòd nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi*, possit quis suum in peccato inhonesto complicem, extra mortis articulum unquàm absolvere; *utpote*, inquit, *qui in hujusmodi peccati et pœnitentiæ genere, jurisdictione careat, et absolvendi facultate à nobis privatus existat.*

Articulus III.

De potestate confessarii quantùm ad commutationem votorum.

Ex innumeris quæ circa hanc materiam proponuntur quæstionibus, eas seligam quæ ad praxim maximè spectant.

74. Quæres itaque 1° an in omnibus Jubilæis detur facultas commutandi vota.

R. negat.; hæc enim verba: *Et insuper quæcumque vota (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare valeant*, in solis Jubilæorum *ad instar* diplomatibus haberi solent. Rursùm verò sola eadem diplomata tribuunt confessariis licentiam opera ad Jubilæi acquisitionem præscripta in alia commutandi. Quia tamen eædem bullæ permittunt ordinariis ut quæ idonea magis animarum saluti judicaverint remedia, afferant; possunt confessarii, si permiserint episcopi, ut debent et facere solent, opera hæc commutare. Ita Blasius, part. 2, cap. 1, q. 1. Idem docet Koch, q. 3, n. 77, qui negat ad suam usque ætatem (scribebat an 1700), in ullo anni sancti Jubilæo ad regiones extra Romam transmisso facultatem vota commutandi fuisse traditam. Quod si ita est, an hoc decessorum suorum more recessit Benedictus XIV, in bullâ pro Jubilæo an. 1751.

75. Quæres 2° an vota omnia à Jubilari confessario commutari valeant.

R. commutari posse vota omnia quæ per Jubilæi bullam non excipiuntur; unde cùm sola excipiantur vota castitatis, religionis, eaque quæ sine præjudicio tertiæ personæ commutari non possent, planum est cætera quæcumque vota, ut peregrinationis ad limina Apostolorum, etc., posse commutari; sed et ipsa castitatis ac religionis vota quandoque ex solâ episcopi facultate commutari possunt, ut si castitas solùm ad tempus vota fuerit, si non omnimodè, si non in se, sed in alio, puta in voto suscipiendi ordines, si absque sufficienti advertentiâ, si sub conditione nondùm impletâ, etc., de quibus vide dicta tomo hujus Operis secundo.

76. Quæres 3° an etiam commutari possint vota juramento confirmata.

Affirmant plures cum Suare, Vivâ, q. 12, art. et n. 1, quia Pontifex largitur facultatem *vota quæcumque*, duobus exceptis, commutandi. Ergo et jurata; præsertim cùm gratiam multitudini concessam deceat latiùs interpretari; aliud enim est, ait Viva, si commutandi licentia detur ad petitionem particularis personæ; quia in tali casu tanquàm dispensatio et vulnus legis est strictè interpretanda.

77. Subdunt iidem theologi commutari posse etiam juramenta cæteroquìn Apostolicæ Sedi reservata. Quia licèt diversa sint voti et juramenti vincula activè, si ita loqui fas est, sunt tamen passivè similia, quatenùs idem Deo jus acquirunt. Atqui Pontifex commutationem voti permittendo, intendit jus Deo acquisitum Dei ipsius nomine relaxare. Ergo ut vota, sic et juramenti relaxationem permittere intendit.

78. Verùm ut tutior, sic et probabilior videtur opinio contraria; 1° quia major requiritur potestas ad solutionem duplicis vinculi, quàm ad solutionem unius. Porrò votum et juramentum duo sunt vincula longè diversa; 2° quia Benedictus XIV, in bullâ anno 1750, expressè dedit facultatem vota jurata commutandi. Ergo non credidit hanc de jure inesse confessariis; 3° quia Jesuitæ quibus ampla concessa erat facultas vota simplicia commutandi, vi illius vota jurata commutare ausi non sunt, donec id à Gregorio XIII an 1579 obtinuerint. Quapropter communes Jubilæorum bullæ dant quidem potentiam vota *quæcumque*, id est, omnia, duobus exceptis, commutandi, sed non vota quocumque modo facta.

(1) Concessit Benedictus XIV, ut anno Jubilæi sui relaxari posset irregularitas ex occultâ censurarum violatione proveniens. Constit. *Convocatis*, n. 12.

Quæres 4° an votum emissum primariò in honorem Dei, secundariò autem in proximi utilitatem licèt jam acceptatum, possit commutari.

79. Affirmat Sanchez, lib. 4, cap. 51, nec dissentit Viva, ibid., n. 3, quia *accessorium sequitur naturam principalis*, ex reg. 42, in 6. Verùm opinio hæc neque satis tuta est, neque probata satis ut admittatur. Sanè quodcumque votum, si religiosè fiat, fit primariò ad gloriam Dei; nec dubium quin vota sic passim fieri supponant pontifices. Atqui tamen à commutationis favore excipiunt vota, quæ sine præjudicio tertii commutari non possent. Quæ autem objicitur juris regula, non paucas habet exceptiones, quarum nonnullas in Gallicâ hujusmodi legum expositione adduximus. Ergo à fortiori exceptionem habet, cùm de alterius damno agitur.

80. Quæres 5° an voti commutationem petere possit, qui vovit se eam non esse petiturum.

Respondent Suarez et alii communiter affirmat., tum quia privata voventis intentio non potest superiorem jurisdictione suâ privare; tum quia fieri facilè possit, ut votum hoc sine gravi voventis præjudicio servari nequeat; tum quia censent plures cum Sanche, lib. 4, cap. 8, n. 21, contra Sylvestrum et alios, votum hoc esse de se irritum, sic ut votum non mutuandi aut fidejubendi; quia licèt vota hæc in quibusdam circumstantiis possint esse de meliori bono, et eatenùs valida, si tamen generaliter emittantur, non sunt de meliori bono. Utut est, cùm favor Jubilæi latè, modò tamen sanè, interpretandus sit, non est cur ad præsentem casum minimè extendatur.

81. Quæres 6° an voti commutatio fieri possit in aliquid minus et suavius.

R. posse dubio procul fieri in aliquid pœnitenti suavius; cùm vix alio fine à Papâ permittatur, et possit quis vota quæcumque, modò Apostolicæ Sedi non reservata, neque in tertii præjudicium cessura, in aliquid omnibus inspectis evidenter melius commutare. At non ideò possunt eadem vota in aliquid moraliter minus commutari, prout docent Soto, Suarez, Azor, et alii plures. Ratio est quia commutatio definitur: *Substitutio operis honesti loco alterius per votum promissi, eodem voti vinculo remanente.* Atqui opus substitutum operi promisso moraliter æquale esse debet; alioqui enim jam non esset commutatio, sed partialis dispensatio, cujus facultas jubilaribus confessariis non tribuitur. Unde qui jejunium in unam orationis Dominicæ recitationem commutat, factæ sibi potestatis limites transilit. In his tamen ex æquo et bono procedendum est, cùm operum æqualitas vix à quopiam physicè appendi possit; et quæ uni levia sunt, ut confessio frequens, alii quàm utilia sunt, tam sint onerosa. Providè ad tollendas anxietates sanxit in Jubilæo suo Benedictus XIV, ut vota *dispensando commutare* liceret.

82. Quæres 7° an et quæ ad voti commutationem requiratur causa in Jubilæis.

R. procul dubio requiri; commutatio enim sapienter et religiosè fieri debet, ad quod requiritur causa. Unde in ultimo Jubilæo vetuit Benedictus XIV ne vota à peccato præservativa commutare liceret nisi in opera quæ æquè ab iisdem præservativa forent. Est autem justa voti commutandi causa, cùm difficulter et ideò parùm piè impletur; cùm modica ex executione ipsius redit utilitas; cùm nova voventis conditio nova remedia postulat, et alia id genus, quæ cùm ex circumstantiis loci, temporis, personæ metienda sint, nullâ certâ regulâ universim definiri possunt. Interim quò major est commutandi ratio, eò minor esse debet materia quæ subrogatur, ut si votum satis indeliberatè emissum sit; sit materia voti ratione ætatis, morbi, etc., facta sit nimis onerosa, etc. Vide tract. nostrum de virtute Religionis.

83. Quæres 8° an confessarius pœnitenti commutationem hanc legitimâ de causâ petenti acquiescere teneatur.

R. teneri, et quidem quantùm est de se, sub gravi; quia pœnitens ex Jubilæo jus habet ad commutationem illam; jure autem maximi momenti nemo inculpatè privari potest. Censent autem aliqui cum Koch. q. 3, n. 98, confessarium suæ huic obligationi facturum satis, si quia in hâc materiâ minùs expertus sit, pœnitentem ad alium remittat, qui vota ejus commutet. Neque id improbavero, cùm nihil intersit à quo commutentur vota, vel potiùs à quo substituatur novi voti materia; modò auctoritate legitimâ commutentur. Interim si confessor ex malitiâ vel oblivione non commutet votum, semper subsistet ejus obligatio; quia negligentia vel malitia nihil in votis operantur. Ita Sanchez, lib. 4 in Decal. cap. 54, n. 11.

84. Quæres 9° an vota hæc solùm in confessione commutari possint.

R. vota nonnisi à confessario ad id electo commutari posse, cùm ita sanciant bullæ jubilares; sed ambigi an nonnisi auditâ confessione mutari possint. Censent plures apud Dianam, part. 5, tract. 12, resol. 58, non requiri præviam confessionem; quia nulla est commutationem inter et confessionem connexio, seu ex naturâ rei, ut per se liquet, seu ex bullâ pontificiâ, quæ de confessione faciendâ non loquitur.

85. Verùm opinio hæc prorsùs rejicienda est. Ad quid enim exigit Pontifex ut pœnitens ad confessarium approbatum recurrat pro votorum commutatione. nisi, quia idem confessarii simul et commutantis personam agere debet? An non, sæpissimè saltem, intima pœnitentis cognitio ad hoc plurimùm prodest, ut votum longè meliùs commutetur? An demum, quò periculum omne viæ minùs tutæ abigatur, tantoperè arduum est paucula quædam venialia apud sacerdotem deponere? Huic ergo standum postremæ opinioni, et ex eâ contra Sanchem, Bonacinam et alios inferendum cum Azorio, lib. 5, cap. 15, q. 16; Sylvestro et aliis, sacerdotem jubilarem non posse propria sua vota, nisi in quid certò melius, quod omnes possunt, Jubilæi temporibus commutare. Sanè commutatio omnis, ut et dispensatio, est actus juridictionis; hæc autem à nemine in seipsum exerceri potest. Favet his

omnibus id bullæ Sixti V : *Qui confessionibus eorum diligenter auditis, eos absolvat, vota commutet*, etc. Vide supra, n. 48, ibique adducta Benedicti XIV verba.

86. Quæres 10° an commutatio voti necessariò intra tempus Jubilæi fieri debeat.

Quæstio hæc plures patitur sensus ; unde ut secundùm omnes, vel præcipuos, excutiatur

R. 1° Necesse non est ut commutatio intra ipsum Jubilæi tempus fiat per subrogationem operis alterius in opus votivum. Nihil enim mali est, si confessarius, vel Jubilæi negotiis distentus, vel ut rem totam maturiùs expendat, dixerit pœnitenti : *Commuto nunc votum tuum in illud opus quod tibi post tres aut quatuor hebdomadas designabo.* Imò non redarguerim si vota in genere tantùm indicata commutet sacerdos, aut commutaturum spondeat his verbis : *Post Jubilæum indicabis hæc mihi, et commutabo.* Quin et commutationem hanc ad laicum remitti posse docent Gobat. ex Lessio, et ex utroque Koch, n. 103, his propè verbis : *Commuto tuum votum in eam rem, quam talis aut talis vir doctus, à te consultus, prudenter judicaverit esse substituendam.* At postremum istud fieri nolim, nisi tale sit votum, cujus commutatio specialem pœnitentis notitiam non requirat.

87. An autem in his casibus subsistat voti prioris obligatio, donec facta sit substitutio alterius operis operi votivo, ambigi potest. Subsistere in secundo casu, qui solùm commutationem spondet, non autem facit ; at in primo et tertio nequaquàm permanere existimant Germani iidem theologi, viri à naturâ miles, et ipsâ Jubilæorum Indulgentiâ indulgentiores. Ratio horum est quòd cùm supponatur facta esse commutatio voti, jam extincta est ejus obligatio, et successit alia, non quidem alterius operis quod hìc et nunc præstari oporteat, cùm ante designationem impleri non possit ; sed acceptandi opus illud quod à confessore vel à viro docto designabitur.

88. Verùm hæc nobis ut et aliis pluribus laxiora videntur, 1° quia commutatio quæ non est hìc et nunc simpliciter absoluta, sed merè conditionalis, non omninò tollit prius vinculum. Atqui talis est commutatio sub conditione operis designandi, si piè et sanctè fiat, ut fieri supponenda est. Ecquis prudens Christi minister tranquillè cuipiam dixerit : *Vovisti triplex singulis hebdomadis jejunium, commuto illud in opus post quatuor septimanas designandum ; interim liber esto, bibe et epulare ;* 2° quia commutatio fieri debet in opus moraliter æquivalens. Atqui opus quod non fit, sed fiet in posterum, non est æquivalens operi quod actu fieret, nisi, gravitate suâ præsens et præteritum compensare supponatur ; quâ ab hypothesi procul distant Germani, cùm opus votivum in minus aliquod commutari posse velint. Ergo tunc non fit commutatio, sed dispensatio à parte quæ subtrahitur. Hæc autem dispensatio jubilaribus confessariis interdicta est ; 3° quia si Pontifex dispenset in voto, et confessario mandet ut examinatâ precum veritate, dispensatum esse declaret ; orator, si voti tempus recurrat, voto tenetur ante declarationem. Atqui ideò tenetur, quia dispensatio, licèt utcumque concessa, non sortitur plenam vim ante declarationem. Ergo cùm commutatio plenam vim non sortiatur, donec opus novum subrogetur alteri, prout fert ipsum commutationis nomen, non est unde prioris materiæ obligationem perimat. 4° Quia alioqui si confessarius ratione morbi vel itineris ad tres quatuorve menses, nullum pœnitenti novum opus designat, isve aliò rapiatur, erit tamdiù à voti executione immunis. Id autem quis Deo gratum accidere cogitet ? Ergo, ne his cavillis reseretur aditus, curandum semper ut sacerdos, votum assignato modo commutans, declaret prioris voti ligamen tamdiù substiturum esse, donec alia ejus in locum præfigatur materia.

89. R. 2° controverti in scholis an confessarius pœnitenti Jubilæum lucrato possit vota quæ is vel oblitus est, vel licèt horum memor, justâ de causâ sibi commutari noluit, post finitum Jubilæi tempus commutare. Ubi clarum est de iis tantùm votis sermonem esse, quæ vel ante Jubilæum, vel eo durante emissa sunt. Nec enim quis somniavit unquàm, hominem qui semel Jubilæum lucratus est, ab omnibus quæ postea emittet votis, solvi posse. Affirmativam partem tenent Sanchez, lib. 4, c. 54, n. 40, p. mihi 362 ; Layman, Diana, et alii quos approbat Viva q. 12, art. ult., n. 3. Horum ratio est, 1° quòd licèt opera ad Jubilæi lucrum præscripta certo tempori alligata sint, non tamen ipsum Jubilæi privilegium, quod semper durat ; ut patet ex ipsius tenore qui sic habet : *Concedimus ut possint hâc vice tantùm idoneos presbyteros approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitè valeant ipsos absolvere*, etc., *necnon et vota commutare.* Ergo sicut si Pontifex faciendi aliquid certo die privilegium quoddam indulgeat, opus quidem alligatur tempori, sed non privilegium ; sic et in præsenti. 2° Quòd Pontifex in bullâ cruciatâ disertim expressit, finito anno desinere omnia ejus privilegia. Ergo cùm id pro Jubilæo non expresserit, noluit privilegia ejus certo tempore concludi.

90. Aliter sentiunt Suarez, Bonacina, Filliucius, quos in Gallico de Dispensat. tractatu, tomo 2, parte 4, cap. 2, § 5, n. 12, secuti sumus. Ratio est, 1° quòd ridiculum sit ut alicujus vota, quia semel olim Jubilæum lucratus est, decem aut viginti postea annis commutari possint ; 2° quia confessarii jubilares non præcisè quia designati, sed quia à pœnitentibus electi, Jubilæorum privilegia applicare possunt, ut ex iis vel similibus Diplomatum verbis constat : *Licentiam concedimus ut sibi ad hunc effectum eligere possint confessarium, qui eos hâc vice absolvere valeat, et insuper vota commutare.* Atqui cùm semel transactum est Jubilæi tempus, jam non habent pœnitentes licentiam sibi confessarium eligendi à quo sua sibi vota commutentur ; cùm privilegium illud iis duntaxat concessum esset, ut ad Indulgentiæ lucrum allicerentur. Ergo ubi desiit Jubilæi tempus, desiit simul, tum privilegium pœnitentis in ordine ad electionem confessarii, tum confessarii facultas in ordine ad commutationem voto-

rum pœnitentis. Unde qui jam duo commutâsset pœnitentis vota, tertium quod ille oblitus erat, commutare non posset, quia ubi *res est integra*, seu necdùm incœpta, nihil jam auctoritatis habet confessarius.

91. Sed num saltem durante adhuc Jubilæo commutari poterunt vota illius qui jam à primâ hebdomadâ Jubilæi gratiam lucratus est?

R. probabiliter affirmat., non propter rationes hìc à Pontasio, casu 16, allatas, ex quibus malè probare vult, eum qui semel à censuris absolutus est, et Jubilæi gratiam comparavit, posse secundò à novis quas subinde contraxit censuris absolvi; quod falsum est; sed quia bulla quæ unâ tantùm vice à censuris aut reservatis casibus absolvi permittit, nihil habet quod commutationem votorum ad unam vocem limitet Permittit enim ut eligatur confessarius, qui hâc vice absolvere possit à censuris, et qui *insuper* vota commutare possit. Ergo semel quidem tantùm à censuris absolvere potest, si comparata sit Jubilæi gratia; at quamdiù durat Jubilæum vota commutare potest. De his adi Blasium ab Assumpt. fusè disserentem part. 2, cap. 1, q. 17. §

92. Quæres 1° an à confessario Jubilæi commutari queat simplex castitatis votum, cujus post emissionem vovens contraxit matrimonium.

Supponendum 1° ex supra insinuatis posse confessarium jubilarem commutare quæcumque religionis et castitatis vota Rom. Pontifici minimè reservata, et ab episcopo ex ordinariâ ipsius potestate dispensabilia. Unde potest commutare 1° votum ingrediendi religionem nondùm ab Ecclesiâ approbatam; quia religio ab Apostolicâ Sede necdum approbata, non est verè et propriè religio; 2° votum ingrediendi aliquam ex iis utriusque sexûs communitatibus, quæ simplicia tantùm vota emittunt, quia eæ cùm seculares sint, à religioso statu insigniter discrepant; neque ideò tamen dispensare potest à votis in iisdem jam emissis; quia id cederet in præjudicium tertii; 3° à voto paupertatis in seculo servandæ, vel obedientiæ cuipiam, puta confessario exhibendæ, quia per hæc non promittitur amplexus religionis; 4° votum determinatæ religionis, sed disjunctivè aut conditionaliter factum; ut, voveo me vel Carthusianam religionem amplexurum, vel nullam; item voveo me vel religionem ingressurum, vel aureos quinquaginta daturum: nisi postea materia reservata, seu religio per absolutam voluntatem electa esset; 5° votum factum sub disjunctivâ, cujus pars altera fiat impossibilis, ut in casu mox allato; qui enim aureos 50 largiri non valet, non ex vi voti, sed ex impossibilitate materiæ ad religionem tenetur; ita benè vel malè Romani, quibus in re per praxim cognità, adhæreri posse videtur; 6° votum hujus religionis puta strictioris, vel hoc anno ineundæ: qui enim votum hoc in alterius religionis votum commutat, vel executionem ejus legitimis de causis protrahit, non commutat operis substantiam, sed modum et circumstantias; 7° votum perseverandi in religione; quia votum illud discrepat à voto ingrediendi religionem: hoc enim exigit ut novitiatum ingrediaris, non autem ut in eo perseveres, si statum hunc tibi nequaquàm convenire animadvertas.

93. Potest etiam idem confessarius commutare votum, 1° castitatis ad certum tempus emissum; 2° nunquàm nubendi, permanendi in statu viduitatis, suscipiendi ordines sacros; quia per vota hæc non promittitur ipsa castitas; unde frangit quidem votum vidua quæ secundò nubit; sed non quæ turpibus delectatur, nisi aliud intenderit; 3° nunquàm tangendi feminam, Deum nullo impuritatis peccato offendendi, leges matrimonii piè servandi; 4° votum quo unus conjugum sine vel cum alterius licentiâ vovit se non petiturum unquàm debitum; vel spopondit uterque se nec petiturum esse, nec redditurum; uterque enim is conjux salvo voto post alterius mortem novas nuptias inire posset; imò nec reus esset voti, si committeret adulterium. Aliud fuerit, si conjux uterque, vel alter altero non solùm permittente sed et approbante, perpetuam continentiam voveat; tunc enim votum Papæ reservatum erit, proinde nec poterit commutari; 5° addunt non pauci, cum Theodoro à Sp. S., pag. 214, vota plura diversa, ex quibus simul sumptis exsurgeret perfectæ castitatis obligatio, puta si quis vovisset primò abstinentiam à nuptiis; secundò à fornicatione; tertiò à venereis omnibus, posse commutari; quia cùm horum quodlibet seorsìm non sit votum perpetuæ castitatis, nec ex iis conjunctim idem votum exsurgit per se, sed tantùm per accidens. Videri tamen possit id difficile: quia nihil interest an eleemosynam nummorum triginta simul voverim, an per partes ternas, nisi fortè cùm partem unam vovi, alterius neutiquàm meminissem. Quoniam tamen non decet ut reservationem latiùs protendamus quàm Romani, nihil est cur hæc eorum opinio non teneatur. Unde etiam cum iis dicendum, in vim Jubilæi commutari posse eadem vota quæ vel ex levi metu ad ea extorquenda incusso; vel à vovente ex animo se solùm sub veniali peccato obligandi emissa fuerint.

94. Supponendum 2° confessarium Jubilæi posse commutare omnia religionis et castitatis vota, in quæ episcopus ordinariam habet dispensandi vel commutandi potestatem. Ratio est quia confessarius potestatem habet in omnia vota, quæ R. Pontifici reservata non sunt, quæ episcopus jure proprio, vel simpliciter, vel commutando, relaxare potest; et ita omnes docent.

95. Supponendum 3° idque rursùs ex communi consensu per praxim confirmato, posse aliquando episcopum in votis R. Pontifici reservatis dispensare, cùm nempe urget gravis quæpiam necessitas, ex quâ meritò præsumi possit, Papam suas episcopo ad dispensandum vel commutandum vices in eo casu committere; ut cùm quis in gravi versatur fornicandi periculo, nisi quàmprimùm uxorem ducat; aut qui puellam corrupit, eam antè ducere vult, quàm infametur, aut difficilis est ad Urbem recursus, etc. In his porrò circumstantiis, non tam ex proprio jure dispensat episcopus, quàm ut delegatus Sedis Apostolicæ, quia votum generatim reservatum, de se semper re-

servatum est; licèt æquum fuerit, et reipsà contigerit, ut qui, propter periculum moræ, reservationem ejus tollere nequit Pontifex, eam alii, promptiorem opem allaturo, committat. Unde in remotioribus insulis eâdem, quantùm ad hæc, potestate fruuntur simplices presbyteri, quâ in Europâ episcopi. His præmissis,

96. R. negat., 1° quia opinio quæ facultatem votum illud commutandi jubilaribus confessariis abnegat, est theologos inter longè communior, et praxi magis consentanea; 2° quia confessarius jubilaris ea solùm vota commutare potest, in quæ episcopus jus proprium exercet, non autem vice alterius. Atqui episcopus, utpote qui ob solam necessitatem à prædicto voto dispensare valeat, eo ipso non dispensat proprio jure, sed jure sibi per alium commisso. Minor constat ex principiis num. præced. positis. Major non minùs evidens est, quia quæ episcopus jure quasi mutuato dimittit, semper manent intrinsecè Pontifici reservata, tantùmque ab eo solvi possunt, cui suas is vices commisit; quod erga jubilares presbyteros fecisse probari non potest. Ergo.

97. Quæres 12° an qui durante Jubilæo obtinuit voti commutationem, novam ejus post Jubilæum commutationem obtinere possit.

R. Affirmat., quia confessarius rem incœptam, et necdùm ut par est finitam, perficere potest. Ita Blasius ab Assumpt. cit., cap. 1, q. 19, qui, q. 21, subdit commutationem hanc probabiliter ab alio etiam confessario fieri posse; ne quis per mortem vel absentiam prioris confessarii privilegio per Jubilæum acquisito privetur. Et id non illubens admittam, modò tamen posterior confessarius sit è numero Jubilarium.

98. Quæres 13° an valeat commutatio facta ei qui postmodò vel sine culpâ, vel ex culpâ, Jubilæum lucratus non est.

Affirmant communissimè theologi cum Sanche in Decalog., lib. 4, c. 54, n. 49. Vivâ, q. 12, art. ult., n. 1; Blasio, part. 2, cap. 1, q. 12. Ratio horum est 1° quia potestas absolvendi à reservatis et commutandi vota, eodem tenore in Bullâ absolutè conceditur. Ergo statim ut legitimè facta est, extinguit obligationem voti prioris circa materiam pristinam. Atqui extincta semel obligatio non ampliùs reviviscit; 2° quia commutatio quæ non est conditionalis, fit absolutè, atque adeò independenter à futuro eventu. Atqui commutatio illa non est conditionalis, cùm is cui ea facta est, statim ab observatione voti sui immunis sit. Ergo.

99. Idem statuit Sanchez, ibid. n. 50, pro casu quo confessarius vota sibi tantùm in genere indicata commutavit in opera, quæ postmodùm à se, vel ab alio præscriberentur : quia sic verè facta est commutatio.

100. Verùm aliud sentit tum de votis, quorum in confessione oblitus esset pœnitens; tum de iis quæ verè non commutavit confessarius, sed post maturius examen commutanda distulit. Quia cùm vota hæc de facto commutata non sint, neque comparatum sit privilegium obtinendæ eorum commutationis; non est unde

n posterum valeant commutari, et id etiam docet Suarez, tomo 2, de Relig., tract. de Voto, lib. 6, cap. 16, n. 7.

101. Ast contraria opinio, quantùm ad eos saltem, qui Jubilæi lucrum culpâ suâ omisêre, ut pietati, sic et rationi longè magis consentanea videretur, nisi priorem quæ lenior est, amplexus fuisset Benedictus XIV, supra n. 66, quod an in aliis deinceps Jubilæis vim habiturum sit, nobis incertum est. Nimirùm ex Sanchii confesso, ibid. n. 53, potest confessarius commutare vota sub eâ solùm conditione, ut non habeat vim commutatio, donec Jubilæi opera præstentur, et ex iis comparetur Jubilæum. Atqui conditionem hanc confessarius, quisquis verè sapit, apposuisse censeri debet; idque ad mentem Pontificis, nisi is expressè resistat. Ecquis enim virtualiter dicat? Emisisti votum bis in hebdomadâ jejunandi; id autem absolutè commuto tibi, seu deinceps Jubilæum lucreris, seu ex culpâ tuâ lucrari negligas. Quis etiam id à rationabili ac piâ Pontificum mente non judicet prorsùs alienum? Numquid eorum mens est, ut gratiis singularibus totâ vitâ fruantur, qui per nullum virtutis præscriptæ opus iis se dignos effecêre.

102. Nec est quòd objicias eum qui à reservatis absolutus est, absolutum manere, licèt subinde Jubilæi opera non adimpleat. Hujus enim ratio est, ut advertit Sanchez, ipse ibid. n. 53, quòd absolutio à peccatis, et quæ ipsam præcedit absolutio à censuris, debeat esse absoluta, neque hæc sub reincidentiam à simplici confessario dari possit. Ast votorum commutatio conditionatè fieri potest. Si potest, debet, ne immeritò favor conferatur. Si debet, sic facta legitimè præsumitur; quia quisque id fecisse præsumendus est quod debuit. Unde etsi lubens concedo commutationem hanc iis absolutè factam esse qui pro viribus Jubilæum lucrari conati sunt; eosque, licèt deinde circa lucrum hoc non nihil dubii patiantur, circa ipsam votorum commutationem tranquillos esse debere; haud tamen induci possum ut credam hanc absolutè factam esse iis qui intra dies aliquot à lucrandi Jubilæi voluntate excidunt. Interim proderit nostra hæc conjectatio ut jubilares confessarii desinant potiùs, quàm incipiant à votorum commutatione; ne factum doleant, quod satius fuerat omisisse.

103. Quæres 14° an cui ab habente potestatem commutatum est votum Papæ reservatum in materiam eidem minimè reservatam, materiæ hujus subrogatæ commutationem in Jubilæo obtinere possit.

R. affirmat., quia cùm posterior materia non sit reservata, nihil est cur denuò commutari non possit. Quod autem objicitur, *subrogatum sapere naturam rei cui subrogatur*, verum est de iis quæ ad rem subrogatam intrinsecè pertinent, non de eis quæ huic sunt intrinseca. Unde materia posterior ad Dei cultum apta esse debet, sicut et prior; sed non ideò debet esse reservata; quia referri ad Dei cultum est intrinsecum voto; huic autem vel illi reservatum esse, est quid eidem extrinsecum.

CAPUT V.

De suspensione Indulgentiarum, etc.

1. Solent Romani Pontifices in bullis Jubilæorum, non omnium utique, sed solùm anni sancti, Indulgentias, atque etiam privilegia regularibus vel aliis concessa suspendere, *ne propter alias Indulgentias*, quas quisque in propriâ regione lucrari posset, *annus Jubilæus intermittatur; sed ut fidcles ex toto terrarum orbe in almâ Urbe in fidei ac religionis unitate congregati, eodem pietatis ac devotionis spiritu præscriptas Ecclesias, quo maximo fieri poterit concursu, toto anno visitent ac frequentent.* Verùm suspensio hæc tot variis in bullis habet discrimina, prout ex collatis secum invicem Sixti IV, pro an. 1475; Gregorii XIII, pro an. 1575; Clementis VIII, pro anno 1600; Urbani VIII, pro an. 1625; Innocentii X, pro an. 1650; Clementis X, pro an. 1675; Innocentii XII, pro an 1700, diplomatibus constat, ut ex iis nulla certa regula possit efformari. Unde recurrentibus Jubilæis nihil est factu melius, quàm ut singula bullæ verba maturè perpendantur. Interim id commune habent Jubilæa diplomata; 1° quòd contineant suspensionem Indulgentiarum, facultatum et indultorum, quæ quibuscumque Ecclesiis, congregationibus, personis, etc., in perpetuum, vel ad tempus quomodocumque concessa sunt; 2° quòd sub excommunicatione latæ vel ferendæ sententiæ, et aliis pœnis ordinarii arbitrio infligendis prohibeant, ne durante anno sancto Indulgentiæ aliæ publicè vel privatim nuntientur, vel in usum demandentur; ac simul declarent usum seu Indulgentiæ alterius, seu indulti, nullum omninò et invalidum fore. His præmissis potissimas quæ hìc suboriuntur difficultates, prout ab extraneis theologis ut plurimùm solvuntur, et nos solvemus. Quod ut fiat,

2. Quæres 1° an omnes prorsùs Indulgentiæ per Jubilæum anni sancti suspendantur.

R. neg.; namque 1° ex probabiliori opinione non suspenditur Indulgentia bullæ Cruciatæ, tum quia ita à Clemente VIII declaratum esse refert Rodriguez; tum quia bulla hæc ipso etiam anni sancti tempore publicatur, quod non est ignotum Pontifici; tum quia Indulgentia hæc ejusque privilegia per modum contractûs tribuuntur, cùm ad id duorum regalium eleemosynam erogari oporteat; non quasi venalis sit Indulgentia, sicut nec ex retributione venalis est Missa; sed quia æquum est ut eorum pietatem compenset Ecclesia, qui pugnantibus pro fide arma subministrant.

3. 2° Non etiam suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis immediatè concessæ, quales sunt quæ ex Altaribus privilegiatis habentur; vel quæ applicantur in articulo mortis. Utrumque constat ex Notificatione Clementis X. Et verò semper Ecclesiæ propositum fuit ut in extremo agone constitutis pro viribus opitularetur: aliunde cessat hìc ratio legis, cùm qui ad interitum vergunt, Romam ad Indulgentias contendere non possint.

4. At cessant 1° Indulgentiæ *pro vivis*, id est, in favorem vivorum concessæ, etiamsi eas quæ Romæ dantur, comparare non possint, puta quia carceri, aut perpetuæ clausuræ mancipati sunt; nisi his ex gratiâ speciali succurrat Apostolica Sedes, quod et facere consuevit.

5. 2° Quod mirum magis, cessant et Indulgentiæ quas vivi sic sibi comparare possunt, ut eas etiam defunctis applicare valeant per modum suffragii. Atque ita habet citata pluries Clementis X notificatio, quam totam referunt Gobat, in Append. ad cap. 48 Jubilæi, et Viva ad calcem tractatûs sui de Jubilæo. Ratio esse potest, quia sublato principali tollitur accessorium. Atqui quòd Indulgentia quæpiam à viventibus possit applicari mortuis, videtur esse accessorium. Ergo sublatâ pro vivis indulgentiâ, tollitur ea etiam quæ mortuis applicari possit.

6. 3° Cessant Indulgentiæ non solùm locis, sed et rebus, ut coronis, granis, imaginibus affixæ, quia et hæ fidelis populi ad Urbem concursum impedirent.

7. Non cessant tamen quæ ex speciali privilegio à suspensione per Bullam indictâ excipiuntur; quales sunt, 1° concessæ ecclesiis urbis Romanæ; 2° Indulgentiæ Jubilæi Compostellani; 3° domûs Lauretanæ, prout die 19 sept. 1674 declaravit Clemens X; 4° Portiunculæ, die 2 augusti, in ipsâ B. M. Angelorum ecclesiâ Assisiensi, prout an. 1625 declaravit Urbanus VIII, eò quòd Indulgentia hæc ab Honorio III, ex Christi ipsius imperio concessa fuerit: quæ ratio cùm in aliis Minorum ecclesiis locum non habeat, docet probabilior opinio in iis Indulgentiam suspendi; 4° bullæ Cruciatæ, de quâ supra, n. 2.

8. Quæres 2° an eodem anno suspendantur etiam Indulgentiæ partiales.

R. Negant Filliucius, Lezana, Viva, et alii quos sequitur Koch., quæst. 1, n. 39, quia Sixtus IV et Gregorius XIII, in suspensione suâ de plenariis tantùm Indulgentiis loquuntur. Quod autem subsequi pontifices generatim dicunt se *omnes et singulas Indulgentias* suspendere, ad plenarias restringi potest; tum quia fatentur iidem se in hâc suspensione sequi decessorum suorum vestigia: hi porrò plenarias tantùm suspendebant; tum quia partialis Indulgentiæ lucrum non retrahit à visitatione liminum Apostolorum; tum quia ex leg. *Præcipimus*, cod. de Appellat., *Quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, in veterum constitutionum regulis relictum esse intelligendum est.*

9. Ex quibus deducunt 1° eos qui numismata partialibus Indulgentiis affecta habent, item congregationes, sodalitia, etc., quæ annorum centum, vel mille, Indulgentias habent, easdem posse lucrari, quia eædem partiales sunt; 2° non suspendi Indulgentias anni unius in dedicatione ecclesiæ, et dierum 40 in anniversario dedicationis, aut alias à præsulibus concedi solitas; tum quia et eæ partiales sunt; tum quia pontifices proprias quidem gratias ut et facultates suspendunt; non autem quæ prælatis Papâ inferioribus competunt

10. Postremum istud caput nemo non admiserit; at dicendum cæteras quæ ab Apostolicâ Sede profluunt Indulgentias partiales suspendi. Ita docet Theodorus à Spir. S., in tract. de Jubilæo, cap. 12, pag. 223, edit. fol. 1750, idque *modò* tam *certum esse vult, ut opinio opposita sit quâcumque probabilitate intrinsecâ destituta.* Ratio ejus duplex, utraque gravis : 1° quòd ante Clementem VIII, Rom. pontifices *plenarias* tantùm *Indulgentias* suspenderent; atverò Clemens VIII *Indulgentias* simpliciter suspendit; quæ vox, utpote generalis, tam partiales, quàm plenarias complectitur; 2° quia idem Clemens VIII ejusque successores Indulgentias quasdam partiales à generali suspensione exceperunt; ad quid autem exceptio hæc, si partiales quæcumque Indulgentiæ subsisterent? Et id secutus est Benedictus XIV, in litteris suis quæ incipiunt : *Cùm nos nuper,* editis 16 calendas junii 1749, ubi : *Cæteras omnes et singulas Indulgentias, tam plenarias, quàm non plenarias..... suspendimus, et suspensas esse declaramus.* Hinc dubium mihi quod ex Navarro et Sanche docet Viva, q. 4, art. 5, non suspendi per Jubilæum plenarias Indulgentias, quas cæteroqui lucrantur, qui vota religiosa emittunt, aut novitiatum ingrediuntur.

11. Quæres 3° quæ partiales Indulgentiæ à suspensione hâc præservatæ sint.

R. nodum hunc certiùs solvi non posse, quàm ex citati mox diplomatis verbis. Sic ibi Benedictus XIV : *Præservatis ac firmis remanentibus Indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus, seu Indultis illas impertiendi...., iisque pariter quas Benedictus XIII, cunctis fidelibus salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore, manè aut meridie, seu vespere ad campanæ pulsum, de genu, vel juxta dierum et temporum rationem stando recitantibus...., atque illis etiam quas Innocentius XI et Innocentius XII, fidelibus SS. Eucharistiæ sacramentum, cùm ad infirmos defertur, devotè comitantibus, vel lumen aut facem per alios eâ occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt.... Item salvis et firmis remanentibus Indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque Indulgentiis et peccatorum remissionibus, aliàs pro vivis concessis ad effectum duntaxat, ut Christi fideles illas animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hâc luce migraverint, per modum suffragii directè applicare valeant,* etc.

12. Quæres 4° an etiam suspendantur Indulgentiæ ad septennium, vel aliud definitum tempus concessæ.

R. suspendi; quia pro suspensione illarum eædem militant rationes quæ pro aliarum suspensione. Ast cum plerisque theologis subjiciendum putò, nullam ex suspensione hâc sequi diminutionem in numero annorum, sed solùm Indulgentiæ interruptionem pro toto Jubilæi anno. Unde si Jubilæum incidat in septimum septennis Indulgentiæ annum, licebit eâ uti toto anno Jubilæum proximè subsecuturo. Ratio est quia, licèt septennium importet sex annos continuatos, ubi tamen eorum unus tollitur à Pontifice, habetur in septennio interrupto tota ea quæ tunc possibilis est continuatio. Sic, ait Viva, q. 4, art. 3, cùm piis locis conceditur ut prædia sua locent ad triennium, non computatur in eo annus sterilis, ex communiori doctorum sententiâ.

Censet tamen Gobat, et ex eo Koch., aliud dicendum fore, si pontificium diploma Indulgentiam concederet *ad proximos septem annos*, vel *ad proximum septennium;* quia voces, *proximos*, et, *proximum*, ut initium, sic et finem temporis designare videntur. Ratio hæc subtilior videtur quàm solidior. Non igitur redarguerim, si quis in isto casu ad minus dubio, suas octavo etiam anno Indulgentias utcumque proponat.

13. Quæres 5° an acquiratur Indulgentia ab iis qui hujus suspensionem ignorant, vel non acquiratur ab eis qui suspensionem illius sublatam esse nesciunt.

R. Fatentur omnes ignorantiam non prodesse ad lucrum in primo casu; quia sicut ea non efficit ut Indulgentia subsistat, sic nec efficere potest ut comparetur. Verùm existimant plures cum Lugo, cit. disp. 27, de Pœnit., n. 81, ignorantiam nullatenùs nocere in secundo casu; quia ad Indulgentiæ lucrum non requiritur vel intentio eam lucrandi, vel ejusdem concessionis notitia; sed sufficit ut hæc concessa sit, et ponantur opera ad eam lucrandam concessa. Et id est quod jam supra mihi difficile visum est, nisi quis generatim intendat totum id ex operibus suis consequi, quod eis alligaverit Ecclesia, et eâ mente hæc exequatur; quod in quibusdam Indulgentiis ad solam Dei vel B. Virginis gloriam ordinatis facilius est; in aliis minùs facile videtur.

14. Quæres 6° quid incurrant pœnæ qui suspensas Indulgentias promulgare, vel in usum demandare præsumunt.

R. ab iis quidem peccari, qui scienter Indulgentias suspensas lucrari student; cùm à superiorum intentione recedant; at nulli eos pœnæ ecclesiasticæ obnoxios fieri, quia nulla adversùs ipsos constituta sit. Qui verò ejusmodi Indulgentias vel populo denuntiant, vel *in usum demandant*, id est, prout in præsenti intelligitur, ad earum usum fideles inducunt, excommunicationi, quam Pontifices omnes Sixtum IV subsecuti confirmârunt, ipso facto subjacent; nisi excuset bona fides, et censuræ ignorantia.

15. Quæres 7° an durante Jubilæi anno suspendantur facultates à Papâ regularibus concessæ ad absolvendum à casibus Apostolicæ Sedi reservatis, ad vota commutanda, etc.

Circa hanc quæstionem, gravis utique momenti, scinduntur Doctores. Alii, ut Laiman, Tannerus, Lugo, disp. 20, n. 145; Viva, ibid. art. ult., contendunt eas solùm facultates suspendi, quæ concessæ sunt intuitu Indulgentiarum, seu ut quis Indulgentiam certis in locis expositum lucretur; at manere easdem facultates extra hunc casum. Horum rationes sunt, 1° quòd Sixtus IV, in Extravag. *Quemadmodùm*, 4, de

Pœnit. et Remiss., id expressim declarat. Porrò alii pontifices, licèt in diplomatibus suis diversè locuti sint, et indulta atque facultates à reservatis absolvendi suspenderint indefinitè, ad Sixti IV normam locuti fuisse meritò existimantur. 2° Quia Clemens et Urbanus VIII idipsum declaraverunt, prout ibid. refert Lugo. 3° Quia subsecuti pontifices dicunt se in suspensione sequi prædecessorum suorum exempla. Ergo perinde ac illi non alias, quàm quæ Indulgentiarum causâ prodessent facultates revocant. 4° Quia cùm iidem pontifices publicationem sub excommunicationis pœnâ prohibent, de solâ Indulgentiarum, non autem de facultatum publicatione loquuntur. Ergo ea solùm suspendunt privilegia, quæ ad Indulgentias relativa sunt, non cætera. 5° Quia alioqui non posset regularis superior per totum Jubilæi annum subditos suos à reservatis casibus absolvere; id porrò quàm durum sit, nemo est qui non intelligat. Hæc utique gravia videntur; neque ullus fermè est pœnitens aut confessarius, qui hisce inniti vereatur.

16. Dicendum tamen cum Theodoro à S S., hìc, c. 11, pag. 229, prædicta privilegia quoad exteros omninò per Jubilæi tempus suspendi, nisi hæc expressè præserventur, prout an. 1575, à Gregorio XIII factum est: 1° quia finis hujusce suspensionis non alius est, quàm ut recurrente Jubilæo fideles ad invisenda Apostolorum limina, ibique Jubilæi gratiam cum annexis favoribus percipiendam alliciantur. Porrò finis iste multam sui partem corrueret, si fideles alibicumque nancisci possent confessarios, qui non minùs potestatis circa censuras Rom. pontifici reservatas haberent, quàm Romani confessarii.

17. 2° Quia in formulâ suspensionis, quæ in quatuor Jubilæis Gregorio immediatè anterioribus observata est, hæc totidem verbis habebantur: *Omnes et singulas.... commutandi vota, et deputandi confessores cum potestate absolvendi, etiam in casibus Apostolicæ Sedi reservatis, facultates et concessiones.... tenore præsentium suspendimus.* Atqui clausula hæc tam generalis est, ex communi omnium intellectu, ut cùm, in Jubilæo an. 1550, publicata fuisset, patres societatis ex speciali gratiâ obtinuerint à Julio III, ut quod eis nuper concesserat Paulus III, à casibus Apostolicæ Sedi reservatis absolvendi privilegium, eo anno intactum maneret. Porrò singulare hoc privilegium, nec ab iis postulatum esset nec à Julio concessum, si per jubilarem annum subsisterent prædictæ regularium ab omnibus solito more absolvendi facultates.

18. 3° Quia nova quæ post Gregorium XIII inolevit suspensionis formula ad nostram usque ætatem, sic habet: *Omnes et singulas Indulgentias... ac facultates et Indulta absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, monasteriis, ordinibus, congregationibus... conventibus, magistris, superioribus, et tam secularibus quàm quorumvis, etiam Mendicantium ordinum regularibus personis suspendimus, et suspensas esse declaramus.* Hæc porrò citra vim manifestam alio quàm generalis suspensionis sensu intelligi non possunt.

19. 4° Quia nedùm ulla in regularium favorem eâ de re prodierit declaratio, imò cùm an. 1675, in particulari congregatione die januarii 17, dubium hoc discuteretur: *An per bullam suspensionis Indulgentiarum et facultatum ac indultorum absolvendi à casibus reservatis, extra Urbem factorum cuilibet personæ seculari vel regulari, intelligatur de facultatibus et indultis absolvendi ad consequendas Indulgentias tantùm, vel absolutè loquendo; taliter quòd episcopi, missionarii et officiales inquisitionis ad quinquennium, vel etiam pœnitentiarii in perpetuum, in diversis diœcesibus à summis pontificibus instituti, teneantur abstinere ab usu earum facultatum, durante anno sancto?* Clemens X, ex prædictæ congregationis voto illæsas duntaxat missionariorum et ministrorum S. inquisitionis facultates absolvendi à reservatis declaravit; de aliis verò in dubio proposito expressis nihil censuit innovandum. Ergo cùm exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, habendum pro certo regularium privilegia hoc anno suspendi.

20. 5° Quia Benedictus XIV, citatis supra litteris *Cùm nos nuper*, præservat quidem à suspensione facultates officii inquisitionis, *missionariorum quoque et ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu à congregatione propagandæ fidei* adversùs hæresim *deputati fuerint; item* facultates, *quæ ab officio pœnitentiariæ apostolicæ, missionariis in locis missionum, earumque occasione ab ipsis exercendæ, conclusæ fuerint:* insuper et facultates *tam episcoporum, in suis respectivè diœcesibus, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, prout ipsis à sacrâ Trid. synodo, seu aliàs etiam in publicis, à jure communi ecclesiastico, et ab eâdem Apost. Sede, pro certis personis et casibus indultæ, permissæque dignoscuntur; quàm etiam superiorum ordinum regularium in regulares sibi subjectos. Verùm cæteras facultates et indulta absolvendi etiam à casibus Sedi Apostolicæ reservatis... seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus, etiam Mendicantium, congregationibus* etiam secularibus, omninò suspendit. Quæ cùm ita sint, nemo de suâ et aliorum salute tantisper sollicitus contrariam opinionem in praxim redigere jam potest. Nec nocent quæ in contrarium objiciuntur.

21. Non primum; potuerunt enim alii pontifices facultates à Sixto IV, intactas coarctare. Atqui id fecisse præsumi debent, cùm aliter quàm ipse locuti sint.

22. Non secundum, tum quia hæc Clementis et Urbani declaratio ad summum probaret eos à tritâ prædecessorum suorum semitâ recessisse; quod nihil probat quantùm ad alios pontifices; tum quia dici non potest cui et quâ die declaratio hæc facta fuerit; tum quia iidem pontifices declarant se prædecessorum suorum vestigiis inhærere. Hi porrò, ut n. 17 probatum est, facultates prædictas generali suâ locutione restrinxisse meritò judicantur. Unde patet responsio ad tertium.

23. Non quartum, quia licet Rom. pontifices nullas iis

pœnas constituissent, qui durante Jubilæi anno Indulgentias alias promulgarent, eæ tamen Indulgentiæ vi omni destitutæ forent. Ergo et vi omni carent prædictæ facultates, quamvis nulla ea publicantibus inuratur censura. Adde Indulgentias appositis tabellis publicari, non autem facultates.

24. Non quintum, quia suam superioribus quoad subditos suos jurisdictionem, sub ipsum Jubilæi tempus, asseruêre pontifices, ut ex adductis num. 20 Benedicti XIV verbis apertum est.

25. Quæres 8° an prædictarum facultatum suspensio spectet eos etiam è regularibus, qui durante Jubilæo Romæ commorantur.

R. omnem eâ de re difficultatem à Benedicto XIV, quantùm saltem ad Jubilæum an. 1750, pertinebat, sublatam fuisse his verbis : *Suspensio facultatum absolvendi*, etc., *non comprehendit ipsam Romanam urbem, in quâ hoc maximè anno præstat operariorum copiam non imminui*, etc. Subsecuturorum pontificum diplomata interrogabunt nepotes nostri.

26. Quæres 9° quando incipiat aut desinat hæc Indulgentiarum aut facultatum suspensio.

R. eam incipere ab initio primarum vesperarum Nativitatis Domini, et finitis anno sequenti iisdem vesperis, absque novo Papæ consensu, et speciali revocatione suspensionis finire, juxta probabiliorem, ut et communiorem sententiam. Ratio est quia Clemens VIII et cæteri retrò Pontifices declarant se Indulgentias nonnisi durante anno sancto suspendere. Quod autem nonnisi ad annum suspenditur, eodem finito suspendi desinit.

REIFFENSTUEL VITA.

Reiffenstuel (Anacletus), doctissimus Germaniæ theologus, ex ordine Minorum S. Francisci reformatorum, ineunte seculo decimo octavo floruit. In provinciâ Bavariæ, unde oriundus erat, theologiam professus est, variisque functus est muneribus. Ipsius opera theologica, pro methodi quâ usus est claritate, necnon soliditate ratiocinii, maximoperè apud omnes prædicantur. Primo loco venit ejus tractatus de *Probabilismo*, qui multoties in Germaniâ, plurimis verò additionibus à celeberrimis theologis auctus locupletatusque, vigesies in Italiâ typis recusus est, 2 vol. in-4°. Edidit postea *Jus canonicum universum, cum tractatu de Regulis juris et Repertorio generali*, 6 vol. in-fol.; opus celebratissimum, omniumque theologorum usu ac existimatione optimè commendatum. Ad hanc posteriorem inclyti auctoris lucubrationem accommodata est ejusdem *Theologia moralis*, duobus voluminibus in-fol. comprehensa, è quâ sequentes de *Beneficiis* et *Immunitatibus ecclesiasticis* tractatus deprompsimus. Illud autem theologico-canonicum opus P. Kresslinger (Massæus), ejusdem ac Reiffenstuel ordinis lector jubilatus, plurimis illustravit additamentis quæ juxta decimam editionem Antuerpiensem anni 1758 nostris lectoribus exhibemus, ipsis ob oculos ponentes quæ per modum præloquii in fronte hujusce editionis annotata sunt in hunc modum : « Quatenùs hæ additiones commodiùs à propriâ auctoris doctrinâ secerni valeant, initium et finis earum à potiori, si tamen fuerint notabiliores ac longiores, aliquo asterisco * signantur, « et simul per hoc nomen, *additio*, indicantur. Quòd si post unum numerum ipsius auctoris plures similes additiones occurrerint, immediatè sibi invicem succedentes, etiam singulis distincta aliqua ciphra (ut vocant) « adjungitur, ponendo, ex. gr., *Additio I*, *Additio II*, etc. »

MONITUM.

Omni ferè loco, propter causas quas hìc recensere supervacuum est, cessavêre *beneficia* necnon *immunitates ecclesiasticæ*, adeò ut hæc materia veterem potiùs quàm actualem disciplinam spectans, ad historiam magis quàm ad praxim pertineat. Pauca igitur hâc de re nobis dicenda occurrunt, ideòque, neglectis longioribus tractatibus, unam tantùm formâ quidem brevem, at rebus exquisitam lucubrationem circa hæc duo puncta lectoribus nostris trademus, nempe Reiffenstuel subsequens opus decies in Germaniâ paucos intra annos typis recusum. Ne tamen in hocce nostra *Cursu* theologico, etiam ubi materia circa res historicas magis quàm practicas versaretur, aliquid magni momenti à nobis omissum aut non satis explicatum videretur, hunc Reiffenstuel tractatum quibusdam Natalis Alexandri ac Bineri Dissertationibus corroboravimus. Cæterùm illud idem punctum de *Beneficiis* et *immunitatibus ecclesiasticis* ampliori methodo in nostro *Cursu completo Juris canonici* ex professo tractabimus.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS,

JURE PATRONATUS ET DECIMIS.

1. Præsentium materiarum tractatus ex professo quidem ad jus canonicum spectare videtur, ubi sub propriis titulis tum de ecclesiasticis Beneficiis, ac jure patronatûs, tum de Decimis uberiùs agi consuevit. Verùmtamen, quia circa præmissa plures occurrere solent materiæ practicæ, et forum conscientiæ respicientes, meritò etiam in theologiâ morali discutiuntur, ne culpabilis eorum ignorantia multorum peccatorum origo sit, et fomentum.

DISTINCTIO PRIMA.

De Beneficiis ecclesiasticis, eorumque collatione.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid et quotuplex sit Beneficium ecclesiasticum.

2. Beneficium generatim sumptum aliud non est quàm benevola actio tribuens gaudium capientibus; quo modo comprehendit quodlibet Beneficium, tam laicale quàm ecclesiasticum. In proposito sermo est de solis Beneficiis ecclesiasticis, quæ auctoritate Ecclesiæ sunt instituta, atque conferri solent clericis propter officia spiritualia, et honestam eorum sustentationem, ne alioquin in opprobrium ordinis clericalis mendicare vel negotiari cogantur, simulque, ut adimpleatur illud Apostoli, 1 Corinth. 9 : *Qui altari deserviunt, cum altari participant.*

3. Conclusio prima. *Beneficium ecclesiasticum* est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Ita in re doctores communiter.

4. Tria siquidem in Beneficio ecclesiastico distinguuntur. Primum est *officium aliquod spirituale*, ut puta obligatio recitandi horas canonicas, deserviendi alicui Ecclesiæ, administrandi sacramenta, celebrandi certas missas, etc. Et hoc est omninò spirituale, non tamen est Beneficium, sed fundamentum et causa Beneficii ecclesiastici; nam *propter officium datur Beneficium*, c. ult., de Rescriptis, in 6. Secundum est *jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis*; et hoc jus propriè dicitur Beneficium, estque spirituale, quia oritur ex spirituali officio, cui etiam annectitur. Tertium sunt ipsi *fructus percipienai ex bonis ecclesiasticis*, id est, ex bonis Deo dicatis atque Ecclesiæ donatis, et hi sunt quid temporale, licitèque venduntur absque labe simoniæ, prout patet in fructibus decimarum.

5. Additur in datâ definitione, *jus perpetuum*, quia, de naturâ Beneficii ecclesiastici est, ut institutum perpetuò duret, et non conferatur ad certum duntaxat tempus, sed regulariter ad totam vitam beneficiarii, adeòque Beneficiarius in eo intituletur seu, investigatur arg. c. *Sanctorum*, dist. 70, ibi : *In quâ ecclesiâ quilibet titulatus est, in eâ perpetuò perseveret.*

6. Et subjungitur, *personæ ecclesiasticæ;* quia laicus est incapax Beneficii ecclesiastici; ante omne enim Beneficium requiritur prævius clericatus, seu prima saltem tonsura, adeò ut sine eo quis ad beneficium possidendum sit inhabilis; nam generaliter laici spiritualia possidere non possunt, c. *Causam*, de Præscript., et alibi.

7. Dicitur ultimò *auctoritate Ecclesiæ constitutum;* quia beneficia non nisi auctoritate Ecclesiæ institui, seu erigi possunt. Unde, si quis certas missas, vel etiam anniversarium, in perpetuum fundaverit, nisi simul approbatio episcopi accesserit, non erit Beneficium, sed tantùm pia donatio, vel legatum pium. Barbosa, lib. 3 Juris ecclesiat. univ. cap. 4, n. 16; Engel et alii.

8. Concl. II. Beneficia ecclesiastica variè dividuntur. Ita omnes, et patet inductione. Inprimis enim Beneficia alia sunt *majora*, ut papatus, patriarchatus, cardinalatus, archiepiscopatus, episcopatus, quibus addunt abbatiam : nam abbates in suos *quasi episcopalem jurisdictionem* obtinent, c. *Abbates*, de Privileg., in 6. Et hæc communi nomine Beneficii, ac nisi secùs exprimatur, comprehendi non solent, cùm sunt *culmina dignitatum;* prout appellantur cap. *Venerabilis*, 37, de Præbendis. Alia dicuntur *Beneficia minora*, ut sunt cætera prædictis inferiora.

9. Deinde Beneficia alia sunt *regularia*, alia *secularia*. Illa sunt quæ solis regularibus competunt, aut pro ipsis tantùm instituta fuerunt : ut abbatia, prioratus, etc. Secularia è contra censentur quæ sunt addicta, seu debita secularibus clericis, id est, illis qui nullam regulam ex ordinibus ab Ecclesiâ approbatis sunt professi, sed in seculo existentes serviunt Deo sub statu clericali. Et de hâc divisione loquitur illud receptum canonistarum : *Secularia Beneficia secularibus, et regularia regularibus sunt conferenda*, c. *Cùm ad nostram*, et c. *Officii*, de Electione, juncto concilio Trid., sess. 14, de Reform., cap. 10. Intellige, nisi causâ necessitatis exigente, deque consensu superiorum aliud fieri expediat.

10. Rursùm alia sunt *Beneficia curata*, quæ videlicet curam animarum habent annexam, qualia habent parochi, etc. Alia dicuntur *Beneficia non curata*, seu quibus nulla ejusmodi animarum cura est annexa; et in dubio Beneficium censetur non curatum, ac proinde asserenti curatum incumbit hujus probatio.

11. Insuper Beneficia ecclesiastica juxta triplicem

modum quo communiter conferri solent, dividuntur in collativa seu libera, in patronata, et in electiva. Beneficia *electiva* vocantur, quæ conferuntur per electionem legitimè celebratam, atque à superiore confirmatam. *Patronata*, quæ ad patroni prævium præsentationem et subsecutam institutionem à prælato factam conferuntur; seu breviùs, patronata sunt quæ subsunt juri patronatûs. Tandem Beneficia *collativa*, seu *libera* appellantur quæ per liberam superioris collationem sine prævià capitulari electione, vel alterius præsentatione conferuntur.

12. Beneficia ulteriùs dividuntur in patrimonialia et non patrimonialia. *Patrimonialia* dicuntur, non quòd patrimonii naturam seu rationem habeant (nam successiones in Beneficiis ecclesiasticis semper iniquæ, detestabiles et sacris canonibus inimicæ reputantur, c. *Accepimus*, de Pactis, et c. *Ad extirpandas successiones*, de Filiis presbyt.), sed quia juxta fundatoris institutionem non possunt conferri, nisi clericis ex tali patriâ, loco vel parochiâ oriundis. Beneficia *non patrimonialia* vicissim sunt quæ cuilibet digno, undecumque oriundo, conferri valent.

13. Beneficia tandem alia dicuntur *manualia*, alia *non manualia*. Prioris generis sunt ea quæ ad nutum conferentis avocari possunt, et propterea etiam appellantur Beneficia *revocabilia*. Sed hæc non sunt propriè dicta Beneficia, cùm de se non sint perpetua. Beneficia *non manualia* è contra sunt, quæ semel collata ampliùs adimi non possunt, nisi certis de causis à jure expressis.

14. Quæres quid sit dignitas, personatus et Officium, et an differant. Resp. 1° : Hujusmodi vocabula quandoque sumuntur pro synonymis, prout liquet ex c. *Cùm accessissent*, constit., ubi idem primiceriatus primò appellatur personatus, deinde dignitas, et tandem officium. Unde in horum vocabulorum usu attendendam esse locorum consuetudinem, passim notant doctores, ut Vallensis, de Præbendis, n. 7; Pirhing, eod. n. 10, et alii.

15. Resp. 2° : Strictè loquendo prædicti termini inter se differunt : nam *dignitas* est præcedentia cum jurisdictione; *personatus* verò præcedentia sine jurisdictione. Unde ea Beneficia censentur dignitates, quæ habent annexam præeminentiam atque administrationem rerum ecclesiasticarum cum imperio et jurisdictione, et quidem (ut notat Sylvester v. *Dignitas*, n. 1) in foro externo contentioso : ut præpositura, decanatus, archidiaconatus, abbatia. Fatendum tamen dignitatem etiam oriri posse ex institutione; ut si in institutione Beneficii cautum fuerit quòd sit dignitas. Item ex consuetudine : nam si de consuetudine Ecclesiæ aliqua reputetur dignitas, licèt de jure non sit talis, tamen dignitas censeri debet.

16. Personatus, propriè accipiendo hunc terminum, est præcedentia sine jurisdictione : qualem habere censetur ille qui præ cæteris canonicis sui ordinis locum magis honorificum in choro, in capitulo, in processionibus et hujusmodi obtinet. Unde Beneficium illud, cui talis præeminentia sedis et præcedentia absque jurisdictione annexa est, dicitur esse personatus, uti senioratus, etc.

17. Officium tandem est administratio rerum ecclesiasticarum sine aliâ speciali præcedentiâ, vel jurisdictione : qualem administrationem habent sacrista, custos, thesaurarius, et hujusmodi.

Additio.

* Quæres an commenda, præstimonium et pensio sint dicenda Beneficia. Ante responsionem nota quòd *commenda* nil sit aliud quàm *custodia Ecclesiæ alicui commissa*, et quidem hæc antiquis temporibus collata fuit *ad tempus* etiam per episcopos, de facto autem auctoritate Pontificis, qui solet tales commendas *in perpetuum* cum designatione certorum fructuum aliquoties concedere de Ecclesiâ eximiè meritis, ut exinde commodiùs sustententur, etc. *Præstimonium* est illud stipendium ab ecclesiasticis reditibus abstractum, quod datur clericis in vitæ subsidium, præsertim ùm studiis operam impendunt. *Pensio* demùm est certa portio fructuum ab aliquo Beneficio ad tempus separata vel ob causam temporalem, v. g., ob ministerium temporale cantoris, ædituі Ecclesiæ, etc., tuncque vocatur pensio *laicalis*; vel ob causam sustentationis cujusdam clerici, e g., seniculi et jam emeriti, sicque nominatur pensio *clericalis*, atque hæc communiter sub nomine pensionis intelligitur, nisi secùs exprimatur. Hoc notato.

Respondeo 1° : Commenda, prout nunc post concilium Tridentinum à summo Pontifice confertur, est propriè dictum Beneficium. Ita communis, et ratio est, quia in hâc acceptione nihil ipsi deest ad rationem Beneficii propriè requisitum : est enim jus perpetuum percipiendi certos reditus ob aliquod spirituale officium, nimirùm custodiam Ecclesiæ auctoritate pontificiâ constitutum.

Resp. 2° : Præstimonium regulariter loquendo non est Beneficium, quia tantùm datur ad tempus, v. g., durantis studii, nec habet annexum onus spirituale. Dixi regulariter loquendo, nam si conferretur in titulum, et quidem in perpetuum, foret propriè Beneficium, haberetque onus annexum recitandi horas canonicas; quoniam Beneficium datur propter aliquod spirituale officium.

Resp. 3° : Pensio laicalis non est Beneficium, uti per se patet, cùm etiam laicis dari soleat; pensio verò clericalis regulariter loquendo eo modo quo præstimonium, non habet rationem Beneficii propriè dicti, hincque talis pensionista etiam ante annum 14 inchoatum potest tenere pensionem, quamvis nequeat absque dispensatione acceptare aliquod Beneficium propriè dictum; neque talis tenetur ad horas canonicas, etsi Pius V tales pensionarios obligaverit ad recitandum officium parvum beatæ Virginis Mariæ. Videatur præsens auctor lib. 3 Decret. Tit. 5, § 3.

QUÆSTIO II.

De collatione Beneficiorum.

18. Concl. prima. Beneficia ecclesiastica tribus po-

tissimùm modis obtineri conferrique solent, videlicet per electionem, præsentationem et liberam collationem. Ita communis ; atque desumitur ex illâ vulgatâ divisione Beneficiorum in electiva, patronata et collativa, de quibus n. 11 jam dictum est.

19. Dicitur notanter, *tribus potissimùm modis :* nam, quamvis hi tres sint communiores, et præcipuè usitati modi, quibus Beneficia ecclesiastica obtineri conferrique solent, ea nihilominùs etiam nonnullis aliis modis acquiri possunt; ut puta per postulationem, per translationem episcoporum ab uno episcopatu ad alium, item per permutationem et resignationem in favorem tertii cum secutâ collatione. De quibus partim in progressu, partim uberiùs in jure canonico per diversos titulos tractatur.

20. Concl. II. Ut per electionem validè acquiratur, et conferatur Beneficium ecclesiasticum, necesse est quòd ea sit canonicè celebrata, et facta à majori atque saniori parte capituli, sive eorum quibus jus eligendi competit. Ita desumitur ex c. *Quia propter*, et c. *In Genesi*, de Electione, et aliis locis juris canonici, ubi dicitur quòd electio non valeat, nisi vel omnes vel major et sanior pars capituli consenserit in electum.

21. Circa quod notandum quòd *major pars* censeatur ea, ubi est major numerus eligentium respectu totius capituli præsentis. De jure enim non sufficit (quidquit sit de speciali quorumdam locorum consuetudine contrariâ, de quâ Engel, tit. de Electione, n. 37, post Zipræum) habere majora seu plura vota comparatione alterius minoris partis, c. *Ecclesia*, 48, de Electione, sed requiruntur majora vota respectu totius capituli præsentis, ita ut, si sint duodecim vocales, requirantur saltem septem vota arg. c. *Cumana*, de Electione, et c. *Si cui*. Eod. in 6. Sufficit autem quicumque excessus ultra medietatem, etiamsi foret unius medii voti, v. g., si essent tredecim vocales, septem vota jam sufficerent.

22. Porrò *pars sanior* censetur ea quæ est justior, et majori ratione nititur et auctoritate. Glossa, in cit. c. *In Genes.*, sive, ut alii loquuntur, *pars sanior* dicitur, quæ constat viris dignitate, ætate ac tempore officii, nec non et prudentiâ, pietateque magis conspicuis. Verùm si nihil opponatur, necnon et in dubio, major pars numero præsumitur etiam sanior, c. *Ecclesia*, 37, de Elect., ubi : *Cùm, ubi major numerus est, zelus melior præsumatur*, cum concordantiis. Plura de electione vel electionis confirmatione, occurrente aliquo casu, videri possunt in jure canonico lib. 1, decret., tit. 6.

23. Concl. III. Per præsentationem conferuntur atque obtinentur Beneficia ecclesiastica, quando ad præsentationem patroni, et institutionem subsecutam, factam à prælato, ea conferuntur. Ita in re communis. Dicitur, *ad præsentationem patroni*, id est, illius qui habet jus præsentandi clericum idoneum ad tale beneficium ; et id proprio nomine appellatur *jus patronatûs*, de quo inferiùs ex professo dicetur.

24. Additur, *et institutionem subsecutam, factam à prælato :* siquidem institutio est concessio Beneficii ad præsentationem patroni facta ; et tam ipsa quàm præsentatio pertinet ad jus patronatûs. Beneficium namque juris patronatûs non dicitur propriè conferri, cùm ordinarius non eligat personam providendam, sed propriè ordinarius dicitur instituere, patronus verò præsentare. Barbosa, lib. 3 Juris ecclesiast. univ., cap. 13, n. 4.

25. Cæterùm allata particula intelligenda est de institutione collativâ. Nam, ut notat Fagnanus in c. *Cùm Ecclesia*, n. 29 et seqq. de Causâ possess. et propriet., tres à SS. canonibus assignantur species institutionis. Prima dicitur institutio *auctorizabilis*, nec aliud est quàm approbatio ad curam animarum arg. c. *Cùm satis*, de Officio archidiac., ubi summarium sic habet : *Archidiaconus sine mandato episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem auctorizabilem.*

26. Altera vocatur institutio *collativa* (quam alii *verbalem* appellant) estque ea per quam titulus Beneficii confertur : ut si episcopus, vel alius ordinarius collator præsentato ad Beneficium, vel verbis expressis, vel per litteras impertitur confirmationem. Et hæc omnibus ad Beneficium ecclesiasticum præsentatis adeò est necessaria, ut, si propriâ auctoritate Beneficium occupent, fructus illius colligant, aut simile quid facere præsumant, eo ipso jus ex præsentatione sibi quæsitum amittant, arg. c. *Avaritiæ*, de Elect in 6, et post Garziam, de Beneficiis, p. 11, cap. 12, n. 217, tradit Engel, tit. de Instit., n. 2.

27. Tertia tandem dicitur institutio *corporalis*, sive (ut alii loquuntur) realis, neque aliud est quàm missio in possessionem Beneficii ; quando nempe datur cuipiam actualis possessio ipsius. De hâc fit mentio c. *Ad hæc*, de Offic. Archidiaconi, ibi : *Institutio corporalis, tam super Beneficiis quàm etiam dignitatibus ad ipsum* (archidiaconum) *debeat pertinere.*

28. Et hæc institutio corporalis alio nomine vocatur *Investitura, installatio, missio in actualem possessionem.* Neque enim quoad titulum institutus possessionem etiam vacuam Beneficii propriâ auctoritate, et sine licentiâ, sive introductione superioris apprehendere debet ; alioquin pœna saltem arbitraria per prælatum puniendus erit. Covarruvias, lib. 3 variar. Resol., cap. 16, n. 7 et seqq. ; Engel, tit. de Institutione, n. 4, et alii. Præsertim si alicujus Ecclesiæ consuetudo specialis, vel statutum id exigat, prout limitat Layman, in c. *Nôsti*, n. 5, de Elect. Alioquin enim illum qui habet jus in re, sive titulum canonicum Beneficii, posse propriâ auctoritate vacantem ejusdem possessionem apprehendere absque alio superioris vel judicis decreto, censet Pirhing, tit. de Præbendis, n. 55, citans alios.

29. Concl. IV. Per liberam collationem confertur, et obtinetur Beneficium ecclesiasticum, quando illud solo jure prælati liberè, absque prævià capitulari electione, vel præsentatione confertur. Ita communis. Unde Barbosa, loco cit. n. 3, ait quòd collatio beneficii sit à superiore gratuitò facta concessio. Et hæc

alio nomine vocatur Provisio : quia is cui est facta collatio, dicitur de Beneficio provisus, aut Beneficium de personâ ejus provisum.

QUÆSTIO III.

Quinam Beneficia liberè conferre possint?

30. Conclusio prima. Papa de jure communi habet potestatem conferendi omnia Beneficia ecclesiastica totius mundi. Ita communis Catholicorum; et habetur expressum in Jure canonico, variis in locis, ut c. 2, de Præb., in 6, et c. *Si Papa*, de Privileg. in 6, et Clem. I, *Ut lite pendente*, etc.; ibi : *Ad quem* (Romanum Pontificem) *Ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque Beneficiorum ecclesiasticorum plena et libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere.* Unde receptum dictum est, quòd Papa habeat concurrentem jurisdictionem cum omnibus Ecclesiæ prælatis : quinimò ipse est *ordinarius ordinariorum.*

31. Concl. II. Tribus præcipuè modis Papa loquendo de plenitudine potestatis potest Beneficia conferre : videlicet jure præventionis, jure devolutionis et jure concursûs. Ita Rebuffus, in Praxi., tit. de Devolutionibus, § 46, et alii; idque ostenditur inductione.

32. Inprimis, *jure prœventionis;* id fit quando Romanus Pontifex cuipiam confert gratiam exspectativam ad beneficium primò vacaturum, arg. c. *Dudùm*, et c. *Licet Ecclesiarum*, de Præbendis, in 6, cum concordantiis. Et hoc est speciale in summo Pontifice, neque alteri concessum, quòd Beneficium seu præbendam nondùm vacantem certæ personæ promittere et jus ad illud dare queat, arg. c. *Nulla*, de Concess. præbendæ. Idque adeò verum est, quòd etiam promissio Beneficii vacaturi per prælatum Papâ inferiorem facta nihil valeat, nullamque inducat obligationem, c. *Relatum*, et c. *Ex tenore*, eod., ubi hujusmodi promissiones Beneficii vacaturi, etiam scriptis datæ, non tenere dicuntur; cùm sint attentatæ contra dispositionem concilii Lateranensis.

33. Deinde *jure devolutionis* Beneficia ecclesiastica conferuntur à Papâ, quando propter negligentiam conferendi vel moram eligendi ab inferioribus Ecclesiæ prælatis commissam, talis potestas conferendi ab inferioribus devolvitur ad summum Pontificem; quia enim Ecclesiæ cathedrales et regulares ultra tres menses vacare, seu prælato carere non debent. Text. clar. c. *Ne pro defectu*, de Election.; alia verò Beneficia intra semestre, seu sex menses conferenda sunt, c. *Nulla*, de Concess. prœbendæ; hinc, si ordinarii electores aliquem intra præfatum tempus eligere, aut ei Beneficium conferre negligant vel eligant, seu conferant illud indigno, jus eligendi vel conferendi Beneficium plerùmque devolvitur ad proximum superiorem, ac eo etiam negligente gradatim ad summum Pontificem, c. *Quanquàm*, de Elect., in 6, et cit. c. *Nulla*, de Concess. præb.

34. Verùmtamen in hoc posteriori loco habetur specialis limitatio, dùm statuitur, quòd, quando ad episcopum spectat collatio Beneficii, et ipse ultra debitum tempus conferre distulit, tunc non ad superiorem sive Metropolitanum, sed ad capitulum devolvatur collatio illius Beneficii. Idque meritò statutum fuit propter communionem, quæ est inter episcopum et capitulum suum cathedrale; quanquàm hoc ipsum procedat duntaxat in Beneficiis quæ pertinent ad episcopum jure proprio, non autem in devolutis ad episcopum propter negligentiam vel delictum inferioris collatoris, ut observat Abbas, in cit. cap. *Nulla*, de Concess. præb., citans alios.

35. Tandem *jure concursûs* Papa conferre potest Beneficia ecclesiastica, eò quòd ipse cum quolibet ordinario collatore concurrat in potestate et jurisdictione. Nam quamvis Papa potestatem conferendi Beneficia ordinariis contulerit, sibi tamen majorem reservavit, c. *Dudùm*, de Præbend., in 6.

36. Unde de plenitudine potestatis potest summus Pontifex quælibet totius mundi Beneficia ecclesiastica conferre, etiam nullâ interveniente negligentiâ inferiorum collatorum ordinariorum; et tunc inter Papam et reliquos inferiores collatores datur locus prœventioni, ita ut, qui prior contulit, ejus collatio rata sit. Quòd si idem Beneficium à Papâ uni, et ab ordinario alteri collatum sit eâdem die, nec appareat quæ collatio fuerit priùs facta, erit potior conditio possidentis : si verò neuter possideat, præfertur is cui Papa, vel ejus legatus contulit Beneficium. Text. clar. *Si à sede*, de Præb., in 6.

Additio prima.

* Porrò illud adhùc notandum hìc est, quòd summus Pontifex, etsi valeat de plenitudine potestatis conferre omnia Beneficia totius mundi, hanc tamen potestatem absolutam non exerceat apud multas nationes ob varia concordata inter Sedem Apostolicam et similes nationes erecta, juxta quæ se solet regulare. Sic de concordatis Germaniæ inter Nicolaum V, Pontificem, et Fridericum III, imperatorem, anno 1447, initis, plura poterunt videri in Jure canonico, lib. 3 Decret., tit. 5, §§ 18 et 19.

Additio II.

* In specie ibidem summus Pontifex promittit, quòd neque per gratias exspectativas, neque per quamvis aliam dispositionem velit impedire liberam collationem ordinariorum, neque episcopatus Germaniæ immediatè conferre, sed relinquere liberæ electioni canonicorum cathedralium. Quâ tamen ipsâ occasione præter confirmationem electorum episcoporum etiam nonnullas alias dignitates et Beneficia sibi in Germaniâ immediatè reservavit, quæ potiora sunt sequentia. I. Quæ vacant in Curiâ; censentur autem Beneficia tunc vacare in Curiâ, quando beneficiatus in ipsâ Curiâ Romanâ, vel propè eamdem nimirùm intra spatium duarum dictarum (ubi una dieta, teste præsente auctore in Jure canonico, lib. 3 Decr., tit. 5, n. 453, et tit. 40, n. 27, quatuor circiter efficit milliaria Germanica) moritur, sive id fiat in accessu, sive in recessu ab eâdem Curiâ. II. Quæ tanquàm incompatibilia vacant per novam dignitatem, etc., à Summo Pontifice collatam. III. Quæ vacant per obitum cardinalium; unde episcopi Germaniæ in cardinales assumpti speciale

indultum à Papâ obtinere solent, pro liberâ post obitum suum electione instituendâ, uti notat P. Schmier hic. IV. Quæ vacant per legitimam cassationem, aut per depositionem interveniente sententiâ ipsiusmet summi Pontificis, vel etiam per translationem auctoritate pontificiâ evenientem, aut per renuntiationem liberam à Papâ acceptatam. V. Confert summus Pontifex, in Germaniâ, nisi alicubi sint specialia privilegia, dignitates majores post pontificales in Ecclesiis cathedralibus, et principales in collegiatis, quales ordinariè sunt præposituræ. Dixi: *Nisi alicubi sint specialia privilegia*, qualia teste Pichler, lib. 3, tit. 5, n. 20, habent præposituræ cathedralium Ecclesiarum Salisburgensis et Augustanæ ac Elvacensis principalis, etc., quæ sunt electivæ; electus tamen à summo Pontifice est confirmandus; item præposituræ Ecclesiarum collegiatarum Bavariæ, ad quas nominare solet serenissimus elector, etc. VI. Quoad reliquas dignitates non electivas, item quoad alia Beneficia in Germaniâ (si tamen non sint juris patronatûs laicalis, nec manualia, nec regularia ad nutum superioris auferibilia, nec accessoria mensæ episcopali, capitulari, vel monasterio unita, neque electiva, etc.) sibi Pontifex reservavit potestatem conferendi alternativè seu alternis vicibus, ita ut regulariter loquendo eadem conferat mensibus januario, martio, maio, julio, septembri et novembri, si nimirùm in dictis mensibus hæc Beneficia vacent, saltem si hæc vacatura per mortem et non præcisè per resignationem contingat; pro reliquis sex mensibus (nempe februario, aprili, junio, augusto, octobri et decembri) permittitur potestas conferendi ordinariis aliàs collatoribus. Incipiunt autem singuli menses (e. g., januarius) statim, postquàm hora 12 nocturna ultimi diei præcedentis mensis fuit audita, et finiuntur horâ duodecimâ noctis ultimæ illius mensis, puta in allegato exemplo horâ duodecimâ dici trigesimi primi mensis januarii. Cæterùm solet subinde Pontifex suos menses aliis de Ecclesiâ benè meritis relinquere. Sic in Bavariâ juxta particularia concordata ibidem erecta in mensibus papalibus præsentat serenissimus elector, si pro tunc vacent. Vide de similibus plura apud auctorem, lib. 3 Decret., tit. 5, et apud canonistas, si extraordinarius casus occurrat. Quoad Bavariam verò de hâc materiâ etiam tractat intimus cancellarius de Schmid, tom. 1, semicenturiâ 2, controversiâ 41, 42 et 43. *

37. Concl. III. Post Papam ordinarius collator Beneficiorum in suâ diœcesi est episcopus. Patet hoc ex c. *Nullus omninò*, 16, q. 7, et c. *Cùm ex injuncto*, § fin. de Hæreticis; ibi: *Ad cujus* (episcopi) *officium tam institutio quàm destitutio sacerdotum noscitur pertinere*. Hinc Abbas in cit. c. *Cùm ex injuncto*, n. 2, ait quòd episcopus fundatam intentionem habeat super institutione ac destitutione sacerdotum in Beneficiis suæ diœcesis, et, si alius sibi vendicat, probare debeat, jure speciali id sibi competere, quia de jure communi ista pertinent ad episcopum. Unde de his inferioribus collatoribus impræsentarium non est necesse agere; cùm potiùs specialia jura, quæ nonnullis inferioribus collatoribus competunt, inspicienda veniant.

Additio prima.

* Quòd si scire cupias utrùm episcopus conferendo alicui Beneficium possit sibimetipsi, vel suæ mensæ episcopali ex collato quidpiam, v. g., medietatem fructuum primi anni reservare, resp. negativè; nam Beneficia sunt sine diminutione conferenda juxta titulum 12, et ejusdem capitulum unicum, libro 3 Decretalium.

Nec dicas: Papa potest sibi reservare annatas, id est, fructus primi anni ex Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis, et ab eâdem impetratis cameræ apostolicæ persolvendos: ergo idem poterit episcopus. Respondetur enim negando consequentiam et paritatem: nam summo Pontifici tanquàm supremo capiti ecclesiastico competit plenaria dispositio circa Beneficia, cap. 2, de Præb., in 6, non sic inferioribus collatoribus quibus talis reservatio expressè reperitur interdicta, uti patet ex jam dictis superiùs, et cap. *Prohibemus*, de Censibus. De quibusnam autem Beneficiis sibi reservatis ipsemet Papa vi Concordatorum Germaniæ soleat exigere certas pensiones seu annatas, vide lib. 3 Decret., tit. 12, n. 16, ac seqq., et Pichler, lib. 3 Decret., tit. 5, n. 61. *

Additio II.

* Concl. IV. Vicarius generalis episcopi (ab aliis vocatus officialis) vi sui officii, ac nisi specialiter concedatur, non habet potestatem conferendi illa Beneficia, quæ aliàs spectant ad liberam collationem episcopi. Ita communis. Ratio est quia licèt aliàs vi generalis mandati vicarius generalis possit omnia quæ suo episcopo concessa intelliguntur; cùm constituat unum cum eo tribunal juxta cap. 2, de Consuetud., in 6, excipiuntur tamen res valdè arduæ, et collationes liberæ Beneficiorum, quæ habent se per modum donationum, uti expressè deciditur cap. 3, de Officio vicarii, in 6. Hoc tamen non obstante potest vi officii sui ab aliis patronis præsentatos instituere in Beneficiis citra ulteriorem specialem sui episcopi licentiam, quia eamdem ipsummet jus concedit, uti eruitur ex c. 3, de Institutionibus, ubi summarium sic habet: *Institutio Beneficiorum spectat ad episcopos, vel eorum officiales.*

Additio III.

* Concl. V. Capitulum cathedrale sede episcopi vacante non potest concedere Beneficia illa quæ sunt liberæ collationis ipsius episcopi, uti decisum legitur cap. 2, *Ne sede vacante*, unde in tali casu, si simile Beneficium post mortem episcopi vacare contingeret, ac novi episcopi electio, vel confirmatio in longius tempus protraheretur, debet capitulum regnans, vel potiùs constitutus ab eodem vicarius capitularis idoneum interim in illâ Ecclesiâ vacante substituere, assignatâ ei ex fructibus Beneficii congruâ portione, donec novus episcopus de alio provideat; uti rectè notat præsens auctor, lib. 3 Decret., tit. 5, n. 183, ubi, uti etiam, tit. 9, fusiùs tractat de hâc materiâ. Cæterùm, etsi

capitulum regnans nequeat conferre Beneficia antea liberè ad episcopum pertinentia, potest tamen per horum vicarium capitularem (quem tenetur juxta concil. Trident., sess. 24, de Reform., cap. 16, intra octiduum à morte episcopi vel specialem constituere, vel præcedentem demortui episcopi vicarium generalem confirmare) à patronis præsentatos ad certa Beneficia Patronatûs instituere ; uti clarè habetur cap. 1, de Institutionibus, in 6. *

38. Quæres quid censendum de collatione parochialium Ecclesiarum per concursum. Resp. de hoc ex professo agi in concil. Trid., sess. 24, de Reform., cap. 18. Cùm enim maximè expediat animarum saluti, eas à dignis et idoneis parochis gubernari, hinc concilium saluberrimè decrevit, ut vacante Ecclesiâ parochiali interim, si opus fuerit, idoneus in eâ vicarius cum congruâ fructuum portionis assignatione constituatur, donec ipsi de rectore provideatur. Exinde voluit ejusmodi parochias non arbitrio episcopi, sed per concursum esse conferendas.

39. Porrò forma concursûs hæc assignatur, ut vacante Ecclesiâ parochiali intra decem dies, vel aliud tempus ab episcopo præscribendum aliquot clerici ad Ecclesiam regendam idonei, coram deputandis examinatoribus nominentur, vel, si ita pro regionis more videatur magis expedire, per edictum etiam publicum ad talem parochiam aspirantes vocentur, et comparentes examinentur per examinatores in synodo diœcesanâ deputatos, et, qui peracto examine idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, episcopo denuntientur. Ex quibus deinde episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, ipsique, et non alii parochia conferatur, prout ampliùs habet concil. Trid., loco cit. Verùm ab hoc concursu sunt eximendæ nonnullæ parochiæ, de quibus infra, dist. 3, n. 41 et 42.

40. Quæres ulteriùs quid sit censendum de primis precibus imperatoris. — Resp. : Romanus Pontifex imperatori recens electo et à Papâ confirmato, id postulanti, per speciales litteras concedere solet pro Ecclesiis Germaniæ singulare privilegium, virtute cujus in quâlibet Ecclesiâ semel personam idoneam, sibi gratam et acceptam ordinario collatori nominare possit qui ad Beneficium vacans, dummodò cæteroquin sit idoneus, omninò recipi debeat. Et hujusmodi nominatio per Romanorum imperatorem facta dicitur proprio nomine, *primæ preces imperatoris.*

41. Cæterùm prædictæ preces imperatoris sunt intelligendæ, dummodò idem collator non nisi semel, id est, pro unico tantùm Beneficio gravetur; nam alioquin non primæ sed secundæ preces censerentur. Gravâsse autem tunc censetur, si preces ad effectum pervenerint, atque supplicans actu Beneficium illud obtinuerit : nam, si hic precibus renuntiaverit, vel ex quocumque alio impedimento Beneficium illud non obtinuerit, nihil prohibet quin imperator novas preces pro alio ad eumdem collatorem dirigere valeat.

Additio.

* Atque dictæ preces se extendunt non solùm ad Beneficia simplicia, verùm etiam ad curata, ad illas quoque dignitates, quæ in sequenti numero non excipiuntur; item ad personatus, canonicatus, etc., non obstante quòd aliàs illa Beneficia sint reservata summo Pontifici, vel subjecta alternativæ : item neque obstante *turno* (uti vocant canonici) neque devolutione ad inferiorem summo Pontifice, neque resignatione liberâ in manus ordinarii, neque obstante jure patronatûs ecclesiastici penes alium residente. Uti vix non in formalibus notat Pichler in suo Candidato abbreviato, lib. 3, tit. 38, n. 12.

42. Ab his tamen primis precibus excipiuntur dignitates pontificales, et primæ post illas ; ut præposituræ, vel decanatus; item prælaturæ, primæque dignitates in monasteriis, et Ecclesiis collegiatis. Excipiuntur etiam Beneficia, quæ pertinent ad jus patronatûs laicorum : nam huic Pontifex nunquàm censetur derogare, nisi id exprimat. Insuper primæ preces imperatoris locum non habent, nisi ordinarius collator ad minus quatuor Beneficia conferre possit : nam si unum duntaxat, vel alterum conferendum habeat, non tenetur ejusmodi preces admittere. Quinimò hæc clausula, *dummodò ipsi, collatores et collatrices saltem quatuor Beneficia conferre habeant*; litteris pontificiis, Cæsareæ majestati dictam facultatem concedentibus, inseri solet, ne alioquin facilè contingat ut quis toto vitæ suæ tempore impediatur ab usu juris liberæ suæ collationis. Engel, tit. de Præbend., n. 70; Wagnerek, cap. *Is cui*, § 2, eod. in 6, atque ipsemet præsens auctor, lib. 3 Decret., tit. 5, § 20.

QUÆSTIO IV.

Quibus conferenda sint Beneficia? ubi et de conditionibus ex parte eorum requisitis.

43. Conclusio prima. Certum est Beneficia ecclesiastica non nisi dignis atque idoneis conferenda esse. Ita communis : nam rectæ rationi adversatur, assumere ad officium spirituale personam inidoneam. Hinc c. *Grave nimis*, de Præbend., dicitur : *Grave nimis est et absurdum, quòd quidam Ecclesiarum prælati, cùm possint viros idoneos ad ecclesiastica Beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat*, etc.

44. Concl. II. Electores, patroni et collatores Beneficiorum, præsertim curatorum, quantùm in ipsis est, sive in ipsorum liberâ dispositione, tenentur in conscientiâ ad præferendum inter dignos digniorem, seu quem magis Ecclesiæ utilem ipsi judicaverint. Ita post D. Thomam, 2-2, q. 63, art. 2, et q. 185, art. 5, doctores passim; adeò ut Lugo, disput. 35, de Just. et Jur., sect. 2, n. 10, hanc sententiam appellet communissimam. Desumitur hoc ex c. *Metropolitano*, dist. 63, volente quòd *optimus ordinetur*. Concordat textus c. *Licet*. 8, q. 1, ibi : *Qui præstantior est ex omni populo,*

qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et alibi. Accedit ratio : quia dispensationes spiritualium principaliùs ordinantur ad utilitatem communem, juxta illud 1 Corinth. 12 : *Unicuique datur manifestatio spiritûs ad utilitatem;* atqui communis isthæc utilitas non observatur, quando in dispensatione spiritualium, seu promotione ad Beneficia ecclesiastica illi qui sunt simpliciter minus boni, præferuntur melioribus ; ergo.

45. Hinc concil. Trid., sess. 24, c. 1, de Reform., expressè ait : *Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent.* Quorum verborum sensum, cæteroquin admodùm clarum, cùm nonnulli auctores sinistrâ interpretatione perverterint, Innocentius XI sequentem inter alias, ordine 47, Propositionem damnavit : *Cùm dixit concil. Trident., eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minus propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.* Hactenùs propositio damnata.

46. Dicitur notanter in conclusione *Beneficiorum, præsertim curatorum.* Eam enim post citatum decretum Innocentii XI, procedere non solùm de episcopatibus, de quibus ex professo loquebatur concilium Tridentinum, sed etiam de omnibus illis qui habent jurisdictionem quasi episcopalem, sive sint abbates, sive vicarii, aut priores nullius diœcesis, sive prælati regulares, ob identitatem rationis, quin etiam de illis qui eliguntur ad Beneficia parochialia, ad longum deducit Joan. Cardenas in Crisi theologicâ, ad propositionem 47 Innocentii XI.

47. Notat tamen citatus auctor n. 2, neque concil. Trid., sess. 24, cap. 1, de Reform., neque Propositionem allegatam Innocentii XI, agere de Beneficiis simplicibus, et nullam animarum curam habentibus ; nam concilium expressè agit de pastoribus Ecclesiarum ; propositio verò citata agit contra eos qui concilium perperàm interpretabantur. Hinc non pauci doctores apud Lugonem, loco cit., n. 10, oppositum tenent de Beneficiis simplicibus ; et quòd in his non sit peccatum mortale, prætermittere digniorem, dummodò verè dignus et idoneus instituatur, censet Layman, lib. 4, tract. 2, cap. 15, n. 8, post Sotum, Lessium et alios ; siquidem Ecclesia plerùmque non magnum inde detrimentum patitur.

48. Additur in conclusione, *quantùm in ipsis est* : nam in Beneficiis patrimonialibus, sive quæ ex primævâ fundatione, statuto vel consuetudine, certo personarum generi, v. g., talis familiæ, Patriæ, etc., conferenda sunt, id observari debet, dummodò adsint idonei, qui ex tali genere institui possint, non obstante quòd alii meliores, sed extranei, præstò sint. Deinde, quando patronus, præsertim laicus, præsentat clericum dignum ad Beneficium, tenetur eum episcopus instituere haud obstante quòd judicet aliquem alium fore digniorem : siquidem hic est favor specialis, et privilegium ratione fundationis patrono concessum, ut, quem voluerit, præsentare valeat, dummodò is cæteroquin idoneus sit ac dignus. Quinimò ex hoc fundamento probabiliter tradunt nonnulli auctores, quos citat et sequitur Layman, loco cit., cap. 15, n. 7, patronum laicum plerùmque satisfacere obligationi suæ, si præsentet dignum ac ideonum, ideò ut periculum non sit, Ecclesiam ex illius provisione damnum accepturam ; quamvis secùs dicendum sit de prælatis et patronis ecclesiasticis, utpote quibus ex officio incumbit, Ecclesiæ quàm optimè providere.

49. Dicitur ultimò, *seu quem magis Ecclesiæ utilem iudicaverint*, quia non tenetur quis assumere simpliciter meliorem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere, et defendere, et pacificè gubernare, prout loquitur doctor Angelicus, cit. q. 185, art. 3. Unde et concilium Trid., loco cit., notanter monet eos à promotoribus esse promovendos ad Ecclesias, *quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint.* Hinc pro dictorum intelligentiâ,

50. Notandum quòd *dignus* respectu Beneficii ecclesiastici dicatur omnis ille qui habet sufficientiam omnesque qualitates à jure requisitas ad ejus ministerium. *Dignior* verò, qui comparatione aliorum majorem sufficientiam, aptitudinemque ad administrandum habere dignoscitur. Et quidem isthæc major sufficientia dignitasque non præcisè mensuranda est ex majori doctrinâ, vel majori probitate aut nobilitate, sed conjunctim ex omnibus animæ et corporis dotibus, ipsâque aptitudine ad regendum, adeò, ut ecclesiæ sive prælaturæ, cui præficitur, utilior fore credatur.

51. Et notanter hoc additur ; nam major isthæc dignitas est desumenda per comparationem ab bonum commune : contingit autem quandoque, quòd ille qui est minùs sanctus, et minùs sciens, possit magis conferre ad bonum commune, propter potentiam vel industriam secularem, vel propter aliquid hujusmodi, uti notat D. Thomas, cit. quæst. 63, art. 2.

52. Tandem *indignus* censetur, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale jure requisitis. Quod ultimum, ut meliùs pateat, sit

53. Concl. III. Ad hoc, ut quis sit dignus sive idoneus ad Beneficium ecclesiasticum, plures requiruntur conditiones ; videlicet thorus legitimus, clericatus, ætas conveniens, cœlibatus, absentia censurae atque irregularitatis, probitas morum, scientia debita, habilitas corporis, intentio statûs ecclesiastici, et carentia alterius beneficii incompatibilis. Ita Lessius, lib. 2, cap. 34, dubit. 17 et seqq., omnes has conditiones ad longum explicans, et alii passim.

54. Itaque ad obtinendum Beneficium ecclesiasticum requiritur I. *thorus legitimus ;* hoc est, quòd quis

ex legitimo matrimonio procreatus fuerit. Illegitimus enim cujuscumque Beneficii incapax est, nisi cum eo dispensetur.

55. II. *Status clericalis*, id est, ut quis saltem primâ tonsurâ initiatus sit. Nam aliàs quilibet, et ad quodlibet Beneficium inhabilis existit, adeò quidem, ut non sufficiat, post illud jam acquisitum tonsurari : c. *Ex litteris*, de Transaction. Quinimò si Beneficium ex suâ institutione requirat certum ordinem, quicumque illo ordine caret, hoc ipso inhabilis censetur ad ejusmodi Beneficium : nisi forsan dictum ordinem intra tempus à jure præscriptum obtinere valeat, prout adeptus Ecclesiam parochialem satisfacit, si *intra annum, à sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri;* c. *Licèt canon*, 23, de Elect., in 6.

56. III. *Ætas legitima*, nisi cum aliquo dispensetur, c. *Cùm in cunctis*, 1, de Elect. Porrò pro quocumque Beneficio ad minimum requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum; prout novissimè statuit concil. Trid., sess. 23, cap. 6, de Reform.; ibi : *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium ullum obtinere.* Deinde ad dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, requiruntur viginti duo anni juxta concil. Trid., sess. 24, cap. 12, de Reform. Verùm ad beneficium parochiale requiruntur anni viginti quinque ad minus inchoati, cit. c. *Licèt canon*, de Elect., in 6; ibi : *Decernentes collationes de parochialibus Ecclesiis, iis qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas viribus omninò carere.* Tandem ad episcopatum requiritur ætas triginta annorum ; cit. c. *Cùm in cunctis*, de Electione.

57. IV. *Cœlibatus*, hoc est, ut quis non sit matrimonio ligatus. Siquidem quælibet collatio Beneficii facta ei qui matrimonio junctus est, invalida existit, nisi forsan quis consentiente conjuge castitatem voverit perpetuam, nec bigamus existat, c. *Sanè*, 2, de Clericis conjugatis. Quinimò, si clericus in minoribus ordinibus constitutus habeat Beneficium, et postea contrahat matrimonium, illud ipso jure perdit, arg. cap. 1, et c. *Quod à te, eod.*, et cum communi doctorum tradit Sanchez, lib. 7, de Matrim., disp. 42, n. 4.

58. V. *Absentia censuræ atque irregularitatis*, hoc est, ut quis non sit detentus ullo juris impedimento, utputa irregularitate, excommunicatione, aut aliâ censurâ ecclesiasticâ. Collatio siquidem Beneficii nulla est, ipsoque jure irrita, si fiat excommunicato excommunicatione majori, vel suspenso, aut interdicto; prout patet ex c. *Postulâstis*, de Clerico excommunicat., et c. *Cùm dilectus*, de Consuetud., et c. 1, de Postulat. prælat. cum concordantiis.

59. Additur notanter, *excommunicato excommunicatione majori :* quia, si Beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minori, collationem non esse ipso jure irritam, sed irritandam, arg. c. *Si celebrat.*, de Clerico excommun., censet Lessius, loco cit., n. 116, quamvis nonnulli oppositum teneant.

60. VI. *Probitas morum.* VII. *Scientia debita.* Et VIII. *Habilitas corporis*, hoc est, ut quis bonis moribus et scientiâ commendabilis existat, c. *Cùm in cunctis*, de Elect., et alibi ; simulque eâ corporis aptitudine præditus sit, ut decenter officium suum præstare valeat.

61. IX. *Intentio statûs ecclesiastici.* Si enim quis accipiat Beneficium ecclesiasticum eo duntaxat animo, ut ex ejus fructibus sustentari valeat, donec studia sua absolverit, vel divitem uxorem repererit, intentione postea Beneficium deserendi, peccat mortaliter, nec potest tutâ conscientiâ illud retinere. Lessius, loco cit., dub. 26, n. 122, allegans communem. Nihilominùs satis est ut quis sincero animo, bonâque fide proponat statum ecclesiasticum retinere, neque ab eo resilire, nisi justa causa supervenerit, quia non est mens Ecclesiæ, per Beneficium ita firmiter adstringere clericum ad statum ecclesiasticum, ut nullâ de causâ licèt adhùc sit constitutus in ordinibus minoribus possit eum deserere ineundo matrimonium.

62. X. *Carentia alterius Beneficii incompatibilis*, juxta inferiùs dicenda, dist. 2, quæst. 2. Cæterùm hoc non ita intelligendum est, quasi collatio secundi Beneficii incompatibilis sit nulla ; quinimò ea est valida, sed adeptâ illius pacificâ possessione vacat primum; prout declarâsse sacram congregationem cardinalium concilii Trid. Interpretum refert Fagnanus, c. *Super inordinata*, n. 9, de Præbend. Quòd si verò beneficiarius utrumque retinere perrexerit, utroque privatus existit ipso jure.

63. Concl. IV. Electio indigni, seu carentis aliquâ ex qualitatibus ad ministerium beneficiale jure requisitis, irrita est, ac nullius roboris : valet tamen electio de digno celebrata omisso digniori. Prior pars patet ex pluribus textibus Juris canonici, in explicatione singularum qualitatum hactenùs adductis. Concordat. concil. Trident., sess. 22, cap. 4, de Reform. ibi : *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem, et cæteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.*

64. Altera pars est, Zoesii, tit. de Elect., n. 45, Engel, eod., n. 47, et aliorum. Ratio est quia Ecclesia nullibi rejicit, neque irritat electionem de digno celebratam omisso digniore (benè tamen electionem indigni) idque ob bonum pacis : alioquin enim omnes propemodùm electiones essent in discrimine, ac daretur locus infinitis litibus, si eâ duntaxat de causâ posset electio impugnari atque irritari, quòd non fuerit electus dignior. Nec obstat quòd scienter eligentes dignum omisso digniori peccent ; nam *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur, cap. *Ad Apostolicam*, de Regularibus.

QUÆSTIO V.

Quæ sint obligationes beneficiariorum?

65. Concl. prima. Obligatio beneficiariorum multiplex esse potest, pro qualitate scilicet Beneficiorum, atque fundationum diversitate. Patet hoc, tum quia in unâ fundatione plura missarum onera beneficiario im-

ponuntur quàm in alterâ : ubi de obligatione dictas missas persolvendi plura invenies, tract. 14, dist. 5, n. 87 et seqq.; tum quia nonnulli eorum quandoque ad chorum alligati existunt, non verò alii. Tacentur aliæ speciales obligationes, quæ quibusdam beneficiis vi primævæ suæ fundationis impositæ sunt, non aliis : unde tenor litterarum fundationis vel maximè inspiciendus et exactè observandus erit.

66. Concl. II. Una principalis beneficiariorum omnium, etiam necdùm in sacris ordinibus constitutorum, obligatio est recitatio quotidiana horarum canonicarum. Ita communis, et patet ex alibi dictis.

67. Concl. III. Alia obligatio clericis beneficiariis incumbens est residentia personalis. Patet hoc tum ex Jure canonico antiquo, toto titulo de Clericis non residentibus; tum jure novo, nempe ex concilio Trid., sess. 23, de Reform., cap. 1, ubi etiam adjungitur, saltem de patriarchis, archiepiscopis, episcopis et inferioribus animarum curam habentibus, quod ultra tempus à jure concessum absentes præter reatum peccati mortalis etiam pro ratâ temporis fructus non faciant suos, nec tutâ conscientiâ retinere possint, aliâ etiam declaratione non secutâ. Plura de hâc residentiâ videri poterunt in Jure canonico, lib. 3 Decret., tit. 4.

68. Concl. IV. Episcopi et pastores, quibus cura animarum commissa est, tenentur ad ejusmodi residentiam personalem de Jure naturali et divino, saltem loquendo in genere, ac in illis circumstantiis, ubi Jus positivum abesse non concedit. Ita Lessius, lib. 2, de J. et J., cap. 33, dubit. 26; Herincx, disp. 7, de J. et J., quæst. 4; Vallensis, et alii; idque satis apertè supponitur in concilio Trid. cit., cap. 1, ibi : *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere*, etc. *Quæ omnia nequaquàm ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet, ut (N. B.) præceptorum divinorum memores*, etc., *in judicio et veritate pascant*, etc. His simul verbis insinuatur ratio conclusionis : siquidem sedulorum pastorum est, gregi suo invigilare, eique assistere, quod fit per residentiam personalem, non autem mercenariorum more eumdem deserere.

69. Concl. V. Etiam reliqui beneficiarii, curam animarum non habentes, spectato jure communi ecclesiastico, tenentur residere in loco Beneficii, sive dignitatem annexam habeant, arg. cap. 1 et seq., de Clericis non resid., sive aliud obtineant simplex Beneficium, quantùmvis tenue ac modicum, prout desumitur ex c. *Conquerente*, et c. *Inter quatuor*, eod.

70. Dicitur notanter, *spectato jure communi ecclesiastico;* nam inprimis hujusmodi obligatio non descendit ex jure naturali et divino, sed vel ex primævâ fundatorum intentione, vel saltem ex sacris canonibus jam allegatis. Deinde loquendo de Beneficiis simplicibus, ex generali consuetudine totius Ecclesiæ eadem personalem residentiam non ampliùs requirunt; ideòque potest beneficiarius per substitutum illis deservire, nisi fundator disertis verbis oppositum expresserit. Fagnanus c. *Cùm omnes*, n. 14, de Constitut.; Vallensis, Engel, et alii.

71. Quòd si contra datas conclusiones objicias, juxta regulam 68 Juris., in 6 : *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, cum concordantiis; ergo non tantùm habens Beneficium simplex, sed et quilibet alius potest deservire per substitutum. Resp. negando consequentiam : nam allata regula fallit, seu patitur exceptionem, quando electa est industria et opera personæ; prout ipsa in collatione Beneficii semper electa intelligitur, arg. c. *Is cui*, de Offic. judicis delegati, in 6. Simulque, ut taceatur specialis dispositio juris quoad hoc, contra rectam rationem est ut non obstante, quòd Beneficium detur propter officium, unus habeat Beneficium, ejusque emolumentum, et alter præstet onus atque officium : nisi major aliqua ratio cogat clericum à suo Beneficio ad tempus abesse, eique interim per alium idoneum substitutum deservire.

72. Concl. VI. Nihilominùs justâ de causâ quandoque licitum est abesse à loco Beneficii. Ita concil. Trid. cit., sess. 23, de Ref., cap. 1, ubi inquit : *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquàm abesse postulant et exigunt.* Rectè tamen ibidem subditur quòd, quando tales qui Beneficium ecclesiasticum curam animarum annexam habens obtinent, abesse contigerit, debeat causa legitimæ absentiæ per episcopum esse cognita et approbata; simulque ipsi teneantur, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debitâ mercedis assignatione relinquere; ut, quantùm fieri poterit, ex ipsorum pastorum absentiâ oves concreditæ nullum damnum accipiant.

73. Concl. VII. Episcopus extra tempus adventûs, quadragesimæ ac solemniora festa potest abesse ab Ecclesiâ suâ per duos, vel ad summum tres menses, sive continuè, sive interruptim, sine aliâ superioris approbatione, etiam causâ duntaxat relaxandi animum. Ita colligitur ex cit. concil. Trid., et notat Barbosa ibidem, in Collectaneis, n. 15 et 16, et alii quos citat. Ratio hujus affertur à concil. Trid. ibi : *Quoniam, qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum canonum sententiâ non videntur abesse, quia statim reversuri sunt.*

74. Concl. VIII. Canonici Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum possunt à suis Ecclesiis insistendo juri scripto quolibet anno per tres menses continuos, vel interpolatos vi juris communis abesse : nisi ubi propriis Ecclesiarum constitutionibus longius servitii tempus requiritur. Ita concil. Trid., sess. 24; cap. 12, de Reform. et Barbosa, ibi, in Collectaneis, n. 64, cum aliis. Intellige dummodò non omnes canonici simul absint, sed tot semper remaneant, ut servitium Ecclesiæ possit peragi, quia concilium non indulsit tres menses absentiæ toti capitulo, sed canonicis, scilicet singulis per vices. Fagnanus in c. *Licèt* n. 55, de Præb.

Additio.

Porrò Canonici per dictos tres menses absentes

juxta communem doctorum æquè lucrantur *fructus grossos*, ac actualiter præsentes; secùs dicendum *de distributionibus quotidianis*, quæ regulariter loquendo solis præsentibus, et officio divino interessentibus dantur. Ubi notandum quòd *fructus grossi* dicantur illi qui modo in jure requisito residentibus tribuuntur annuatim absque respectu singularis præsentiæ in choro seu officio divino. *Distributiones quotidianæ* autem nominantur, quæ porriguntur cum illo respectu ad interessendum choro actualiter, unde etiam *Præsentiæ* intitulantur. Vide Jus canonicum, lib. 3 Decret., tit. 4, § 5 et 6.

75. Concl. IX. Parochi vel maximè residere tenentur propter periculum, ne in ipsorum absentiâ quidam è parochianis sine sacramentis decedant, aut in aliis spiritualibus auxiliis detrimentum patiantur. Nihilominùs, quia circa parochos quoque non rarò occurrunt causæ aliquantisper aliorsùm discedendi, providè idem sacrum œcumenicum concil., sess. 23, cap. 1, de Reform., statuit in hæc verba : *Eadem omninò, etiam quoad culpam, omissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit; ita tamen, ut quandocumque eos, causâ priùs per episcopum cognitâ et probatâ, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario approbandum, cum debitâ mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causâ, non obtineant.* Hæc concilium, occasione quorum

76. Quæres an parochus per dictos duos menses possit abesse sine aliâ licentiâ episcopi. Affirmant Navarrus, cap. 25, Manual., n. 121; Azorius, parte 2, lib. 7, cap. 4, quæst. 10; Bonacina et quidam alii. Rationem dant, tum quia ante concilium id licebat, arg. c. *Præsentium*, et c. *Si quis in clero*, 7, q. 1, ubi per duos menses, vel saltem per tres hebdomades poterat sacerdos à suâ Ecclesiâ abesse; atqui à jure antiquo non est recedendum sine novo jure expresso, l. *Præcipimus*, c. de Appellat., tum quia episcopo, qui tamen magis tenetur residere, id expressè permittitur à citato concilio.

77. Opposita sententia asserit, parochos ne quidem primo bimestri posse abesse sine licentiâ episcopi. Ita Barbosa in Collectaneis, ad cit. cap. 1 concilii Trident., n. 67, post Lessium, lib. 2, cap. 34, n. 159, Vasquez et plures alios. Et subdit Barbosa, n. 68, quòd Garzias, et Armendar. decisum referant non posse parochum per hebdomadem abesse non petitâ, vel non obtentâ licentiâ, etiam relicto idoneo vicario per ordinarium approbato. Et hæc sententia est conformior verbis concilii Trident. proximè relatis, ut patet; quamvis simul attendi debeat praxis singularum diœcesium, et an rigor iste sit ibidem receptus, *credo tamen* (inquit cit. Lessius) *non esse usu receptum.*

Additio.

* Item P. Pichler in suo Candidato Jurisprudentiæ abbreviato, lib. 3, tit. 4, n. 4, testatur, in his terris consuetudinem vigere passim, quòd parochi ad modicum tempus, v. g., ad aliquot dies discedant sine petitâ episcopi licentiâ, substituentes sub hoc tempus vicarium, nisi habeant cooperatorem, vel interim parocho vicino curam ovium committant: prout sub hâc cautelâ etiam consentit præsens auctor in jure canonico, lib. 3 Decr., tit. 4, n. 78 et 79. *

78. Illud certum est, quòd, quando subita necessitas occurrit quâ nequit parochus episcopum adire, fas sit eidem ad breve tempus abesse absque expressâ episcopi licentiâ (nam subita necessitas), cùm gravis sit, non patitur dilationem neque moram dummodò relicto idoneo vicario benè provideatur, ne in suâ absentiâ grex sibi commissus spirituale damnum patiatur.

79. Insuper certum est, si per longius tempus, utputa ultra duos menses, parochus sive conjunctim, sive divisim à suâ parochiâ abesse velit, requiri causam gravem atque expressam licentiam episcopi; prout clarè indicat citat. concil. Trid., juncto c. *Licèt canon.*, § fin., de Elect., in 6, ubi dicitur quòd super residentiâ personali parochi faciendâ possit ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.

80. Nec obstat quòd parochus jure naturali teneatur ad residentiam personalem. — Resp. enim, id intelligendum seclusâ justâ causâ et cessante legitimâ dispensatione. Verùm de residentiâ beneficiariorum, et pœnis non residentium plura canonistæ, tit. de Clericis non residentibus, etc.

Additio prima.

* Præsertim verò videatur præsens auctor in Jure canonico, lib. 3 Decret., tit. 4, maximè § 3, ubi, etsi, n. 91 et 92, inter alias causas quæ parochos etiam quoad plures quàm duos menses à residentiâ personali absentes excusant, admittat numerari abitum ad thermas pro recuperandâ sanitate, etc., dummodò interim aliunde sufficienter provideatur Ecclesiæ; negat tamen similem abitum parochis esse licitum propter ingruentem pestem, vel incursum hostilem. Ego autem, etsi hunc animarum zelum omninò laudem (prout bello præterito novi talem zelosum parochum, qui, occupato per milites à potiori acatholicos certo oppido, sub alienis occultatus vestibus suis concreditis occultè administravit sacramenta) nollem tamen peccati gravis condemnare illum pastorem, qui (emergentibus præsertim subinde specialibus circumstantiis) contrariam multorum doctorum practicat sententiam, dummodò cæteroquin aliunde oviculis sufficienter provideatur, prout bello præterito vidi plures ex sacris religionibus præsertim ordine Seraphico interim in diversis parochiis substitutos; cùm actualis parochorum præsentia aliquoties nil aliud præstiterit, quàm quòd et ipsi subsistentes fuerint per milites abducti tanquàm obsides, ut citiùs exactæ solverentur contributiones.

Additio II.

* Cæterùm suppositâ, tempore contagionis pestiferæ, parochorum præsentiâ tam pro ipsismet, quàm etiam in casu absentiæ pro substitutis utilissimâ per hunc

auctorem, loco cit., n. 103 et 106, præscribuntur observanda. Inprimis, quod juxta declarationem sacræ congregationis concilii Tridentini teneantur peste infectis tantummodò administrare duo sacramenta, Baptismum nimirùm, et Pœnitentiam, ut sic magis præserventur pro oviculis necdùm hâc tabe infectis. Secundò, ut in administrandis sacramentis cautè atque circumspectè se gerant : quem in finem ex præscripto medicorum ad manus habeant media præservativa contra pestem; e. g., non visitent ægrotos jejuno stomacho, vel si aliter necessitas ob periculum in morâ urgeat, opponant ad nares parùm theriacæ, aut strophiolum aceto tinctum, etc., nec facile apud tales salivam, utpote vehiculum malignitatis deglutiant, sed semper exspuant. Limonibus seu eorum corticibus vesci ante accessum infirmorum saluberrimum quoque esse remedium docuit, juxta præfatum auctorem, ipsamet experientia. Insuper excepturi confessionem pestiferorum audiant eosdem à longè, et, si fieri possit, curent ut vel inficiati portentur ad aliud cubile priùs fumigatum, vel, si aliæ circumstantiæ non admittant, accedant fenestram, aut januam; ubi tamen deberent interponi prunæ cum fumo ex granis, vel apicibus juniperorum, etc., ne confessarii attrahant auram veneno infectam, et necdùm per ignem purgatam. Quòd si similia fieri nequeant, attendant saltem, ut ægrotus vertat faciem non versùs sacerdotem, sed ad alteram partem, et tegumenta lectuli non moveat, ne venenatus ægroti halitus, vel vapor è lectulo egrediens pariter inficiat pastores, sicque oviculas adhùc sanas horum privet assistentiâ. Præterea jubeant, ut in cubiculo decumbentis fiat fumus salutaris contra pestem, e. g., ex juniperis, foliis seu corticibus lauri, ex nardo, lavandulâ, amaraco, seu majoranâ, salviâ, rosmarino aut similibus copulativè vel disjunctivè applicatis. Plura similia præservativa videri poterunt in Bezoartico animali Francisci Alberti Hueber Archiatri Frisingensis.

APPENDIX.

Qualiter beneficiario obligato dimittere beneficium ob simoniam in ejusdem receptionem commissam practicè succurri queat.

Additio I.

* Equidem totum illud suo modo jam erui posset ex Jure canonico, lib. 5 Decret., tit. 3, § 14; nihilominùs succinctè alibi dicta recapitulando, simulque ipsam praxin in casibus, qui confessario aliquoties, præsertim tempore alicujus jubilæi occurrere possunt docendo, præ omnibus ante oculos poni debent pœnæ, quæ propter simoniacam receptionem beneficii incurruntur quales ex Jure canonico loco cit., § 11, breviter extrahuntur, suntque sequentes. Primò, excommunicatio reservata summo Pontifici, quæ tamen non incurritur, si gravitas culpæ, vel saltem pœnæ annexæ censuræ inculpabiliter ignoretur. Quinimò etsi etiam ea incurreretur, ab hâc tamen regulares Mendicantes absolvere possunt. Secundò, irregulares, si ante absolutionem à censurâ exerceatur actus ordinis à tali beneficiario. Tertiò, nullitas collati simoniace beneficii, ita ut prorsùs nullum in illud acquirat jus, nec fructus inde perceptos faciat suos. Quartò, perpetua inhabilitas, præsertim ad illud ipsum beneficium deinceps obtinendum. Quintò, privatio quoque aliorum beneficiorum antea ritè obtentorum, quæ tamen ultima pœna ante sententiam judicis non ligat; item si quis etiam privaretur per sententiam judicis beneficiis ritè antea obtentis, exinde tamen non teneretur restituere fructus propter talia beneficia perceptos. De quibus omnibus videatur lib. 5 Decret., tit. 3. *

Additio II.

* Ulteriùs, dùm similis casus in confessionali proponitur, examinetur, primò an propriè adsit simonia nec interveniat aliquis verus titulus excusans. Secundò, cognitâ verâ simoniâ attendatur, num fuerit præcisè mentalis, vel conventionalis, aut realis, nam quoad primas duas species, etsi graviter peccetur, pœnæ tamen supra allegatæ non contrahuntur, si ex parte simonia confidentialis excipiatur, de quâ alibi. Tertiò, si fuerit deprehensa simonia realis, et quidem utrobique saltem ex parte completa (puta propter præsentationem ad beneficium ex centum ducatis promissis, interea dando quinquaginta) tunc attendendum ulteriùs. Quartò, num illa simonia fuerit commissa circa beneficium propriè tale, vel impropriè tale; nam si non fuisset Beneficium in sensu proprio (puta capellania, vel vicaria præcisè temporalis) etsi adhuc peccaretur, non tamen contraherentur hæ pœnæ. Quintò, supposito autem quòd dicta simonia versetur circa Beneficium propriè tale, tunc observetur ulteriùs, an hæc simonia sit perpetrata ab ipso recipiente Beneficium, vel per aliquem tertium ignorante illo, qui Beneficium recipit, e. g., si parens vel consanguineus beneficiati, inscio ipso, dedisset patrono quinquaginta ducatos, ut præsentet filium aut cognatum suum. Sextò, quando simonia realis foret commissa per tertium ignorante beneficiato, tunc si dictum Beneficium esset simplex, posset ad retinendum dispensare episcopus juxta cap. 59, de Elect,; quinimò ipsemet beneficiatus, qui integro triennio ignorans invincibiliter illam simoniam à tertio commissam, bonâ fide beneficium aliquod possedit, potest illud ulterius unà cum fructibus tutâ conscientiâ retinere etiam absque ulteriori dispensatione. De quo vide Jus canonicum, loco cit., à n. 275 usque ad n. 480. Item n. 329. Septimò, quòd si autem simonia realis fuisset scienter ab ipsomet beneficiato, vel saltem per tertium eo sciente commissa, recurrendum foret Romam ad datariam, si simonia esset publica; vel ad pœnitentiariam, si foret occulta. Ubi ex Tiburtio Navar. in suâ Manuductione ad praxim, part. 3, c. 8, notetur, octavò, quòd sacra pœnitentiaria non semper censeatur dispensare, quando absolvit, nec semper rehabilitet, quando dispensat. Potest enim subinde absolvere à peccato simoniæ, et à censurâ annexâ, nec tamen dispensare quoad irregularitatem per exercitium ordinum à dicto beneficiario censuræ subjecto contractam. Item potest dispensare quoad irregularitatem, nec tamen rehabilitare ad

dictum Beneficium vel alia obtinenda. Aliquando tamen (etsi valdè rarò, et non nisi ex causâ gravissimâ) contingere potest, ut quis per easdem litteras simul absolvatur à censurâ, dispensetur in irregularitate et rehabilitetur ad Beneficia in futurum obtinenda.

Additio III.

* Ut totum magis capiatur, ponamus Titium nobili habenti jus patronatûs laicale ad Beneficium A. promisisse centum, et actu dedisse ex his quinquaginta aureos, ex quo etiam fuit præsentatus, et actu obtinuit Beneficium. Vix integro anno elapso sub aliquo familiari discursu resciens nullitatem collationis Beneficii, et fluentem exinde obligationem restituendi fructus perceptos, ac dimittendi dictum Beneficium (quas gravissimas pœnas antea ignorabat) pœnitentiâ ducitur, instantissimè rogans confessarium, ut sibi procuret Romæ in pœnitentiariâ (quoniam casus adhuc occultus est) dispensationem tam quoad fructus perceptos retinendos, quàm quoad ipsum Beneficium. Pro motivò dispensandi allegat suam suorumque consanguineorum paupertatem, item periculum diffamationis, si relinquat Beneficium. Quid agendum confessario? — Resp. 1° : Si Titius ex ignorantiâ coram Deo verè invincibili (qualis tamen ignorantia juris invincibilis pro foro externo non præsumitur) ignoravit non solùm pœnas annexas, verùm etiam ipsam culpam, credens bonâ fide tempore collationis, eamdem non esse illicitam, tunc nullas incurrit pœnas aliàs in simoniacos latas, benè tamen adhuc nullitatem, utpote quæ etiam sine culpâ propriâ, non quidem per modum pœnæ, sed inhabilitationis contrahitur; uti patet in casu quo Beneficium per simoniam tertii ignorante beneficiato acquiritur. Ubi tamen circa nullitatem collationis dicti Beneficii, et quoad retentionem ejusdem dispensari potuisset etiam ab episcopo, saltem si Beneficium fuisset simplex, juxta cap. Penult. de Elect., quinimò ex aliquorum sententiâ, etsi illud Beneficium exstitisset curatum seu prælatura, supposito tamen circa hæc ultima, quòd res ista necdùm deducta fuerit ad forum contentiosum externum, unde dato hoc supposito non fuisset necesse recurrere ad S. Pœnitentiariam; uti totum deduci potest lib. 5 Decret., tit. 3, n. 320. Item n. 335 et 337.

Et licèt ibidem præsens auctor solùm loquatur in casu quo is invincibiliter ignoravit simoniam per tertium commissam, videtur tamen aliquibus à pari idem dicendum saltem pro foro interno, et ante sententiam judicis, si ipsemet quidem commisit simoniam materialem, invincibiliter tamen ignorans esse talem; si enim invincibilis ignorantia pro foro saltem interno tribuit potestatem episcopo dispensandi in uno, cur non in altero? Videantur dicenda adhuc in additione ultimâ, et auctores ibidem citati.

Resp. 2° : Quòd si Titius statim ad initium elargitionis pecuniæ rescivit eamdem præsentationem esse illicitam, quamvis fortassis ignoraverit pœnas huic actui illicito annexas, in eâ hypothesi necdùm contrahit excommunicationem reservatam (nam juxta doctores communiter censura papalis non incurritur, nisi ea saltem in confuso resciatur), benè tamen adhuc incurrit nullitatem collationis dicti Beneficii, et inhabilitatem ad illud reacquirendum, in quo puncto nequit ampliùs dispensare episcopus, quamvis hæc simonia adhuc foret occulta, uti fusiùs probatur, lib. 5 Decret., tit. 3, n. 338 et seq., ubi etiam n. 450, allegatur cardinalium declaratio sequentis tenoris : *Episcopus, etsi à simoniâ occultâ absolvere possit, non tamen potest simoniacum rehabilitare ad Beneficia in posterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quæ per simoniam (NB.) occultam retinet;* quæ dicta, si non de materiali saltem, utique de formali simoniâ intelligi debent. Quare recurrendum foret etiam in hâc simoniâ adhuc occultâ ad Curiam Romanam, ubi resp. 3° posse quidem confessarium tentare formando nomine Titii ad sacram pœnitentiariam supplicem libellum; duo tamen prophetizo tali : Inprimis probabilissimè quoad fructus perceptos obtinebit dispensationem, si supplicans beneficiatus considerato suo ac suorum proximorum consanguineorum statu fuerit pauper : aliàs debebit instituere compositionem relinquendo saltem certam partem in rescripto specificatam aliis causis piis ibidem determinatis : puta in pauperum subventionem, et Ecclesiæ in quâ Beneficium situm erat, uti litatem. Secundò, quoad rehabilitationem in dicto Beneficio ordinariè impetrabit nihil, sed inscribetur supplicæ : *dimittat*, intellige *Beneficium.* *

Additio IV.

* Inhærendo adhuc allegato proximè casui, si Romæ tentare dispensationem placeat, poterit practicè supplica taliter instrui :

Titius (ponitur in sacrâ pœnitentiariâ nomen fictum) *cuidam nobili habenti jus patronatûs laicale quoad Beneficium A. promisit in occulto centum, et actu dedit quinquaginta aureos ex fine et pacto, ut ipsum præsentet, prout etiam exinde præsentatus obtinuit Beneficium. Vix anno integro à tempore possessi beneficii elapso ex familiari discursu devenit in notitiam, quòd collatio ista non solùm illicita (de quo jam antea habuit anxietatem), sed etiam nulla fuerit, et quòd teneatur ad restitutionem fructuum exinde perceptorum, ac ad dimissionem ipsius Beneficii, quas pœnas omnes antecedenter ignorabat. Cùm autem vitium illud adhuc sit occultum, et orator prematur paupertate, ac prudenter timeat periculum infamiæ, si Beneficium dimittat, humillimè supplicat pro dispensatione ad effectum, ut fructus perceptos, et ipsum Beneficium validè ac licitè retinere valeat. Pro quâ gratiâ,* etc.

Ad talem supplicam, si non in hoc, saltem in alio casu simoniaco aliquando factam ipsemet legi, à sacrâ pœnitentiariâ post repetitam ternam instantiam semper loco alicujus favorabilis responsi fuisse inscriptum supplicæ : *dimittat*, intellige *Beneficium.* Igitur his stantibus, *

Additio V.

* Quæres 1° quidnam ulteriùs agendum, et quomodò pauperculo tali succurrendum sit. — Resp. 1°. Quoad fructus jam perceptos, dummodò talis ipsummet Be-

neficium simoniacè acquisitum dimittat, posse adhùc succurri, formando de novo aliquam supplicam, in quâ rogetur, ut saltem fructus ex dicto Beneficio perceptos retinere liceat : prout etiam sibi spem facere poterit vel condonationis absolutæ (quando orator fuerit pauper) vel aliàs saltem alicujus compositionis, uti jam innuimus supra. Resp. 2° : Si hoc beneficium simoniacè obtentum dimittat, et paupertate pressus supplicet ut saltem habilitetur ad alia, pariter subinde impetrabit, prout ex nostro Navarro adjungo formulam concessionis sequentem :

Pro parte sacerdotis latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs à sacrâ pœnitentiariâ absolutionem et dispensationem super irregularitate per eum contractâ obtinuit, cum hoc tamen inter cætera.., ut ad quæcumque Beneficia ecclesiastica in futurum obtinenda perpetuò remaneret inhabilis... ; cùm autem dictus lator hujusmodi inhabilitatem per aliquod tempus sustinuerit, et pressus sive propriâ, sive suorum paupertate, beneficia recipere licitè posse desideret, ideò pro suæ conscientiæ quiete cupit per Sedem Apostolicam secum desuper dispensari. Quare, etc., *Nos*, etc., *discretioni tuæ committimus, quatenùs, si est ita, cum dicto latore, auditâ priùs ejus sacramentali confessione, dummodò suffragentur sibi digni pœnitentiæ fructus et merita, salvis alioquin remanentibus omnibus aliis sibi in prædictis absolutione, et dispensatione impositis, quòd præmissis non obstantibus quæcumque Beneficia ecclesiastica, sive cum curâ, sive sine curâ, quatenùs illa ei aliàs canonicè conferantur, recipere, retinere, fructusque recipere licitè valeat, misericorditer dispenses in foro conscientiæ*, etc. *Datum*, etc.

Ubi confessarius in executione talis gratiæ ad tria advertat : Primò, an verificetur motivum ob quod hæc gratia conceditur ; quale motivum in allegato rescripto est *paupertas* ; posset tamen, si adsit, etiam alia gravis causa adduci. *Secundò* attendat ad merita et fructus talis pœnitentis simoniaci, utrùm nimirùm à tempore delicti meliorem instituerit vitam. *Tertiò* notet quòd, quamvis in memoratâ formulâ pœnitens rehabilitetur ad quæcumque Beneficia, cum vel sine curâ, id tamen non soleat fieri semper, sed aliquando ad simplicia tantùm, aliquando etiam ad alia, consideratâ qualitate delicti, tempore primæ obtentæ gratiæ, et meritis pœnitentis. *

Additio VI.

* Quæres 2° an post trinam jam denegationem sacræ pœnitentiariæ nulla ampliùs spes in memorato casu supersit Titio retinendi per aliquam dispensationem ipsum Beneficium simoniacè antea acquisitum.—Respondeo in simili casu vix ullam ampliùs superesse spem. Interea tamen practicus quidam, et peritus styli Curiæ Romanæ suasit, quatenùs adhuc supplicetur, saltem ut oratori daretur certum aliquod tempus congruum ad hoc, ut, quatenùs opus, Beneficium suum sine scandalo et salvâ propriâ verecundiâ dimittere valeat; ubi subinde concedi solet alius adhùc annus cum inscriptione : *Dimittatur intra annum*. Tale temporis spatium, si infra illud supplicetur de novo, solet bis vel ter adhùc ad secundum et tertium annum prolongari perdurante gravi causâ aliquâ motivâ, et tandem (uti Româ scripsit ille practicus) successivè ad dies vitæ prolongabitur. Hoc si obtinuerit simoniacus, felicem se poterit reputare. Interea in simili casu pro primo anno prorogationis emanavit responsum à sacrâ pœnitentiariâ sequentis tenoris : .

Sacra pœnitentiaria tibi confessario à latore electo concedit facultatem, ipsum latorem, quatenùs, si est ita, auditâ priùs ejus sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, simoniæ labe et excessibus hujusmodi, auctoritate apostolicâ absolvendi, et cum eodem super irregularitate per eum ex violatione censurarum quomodolibet contractâ ad suos ordines licitè exercendos, eâdem auctoritate apostolicâ dispensandi, sibique fructus ex ipso Beneficio malè perceptos, quatenùs verè sit pauper, ita ut illos restituere nequeat, mediante aliquâ eleemosynâ arbitrio suo taxandâ, et in pauperes distribuendâ condonandi, injunctâ ei pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, quòdque intra annum sub pœnâ relabendi eo ipso in easdem censuras, ipsum Beneficium liberè dimittat, necnon culpabiles in præmissis, quantùm potest, moneat, et inducat ad impetrandum à Sede Apostolicâ absolutionem, et aliis injunctis de jure injungendis. In foro conscientiæ, et in sacramentali confessione tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo. Ita quòd hujusmodi absolutio, dispensatio, et condonatio in foro judiciario nullatenùs ei suffragentur. Datum Romæ in sacrâ Pœnitentiariâ, die 16 februarii, anno 1725.

Additio VII.

* Quæres 3° quid practicè agendum confessario à beneficiato simoniaco electo, ut tale rescriptum proximè allegatum executioni mandet. — Resp. : Talis confessarius, antequàm ad executionem litterarum apostolicarum procedat, I. indaget an crimen hoc simoniæ sit adhuc occultum : est enim hæc conditio, sine quâ non dispensaret sacra pœnitentiaria. II. Utrùm motiva dispensandi in supplicâ allegata sint vera : puta an beneficiatus, consideratis considerandis, sit pauper, et num foret periculum diffamationis, si dimitteret Beneficium. III. Præsuppositâ confessione sacramentali hujus beneficiato simoniaco pro modo culpæ simoniæ et exercitii ordinum in censuris, per quod irregularitatem contraxit, imponat pœnitentiam, et insuper injungat ei, quod in illo rescripto additur, ut ante annum finitum, nisi interim novam prorogationem Romæ impetret, *Beneficium dimittat, et culpabiles in præmissis*, id est, complices et comparticipes ejusdem delicti simoniæ, quantùm moraliter potest moneat et inducat ad impetrandam à Sede Apostolicâ absolutionem. IV. Demùm absolvat à censuris ac peccatis, et dispenset in irregularitate contractâ, supposito quòd hanc contraxerit, puta, si sciens simoniaco huic contractui esse annexam Excommunicationem nihilominùs celebraverit. *

Additio VIII.

* Non inacceptum spero lectori, si adhuc ex decisionibus casuum R. Patris Pichler novissimè editis sequentem decisionem, ordine 147, circa dispensationem in puncto simoniæ adjungam.

Duo eximiæ doctrinæ et probitatis sacerdotes, Henricus et Wolfgangus sollicitârunt sibi Beneficia parochialia conferri, planè digni aliis competitoribus præferri; sed à quolibet seorsim ante collationem exigebantur quingenti floreni sub prætextu privilegii à Sede Apostolicâ concessi. Tergiversabatur uterque initio, sed, quia sine hâc pensione actum se agere videbant, demùm consenserunt, et persolutâ dictâ summâ in parochialibus Beneficiis instituti sunt, quibus etiam summâ cum laude præfuerunt per unum et alterum annum: interim tamen internos conscientiæ stimulos passi, et multùm anxii, utrùm non simoniacè fuerint promoti. Ambo itaque, ut hâc torturâ se liberarent, remedium quæsierunt; Wolfgangus quidem apud episcopum, quia episcopum in casu simoniæ occultæ pro foro interno absolvendi à censuris et dispensandi ad retinendum Beneficium simoniacè obtentum, facultate præditum esse cognitum habebat juxta probabilem Lessii, L. 2 de J. et J., c. 35, dubit. 25, num. 140; Henriquez c. 36, de Excomm., l. 13; Palao de Simon., disp. 3, puncto ult. n. 4; P. Krimer, l. 5, tit. de Simon., n. 594; Panormit., in c. *Postulàstis*, de Cleric. excomm., et c. *Ministrante*, et quorumdam aliorum sententiam, atque dispensationem absque ullo ferè onere impetravit. Henricus autem, seu ignorans hujus sententiæ probabilitatem, seu eidem diffidens, sicut alii auctores nolunt eam approbare, Romam recurrit ad S. pœnitentiariam, quæ quidem absolutionem à censuris, et dispensationem ab irregularitate quomodolibet contractâ confessario Henrici commisit pro foro interno, injunctâ ei pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, sed adjectâ conditione ac onere, *ut intra annum sub pœnâ relabendi eo ipso in easdem censuras, Ecclesiam parochialem liberè cum effectu dimittat, nec non fructus ex eâ perceptos, prout de jure, restituat.* Interea, nescio quâ viâ, innotuit Henrico aliàs jam desuper non parùm anxio, et cum tempore semper magis dubioso, indultum papale prætensum ignorari Romæ, ipse tamen omnia dissimulavit; id quod eò tutiùs et consultiùs fecit, quòd ipse post obtentam dispensationem à S. pœnitentiariâ inter annum dimiserit Beneficium parochiale, uti jussus erat, quamvis ante dimissionem actualem per amicum sibi providerit de aliâ parochiâ, quam etiam obtinuit, at exteriùs per viam permutationis, eò quòd coram officio ecclesiastico crimen suum occultum, et necessitatem resignandi aperire horruerit, interiùs tamen in ipso supplici libello pro obtinendâ novâ parochiâ non expressit permutationem, sed sic scripsit: *Dimitto et destituo possessam parochiam liberrimè; quia tamen parochus* (is erat cum quo exteriùs permutare censebatur) *aliò abire cogitat, rogo demississimè, ut me ad illius parochiam benignissimè admittere placeat, non mutativè, sed intuitu meritorum meorum*: quæ verba, *intuitu meritorum*, postea etiam inserta erant litteris collationis. Quod autem fructuum restitutionem, quæ pariter injuncta fuit Henrico, attinet, illam necdùm fecit, licèt iam tertius interea à dispensatione executioni datâ fluat annus; non quidem ex perversâ intentione non restituendi, sed partim ne periculo manifestandi criminis commissi se exponeret, partim quia pecuniis ad alia negotia necessariò, ut putabat, applicandis indigebat; firmiter tamen statuens non solùm capitale, sed etiam annuos census instar alterius debitoris solvere suo tempore Ecclesiæ, ne huic ex dilatione lucrum cesset. Quæritur jam an in hâc facti specie nihil reperiatur ex parte utriusque parochi quod improbari queat.—Respondeo 1°: Circa parochum Wolfgangum, si bonâ fide ex probabili ratione credidit adfuisse ex parte collatoris verum privilegium seu indultum pontificium exigendi ex suis rationibus pecuniam, etc., potuisse dispensari ab episcopo; secùs autem multùm subsisto etiam pro foro conscientiæ, uti erui potest ex dictis præcedentibus Additione III, vers. *Respondeo* 2°. Respondeo 2°. Circa parochum Henricum, verificatis omnibus circumstantiis in facti specie adductis, nihil haberem in contrarium. *

DISTINCTIO II.

De incompatibilitate, renuntiatione, et permutatione beneficiorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quæ Beneficia sint incompatibilia, vel compatibilia?

1. Quanta mala oriri soleant in Ecclesiâ Dei, dùm nonnulli plura obtinent Beneficia ecclesiastica, paucis comprehendit Pontifex, c. *Quia in tantum*, de Præb., dicens quòd *multitudo præbendarum canonibus inimica, dissolutionis materiam et evagationis inducit, certumque continet periculum animarum.* Eadem mala ampliùs deplorat Pontifex, in extravag. *Execrabilis*, de Præb., eò quòd execrabilis quorumdam ambitio, et improbitas importuna, plura à Romanis pontificibus non tam obtinere, quàm extorquere plerùmque noscuntur Beneficia; adeò, ut (præter alia incommoda quæ ibidem recensentur) multi alii litterati, probique viri à consecutione competentium Beneficiorum impediantur, cultus divinus minuatur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servetur, atque Ecclesiarum detrahatur commodis et honori, quæ carentes defensorum auxilio in juribus suis et libertatibus multipliciter collabuntur.

2. Quia verò talia incommoda atque inordinationes quandoque certis concurrentibus circumstantiis abesse possunt, hinc non sequitur, universim illicitum esse plura simul habere Beneficia. Quinimò eorum quædam esse compatibilia satis indicat textus in c. *Gratia*, de Rescriptis, in 6, ibi: *Si talia sint Beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri.* Et idem manifestè supponit concilium Trident., sess. 7, cap. 4, de Reform, ibi: Plura curata, aut aliàs incompatibilia Beneficia: nam hujusmodi limitatio frustra apponeretur, nisi aliqua exstarent beneficia compatibilia. Hinc quæstio remanet unde oriatur, et quæ sit incompatibilitas Beneficiorum ecclesiasticorum?

3. Conclusio prima. — Incompatibilitas Beneficiorum ecclesiasticorum generatim ex duplici capite oritur, videlicet, si aut ipsa Beneficiorum institutio non permittat ut plura ab eodem administrentur: aut si unum eorum ad honestam Beneficiarii sustentationem sufficiat. Ita communis, uti patebit ex dicendis. Et quidem, quantùm attinet priorem partem, seu Beneficia de se incompatibilia, ex professo de ipsis dicetur n. 9, et seqq.

4. Quòd autem cessante justâ dispensatione sit illicitum, plura Beneficia, licèt cæteroquin compatibilia, simul retinere, si unum ipsorum ad honestam clerici sustentationem sufficiat, tenet Glossa communiter recepta in c. *Dudùm*. 54, vers. *Retinere*, de Elect., ubi ait: *Nota, quòd qui habet plura Beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud*. Idem ad longum propugnat Abbas in c. *Extirpanda.*, § *Qui verò*, num. 34 et seqq., de Præb., et Layman lib. 4, tr. 2, c. 8, n. 2, citans plures alios. Desumitur hoc ex c. *Sanctorum*, dist. 70, et c. *Conquerente*, de Clericis non resid., et c. *Cùm teneantur*, de Præb., cum concordantiis. Accedit concilium Trid., sess. 24, c. 17, de Reform., ibi: *Cùm ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum*, etc., *statuit, ut in posterum unum tantùm Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus cui conferatur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri;* et consequenter à sensu contrario, et quia exceptio firmat regulam in oppositum, quando unum Beneficium sufficit ad honestam clerici sustentationem, alterum conferri et retineri non potest. Confirmatur, quia repugnat rationi naturali, ut quis plura simul non necessaria Beneficia occupando defraudet alios clericos à consecutione competentium præbendarum, deturque ansa incommodis num. 1 enumeratis, nisi justâ causâ interveniente atque accedente legitimâ dispensatione id cohonestetur.

5. Quæres autem quodnam Beneficium censeatur sufficiens ad congruam beneficiarii sustentationem. — Resp.: Illud Beneficium censetur taliter sufficiens, ex quo clericus pro statûs sui conditione, et se, et familiam suam honestè valet sustentare. Adde cum Vallensi, tit. de Concess. Præb., § 4, n. 10, et aliis, parentes, fratres et consanguineos egentes, nam et hos potest clericus ex reditibus ecclesiasticis honestè sustentare, non autem augere, prout tum ex can. 39 Apostolorum, tum ex concilio Trid., sess. 25, cap. 1, de Reform., desumitur. Insuper circa hoc, Glossa, in c. *Conquerente*, vers. *Sufficientia*, de clericis non resid. observat, atque ex utroque jure ostendit quòd oporteat, quantùm ad propositum, considerare plura alia, utpote nobilitatem scientiamque; quia tales personæ sunt amplioribus reditibus honorandæ, c. de Multâ, § fin. de Præb. Item, quòd etiam hospitalitas, ipsaque jura episcopalia persolvenda attendi debeant; nam clerici et hospitalitatem tenere, et jura episcopalia persolvere, et insuper congruam suæ personæ familiæque sustentationem habere debent, c. de Monachis, de Præb., cum concordantiis. Et hinc, quodnam Beneficium dicatur sufficiens ad congruam sustentationem, arbitrio judicis relinqui paulò plus, vel minùs æstimandum, consideratis considerandis, qualitate scilicet personarum, locorum et temporum, resolvit Barbosa, lib. 3 Juris Eccles. univers., c. 13, n. 183, citans plures alios.

6. Concl. II. Beneficia de se *compatibilia* sunt ea quæ vel ex jure communi, vel ex consuetudine, statuto aut fundatione simul obtineri ac retineri possunt. Talia sunt inprimis Beneficia simplicia non requirentia personalem residentiam, vel quorum unum requirit residentiam, alterum verò non: nam in his faciliùs admittitur pluralitas, si ita necesse sit ad honestam clerici sustentationem; prout colligitur ex concilio Trid., sess. 24, de Ref., c. 17.

7. Cæterùm Barbosa, loco cit. num. 180 et 182, refert sacram cardinalium congregationem declarâsse, quòd episcopus non possit plura Beneficia simplicia ultra duo uni conferre, usque ad sufficientem ejus sustentationem absque apostolicâ dispensatione. Et si de facto conferat tertium, collatio illius sit quidem valida, attamen, quando istud est sufficiens pro congruâ sustentatione clerici, vacent ambo Beneficia priora; sin minus, vacet primum. * Quinimò præsens auctor in Jure canonico, lib. 3 decret., tit. 5, n. 267 et seqq., stante consuetudine legitimè præscriptâ, admittit quòd episcopus plura simplicia Beneficia, quàm duo conferre possit absque vacatione ullius, si hæc duo ad sustentationem non sufficerent. *

8. Deinde beneficia compatibilia censentur, quæ in diversis Ecclesiis sunt, et nullam, vel saltem non incompatibilem residentiam exigunt. Layman cit. c. 8, n. 7, et alii. Insuper Beneficia de se compatibilia in eâdem Ecclesiâ dicuntur, quæ difformia sunt: qualia proinde, si utrisque simul satisfieri possit, etiam in simul (si ita necesse sit ad congruam clerici sustentationem) retineri possunt; arg. cap. 1, de consuet. in 6. Nisi alicujus Ecclesiæ speciale statutum, vel consuetudo repugnet.

9. Concl. III. Beneficia de se *incompatibilia* (id est, abstrahendo ab eo quod unum eorum ad honestam beneficiarii sustentationem sufficiat) sunt ea quorum quodlibet vel jure naturali, vel jure communi ecclesiastico, aut ex consuetudine, statuto, seu fundatione continuam residentiam personalem postulat: ut sunt duo episcopatus, duæ abbatiæ, duæ parochiæ, duæ perpetuæ vicariæ et cætera curata Beneficia. Item duæ dignitates, personatus aut duo officia personalem residentiam ambo requirentia; arg. c. *Ad hæc*, et c. *Præterea*, et c. *Cum non ignores*, et c. *De multâ*, de Præb.

10. Similiter Beneficia uniformia sub eodem tecto censentur incompatibilia: ut sunt duo canonicatus in eâdem ecclesiâ. Cæterùm per beneficia *uniformia sub eodem tecto* intelliguntur ea quæ in eâdem ecclesiâ ad eumdem finem eodem tempore adimplendum instituta sunt, adeòque habent idem prorsùs onus et officium

codem tempore persolvendum ; uti contingit in duobus canonicatibus ejusdem Ecclesiæ.

11. Hinc infertur quòd duæ capellaniæ in duobus altaribus ejusdem ecclesiæ fundatæ cum onere, ut in uno altari bis, in altero ter, distinctis diebus in eâdem ecclesiâ celebretur, non sint Beneficia uniformia, ac proinde de se compatibilia. Quia licèt uno nomine generali capellaniæ appellentur, cùm tamen habeant distincta onera, seu officia in diversis altaribus peragenda, reipsà non sunt uniformia, sed difformia Beneficia : quæ proinde eidem conferri, et (dummodò primum eorum ad honestam clerici sustentationem non sufficiat, neque constitutio aut consuetudo particularis repugnet) simul retineri possunt.

12. Unde et concilium Trid., sess. 24, c. 13, de Reform., statuit quòd, si canonicatus ecclesiarum cathedralium, aut Beneficia parochialia, ob temporum injuriam reditus tam tenues habeant, ut non sufficiant sustentationi decenti pro dignitate, ac qualitate personæ et loci, auctoritate episcopi liceat adjungere simplex Beneficium, donec meliùs provisum fuerit.

Additio.

* Quinimò juxta præsentem auctorem, accedente præsertim consuetudine, potest in eâdem Ecclesiâ dignitati vel officio superaddi canonicatus ; e. g., ut quis simul sit præpositus vel scholasticus aut custos, et simul canonicus ; uti notat Glossa, in c. 3, vers. *Nisi unicum*, de Consuet., in 6, et Garzias apud præsentem auctorem desuper affert unam declarationem cardinalium in unâ Valentinâ, anno 1593 editam, talemque consuetudinem permittentem. Videatur in Jure canonico, lib. 3 Decret., tit. 5, n. 210.

QUÆSTIO II.

Quæ sint pœnæ recipientium plura Beneficia incompatibilia absque dispensatione ?

13. Conclusio prima. Quandocumque vel alterum Beneficium sufficit ad honestam clerici sustentationem, vel ipsamet Beneficia de se sunt incompatibilia, illicitum est, sicque peccaminosum, plura simul obtinere citra dispensationem pontificiam. Ita communis. Et quidem, quantùm ad primum membrum attinet, patet illud ex c. *Ad hæc*, de Præbend., ibi : *Illud est omni rationi contrarium, ut unus clericus in unâ, vel diversis ecclesiis plures dignitates, vel personatus obtineat*, etc. Hùc accedunt textus, et mala ex pluralitate Beneficiorum provenientia, de quibus n. 1.

14. Altera pars, loquens de dispensatione pontificiâ, ex eo probatur, quia habere plura Beneficia non est intrinsecè malum, sicuti mentiri, blasphemare, etc., sed quamvis habeat quamdam mali speciem, ea tamen concurrentibus certis causis cohonestari potest.

15. Porrò ejusmodi justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum triplex à doctoribus recenseri solet ; videlicet necessitas Ecclesiæ, utilitas Ecclesiæ, et evidens meritorum prærogativa. Arg. c. *Tali*, 1, q. 7, ibi : *Nisi fortè eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet vel evidens meritorum prærogativa commendet.*

16. Et quidem ob necessitatem Ecclesiæ possunt quandoque plura Beneficia, etiam ultra congruam clerici sustentationem conferri, si desint alii idonei ministri, utputa in locis hæreticorum, in quibus est defectus clericorum.

17. Deinde ob utilitatem Ecclesiæ id accidere potest, quando unus solus licèt absens, magis putatur Ecclesiæ profuturus suâ auctoritate, potentiâ, doctrinâ et prudentiâ, quàm alius præsens vel plures alii : quâ de causâ filiis principum conferuntur interdùm plures episcopatus, etiam ante ætatem ut Ecclesiæ contra hæreticos potentiùs defendantur, Pirhing, titul. de Præb., num. 191 et alii.

18. Tandem de evidenti meritorum prærogativâ habetur textus clarus, c. *De multâ*, § fin. de Præb. ibi : *Nullus plures dignitates aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeat animarum. Circa sublimes tamen et litteratas personas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.*

19. Concl. II. Quicumque de facto plura incompatibilia Beneficia, sive curata, sive aliàs incompatibilia simul recipere ac retinere præsumpserit, per receptionem secundi mox priori Beneficio est ipso jure privatus, et is ad quem spectat prioris collatio, liberè illud confert, statim atque institutus secundum recipit. Ita habetur cit. cap. *De multâ*, de Præb., junctâ Extravag. *Execrabilis*, § *Qui verò*, eod. Accedit concilium Trid., sess. 7, de Ref., c. 4, quod prædicta jura innovavit, et (cùm illa loquerentur duntaxat de dignitatibus, personatibus seu officiis, aut aliis Beneficiis curam animarum habentibus annexam) ad alia Beneficia, etiam quomodolibet incompatibilia extendit ; prout notat Fagnanus in cit. c. *De multâ*, n. 3, allegans decisionem Rotæ, Garziam affirmantem, ita esse indubitanter tenendum, et alios.

20. Dicitur notanter in conclusione ; *Quicumque de facto ;* quia sermo est de tempore moderno post concilium Tridentinum ; nam antehàc variæ successivè emanârunt constitutiones pontificiæ, ut videre est c. *Referente*, de Præb., et c. *Quia nonnulli*, de Cleric. non resid., et cit. c. *De multâ ;* atque Extrav. *Execrabilis*. Verùm moderno tempore post concilium Trid. procedit conclusio, adeò ut hujus decretum Fagnanus, loco cit. n. 5, ex quàdam cardinalium declaratione extendat ad plura Beneficia simplicia si personalem residentiam requirant, aut primum ad congruam clerici sustentationem sit sufficiens ; nam et talia secundùm canones sunt incompatibilia.

21. Additur verò, *per receptionem secundi ;* siquidem sola assecuratio de altero Beneficio consequendo non sufficit ad inducendam dictam pœnam privationis, sed requiritur actualis receptio atque possessio secundi Beneficii : hoc enim importatur per τὸ *receptionem*, id est, corporalem adeptionem, ut explicat cit. Fagnanus, n. 9, et tenet Glossa, in c. *De multâ*, de Præb. Accedit ratio : quia in jure verba accipienda sunt cum effectu, cap. *Relatum*, de Cler. non resid., et alibi.

22. Quinimò ob hanc rationem similiter non censc-

tur vacare primum Beneficium per adeptionem secundi Beneficii, cujus fructus ex causâ etiamnùm alius percipit : prout clarè decisum habetur c. *Si tibi concesso*, de Præb., in 6. Rationem hujus ulteriorem dat Glossa ibidem, vers. *Vacare*, quia talis non est adeptus plenè ; licèt enim Beneficium habeat, fructus tamen non habet : et alioquin talis cogeretur mendicare, cùm fructus ex secundo Beneficio non haberet, primo autem privatus existeret.

23. Dicitur ulteriùs in conclusione, *priori Beneficio est ipso jure privatus*, siquidem, ut hæc privatio modernis temporibus incurratur, non ampliùs opus est sententiâ Judicis eam infligentis, ut olim c. *Quia nonnulli*, de Cleric. non resid., sed de facto inducitur ipso jure ; prout liquet ex cit. c. *De multâ*, de Præb., juncto concilio Trid., sess. 7, de Reform., c. 4.

24. Cæterùm hæc Beneficii privatio intelligenda est quoad titulum seu jus illud retinendi, non quoad possessionem : nam possessione Beneficii ejusmodi clericus privari non potest, nisi causâ cognitâ ; prout desumitur ex c. *Licèt episcopus*, de Præb., in 6.

25. Si dicas : Privatio Beneficii et ipsum Beneficium nequeunt simul stare cùm privativè opponantur ; ergo, si clericus ille ipso jure privatus est Beneficio, repugnat quòd adhùc ejus possessionem retineat. Resp. distinguendo antecedens : privatio Beneficii quoad titulum et possessionem simul nequit stare cum Beneficio, conceditur ; privatio Beneficii quoad titulum duntaxat nequit stare cum Beneficio, seu possessione ejus, negatur antecedens et consequentia. Nam, ut notat Lessius, lib. 2, de Just. et Jur., c. 29. n. 64, leges illæ quibus additur, quòd delinquens ipso facto sit privatus officio et beneficio, privant titulo seu jure ad Beneficium, quatenùs ipso facto quis amittit jus ad illud, nondùm autem ejus possessione, nisi post sententiam judicis.

26. Concl. III. Insuper, si quis prius Beneficium unà cum secundo fortè retinere contenderit, etiam secundo privatus existit. Ita habetur cit. c. *De multâ*, juncto concilio Trident., sess. 7, cap. 4, de Reform., et tradit Fagnanus cit. c. *De multâ*, num. 6 et 8, dicens, hanc pœnam ipso jure incurri. Ubi ulteriùs addit, quamvis Glossa super illam dictionem, *contenderit*, asserat, ad hoc, ut quis secundo etiam Beneficio ipso facto privatus existat, requiri quòd quis utrumque in jure contentioso retinere voluerit usque ad litis contestationem ; contrariam tamen aliorum sententiam, qui volunt ex solâ retentione primi Beneficii cum secundo jam induci dictam privationem utriusque Beneficii, etiamsi, quando quis incipit conveniri, velit prius dimittere, esse tenendam ; eo præsertim, quia concilium Trident., loco cit., hanc pœnam jure ipso imponit illi, qui ejusmodi Beneficia incompatibilia *recipere, et simul retinere præsumpserit*.

27. Quæres an in nullo prorsùs casu possit quis simul habere plura Beneficia. — Respondeo hoc in nonnullis casibus accidere posse. Et primò quidem per legitimam dispensationem, de quâ superiùs num. 15 et seqq. Deinde id accidit sine dispensatione, quoties ipsa Beneficia non sunt incompatibilia, prout fit in beneficiis simplicibus, quorum singula ad honestam sustentationem clerici non sufficiunt. Tertiò, si Ecclesia cathedralis, vel parochialis, aut dignitas ob tenuitatem fructuum non sufficiat congruæ sustentationi rectoris sui, potest simul cum eâ uniri, vel obtineri Beneficium simplex non requirens residentiam, juxta concilium Trid., sess. 24, de Reform., cap. 15 et 17. Insuper, ob eamdem Ecclesiarum paupertatem possunt episcopi, tanquàm Sedis Apostolicæ delegati, uniones perpetuas Beneficiorum facere, et ista postmodùm simul ab eodem possideri, prout concessit idem Tridentinum, sess. 21, de Reform., cap. 5, ubi sequentia leguntur formalia : *Possint episcopi, etiam tanquàm Apostolicæ Sedis delegati juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium et Baptismalium et aliorum Beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem ;* ubi in simili casu, e. g., hæ parochiæ ad invicem unitæ censerentur non ampliùs duæ, sed unica parochia, sicque nec episcopus conferret duo Beneficia incompatibilia propriè loquendo. Tandem ob præfatam causam quandoque dignitati, vel canonicatui accessoriè annexa est Ecclesia parochialis, quæ per idoneum vicarium administrari, ac simul cum canonicatu retineri potest : text. clar. c. *Extirpanda*, § *Qui verò*, de Præb. De hoc fusiùs lib. 3 Decr., tit. 12, § 3.

QUÆSTIO III.

Quid et quotuplex sit renuntiatio Beneficiorum, et ex quibus causis fieri possit?

28. Conclusio prima. — Renuntiatio est spontanea Beneficii ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo superiore id acceptante. Ita in re communis.

29. Dicitur, *facta coram legitimo superiore :* siquidem Beneficia ecclesiastica non nisi in manibus ordinarii, hoc est, ipsius auctoritate intervenientе resignari debent ; c. *Si quis verò*, et c. *Si quis presbyt.* 7, q. 1. Et aliter facta resignatio non est valida ; atque dimittens Beneficium sine licentiâ sui prælati potest compelli ad illud reassumendum, etiam per censuras ecclesiasticas, c. *Non oportet*, q. 1, et c. *Admonet*, de Renunt., cum concordantiis.

30. Nec dicas : Quilibet potest suo juri renuntiare, c. *Si diligenti*, de Foro compet. ; ergo et beneficiarius Beneficio, etiam sine licentiâ sui superioris. Negatur enim consequentia : nam regula illa est intelligenda, dummodò id fiat sine præjudicio alterius ; atqui post acceptationem Beneficii, et confirmationem manet clericus Ecclesiæ suæ alligatus, quæ pateretur detrimentum, si quilibet ipsorum pro libitu posset ei renuntiare, et veniente lupo, id est, instante tribulatione, instar mercenarii aufugere, ovesque sibi concreditas relinquere.

Additio prima.

* Nec instes : Potest beneficiatus absque impetratâ licentiâ ordinarii ingredi aliquam religionem à S. Sede Apostolicâ approbatam ; ergo etiam poterit absque di-

ctà licentià renuntiare suo Beneficio. Respondeo enim, inprimis antecedens non esse verum, in casu quo ingressurus religionem foret episcopus, qui nequit suam sponsam deserere, etiam sub spe melioris vitæ sine consensu Papæ, juxta c. 10 de Renuntiatione. Deinde etsi quoad inferiores beneficiatos respectu ingressûs in aliquam sacram religionem non requiratur ut adhibeatur consensus actualis ordinarii; cùm talis ingressus etiam contradicente episcopo fieri queat juxta clarum textum juris c. *Duæ sunt*, 19, q. 2, consulitur tamen (quinimò à pluribus doctoribus exigitur) ut hæc licentia (quamvis ejus obtentio non sit necessaria) saltem petatur ob debitam erga ordinarium reverentiam ante ingressum, simulque humiliter supplicetur pro concedendo tempore novitiatûs idoneo, qui Beneficium interim administret.

Resp. II. negando consequentiam et paritatem. Disparitas principalis est quia jus canonicum in primo casu id expressè concedit; in puncto autem renuntiationis expressè denegat. Accedit quòd per ingressum in religionem non æquè ac per renuntiationem relinquat aliquis ex toto beneficium, sed sibi adhuc usque ad professionem jus reservat regrediendi, si ex novitiatu egrederetur. Videatur de hoc fusiùs Jus canonicum, lib. 1 Decret., tit. 9, n. 21 et seqq. *

Additio II.

* Porrò pergendo iterùm de renuntiatione, si Beneficium aliquod fuerit patronatum vel electivum, etiamsi tale liberè ac simpliter possit resignari in manus superioris, nequit tamen id fieri titulo permutationis, vel in favorem tertii absque patronorum vel eligentium consensu; aliàs enim, nisi prædicti velint spontè ratificare, possent ob præjudicium sibi factum agere ad irritandam resignationem, de quo vid. in Jure Can., lib. 1, titul. 9, n. 61 et 62. *

31. Concl. II. Renuntiatio Beneficii ecclesiastici alia est tacita, alia expressa. Ita communis, ac patet inductione. Et quidem renuntiatio tacita dicitur ea quæ fit facto aliquo resignationem significante, vel ex dispositione juris eam importante. Nam, qui facit id, quò posito ex ipsius juris constitutione Beneficium amittitur, seu retineri nequit; eidem tacitè, seu ipso facto renuntiare censetur. Sic fit, dùm beneficiarius in minoribus constitutus contrahit matrimonium : quia tunc Beneficium ecclesiasticum ipso jure vacat, argum., cap. 1 et 2 de Cler. conjug. Idem dicendum de eo qui religionem solemniter professus est; c. *Beneficium*, de Regularibus, in 6, et hujusmodi.

32. Renuntiatio expressa Beneficii ecclesiastici illa est quæ fit verbis expressis, aut scriptis voluntatem renuntiandi apertè declarantibus, coram legitimo superiore eam acceptante; post quam acceptationem non ampliùs datur locus pœnitentiæ, sed potest resignans etiam invitus compelli ad dimittendam possessionem Beneficii juxta c. 12 de Renuntiatione. Cæterùm

33. Renuntiatio expressa subdividitur in puram, seu simplicem, et absolutam, et in conditionalem. Renuntiatio pura seu absoluta, est quæ fit sine adjectione ullius conditionis, modi, vel pacti. Conditionalis verò, quæ fit sub certâ conditione, pacto, vel modo; ut si fiat renuntiatio Beneficii ex causâ permutationis, vel si quis illud resignet in favorem tertii, puta ut Beneficium conferatur Caio consanguineo suo, et non aliter intendat resignare; quod appellant resignare in favorem tertii, seu sub clausulâ : *Non aliter.* Insuper renuntiatio conditionalis censetur ea in quâ resignans reservat sibi fructus vel pensionem ex Beneficio; de quibus sigillatim in progressu.

34. Concl. III. Ad renuntiationem Beneficii requiritur justa et legitima causa; alioquin superior eam admittere non tenetur, neque debet. Ita communis. Ratio est quia, si quilibet pro suo arbitratu posset Beneficium relinquere, talis libertas in maximum Ecclesiæ detrimentum cederet, aufugientibus passim per renuntiationem pastoribus, si viderent lupum venientem, seu tribulationem instantem.

35. Concl. IV. Sex sunt causæ ob quas episcopus post suî confirmationem potest petere, et Papa solet concedere licentiam cedendi seu resignandi episcopatum. Patet hoc c. *Nisi cùm pridem*, de Renunt., ubi sequentes sex causæ enumerantur. I. Conscientia criminis, non quidem cujuscumque, sed illius duntaxat, quod post actam pœnitentiam impedit executionem officii. II. Imbecillitas corporis per quam quis impotens redditur ad exequendum officium pastorale. III. Defectus scientiæ, etiam competentis. IV. Malitia plebis, ob quam interdùm cogitur prælatus ab ipsius regimine declinare. V. Grave scandalum, quod aliter sedari non potest. VI. Irregularitas personæ; de quibus versiculi ibidem in Summario allegati :

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala : cedere possit.

36. Concl. V. Renuntiationes Beneficiorum inferiorum solent admitti tum ex prædictis, tum etiam aliis levioribus causis. Ita Pirhing., tit. de Renunt., num. 54, post Azorium et alios. Sic in Curiâ Romanâ solet de facto admitti renuntiatio Beneficii inferioris, præsertim simplicis, quando resignans multo tempore servivit in Ecclesiâ; vel quando is res gnat, ut Beneficium dimissum alteri conferatur, in cujus gratiam illud clericus dimittit; dummodò in sacris constituto et resignanti aliunde sit provisum, unde honestè sese alere possit. Concordat Bulla S. Pii V, quæ incipit : Quanta Ecclesiæ (et habetur tom. 2 Bullarii Romani constitut. 68, dicti Pontif.), in quâ plures causæ, ob quas inferiores beneficiarii resignare valeant, referuntur, veluti si resignantes sint senio confecti, valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati; seu quia eos ad aliud beneficium contigerit promoveri; vel sint religionem ingressuri, aut matrimonium contracturi, si statim postea id reipsà exequantur; quique ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco Beneficii residere securi : dummodò resignaturis, et sacro ordini mancipatis aliunde sit provisum, quo possint commodè sustentari.

Additio.

* Quæres an resignatio habeat suum vigorem, si pa-

rochus vel alius beneficiatus ægrotus ob continuas suas infirmitates resignet suppliciter proponens aliud idoneum subjectum; interea tamen intra viginti dies, à die resignationis à legitimo superiore acceptatæ numerandas, morte abripiatur. — Resp. resignationem similem, ac collationem Beneficii postmodùm titulo resignationis factam esse penitùs nullam, ac si non fuisset, ipsumque tale Beneficium censeri vacare per obitum. Ita expressè habetur in Regulis cancellariæ, regulâ *de viginti*, tempore Innocentii XII ac Clementis XI, apud Reiffenstuel ordine 19. Atque Cochier, in dictam regulam scribens, num. 15, vers. *Itaque frustra*, insuper addit contra Rebuffum, eamdem procedere etiam quoad illos qui dùm actu resignârunt, adhuc fuerant sani; postea tamen intra hos 20 dies casu quodam aut superveniente inopinato morbo vitam suam clauserunt; ubi adducitur pro hâc sententiâ à P. Reiffenstuel, lib. 1, tit. 9, num. 71, Rota Romana, diciturque ibidem, ita declarâsse Clementem VII. Cæterùm ex eodem auctore, lib. 3 Decret., tit. 5, § 16 et 17, et ex dictis tract. 2, dist. 1, num. 21, nota, quòd regulæ cancellariæ nil aliud sint quàm quædam constitutiones, quas singuli pontifices ad initium regiminis circa causas beneficiales et judiciales facere, vel saltem à prædecessoribus factas innovare, augere vel minuere solent. Et, licèt in his partibus concordata Germaniæ regulis cancellariæ in multis derogent, non tamen in omnibus; in specie non derogant eadem regulæ *de viginti*, uti singulariter advertit Reiffenstuel, lib. 3, tit. 5, § 19, num. 540.

QUÆSTIO IV.

An sit licita resignatio Beneficii in favorem tertii, vel reservatâ annuâ pensione?

37. Conclusio prima. Resignationes in favorem tertii, seu cum clausulâ, *Non aliter*, ob speciem simoniæ quam habent, juxta stylum curiæ non possunt fieri, nisi in manus summi Pontificis. Ita Lessius, lib. 2 de Just. et Jur., c. 34, dubit. 14, post Navarrum, Rebuffum et alios, ac sequitur Engel, tit. de Renuntiat. n. 8, citans communem omnium doctrinam, et in praxi observatam. Ratio est quia resignationes Beneficiorum in favorem tertii speciem quamdam præ se ferunt hæreditariæ successionis, quam sacri canones semper detestantur, volentes ut Beneficia ecclesiastica secundùm merita personarum, et quidem dignioribus conferantur. Accedit quòd ejusmodi resignatio cum clausulâ, *Non aliter*, si fiat in manus episcopi, aut alterius Papâ inferioris, vel contineat simoniam juris ecclesiastici, ut multi volunt, vel saltem speciem talis simoniæ, *cùm in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omninò cessare*, cap. ult. de Pactis, juncto cap. *Quæsitum*, de rerum Permut., ibi: *Pactio præmissa circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.*

38. Concl. II. Si quis tamen simpliciter resignet, et per modum recommendationis potiùs quàm rigorosæ obligationis episcopo certam aliquam personam nominet, non est jure prohibitum quin episcopus possit personæ recommendatæ, si ea cæteroquin idonea fuerit, ejusque qualitas mereatur, Beneficium illud conferre. Ita Zoesius, tit. de Simoniâ, n. 72; Covarruvias, lib. 1 var. Resol., c. 5, n. 5, et Engel, loc. cit., num. 8. Idque desumitur ex c. *Cùm universorum*, de rerum Permut., et c. *Ex parte*, n. 12, de Offic. jud. deleg., ubi similes resignationes leguntur, nec tamen ex hoc capite reprobantur, quamvis ex aliis rationibus non tenuerint.

39. Notandum tamen cum citatis auctoribus quòd factâ ejusmodi resignatione purè ac simpliciter in manus episcopi, haud obstante quòd preces pro aliquo oblatæ fuerint, episcopus non sit adstrictus ut huic conferat Beneficium, neque injuriam faciat nominato, si alteri conferat. Ratio est quia, cùm renuntiatio in favorem tertii sit jure prohibita, simulque resignatio Beneficii debeat fieri purè, hoc ipso non potest illi nominato jus quodpiam fuisse acquisitum (nam sola precum interpositio tale jus non tribuit), et consequenter neque injuria per denegatam collationem eidem irrogabitur. Attamen non peccabit episcopus, si conferat Beneficium nominato, pro quo preces sunt oblatæ, dummodò aliud canonicum impedimentum non obstet, et personæ qualitas id mereatur, ut dictum n. præc.

40. Concl. III. Resignare Beneficium ecclesiasticum reservatâ annuâ pensione, coram episcopo vel alio collatore Papâ inferiore, regulariter loquendo non licet. Ita communis.

41. Ubi notandum quòd per *pensionem* in proposito intelligatur jus percipiendi partem fructuum ex Beneficio alieno, auctoritate superioris cuipiam justâ de causâ constitutum; ut si auctoritate episcopi assignetur parocho, ob senectutem, v. g., resignanti, certa pars redituum illius Beneficii, ab ejus successore ipsi persolvendorum ad honestam vitæ suæ sustentationem. Hoc prænotato,

42. Conclusio probatur ex eo, quia beneficia ecclesiastica sunt conferenda sine diminutione, id est, sine novi oneris impositione, aut aliquâ fructuum detractione, prout habetur toto titulo: *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur;* atqui hoc non fit quando constituitur cuipiam pensio in Beneficio; ergo.

43. Additur in conclusione, *regulariter loquendo*; nam ex justâ et rationabili causâ potest non solùm summus Pontifex, sed etiam episcopus pensionem in Beneficio constituere: ut puta quia resignans est ætate decrepitus, vel infirmus, ut sic ex pensione habeat unde honestè sustentetur, vel quando pro bono pacis fit resignatio Beneficii litigiosi, et hujusmodi. Barbosa, part. 3 de Offic. et Pot. episc., allegat. 85, n. 3; Engel., tit. de Renuntiat., num. 10, et alii. Hoc ipsum desumitur ex c. *Nisi essent*, de Præb., ubi legitur quædam provisio, seu pensio quadraginta librarum, resignanti pro bono pacis per judices facta, et per Papam tolerata; ergo pariter nihil obstat quin purè ac simpliciter resignanti episcopus ex ejusmodi justâ causâ possit pensionem aliquam constituere. Quinimò pro eâ sibi constituendâ potest ipsemet resi-

gnans, ut securior sit, episcopo ante resignationem supplicare. arg. c. *Tua nos*, de Simoniâ, ibi : *Rogans humiliter*.

Additio prima.

* Insuper juxta præsentem auctorem et plures alios à se, lib. 3 Decret., tit. 12, num. 105, citatos possunt prævièpsimet et ad invicem resignans et resignatarius futurus super pensione dandâ amicabiliter inter se tractare, non quidem ac si vellent, ac intenderent absolutè, et vi alicujus pacti per seipsos hanc pensionem, ejusque quantitatem concludere, sed quasi sub conditione relatâ in consensum episcopi, in cujus manibus beneficium liberè debet resignari, suppliciter quidem rogando pro pensione resignanti constituendâ; simul tamen sese ejusdem dispositioni finaliter omninò submittendo : nam omne pactum prævium circa Beneficia foret illicitum atque prohibitum jure canonico; in quo juxta capitulum *Nisi essent*, 21, de Præbendis; pensionem qua Iraginta librarum, ad dies gravati prioris alteri pro bono pacis constitutam non aliter Papa toleravit, nisi quia (NB.) *non ex pactione partium, sed ex jussione judicum* debebat exhiberi. Videatur Reiffenstuel, loco cit., n. 98. *

Additio II.

* Quæres qualem pensionem possit episcopus beneficiato liberè et ex justâ causâ resignanti designare. Resp. 1° : Episcopus potest liberè et ex justâ causâ resignanti talem designare moderatam pensionem, quæ duret usque ad mortem novi beneficiati. Ita communis cum præsenti auctore lib. 3 Decret., tit. 12, num. 89, testaturque Gonzalez apud eumdem, ita sæpiùs fuisse decisum à Rotâ, atque deducitur ex cap. 21 de Præbendis; ubi similis pensio imposita admittitur. Resp. 2° : Utrùm episcopus possit etiam resignanti designare talem pensionem, quæ duret usque ad mortem ipsius resignantis, ita ut ad eamdem non solùm novus beneficiatus, sed etiam, ipso mortuo, successor illius dare obligetur, usque dùm ipsemet primus resignans vitâ fungatur, inter doctores controvertitur; ubi præsens auctor loco cit., n. 91, cum Fagnano, et aliis probabiliùs negat, id fieri posse ab episcopo insistendo puncto juris; quia hanc potestatem summus Pontifex neque concedit suis judicibus delegatis juxta cap. *Nisi essent*, 21, de Præbendis, addens sequentem rationem, *ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio*, etc., quæ ratio utique pugnat æquè quoad episcopum, quàm quoad judices delegatos? Dixi notanter *insistendo puncto juris :* nam vi consuetudinis saltem posse ab episcopo etiam talem pensionem designari, ait cum pluribus à se citatis Schmalzgrueber, lib. 3 Decret., tit. 12, num. 8. *

QUÆSTIO V.

An et quomodò possit fieri permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum?

44. Conclusio prima. Etsi illicita sit, quin etiam accedente pactione simoniacâ, permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum privatâ auctoritate facta · atque insuper Beneficia ecclesiastica perdant, qui ea propriâ auctoritate commutant, nihilominùs licita est resignatio Beneficiorum causâ permutationis inter personas ecclesiasticas idoneas, auctoritate legitimi superioris interveniente. Ita certa et communis, patentque singula ex diversis textibus juris. Et quidem prima pars habetur c. *Quæsitum*, de Rerum permutat.; ibi : *Generaliter teneas, quòd commutatione præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissâ, quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ*, cum concordantiis. Deinde quòd perdant sua Beneficia, qui eadem propriâ auctoritate permutant, textus est clarus in c. *Cùm olim*, exod. Cæterùm ex communi doctorum non censentur propriâ auctoritate commutare, illi qui præcisè quidem inter se conveniunt, ast nonnisi cum relatione ad futurum superioris consensum.

45. Altera pars conclusionis, quòd videlicet legitimâ superioris auctoritate interveniente, licita sit resignatio Beneficiorum causâ permutationis, habetur cit. c. *Quæsitum*, de Rerum permut., junctâ Clem. un. exod. Ubi insuper additur quòd, si quæ beneficia ex causâ permutationis ab aliquibus resignata fuerint, ea aliis quàm ipsis permutare volentibus conferri nequeant; alioquin collatio nullius sit firmitatis.

46. Nec obstat textus c. *Majoribus*, de Præb.; ibi : *Divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus*. Resp. enim cum Glossâ ibidem, id intelligendum *sine auctoritate superioris :* superior enim si expedire viderit, poterit admittere resignationem causâ permutationis factam per textus n. præc. allegatos, etsi ejusmodi permutatio propriâ auctoritate neutiquàm fieri possit. Et hoc modo concordantur jura juribus.

Additio.

* Ubi tamen semper, ac pro semper advertendum est, quòd, etsi auctoritate superioris, vel legis ex justâ causâ similis permutatio Beneficiorum cum annexis conformiter jam dictis, et adhùc dicendis licitè fieri queat; eadem tamen prohibita et simoniaca sit, si quidem auctoritas superioris in ipsâ permutatione interveniat, interim tamen permutantes *propter hanc ipsam permutationem* prævièjam in occulto varia instituerint pacta non solùm conditionata ad superiorum legitimam ratificationem, verùm absoluta, et quæ potiùs ordinariis abscondere allaborant. Ratio est quia, uti deducitur ex cap. 7, de Transact., et c. ult. de Pactis, in materiâ Beneficiali omne pactum privatum de pecuniâ, vel alio temporali dando intuitu cujuscumque resignationis longè abesse debet. Et hinc simoniaca est permutatio, quæ fit cum pacto privatorum, ut resignatarius solvat resignanti illas expensas, quas ille aliquando in Beneficii assecutione solvere debuit; vel posito quòd unum Beneficium ex permutandis majores ferat reditus alio, ut alter qui permutatione acquirit pinguius, propterea solvat omnes expensas in admissione permutationis propter taxam cancellariæ, v. g., in expeditione litterarum faciendas, vel ut mobilia in loco pinguioris Beneficii simul relicta, ma-

jori emat pretio, etc. Vide Jus Canonicum hujus auctoris lib. 1, decret. tit. 9, § 4.*

47. Concl. II. Forma et modus permutandi Beneficia, est, ut ea clerici resignent in manus ordinarii, exprimentes, quòd in causâ permutationis faciant, ita tamen, quòd priùs accesserit consensus eorum qui jus conferendi, eligendi vel præsentandi habent. Quo casu arbitrari debebit ordinarius, num admittenda sit resignatio, necne; et si admittendam censuerit, nulli alteri, sed præcisè ipsis causa permutationis resignantibus Beneficia illa conferre poterit ac debebit; et collatio aliis facta non tenebit. Ita habetur, citat Clem. un., de Rerum permut.

48. Quæres an in permutatione præbendarum, sive Beneficiorum ecclesiasticorum quoad titulum, quorum unum pinguiores habet proventus, absque labe simoniæ possit suppleri pretium pro minùs valente? Ratio dubitandi est quia, quando duæ Ecclesiæ jure proprietatis unà cum suis possessionibus invicem permutantur, potest pro alterius Ecclesiæ possessionibus pretium suppleri, dummodò adhibeatur cautela in Jure canonico c. *Ad quæstiones*, de Rerum permut., insinuata; hoc est, dummodò id fiat, non unicum duntaxat contractum instituendo (alioquin enim pretium refundi videretur etiam pro ipsâmet Ecclesiâ, quod sapit simoniam), sed faciendo duos contractus, quorum uno ad invicem gratis Ecclesiæ, altero autem possessione earum cum refusione certæ pecuniæ permutantur; ergo idem videtur posse fieri in proposito.

49. Resp. in solutione hujus dubii variare doctores. Et quidem affirmant Angelus et Sylvester, vers. *Permutatio*, 2, q. 6, post Abbatem, c. *Ad quæstiones*, n. 3, de Rerum permutat. Eamdem sententiam ex professo tradit Lessius, lib. 2, c. 35, n. 101, allegans Sotum et Cajetanum. Probant inprimis hanc sententiam ex cit. c. *Ad quæstiones*, eod., ob paritatem rationis. Addit Lessius hanc compensationem exigi posse non pro excessu qui remanet annexus ipsi titulo Beneficii, sed pro incommodo temporali, quod quis subit sese spoliando majoribus illis proventibus, aut spe ipsorum. Sed, quidquid sit de probabilitate hujus opinionis,

50. Opposita sententia non solùm est probabilior, sed jure merito tenenda; prout eam tenent Covarruvias, lib. 1, var. Resol., c. 5, n. 9; Navarrus, cap. 23 Manualis, n. 100, § *Tertiò;* Laym. lib. 4, tr. 10, c. ult., n. 54; citant insuper Suarez et Vasquez, Engel, tit. de Rerum permut., num. 4, post Barbosam, Vallensis et alii. Ratio hujus sententiæ, simul et disparitatis inter permutationem duarum ecclesiarum unà cum suis possessionibus quoad proprietatem, et inter permutationem duorum Beneficiorum quoad titulum unà cum suis proventibus hæc est quia in priori casu duæ possunt intervenire, atque interveniunt permutationes, sibi invicem non permixtæ; una videlicet ecclesiarum, altera possessionum, duobus, e. g., monasteriis pleno jure incorporatarum, juxta cit. c. *Ad quæstiones*, eod. E contra in altero casu una duntaxat potest intervenire permutatio, sicque nequit adhiberi consimilis cautela.

51. Probatur hoc ultimum, quia beneficiarius nor est dominus possessionum, v. g., agrorum aut prædiorum Beneficii (sicque has distincto contractu permutare nequit), sed ex iis tantùm percipit redditus, ut quid accessorium ad ipsum Beneficium. Deinde beneficiarius etiam non habet jus et dominium reddituum futuro primùm tempore obventurorum, sed eos primùm acquisiturus est sub conditione Beneficii retinendi atque officii debiti præstandi: ergo antecedenter eosdem permutare nequit. Tandem permutatio illorum reddituum, cùm sint quid accessorium ad Beneficium, simulque primum acquirendi sub conditione Beneficii retinendi, hoc ipso nequit separari à permutatione Beneficii, sicut fit in permutatione Ecclesiæ, suarumque possessionum quoad proprietatem.

52. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiæ. Nam ad primum negatur consequentia, et paritas inter permutationem Ecclesiarum unà cum possessionibus, et permutationem Beneficiorum unà cum redditibus: quia ibi possunt institui duo contractus permutationis, non hìc, ut proximè explicatum. Ad alterum dicitur, redditus futuros Beneficii, ac spem ipsorum consequendorum habere necessariam dependentiam et connexionem cum Beneficio, cùm sint accessorium hujus; unde urget illud can. *Si quis objecerit*, 1, q. 3, ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

53. Cæterùm his non obstantibus, potest auctoritate Episcopi in hujusmodi casu constitui pensio in pinguiori Beneficio, præstanda alteri beneficiario, non quidem pro compensatione excessûs, sed quia illud, e. g., ob utilitatem Ecclesiarum pro minùs pingui relinquit. Engel. loc. cit., num. 4, post Navarrum de Simoniâ, consil. 43, num. 4. Vide Jus Canon., lib. 3, Decr. tit. 19, num. 28 et seqq., præsertim. num. 33.

DISTINCTIO III.

De jure patronatûs.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit jus patronatûs et quomodò acquiratur?

1. Conclusio prima. Jus patronatûs quantùm ad propositum, est jus nominandi seu præsentandi Clericum idoneum, promovendum ad Beneficium ecclesiasticum vacans. Ita in re communis. Dicitur primò, *jus nominandi seu præsentandi:* nam ista duo hìc fermè sumuntur pro eodem, quamvis cæteroquin nominatio latiùs pateat quàm præsentatio. Et additur, *ad Beneficium ecclesiasticum vacans;* tum ad magis explicandam naturam illius juris patronatûs, de quo agitur in proposito (nam jus patronatûs nonnullas alias in jure acceptiones habet), tum quia, sicut institutio ita et præsentatio ad Beneficium non vacans irrita est: arg. c. *Illud*, de jure patronatûs. Reliquæ particulæ patebunt ex dicendis.

2. Concl. II. Tribus potissimùm modis acquiritur jus patronatûs respectu Beneficii ecclesiastici, nimi-

rùm ex fundatione, ædificatione et dotatione. Ita Glossa communiter recepta in c. *Piæ mentis*, 16, q. 7, et concordat concilium Tridentinum, sess. 14, c. 12, de Reform. Unde versiculus ille à cit. Glossâ relatus :

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

3. *Fundâsse* dicitur, qui fundum, seu terræ solum dedit, in quo ecclesia construeretur.

4. *Ædificâsse* dicitur, qui ecclesiam suis sumptibus construxit, arg. c. *Monasterium*, 16, q. 7, cum concordantiis. Quòd si Ecclesia solùm reparetur, seu reficiatur, jus patronatûs non acquiritur, nisi ipsa fuerit penitùs destructa. Si verò funditùs destructa fuit, et de consensu episcopi aliquis eam reædificet, licèt forsan de eâdem materiâ, verius est hunc acquirere jus patronatûs, ac priorem dominum non ampliùs remanere patronum; prout tenet, ac probat Glossa in c. *Quoniam*, vers. *Fundatores*, de Jure patronatûs.

5. Tandem *dotâsse* dicitur qui Ecclesiæ annuos redditus sufficientes assignavit. Porrò qui ecclesiam ædificat, hoc ipso videtur etiam se obligare ad dotandum, si nemo alius dotet : siquidem ecclesia sine dote consecrari non debet, c. *Nemo ecclesiam*, de Consecr., dist. 1, et c. *Cùm sicut*, de Consecr. Eccles., junctâ glossâ magnâ ibidem, dicente : *Qui fundat ecclesiam, tenetur dotem assignare eidem*, subintellige, nisi alius dotare velit.

6. Dicitur notanter in conclusione, *tribus potissimùm modis* : nam quamvis enumerati tres sint principaliores, nihilominùs aliis quoque modis jus patronatûs acquiri potest, videlicet præscriptione ac Privilegio. Et quidem contra Ecclesiam ab initio liberam de facto non prescribitur jus patronatûs, nisi tempore immemoriali : quod ipsum tamen legitimè probari debet, juxta præscriptum concilii Trid., sess. 25, cap. 9, de Reform. Verùm contra Ecclesiam non liberam, sed patronatam, seu potiùs contra ejus patronum præscribitur jus patronatûs spatio quadraginta annorum. Vallensis, tit. de Jure patronat. § 1, et alii. * Quinimò, si prior patronus non fuerit monasterium, vel alia causa pia, sed potiùs aliqua persona privata, aiunt communiter doctores, ne quidem quadraginta annos requiri; sed sufficere cum titulo decem inter præsentes, et viginti inter absentes; absque titulo autem triginta. Ita præsens auctor in Jure Canonico, lib. 3 Decret., titulo 38, num. 15. *

7. Cæterùm ex Privilegio potest acquiri jus patronatûs, quando ejusmodi privilegium cuipiam de Ecclesiâ, vel Christianâ republicâ benè merito à summo Pontifice conceditur, etiamsi ecclesiam illam non fundaverit, neque extruxerit, neque dotaverit. Atverò episcopus loci, aliique prælati Papâ inferiores tale privilegium concedere non possunt; text. clar., c. 2, de Rebus Ecclesiæ non alien., in 6, juncto concilio Trid., loco cit.

8. Concl. III. Jus patronatûs semel legitimè acquisitum transit etiam ad hæredes, nisi aliud ex primâ juris patronatûs constitutione appareat. Ita communis. Notanter additur *Nisi aliud ex primâ, etc.*; siquidem in potestate fundatoris est, an velit ômninò remittere jus patronatûs, vel sibi tantùm aut familiæ suæ, vel etiam hæredibus extraneis reservare. Engel, tit. de Jure patr., n. 15, et alii.

9. Notandum tamen quòd successio hæredum in jure patronatûs non fiat *in capita*, sed *in stirpes*. Unde, si plures sint simul patroni, atque ex iis unus mortuus fuerit relictis tribus, v. g., hæredibus, isti tres hæredes unum tantùm votum in præsentando habent, adeòque vel debebunt conspirare in unius clerici præsentationem, vel inter se antea convenire, ut alternis vicibus præsentent. Clem. 2, de Jure patr.

10. Concl. IV. Generatim, quatuor modis ab uno in alium transfertur jus patronatûs, videlicet successione, donatione, permutatione et venditione universitatis. Ita communis. Hinc illi versus à Glossâ in c. *Ex insinuatione*, de Jure patr. relati :

Jura patronatûs transire facit novus hæres :
Res permutata, donatio venditioque.

11. Et quidem (ut taceatur *successo* de quâ concl. præc.) jus patronatûs transfertur ab uno in alium donatione, arg. c. *Illud*, et c. *Nullus*, eod. Verùmtamen in donatione juris patronatûs personalis, si fiat de laico in laicum, vel etiam in clericum quà personam privatam, necessariò debet intervenire consensus episcopi, prout desumitur ex citatis locis : secùs dicendum, si donatio juris patronatûs fiat per laicum loco ecclesiastico, c. un., eod., in 6. Similiter non requiri consensum episcopi, si unus patronus alteri compatrono jus suum cedat, donet aut remittat, cum aliis tenet Barbosa part. 3, de Offic. et Potest. episc., alleg. 71, n. 8, arg. Clem. 2, de Jure patr.

12. *Permutatione* quoque cum aliâ re spirituali transfertur jus patronatûs ab uno ad alium, arg c. *Nimini regum*, 16, q. 7. Cæterùm, si talis permutatio fiat in laicum, requiritur consensus episcopi; secùs, si fiat in ecclesiam. Barbosa, loco. cit., n. 31.

13. Tandem transfertur jus patronatûs *per venditionem universitatis*, vel illius rei cui illud inseparabiliter adhæret; ut puta per venditionem castri, sive comitatûs, habentis annexum jus patronatûs; arg. c. *Cùm seculum*, de jure patr., et alibi.

14. Dicitur notanter, *per venditionem universitatis*, id est, omnium eorum bonorum ac jurium quibus annexum est. Nam jus patronatûs, cùm sit quid spirituale aut spirituali annexum, per se vendi non potest absque labe simoniæ, c. *De Jure.*, eod. ; ibi * *Cùm inconveniens sit vendi jus patronatûs, quod est spirituali annexum*; juncto c. *Præterea quando*, de Transact. Imò etiam bona ipsa non possunt cariùs vendi propter annexum jus patronatûs; idque ob allegatam rationem, et notat Barbosa ibidem, num. 34.

Additio.

* Quæres an, si aliquod castrum vel prædium, etc., cui est annexum jus præsentandi reale, detur alteri in feudum, sive emphyteusin, vel dotem, aut oppignoretur per modum hypothecæ, pariter transferatur jus præsentandi in feudatarium, emphyteutam, maritum,

cui dos affertur, aut in illum, cui tale castrum oppignoratur?

Resp. 1°: Quoad feudum et emphyteusin affirmativè, cùm pariter dominium utile castri vel prædii cum fructibus in feudatarium et emphyteutam transferatur, sicque concomitanter etiam jus præsentandi annexum. Ita eruitur ex c. 13 de Jure patr. et ibi Glossa.

Resp. 2°: Eodem modo quoad dotem, ita nimirùm, ut regulariter loquendo stante matrimonio non uxori, quæ dotem hanc attulit, sed potiùs marito competat jus præsentandi. Ita communior contra abbatem et Azorium. Ratio est quia nimirùm marito competit saltem fictione juris suo modo dominium civile unà cum fructibus in allatam ab uxore dotem, uti eruitur l. 7, § 3, ff. de Jure dotium, et l. 9, c. de rei Vindicatione, quamvis cæteroquin negari non possit, dominium naturale dotis manere penes uxorem, l. 30, c. de Jure dotium; nisi bona illa immobilia dentur marito tanquàm æstimata, et quidem æstimatione, quæ facit emptionem; ubi acquireret quoque maritus dominium naturale, sicque multò magis huic competeret jus præsentandi, uti facilè concedunt doctores illi qui alioquin nobis sunt contrarii in hàc responsione.

Resp. 3°: Hypothecario, cui castrum, prædium seu villa oppignoratur, regulariter non competit jus præsentandi, sed potiùs domino principali ejusdem. Ita Glossa, Abbas, Matthæuccius in Officiali suo ecclesiastico et alii. Ratio est quia, etsi hypothecario competat possessio, et exinde actio realis in rem oppignoratam nullum tamen dominium, nec fructus rei oppignoratæ. Videatur de his fusiùs in Jure Canonico auctoris, lib. 3, tit. 38.*

15. Concl. V. Jus patronatûs ex solâ gratiâ, permissione, atque privilegio Ecclesiæ procedit: quatenùs nimirùm ex benignitate ejusdem per sacros canones illud fundatoribus, ædificatoribus et dotatoribus ecclesiarum, per modum cujusdam remunerationis concessum est, ut hâc ratione laici aliique fideles magis provocarentur ad fundandas, extruendas, dotandasque ecclesias. Ita Fagnanus, in c. Quoniam, n. 4, et seqq. de Jure patr., et alii communiter. Idipsum desumitur ex cit. c. *Quoniam;* ibi: *Potestate* (præsentandi) *in quâ eos Ecclesia hucusque sustinuit*: juncto c. *Si quis episcoporum*, 16, q. 5, ibi: Ædificatori Episcopo hæc gratia reservetur. Siquidem de jure antiquiori laici in ecclesiis per eos ædificatis vel dotatis nullum habebant jus patronatûs, sed statim ecclesiæ ipsæ cum sacerdotibus suis ad ordinationem pertinebant episcoporum; prout liquet ex c. *Noverint* 10, q. 1, et c. *Piæ mentis*, 16, q. 7.

16. Fatendum nihilominùs, quòd, quamvis spectato jure antiquo jus patronatûs ejusque concessio fuerit gratiosa, ut dictum, hodiè tamen, cùm per Jura nova sit redactum in corpus juris, ampliùs non dicitur gratia, sed justitia, et jus commune. Fagnanus, loco cit., n. 12. Idque patet ex c. *Nobis*, de Jure patr., eum concordantiis: ubi constructori ecclesiæ, vel capellæ jus patronatûs expressè tribuitur.

17. Concl. VI. Non tantùm clerici, sed etiam laici, tam masculi quàm feminæ sunt capaces juris patronatûs. Ita communis. Et quidem de laicis habetur expressus textus, c. *Cùm autem*, de Jure patr. ibi: *Si laicus fuerit, cui jus competit præsentandi;* et alibi. De feminis pariter fit mentio c. *Ex litteris*, eod. ibi: *Postmodùm abbatissa prædicti monasterii alium præsentavit eidem ad ecclesiam supra scriptam.* Et c. ult. de Concess. præb., dicitur de quâdam comitissâ, quòd in quibusdam Beneficiis ecclesiarum jus habet patronatûs.

18. Dices: Laici sunt incapaces juris spiritualis, arg. c. *Decernimus*, de Judiciis, et clariùs c. *Tua*, de Decimis, ibi: *Cùm laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas;* juncto c. *Causa*, de Præscript.; atqui jus patronatûs est quid spirituale, vel saltem spirituali annexum; ergo ejusdem laicus est incapax, ac præsertim femina. Resp. cum Glossâ, c. *Quanto*, de Judiciis, majorem esse veram loquendo de juribus merè spiritualibus; secùs de iis quæ non sunt quid merè spirituale, sed duntaxat ei annexum; prout laici possunt possidere jus funerandi. In proposito autem jus patronatûs non est quid merè ac propriè spirituale, sed spirituali annexum, ut loquitur textus, c. de Jure patr., ibi: *Jus patronatûs, quod est spirituali annexum.* Accedit quòd hoc jus competat laicis ex speciali concessione, ac privilegio Ecclesiæ.

Additio.

* Quæres an, si ille qui habet jus præsentandi, sit adhuc sub tutoribus, possit per seipsum præsentare ad Beneficium, vel potiùs an debeat fieri per suum tutorem. Resp. 1°: Si talis nondùm sit egressus septennium, juxta communissimam doctorum sententiam præsentatio debet fieri per tutorem. Ratio est quia talis præsumitur in tanto negotio nondùm habere sufficientem perpendendi rationem. Resp. 2°: Si verò is septennium quidem, nondùm verò annos pubertatis sit egressus, an talis præsentare valeat sine auctoritate tutoris, major est difficultas, ubi quidem plures cum præsenti auctore, loco cit., n. 38, dicunt esse de decentiâ, non de necessitate, ut fiat cum auctoritate ejusdem; Franciscus tamen Schmier, lib. 3, tr. 1, part. 3, c. 2, n. 96, videtur contrarius allegans pro se c. ult., de Judiciis, in 6, meo judicio fortiter stringens; cùm ibidem, (N B.) etiam in causis beneficialibus, major quatuordecim annis possit quidem agere per seipsum, non tamen is qui est infra hanc ætatem.*

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit jus patronatûs, et quomodò ecclesiasticum differat à laicali?

19. Conclusio prima. Jus patronatûs variè dividitur, videlicet in hæreditarium, et familiare, in activum et passivum, in personale ac reale. Ita communis, et probatur inductione.

20. *Jus patronatûs hæreditarium* dicitur quod transit ad quoscumque hæredes, etiam extraneos. Jus

patronatûs familiare, seu gentilitium è contra est, in quo tantùm succedunt illi, qui sunt de sanguine et familiâ fundatoris ; quæ divisio patet ex dictis, n. 8.

21. *Jus patronatûs activum* vocatur, quando patronus potest præsentare ad Beneficium : et de hoc impræsentiarum agitur. *Jus patronatûs passivum* est, quando certi ex aliquâ familiâ (dummodò idonei adsint) exclusis extraneis debent ad Beneficium præsentari et admitti : prout accidit ex Beneficiis patrimonialibus, de quibus supra dist. 1, n. 12.

22. *Jus patronatûs personale* est, quod cohæret personæ fundatoris, vel ejus hæredis, ubicumque locorum existat. Reale verò, quod cohæret certo loco, ut puta castro, prædio, monasterio, ac hujusmodi : et hoc transit ad quemcumque talis loci possessorem.

23. Concl. II. Nihilominùs præcipua divisio juris patronatûs est in ecclesiasticum et laicale. Ita communis ; atque desumitur ex c. *Cùm autem*, de Jure patr. cum concordantiis.

24. *Jus patronatûs ecclesiasticum* est quod personæ ecclesiasticæ competit ratione Ecclesiæ vel dignitatis, aut Beneficii ecclesiastici. Et tale censetur etiam esse illud jus patronatûs, quod primitùs fuit laicale, postea verò à laico fuit concessum ecclesiæ, capitulo, monasterio, vel cuipiam Beneficio : nam quia illud vi talis donationis jam competit Ecclesiæ, in posterum censebitur ecclesiasticum, et non laicale, ut habetur c. un. de Jure patron., in 6.

25. *Jus patronatûs laicale* dicitur, quod alicui sive laico, sive clerico, competit ratione proprii patrimonii vel successionis paternæ, aut alterius tituli secularis, non verò ratione Ecclesiæ, aut Beneficii ecclesiastici; arg. c. *Cùm dilectus*, junctâ Glossâ, vers. *Tanquàm laicus*, de Jure patr.

26. His additur communiter tertium membrum, scilicet *jus patronatûs mixtum*, estque illud quod partim nomine Ecclesiæ ad clericum, et partim ex alio titulo ad ipsum, vel ad laicum spectat, ac proinde est mixtum ex utroque; quale est, si Ecclesia fundavit ex suis bonis aliquam Ecclesiam, eamque laicus dotavit vel è contra.

27. Porrò hujusmodi juri patronatûs mixto illud est speciale, quod reguletur in particularibus casibus vel ut ecclesiasticum, vel ut laicale, prout exigit qualitas casûs magis privilegiata magisque favens patronatui. Glossa, c. 1, vers. *Ecclesiasticus*, de Jure patr., in 6; Covarruvias, Pract., Quæst. c. 36, n. 5. et Fagnanus, c. *Cùm propter* n. 6 et seqq. de Jure patr. cum communi. Ratio est quia, si non privilegiatus in materiâ individuâ, sive inseparabili concurrat cum privilegiato, illius privilegio utitur, arg. l. *Si communem*, ff. *Quemadmodùm servitutes amittuntur*, ect. ; ubi hoc conceditur habenti rem communem cum pupillo. Quinimò generaliter in individuis privilegium uni ex sociis concessum porrigitur ad omnes, juxta Glossam fin., l. 1, c. de diversis Rescriptis, ac pluribus explificat Fagnanus, loc. cit., n. 53 et seqq.

28. Concl. III. Inter jus patronatûs ecclesiasticum et laicale multiplex datur discrimen. Nam inprimis (præter discrimen quod desumitur ex utriusque definitione) differunt, quòd patronus ecclesiasticus habeat sex menses ad præsentandum, laicus verò quatuor tantùm, c. *Eam te*, et c. *Cùm propter*, de Jure patr., et clarissimè, c. un. eod. in 6.Quòd si verò jus patronatûs sit mixtum, et unus patronus est ecclesiasticus, alter laicus, omnes ratione communionis habent semestre : nam propter communionem non privilegiatum sortitur naturam privilegiati, juxta dicta n. præc.

29. Cæterùm istud tempus sex vel quatuor mensium incipit currere, non à die vacationis Beneficii, sed à die notitiæ dictæ vacationis quam habent, vel consideratà temporis ac locorum distantiâ habere præsumuntur patroni, prout in simili dicitur c. *Quia diversitatem*, de Concess. præb.; quòd si hoc elapsum fuit, et patronus, sive ecclesiasticus, sive laicus, nullum præsentavit ad Beneficium vacans, vel quia neglexit, vel quia, si plures sint patroni, lis de jure patronatûs inter eos orta est, et priùs necdùm decisa; statim elapso illo tempore pro eâ vice devolvitur collatio Beneficii ad eum ad quem spectat institutio, arg. c. *Cùm propter*, et c. *Eam te*, de Jure patr. Et meritò, ne propter negligentiam vel discordiam patronorum Ecclesia diutiùs destituta rectore patiatur dispendium aliquod.

30. Secundò differunt quia, si patronus ecclesiasticus idoneum præsentavit, non potest ampliùs variare, seu alium præsentare; quod si fecerit, nihilominùs præfertur ille qui primò est præsentatus, text. clar. c. *Cùm autem*, eod. È contra patronus laicus præsentato unc vel pluribus, potest adhuc variare, ac intra quadrimestre alium præsentare, non quidem privativè, seu ex toto recedendo à priori, sed accumulativè, seu adjungendo secundum primo, arg. c. *Cùm autem*, et c. *Pastoralis*, de Jure patr., et Clem. *Plures*, eod., ac tenet Fagnanus cit. cap. *Cùm autem*, n. 6, cum communi.

31. Cur autem laicis patronis permissum sit variare in præsentando, non item ecclesiasticis, multiplex solet dari ratio. Placet præ cæteris ea quam affert Pirhing tit. de Jure patr., n. 103 et 104, quia præsentatio patroni ecclesiastici, utpote nomine Ecclesiæ facta, habet vim electionis, ut post Innocentium et Abbatem passim tenent doctores; ergo sicuti eligentes publicato scrutinio variare non possunt, c. *Publicato*, de Elect., ita nec clerici præsentantes. Accedit quòd hi nomine et jure Ecclesiæ tales actus quasi ex officio exerceant, ideòque, cùm officio suo semel functi sunt, acquiescere debent, prout, in simili dicitur de collatione, c. *Si tibi absenti*, de Præb. in 6. Secùs est de patrono laico : nam is suo proprio jure et nomine præsentat. Accedit ulteriùs quòd patronus laicus sit minùs expertus circa ecclesiastica quàm clericus, utpote qui debet esse magis discretus, et ampliùs scire jura; simulque, quòd laicus habeat minus tempus ad præsentandum quàm clericus. Unde non mirum quòd ille possit variare, et, quia gravatur minori temporis spatio, relevetur in isto.

32. Porrò, si duo simul aut successivis temporibus à patrono laico sint cumulativè præsentati, tenetur ex iisdem episcopus præeligere digniorem; adeò ut non sit locus gratificationi, sed peccet contra justitiam eligendo minùs dignum; quamvis post factum sustineatur electio de digno, omisso digniori, nec liceat posthabito appellare, ut litium occasiones amputentur. Fagnanus, loc. cit., num 28 et seq., citans alios; et desumitur ex c. *Constitutis*, de Appellat., juncto c. *Pastoralis*, de Jure patr. Quòd si verò ambo præsentati videantur æquè idonei, vel sit dubium quisnam ex iis sit dignior, tunc illud judicio episcopi relictum est, text. clar., c. *Cùm autem*, eod. Estque stante pari dignitate locus gratificationi, adeò ut episcopus possit eligere quem maluerit, juxta Glossam ibidem vers. *Judicio*, et alios.

33. Tertiò differunt jus patronatûs ecclesiasticum et laicale, quia si patronus ecclesiasticus scienter præsentet indignum, ipso jure privatus est eâ vice potestate præsentandi, et ad proximum superiorem, ad quem spectat institutio, devolvitur libera collatio Beneficii. Secùs est in patrono laico : nam licèt is præsentet indignum, non est privatus jure præsentandi pro eâ vice, sed jubendus est alium præsentare, arg. c. *Cùm vos*, de Officio judicis ord., junctâ Glossâ ibidem, vers. *Minus idonea*. Ratio hujus est eadem, quæ n. 31 allata fuit. * Cæterùm examen, utrùm præsentatus sit dignus, semper spectat ad episcopum, quamvis post debitam præsentationem subsecutura institutio forsan pertineret ad aliquem episcopo inferiorem. Concilium Trid., sess. 25, de Ref., c. 9. *

34. Quartò differunt, quia legatus à latere summi Pontificis potest conferre Beneficium juris patronatûs ecclesiastici absque consensu et præsentatione patroni ecclesiastici; secùs est de Beneficio juris patronatûs laici; nam hoc absque consensu patroni nequit conferre, arg. c. *Cùm dilectus*, de Jure patr., et ampliùs explicat Glossa ibidem, vers. *Quempiam præsentare*.

35. Quinimò generaliter Papa non censetur velle derogare juri patronatûs laicorum, nisi hoc exprimat. Fagnanus, c. *Quoniam*, n. 10, de Jure patr., post Glossam proximè citatam et alios. Accedit ratio, quia laici acquirunt jus patronatûs ratione proprii patrimonii, quando fundârunt, ædificârunt vel dotârunt ecclesiam; unde non est æquum ut jure inde quæsito facilè priventur, sicque retrahantur ab aliis piis fundationibus; secùs est in patrono ecclesiastico, cui jus hoc competit non ob proprium patrimonium, sed ratione Ecclesiæ.

36. Et ob eamdem rationem legatus nequit conferre Beneficium juris patronatûs mixti (id est, partim ad clericum nomine Ecclesiæ, et partim ad laicum spectantis), ne ex societate cum clerico patronus laicus in re individuâ præjudicium et incommodum sentiat, contra reg. 22 juris, in 6. *Non debet aliquis alterius odio prægravari*, et doctores passim. Quinimò, quia non privilegiatum propter communionem sortitur naturam privilegiati, privilegium patrono laico competens, ne ipso invito possit legatus Beneficium conferre, etiam patrono ecclesiastico communicatur, juxta dicta n. 27.

37. Nec obstat illud commune dictum : *Magis dignum trahit ad se minùs dignum*, arg. l. *Quæ religiosis*, ff. de rei Vindicatione; atqui jus patronatûs ecclesiasticum est magis dignum quàm laicale; ergo. Resp. enim cum communi, dictum illud procedere tantùm quoad commoda et privilegia, non verò quoad damna, odia et pœnas.

38. Quòd si urgeas : Hermaphroditus æstimatur feminei sexûs, quando hic prævalet in ipso, l. *Quæritur*, ff. de Statu hominum, et tamen sexus virilis est dignior et magis prodest; ergo in mixtis non semper attenditur quod dignius est, magisque prodest, sed quod est potentius. Resp. distinguendo consequens : Ergo in mixtis naturalibus non semper attenditur, quod dignius est, conceditur; in mixtis, quæ sunt talia juris ministerio, negatur. Nam in his jus fingit, illud esse potentius et dignius, quod magis prodest, et jus alterius non lædit. Fagnanus, loc. cit., n. 65.

39. Quintò differunt, quòd simplici concessione, unione, aut reservatione alicujus Beneficii per Papam factâ derogetur juri patronatûs ecclesiastico, non verò laico, nisi expressa et specialis mentio fiat de hoc. Pirhing. de Jure patr., n. 133, estque communis aliorum. Ratio est, quamvis Papa posset etiam juri patronatûs laicorum fundatorum derogare, utpote cùm hoc ipsis fundatoribus ex gratiâ sit concessum ab Ecclesiâ, non tamen huic adeò facilè derogare solet; partim, ne domini seculares à piis fundationibus retrahantur, si passim eorum juribus derogetur; partim, quia prælati ecclesiarum, sicuti plus juris habent in bona ecclesiastica quàm laicalia, ita etiam in patronatus ecclesiasticos, utpote ex ecclesiasticis bonis originem trahentes, quàm in patronatus laicales. Concordant dicta n. 34 et 35.

40. Notant tamen doctores hanc doctrinam in quartâ et quintâ differentiâ allatam habere locum duntaxat in jure patronatûs laicis competente ex fundatione, ædificatione vel donatione, non verò in eo quod convenit ipsis ex speciali gratiâ, privilegio vel præscriptione; cùm enim in his deficiant rationes proximè allatæ, eidem censetur sufficienter derogatum per clausulam generalem : *Ad cujuscumque patroni præsentationem pertineat*.

41. Ultimò differunt jus patronatûs ecclesiasticum et laicale quoad concursum : nam hic quoad parochiales Ecclesias, etiamsi sint juris patronatûs ecclesiastici, præmittendus est, juxta concilium Trid., sess. 24, c. 18, de Reform. Secùs est de parochiis quæ spectant ad jus patronatûs laicorum : nam tunc non est locus concursui, sed is solus examinari debet, quem patronus laicus præsentavit, et si dignus reperiatur, institui.

42. Notat autem Engel, titul. de Præb., num. 67, per bullam S. Pii V : *Ad exequendum* (et habetur tom. 2, Bullarii Romani, constit. 47 dicti Pontif.), à præfato concursu esse exceptas parochias monasteriis vel aliis

ecclesiis incorporatas, ir quibus non propriè parochus, sed vicarius ponendus est.

QUÆSTIO III.

De jure præsentandi, aliisque juribus patrono competentibus.

43. Conclusio prima. Patrono sive ecclesiastico, sive laico, præcipuè quatuor jura competunt in beneficio ecclesiastico, respectu cujus habet jus patronatûs, videlicet jus præsentandi, præcedendi, defendendi Ecclesiam, atque ut ex bonis Ecclesiæ eidem indigenti modestè succurratur. Ita habetur c. *Nobis*, de Jure patr., et complectitur Glossa ibidem hisce versiculis:

Patrono debetur honor, onus, utilitasque ;
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

44. Conclusio II. Jus præsentandi clericum idoneum ad beneficium ecclesiasticum, sive simplex, sive curatum, postquàm vocaverit, adeò competit patrono, ut episcopus, vel is ad quem spectat institutio, teneatur eumdem cæteroquin habilem admittere, atque in dicto Beneficio instituere. Ita desumitur ex cit. c. *Nobis*, de Jure patron. Dicitur, *clericum idoneum :* nam, si hic sit indignus, patronus laicus tenetur alium præsentare; patronus verò ecclesiasticus pro eâ vice privatur jure præsentandi, ut dictum n. 33.

45. Concl. III. Beneficium ecclesiasticum sine consensu et voluntate patroni, regulariter loquendo, conferri nequit, et si de facto collatum sit alteri quàm illi quem patronus præsentavit, potest ad instantiam ejus collatio annullari, ipsoque instante debebit is qui sine suo consensu institutus fuit, amoveri. Ita statuitur c. *Ex insinuatione*, de Jure patr., juncto c. *Decernimus*, 16, q. 7.

46. Dicitur, *regulariter loquendo :* nam hinc inprimis excipitur casus, si patronus intra debitum tempus à jure definitum neminem præsentavit; tunc enim pro eâ vice devolvitur collatio Beneficii ad eum ad quem cæteroquin pertinet institutio, c. *Cùm propter*, et c. *Eam te*, de Jure patr. Deinde valet collatio, si summus Pontifex de plenitudine potestatis conferat Beneficium, derogando expressè juri patronatûs, ut jam dictum n. 39. Idem accidit, quando patroni in præsentando discordant, et præsentatus à majori eorum parte non potest sine scandalo institui : tunc enim episcopus ordinabit Ecclesiam, sicut meliùs eam secundùm Deum viderit ordinandam, c. *Quoniam*, eod.

47. Dicitur ulteriùs in conclusione : *Potest ad instantiam ejus collatio annullari :* siquidem collatio Beneficii extra dictos casus absque patroni præsentatione facta, non est ipso jure nulla et irrita, sed tantùm potest per patronum contradicentem irritari, si nempe is alium præsentet, aut expressè contradicat. Unde, si terminus patrono competens post collationem per episcopum factam fuerit elapsus, non reclamante nec contradicente patrono, manet collatio omninò firma. Barbosa, part. 3, de Offic. et Potest. episc., allegat. 72, n. 171, citans plures alios.

48. Concl. IV. Patronus, quamvis sit clericus, et cæteroquin idoneus, se ipsum ad Beneficium ecclesiasticum præsentare non potest. Ita communis; et patet ex c. *Per nostras*, de Jure patron. Ratio est quia præsentatio suî ipsius sapit vitium ambitionis. Concordat illud D. Gregorii papæ, ac refertur c. *In scripturis*, 8, q. 1 : *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est :* « *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron,* » Hebr. 5.

49. Cæterùm, si prælatus ad quem spectat institutio, motu proprio vocet clericum patronum, eique conferat Beneficium vacans, in quo dictus clericus habet jus patronatûs, valebit collatio, quia tunc patronus non censetur præsentare seipsum, aut Beneficio sese ingerere, sed Beneficium sibi oblatum acceptare, adeòque in collationem ejus sibi factam consentire. Pirhing., tit. de Jure patron., n. 92. Imò posset hoc casu patronus clericus procedere per viam deprecationis et supplicationis, ac rogare episcopum ut sibi conferre velit illud Beneficium, atque exinde poterit ordinarius illum gratificando admittere. Barbosa lib. 3 Juris ecclesiast. univ., cap. 12, n. 199 ; Abbas in c. *Per nostras*, de Jure patr., et alii.

50. Insuper, si plures sint patroni, possunt illi ex seipsis unum clericum compatronum nominare et præsentare : nam quamvis clericus patronus non possit præsentare seipsum, potest tamen præsentationi de se per compatronos factæ consentire. Glossa in c. *Consuluit*, eod.; Barbosa, part, 3, de Offic. et Potest. episc., alleg. 72, n. 91, et alii.

51. Concl. V. Nihilominùs non est prohibitum patrono ad Beneficium præsentare filios suos, aut alios consanguineos. Ita Engel, tit. de Jure patron., n. 3, cum communiori. Et meritò, tum, ne hi sint deterioris conditionis quàm alii, quorum parentes nullum fundârunt Beneficium; tum ne ipsummet jus patronatûs, quod in favorem fundatoris, ejusque hæredum introductum est, in ipsorum odium retorqueatur contra reg. 61 Juris, in 6 : *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, cum concordantiis.

52. Concl. VI. Si plures sint patroni ejusdem ecclesiæ vel Beneficii, et hi in præsentando discordent, aliis hunc, aliis alium præsentantibus, præfertur is qui majoribus juvatur meritis, et plurium approbatur assensu, modò id sine scandalo fieri possit. Ita habet c. *Quoniam*, de Jur. patr., estque communis. Et quidem in tali casu sufficit præsentatio facta à majori parte respectu minorum partium, dummodò præsentatus cæteroquin sit idoneus : veluti si ex sex patronis duo præsentent Titium, unus Sempronium, et tres Caium, hi tres prævalent, ac præfertur Caius, arg. cit. c. *Quoniam*, et notat ibidem Fagnanus, n. 13, cum aliis. Additur vero : *Modò id sine scandalo fieri possit*, propter dicta, n. 46.

53. Concl. VII. Si autem duo sint præsentati à pluribus patronis in pari numero, vel si ex duobus patronis unus præsentavit unum, et alter alterum, ne-

mini eorum acquiritur jus petendi institutionem. Ita Fagnanus in c. *Cùm autem*, n. 23, eod., et alii. Ratio est clara, quia ad hoc, ut præsentatus acquirat jus ad Beneficium, et consequenter jus petendi institutionem, requiritur quòd præsentatio sit à majori parte patronorum, arg. cit. c. *Quoniam*, de Jure patr., ibi : *Si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis et plurimorum eligitur, et approbatur assensu.*

54. Concl. VIII. Præter jus præsentandi ulteriùs patrono ecclesiæ debetur honor. Ita communis, et patet ex c. *Nobis*, de Jure patr., ibi : *Pro fundatione quoque ecclesiæ honor processionis fundatori servatur.* Porrò honor patrono debitus consistit in præcedentiâ processionis, quatenùs in litaniis ac aliis publicis processionibus debetur ipsi locus dignior præ aliis laicis. Item quòd in ecclesiâ suâ patronatâ debeat honorari per præcedentiam honorabilioris sedis et dignioris loci, atque anterioritatem in suscipiendâ pace, thurificatione, et aliis consimilibus casibus, Barbosa, lib. 3 Juris eccles. univers., cap. 12, n. 214, cum aliis.

55. Concl. IX. Insuper competit patrono jus, seu potiùs onus defendendi ecclesiam. Ita habetur c. *Filiis*, 16, q. 7. Unde patroni munus est ut curam et inspectionem habeat quoad ecclesiam et ejus bona, ne malè alienentur, aut dilapidentur ; et si quid in detrimentum ecclesiæ fieri deprehenderit, neque beneficiarius honestâ monitione præmissâ desistere velit, id episcopo denuntiet, prout ibidem dicitur. Item ipsius munus est ut ecclesiam intra et extra judicium defendat, tanquàm ejus patronus et advocatus ; hoc quippe nomine ipse appellatur in c. *Præterea quoniam*, et c. *Cùm autem*, et c. *Nobis*, de Jure patr., et alibi.

56. Non tamen debet patronus veram aliquam jurisdictionem in beneficiarium usurpare, neque in illis, quæ ad sacramentorum administrationem pertinent, ullatenùs sese ingerere, neque visitationi ornamentorum ecclesiæ, aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus se immiscere (nisi in patrono ex primævâ institutione ac fundatione competat), sed episcopi ipsi hæc faciant, juxta concilium Trid., sess. 24, de Reform., cap. 3, circa finem.

57. Concl. X. Tandem patrono convenit, ut, *si ad inopiam vergat, ab ecclesiâ illi modestè succuratur.* Ita his verbis habetur cit. c. *Nobis*, de Jure patr., juncto c. *Contra*, et c. *Quicumque fidelium*, 16, q. 7.

58. Dicitur notanter, *modestè succuratur ;* id est, habito respectu ad facultates ecclesiæ et ad qualitatem personæ, ut benè explicat et probat Glossa ibidem. Hinc Barbosa, lib. 3, Jur. eccles. univers., cap. 12, n. 217, notat quòd tunc primùm ecclesia teneatur dare alimenta patrono pauperi, quando superest ultra id quod necessarium est ad cultum Dei atque ministrorum alimenta. In quo casu sunt præstanda patrono alimenta in domo propriâ, non autem in ipsâ ecclesiâ ; et quidem non solùm pro se, sed etiam pro uxore, filiis atque familiâ, ac insuper alimenta integra, id est, cibus, potus, vestis, lectus, et alia omnia, quæ sub alimentorum nomine continentur, dummodò, ut dictum, ecclesiæ suppetant facultates.

DISTINCTIO IV.

De decimis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint decimæ, primitiæ et oblationes ?

1. Conclusio prima. *Decimæ* sunt pars decima omnium fructuum justè acquisitorum, Deo in recognitionem sui dominii universalis debita, atque Ecclesiæ ministris quotannis exsolvenda. Ita in re communis ; et desumitur hæc definitio ex c. *Tua nobis*, de Decimis, ibi : *Decimæ quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas et primitias asseverans*, juncto c. *Decimas Deo*, 16, q. 7, et cap. *Transmissa*, de Decimis, cum concordantiis.

2. Unde colligitur, quòd solutio decimarum, quatenùs solvuntur à fidelibus ob Dei cultum atque in signum supremi ejus dominii in omnes res, et quòd ab ipso bona cuncta procedant, sit actus virtutis religionis ; quatenùs verò spectatur, prout est debita Ecclesiæ ministris, nobis spiritualia præbentibus, sit actus justitiæ.

3. Hinc illi qui fraudant decimas, peccant et contra virtutem justitiæ, et contra virtutem religionis, crimenque committunt sacrilegii, c. *Decimas quas in usum*, 16, q. 17. Insuper fraudantes decimas, tum in c. *Omnes decimæ*, 16, q. 7, et c. *Tua nobis*, de Decimis, tum in concilio Trident., sess. 25, c. 12, de *Reform.*, excommunicari jubentur, ibi : *Cùm decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt*, etc. *Qui verò eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur : nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur.* Hactenùs concilium.

4. Cæterùm hæc excommunicatio non est latæ, sed primùm ferendæ sententiæ ; prout desumitur ex τὸ *excommunicentur*. Imò præmittendam esse trinam monitionem, antequàm infligatur, rectè cum aliis notat Barbosa, in Collactaneis, ad cit. locum concilii Trident., n. 5, et favet textus, c. *Omnes decimæ*, 16, q. 7.

5. Insuper, quòd justo Dei judicio frequenter in rebus temporalibus damna patiantur, qui decimas dare negligunt, et è contra, qui decimas diligenter dant, non solùm sanitatem corporis, sed etiam cum temporali fructu bona cœlestia promereantur, etc., urgentissimis SS. Augustini et Hieronymi auctoritatibus comprobatur c. *Revertimini*, et c. *Decimæ tributæ*, 16, q. 1, ubi D. Augustinus, serm. 219, de Tempore, inter alia sic loquens refertur : *Cùm decimas dando et terrena, et cœlestia possis præmia promereri, quare pro avaritiâ duplici benedictione fraudaris ? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti.*

6. Concl. II. *Primitiæ* appellantur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborumque, Deo ut

largitori omnium bonorum in signum gratitudinis oblati. Ita desumitur ex cap. 18 Numer.; ibi : *Universa frugum initia* (id est, primitias) *quæ gignit humus;* additur notanter, *quæ gignit humus;* nam in animalibus, recepto stylo S. Scripturæ vocantur *primogenita*. Unde patet discrimen inter primitias et decimas; nam hæ sunt decima pars omnium fructuum justè acquisitorum, illæ verò fructus primi arborum, agrorumque, et hujusmodi.

7. Quæres an exstet præceptum aliquod offerendi primitias. Resp. 1° : In lege Mosaicâ exstabat præceptum offerendi primitias; uti patet ex cap. 26, Deuteron., ibi : *Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit*, etc. Item Exodi 13 : *Sanctifica mihi omne primogenitum*, et alibi. Quia verò cæremonialia et judicialia veteris Legis per Christi mortem atque prædicationem Evangelii evacuata fuerunt, remanet quæstio loquendo pro statu legis evangelicæ, ad quam

8. Resp. 2° : Olim quidem ex præcepto juris ecclesiastici aderat ejusmodi obligatio solvendi primitias, prout colligitur ex c. *Præter*, dist. 32, et c. *Decimas quas in usum*, 16, q. 7, ac notat Glossa, in cap. 1, v. *In primitiis*, de Decimis. Hodiè tamen ejusmodi obligatio solvendi primitias in plerisque locis per contrariam consuetudinem sublata est. Ita Pirhing., tit. de Decimis, n. 172. Suarez, Azorius, et alii passim.

9. Concl. III. *Oblationum* nomen, quantùm ad propositum, accipitur pro illis oblationibus seu donis, quæ fideles ad altare offerunt inter missarum solemnia. Ita desumitur ex c. *Antiquos*, 10, q. 1, et c. *Omnis Christianus*, de Conseqq. dist. 1.

10. Additur notanter, *quantùm ad propositum :* siquidem oblationis nomen interdùm latè accipitur pro omni eo quod offertur ecclesiæ; sive id fiat in vitâ, sive in morte, sive sit quid mobile sive immobile, arg. c. *Videntes*, 12, q. 1, ibi : *Ipsæ res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur.* Quinimò oblationis nomen adeò largè acceptum ipsas quoque decimas et primitias complectitur : verùm strictè, et habito præsertim respectu ad communem modum loquendi dicitur oblatio, quod offertur sacerdoti in missâ. Abbas, c. *Causa*, de Verb. signif.

11. Quæres an homines ad faciendas hujusmodi oblationes teneantur. — Resp. 1° : De ratione hujusmodi oblationum, est quòd voluntariè offerantur; juxta illud Exodi 25 : *Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas.* Et hinc regulariter loquendo istæ oblationes non fiunt de præcepto, nisi in certis casibus. Ita D. Thomas, 2-2, q. 86; Abbas, ad Rubric., tit. de Parochis, et alii.

12. Additur notanter, *nisi in certis casibus.* Etenim, si ministri ecclesiæ indigeant, neque habeant aliunde unde sustententur, tenentur parochiani jure naturali, et divino ad oblationes presbyteris indigentibus faciendas : nam ex quo sacerdos impendit spiritualia, debet consequi temporalia : *Dignus enim est operarius cibo suo*, Matth. 10. Unde quamvis sacerdos ob hoc non debeat subtrahere spiritualia, tamen superior debet parochianos compellere ad præstandas has oblationes juris remediis. Abbas loco cit.; Covarruvias, lib. 1, var. Resolut., cap. 17, n. 3, et alii.

13. Deinde tenentur parochiani ad faciendas oblationes, ubi hoc habet consuetudo. Siquidem in multis locis consueverunt parochiani, præsertim diebus dominicis et aliis præcipuis festis, facere ejusmodi oblationes, juxta can. *Omnis Christianus*, de Consec., dist. 1, atqui fideles tenentur, possuntque cogi ad observandas laudabiles consuetudines, c. *Ad apostolicam*, de Simon., et ampliùs de oblationibus ostendit Hostiensis, in Summâ, tit. de Parochis, § *In tertiâ*. Et quidem hisce casibus adhuc oblatio remanet quodammodò voluntaria, saltem quoad quantitatem, vel speciem rei oblatæ.

Additio.

* Plura de oblationibus valdè practica invenies in Jure Canonico, lib. 3 Decret., tit. 30, § 9, præsertim n. 190 et seq., ubi inter alia reperies, oblationes singulas intra limites alicujus parochiæ factas ex communissimâ doctorum sententiâ, repetitis decisionibus Rotæ firmatâ, de jure ordinario pertinere ad parochum loci, nisi consuetudo, privilegium speciale, vel intentio dantium aliter doceat; prout de facto teste eodem vi consuetudinis et juxta intentionem dantium, oblationes alicui neomystæ ad primitias factæ pertinent ad celebrantem, etsi de jure alias omnes oblationes, ad altare quodcumque intra limites parochiæ in loco non exempto contingentes spectent ad parochum. Item oblationes quæ fiunt ad imagines beneficiis, aut miraculis, seu famâ celebres, pertinent ad ipsam ecclesiam, vel sacellum, ubi existunt, pro fabricâ, vel ornatu ecclesiæ, præsertim ipsius imaginis, seu statuæ famâ, beneficiis, vel etiam miraculis celebris. Idem dic de cippis, mensis vel capsulis in Ecclesiâ vel pro reparatione, vel ad alium certum finem expositis. Item in ecclesiis regularium oblationes applicari debent in eorum utilitatem : *Cùm monachis ibi servientibus debeat proficere, quidquid à fidelibus offerri contingerit*, cap. 1, de Statu monachorum, ubi tamen (nisi forsan istæ consistant in meris consumptibilibus, puta in oblatione panis, ovorum, butyri, etc.) prudenter quoque ac conformiter intentioni offerentium, attendendum ad ornatum majorem statuæ aut imaginis alicujus, famâ, beneficiis, aut etiam miraculis claræ, atque respiciendum similiter ad majorem statui conformem splendorem sacelli, aut altaris, ubi forsan hæc statua vel imago existit, uti rectè advertit Pichler, lib. 3 Jurisprudentiæ, tit. 30, n. 19. *

QUÆSTIO II.

Quo jure et ex quibus rebus solvendæ sint decimæ? Ubi etiam quotuplices sint decimæ.

14. Conclusio prima. Decimæ secundùm substantiam spectatæ, quatenùs videlicet sunt necessarium stipendium ministrorum Ecclesiæ, ad ipsorum sustentationem requisitum, debentur ipsis jure naturali ac divino : quatenùs verò spectantur secundùm quotam, sive determinationem suam (id est, quòd debeat dari ipsamet pars decima fructuum) tempore legis Mo-

saicæ debebantur jure divino positivo, tempore verò legis evangelicæ jure duntaxat ecclesiastico, licèt antiquissimo, utpote ab Apostolis derivato. Ita doctor Angelicus, 2-2, quæst. 87, art. 1, et alii passim, paucis exceptis. Ratio primæ partis desumitur ex citat. verbis Christi Matth. 10, *Dignus est operarius cibo suo*, cum concordantiis. Altera verò pars, loquens de lege Mosaicâ, patet ex c. 27 Levit., et aliis pluribus locis.

15. Tandem ultima pars, seu quod in lege evangelicâ debeantur decimæ secundùm quotam spectatæ jure ecclesiastico, patet tum ex plurimis textibus juris canonici jam allegatis, vel in progressu allegandis; tum ex eo, quia, si decimæ simpliciter essent juris divini, non posset earum obligatio tolli per privilegium summi Pontificis, aut contrariam consuetudinem; atqui hoc fieri posse patebit ex dicendis q. 4.

16. Nec dicas: In jure canonico, c. *Parochianos*, de Decimis, expressè dicitur: *Decimæ non ab homine, sed ab ipso Deo sunt institutæ;* juncto c. *Tua*, eod., ibi: *Decimæ divinâ constitutione debentur;* ergo non solùm jure ecclesiastico. Resp. enim hujusmodi auctoritates vel accipiendas esse de decimis secundùm suam substantiam spectatis, et quatenùs sunt necessarium stipendium ministrorum Ecclesiæ; vel dicendum quòd velint decimas jure divino deberi, non directè ac immediatè pro statu legis evangelicæ, sed solùm remotè ac occasionaliter, quatenùs ad imitationem legis divinæ, pro veteri Testamento statutæ, ad necessariam ministrorum Ecclesiæ sustentationem, per constitutionem ecclesiasticam sunt denuò constitutæ.

17. Quòd si dicas: Cæremoniala veteris legis jam sunt evacuata, et de facto illicita observata, c. *Majores*, de Baptismo,— resp. cum doctore Angelico, loco cit., præceptum de solutione decimarum non fuisse cæremoniale, sed partim morale, partim judiciale. Et quatenùs morale, fuit inditum à lege naturali, atque à Christo in lege evangelicâ renovatum, Matth. 10: dignus est operarius cibo suo, cum concordantiis. Quatenùs verò judiciale erat, nempe secundùm quotam, seu quoad determinationem decimæ partis, est renovatum auctoritate Ecclesiæ; sicque illud de facto obligat ex vi novi præcepti ecclesiastici.

18. Concl. II. Spectato jure communi debentur decimæ ex omnibus quæ licitè acquiruntur. Ita habetur c. *Ex transmissâ*, de Decimis, ibi: *Fidelis homo de omnibus quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur*, et alibi. Dicitur, *quæ licitè acquirantur:* nam de acquisitis per furta, simoniam, usuras, opus meretricium ac hujusmodi decimæ non debentur, imò nec possunt recipi, ne clerici censeantur approbare peccatum alterius, ut notat Glossa, ibidem, v. Licitè. Hinc c. *Non est putanda*, 1, q. 1, notanter dicitur: *Honora Dominum de tuis justis laboribus.*

19. Additur autem, *spectato jure communi:* siquidem variis ex causis hæc obligatio solvendi decimas, utpote ex jure ecclesiastico proveniens, tolli potest, et aliquis à præstatione decimarum eximi, vel ex parte, vel etiam in totum; dummodò ministri ecclesiæ aliunde congruam habeant sustentationem, ut puta ex sufficientibus redditibus fundationis ecclesiæ, oblationibus, aut legatis piis.

20. Concl. III. Decimæ dividuntur in prædiales, seu reales, personales et mixtas. Ita communis. Siquidem, quantùm est de jure communi, debentur decimæ de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsâ etiam militiâ, de venatione, et de omnibus bonis, prout his ipsis verbis habetur c. *Non est*, de Decimis, cum concordantiis. Itaque

21. *Decimæ prædiales seu reales* sunt, quæ persolvuntur ex prædiorum aut arborum fructibus, obventionibus molendinorum, vel ædium locatarum, et hujusmodi. *Personales* dicuntur, quæ ex rebus quas quisque sibi industriâ et operâ suâ acquirit, persolvuntur, v. g., ex lucro honestæ negotiationis, venationis, militiæ, etc. Decimæ *mixtæ* vocantur illæ, quæ partim prædiales, partim personales existunt; cujusmodi sunt, quæ debentur ex fructibus pecorum, veluti ex fœtu, lanâ, lacte, etc.

Additio.

* Plures tamen doctores hoc tertium genus decimarum non admittunt, defendentes, decimas quæ ex mero lucro honesto proveniunt, esse personales, reliquas verò omnes meritò dici debere prædiales, prout etiam cap. 20, de Decimis, non fit mentio de aliquâ tertiâ specie decimarum. Videatur in jure Canonico, tit. 30, § 1, n. 4. Estque expeditius pro practicis resolutionibus. *

22. Porrò decimæ prædiales differunt à personalibus, quòd illæ statim atque collectæ sunt, solvi debeant; et quidem integræ, absque deductione sparsi seminis, et impensarum, quæ fieri solent in colendis prædiis vel agris, et colligendis fructibus, etc., arg. c. *Cùm sint homines*, et c. *Tua nobis*, et c. *Pastoralis*, eodem. E contra decimæ personales solvuntur deductis priùs expensis, utpote, cùm residuum duntaxat censeatur esse fructus, seu lucrum, cit. c. *Pastoralis*. Insuper decimæ prædiales sunt solvendæ parocho, in cujus parochiâ fructus crescunt, et colliguntur, quamvis colonus alibi habitet: personales autem solvuntur Ecclesiæ, seu parocho, in cujus parochiâ quis audit divina, et percipit sacramenta ecclesiastica; nisi consuetudine, conventione, aut privilegio aliud fieri oporteat, cit. c. *Cùm sint homines*, de Decimis.

Additio.

* Cæteroquin decimæ prædiales adhuc subdividuntur in majores ac minores. Majores sunt quæ solvuntus ex frumento quocumque sive hirsuto, seu siliquas spinosas habente (quale est hordeum et avena) sive plano, puta, ex adore et tritico; item decimæ ex vino et oleo, etc. Minores verò censentur carnaticæ, ex pullis, anseribus aliisque ex rebus levioris momenti. Multùmque in hoc (supposito quòd decimæ majores ad unum, et minores ad alterum pertineant) debet attendi consuetudo locorum. In Jure Bavarico, tit. 28, art. 12, ad

decimas majores præter omne frumentum spectant ciceres, panicum, fabæ et lentes : ad minores verò olera, rapæ, linum, canabis, milium, brassica; item decimæ ex fructibus arborum et animalium, etc. *

QUÆSTIO III.

Quibus solvendæ sint decimæ?

23. Quæstio præsens procedit præcipuè pro moderno statu, quo facta supponitur divisio bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes ipsarumque distinctio parochiarum : nam antea decimæ debebantur Ecclesiæ, sive cœtui clericorum in communi; et præstabantur episcopis cujuslibet diœcesis, qui eas partim per diaconos, etc., inter pauperes tanquàm patres pauperum, partim inter clerum et ministros suæ Ecclesiæ, pro cujuslibet meritis et necessitate, justè fideliterque distribuere tenebantur, arg. c. *Episcopus*, et c. *Præcipimus*, 12, q. 1, juncto c. *Decimas*, 16, q. 7, cum concordantiis.

24. Siquidem episcopi soli pro illo tempore erant parochi, quibus totius plebis diœcesanæ cura imminebat : cæteri autem presbyteri, veluti ipsorum coadjutores, ad nutum eorumdem episcoporum modò in hâc, modò in illâ parte diœcesis pastorale officium exercebant, arg. can. *In novo*, dist. 21, et notat Barbosa, lib. 3 Juris ecclesiast. univ., cap. 26, § 2, n. 4. Postmodùm verò, factâ illâ redditurum ecclesiasticorum divisione, parochiæ singulæ singulis presbyteris fuerunt constitutæ, singulisque parochiis propria territoria per suos terminos assignata, in quibus cuilibet presbytero tota suæ parochiæ cura remaneret, prout habetur c. *Ecclesias*, 13, q. 1. Et de hoc tempore, sive post divisionem bonorum ecclesiasticorum et parochiarum distinctionem loquendo, sit

25. Conclusio prima. De jure communi decimæ prædiales spectant ad ecclesiam parochialem, suntque persolvendæ rectoribus illarum ecclesiarum parochialium, intra quarum fines prædia illa sita sunt. Ita communis, et habetur c. *Cùm contingat*, de Decimis, ibi : *Cùm perceptio decimarum ad parochiales ecclesias de jure communi pertineat.* Concordat textus c. *Cùm in tua*, eod. ; ibi : *Alioquin parochialibus ecclesiis exsolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio decimarum.*

26. Et hoc adeò verum est, ut parochus loci in quo prædia sita sunt, habeat pro se fundatam in jure intentionem super omnibus decimis intra limites suæ parochiæ existentibus; ita ut præsumatur decimas ad ipsum pertinere, nisi adversarius, quicumque ille sit, oppositum ostenderit, arg. c. *A nobis*, eod. Proinde propter istam juris assistentiam parochus non tenetur aliter probare, decimas sibi competere, sed contrarium asserenti incumbit onus probandi, cùm contra hunc militet juris præsumptio, arg. cap. 1, de Præscript., in 6, ac notat Barbosa, loco cit., cap. 26, § 2, n. 8, cum aliis.

Additio prima.

Quinimò parocho loci illius, in quo sita sunt prædia; in tantum jus commune quoad decimas assistit, ut posito etiam quòd alius positivè probaret, sibi potiùs quàm præfato parocho jure antiquo competere jus percipiendi decimas generaliter circa hos vel illos fructus, hoc non obstante adhùc parochus ille, insistendo juri communi, possit prætendere decimas integras ex novalibus, saltem propriè talibus, c. 66, § fin., et c. 29, de Decimis, nisi alter aliunde clarè ostendat, decimas etiam novalium in specie, ac particulari ad se pertinere. Dicitur notanter, *ex novalibus saltem propriè talibus;* ubi advertendum, novalia propriè talia juxta SS. canones dici illas terras nunc cultas, quæ antecedenter ultra memoriam hominum vel omninò incultæ jacebant, cap. 21, de Verb. significat., vel eos solummodò proferebant fructus, qui ab immemoriali tempore non erant decimabiles, arg. leg. fin., § 2, ff. de Termino moto. E contra verò novalia impropriè talia appellantur terræ antea quidem intra tempus immemoriale jam cultæ et quidem fructibus decimalibus, aliis tamen quàm modernis, e. g., si ex pomario fiat ager, vel ex agro vinea, vel ubi nunc seritur avena, antea verò siligo, etc. De his ultimis statim recurret quæsitum distinctum. Quo autem ad novalia propriè dicta in Bavariâ, ubi scribo, illud singulare legitur, quòd decimæ novalium propriè talium primo triennio semper spectent ad parochum, reliquo verò tempore ad illum qui alias decimas ejusdem sortis colligit, de quo videatur Schmid, in commentario in jus Bavaricum, loco citato. *

Additio II.

* Quæres 1° ad quem pertineant decimæ quoad novalia impropriè talia.— R. præsentem quidem auctorem, lib. 3 Decret., tit. 30, n. 47, absolutè decidere taliter : *Si novalia impropriè dicta fiunt ex fundis de quibus antea solvebantur decimæ, debentur de his illi qui priùs decimas de fundo isto percipiebat, sive parochus sit, sive alius, cui ex privilegio, v. g., decimæ competunt.* Ita ille. Ego autem in triplici controversiâ canonicâ de decimis, editâ Frisingæ anno 1736, fusiùs probare conatus sum, insistendo juri communi attendi debere in simili casu, utrùm ab alio extraneo extra parochum illud jus decimandi obtentum fuerit in ordine ad fundos *determinatos* non respiciendo *ad certum genus frumenti*, vel an potiùs in ordine ad *certum genus frumenti*, non respiciendo *certos et determinatos aliquos fundos?* In priori casu convenio cum præsente auctore, in posteriori autem puto, decimas, quoad novum genus seminati frumenti spectare potiùs ad eum qui antea habuit jus colligendi decimas de hoc ipso genere frumenti, quamvis præcedenter in dictis agris non collegerit easdem pro eo tempore, quo ibidem ferebatur frumentum alterius generis. Et ita videtur mecum sentire R. P. Pichler in Candidato jurisprudentiæ abbreviato, lib. 3, tit. 30, n. 7, dùm hæc ponit formalia : *Ponamus in aliquâ parochiâ decimas majores (NB.) indistinctè ad aliquod hospitale pertinere, manere autem, puta olera, rapas, linum*, etc., *ad parochum. Hoc casu, si in agro, in quo priùs seminari solebant certæ species fructuum ad majores decimas pectantes, decimæ ex his collectæ debentur parocho.*

Deinde ponamus (alium nimirùm casum) *quòd* (*NB.*) *ex certis et determinatis fundis, ex hortis, v. g., provenientes decimæ spectent ad parochum, ex aliis autem* (*NB.*) *determinatis fundis, v. g., ex campis seu agris provenientes ad hospitale; in hoc casu quodcumque genus fructuum* (*NB.*) *mutatâ etiam culturâ pristinâ crescit in hortis, ad decimæ parochum, et quodcumque crescit in campis, ad hospitale pertinent.* Taliter explicatam assertionem ait teneri à communi, videturque idem sentire illustr. cancellarius de Schmid in Commentariis, ad tit. 28, art. 11, n. 9. Quid cæteroquin circa hoc punctum Jus Bavaricum quoad suos decimatores statuat, vide ibidem. *

Additio III.

Quæres 2° ad quemnam parochum pertineant decimæ carnaticæ.—Resp. nisi alicubi sint speciales locorum legitimæ consuetudines, communiter et ordinariè loquendo hæ decimæ pertinent ad parochum, intra cujus parochiæ limites pascuntur, seu aluntur animalia, ex quorum fœturâ decimæ porriguntur. Et hinc, si pecora diversis anni temporibus pascantur, seu alantur in diversis et distinctis ab invicem parochiis, pariter decimæ pro ratâ temporis sunt dividendæ; puta, si tempore hyemali fœno, e. g., paleis et stramine alantur in unâ parochiâ, et tempore æstivali ducantur ad pascua sita in alterâ parochiâ. Ita deducitur argum. cap. 4, de Decimis, ubi præsupponitur ex pascuis solvi decimas; ac præter plures doctores tenet S. Thomas, 2-2, quæst. 87, art. 3, ad 2. Videatur Melchior Friderich, tract. de Decimis apud me, cap. 4, q. 1, n. 377 et seq., qui pariter notabilem casum ponit tempore belli, si ibidem pecora ob metum hostium aliquo notabili tempore transferantur ad pascua alterius parochiæ securioris ab hostium invasione. Illud adhùc notanter addit illustriss. D. cancellarius intimus de Schmid, in jure Bavarico, tit. 28, art. 16, n. 6; decimas carnaticas, ubi in usu sunt, solvi debere, quando fœtus jam est maturus, id est, quo fœtus quadrupedum non ampliùs lacte, et bipedum non ampliùs alis matrum indigent; nam omnium fructuum hæc natura est, inquit Joannes Andreas apud dictum auctorem, ut in decimationem veniant, quando ad usum sunt idonei: ad quid enim aliàs prodessent decimatori immaturi fœtus, et pulli implumes? Nunc à parochis pergendo ad episcopos sit *

27. Concl. II. Quamvis post factam parochiarum divisionem tanta circa perceptionem decimarum competat parocho assistentia juris et favor, exinde tamen non excluditur episcopus loci à perceptione decimarum prædialium. Nam inprimis spectato jure communi debetur ei, tanquàm superiori et ordinario omnium fidelium suæ diœcesis pastori, quarta pars decimarum totius episcopatûs, prout liquet ex c. *Conquerente*, de Offic. jud. ordinarii, ubi pontifex inter jura episcopalia recenset *quartam decimationem*, juncto c. *De quartâ*, de Præscript., et concordantiis. Hinc Fagnanus, c. *Cùm contingat*, num. 13, de Decimis, cum aliis notat quòd episcopus super quartam decimarum habeat intentionem fundatam.

28. Deinde, quando decimæ non sunt in certâ parochiâ (veluti, si prædia sint multùm distantia, et non inclusa in limitibus alicujus parochiæ; vel si novalia fiant in nemoribus remotis, et extra limites ecclesiarum parochialium) tunc episcopus fundat intentionem super eas, adeò ut *ipsas secundùm discretionem à Deo sibi datam, alii ecclesiæ deputare, vel ad opus suum poterit retinere*, prout habetur c. *Quoniam*, de Decimis. Notat tamen ibidem Abbas, quòd, si certum sit ejusmodi prædia vel novalia includi in aliquâ vicinarum parochiarum, sed ignoretur quænam illa sit, tunc decimæ non debeantur episcopo, sed sint dividendæ inter illas parochias.

29. Additur notanter n. 27, *spectato jure communi*. Nam per hactenùs dicta non negatur quin aliquo jure speciali possit episcopus tale jus amittere: ut puta si appareat de contrariâ consuetudine; illa enim servari debet, cùm in transferendo jus decimarum ab unâ ecclesiâ in aliam, plurimùm valeat consuetudo. Idem erit si constet de compositione, vel appareat de quodam privilegio, aut intervenerit præscriptio specialis. Fagnanus, ibidem, num. 18 et 19.

30. Concl. III. Laicis merè secularibus nullo modo competit, seu concedi potest jus decimarum, quatenùs spirituale est; adeòque nec ipsæ decimæ, prout sunt fructus ecclesiastici. Ita Pirhing, de Decimis, num. 135, et communis aliorum. Patet hoc ex c. *Decimas quas in usum*, 16, q. 7, ubi laici decimas possidere prohibentur, et oppositum facientes dicuntur *sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere*. Idem desumitur ex c. *Ad hæc*, et c. *Quamvis*, de Decimis, cum concordantiis. Ratio etiam est quiâ laici non possunt possidere spiritualia, multò minùs spiritualia officia ministrare fidelibus.

31. Additur verò, *Laicis merè secularibus*, sive, ut loquitur Pontifex in cit. c. *Quamvis*, eod., *laicis in seculo remanentibus*: siquidem laici conversi, etsi nullo clericali ordine sint insigniti, capaces sunt juris spiritualis; quia non sunt meri laici, sed inter religiosos numerantur, propter tria vota substantialia religionis ab ipsis edita, ideòque clericorum juribus et privilegiis gaudent: cujusmodi sunt hospitalarii, professi ordinum militarium, equites Melitenses et Teutonici ordinis, arg. c. *Cùm et plantare*, de Privilegiis, unde talibus possunt concedi ecclesiæ et decimæ, argumento à contrario desumpto, cùm non sint *laici in seculo remanentes*: ita tamen, ut tales religiosi laici non per seipsos (hoc enim defectu ordinis exsequi nequeunt), sed per clericos idoneos ecclesias regant et administrent, Abbas c. *Quamvis*, n. 3, de Decimis, et alii.

32. Concl. IV. Nihilominùs potest laicis concedi et competere jus percipiendi fructus decimarum, quatenùs intelligitur abstractum à titulo et jure spirituali, et quid temporale existit, videlicet jus præcisè percipiendi decimam partem fructuum. Ubi notandum quòd jus percipiendi fructus decimales non sit res spiritualis intrinsecè loquendo, sicut sunt tales gratiæ

et virtutes per se infusæ, sed potiùs extrinsecè, quatenùs nimirùm jus illud auctoritate ecclesiasticâ cum aliquo titulo seu officio spirituali, e. g., cum obligatione administrandi sacramenta connectitur. Unde, quando auctoritate Papæ aliquando connexio hæc iterùm tollitur, nec etiam jus illud percipiendi fructus decimales ampliùs spirituale censetur, et consequenter factâ priùs tali separatione poterit id laicis concedi.

33. Similiter possunt hisce justo interveniente contractu concedi ipsimet fructus decimales. Ita Glossa, c. *Quamvis*, v. *Concesserit*, de Decimis; Zoesius, eod. n. 45; Pirhing, n. 138, ac alii. Ratio est quia ipsimet fructus decimarum non sunt res spiritualis, sed temporalis. Hincque etiam juxta c. *Vestra*, de locato, possunt dari ad fermam (hoc est, pro censu annuo aliis concedi), et liberè locari, dummodò hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem perpetuam non extendatur. Et talis locatio, quin et venditio fructuum decimalium ad unum vel plures annos, passim fit; nam decimæ sic spectatæ sunt quid merè temporale.

34. Quinimò, ante concilium Lateranense sub Alexandro III, 1179 celebratum, potuit non solùm per Papam, sed etiam per ipsos episcopos laicis dari perpetuò in feudum ipsum jus utile percipiendi decimas, remanente jure directo penes ecclesiam, ut laici propter hanc liberalitatem ipsas ecclesias ab hæreticis ac aliis oppressoribus defenderent. Et quamvis hæc potestas in dicto concilio episcopis adempta fuerit, tamen decimæ priùs perpetuò laicis in feudum concessæ penes vassallos laicos remanserunt; arg. c. *Cum Apostolicâ*, de his quæ fiunt à prælato, etc., et c. *Statuto*, § *Sanè*, de Decimis, in 6.

QUÆSTIO IV.

Quibus modis eximatur quis à præstatione decimarum.

35. Conclusio prima. Variis modis accidere potest ut quis eximatur à præstatione decimarum videlicet privilegio, consuetudine, præscriptione legitimâ, compositione, remissione, imò et ob gravem paupertatem eorum qui solutis decimis non habent necessaria ad se suosque alendos. Ita doctores passim; atque desumitur ex diversis textibus juris, mox sigillatim referendis; unde sit

36. Concl. II. A præstatione decimarum potest quis eximi privilegio, non quidem alicujus prineipis territorialis laici, aut episcopi loci, sed privilegio summi Pontificis. Ita Vallensis, tit. de Decimis, § 8, et alii. Prima pars habetur c. *Tua porrò*, et c. *Dudùm*, de Decimis, ubi dicitur neque imperiali, neque regali concessione quempiam à solutione decimarum eximi posse, utpote quæ divinâ constitutione debentur, et sunt tributa egentium animarum. Altera pars ex eo patet, quia episcopus nequit dispensare in jure communi: nam *lex superioris per inferiorem tolli non potest*, Clem. *Ne Romani*, de Elect. Verùm privilegio pontificio id fieri posse patet ex c. *Suggestum*, etc. *Ex parte*, et seqq., de Decimis, ubi plura hujusmodi privilegia Cisterciensibus aliisque concessa referuntur. Videri poterit desuper Barbosa, de Offic. et Potest. parochi, part. 3, art. 3, cap 28, §. 3 n. 20 et seqq., ac in Jure canon., lib. 3 Decret. tit. 30, § 4, n. 62, et seqq.

37. Concl. III. Per consuetudinem alicubi legitimè introductam similiter potest induci exemptio à præstatione quarumdam decimarum, dummodò adhuc ex aliis decimis vel redditibus, tantùm supersit, quòd sufficiat justæ sacerdotum sustentationi. Ita Covarruvias, lib. 1, var. Resolut., cap. 17, n. 8, et alii. Ratio est quia decimæ solo jure ecclesiastico debentur clericis secundùm quotam; sed secundùm substantiam, sive ut sunt necessarium stipendium ministrorum ecclesiæ, debentur jure naturali et divino; atqui huic juri nequit derogari per contrariam consuetudinem, benè tamen priori, cap. ult. de Consuetud.; ergo.

38. Hinc valet consuetudo, ut ex fœno aut ex quibusdam fructibus vel bonis, præsertim minutis, v. g., oleribus, fabis, rapis, et similibus, alicui non solvantur decimæ, aut saltem non integræ; ideòque jura dicentia quòd decimæ sint solvendæ integræ, intelligenda sunt de integritate solvi solitâ. Similiter valet consuetudo ut clerici nullas solvant decimas, aut laici non solvant personales; quinimò decimas personales, seu ex lucro industriæ, hâc ætate nostrâ fermè in toto orbe christiano de consuetudine legitimè præscriptâ non solvi, notat Navarrus, c. 21 Manual., n. 31, usumque in hâc decimarum materiâ valdè variari, ita tamen ut adhuc clericis supersit honesta sustentatio, passim observant doctores.

39. Concl. IV. Insuper præscriptione ritè absolutâ poterit immunitas à solvendis decimis obtineri per privatas seu particulares personas, sive ecclesiasticas, sive laicales. Ita Covarruvias, loco cit., n. 10; Pirhing, tit. de Decimis, n. 129, et alii. Ratio est quia, ut dictum, decimæ debentur jure duntaxat ecclesiastico; ergo nihil obstat quin per contrarium usum legitimè præscriptum abrogari possint, et sic immunitas ab eisdem solvendis præscribi; dummodò aliunde habeant ecclesiæ ministri congruam sustentationem.

40. Nec dicas: Laicus non potest præscribere jus percipiendi decimas; ergo neque jus retinendi decimas, id est, immunitatem ab eis solvendis. — Resp. enim negando consequentiam et paritatem, quia jus percipiendi decimas propter aliquod officium spirituale est etiam ipsummet spirituale, cujus laicus est incapax; jus autem immunitatis seu exemptionis à decimis solvendis non est spirituale; hoc etenim tantùm est quædam libertas et commoditas temporalis integrè percipiendi fructus suos, et in nullo titulo spirituali fundatur ac radicatur.

41. Cæterùm immunitas à solvendis decimis bonâ fide et cum titulo præscribitur spatio quadraginta annorum; sine titulo autem contra parochos tempore duntaxat immemoriali, prout notant citati auctores. Et hoc desumitur ex cap. 1 de Præscript., in 6, ubi generaliter decernitur quòd, quando jus commune re-

sistit præscribenti vel habetur præsumptio contra ipsum, non sufficiat bona fides, sed insuper requiratur titulus, qui possessori causam tribuat possidendi, nisi allegetur, probeturque præscriptio temporis immemorialis ; atqui jus commune resistit præscribenti immunitatem à solvendis decimis; ergo. Accedit ratio, quia *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, juxta reg. 2 Juris, in 6 ; atqui possidens immunitatem solvendi decimas (cùm huic jus commune resistat, cujus ignorantia non excusat) præsumitur habere malam fidem , nisi alleget titulum saltem coloratum, qui det justam causam possidendi, sicque bonam fidem ex parte possessoris inducat, vel nisi probet possessionem temporis immemorialis, quæ est instar tituli, imò quâ non potest allegari melior titulus de toto mundo ; ergo.

42. Concl. V. Compositione ac remissione potest etiam cuipiam competere immunitas à solvendis decimis. Ita Vallensis, tit. de Decimis, § 8, n. 5, cum communi. Idque desumitur ex c. *Ex multiplici*, de Decimis, juncto c. *Statuimus*, de Transaction., ubi ejusmodi compositio facta approbatur. Idem de remissione liquet ex c. *Quia circa*, de Privilegiis, ubi pariter quarumdam decimarum facta remissio per Papam comprobatur.

43. Concl. VI. Tandem gravis paupertas , sive tanta ut solutis decimis quis non habeat necessaria ad se suosque sustentandos, excusat interim à solutione decimarum, donec melior fortuna advenerit. Ita Layman, lib.4, tract. 6, cap. 2, n. 8; Abbas, Suarez, et alii. Ratio est quia, ob necessitatem tam gravem, generaliter potest differri solutio debiti. Quinimò , si quis tempore decimarum solvendarum fuerit constitutus in extremâ necessitate , prorsùs liberatur obligatione eas persolvendi, cùm tunc omnia sint communia, et sic ipse consumpserit quod suum erat. Verùm, qui gravem solùm necessitatem patitur, is liberatur non simpliciter, sed donec melior fortuna aspiret. Plura adhuc de decimis in emergentiâ alicujus casûs videri poterunt in Jure canonico, lib. 3 Decret., tit. 30.

DE JUSTA BONORUM TEMPORALIUM AB ECCLESIA POSSESSIONE Dissertatio.

AUCTORE NATALI ALEXANDRO (1).

Bona temporalia ab Ecclesiâ virisque ecclesiasticis possessa fuisse, non mobilia solùm, sed immobilia, id est, agros, vineas, domos , urbes , provincias , comitatus, ducatus, principatus , ex oblatione fidelium , ex piis morientium legatis, ex munificentiâ principum, Historiæ ecclesiasticæ monumenta testantur. Justè hujusmodi bona possedisse ex eo probatur, quòd nullis Christi , Apostolorum , vel conciliorum mandatis aut decretis id viris ecclesiasticis prohibitum sit; nec ullo voto possessionum juri ministros suos renuntiare jusserit Ecclesia : imò innumeros canones conciliorum , decreta pontificum, documenta patrum legamus de bonorum ecclesiasticorum administratione, dispensatione, divisione : nec citra insaniam dici possit Ecclesiam, sanctosque episcopos qui ipsam rexerunt, viros sanctos, religiosissimos principes qui ipsam ditârunt, in errorem lapsos, ac injustitiæ vel usurpationis reos fuisse. *Constantinus* imperator omnia quæ persecutorum furor Ecclesiæ ripuerat, restitui jussit : *Omnia*, inquit , *quæ ad Ecclesias rectè visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcumque alia, restitui jubemus.* Refert Eusebius, lib. 11 de Vitâ Constantini, cap. 39. Idem imperator lege latâ sanxit, ut cuique liceret quod vellet bonorum suorum testamento ad Ecclesiam transmittere; Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis , l. 1, cujus hæc sunt verba : *Habeat unusquisque licentiam Sanctissimo, catholico, venerabilique concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere, et non sint cassa judicia ejus.*

S. Gregorius Nazianzenus, epist. 80, quâ duos fratres adhortatur ad supremam voluntatem matris implendam , quæ pecuniam non modicam Ecclesiæ reliquerat, ita ipsos compellat : « Cogitate complures « exstitisse , qui totas etiam domos Ecclesiis addici « passi sunt; non etiam defuisse qui suâpte sponte « facultates suas omnes obtulerint, ac pulcherrimum « quæstum fecerint, hoc est, propter futuræ vitæ « opes inopiam amplexi sint. » Idem in Testamento, quod Leunclavius in Jure orientali edidit, omnia bona sua ecclesiæ Nazianzenæ se donâsse declarat : « Omnia mea bona consecravi ecclesiæ catholicæ « quæ Nazianzi est, ad ministerium usumque paupe- « rum. » De S. Ambrosio scribit Paulinus in ejus Vitâ : « Tempore quo episcopus ordinatus est omne « aurum atque argentum, quod habere poterat, Ec- « clesiæ vel pauperibus contulit. Prædia etiam quæ « habebat, reservato usufructu germanæ suæ, dona- « vit Ecclesiæ : nihil sibi, quod hic suum diceret,

(1) Vide Natalis Alexandri vitam, vol. 6 *Cursûs compl. Theologiæ*, col. 9-10, ad *Symbolum*.

« derelinquens, ut nudus atque expeditus miles Chri-
« sti Dominum suum sequeretur.

Bona Nestorii hæresiarchæ exilio damnati ecclesiæ Constantinopolitanæ Theodosius imperator addixit. Ejus eâ de re litteræ ad Isidorum præfectum prætorio habentur 3, p. concilii Ephesini, cap. 15. « Tua « proinde celebris auctoritas, inquit, hac Pragmaticâ « sanctione prædictum Nestorium ob admissam im-« pietatem in perpetuum deportari jubeat exilium; « omniaque bona illius ecclesiæ Constantinopolitanæ « addicat; quo augustissimi illius loci opes, cujus ille « sacra mysteria nuper prodidit, auctiores evadant. »

De S. Augustino scribit Possidius in ejus Vitâ: « Domum vel agrum seu villam nunquàm emere vo-« luit, verùm si fortè Ecclesiæ à quoquam tale ali-« quid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, « non respuebat, sed recipi jubebat. Nam et aliquas « eum hæreditates recusâsse novimus, non quia pau-« peribus inutiles esse possent, sed quoniam justum « et æquum esse videbat, ut à mortuorum vel filiis, « vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, « quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt. »

S. ipse Augustinus, serm. 49 de Diversis, qui primus est de communi Vitâ clericorum suorum, Ecclesiam oblationes fundorum suscipere testatur, et bona immobilia habere, unde clericis victum in societate subministret. « Quid sum, inquit, facturus eis qui « dicunt: Ecce quare nemo donat ecclesiæ Hippo-« nensi aliquid, ecce quare non eam faciunt, qui « moriuntur, hæredem? quia episcopus Augustinus de « bonitate suâ (laudando enim mordent, labiis mul-« cent, dentem figunt) donat totum, non suscipit. « Planè suscipio, profiteor me suscipere oblationes, « oblationes sanctas. Si quis autem irascitur filio suo, « et moriens exhæredat eum; si viveret, non eum « placarem? Non ei filium suum reconciliare debe-« rem? Quomodò ergo cum filio suo volo ut habeat « pacem, cujus appeto hæreditatem? Sed planè si fa-« ciat quod sæpè hortatus sum; unum filium habet, « putet Christum alterum; duos habet, putet Christum « tertium; decem habet, Christum undecimum fa-« ciat, et suscipio... Considerent quàm multa susce-« perim: quid opus est ea numerare? Filii Juniani « hæreditatem suscepi. Quare? Quia sine filiis defun-« ctus est. » Et infra: « Sanè hoc noverit charitas « vestra dixisse me fratribus meis qui mecum ma-« nent, ut quicumque habet aliquid, aut vendat et « eroget, aut donet et commune illud faciat. Eccle-« siam habet per quam Deus nos pascit. » Et infra: « Scio quomodò homines ament clericatum, nemini « eum tollo nolenti mecum communiter vivere; sed « habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus « est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere « debet aliquid proprium, sed aut erogare pauperi-« bus, aut in commune mittere, ut maneat mecum. » Legatur et sermo secundus ejusdem argumenti.

S. Cyrillum Alexandrinum episcopum successori suo multa testamento reliquisse testatur Athanasius Alexandrinus Presbyter, ejus ex sorore nepos, in libello supplici Patribus concilii Chalcedonensis oblato, actione 3. *Hic*, inquit, *moriturus testamentum condens, honoravit eum quicumque post eum ordinatus fuisset archiepiscopus, plurimis et magnis legatis de propriâ suâ substantiâ.*

Theodosius Junior lege latâ edixit ut si quis episcopus, aut Presbyter, vel ordinum inferiorum clericus intestatus decessisset absque liberis vel cognatis, bonorum ipsius hæres esset ecclesia cui fuerat destinatus; cod. Theod., lib. 5, tit. 3, cod. 1, et c. Justin, lib. 1, c. 20.

Julianus Pomerius, lib. 2 de Vitâ contemplativâ, cap. 9, sacerdotes facultatum Ecclesiæ dispensatores esse docet, nec eas esse contemnendas, sed fideliter administrandas. « Expedit facultates Ecclesiæ possi-« deri, et amore perfectionis proprias contemni. Non « enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facul-« tates; et ideò quisquis omnibus quæ habuit dimis-« sis aut venditis fit rei suæ contemptor, cùm præpo-« situs factus fuerit Ecclesiæ, omnium quæ habet « Ecclesia, efficitur dispensator. S. Paulinus ingentia « prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erо-« gavit; sed cùm postea factus esset episcopus, non « contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dis-« pensavit. Quo facto satis ostendit, et propria de-« bere propter perfectionem contemni, et impedi-« mento perfectionis posse quæ sunt communia « Ecclesiæ possideri. Quid S. Hilarius? Nonne et ipse « omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut vendita « pauperibus erogavit? Is tamen cùm merito perfe-« ctionis suæ fieret Arelatensis episcopus, quod illa « tunc habeat Ecclesia non solùm possedit, sed etiam « acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliavit. « Isti ergo tam sancti, tam perfecti pontifices factis « evidentibus clamant, posse et debere fieri quod fe-« cerunt... Tales ac tanti viri, non ut possessores, « sed ut procuratores, facultates Ecclesiæ posside-« bant. Et idcircò scientes nihil aliud esse res Eccle-« siæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patri-« monia pauperum, non eas vindicaverunt in usus « suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus « diviserunt. Hoc est enim possidendo contemnere, « non sibi, sed aliis possidere, nec habendi cupiditate « Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subve-« niendi suscipere. Quod habet Ecclesia cum omni-« bus, nihil habentibus habet commune. » Alia prætereo SS. Patrum loca, ne in re non adeò necessariâ immorer.

Objiciebat Wieleffus verba Domini ad Aaron, Numerorum 18: *In terrâ eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis... Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi...* Item verba Domini c. 18 Deuter... *Non habebunt sacerdotes et Levitæ, et omnes qui de eâdem tribu sunt, partem et hæreditatem*

cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini, et oblationes ejus comedent; et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum; Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. Et Ezechiel 44 : *Non erit eis hæreditas. Ego hæreditas eorum, et possessionem non dabitis eis in Israel. Ego enim possessio eorum. Victimam et pro peccato ipsi comedent; et omne votum in Israel ipsorum erit.*

Respondetur cum Thomâ Waldensi, sensum divini illius mandati esse quòd sacerdotes et Levitæ veteris Legis, quos solos spectat (cæremoniale namque præceptum est, cum lege abolitum, nec ad evangelicos sacerdotes ullatenùs pertinens) hæreditatem inter vulgus ignobile habere non debeant quia ipse Dominus hæreditas eorum; et quæ Domino debentur, ipsis sunt ab illo attributa. Vulgi scilicet hæreditas in singulas portiones præcisa erat, et quæque tribus ab alterius erat finibus exclusa; sed sacerdotalis hæreditas communicabat cum omnibus, sicut uxores ex omnibus tribubus assumebant. Ideò ait Dominus : *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel;* id est, in communi omnis tribus partem dans et possessionem in omnibus, ut sicut sum communis omnium Dominus, et Levitæ mei communes ministri omnibus vobis in his quæ religionis sunt et sacrificiorum; ita et hæreditas mea et possessio Levitarum cum omnibus tribubus communicet, ut faciliùs omnes legem ac præcepta mea doceant, cultumque apud vos meum circumquàque promoveant. Et ad hanc formam hodiè possessiones suas habet Ecclesia in omnibus regnis; cùm tamen regnum quodvis propriis finibus circumscribatur, aliudque excludat. Sic ergo non habebant Levitæ partem inter alios, nec hæreditatem cum reliquo populo Israel; habebant enim communiter cum singulis quod reliquus populus non habebat. Sanè Levitas et sacerdotes urbes, pascua et agros possedisse, ex aliis Scripturæ S. locis compertum est, Numerorum 35 : *Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum : ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis.* Josue 21 : *Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, et Josue filium Nun, et ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel; locutique sunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt : Dominus præcepit per manum Moysi ut dareniur nobis urbes ad habitandum et suburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis, juxta imperium Domini, civitates et suburbana earum.* Et infra : *Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.* Levit. ult. *Si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, et possidebit eum. Sin autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat, redimere non poterit : quia cùm Jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, et possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum.* 3 Regum 2, Abiathar sacerdoti dixit Salomon rex : *Vade in Anathot ad agrum tuum.* Jeremias erat ex genere sacerdotali et tamen bona immobilia possedit. Cap. 32 : *Venit ad me Hanumeel filius patrui mei, secundùm verbum Domini, et ait ad me : Posside agrum meum qui est in Anathot in terrâ Benjamin; quia tibi competit hæreditas, et tu propinquus es ut possideas. Intellexi autem quòd verbum Domini esset. Et emi agrum.* Actuum 4. *Joseph qui cognominatus est Barnabas ab apostolis Levites, Cyprius genere, cùm haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.* Levitæ igitur bona immobilia possidebant.

Objiciebat Wicleffus verba Christi, Lucæ 14 : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Episcopi ergo, presbyteri et monachi, inquiebat, qui bona aliqua possident, non sunt discipuli Christi.

Respondet Thomas Waldensis, hæresiarcham Vickleffum Scripturam sacram in alienum sensum detorsisse. Joseph ab Arimathiâ fuisse divitem, et nihilominùs discipulum Jesu, Matth. 28. Lazarum et sorores divites fuisse et possessores castelli, et nihilominùs Christum hunc et illas amicitiâ suâ dignatum; Christianos omnes Christi discipulos esse debere, nec tamen ad bonorum abdicationem teneri. Magnum esse discrimen inter renuntiare omnibus, et relinquere omnia, ut docet venerabilis Beda, lib. 14 in Lucam, cap. 9 : « *Paucorum* enim perfectorum est relinquere « omnia, curas mundi postponere, solis desideriis « æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est re- « nuntiare omnibus quæ possident; hoc est, sic te- « nere ea quæ mundi sunt, ut tamen per ea non te- « neantur in mundo; habere rem temporalem in usu, « æternam in desiderio : sic terrena gerere, ut ta- « men totâ mente ad cœlestia tendant.

Objiciebat Wickleffus : Christus jussit Apostolis, ut neque peram, neque panem, neque duas tunicas, neque æs in zonis portarent, cùm profecturi essent ad Evangelium prædicandum; non debere ergo Apostolorum successores prædia aliaque bona immobilia possidere, quorum curis impliciti, ad prædicationis officium minùs expediti sunt.

Respondet Thomas Waldensis : Præceptum istud Christi ad tempus illud pertinere quo messis erat multa, operarii autem pauci; quia orbis pene universus infidelitate tenebatur, exiguus autem erat prædicatorum numerus. Ideò tunc operæ pretium erat ut Apostoli et viri apostolici prædia dimitterent, ut liberiùs possent remotas perlustrare provincias; quæ tamen completâ prædicatione, successores Apostolorum resumere potuerunt. Cujus rei figuram in Moyse cernere est, qui reliquit uxorem, dùm in liberationem populi Israel ex Ægyptiacâ servitute incumbebat; quod ubi præstitit, eamdem resumpsit, populique ducatum retinuit. Ita docet Rabanus in illa verba Exodi 18 : *Cùm audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, et Israeli populo suo, et quòd eduxisset Dominus Israel de Ægypto : tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat.*

Objiciebat Wicleffus verba Christi Matthæi 10 : *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum : sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus ; et servo, sicut dominus ejus.* Cùm ergo Christus sit Magister optimus, omnesque prælati hujus Domini servi, hujus Magistri discipuli esse debeant ; supra Christum in domino seculari extolli non debent.

Respondet Thomas Waldensis : Bonorum temporalium possessionem in clericis ad dominationem non pertinere, sed ad charitatem et ministerium. Unde bonorum ecclesiasticorum dispensatores potiùs quàm Domini à Patribus appellantur. *Quis major est*, ait Christus, *qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* Prælati igitur, ex officio sunt sicut qui ministrant ; clerici verò et pauperes, quibus Ecclesiæ facultates dispensant, qui recumbunt. Unde servos servorum Dei se profitentur summi Pontifices. Lege Thomam Waldensen, lib. 4, tomo 1, art. 3.

Utinam verò prælati omnes et ministri Ecclesiæ eo animo ecclesiastica bona possiderent, et tam illi quàm nos pauperes in hoc mundo, simus *divites in fide, in humilitate, in bonis operibus ; in omnibus divites in Christo, in omni verbo et in omni scientiâ : ut abundemus in divitiis simplicitatis, in charitate, et gratiâ ; et hæredes simus regni, quod repromisit Deus diligentibus se.*

APOLOGETICA PRO JOANNE XXII PONTIFICE MAXIMO

Dissertatio.

(EODEM AUCTORE.)

Duo sunt, præcipuè capita in quibus Joannem XXII, erroris arguunt novatores. Primum, quòd circa paupertatem Christi et Apostolorum, dominiumque vel usum fratrum minorum constitutiones ediderit Nicolai III constitutioni *Exiit qui seminat*, repugnantes ; unde consequens sit alterutrum in fidei dogmate definiendo errâsse. Secundum, quòd sanctorum animas quibus nihil luendum superest, statim atque corporibus solutæ sunt, Deum non videre, nec eo frui, sed earum beatitudinem ad supremum usque judicii diem differri pronuntiaverit atque propugnaverit. Nam in Calvini calumniis nihil moror confutandis, qui Joanni XXII, affinxit, quòd animas esse mortales, unàque cum corporibus usque ad resurrectionem interire docuerit ; et cardinalium neminem tantæ insaniæ se opposuisse. Utrumque caput singillatim discutiemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Joannis XXII, *constitutiones de paupertate Christi et apostolorum, dominioque vel usu fratrum Minorum, in dogmate fidei non sunt contrariæ Nicolai III constitutioni,* EXIIT QUI SEMINAT.

I. Nicolaus III, in constitutione *Exiit qui seminat*, quam in sexto legere est, tit. de Verborum significatione, ubi fratrum Minorum arctissimam paupertatem in eo positam esse declaravit, ut nihil sibi proprium vendicent *tam in speciali, quàm etiam in communi*, hæc subdit de Christi et Apostolorum paupertate : « Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi propter Deum meritoria est et sancta ; quam et Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit et exemplo firmavit ; quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfectè vivere per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivârunt. Nec his quisquam putet obsistere, quòd interdùm dicitur, Christum loculos habuisse : nam sic Jesus Christus, cujus perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdùm infirmorum imperfectionibus condescendens, et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret ; sic infirmorum personam Christus suscepit in locutis. » Et infra de fratrum Minorum arctissimâ paupertate explicatiùs loquens, docere videtur ipsos nullum prorsùs dominium rerum sibi concessarum, sed simplicem usum facti habere. « Verùm, inquit, decens fuit ei professioni, quæ spontè devovit Christum pauperem in tantâ paupertate sectari, omnium abdicare dominium, et rerum sibi concessarum necessario usu fore contentam. Nec per hoc quòd proprietatem usûs et rei cujusque dominium à se abdicâsse videtur simplici usui omnis rei renuntiâsse convincitur : Qui, inquam, usus, non juris, sed facti tantummodò nomen habens, quod facti est tantùm, in utendo præbet utentibus nihil juris. » Et infra : Dominium rerum fratribus Minoribus concessarum Sedi Apostolicæ reservat, ad eamque pertinere declarat : « Ne talium rerum sub incerto videatur esse dominium, cùm patri filius suo modo, servus Domino, et monachus monasterio, res sibi oblatas, concessas, vel donatas acquirant ; omnium utensilium et librorum, ac eorum mobilium præsentium et futurorum, quæ et quorum usumfructum scilicet ordinibus ipsis vel fratribus licet habere, proprietatem et dominium (quod et felicis recordationis Innocentius Papa IV, prædecessor noster, fecisse dignoscitur) in Nos et Romanam Ecclesiam plenè et liberè pertinere, hâc præsenti constitutione in perpetuum valiturâ sancimus. »

II. Joannes verò XXII, in decretali *Ad conditorem*, quæ inter ejus Extravagantes legitur, tit. de Verbo-

rum significatione, simplicem usum facti in rebus concessis fratribus Minoribus convenire negat, jus vero priè dictum ipsis tribuit. Quia « si simplex usus absque jure utendi haberi possit ab aliquo, constat quòd non justus esset actus utendi hujusmodi reputandus; cùm ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi; talis autem usus non justus ad perfectionis statum nequaquàm pertinet, nec perfectioni aliquid adjicit, sed sibi repugnare potiùs ac detrahere noscitur manifestè. » Quamobrem dominium earum rerum Ecclesiæ Romanæ nomine in perpetuum abdicavit, illudque fratribus restituit. « De fratrum nostrorum consilio, hoc edicto in perpetuum valituro, sancimus quòd in bonis quæ in posterum conferentur vel offerentur, aut aliàs quomodolibet obvenire continget fratribus seu ordini supra dictis, exceptis ecclesiis, oratoriis, officinis et habitationibus, ac vasis, libris et vestimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quæ ad ipsos obvenient in futurum, nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis prædictæ seu cujusvis alterius à quocumque prædecessorum nostrorum super hoc specialiter editæ Romanæ Ecclesiæ acquiratur, sed quoad hoc habeantur prorsùs ordinationes hujusmodi pro non factis. »

In alterâ verò constitutione, quæ incipit his verbis : *Cùm inter nonnullos*, quæstionem de paupertate Christi et Apostolorum decretorio judicio sic dirimit : « Cùm inter nonnullos viros scholasticos sæpè contingat in dubium revocari, utrùm pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum ac Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam hæreticum sit censendum, diversa et adversa etiam sentientibus circa illud : Nos huic concertationi finem imponere cupientes assertionem hujusmodi pertinacem, cùm Scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos habuisse nonnulla asserit, contradicat expressè; ipsamque Scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxæ probantur articuli, quoad præmissa fermentum apertè supponat continere mendacii, ac per consequens, quantùm in eâ est, ejus in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, ejus prolationem adimens, dubiam et incertam; deinceps erroneam fore censendam et hæreticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto. Rursùs in posterum pertinaciter affirmare, quòd Redemptori nostro ejusque Apostolis, iis quæ ipsos habuisse Scriptura testatur, nequaquàm jus ipsius utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expressè; cùm talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat in præmissis non justa; quod utique de usu gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacræ Scripturæ contrarium et doctrinæ catholicæ inimicum; assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam meritò ac hæreticam declaramus. »

III. Nulla tamen est constitutionum Joannis XXII et Nicolai III dissensio, quamvis in speciem pugnare videantur. Duas enim quæstiones attingunt : prima est de paupertate Christi et Apostolorum; altera de jure ac dominio FF. Minorum in res ipsis ad usum concessas. Prima fidem spectat, altera philosophiam moralem et jurisprudentiam. Quoad primam, Joannes XII à Nicolao non dissentit, siquidem Nicolaus non negat quin Christus aliquando rerum aliquarum dominium habuerit, earum maximè quibus utebatur, vel quas ad suos et suorum usus accipiebat, et aliquanto tempore servabat; sed asserit Christum abdicationem absolutissimam dominii rerum temporalium tam in communi quàm in speciali, verbo et exemplo docuisse. Quod sanè verissimum est : hanc enim verbo docuit, cùm ait Apostolis : *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (Matth. 10). Hanc exemplo docuit, siquidem ait de se ipso loquens : *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* (Matth. 8). Et seqhebantur eum mulieres, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis* (Lucæ 8). Tunc enim absquo loculis cum Apostolis Christus Dominus vivebat ex piorum largitionibus. Sed et aliud vitæ genus suo etiam commendavit exemplo, siquidem loculos cum Apostolis possidebat, ex quibus emi jubebat necessaria ad communem sustentationem, et pauperibus etiam eleemosynam erogari (Joannis 13); idque imminente etiam passione. Porrò Christum dominium jusque propriè dictum illas in pecunias non habuisse, absque hæresi dici non potest; alioquin eas injustè possedisset, injustè expendisset, atque ex bonis alienis et injustè possessis eleemosynas erogâsset. Meritò igitur Joannes XXII pertinacem hujus erroris assertionem hæreseos damnavit. Nec ab hâc alienus fuerat doctrinâ Nicolaus III, qui Christum infirmorum personam suscepisse in loculis docuerat, et infirmorum imperfectionibus condescendisse. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi possessio pecuniarum aliarumve rerum in communi, et dominium jusque commune in eas perfectioni repugnet, vel imperfectum statum arguat eorum qui sic possident; sed unius imperfectionem et imbecillitatem naturæ, quæ multarum rerum subsidio cùm sustentanda sit, ad hæc infirmitatis nostræ subsidia comparanda necessariæ sunt pecuniæ, quibus etsi Christus ut angelorum Dominus non egebat, huic tamen hominum infirmitati ac imperfectioni se accommodare dignatus est, dùm loculos habere, et humano more iis uti voluit. Ita Nicolai III decretalem exposuêre cardinales, episcopi et doctores eruditissimi à Joanne XXII rogati ut sententiam eâ de quæstione dicerent, scilicet episcopus Aniciensis, episcopus Seranus, Petrus Columna, diaconus cardinalis, Herveus Natalis in sacrâ Facultate Parisiensi doctor theologus ordinis FF. Prædicatorum, quorum responsa ex MSS. Bibliothecæ Vaticanæ profert Odoricus Raynaldus ad annum 1322.

Addit Aniciensis episcopus (is erat Durandus à

S Porciano ex ordine FF. Prædicatorum assumptus) Christum habendo loculos infirmis condescendisse, id est, scandalum patientibus, ex Nicolai III sententiâ. *Alio modo*, inquit, *exponitur, quòd infirmos appellat, non illos, qui de loculis Domini vivunt; sed illos qui scandalizantur, putantes scilicet imperfectionis, vel minoris perfectionis esse, de loculis Domini vivere : talibus enim infirmis condescendens, seu compatiens Dominus, ne fortè scandalizarentur, et majori perfectioni adscriberent, si viderent servos Dei communes loculos habere, et de illis vivere; ideò loculos habere voluit, ut esset aliis in exemplum, ut legitur* 12 *quæst.*, 1 *cap.* « Exemplum « accipite. » Unde Augustinus in 11 lib. de Sermone Domini in monte : « Hoc autem vehementer cavendum « est, ne fortè cùm viderimus aliquem servum Dei « providere ne ista necessaria desint vel sibi vel iis « quorum cura sibi commissa est, judicemus eum de « crastino sollicitum esse. Nam et ipse Dominus, cui « angeli ministrabant, tamen propter exemplum, ne « quis postea scandalum pateretur, cùm aliquem ser- « vum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, « loculos habere dignatus est, quibus portabatur pecu- « nia, de quâ usibus necessariis, quidquid opus fuisset, « præberetur; sicut Paulus Apostolus de crastino po- « test videri curâsse, cùm dicit 1 ad Corinthios 16 : *De « collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in « ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite.* Nec ad unum dien « tantùm videtur victus iste procuratus. Et in his et « hujusmodi Scripturarum locis satis apparet Domi- « num nostrum non improbare, si quis humano more « ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, ut « in operibus suis non Regnum Dei, sed istorum « acquisitionem intueatur. » Hæc S. Augustinus : Ex quibus Aniciensis præsul colligit, Nicolaum III in Constitutione suâ locutum non fuisse *de infirmitate quæ sonat imperfectionem statûs habentium loculos; sed de infirmitate illorum qui possent scandalizari, cùm viderent servos Dei, seu prælatos loculos habere.*

Hanc doctrinam confirmat Herveus insigni altero loco S. Augustini, verba illa Christi : *Nolite solliciti esse in crastinum* (Matth. 6) exponentis : « Habebat « Dominus loculos, inquit, et à fidelibus oblata con- « servans, et suorum necessitatibus, et aliis indigen- « tibus tribuebat. Tunc primùm ecclesiasticæ pecuniæ « forma instituta est, ut intelligeremus quod præcepit, « non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse « præceptum ut nihil pecuniæ servetur à sanctis; sed « ne Deo propter ista serviatur, et propter inopiæ ti- « morem justitia deseratur. » Formam autem ecclesia- sticæ pecuniæ à Domino institutam perfectioni christianæ repugnare nemo dixerit; nec itaque perfectionis statui repugnat reservare bona oblata in futurum suis aliorumque necessitatibus profutura, ut rectè colligit Herveus.

Addit Soranus episcopus, Christum in gerendâ imperfectorum personâ, perfectionis apicem tenuisse. « Itaque sicut fugiendo egit ut infirmus, quia puerili « ætati convenit fugere minantem, ut dicit Chrysosto- « mus, in hoc nihilominùs etiam perfectis dedit exem- « plum, ut cùm necessitas persecutionis evenerit, fu- « gere non erubescant, ut dicit idem Chrysostomus. « Fugere cùm oportet et quandò, adhibitis aliis cir- « cumstantiis, est virtutis. Sic etiam quamvis portare « loculos sit infirmitatis humanæ, et non competeret « sibi ratione Deitatis, in hoc tamen exemplum dedit « perfectis, Ecclesiæ videlicet prælatis, ut ad usus pau- « perum facultates Ecclesiæ possideant in communi. »

Cardinalis Petrus Columna respondet rectiùs fortè dici posse Christum habendo loculos, *non imperfectorum, sed perfectorum formam assumpsisse; quia perfectionis et providentiæ fuit, suorum necessitatibus et egenis providere.*

Præterea Nicolaus III, decretoriam sententiam in controversiâ fidei ferre in animo non habuit, cùm laudatam condidit decretalem, *Exiit qui seminat;* sed mens ejus una consiliumque fuit, FF. Minores in observantiâ regulæ quam ipsis tradidit S. Franciscus, confirmare; in quâ quia paupertas arctissima præcipuus character sacri ordinis est, ipsam commendavit occasione datâ his verbis : « Dicimus quòd abdicatio « proprietatis omnium rerum tam in speciali quàm « etiam in communi, propter Deum meritoria est et « sancta, quam et Christus viam perfectionis osten- « dens docuit, et exemplo firmavit. » Sed commodà interpretatione temperari hanc propositionem oportet, quâ asserit Christum abdicationem proprietatis omnium rerum tam in communi quàm in speciali, verbo et exemplo docuisse; *Omnium rerum*, inquam, *immobilium.* Ita interpretatus est pontificiæ Curiæ doctor anonymus in tractatu eâ de controversiâ tunc temporis edito, cujus fragmenta ex manuscripto Vaticano profert Odoricus Raynaldus ad annum 1324, num. 32. Ita Parisiensis academia, cujus eâ de quæstione judicium ex manuscripto Vaticano edidit idem Annalium ecclesiasticorum continuator ad ann. 1323, num. 38. Tribus constat assertionibus, quas probat singillatim : Prima, « quòd Christus in quan- « tum homo habuit ab instanti suæ conceptionis do- « minium infusum in omnibus rebus creatis, et quan- « tùm ad proprietatem et quantùm ad usum. » Secunda, « quòd acquisivit novum jus et novum « dominium in aliquibus rebus sibi collatis à fideli- « bus et devotis, quando conversabatur in mundo. » Tertia, « quòd licèt habuerit verum et plenum domi- « nium infusum in omnibus creaturis, nunquàm ta- « men fuit usus dominio rerum immobilium, nisi « sicut et quantùm unus non dominus potest uti, nec « habuit talis dominii executionem; dominio verò « bonorum mobilium, quantùm ad usum et proprie- « tatem fuit usus, sed valdè paucorum et parcè, « propter nostrum exemplum. » Et hæc quidem de Christo. De Apostolis verò duo statuit et probat : Primò, « quòd ante Christi Passionem habuerunt cum « Christo aliqua bona mobilia in communi quantùm « ad proprietatem. » Secundò, « quòd post passionem « Christi, ipsi Apostoli et discipuli habuerunt aliqua « in communi, quorum fuerunt veri domini, quan- « tùm ad proprietatem et usum. »

Istud Parisiensis academiæ dogmaticum judicium secutus est Joannes XXII, in Extravaganti *Quia quorumdam*, et Nicolai III, constitutionem in hunc sensum est interpretatus : « Nicolaus prædecessor noster videtur sensisse quòd Christus et Apostoli, etiam quoad proprietatem, habuerunt aliquid in communi. Cùm enim in suâ Declaratione prædicta verba de abdicatione proprietatis dixisset, respondens objectioni tacitæ, quæ sibi de loculis quos Christus habuisse in Evangelio legitur poterat fieri, statim quæ sequuntur subjunxit. Nec his quisquam putet obsisterē, quod interdùm dicitur, Christum loculos habuisse. Nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdùm infirmorum imperfectioni condescendens, et viam perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret ; sic et infirmorum personam Christum asserit in loculis suscepisse. Aliàs impertinens de loculis fuisset objectio, nisi intellexisset Christum etiam quoad proprietatem loculos habuisse. Præterea, si diceretur Christum in loculis habuisse tantummodò simplicem usum facti, frustra diceretur, quod in personâ infirmorum ipsos Christus habuit loculos : cùm secundùm eum perfectis etiam conveniat habere simplicem usum facti. » Addit quòd « in communi et quoad proprietatem habere aliqua, non derogat altissimæ paupertati secundùm Gregorium IX, in quâdam suâ decretali dicentem fratres Prædicatores et Minores in altissimâ paupertate Christo pauperi famulari ; et tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum regulæ et statui non repugnat. » Alexandrum IV, in damnatione libelli contra statum FF. Prædicatorum et Minorum idem sensisse, cùm asseruit, « eosdem fratres omnia propter Deum dereliquisse, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christumque imitari pauperem, perfectionem evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos non solùm in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum ; et per suæ religionis observantiam, quæ quidem ipsius evangelicæ perfectionis tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. *Prædicatores tamen constat* habere posse, etiam quod proprietatem, aliqua, juxta eorum regulam, in communi. »

Nicolai III sententiam et verba alii alio modo sunt interpretati, cùm ista disceptaretur controversia : scilicet, cùm dixit, *abdicationem proprietatis omnium rerum, non tam in speciali, quàm etiam in communi, Christum viam perfectionis ostendentem docuisse, et exemplo firmâsse ;* de abdicatione omnium rerum non necessariam ad vitam locutum esse : necessaria quippe ad vitæ sustentationem abdicari non posse, cùm hujusmodi sustentatio à Deo imperetur. Sicque illud S. Hieronymi, in Epistolâ ad Rusticum monachum, *Nudum Christum nudus sequere*, impleri cardinalis Gaucellinus dixit ; quia *non est multùm vestitus qui pauperem victum habet, sine quo sustentari non potest.* Ejus responsum ex manuscripto codice Vaticano laudat Odoricus Raynaldus ad annum 1322, num. 65.

Alii de abdicatione omnium rerum quoad curas nimias, Nicolaum III sunt interpretati. Ita Bertrandus, titulo S. Mariæ in Aquiro cardinalis, ab eodem auctore, ex eodem manuscripto laudatus : « Nec obstat inquit, quòd vita Christi fuit, quam verbo docuit, et exemplo firmavit, non habere aliquid in communi, nec in speciali, quia illud verum est quantùm ad superfluitatem seu thesaurizationem ; non autem intelligitur quantùm ad necessitatem propriam seu aliorum ; quia tale habere, ut puto, non diminuit aliquid de perfectione paupertatis, cùm augeat de perfectione charitatis. »

Alii Nicolaum III, cum Evangelistis conciliârunt perfectam abdicationem Christum verbo et exemplo docuisse, et nihilominùs loculos et dominium habuisse respondentes, diversis temporibus. Ita cardinalis S. Cyriaci cujus judicium ex manuscripto Vaticano laudat Odoricus Raynaldus ad eumdem annum, num. 66 : *Videntur ista duo se posse compati*, inquit, *scilicet Christum nihil habuisse, et Christum aliquid habuisse, hoc ad diversa tempora referendo ; sed ad idem tempus non videtur.* Quam interpretationem secuti sunt duo magni nominis cardinales, qui Joannis XXII et Nicolai III, constitutiones inter se non pugnare demonstrârunt ; scilicet de Turrecremată in Summâ de Ecclesiâ, cap. 112, et Bellarminus lib. 4, de Romano Pontifice, c. 14, et alii recentiores theologi.

Ubertinus de Casalis à summo Pontifice rogatus sententiam, adhibitâ distinctione respondit : Christum et Apostolos in duplici statu spectari posse. « Fuerunt enim universales prælati Ecclesiæ novi Testamenti. « Et hoc modo habuerunt quantùm ad auctoritatem « dispensationis et distributionis pro dando pauperibus « et ministris Ecclesiæ, sicut de Apostolis scribitur « Actuum 4. Et negare quòd non habuerunt isto « modo, esset hæreticum. Et de hoc non est quæstio. « Et istâ prælationis auctoritate dicitur Christus loculos « habuisse. Secundò Christus et Apostoli possunt consiederari ut speciales personæ et singulares, fundamenta perfectionis religiosæ, et perfecti contemptores mundi, et gloriam mundi calcantes, et Christi consilia de supererogatione perfectionis in seipsis observantes, et omnibus volentibus esse perfectis exempla lucida tribuentes. Et si isto modo quæratur utrum habuerint, distinguendum est de duplici modo habendi ; quorum primus est civilis et mundanus, quem modum leges imperiales definiunt, duas ejus partes ostendentes in hæc verba : *Ea in bonis nostris esse dicuntur, in quibus habitis exceptionem et defensionem, et non habitis repetitionem habemus.* Et ita patet quòd qui habet aliquid civiliter et mundanè, potest defendere rem suam ab invasore, et repetere à detentore sub judice imperiali. Et isto modo dicere quòd Christus et Apostoli habuerunt res mundanas, est hæreticum, quia est contra sanctum Evangelium. Nam Christus, Rex pacificus, qui Apostolos suos fecit filios pacis, separavit eos ab omni mundano litigio,

« dicens, Matthæi 5 : *Et qui vult tecum in judicio con-*
« *tendere, et tunicam tuam tollere, præbe ei et pallium;*
« et Lucæ 6 : *Ab eo qui aufert tibi vestimentum et tuni-*
« *cam, noli prohibere; et qui aufert quæ tua sunt, ne*
« *repetas.* In quibus verbis Christus removet à se, quia
« ipse fecit quod docuit, et à suis Apostolis, quibus
« hoc imposuit, duas partes juris civilis et mundani,
« scilicet defensionem habiti, et repetionem perditi.
« Et iste modus habendi dicitur propriè habere in re
« proprietatem et dominium. Et Christus et ejus Apo-
« stoli isto modo non habuerunt. Idcircò B. Petrus
« pro se et aliis Apostolis dixit sicut verus pauper :
« *Ecce nos reliquimus omnia.* (Matth. 19.) Dicere ergo
« quòd Christus et Apostoli ejus habuerunt isto modo,
« esset hæreticum et blasphemum. Et isto modo credo
« quòd intelligant FF. Minores, licèt non distinxerint
« diversos modos habendi. Alio modo possunt haberi
« res temporales, scilicet quantùm ad jus naturale et
« communis charitatis fraternæ. Et isto modo Christus
« et Apostoli habent bona temporalia jure naturali,
« quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad sustentationem
« naturæ, repellentes omnia quæ divitias saperent,
« vel delicias redolerent, vel mundi pompam nutrirent.
« Et isto modo habuerunt vestes, panes, pisces, sicut
« dicit Apostolus ad Timotheum : *Habentes alimenta,*
« *et quibus tegamur, bis contenti sumus.* Nec aliqua pro-
« fessio, nec aliquod consilium Christi est quod pro-
« hibeat talem modum habendi, scilicet quantùm ad
« necessarium usum vitæ. Et ideò dicere quòd Christus
« et Apostoli ejus non habuerunt isto modo, esset hæ-
« reticum. Et isto modo credo quod volunt dicere FF.
« Prædicatores. Tamen non distinxerunt de modo
« habendi. » Istam Ubertini de Casalis responsionem edi-
dit clarissimus Baluzius ex manuscripto codice Inquisi-
tionis Carcassonensis, lib. 1 Miscellaneorum, pag. 307.

Aliis ea præ cæteris placet interpretatio quâ decre-
talis *Exiit* intelligenda esse dicitur ut fert moralis lo-
quendi modus, quatenùs, maximo vitæ tempore et
frequentissimè Christus et Apostoli omnium rerum
egeni et inopes fuerunt : ita flumen dici, quamvis ali-
quando ejus alveus exarescat. Unde Christum habuisse
loculos, cum Nicolai III sententiâ eo sensu acceptâ
non pugnat. Qui paupertatem arctissimam, id est,
omnium rerum abdicationem, non tam in speciali
quàm etiam in communi, moraliter sumptam Chri-
stum verbo et exemplo docuisse, et Apostolos coluisse
asseruit ; non confictam illam, et nugacibus dialecti-
corum argutiis à Michaele Cesenate, Okamo, et aliis
schismaticis pseudo-Minoritis contra Joannis XXII
constitutionem, *Cùm inter nonnullos*, pertinaciter pro-
pugnatam, quâ vestis etiam, potus, et cibi, seu rerum
aliarum usu consumptibilium proprietatem à Christo
abdicatam fuisse, et simplicem duntaxat usum facti,
absque ullo prorsùs in res illas dominio ac jure ipsos
habuisse contendebant. Bertrandi cardinalis S. Mariæ
de Aquino hæc expositio est. Hanc porrò expositio-
num varietatem peperit potiùs tuendæ veritatis evan
gelicæ quàm Decretalis Nicolai III commodo sensu
explicandæ studium. Pertinacem namque pseudo-Mi-
norum assertionem, Christum et Apostolos nihil ha-
buisse, nec in speciali, nec in communi, sive nullum
jus ac dominium in res quas habebant et quibus ute-
bantur, contendentium, Evangelium evertere, cardi-
nalibus, præsulibus, doctoribus, qui censorium hâc
de controversiâ judicium, jussione Joannis XXII tu-
lêre, visum est. Petri de Arreblayo, tit. S. Suzannæ
presbyteri Cardinalis, et Petri Card. S. Stephani in
Cœlio Monte, suffragia seu responsa, ex vaticano de-
scripta MS. legat, qui voluerit, apud Odoricum Ray-
naldum ad annum 1322, num. 56 et 57.

Sanè Jacobus Novellus cardinalis ex ordine Cister-
ciensi assumptus, et in sacrâ Facultate Parisiensi doctor
theologus, qui Joanni XXII in summo pontificatu suc-
cessit sub nomine Benedicti XII, in erudito Commenta
rio hâc de quæstione edito, Nicolai sententiam explicare
non satagit, sed hâc unâ ratione ipsum excusat, quòd
opinando locutus fuerit in constitutione, *Exiit*, di-
cendo, Christum et Apostolos omnium rerum proprie-
tatem abdicâsse, neque illam sententiam ceu articu-
lum fidei credendum Ecclesiæ universæ proposuisse ;
adeòque corrigi potuisse à Joanne XXII, qui obortam
in Ecclesiâ controversiam ex sacrâ Scripturâ diremit.
Licèt, inquit, *illud* (de abdicatione proprietatis om-
nium rerum à Christo et Apostolis) *in constitutione dic-
tâ contineatur, tamen ex Scripturâ divinâ verum esse,
ibi non ostenditur, sed solummodò narratur. Et tamen
jam nos ostendimus quòd contrarium haberi potest ex
Scripturâ apostolicâ et evangelicâ ; ex quâ Scripturâ
motus Dominus noster Papa Joannes decluravit dictam
assertionem, si pertinax esset, hæreticam esse, sicut con-
trariam divinæ Scripturæ. Nec hoc asserit simpliciter
et determinatè dominus Nicolaus, qui dictam constitu-
tionem fecit, sed solummodò hoc dicit incidenter et narra-
tivè. Posito etiam quòd determinativè diceret, non obstat,
cùm contrarium inveniatur in Scripturâ divinâ, si diligen-
ter attendatur, et nunc est per Ecclesiam determinatum.*

Cùm autem sibi proposuisset illam pseudo-Minorum
objectionem : Si contenta in prædictâ decretali, *Exiit*,
sunt falsa et hæreticalia, sequitur quòd Papa Nicolaus
erravit in fide catholicâ, et hæreticus fuit ; id conse-
quens esse negat, « quia dùm voluntas non sit in cri-
« mine, si ex defectu humanæ intelligentiæ error
« contingat, non est simpliciter culpabilis error, tali-
« ter quòd debeat pro errore damnabili reputari, ut
« patet in Petro quem Paulus reprehendit ; in Cy-
« priano martyre, quem sic excusat Augustinus, lib.
« de Baptismo contra Donatistas. Item quia dicit Au-
« gust. in Epistolâ ad Hesychium : *Error vitandus est,*
« *quantùm ab homine vitari potest, sed mihi quisquam*
« *non videtur errare, cùm aliquid nescire se scit, sed*
« *cùm putat se scire quod nescit.* Nicolaus autem fa-
« ciens decretalem *Exiit*, non videtur quòd putaret se
« contra veritatem fidei ac morum determinare cer-
« titudinaliter quod scientiam requirit : quia dixit
« quòd si aliquod dubium in suâ declaratione insur-
« geret, non per quoscumque, sed per Romanum
« Pontificem declarari deberet. Multùm autem dubi-
« tabile erat id quod dixerat de paupertate Christi et

« Apostolorum, et an usus in omnibus rebus possit « separari à dominio et proprietate. Ideò potuit et de- « buit dominus Joannes illud dubium declarare, cùm « contrarium ex Scripturâ divinâ et legali possit de- « duci. Et sic dominus Nicolaus non erravit in fide « simpliciter : quia non putavit vel putabat se scire « quod nesciebat, sed putabat se nescire quod non « sciebat. Alioquin frustra et sine causâ, si crederet « se scire prædicta, aliquem correctorem vel emen- « datorem vellet habere, cùm illud quod veraciter « scitur sic esse, sit impossibile aliter se habere. Et « ita ipse non erravit perniciosè, nec Ecclesia sequens « eum, quia sub declaratione et correctione auctori- « tatis Apostolicæ Sedis illa quæ dixit asseruit; pro- « pter quod ejus error venialis et humanus fuit; nec « error simpliciter debet dici, ut patet per dictum « Augustini supra inductum. Et similiter disputans « excusat B. Petrum. » Has et alias Jacobi cardinalis responsiones ad Fraticellorum objecta contra constitutiones Joannis XXII legere est apud Eymericum nostrum part. 2, Directorii Inquisitorum, quæst. 17.

IV. Quod spectat controversiæ caput alterum de FF. Minorum arctissimâ paupertate, an simplicem duntaxat usum facti, an ejus etiam et dominium habeant iis in rebus quæ usu consumuntur, non pugnant etiam Nicolai III et Joannis XXII constitutiones. Quia Nicolaus III, eorum tantùm bonorum dominium Ecclesiæ Romanæ reservavit, quorum *simplex usus facti* ad FF. Minores pertinere potest, *quod nequaquàm potest in rebus usu consumptibilibus reperiri, in quibus nec jus utendi, nec usus facti separata à rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Et quòd his de rebus non intellexerit Nicolaus, evidenter ostendit, dùm respondet legi dicenti : *Non posse usumfructum à dominio perpetuo separari, ne dominium dominis semper abscedente usu, inutile redderetur. Quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes unum usus rei, et penes alium dominium possit, licèt inutile, remanere : quod nequaquàm in rebus usus consumptibilibus potest esse; cùm in illis per usum vel abusum usuarii, substantia talis rei esse desinat, et per consequens proprietas etiam inutilis non subsistat.* Præterea, si simplex usus absque jure utendi in hujusmodi rebus haberi posset, usus ille justus non esset. Usus autem non justus perfectionis statui potiùs derogat, quàm ipsum juvet ac promoveat. Quòd autem usum non justum FF. Minoribus reservandum intellexerit Nicolaus III, nemo sapientûm existimabit. Imò justum usum intellexisse, ex eo compertum est, quòd in eâdem constitutione adjecit quòd *illarum rerum duntaxat in se et Ecclesiam Romanam recipiebat dominium, quarum usum facti liceret habere fratribus seu ordini antedictis;* subjungens quòd *non rerum omnium usum habere debeant fratres ipsi. Quantùm autem ad usum facti simplicem absque omni jure utendi attinet, nulla rerum quoad fratres differentia est censenda; sic enim uti de facto possunt prohibitis ut permissis.* Usus itaque facti, de quo loquitur Nicolai III constitutio, non alius intelligendus est quàm qui justus sit, id est, *pro quo competat jus utendi.* Et hoc exprimit evidenter, cùm in eâdem ordinatione adjecerit, quòd *moderatus usus in expressis priùs rebus ipsis fratribus est concessus.* Ita decretalem Nicolai III interpretatur Joannes XXII, in Extravaganti *Ad conditorem*, et extravaganti *Quia quorumdam.*

Sed quamvis Joannem XXII à Nicolao III dissensisse detur, neutrum tamen in fidei dogmate errâsse compertum est, siquidem hujusmodi quæstio fidei summam non spectat, sed jurisprudentiam, aut moralem philosophiam. Unde et post Joannis XXII constitutiones, *Ad conditorem*, et *Quia quorumdam*, secùs de istâ quæstione licet opinari; præsertim cùm Martinus V, in Bullâ, *Amabilis fructus;* Eugenius IV, in decretali *Provisionis nostræ;* Callixtus III, Nicolaus V, Pius II, Paulus II, Sixtus IV, in bullâ *Dùm uberes fructus*, Joannis constitutionem *Ad conditorem*, quatenùs arctissimæ FF. Minorum paupertati derogare videbatur, revocârint; quâ de re legendus Wadingus in annalibus Minorum, ad ann. 1322. Usum rerum quæ ipso usu consumuntur, puta esculentorum et poculentorum à dominio distingui; et FF. Minores cibi et potûs, ac rerum quibus utuntur cæterarum non esse dominos, quia etsi oblatis uti liceat, non tamen illa vendere aut in judicio vendicare, docent Dominicus Soto, lib. 4 de Justitiâ et Jure, quæst. 1, art. 1; Ledesma, 11 p. in 4, quæst. 18, art. 1, dub 2; Bannes, secundâ secundæ, quæst. 62, art. 1, dub. 1, conclus. 3 et 4; Bellarminus cardinalis, lib. 4 de Romano Pontifice, cap 14, et alii. Quæstio ista probabilibus utrinque fulcitur argumentis. Licuit itaque Nicolao III dominium jusque in res quæ usu consumuntur, fratribus Minoribus negare, et quidquid in iis juris est ac dominii Sedi Apostolicæ reservare (si tamen is est constitutionis ejus sensus), maximè cùm decessorum suorum FF. Minorum regulam suis decretalibus explicantium, scilicet Gregorii IX, Innocentii IV, et Alexandri IV, auctoritate niteretur. Licuit et Joanni XXII à Nicolao III hâc in quæstione dissentire, et jure in escam, potum et vestes FF. Minorum cedere, et procuratores nomine Romanæ Ecclesiæ bona ipsis oblata administrantes, ac in judicio vel extra repetentes aut defendentes abrogare, præsertim cùm Nicolaus constitutionis declarationem suæ uni Sedi Apostolicæ reservâsset his verbis : « Si quid in prædi- « ctis ambiguitatis emerserit, hoc ad culmen Sedis « Apostolicæ deducatur : ut ex auctoritate apostolicâ « sua in hoc manifestetur intentio, cui solùm con- « cessum est in his statuta condere, et condita decla- « rare. » Fratribus Minoribus, aliisve non licuit absque contumaciæ et rebellionis in Romanam Ecclesiam vitio, constitutionem *Ad conditorem* impugnare; et contra statuta per ipsam verbo vel scripto approbaro aliquid vel defendere. Licuit nihilominùs et licet Nicolai III constitutione, quatenùs FF. Minorum statum spectat, in integrum ab aliis summis pontificibus restitutâ, dissentire à Joanne XXII, cui tamen propterea erroris dica scribi non potest, cùm assertionem contrariam hæreseos non damnaverit, ut ipsi Pseudo-

Minoritæ affingebant. Quam ille calumniam diluit in Extravaganti *Quia quorumdam.* « Non enim, inquit, « continetur in sententiâ supra dictâ, quod contra « faciens ut hæreticus haberetur, quæ quidem quoad « hoc continet quæ sequuntur : Nos enim nihilominùs « auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ne « quisquam præmissa, vel aliquod præmissorum, per- « tinaciter asserere, vel quomodolibet defensare præ- « sumat. Quicumque verò hoc præsumpserit, tan- « quàm contumax et Ecclesiæ Romanæ rebellis ab « omnibus fidelibus habeatur. Non fuit adjectum quòd « ut hæreticus haberetur, ut patet in serie sententiæ « condemnationis prædictæ. »

Quibus igitur pœnis dignus non fuit Veranus ille et alii Minoritæ ad schisma usque pertinaces de quibus Guillelmi Nangii continuator, ad annum 1329, scribit? » Adductus est Avenioni quidam FF. Minorum « de Provinciâ oriundus, nomine Veranus, qui apud « Montempessulanum, et in aliis eorumdem locis so- « lemnibus dicebatur fuisse lector, ob hoc quia contra « Papam dicitur publicè prædicâsse; qui ad ejus ad- « ductus præsentiam, nullâ sibi factâ reverentiâ, « dixit sibi in facie, *quòd erat verus hæreticus et non « Papa, et quòd pro istâ veritate desiderabat mori.* Re- « quisitus de causâ dixit : *Quia tu destruis, vel de- « struere niteris paupertatem evangelicam, quam Chri- « stus verbo docuit et exemplo.* Propter quod dictum, « inquit, detentus est in carcere cum quindecim aliis « ejusdem ordinis fratribus, qui de diversis mundi « partibus adducti, propter sua dicta hæretica in diver- « sis carceribus miseri detinentur. »

Quæ tamen ordini sanctissimo nullam infamiæ la- bem inurunt, cùm in obedientiâ Joannis XXII con- stanter perseveraverit, et segreges illos fratres eo- rumque dogmata et facta impia damnaverit. Testem profero eumdem Nangiani Chronici continuatorem, ad eumdem annum, ubi cùm retulit Parisiensem epi- scopum, *coassistentibus sibi aliis episcopis, convocato clero et populo*, multos processus factos contra F. Pe- trum Raynultii ultra montes pro Papâ se gerentem, necnon Ludovicum Bavarum, et F. Michaelem quon- dam FF. Minorum generalem, et ipsorum complices promulgâsse, *et in eos sicut hæreticos, et ab unitate fidei catholicæ, et Ecclesiæ præcisos auctoritate apo- stolicâ excommunicationis sententiam fulminâsse;* sub- dit : « Quo sic peracto, incontinenti F. Henricus de « Semons, doctor in theologiâ, et provincialis ordinis « Minorum, in præsentiâ omnium surrexit, et ex parte « generalis eorum capituli, quod pro tunc Parisiis « tenebatur, ne in aliquo viderentur falsis fratribus se « favorabiles exhibere, facta, processus, et excommu- « nicationes contra fratres prædictos ordinis eorum « per Dominum Papam factas, dicens hæc verba : « *Fidelia omnia mandata ejus confirmata in seculum se- « culi, facta in veritate et æquitate;* palàm et publicè « approbavit depositionem F. Michaelis quondam ge- « neralis eorum ministri per Dominum Papam factam, « ex parte generalis eorum concilii et etiam capituli « et ordinis, justam et laudabilem protestatus fuit : « factaque antipapæ et prædicti F. Michaelis, fratris « etiam Bonagratia, et F. etiam Francisci de ordine « FF. Minorum, et eorum si qui essent consortes vel « complices, tanquàm falsa et hæretica, et eorum or- « dini inimica et contraria reprobavit, et de eorum « factis vel maleficiis, fratres et ordinem multipliciter « excusavit. » Hæc observare operæ pretium duxi quia sacrum FF. Minorum ordinem, cæterosque om- nes (ut virum religiosum decet) charitate complector, licèt unum singulariter sim professus.

Nota.

Adversùs pontificum definientium infallibilitatem Bossuet in Defens. Declar., p. 2, l. 14, c. 42 et seqq., summoperè urget vel Nicolaum III, vel Joannem XXII in suis definitionibus errâsse, cùm contraria decrevisse ipsi videantur. Ab iis autem abstinuisset Bossuet, si semper è re suâ fuisse non credidisset infallibilitatem à pontificibus definientibus proscribere; didicisset etenim tunc à P. Natale, quomodò potuissent insimul conciliari.

Quia nihilominùs quædam objicit Bossuet quæ apud P. Natalem non leguntur, ideò paulisper hìc immo- randum. Observat igitur Jacobum Cardinalem Novel- lum, cujus responsiones pro vindicandis præfatorum pontificum decretalibus videri possunt apud Eymeri- cum, 2 p. Direct., q. 17, sibi tertio loco objicere, non posse successorem revocare quæ Romanus Pon- tifex antecessor ad fidem et mores pertinentia deter- minaverit, atque id *falsum esse* respondere; ex quibus infert Bossuet exploratum fuisse apud Jacobum Car- dinalem, posse pontifices errare in iis decernendis quæ ad fidem pertinent, vel ad mores; aliàs nefas esset successorem hujusmodi decreta posse revocare.

Ne verò longè à mente Cardinalis divagemur, et ego observo duodecimo loco hanc contra se efformare objectionem : « Si Papa Joannes potuit revocare præ- « dicta determinata per Dominum Nicolaum, eâdem « ratione summus Pontifex potest omnes definitiones « suorum prædecessorum revocare, et contrarium « constituere; ex quo totius fidei, et auctoritatis Ec- « clesiæ destructio sequeretur. » Hanc autem objectio- nem ita refellit : « Respondetur quòd non valet, quia « non sequitur, si aliqua diffinita inconsultè in materiâ « absolutè non pertinente ad fidem et mores, possunt « et debent revocari, ergo omnia, cùm arguatur à « particulari ad universalem, quod fieri non debet. « De numero autem talium non sunt ea quæ dixit de « paupertate Nicolaus Papa; nec unquàm pertinuerunt « simpliciter ad fidem vel ad morem. » En *inconsultè* tantùm à prædecessore stabilita, quæque ad fidem et mores non pertineant, velle cardinalem Novellum posse à successore revocari; atque ita fecisse Nicolaum in suâ Decretali *Exiit*, etc., explicat apud Natalem n. 3, § *Cùm autem;* ac proinde observat ipsum Nico- laum voluisse suam constitutionem per Sedem Apostolicam, si opus esset, emendari. Cùm proinde in re- ponsione ad tertium dicit, *falsum esse* non posse

successorem, quæ quoad fidem moresque antecessor definisset, revocare, explicandus est juxta materiam de qua agebatur, potuisse nempe Joannem rescindere per Nicolaum stabilita, quia hic dubitanter locutus fuerat, et reverà non definierat quidquam quoad fidem moresque; ac ita voluisse quæ diceret Sedis Apostolicæ correctioni subesse. Si aliter sensisset, ut dicit Pegna in Commentariis ad præfatam quæstionem 17, *vehementer lapsus esset.*

Objicit insuper Bossuet quæ habet Glossa Clementinæ *Exivi de Paradiso*, § *Proinde*, ubi hæc leguntur: « Sæpè cogitavi quòd utile esset quòd Ecclesia Romana « permitteret liberè de hoc disputari, an Christus ha- « buerit, vel non habuerit, vel habere potuerit proprium, « vel non potuerit; et similiter de vitâ fratrum Mino- « rum, an possit aliquid habere proprium. » Ex his autem statim inferendum putat Bossuet pontificum infallibilitatem agnitam tunc non fuisse; etenim si de eâ nullum potuisset dubium oriri, post pontificia decreta non ampliùs locum disputationibus dari optandum fuisset. Ita tamen objicere placuit Bossuet, quia post præfata animadvertere neglexit statim sequentia verba subdi: *Cùm in hoc non versentur articuli fidei.* Ratio ergo quare de eis quæ pontifices dixerant, liberè disputandum Glossæ auctor desiderabat, ea erat, quia de iis agebatur quæ fidei erant extranea; in quamcumque proinde partem opiniones declinâssent, nullum imminere poterat præjudicium respectu infallibilitatis Pontificis, fidei quæstiones definientis. Et reverà, § *Proinde* sermo solùm est de simplici usu facti, quem solum ad se pertinere Minores asserebant; porrò hæc quæstio, ut observat P. Natalis, inter quæstiones jurisprudentiæ, seu moralis philosophiæ est annumeranda, unde adhuc licet in utramque partem opinari.

Addit Bossuet Michaelem Cæsenatem, ejusque socios tres Joannis decretales tanquàm hæresim continentes respuisse, ac ad generale concilium appellâsse, nec proinde Joannem suam objiciendo in definitionibus infallibilitatem ex hoc capite damnâsse. Sed ego observo Joannem adversùs pseudo-Minoritas ita in suas constitutiones debacchantes novam constitutionem incip.: *Quia quorumdam mentes*, etc., edidisse, ac hæreticos habendos decrevisse eos qui iis quæ tanquàm ad fidem pertinentia definierat, non acquiescebant; ea verò erant: *Quod Christo et Apostolis in iis quæ ipsos habuisse Scriptura testatur, jus utendi competierat.* Ita proinde hæreticos declarando schismaticos Minoritas id negantes, satis à se damnatos demonstravit, nihilque habitam ipsorum appellationem. Sed et alia Constit incip.: *Quia vir reprobus Michael*, etc., ipsos insectari non desit.

Cæterùm non mirandum Cæsenatem sociosque ad Ecclesiam seu concilium Joannem appellâsse; schismaticis etenim adhærebant, ausique fuerunt affirmare Joan. XXII ut hæreticum habendum, adeòque à pontificatu excidisse. Videatur etiam Eymericus, 2 p. Direct., q. 15, ubi Beguardorum errores recenset.

Notat etiam Bossuet, cap. 46, quemdam illius ævi doctorem hanc vulgâsse conclusionem: *Papa non potest condere canones contra determinata per S. Scripturam.* In illâ autem probandâ ita habet: « Illud non est lici- « tum Romano pontifici, in quo convinceretur non sen- « tentiam dare, sed magis errare; sed si Papa deter- « minaret contra determinata per S. Scripturam, « convinceretur non sententiam dare, sed errare, » etc. Ex hoc autem infert hunc auctorem judicâsse posse Papam contra S. Script. decernere; de eo etenim quod impossibile est, quæstiones non excitantur. Verùm ego considero non alienum esse à theologi instituto hypotheses impossibiles proponere, ut ex eis conclusionis stabiliendæ veritas magis innotescat. Ita iste doct. apud Raynaldum ad an. 1318, n. 54 et 55, dicit non posse Papam aliquid determinare *contra prima quatuor concilia*, quia solas fidei veritates declarârunt. Ibi autem idem auctor asserit Papam concilio esse superiorem, ac ab eo eidem concilio auctoritatem impertiri, ex quo principio cùm necessariò sequatur Papam in suis definitionibus errori obnoxium non esse, oportet dicere ex hypothesi impossibili fuisse locutum, dùm dixit Papam non valere canones condere contra quatuor prima concilia.

Animadvertit demùm Bossuet eumdem auctorem statuisse posse Pontificem decernere *contra determinata per prædecessores suos, vel se ipsum*, ut ita ostenderet Joannem à Nicolao sancita rescindere potuisse, ex quo infert Bossuet nil in eis infallibile cogitâsse. Id autem absque controversiâ concedendum, iis attentis de quibus tunc agebatur. Cùm Nicolaus ut doctor privatus ac opinativè suam declarâsset sententiam, nec quidquam ad fidem pertinens decrevisset, absque pontificiæ infallibilitatis præjudicio potuit Joannes Nicolai opinionem deserere. Ille proinde auctor totus est in vindicandis Joannis decretalibus, quia de re non agebatur quæ ad fidem, mores, S. Scripturam ac veritates fidei in conciliis definitas pertineret, ut apud Raynaldum, n. 56.

DE JURE PRIMARUM PRECUM ET INSTITUTIONIBUS.

AUCTORE BINER (1).

CAPUT PRIMUM.

DE JURE PRIMARUM PRECUM IMPERATORIS AC REGIS ROMANORUM.

Magnam analogiam cum jure patronatûs, præsertim laico, habent *preces* imperatoris *primæ*, seu *primariæ*; quarum originem plures DD. ad seculum XV ac tempora Friderici III referunt.

Nam imperatori legitimè electo competit jus nomi-

(1) Vide Biner vitam, vol. 16 *Cursûs completi Theologiæ.*

nandi idoneam personam ad quamlibet ecclesiam Germaniæ, et sic præsentandi ei ad quem collatio pertinet. Hæc nominatio nomen *primarum precum* est nacta, vel quia in quâlibet Ecclesiâ est prima et unica, seu pro primâ vice, vel quia præferenda est cuivis alteri nominationi, præsentationi, collationi, vel quia à precibus apud ordinarios collatores interpositis hæc disciplina duxit originem, precibus deinde in jura abeuntibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De antiquitate primarum precum.

1. Imperatores, reges et principes, si cui clerico provisum esse volebant, ad patronos collatoresque ordinarios preces suas dirigebant; quas tamen exaudiendi nulla erat obligatio; quinimò Papa et episcopi preces istas non rarò rejiciebant. Sic, teste Baronio ad annum 1071, num. 22. Theophylactus primas Bulgariæ, cùm à Duce rogatus esset, ut cuidam illius amico Episcopatum conferret, constanter restitit, *nec tibi*, inquiens, *fas est, te in ista ingerere, neque nobis ita temerè divinæ gratiæ condonandæ.*

2. Similiter Adrianus IV repulit preces Friderici I, imperatoris, quibus Comitis filium ad archiepiscopatum Ravennatensem promoveri petebat, ut constat ex epist. 5 Adriani IV.

Memorabilis est in hanc rem Epistola quam Hildebertus Turonensis archiepiscopus ad Honorium II summum Pontificem scripsit: « His premor angustiis, inquit, « quia zelo zelatus sum domum Dei, quia dignitates « ecclesiasticas, nec ex regis præcepto disposui, nec « ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim quia « magis oportet Domino obedire quàm hominibus, « personas elegi, quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis, pondus diei portarent et æstus. » Ex quibus colligitur, seculo XII precibus quandoque addita fuisse præcepta, sed ab Ecclesiæ Præsulibus rejecta.

3. Narrat Baronius ad ann. 1186, n. 18, regem Angliæ petiisse ab Hugone Lincolniensi Episcopo præbendam vacantem. Hunc verò respondisse, clericis danda esse Beneficia, non aulicis; alia suppetere regibus, quibus ministrorum suorum remunerentur obsequia. Hoc responso concitatum quidem fuisse ad indignationem regis animum, at episcopo audito, iram in admirationem et amorem abiisse.

Magis adhuc memorabile est, quod Valsinghamus scriptor Angl., pag. 2388, scribit de Ludovico VII, Galliæ rege, ex Palæstinâ reduce, noluisse scilicet eum acceptare privilegium nominandi ad Beneficia vacantia. Thomassin. de Discipl., pag. 2, lib. 1, cap. 54.

Cùm preces armatas adhiberet rex Lusitaniæ, monitus à Nicolao IV, anno 1289, promisit, se non adhibiturum preces, quæ electionum libertatem impedirent. Ab Eduardo II verò clerus Anglicanus, anno 1316, obtinuit, *ut cessarent preces et oppressiones in hâc parte.* Sæpiùs tamen regum mandato pensionibus onerabantur ecclesiæ; si fides adhibenda novæ compilationi Constitutionum Angliæ.

Reges Galliæ parciùs causis beneficialibus se immiscebant usque ad Philippum Pulchrum, cui Bonifacius VIII, anno 1297, concessit ut præbenda una ex quâlibet ecclesiâ personæ idoneæ ad ipsius beneplacitum conferretur.

Quæ autem deinceps per Sanctionem Pragmaticam Galliæ, ex Basileensi conciliabulo depromptam de causis beneficiariis statuerint Galli, dixi alibi, sicut et quid mutatum postea per Concordatum cum Leone X initum, in hoc Regi nominationes ad vacantes prælaturas concessæ.

In Hispaniâ jus nominandi episcopos perpetuâ lege Carolo V ejusque successoribus concessit Adrianus VI, cùm antea ad regum supplicationem summi Pontifices precariò illos instituerent, ut ex Marianâ refert Alexander Natalis Hist. Eccl., sec. 16, c. 7, art. 2, n. 8. Et hæc quidem de precibus externorum principum.

Quod verò spectat ad *primarias preces* Romani imperatoris, de quibus potissimùm hìc tractandum suscipimus, putat P. Ignatius Schwarz, Colleg. H., p. 8, q. 6, § 12, originem earum legitimam non excedere tempora Friderici III, qui post concordata inita a Nicolao V, obtinuit indultum, ad 100 Beneficia nominandi. Verùm altius repetenda est origo. Nam prima earum mentio expressa refertur ad seculum XIII, quamvis earum usus adhuc sit antiquior.

4. Nam, ut Joannes à Chokier, Ecclesiæ cathedralis Leodiensis Canonicus, qui præclara Commentaria in regulas cancellariæ scripsit, eisque erudita *Scholia in primarias preces imperatoris* addidit, ex Nauclero refert, Rudolphus I, Magnus ac pientissimus imperator, qui mense octobri, anno 1273, in regem Romanorum electus est, primariis precibus usus earum formam his verbis concepit, Epistolâ ad Abbatem datâ: Cùm ex antiquâ et approbatâ, ac à divis imperatoribus et regibus inclytæ recordationis nostris antecessoribus usque ad nos productâ consuetudine, quælibet ecclesia in nostro Romano imperio constituta, ad quam Beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione beneficii, precum nostrarum primarias admittere teneatur, devotionem tuam rogamus, quatenùs huic clerico de ecclesiastico Beneficio, quod ad collationem tuam spectat, ob reverentiam sacri imperii, et nostram, si quod vacat in præsens, vel quamprimùm vacaverit, studeas liberaliter providere. Taliter faciens, quòd devotionem tuam nostra Serenitas debeat meritò commendare, et ad tua justa desideria facilis inveniri. Datum anno regni nostro primo.

Hanc eamdem formam Zegerus Van-Espen SS. Can. prof. Lovaniensis in suo Jure Eccl., part. 2, tit. 25, c. 9, n. 19, refert ex continuatore abbatis Ursprgensis. Et Thomassinus de Discipl., p. 2, l. 1, c. 54, n. 7, ex Goldasto, quamvis non nihil mutatam et truncatam.

5. Ex hâc formulâ habemus, hunc usum primarum precum multò fuisse antiquiorem; cùm Rudolphus se referat ad antiquam antecessorum suorum consuetudinem; quamvis illam ita expressè litteris proditam non inveniamus. Miscetur autem in hâc formâ præceptum precibus: *Precum nostrarum primarias admit*

tere teneatur. Goldastus, citans Conradum Urspergensem, ait Othonem IV noluisse Beneficia conferre primò petentibus, prout alii principes consuevissent.

ARTICULUS II.

An jus primum precum imperatori competat ex privilegio pontificio?

Plerique ex acatholicis scriptoribus, omnis pontificiæ potestatis hostes, magnopere contendunt, hoc jus competere imperatori tanquàm regale, et majestati Cæsareæ intrinsecè connexum, aut tanquàm supremæ advocatiæ, aut patronatui adhærens, vel etiam ex solâ perpetuâ consuetudine deductum, absque ullo Romani Pontificis indulto aut interventu. Cortrejus, in Observ. ad Concord., p. 40; Conrigius, Operum tomo 2, in Animadv. in bullam Innocentii X, c. 9; Pfeffinger ad Instit. Vitriar., l. 3, tit. 2, n. 8; Schrotter, Dissert. de prim. Prec.; Gribner, Diss. de prim. Prec. imp., in quâ refutare, anno 1707, conatus est dissertationem Conradi Oligenii de prim. Prec. anno 1076, editam.

§ I. *Refellitur acatholicorum sententia prima.*

6. Jus primariarum precum competere imperatori tanquàm regale, Majestati Cæsareæ annexum, tenent Klockius, tomo 1, consil. 4, n. 15, 30 et 31; Fritschius de Jure prim. prec., c. 5, n. 10, etc.; Reinkingius de Regim. Eccles., l. 3, class. 1, c. 9, num. 57. Vitriarius de Inst. jur. publ., l. 3, tit. 2, n. 9, etc., his moti rationibus.

1° Quia, ut ex diversis imperii recessibus patet, imperatori competit in imperio etiam jus sacrorum, Regulæ juris de anno 1512, § 1 et 4, et de anno 1524, § 29. Et hoc jure reipsà usus est in pace Westphalicâ, ubi de integris episcopatibus et archiepiscopatibus pleno jure disposuit, ac jus sacrorum in imperio cum principibus ac statibus Augustanæ confessionis ordinavit.

2° Quia Beneficia, prout sunt jus percipiendi fructus, sunt aliquid merè temporale. Unde, sicut potest imperator archiepiscopis, episcopis aliisque prælatis, conferre terras, principatus et regalia, ita etiam clericis Beneficia.

3° Quia quidam imperatores has preces appellârunt *jus cæsareum*, in signum supremæ potestatis et præeminentiæ, competens.

7. Sed contra est 1° jus conferendi Beneficia ecclesiastica, aut præsentandi ad illa, est annexum rei spirituali, nempe officio spirituali, legendi missas, administrandi sacramenta, etc.; ergo est jus ecclesiasticum. Adeòque non profluit ex jure regio aut cæsareo, utpote quod est temporale duntaxat.

2° Si jus sacrorum esset per se et intrinsecè inhærens dignitati atque officio imperatoris, tunc is non tantùm posset nominare ad unum Beneficium cujuslibet ecclesiæ, sed ad omnia. Imò posset conferre jure suo proprio omnia Beneficia in toto imperio pro lubitu. Nam uteretur jure suo majestatico, dignitati suæ proprio et intrinseco.

3° Imperatores frustra et imprudenter peterent à Sede Apostolicâ jus exercendi primas preces, si jam aliunde et omninò independenter ab illâ ipsis tanquàm regale competeret. Atqui petunt à Sede Apostolicâ, ut postea ostendetur. Et ad quid preces, si est jus strictum, absolutum, independens, regale inhærens majestati? Cur primæ tantùm?

4° Si jus sacrorum est penes imperatorem, cur Protestantes non sinunt ipsum exercere hoc jus in omnibus suis ecclesiis? cur non constituit omnes ministros, præcones, superintendentes? sed neque quid probant quæ sunt objecta. Nam

Resp. ad 1: In Regulis Juris de anno 1512, § 1, nihil aliud dicitur quàm quod in casu quo quispiam sanctissimum Patrem Papam, et Sanctam Romanam Ecclesiam, ejusque libertatem, ac jura vellet invadere, aut schisma in Ecclesiâ excitare, imperatorem ac statûs ejusmodi invasori nullâ ratione fore auxilio, sed dissuasuros, et fidelem operam navaturos, ut ejusmodi invasio et schisma meliori quo visum fuerit, modo impediantur. Hoc totum est quod magnus imperator Maximilianus I, cum statibus imperii § 1, cit. in comitiis Trevirensibus et Coloniensibus constituit, defensio nempe Ecclesiæ, et impeditio schismatis, quod tunc occasione conciliabuli Pisani timebatur.

Hoc autem nullatenùs est jus sacrorum exercere, sed agere advocatum supremum ac defensorem Ecclesiæ; prout jurare solent imperatores in capitulationibus Cæsareis. Quàm parùm igitur isti per hanc promissionem jus sacrorum exercent, et quàm parùm Sigismundus imperator illud exercuit, quando tanquàm advocatus Ecclesiæ omni ope allaboravit, ut schisma per concilium Constantiense tolleretur, tam parùm ex promissione illâ erui potest aliquod jus sacrorum.

8. Nec plus evincitur ex Regulis juris de anno 1525, § 29, ubi, cùm Lutherani varia gravamina nationis, Germanicæ, in Comitiis Norimbergensibus, proponerent adversùs Romanam Ecclesiam, Carolus V, Imperator respondit, in proximis Comitiis deliberandum fore, quâ meliore viâ ea gravamina temperanda sint. Viam autem illam non indicat; sed alia in mente Cæsaris non erat, quàm ut in comitiis audirentur querelæ, et deliberaretur, quomodò cum legato apostolico præsente, aut cum ipso summo Pontifice hæc res possit transigi. In quo Cæsar Carolus tam parùm jus sacrorum exercuit, quàm parùm Fridericus III, dùm, ut querelis Germanicæ nationis consuleret, cum legato Nicolai V Germaniæ concordata iniit. Certè nec ipsi imperatores jus sacrorum pro terris catholicis prætendunt, quale protestantici calami in odium Sedis Apostolicæ eisdem adstruunt. Cùm omnes fateantur jurisdictionem suam esse temporalem. Cæterùm hoc argumentum probaret nimiùm, si enim penes imperatores est jus sacrorum, ad quid preces? cur primæ preces appellantur? cur tantùm ad prima Beneficia vacatura se extendunt? Penes quem jus est sacrorum, omnia conferre potest.

Quod in pace Westphalicâ factum est, dira temporum necessitas extorsit. Visum multis præstare ut pallium relinquatur, quod recuperari non poterat, quàm ut insuper etiam toga abripiatur. Et, si penes imperatorem suprema est in imperio sacrorum potestas, et quidem in ipso jure majestatis radicata, cur

tantos motus adversùs eamdem excitârunt propter reservatum ecclesiasticum, quarto articulo Transactionis Passaviensis adjectum? cur jure sacrorum eum uti non sunt passi? cur tanta bella moverunt, ne hoc jure uteretur?

Ad 2 : Jus percipiendi fructus beneficiales est saltem annexum rei spirituali, officio nempe spirituali, propter quod unicè datur Beneficium, ut aliàs dictum. Terræ ac regalia quæ episcopi Germaniæ ab imperatore tanquàm feuda accipiunt, sunt res merè temporales. Quare etiam ratione illarum jure clientelari imperatori sunt subjecti, quia primitùs sub hoc onere sunt concessæ ecclesiasticis.

Ad 3 : Ex eo quòd unus vel alter imperator fortassis dixerit jus primarum precum esse jus Cæsareum, non sequitur quòd sit regale, ex intrinsecâ naturâ majestatis profluens. Nam etiamsi hoc jus ex concessione Sedis Apostolicæ promanaret, nihilominùs tamen cum veritate dici posset quòd sit *jus Cæsarum* (quia Cæsari datum) quòd sit imperatori *in signum supremæ potestatis* (temporalis) *et præeminentiæ*, concessum.

Recoli hìc ea quoque oportet, quæ art. superiore ex antiquitatis historiâ attuli. Exemplis etenim illis satis luculentè demonstratur, nullam olim fuisse obligationem preces regum istas exaudiendi; consequenter antiquis temporibus neutiquàm eam vigu sse in hominum animis persuasionem, quòd tanquàm regale potestas ejusmodi ad Beneficia nominandi principibus jure majestatico competierit. Nullatenùs etenim reges fuissent passi preces suas repelli, si jus hoc regium esse intellexissent. Et cur imperatores ipsi apud Sedem Apostolicam interpellarent pro exercendo jure primarum precum, si aliunde majestati suæ adhæresceret? Verùm de his postea.

§ II. *Refertur et refellitur acatholicorum sententia altera.*

Plures ex protestanticis scriptoribus cum Schwedero, libell. de Introd. in publ. imp. part. spec., sect. 1, c. 5, n. 15; Pfeffingero ad Vitriar. Inst. J. P. R. G. L. 3, tit. 2, n. 9; Scheidlino, et aliis, docent, jus primarum precum fundari in *jure patronatûs et advocatiæ*, adeòque deberi imperatori tanquàm naturali patrono et advocato Ecclesiæ.

9. 1° Quia hoc est munus patroni et advocati, præsentare nempe atque nominare ad Beneficia; 2° quia imperator non debet esse deteriore conditione, quàm alii ecclesiarum, et Beneficiorum patroni; atqui patronus quilibet, etiam vulgaris, jure præsentandi uti potest: ergo etiam imperator, sub initium saltem sui regiminis, tum ut benignitatem suam noviter illucescentem exhibeat, tum ut clero aliquam majestatis suæ agnitionem imprimat; 3° quia primariæ preces sunt reliquiæ quædam patronatûs illius antiqui ac majoris, quo utebantur imperatores ante Henricum V, qui remisit jus majus supra collationem episcopatuum, abbatiarum, etc.

10. Sed contra est: Munus advocatiæ importat protectionem ac tuitionem Ecclesiæ, non autem collationem Beneficiorum. Aliàs imperator vi hujus tituli et officii posset se solo conferre Beneficia ecclesiastica totius mundi, cùm totius Ecclesiæ catholicæ supremus sit advocatus.

Deinde patronus pariter suo jure potest præsentare ad omnia prorsùs Beneficia, suo patronatui subjecta, et non tantùm ad unum in quâlibet Ecclesiâ, sed quotiescumque ea vacaverint. Et quare antiqui imperatores, Rudolphus I, Carolus IV, etc., non allegârunt hoc jus patronatûs, et advocatiæ, sed antiquam consuetudinem?

Quare vi hujus tituli apud Protestantes non confert imperator omnes præbendas, aut saltem illas quas Catholicis abstulerunt? an amisit respectu harum jus regaliæ, patronatûs, advocatiæ?

Habent hoc nempe complures scriptores acatholici: tunc tantùm amplificant potestatem Cæsaream, quando adimenda jura Romanæ Ecclesiæ, cujus odio prægnantes, ideas pariunt, quas tota nescivit antiquitas. Anno 1645, teste Lundorpio in dietâ Osnabrugensi, primarias imperatorum preces universim volebant abolitas. Versis jam rebus, nescio quantùm majestatis momentum in illis reponunt. Promissionem advocatiæ et protectionis Romanæ Ecclesiæ, in capitulationibus Cæsareis fieri solitam, imperatori remissam volunt, et, quantùm in ipsis est, irritam, quia hæc protectio Ecclesiæ Romanæ est valdè favorabilis. Atverò, quando aliquid eidem est onerosum ac odiosum (sicut provisio beneficialis ordinariis collatoribus adempta est Ecclesiæ onerosa), tunc jus advocatiæ est quarto modo proprium majestati Cæsareæ, tunc non tantùm jus primarum precum essentialiter fluit ex jure advocatiæ, sed omnes collationes Beneficiorum (in Ecclesiâ tamèn solummodò catholicâ) eidem, si possent tanquàm prærogativam per se emanantem annecterent.

Quæ in contrarium ab acatholicis sunt allata, nihil probant. Nam

11. Resp. ad 1 : Si imperator eo sensu est patronus ecclesiarum, quo sensu illi qui fundârunt ecclesias, jus patronatûs habent, seu jus nominandi aut præsentandi clericos ad Beneficia ecclesiastica, tunc non tantùm primâ vice ac semel tantùm potest ad quamlibet ecclesiam vacantem nominare, sed ad omnes, quandocumque et quotiescumque vacantes, sicut alii patroni id possunt. Igitur imperator non eo sensu est patronus ecclesiarum, ac si haberet jus præsentandi; sed est *patronus* seu *advocatus* Ecclesiæ universalis, hoc est, protector et defensor adversùs hostes et impugnatores catholicæ Ecclesiæ.

Ad 2 : Eadem est responsio : nemo negat imperatori jus primarum precum. Sed sicut patroni inferiores jus præsentandi ad beneficia, à se fundata, acceperunt à Sede Apostolicâ, à quâ ad hoc sunt habilitati, ita etiam jus primarum precum derivatur ab eâdem. Unde hæc paritas est contra adversarios, ac pro nobis militat.

Ad 3 : Quæ à quibusdam imperatoribus in collatione dignitatum ac Beneficiorum ecclesiasticorum ante Henricum V, et præsertim ab ipsius patre sunt attentata, *de facto* contigerunt, non *de jure*. Atque hinc deploranda illa sacerdotii cum regno collisio. Reductâ

tandem pax alma cœlo propitio : dimisit Henricus quod usurpaverat, investituram nempe per annulum et baculum. Circa *reliquias* aliquas primarum precum, aut earum reservationem, nullo prorsùs mentio, nullum vestigium. Et, si concessum tunc fuisset Henrico jus primarum precum, à Callixto II Pontifice concessum fuisset ; cum illo enim transegit. Adeòque hoc ipso à Sede Apostolicâ procederet.

12. Cæterùm benè notanda sunt verba Friderici II Cæsaris, quæ in publico conventu episcoporum ac principum bullæ suæ aureæ, ut vocat, inseruit, quam exhibet Goldastus tom. 1 Constit., pag. 289 et 290 : *Illum igitur*, inquit, *volentes tollere abusum, quem quidam prædecessores nostri exercuisse dignoscuntur in electionibus prælatorum, concedimus et sancimus, ut electiones liberè et canonicè fiant*, etc. ; et paulò post (apud Goldastum loc. cit. n. 4) subdit : *Illum quoque dimittimus et refutamus abusum quem in bonis decedentium prælatorum, aut etiam ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prælatis relinquimus liberè disponenda, ut, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ Dei, Deo rectà distributione reddantur.* Illos haud dubiè abusus imperator indigitat, qui Henrici IV et V, atque avi ipsius Friderici I temporibus invaluerant.

§ III. *Refertur tertia sententia.*

Acatholici quidam scriptores, cernentes, quàm parùm in allatis duabus sententiis sit præsidii, ne tamen privilegium aliquod pontificium cogantur admittere, ad inveteratam consuetudinem confugiunt, quâ solâ jus primarum precum inductum continuatumque volunt.

13. Hanc eamdem sententiam amplexi sunt pauci quidam Catholici ; quos inter Zegerus Van-Espen, in Jur. Eccles., p. 2, tit. 25, c. 9, n. 19 et 20 post relatam ex continuatore Urspergensi formulam primarum precum (supra, art. 1, exhibitam) quâ Rodolphus I imperator usus est, subnectit, « cùm in eâ formulâ « nullius indulti apostolici, alteriusque tituli, quo hoc « jus nitatur, mentio occurrat, sed totum ex antiquâ « consuetudine desumatur, admodùm verò simile esse, « hoc jus *primarum precum* consuetudinè primitùs in« ductum esse, imò à solis precibus apud collatores « interpositis, originem habuisse, atque sensim preces « in mandata et jura transiisse, ipsosque reges et im« peratores, exemplo pontificum Romanorum primò « precibus, ac dein mandatis usos fuisse.

Prima igitur probatio hujus sententiæ petitur ex Formulâ Rudolphi I, qui ad antiquam consuetudinem se retulit.

14. Secunda ex formulâ Caroli IV, quam exhibet Goldastus, tomo 1 Constit., ad an. 1354, pag. mihi 343. Hàc ad præpositum monasterii Revengersburth ord. S. Augustini directà, ait, *tam de jure, quàm antiquâ et approbatâ consuetudine, hactenùs observatâ*, competere imperatoribus, quòd in quolibet monasterio, in imperio constituto, unam tantùm personam vi primarum precum ad beneficium ecclesiasticum facere possint promoveri. Dirigit deinde ad monasterium preces pro Conrado de Dylle, addito præcepto : *Per regalia sceptra mandantes*, etc., *quàvis contradictione cessante.* Et hinc idem Carolus IV, in Bullâ aureà, c. 5, § 1, pro tempore vacantis imperii idem jus etiam vicariis imperii addicit : ad Beneficia Ecclesiastica præsentandi.

Tertia ex constitutione Caroli Filii Wenceslai, quæ pariter exstat apud Goldastum, tomo 1 Constit., ad ann. 1376, pag. 375 ; hâc Wenceslaus Ruperto comiti Palatino per diœcesim Spirensem et Wormatiensem cedit suum jus primarum precum, *tam de jure*, ut ait, *quàm ab antiquâ consuetudine* divis imperatoribus, in singulis *tam cathedralibus quàm collegiatis et conventualibus ecclesiis et monasteriis utriusque sexûs*, etc. Addit deinde non tantùm mandata sicut pater ejus, sed insuper etiam graves minas.

15. Quarta deducitur à Pfeffingero ad Instit. Vitriar. l. 3, tit. 2, n. 8 et 9. Ex recentiorum imperatorum rescriptis, nempe Ferdinandi III, qui in litteris anno 1650 datis ad ecclesiam cathedralem et collegiatam Magdeburgensem, jus primarum precum *jus et consuetudinem imperii* appellat, *ex inveteratâ consuetudine* imperatoribus competens. Leopoldi M., qui in rescripto ad eamdem Magdeburgensem et Merseburgensem cathedralem ecclesiam anno 1661, *inveteratam consuetudinem* adducit. Uti etiam imperator Josephus an. 1705, ad ecclesiam Hildesiensem, et an. 1706, ad Paderbornensem episcopum, scribens, primas preces *jus et consuetudinem imperii, ab antiquis temporis deductam* appellat.

Quinta à Cortreio in Observ. ad concord. p. 40, ubi adducit litteras executoriales ab archiepiscopo Moguntino ad capitulum Magdeburgense nomine Cæsaris scriptas anno 1654, in quibus preces primarias appellat, ex antiquâ consuetudine deductâ, et in pace Westphalicâ (art. 5, § 18), de novo confirmatâ Cæsareâ reservatâ. De indulto pontificio altum ubique silentium.

RESPONSIONES AD HÆC ARGUMENTA.

16. Ad 1 : Quidam scriptores catholici cum P. Schwarz, p. 8, q. 6, § 12, existimant legitimam primarum precum originem non excedere tempora Friderici III, adeòque Rudolphum I, Carolum IV et Wenceslaum illegitimè illis usos ; consuetudinem verò antiquam ad quam memorati imperatores se referunt, pariter non fuisse legitimam, sed potiùs abusum et usurpationem.

Verùm licèt Wenceslai constitutio non multùm me moveret, si sola esset ; durum tamen mihi videtur, religiosissimos imperatores, Rudolphum I et Carolum IV arguere, quòd illegitimè usi sint primariis precibus, et consuetudinem illam antiquam, in quâ jus suum fundàrunt, fuisse merum abusum et iniquam usurpationem. Non enim est credibile quòd Rudolphus justissimus ac pientissimus imperator jus suum fundàrit in abusibus quos haud ita pridem antea ipsius antecessor

Fridericus II, in publico imperii conventu (ut priore § retulimus) damnaverat.

Unde multò probabilius mihi videtur, habuisse ipsos jus legitimum primarum precum, ac consuetudinem illam antiquam quam in litteris suis allegârunt, fuisse legitimam, adeòque usum et jus legitimum primarum precum non primùm ad seculum XV ac tempora Friderici III, nec primùm ad tempora Rudolphi I, aut seculum XIII esse referendum, sed ad antiquiora tempora, à Rudolpho et Carolo allegata.

Fuit autem et jus horum imperatorum legitimum, et consuetudo quam allegârunt; quia tam jus illud quàm consuetudo ista, ortum erat ex indulto apostolico. Non vana hujus assertionis præstò sunt argumenta.

17. Certè Guillelmus Durandus (*speculator* aliàs dictus, quia præclarum suum opus juridicum *Speculum* nuncupavit) qui fuit coævus Rudolpho I, in suo Speculo, lib. 4, particulâ 3, § *Libellus*, n. 7, testatur, se hujus indulti bullam vidisse. Quod verò quidam scriptores acatholici dicunt hanc bullam non fuisse pontificiam, sed imperatoriam, ineptum est, ut facilè advertere potuissent, si Durandi Speculum inspexissent. Nam hæc sunt ejus verba: *Item notandum quòd imperator habet privilegium, quod ego vidi bullatum, quod in quâlibet Ecclesiâ Alamaniæ possit facere unum recipi.* Atqui nemo sibi ipsi dat privilegium, sed ab alio superiore illud accipitur, qualem quoad sacra imperator agnoscit summum Pontificem, visibile caput Ecclesiæ, et Christi in terris vicarium. Sed quid multa?

18. Ipsi imperatores Rudolphus et Carolus in litteris suis apertè fatentur et asserunt, consuetudinem illam antiquam primarum precum fuisse approbatam: *cùm ex antiquâ et approbatâ consuetudine*, etc., à quo autem alio ejusmodi *approbatio* posset descendere, nisi à supremo Ecclesiæ sacrorumque antistite?

Atque ex his ipsis habetur etiam responsio ad 2 et 3. Quod objectum fuit ab adversariis. Nam etiam Carolus IV dicit consuetudinem illam fuisse approbatam, certè non ab alio, nisi à Sede Apostolicâ, quæ sola potuit Imperatori dare privilegium in toto imperio exercendi jus ecclesiasticum, præsentationis videlicet ad Beneficia ecclesiastica. Supposito autem hoc privilegio, à summo Pontifice accepto, jure potuit Carolus IV exigere et mandare ne quis huic suo juri, per privilegium apostolicum quæsito, se opponat.

Quòd autem ejus filius Wenceslaus graves minas addiderit, ejus moribus est adscribendum.

Ad 4: Imperatores etiam recentiores ad antiquam consuetudinem se retulerunt, prout Rudolphus et Carolus, munitam scilicet approbatione et indulto apostolico, quod à summo Pontifice imperatores isti petierant more majorum, et obtinuerant.

19. Deinde imperatores Ferdinandus III et Leopoldus litteras suas in loc. cit. dabant ad ecclesias Lutheranas ad exercendum in illis jus primarum precum. Ad hoc autem evincendum nihil erat efficacius quàm ut ex iis fundamentis jus suum adstruerent, quæ ab ipsis Protestantibus agnoscuntur, videlicet ex antiquissimâ consuetudine, hoc jus Cæsareæ majestati asserente.

Et hæc quidem consuetudo verissimè subsistit, estque omninò legitima, quia Sedis Apostolicæ concessione et approbatione suffulta. Quamvis enim Protestantes hanc cessionem et approbationem contemnant, impedire tamen non possunt, quominùs consuetudo in illâ fundata sit omninò legitima rationabilis, etiam quoad eorum ecclesias.

Cæterùm mirum est potuisse Magdeburgenses aut alios Lutheranos circa jus primarum precum in ecclesiis suis difficultatem ullam movere, cùm non tantùm jus sacrorum imperatoribus asserant, sed pax etiam Westphalica, quam adorant, art. 5, § 18, adeò manifestè illud sanciat. *Ubi sacra Cæsarea majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam in posterum; dummodò decedente Augustanæ confessioni addicto, in ejus religionis episcopatibus Confessioni Augustanæ addictus, ad normam statutorum et observantiæ idoneus, precibus fruatur*, etc.

Ad 5: Eadem est responsio: nam archiepiscopus Moguntinus litteras suas executoriales pariter ad Lutheranos direxit. Adeòque in re justâ propriis armis, domesticis nempe eorum argumentis erant petendi. Et opportunè sanè non tantùm consuetudinem vetustam, sed instrumentum etiam pacis Westphalicæ, tanquàm argumentum maximè ad hominem ipsis objecit.

Nec mirum est quòd in ejusmodi litteris, ad Protestantes directis, altum sit de privilegio pontificio silentium. Non enim sapientissimi principes censebant è re fore auctoritatem Sedis Apostolicæ hostium ejus sibilo exponere, cùm abundè suppeterent documenta quæ ab ipsis non agnoscuntur duntaxat, sed tot etiam libris editis prolixè dilaudantur.

De cætero non altum silentium, sed altus clamor sæpè auditus est de concessione et privilegio sanctæ Sedis, dùm ipsi imperatores faterentur jus suum esse approbatum; dùm Durandus testaretur se vidisse privilegium bullarum imperatorum; dùm tot Cæsares hoc privilegium sibi innovari peterent, prout modò prolixiùs paulisper imus expositum.

§ IV. *Intervenire debet auctoritas Sedis Apostolicæ.*

Communis est Catholicorum sententia, competere quidem imperatori noviter electo jus ad præsentandum clericum idoneum ad Beneficium, primò vacaturum in ecclesiis; non tamen independenter à concessione Ecclesiæ.

20. Ita docent nominatim Hermannus Hermes, Fasciculo jur. publ., c. 11, et c. 4, de Regal. imp.; Andr. Gaill. pract. Observ., l. 2, observ. 115, n. 7, ubi ait, valere Cæsareas preces primarias Pontificis indulto ac privilegio. Choppin de sacr. Polit., lib. 1, tit. 10, c. n. 13; Martinus Uranius, tom. 2, consil. 21, § 10; Petrus Greg. Syntag., l. 17, c. 7, § 21. Azor, Instit. moral., l. 10, c. 7; Boerius, decis. 32, n. 8; Besold., tr. de Majest. eccles., fol. 121; Restaur Castald., de Imperat., q. 100, n. 14 et 15; Arnulph, Ruzeus, de Jur.

regul., privil. 47, n. 2; Joan. à Chokier Indult. prim. prec., in proœm.; Oligenius in præclarâ suâ Dissertatione de Primar. precib., in quâ eruditissimè ac solidissimè hanc materiam pertractat; P. Ignat. Schwarz, coll. Hist. p. 8, q. 6. Accedunt canonistæ et juris etiam civilis interpretes catholici, qui hanc materiam tractârunt. Imò plures etiam ex acatholicis apud P. Schmalzgr. de Præb., n. 327, ut Beckers Synops. jur. pub., c. 5, § 5, Syringius de Pace relig. concl. 31; Rumelinus, Lampadius. Vide Oligenium, pag. 142.

21. Probant 1° ex concilio generali Nicæno II, quod, can. 3, ait: *Omnis electio, à principibus facta episcopi aut presbyteri, aut diaconi, irrita maneat secundùm regulam.* 2° Ex concilio generali Constantinopolitano IV, quod, can. 22, prohibet ne principes seculares ecclesiasticis electionibus se immisceant. Idem ex can. 4, cōncilii Lateran. I, ex can. 25 concilii Lateran. II, ubi prohibetur ne quis Beneficium ecclesiasticum recipiat de manu laici; et, si receperit, eo privandum decernitur. Idem posteriora etiam concilia, tum generalia, tum provincialia, sacri item canones juris pontificii (uti c. 2 de Judic., etc.) frequenter sanciunt.

Ex hoc inferunt laicum principem non posse de Beneficiis ecclesiasticis disponere, absque concessione et privilegio Sedis Apostolicæ. Unde Hermannus Hermes Fascic. Jur. publ., c. 11, appositè in hanc rem scripsit: *Sola consuetudo vel præscriptio immemorialis hoc jus* (primarum precum) *tribuere laico non posset, quia principale requisitum, facultas possidendi jus ecclesiasticum, sine indulto Papæ deficeret.*

22. Agnoverunt hoc sapientissimi imperatores. Unde consuetudo illa, ad quam se referunt Rudolphus I et Carolus IV, fuit à Pontificibus approbata. Privilegium bullarum ipsemet vidit Durandus. Teste Oligenio, Dissert. de prim. Prec., Fridericus III petiit et obtinuit à Nicolao V indultum ad centum Beneficia ante concordata, post illa verò universim jus primariarum precum. Mortuo Nicolao obtinuit à Callixto III novum diploma, prioris indulti confirmativum.

Simile indultum pro primariis precibus ab Innocentio VIII petiit et obtinuit Maximilianus I, à Leone X Carolus V, rursùsque, cùm nova orta essent dubia à Clemente VII Oligenius, Dissert. cit., à fol 52. Ab eodem Pontifice privilegium hoc obtinuit Ferdinandus I, cùm rex Romanorum esset electus, et cùm propterea capitula et collatores quidam conquerentur, instante Ferdinando, novo indulto preces firmatæ sunt. Ut testatur idem Oligenius, atque ostendit anno 1564, simile indultum impetrâsse Maximilianum II à Pio IV. Rudolphum II à Gregorio XIII, Mathiam à Paulo V, Ferdinandum II ab eodem Paulo V, Ferdinandum III ab Urbano VIII, quorum indultorum diplomata exstant passim in extenso apud Besoldum, Chokierum, Oligenium ac ipsum etiam Pfeffingerum in Vitriar. illustr., l. 3, tit. 2, ad n. 9, p. 90, ubi omnia ista indulta fatetur fuisse impetrata. In quibus Papa diversimodè modificet jus illud precum, reservando aliqua, uti primas in cathedralibus et collegiatis ecclesiis dignitates, eaque quæ per extravag. *Ad regimen* sunt reservata.

Gloriosissimæ memoriæ imperator Leopoldus institit quidem per cardinalem de Hassiâ apud Alexandrum VII, teste eodem Oligenio; verùm cùm instaret, ut omisso (ad parcendum ob difficultatem temporum sumptibus) legato *Obedientiæ*, electionis confirmatio indulgeretur, Pontifex id facere recusavit, sicque dissimulatum etiam est tunc indultum apostolicum de primis precibus. Sed re inde amicè Pontificem inter et Cæsarem compositâ, etiam hisce provisum fuit. P. Schwarz, p. 8, q. 6, § 12, n. 4. Oligenius, Dissert. citatâ.

Ex his autem ita concludunt: Tot sapientissimi ac gloriosissimi imperatores per trecentos fermè annos continuâ serie à Sede Apostolicâ petierunt indultum primarum precum; quod sanè non fecissent, nisi existimâssent in hâc re ecclesiasticam intervenire oportere auctoritatem supremi sacrorum antistitis. Si enim eâ quam imprimere conantur Protestantes, ideâ fuissent imbuti, jus primarum precum ex suâ naturâ perpetuo nexu pertinere ad potestatem cæsaream aut regalem, tanquàm majestati et coronæ intrinsecè et independenter connexum, atque absque ullo indulto tanquàm jus regium debitum, aut in solâ consuetudine absque ullo superioris ecclesiastici assensu fundatum ac radicatum, verisimile nullatenùs est, imperatores passuros fuisse hanc potestatem suam per reservationes restringi, aut eos à Romanâ Curiâ flagitaturos fuisse facultatem jura sua regalia atque independentia exercendi. Neque, si dubium aliquod incideret, aut difficultas ex parte capitulorum aut collatorum se opponeret, ad eamdem recurrissent; prout tamen plures imperatores fecisse diximus. Nam cùm Germaniæ ordinarii exciperent, quòd precibus obstent concordata Germaniæ, imperatores ad Papam recurrerunt, ut iis derogaret.

23. Inferunt deinde ex his ulteriùs, hoc jus non ita esse imperatoribus perpetuâ lege concessum à Sede Apostolicâ, ut nullâ deinceps renovatione novâque approbatione opus habeant, prout in jure patronatûs, ex fundatione, e. g., competenti contingit: ubi laici universim ab Ecclesiâ sunt habilitati, et stabili lege fundatoribus præsentandi potestas est transcripta; sed primarias preces tanquàm jus personale ita singulis imperatoribus post præstitum juramentum obedientiæ et advocatiæ, noviter electis concedi, ut successor novo rursùs indulto opus habeat.

Neque enim imperatores, continuatâ serie succedentes, singulos indultum fuisse petituros, si omnibus, etiam successoribus, stabili ac perpetuo privilegio fuisset absolutè concessum, prout jus præsentandi omnibus fundatorum successoribus concessum novimus. Imò ex ipso tenore hujusmodi Indultorum clarè apparere, cuilibet noviter electo personaliter illud fuisse concessum, cùm semper singularis duntaxat persona designata sit, præmissis singularibus ejusdem meritis, cum personalibus expressionibus; ut videro

est apud Oligenium, qui in dissert. de prim. Prec., fol. 47 et seq., singula indulta adducit.

24. Unde neque consuetudinem aliam esse quàm ut singuli de novo indultum petant atque obtineant, ut trecentorum ferè annorum usus declarat. Atque ad hanc normam metiendam etiam esse illam antiquam consuetudinem, quam Rudolphus I, Carolus IV et Wenceslaus allegant, atque approbatam asserunt : quotiescumque nempe novus fuisset creatus imperator, toties à Sede Apostolicâ consuetudinem illam approbatam intelligi.

Patere hoc ex ipsis formis precum primariarum, ab imperatoribus post acceptum indultum apostolicum, ad collatores ordinarios directarum, in quibus expressam legamus eam consuetudinem à quovis tunc Ecclesiæ præsidente speciali approbatione roboratam. Sic in formâ, à Ferdinando II (quam in extenso exhibet Chokier, l. c. in Proœm.) ad collatores directâ, hæc haberi : *Cùm nobis ad prædecessorum imitationem ex inveteratâ consuetudine, etiam apostolicâ auctoritate per S. in Christo Patrem Paulum V, sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Pontificem maximum roborata, jus competat, preces primarias ad omnes et singulos Beneficiorum ecclesiasticorum collatrices, capitula, conventus et collegia ac personas alias, de illis quocumque modo disponendi jus habentes, per universum Romanum imperium constitutas, porrigendi, dandi, concedendi, et decernendi, pro personis idoneis, et nobis gratis*, etc.

25. Addunt : Licèt fortassè antiqua illa consuetudo pro omnibus imperatoribus, etiam secuturis, constitutione universali ac perpetuò valitura fuisset approbata, ut proin tunc opus non fuisset singulis imperatoribus novam approbationem, renovationem, aut novum Indultum petere; aliud tamen habere posteriora tempora.

Nam per concordata Germaniæ consuetudinem illam antiquam abrogatam dicunt; idque probant, tum ex eo quòd in illis adeò singillatim omnia sint excussa, atque dignitates ac Beneficia omnia et singula, pro quocumque casu, quandocumque aut quomodocumque vacatura, inter summum Pontificem et collatores vel Provisores ordinarios sint adeò minutatim distributa, ut cæsareis primariis precibus planè nihil manserit reliquum, vetitumque omninò fuerit, ne quis aut liberas electiones ac provisiones impediret, aut contra tenorem Concordatorum quidquam attentaret, secùs id omne inane et irritum fore.

Atque hinc Fridericum III, post inita concordata à Nicolao V, et postmodùm etiam à Callixto III, petiisse et impetrâsse diploma, concordatis derogatorium, quo jus primarum precum ipsi concederetur. Quo sanè opus non fuisset, si antiqua illa universaliter atque in perpetuum approbata consuetudo per concordata non fuisset abrogata, aut per concordata jus ipsi fuisset reservatum.

26. Neque sequentes post Fridericum imperatores per ducentos et ampliùs annos eamdem concessionem petituros fuisse, concordatis derogatoriam, si antiquâ consuetudine, perpetuo privilegio circumvallatâ, tueri se potuissent.

Consuetudinem proin illam non fuisse stabili lege pro omnibus secuturis imperatoribus absolutè communitam, sed velut conditionatè, si noviter electi eamdem approbari singuli petant. Vel, si ejusmodi consuetudo perpetuâ atque absolutâ approbatione firmata, viguisset, eamdem cum jure primarum precum per concordata Germaniæ fuisse abrogatam, datumque Friderico III novum indultum, quod, cùm personale esset, à singulis subsequentibus imperatoribus renovari oportuisse. Nec sufficere præsumptionem de mente Pontificis, sed requiri actuale indultum.

Patere id ex bullâ Clementis XI, ad capitulum Hildesiense datâ, in quâ præceperit ut ad canonicatum, mense papali vacantem, reciperetur à se provisus, non autem illa, qui per primas preces absque indulto apostolico fuisset nominatus.

Nec suffragari posse exemplum Ferdinandi IV qui statim ac Romanorum rex fuerat electus, non exspectatâ confirmatione et Indulto Pontificio, ejusmodi Preces concessit, cum ex bullâ citatâ constet id fieri invito Pontifice, omniumque à Friderico III imperatorum usque ad Ferdinandum regem exempla haberi contraria.

27. Ipsos adeò acatholicos fateri imperatores post concordata precibus non uti sine indulto pontificio, illudque agnoscere tanquàm Beneficium papale, quod in usu sit jam ultra seculum geminum. Sic Vitriarium, Inst. jur. publ. lib. 3, tit. 2, scribere : *Imperatores hoc jus hodiè ut Beneficium à Pontifice agnoscunt, uti clarissimè patet ex formulâ quâ Paulus V Papa Ferdinando II hoc jus concessit, item ex concessione hujus juris, quæ facta est ab Innocentio X, Ferdinando III.* Idem fermè fateri Fritschium, tract. de Jur. prim. prec., c 2, n. 36, etc. Imò Protestantes in Gravaminibus, an. 1646, mense aprili, in tractatione pacis exhibitis fassos, primarias preces à Pontifice originem ducere, ac propterea easdem voluisse abolitas.

28. Fatentur equidem catholici doctores cum Oligenio, Josephum gloriosissimæ memoriæ imperatorem direxisse preces primarias ad collatores ordinarios sine indulto speciali pontificio. Sed respondent hoc exemplum fuisse singulare, contrarium exemplo omnium imperatorum à ducentis et ampliùs annis, omnium videlicet cæsarum à Friderico III usque ad hoc seculum. Deinde reclamâsse Pontificem Clementem XI speciali bullâ, ad capitulum Hildeshemense datâ. Tandem autem hanc rem totam feliciter fuisse compositam. Exstat in hanc rem bullâ Clementis XI, post electionem gloriosissimi imperatoris Caroli VI ad capitula ecclesiarum cathedralium anno 1714, directa. In hâc dicit Pontifex ; cùm jam benedicente Domino difficultates illæ, propter quas imperiales preces primarias non admittendas esse edixerit, prorsùs sint sublatæ, omninò recipiendas et admittendas esse preces, quas à Carolo imperatore electo quibuscumque capitulis aut collatoribus bene-

ficiorum porrigi seu exhiberi contigerit. Et cùm sibi innotuerit, Josepho imperatori animum non defuisse, ad rem totam explendam, nisi immaturus illius obitus cuncta turbâsset, adeòque per ipsum non stetisse quominùs eædem difficultates penitùs tollerentur, quemadmodùm ex authenticis allatis documentis sibi liquidò constet, idcircò etiam similes primarias preces, ab eodem Josepho rege, dùm viveret, expeditas, suum integrum ac plenum effectum habere; citra tamen præjudicium eorum qui à Papa aut Collatoribus ordinariis in possessionem sint missi.

RESPONSIONES AD ALIAS OBJECTIONES.

Ad præcipua adversariorum argumenta, petita videlicet ex ipsâ naturâ juris majestatici, advocatiæ, patronatûs et antiquæ consuetudinis, jam responsum est. Supersunt leviora quædam adhuc breviter dissolvenda.

Dicunt 1° jus primarum precum jam inde ab Augusto aliisque primis imperatoribus suam trahere originem, utpote qui simul usque ad Gratianum fuerint summi Pontifices. — Resp. jus gentilium circa sacra locum non habere apud Christianos. Sed nec illi leguntur usi jure precum; aut ad quem unquàm direxerunt suas preces? Et licèt primi imperatores christiani usque ad Gratianum adhuc toleraverint titulum *Pontificis maximi*, quem gentiles more veteri eis deferebant, non tamen leguntur ad ulla Beneficia nominâsse. Imò tunc necdùm erecta erant vera Beneficia; sed Clerici in commune vivebant, et sustentabantur ex oblationibus fidelium, quas episcopus per œconomum administrabat.

Dicunt 2° jus primarum precum fundari in eo quòd imperatores semper fuerint primi Ecclesiarum cathedralium canonici. — Resp. hoc fundamentum non esse firmum, cùm à nullo unquàm imperatorum fuerit agnitum aut allegatum.

Dicunt 3° cum Schwedero, Stamlero, Klockio, Fritschio, Vitriario, etc., indultum pontificum non peti ex necessitate, sed ad abundantiorem cautelam, et captandam eò faciliùs capitulorum benevolentiam. — Resp. hoc dici, sed non probari. Contrarium ex dictis patet. Quid opus captatione benevolentiæ si de jure constat? Si capitula resisterent, id ideò contingeret, quia ipsis persuasum est, necessariò hìc intervenire debere auctoritatem Sedis Apostolicæ, et ab eâ definiendum declarandumque, si quid dubium occurreret, aut non jure fieri contingeret, prout ipsi etiam summi imperatores, in rebus dubiis, aut à capitulis vel collatoribus ordinariis in controversiam adductis, ad Sedem Apostolicam, pro novo indulto, magis declarativo, recurrere consueverant. Hoc ipsum precistæ etiam non rarò faciebant, ad tribunalia Romanæ Curiæ obortâ lite, confugientes, ut exemplis probat Oligenius, Dist. cit. fol. 125. Certè non paterentur imperatores jus primarum precum per reservationes pontificias limitari ac restringi, si tantum *ex civilitate*, ut loquuntur, aut *ad captandam benevolentiam*, indultum peterent.

Dicunt 4° cum Goldasto, ex Conrado Urspergensi haberi, quòd Otho IV noluerit Beneficia seu ecclesias conferre primis petentibus, prout ante fuerit consuetudo principum. Ergo consuetudine jamdudùm ante Rudolphum inductum fuerat jus primarum precum. — Resp. : Hæc non sunt contra ea quæ hactenùs attuli; non enim nego consuetudinem illam esse antiquiorem temporibus Rudolphi. Cæterùm vel fuit ea consuetudo approbata à summo Pontifice, prout approbata fuit ea quam allegant Rudolphus I et Carolus IV, et tunc fuit legitima. Vel non fuit approbata (prout probabilius esse videtur; aliàs Otho IV eam non rejecisset); tunc inter abusus est collocanda, quos abjecit et damnavit Fridericus II.

Dicunt 5° cum Pfeffingero ad Inst. Vitriar., l. 3, tit. 2, n. 8, imperatorem Mathiam, an. 1614, ad episcopum Spirensem ob non admissum Adolphum de Veningen ad stallum in choro, dedisse litteras in quibus primarias preces appellat *jus suum et regale*. — Resp. : Certum est Mathiam Cæsarem à Paulo V Papâ petiisse, et impetrâsse indultum, prout ostendit formula precum quas direxerat, exstans apud Besoldum Thesaur., pract., part. 2, pag. 149, ubi sic loquitur : *Cùm nobis ad prædecessorum nostrorum imitationem ex inveteratâ consuetudine; etiam apostolicâ auctoritate per sanctissimum in Christo Patrem Paulum V, Sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ pontificem maximum jus competat*, etc. Jus igitur ac regale appellat, quia ex consuetudine à Paulo V approbatâ per speciale indultum regiæ ac cæsareæ ejus majestati fuit concessum, propter ejus præeminentiam et supremam in temporalibus potestatem. Eodem sensu etiam Status Catholici Ratisbonæ, an. 1646, appellârunt *regale Romanæ coronæ*; præterquàm quòd hoc modo loquendi fuerint usi tanquàm argumento ad hominem adversùs Lutheranos, qui imperatori jus primariarum precum in terris suis negabant.

Dicunt 6° : Imperatores electi, etiam ante confirmationem statim administrant imperium; ergo etiam statim possunt exercere jus primariarum precum, antequàm ullum indultum petant. Atque ita fecisse Ferdinandum IV et Josephum I est in comperto.

Resp. 1° : Hoc argumentum non probat jus primariarum precum non fundari in concessione saltem generali Sedis Apostolicæ; sed ad summum probaret non debere singulos imperatores indultum petere, postquàm generali et perpetuo privilegio hoc jus imperatoribus omnibus ritè electis concessum fuit. Quo non obstante nihilominùs hoc jus à Sede Apostolicâ suam posset originem trahere, id quod maximè cum acatholicis est controversum.

Quid autem sentiendum de alterâ quæstione, cum quibusdam etiam Catholicis controversâ, an scilicet singuli imperatores debeant ejusmodi indultum petere, vel an non saltem ante petitum indultum possit noviter electus jus illud exercere, aliorum potiùs DD. ex sensu ac verbis superiùs retuli.

Ad exempla etiam Ferdinandi IV et Josephi I, ex iisdem responsum; hoc addo, illos haud dubiè bonâ fide egisse, Catholicorum non paucorum doctrinâ ful-

tos, existimantium, imperatoribus universim datum fuisse à Sede Apostolicâ privilegium universale ac perpetuum, aut in consuetudine antiquissimâ, summi Pontificis assensu firmatâ, sententiam suam fundantium, quamvis postea Clemens XI in bullâ citatâ contrarium declaraverit.

Articulus III.

Ad quæ Beneficia se extendant primæ preces?

Regulæ generalis instar hìc est, preces primarias imperatoris habere locum in omnibus Beneficiis ecclesiasticis, secularibus ac regularibus, curatis et non curatis, simplicibus et duplicibus, dignitatibus videlicet, personatibus, administrationibus et officiis.

30 In specie autem hisprecibus sunt subjecta 1° *reservata summo Pontifici* (iis exceptis, quæ sunt reservata in Extravag. *Ad regimen*, 13, de Præbend. et Dignit.); 2° *electiva*; 3° *subjecta juri patronatûs ecclesiastici*; 4° *collativa per turnum*; 5° *curata et vicariæ perpetuæ*; 6° *vacantia per promotionem, per professionem religiosam, per initum matrimonium, vel ob crimen simoniæ, hæresis*, etc.; 7° *devoluta ad immediatum superiorem*, e. g., ad episcopum, vel alios præsules Papâ inferiores; 8° *resignata simpliciter in manus ordinarii*; 9° *ad collaturam monasterii spectantia*.

Quæ omnia patent ex indultis apostolicis, imperatoribus datis, uti ex dato à Paulo V, Ferdinando II, imperatori, apud Chokier in Prec. prim. illustr., atque ex Indulto concesso Ferdinando III ab Urbano VIII (quod in extenso exstat apud P. Schmier, l. 3, tr. 1, p. 2, c. 3, sect. 7, n. 288, ubi præmissis magnis laudibus memorati imperatoris Pontifex ita loquitur:

31. « Hinc est quòd tuæ Celsitudinis supplicationi « inclinati, dictâ auctoritate præsentium serie eidem « Celsitudini tuæ concedimus et indulgemus, quod, « si per te quibusvis collatoribus seu collatricibus « quorumcumque Beneficiorum ecclesiasticorum, se- « cularium vel regularium ordinum quorumcumque, « per sacrum Romanum imperium ubilibet constitu- « torum, etiam, si qui, vel si quæ pontificiali, vel « aliâ quâvis dignitate præfulgeant, seu collegia, ca- « pitula et conventus fuerint, super singulis Beneficiis « ecclesiasticis, cum curâ vel sine curâ, secularibus, « vel ordinum hujusmodi regularibus, in singulis « cathedralibus, etiam metropolitanis, collegiatis, et « aliis quibuscumque Ecclesiis, etiamsi Beneficia hu- « jusmodi, canonicatus et præbendæ, dignitates, « personatus, administrationes vel officia in eisdem ca- « thedralibus, et metropolitanis vel collegiatis eccle- « siis, et ipsæ præbendæ in illis ex hujusmodi Ecclesiis, « in quibus majores vel minores præbendæ esse no- « scuntur, etiamsi majores fuerint, et ad dignitates, « personatus, administrationes, vel officia hujusmodi « consueverint, qui per electionem assumi, eisque « cura immineat animarum, dummodò dignitates ipsæ « in cathedralibus, etiam metropolitanis, post pon- « tificales majores, aut collegiatis hujusmodi princi- « pales non existant, ab eorumdem collatorum vel col- « latricum collationem, provisionem, præsentatio « nem, electionem vel quamvis aliam dispositionem « communiter, vel divisim pertinentibus, singu- « lis personis conferendis, seu super hoc quòd personæ « ejusmodi ad illa recipiantur et admittantur, preces « porrigi, seu de personis eisdem ad Beneficia hujus- « modi nominationes fieri contigerit primarias, iidem « collatores, et collatrices salvo quòd singulæ collatio- « nes et singulæ ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Be- « neficio non graventur, ac ipsi collatores, et collatrices « saltem quatuor Beneficia ecclesiastica conferre ha- « beant, hujusmodi precibus et nominationibus pa- « rere et intendere, nec non personas ipsas ad hujus- « modi Beneficia, postquàm ipsis de illis canonicè « provisum fuerit, juxta earumdem precum ac nomi- « nationum tenorem recipere, et admittere debeant, « et etiam teneantur.

« Quòdque quicumque quibusvis in dignitatibus con- « stituti, seu ecclesiarum cathedralium canonici singu- « li, videlicet in illis quos pro singulis personis prædic- « tis, precum et nominationum hujusmodi, et ad hoc, ut « sortiantur illa effectum, etiam præsentium *executores* « deputaveris, per se vel alium seu alios Beneficia « prædicta, cùm in quibusvis etiam ordinariis colla- « toribus per constitutiones nostras aut litteras alterna- « tivas, aliaque privilegia et indulta quæcumque quo- « modocumque concessis, et in posterum concedendis, « aut aliis quibuscumque mensibus vacaverint, et quæ « personæ, pro quibus preces et nominationes hujus- « modi factæ fuerint, quatenùs hujusmodi preces seu « nominationes ad illa se extendant, infra mensem, « postquàm ipsis vacatio hujusmodi Beneficiorum in- « notuerit, duxerit acceptandas; etiam ipsa Beneficia « dispositioni apostolicæ, aliàs quàm per constitutio- « nem felicis record. Benedicti Papæ XII, prædeces- « soris nostri, quæ incipit *Ad regimen*, generaliter « reservata existant, et ex diversis personis vacave- « rint, et personæ nominatæ prædictæ tempore asse- « cutionis Beneficii, ad quod nominatæ fuerint, aliud « Beneficium in eâdem ecclesiâ obtineant, ac secun- « dùm statuta et consuetudines ecclesiarum, in qui- « bus Beneficia hujusmodi constiterint, vel indulta, « ecclesiis concessa, capaces, videlicet in ætate legi- « timâ constitutæ, aut de legitimo matrimonio pro- « creatæ non sint; dummodò quoad hujusmodi qua- « litates alias cum eis canonicè dispensatum, et Bene- « ficia in eâdem ecclesiâ talia sint, quæ sine dispen- « satione apostolicâ in simul obtineri possint, aut con- « sueverint, ac ipsorum vacantium Beneficiorum « collatio non fuerit juxta Lateranensis statuta conci- « lii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, neque « super illis inter aliquos lis pendeat indecisa, conferre « et assignare etc., nec non omnia et singula, quæ ad « hoc, ut precum seu nominationum, ac collationum « et acceptationum hujusmodi succedant effectus, « opportuna fuerint, facere auctoritate nostrâ per cen- « suram ecclesiasticam exequi possint ac valeant, etc.

« Non obstantibus nostris de non utendo gratiâ ex- « spectativâ, ac reservatione speciali, vel duabus gra

« tiis insimul... nec non quibuscumque in cancellariâ « Apostolicâ quandocumque publicatis et publicandis, « et aliis constitutionibus et ordinationibus apostoli- « cis, nec non aliis ecclesiarum in quibus hujusmodi « Beneficia forsan fuerint, statutis et consuetudini- « bus, etc., nec non concordatis nationis Germanicæ, « ac eorumdem concordatorum confirmatione ac præ- « dictis et quibuscumque aliis, quandocumque editis, « et edendis constitutionibus et regulis nostris, et « dictæ cancellariæ, ad quarum solemnitatem, ad- « strictionem, formam et satisfactionem seu obser- « vantiam, habentes preces, seu nominationes hujus- « modi, minimè teneantur, nec ipsæ preces sub illis « comprehendantur quoquomodo; nec non quibusvis « privilegiis, indultis et litteris apostolicis, et quibus- « vis gratiis expectativis, specialibus vel generalibus, « etiam mentalibus reservationibus, unionibus et an- « nexionibus, et incorporationibus, suppressionibus, « et extinctionibus perpetuis, et temporalibus, nomi- « nationibus, etc.

32. Ex hoc indulto pontificio (cui fermè conformia sunt alia) constat, 1° preces istas tantæ esse efficaciæ, ut non alteri, quàm per preces à Cæsare nominato, Beneficium conferri possit, si is idoneus sit. Et, si alteri conferretur, id fieret invalidè.

Constat 2° eas non impediri per quamcumque reservationem, exceptis iis Beneficiis quæ continentur in citatâ Const. *Ad regimen*.

Constat 3° derogari regulis cancellariæ, litteris concessis in *formâ pauperum*, seu mandatis de providendo clericis pauperibus, personis illustribus aut graduatis. Ut patet ex § *Non obstantibus*; imò omnibus aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis.

Constat 4° derogari statutis et consuetudinibus ecclesiarum particularium : Unde si qualitas aliqua in canonico aut beneficiato tantùm requireretur ex statuto aut consuetudine particulari alicujus ecclesiæ, posset Cæsar ad eum canonicatum aut Beneficium nominare etiam talem clericum, qui eâ qualitate caret. Quare, cùm capitulum quoddam recusaret in canonicum assumere ignobilem clericum, quem Ferdinandus II, nominaverat, coactum fuit eum admittere, non obstante consuetudine aut statuto, ut tantùm nobiles recipiantur.

Constat 5° derogari etiam concordatis Germaniæ (et quidem expressè) præsertim quatenùs statuit alternativam mensium. Nam primæ preces locum habent quocumque mense absque discrimine, sive mense papali, sive mense ordinarii collatoris Beneficium incipiat vacare.

Articulus IV.

Ad quæ Beneficia se non extendant primæ preces?

33. Resp. 1°: Se non extendunt ad ea quæ in Extravag. *Ad regimen*, Papæ sunt reservata. Neque ad ea quæ ad Sedem Apostolicam sunt devoluta.

Resp. 2°: Neque ad dignitates episcopales, aut his proximas in cathedralibus, uti præposituras; neque ad principales seu primas in collegiatis.

Resp. 3°: Neque ad ea quæ ex naturâ suâ sunt regularia, uti sunt abbatia, præpositura, prioratus, decanatus regularis. Neque enim Cæsar nominat religiosos ad istas dignitates regulares: imò neque ad Beneficia regularia.

Resp. 4°: Neque ad beneficia *patronatûs laici*. Quia ut aliàs observavimus, Pontifex per reservationes aut concessiones generales non censetur derogare juri, ex fundatione, constructione, aut dotatione quæsito. Idem dicendum de patronatu mixto. Aliud tamen esset, si plures forent compatroni ecclesiastici, quàm laici.

Resp. 5°: Neque ad *monocularia*, quando scilicet collator tantùm unum potest conferre; imò neque, si tantùm duo aut tria potest conferre. Nam ex indulto recitato, preces primarias tantùm ii collatores tenentur admittere, qui saltem quatuor possunt conferre. Ne aliàs toto vitæ tempore, præsertim cùm imperatores brevi tempore regnarent, nec unicum conferre possent.

Resp. 6°: Neque ad Beneficia *manualia*, quæ ad nutum sunt revocabilia, aut *vicarias temporales*, *pensiones*, et alia quæ non conferuntur in titulum. Quia propriè ne quidem sunt Beneficia ecclesiastica.

Resp. 7°: Neque ad *litigiosa*, de quorum proprietate lis pendet. Neque ad *resignata* ex causâ permutationis, aut in favorem tertii; quia non absolutè vacant. Quibus addit Leurenius simpliciter resignata in manibus Papæ.

Resp. 8°: Neque ad ea quæ perpetuò sunt *incorporata* alicui dignitati Ecclesiæ, collegio, mensæ episcopali aut capitulari.

Resp. 9°: Neque ad ea quæ sunt extra Romanum imperium, aut ad ea quæ in alienis regnis aut ditionibus sunt sita, licèt olim spectârint ad imperium. Nisi eâ conditione translata sit ad alium principem provincia, ut retineat quoad sacra eas conditiones quas habebat, dùm erat sub imperio, prout de episcopatu Metensi, Tullensi et Virodunensi perhibetur.

Excipiuntur Beneficia Italiæ, etiam in illis provinciis sita quæ imperatori jure feudali sunt subjectæ. Proceditque hoc etiam pro casu quo collator in Germaniâ existit. Sicut è contra primis precibus locus est, etsi collator extra Germaniam existat, modò Beneficium existat in Germaniâ.

Quæres an preces cæsareæ etiam extendantur ad Beneficium secundum vacaturum, quando precista Beneficium primitùs vacans non fuit adeptus?

Resp. : Si precista ex negligentiâ et culpâ suâ Beneficium non fuit adeptus preces non extenduntur ad secundum, sed post mensem exstinguuntur, quo primùm cœpit vacare, arg. c. 11, de Præb., in 6.

Si verò precista absque culpâ suâ Beneficium non fuit adeptus, preces etiam ad secundum et tertium porriguntur, usque dùm precista unum fuerit adeptus.

Si verò jam semel Beneficium acceptavit, variare et aliud prætendere non ampliùs potest; quia res non ampliùs est integra, cùm jus jam sit consecutus.

Articulus V.

Quænam adhuc notanda?

34. Resp. 1° : Clericus qui preces cæsareas obtinuit, debet intra mensem, Beneficium ad quod nominatus est, acceptare et declarare quòd illud vi præmarum precum petat. Mensis autem iste incipit currere à tempore, quo ipsi vacatio Beneficii innotuit. Quod statutum est, ne Ecclesia propter diuturniorem vacationem detrimentum patiatur.

Unde docet Hermes, mense elapso, exstingui jus precistæ, si ex culpâ suâ Beneficium à collatore non petat. Aliàs enim frustra fore tempus unius mensis determinatum. Neque huic determinationi obstare clausulas generales.

Contrariam tamen sententiam tuentur Wagnereck, Engel., Pirh., Wiestner., Schmalzgr., qui docent, quòd etiam elapso jam mense possit preces collatori offerre, si res adhuc sit integra, hoc est, si post lapsum mensis necdùm altari sit facta collatio. Quia in indulto Apostolico dicitur non obstare precistæ, quæ alioquin requiruntur de insinuatione et publicatione nec frustra tamen mensem determinari, quia eum in finem determinatum esse, ut ordinarius collator mense elapso possit liberè conferre. Nam

Resp. 2° : Precista intra mensem debet preces cæsareas seu rescriptum, vel nominationem ad Beneficium præsentare ordinario ejus collatori, puta episcopo vel capitulo, capitulariter congregato, etc. Si secùs fecerit, poterit ordinarius liberè illud alteri conferre, nec illa collatio ampliùs retractabitur. Cæterùm tempus legitimè impedito non currit, et probabiliùs neque minori; vel saltem habet jus restitutionis in integrum. Quamvis enim minor in iis quæ in seipsis verè sunt spiritualia, uti in matrimonio, voto, professione religiosâ, habeatur pro majore, sicut filiusfamiliàs quoad castrensia, non tamen in iis quæ tantùm sunt annexa spiritualibus, uti beneficialia. Sic nim minor adversùs propriam resignationem Beneficii restituitur in integrum.

35. Resp. 3° : Interponendæ sunt eæ præces in quâvis ecclesiâ pro uno tantùm Beneficio, et semel tantùm (ut aliàs dictum). Et quidem debet imperator nominare *dignum*, ut videlicet habeat eas qualitates quæ de jure communi, vel vi fundationis in beneficiato requiruntur. Unde non debet esse illegitimus, irregularis, vel censurâ irretitus, nec alio laborare impedimento Canonico, nisi à Pontifice cum eo esset dispensatum. Dixi, *de jure communi*. Nam imperator non tenetur attendere ad statuta aut consuetudines particulares alicujus Ecclesiæ.

Sufficit autem, si qualitates requisitas habeat tempore collationis. Unde vim suam obtinent preces; etiamsi precista, tempore earum impetratarum, non habuisset primam tonsuram, legitimam ætatem, etc.

36. Resp. 4° : Imperator jus suum primariarum precum potest alteri cedere prout exempla præteritæ ætatis demonstrant. Sic Wenceslaus hoc jus per diœcesim Spirensem et Wormaciensem cessit Ruperto Palatino; Ferdinandus II, electori Coloniensi, etc., quo casu nominatio cessionarii perinde haberi debet ac si fuisset facta ab ipso imperatore.

Imò potest imperator etiam variare; hoc est, postquàm Petrum nominavit ad Beneficium, nominare ad illud Paulum. Nisi absoluta prorsùs fuisset promissio; quæ sanè, si acceptata fuerit, cadit in debitum. Ratio est quia si ejusmodi absoluta promissio non subest, censetur imperator sibi reservàsse potestatem variandi. Aliud tamen esset, si res non ampliùs foret integra, uti, si precista preces jam obtulit collatori.

37. Ipse etiam precista potest variare, petendo secundum Beneficium, quando primi petitio absque ejus culpâ non est sortita effectum, ut si primus actus fuit invalidus. Nam licèt hæ preces ad unam tantùm in quâvis ecclesiâ collationem tendant, tamen hanc validam esse oportet. Et hinc si jam primum validè acceptâsset, non posset ampliùs variare acceptando secundum, quia preces jam sunt consecutæ suum effectum. Si verò precista esset nominatus ad Beneficium, quod primis precibus non est obnoxium, posset is, omissis precibus, ad ordinariam provisionem transire, et liberam collationem ab ordinario petere.

Cæterùm, si precista pacificam Beneficii possessionem obtinuit, debet Beneficium si quòd priùs habuit et sit incompatibile, dimittere, non autem si sit compatibile.

Quinimò potest unus idemque clericus ab imperatore ad plura Beneficia, in diversis ecclesiis nominari, disjunctivè tamen. Et si taliter præsentatus uno Beneficio provisus fuerit, potest imperator pro aliis ecclesiis alios nominare.

38. Ut autem preces primariæ eò certiùs ad finem suum pertingant, constituere solet imperator auctoritate apostolicâ *Executores*, qui debent esse personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ, vel saltem canonicatum in ecclesiâ cathedrali obtinere. Hi executores possunt quosvis collatores ordinarios etiam censuris compellere, ut Beneficium ritè nominato conferant. Et, si renuant, possunt ipsi executores illud conferre.

Potest autem executor sub-executorem constituere; quia est delegatus supremi principis, qui potestatem sibi commissam potest subdelegare.

CAPUT II.

de institutionibus.

Institutio latè accepta comprehendit quamlibet provisionem ecclesiasticam in causâ Beneficiali; atque sic electionem etiam, et collationem liberam complectitur. Quo sensu loquitur prima regula juris, in 6 : *Beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonicâ obtineri.* Unde postquàm de jure beneficiali, de jure patronatûs, de concordatis Germaniæ, atque de primariis imperatorum precibus tractavimus, de institutionibus etiam breviter aliqua subjungenda duxi.

Strictiùs autem sumpta institutio dividitur 1° in *collativam*, per quam confertur titulus beneficii; 2° in *auctorizabi'em*, quâ committitur cura animarum per sacramentorum administrationem exercenda; 3° in *possessoriam ver investituram.*

ARTICULUS PRIMUS.

De institutione collativâ.

Præcipua institutionum species est *collativa*. Est autem alia *libera*, quando confertur Beneficium clerico à collatore ordinario omninò liberè ita, ut nullum jus aut obligationem præsupponat. De hâc tractatum est dissert. de Jure benef.

Alia verò est institutio *necessaria*, quæ datur ad patroni præsentationem, aut nominationem imperatoris vigore primarum precum, et de hâc hìc aliqua disserenda veniunt.

§ I. *Natura institutionis collativæ.*

39. Institutio est *concessio necessaria Beneficii vacantis ab ordinario facta ad præsentationem patroni.* Dicitur *necessaria*, quia debetur legitimè præsentato; modò Beneficium sit patronatum, et vacet, atque debito tempore præsentetur idoneus.

Quòd si his concurrentibus ordinarius neget institutionem, aut plus æquo differat, poterit præsentatus imò etiam ipse patronus appellare, aut provisionem impetrare à Papâ.

Quæstio autem controversa est, an valida sit institutio, quæ facta est vel invito vel inscio patrono. Nam duplex in hâc re est sententia. Prima dicit quòd talis institutio non sit ipso jure nulla, sed valeat quidem, sit tamen rescindibilis; altera omninò invalidam esse contendit. Et hæc est communior, videturque probabilior atque decisa, can. *Decernimus*, 32, caus. 16, q. 7, ibi : *Quòd si spretis eisdem fundatoribus, rectores ibidem præsumpserit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.*

Secundùm hunc autem canonem videtur intelligendum cap. *Illud*, 8, de Jur. patron. in fin., ubi dicitur talis institutio irritanda, nempe pro irritâ declaranda; prout doctores communiùs explicant.

Valida tamen est institutio facta ad præsentationem patroni putatitii, seu bonâ fide existimati, licèt reipsà proprietas patronatûs ad ipsum non pertineat. Nam, ut valeat institutio, plus non requiritur, quàm ut præsentans sit in possessione bonæ fidei. Unde licèt postea alius in petitorio obtinuerit, rata tamen erit præsentatio patroni existimati, et subsequa institutio ordinarii, cap. 19 de Jur. patron.; nam, quod legitimè factum est non retractatur, licèt deveniat ad eum casum, à quo incipere non potuisset, cap. 12, dist. 55, et l. 2, ff. de ltin. actuq. privat.

Aliud esset, si lis oriretur, non solùm, ad quem jus præsentandi pertineat, sed an Beneficium sit obnoxium juri patronatûs. Nam tunc pro collatione libera esset præsumptio.

§ II. *Causa efficiens.*

40. Causa efficiens est ipse *instituens*, ad quem de jure vel consuetudine pertinet institutio, persona nempe ecclesiastica. Nam secularis ad hoc est inhabilis.

Hanc potestatem instituendi in Beneficiis patronatis per suam diœcesim regulariter habet episcopus. Unde intentionem suam habet fundatam in jure, adeò ut, si quis alius jus illud prætendat, in dubio probare illud debeat.

Instituere autem potest episcopus, etiam ante consecrationem, modò sit confirmatus. Quia institutio non est actus ordinis, sed jurisdictionis; et quidem necessariæ, cùm debeat instituere legitimè sibi à patrono præsentatum.

Quapropter hæc potestas transit ad capitulum sede vacante. Estque hoc ipso disparitas cum collatione libera. Nam si Beneficium pertinet ad liberam collationem episcopi, fieret eidem præjudicium, si à capitulo conferretur. Contra verò nullum eidem fit præjudicium, si capitulum præsentatos instituat, cùm institutio non sit libertatis, sed necessitatis ac justitiæ. Instituere autem solet capitulum sede vacante per suum vicarium in spiritualibus.

Vivente episcopo competit ea potestas etiam vicario generali, et quidem probabiliùs absque speciali mandato, Arg. c. fin. de Offic. vicar., in 6, ubi vicario negatur potestas liberæ collationis, ex eâ ratione quòd donare non possit. Ergo à contrario potest instituere, cùm institutio non sit donatio, sed necessaria ad requisitionem patroni provisio. Item Arg. c. 3, hoc titulo, ubi improbatur institutio, quæ non fit ab episcopo, aut ejus *officialibus, qui hoc de jure possunt.* Ergo supponitur aliquos officiales episcopi de jure posse instituere. Inter hos autem præcipuè est vicarius generalis, qui in jure præcipuè venit nomine *officialis.* Ratio ulterior est cùm jurisdictio vicarii generalis sit eadem jurisdictione episcopi, idemque utriusque tribunal potest omnia quæ ipsi non inveniuntur prohibita.

Quamvis autem institutio jure ordinario competat episcopo ejusque vicario, et sede vacante, capitulo, jure tamen extraordinario competit multis prælatis inferioribus, ex consuetudine videlicet aut præscriptione, vel privilegio, etiam in Ecclesiis, quæ subjectæ sunt episcopo.

Ante concilium Tridentinum competebat etiam prælatis Ecclesiæ episcopo inferioribus, *ex fundatione;* hoc autem concilium statuit, sess. 14, c. 12, de Ref., *ut in casu fundationis aut dotationis institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur.* Quidam tamen hanc dispositionem concilii intelligunt tantùm de institutione auctorizabili. Alii verò, cum card. de Lucâ verosimiliùs eam referunt quidem ad institutionem collativam tituli; existimant nihilominùs, eam conditionatè esse accipiendam, non posse videlicet institutionem in fundatione inferiori prælato reservari, nisi ipse episcopus consentiat, et fundationem sic factam approbet, cùm jure suo possit cedere.

Quæres 1° an jus instituendi clericos posset competere laicis.— Resp.: Posset illis competere ex speciali privilegio apostolico, sicut eodem acquirere possunt jus eligendi ac conferendi Beneficia, jus decimandi, etc.; licèt enim per se jurisdictionis ecclesiasticæ sint incapaces, et quidem jurisdictionis internæ pro foro sa-

cramentali pœnitentiæ jure divino, cùm hæc jurisdictio absolutè ordinationem sacerdotalem eodem jure divino præsupponat; jurisdictionis tamen alicujus externæ, quæ à jure ecclesiastico dependet, præsertim voluntariæ, qualis est institutio, collatio, electio, per privilegium apostolicum fieri possent capaces.

Non tamen exinde sequitur, quòd etiam per consuetudinem aut præscriptionem jus instituendi possint laici acquirere. Non enim universaliter verum est, quod per consuetudinem aut præscriptionem possit obtineri omne id quod obtineri potest per privilegium. Hoc enim non procedit, quando datur incapacitas possessionis. Laici autem, secluso privilegio Sedis Apostolicæ, sunt incapaces possidendi jura spiritualia.

Si igitur alicubi laici (aut etiam moniales vel abbatissæ) ejusmodi jura instituendi, eligendi, aut conferendi ab immemoriali tempore exercent, id non oritur ex eo, quòd per actus longissimi temporis jus istud acquisiverint, (cùm absque possessione vel quasi-possessione nulla præscriptio possit procedere) sed si in quieto usu talium jurium relinquuntur, id contingit ideò, quia ex tanti temporis cursu, continuoque usu præsumitur, obtentum fuisse aliquando privilegium apostolicum. Quæ tamen ipsa præsumptio, detecto possessionis vitio, cedere debet veritati.

Quæres 2° an instituere quis seipsum possit? — Resp.: Licèt quis possit aliquos actus jurisdictionis voluntariæ in seipsum exercere, uti dispensare secum ipso, prout faciunt superiores, qui dispensando cum subditis non rarò etiam secum ipsis dispensant, imò etiam quandoque cum seipsis licèt cum subditis non dispensent; hoc tamen non procedit in materiâ beneficiali, in quâ propter ambitionis et personæ acceptationis periculum haud expedire visum est, ut quis se ipsum eligat, confirmet, instituat; cùm etiam in materiâ profanâ visum sit inconveniens ut aliquis fiat auctor in rem propriam, l. 1, ff. de Auctor. tut., P. Franc. Schmier, l. 3, tr. 1, c. 3, sect. 3, n. 122. Quomodò autem hoc non obstante seipsum quis indirectè præsentare possit, dictum est supra, speciale etiam quid est, quod in electione imperatoris possit elector sibi ipsi votum dare, ut fecit Sigismundus, etc.

Quæres 3° an saltem alium possit quis simul præsentare et instituere. — Resp. affirmativè, si ex eodem titulo jus præsentanti et instituendi habeat. Quia tunc in effectu videtur esse libera collatio. Si autem præsentatio et institutio ipsi competerent diverso ex titulo, diversis actibus esset exercenda, aut alterutra per procuratorem. P. Schmier, l. c., n. 129, etc.

§ III. *Causa materialis.*

41. Causam materialem institutionis dicere possumus *subjectum*, quod recipit institutionem ab ordinario.

Requiritur autem 1° ut sit clericus; quia laicus est incapax Beneficii, c. 2, hoc titulo, nec sufficit, si quis statim post institutionem insigniatur primâ tonsurâ. Aliud est, si jam sit clericus, per ordines minores aut primam saltem tonsuram insignitus; nam tunc præsentari potest ad ecclesiam, etiam parochialem, et instituì debet, modò alioquin sit idoneus, et intra annum ad sacerdotium promoveri possit, c. 2, hoc titulo. in 6, quia, generaliter loquendo, non est necesse ut instituendus actu habeat illum ordinem, quem Beneficium requirit, sed sufficit, si intra annum illum recipiat, Clem. 2, de Ætat. et Qualit., modò sit Clericus, qualis fit jam per primam tonsuram.

Quamvis autem laicus de jure ordinario sit incapax ut instituatur in Beneficio ecclesiastico, nihilominùs principibus aliquibus laicis conferuntur præbendæ quædam honorariæ, uti imperatori Romæ ad S. Petrum in Vaticano, si Romæ coronatus fuerit; regi Romanorum Aquisgrani; regi Galliæ in ecclesiâ Pictaviensi et Cenomanensi; regi Hispaniæ in Legionensi.

Requiritur 2° ut instituendus sit idoneus et dignus; neque enim ordinarius instituere potest inidoneum sive indignum, à quocumque demùm patrono fuerit præsentatus. Quâ de re prolixiùs tractatum est in dissert. de Jure beneficiali, et adhuc abundantiùs in dissert. de Jure patronatûs. Hinc ante institutionem candidatûs examen de doctrinâ, moribus et canonicis impedimentis subire debet. Atque si ordinarius inidoneum instituat, tenetur Ecclesiæ damnum resarcire quantùm potest.

Requiritur 3° ut intra tempus debitum sit præsentatus; nempe ut intra quadrimestre à patrono laico, et intra semestre ab ecclesiastico sit præsentatus. De quâ etiam re supra in dissert. de Jure patronatûs plenius actum.

Licèt verò Barbosa, Palao, Leurenius, aliique doctores contendant, institutionem fieri non posse intra tempus, à jure indultum patronis ad præsentandum; ex ratione; quia aliàs per acceleratam ejusmodi institutionem laico patrono fieret præjudicium, eò quòd adimeretur ipsi facultas variandi, etc.; verùm non video, quomodò patroni juribus præjudicetur, si ab ipso præsentatus, post legitimum examen, currente adhuc tempore concesso, institueretur; cùm per suam præsentationem ipsemet renuntiet ulteriori variationi. Neque præjudicatur Ecclesiæ; cui expedit, non diù esse viduatam. Et videtur hoc confirmare, saltem in Germaniâ, praxis plurium diœcesium, quarum ordinarii solent instituere præsentatum etiam intra tempus, ad præsentandum concessum; modò idoneus fuerit inventus. Aliud foret, si jus præsentandi non esset satis compertum; nam tunc verus adhuc patronus posset comparere; in cujus præjudicium cederet anticipata institutio.

§ IV. *Causa formalis.*

42. Causam formalem constituit modus quo fieri debet institutio, atque tribus absolvitur. Requiritur enim 1° ut fiat ad præviam patroni præsentationem. Aliàs est nulla; modò patronus intra tempus sibi ad præsentandum concessum egerit de contemptu.

2° Ut institutio fiat auctoritate ordinarii. Aliàs, si patronus laicus clericum instituere attentet, nulliter agit, et est excommunicandus; ecclesiasticus patronus,

si idem attentet, nolitque desistere, pariter censuris coercendus. Quam etiam pœnam incurrit taliter institutus.

3° Ut ante institutionem per edictum, publicè affixum, citentur et audiantur omnes qui volunt aliquid opponere, arg. c. fin de Elect., in 6, quo tamen edicto opus non est in institutionibus, factis à summo Pontifice. Neque in iis diœcesibus, in quibus hic usus nunquàm fuit introductus, vel contrariâ consuetudine rursùs abrogatus, prout passim non viget. Neque in collatione liberâ, per quam statim acquiritur jus in re; sed in tantùm post præsentationem et electionem, per quas acquiritur solummodò jus ad rem.

Facit autem ejusmodi edictum, ut si lapso termino comparcat verus patronus, non ampliùs audiatur, saltem si conscius fuit edicti, et legitimè non fuerit impeditus.

Cæterùm tempus, intra quod, post factam præsentationem, facienda sit ab ordinario institutio, in jure determinatum non est. Quòd si tamen, postquàm debitè petita est institutio, diutiùs, e. g., ultra duos menses differatur, ejus ad quem pertinet jus instituendi, superior implorandus est, ut certum terminum præfigat, intra quem si institutio non fiat, ipse supplebit negligentiam, vel compellet ordinarium ad faciendam institutionem.

§ V. *Causa finalis.*

43. Finis præsentationis et institutionis est, ut fundatores ecclesiarum ac beneficiorum ecclesiasticorum debitè honorentur, ac ipsis ecclesiæ quam fundàrunt, de idoneo ministro providere liceat, atque eâ ratione alliciantur ad liberalitatem suam erga pias causas exercendam. Qui finis ab Ecclesiâ intentus sanè rationabilis est; non enim convenit, ut liberales Ecclesiarum fundatores, constructores, et dotatores prorsùs nullum jus circa creaturam suam habeant.

Ne tamen contra antiquissimos conciliorum canones Beneficium ecclesiasticum de manu laicâ recipiatur, providè ab Ecclesiâ provisum fuit, ut auctoritas ecclesiastica interveniat, et per institutionem ecclesiasticam, ab episcopo aut alio ordinario factam, patroni intentio ad finem suum modo congruo deducatur. Atque hâc ratione simul et patronorum liberalitas jugi colatur obsequio, et nihilominùs ecclesiasticæ consulatur auctoritati.

§ VI. *Objectum.*

44. Objectum, seu materia, circa quam versatur institutio, est *Beneficium patronatum vacans*. Si enim non vacaret, tam præsentatio quàm institutio esset irrita. Vacare autem Beneficium potest triplici modo: 1° *de facto tantùm*, quando Beneficiatus legitimo titulo ac jure munitus possessione per vim aut metum iniquè dejectus fuit. Ad Beneficium autem taliter vacans nec præsentatio nec institutio fieri potest, cùm propriè non vacet: 2° *de jure tantùm* vacat, quando beneficiatus titulo canonico seu jure destitutus, in detentione injustâ Beneficii persistit; 3° *de jure et facto simul* vacat, quando neque jus seu titulum quisquam habet neque possessionem, ut contingit, quando beneficiatus moritur aut resignat.

Jam verò, si secundo aut tertio hoc modo vacat Beneficium, locus est præsentationi et institutioni, c. 3, de Offic. ordin., in 6, quia propriè vacat.

Debet insuper Beneficium esse patronatum; nam in collativo et electivo institutio ista locum non habet. Sed neque in omni patronato semper locum invenit; sic locum non habet in patronato ecclesiastico, si preces primariæ imperatoris interveniant, aut reservatio pontificia.

§ VII. *Effectus institutionis.*

45. Institutio *ex parte instituti* producit proprietatem Beneficii, ac *jus in re*, qui per præsentationem *jus* solummodò *ad rem*, latiùs sumptum consecutus fuerat. Unde juxta plures doctores uti Garciam, Engel, Konig, si præsentatus ante institutionem Beneficium occuparet, seque administrationi ingereret, nihil consequeretur, ac jure ipso, per præsentationem quæsito privaretur, arg. c. 5, de Elect., in 6.

Quia tamen dispositio citati capituli tantùm loquitur expressè de electione ac pœnalis est, censent aliqui cum Lessio, de J. et J., l. 2, c. 34, n. 15, illam non esse extendendam ad Beneficia patronata, præsertim inferiora. Quæ sanè doctrina Lessii principiis juris videtur omninò conformis, cùm odia non sint extendenda, sed restringenda, licèt eadem ratio esse videatur.

Ex parte instituentis verò eum effectum operatur, ut si Beneficium sit curatum, episcopus institutionem auctorizabilem, seu approbationem ac jurisdictionem pro foro interno, seu curam animarum, explorată per examen idoneitate, ipsi impertiri debeat, atque illi ad quos pertinet, eum corporaliter instituant, installent, investiant, seu in actualem Beneficii possessionem introducant. Verùm de his pauca adhuc annotanda veniunt

Articulus II.

De institutione auctorizabili.

Post institutionem tituli collativam, de quâ articulo superiore diximus, sequitur, si Beneficium sit curatum, institutio *auctorizabilis*, seu *approbatio* ad exercendam curam animarum, cum collatione jurisdictionis pro foro interno.

46. Hæc de jure communi pertinet ad episcopum facienda tamen non antequàm per examen idoneus inveniatur, qui fuit institutus; licèt institutio collativa tituli ad alium prælatum spectet. Imò tunc maximè illud examen locum habet. Nam, quando institutio collativa pertinet ad episcopum (uti de jure communi etiam ipsam pertinere diximus) utraque institutio, collativa et auctorizabilis, præmisso uno examine, uno fermè actu perficitur.

Est autem institutio ista auctorizabilis seu approbatio episcopi clerico curato adeò necessaria ad sacramentum pœnitentiæ administrandum, ut absolutiones à non approbato factæ sint omninò invalidæ; nisi adsit communis error populi, existimantis eum

habere potestatem absolvendi. Tunc enim validæ essent ipsius absolutiones, saltem si præter errorem communem habeat titulum coloratum : imò probabilius etiam sine isto, modò sit sacerdos; nam defectum ordinis Sacerdotalis, jure divino requisiti, Ecclesia supplere non potest.

Hanc rem optimè expressit Trid., sess. 23, c. 15, de Ref., ubi ait : « Quamvis presbyteri in suâ ordina-« tione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, « decernit tamen sacra synodus nullum, etiam re-« gularem, posse confessiones secularium, etiam sa-« cerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, « nisi aut parochiale Beneficium, aut ab episcopis per « examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs « idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, « obtinuerit. »

Ex quibus colliges 1° *approbationem* (quæ est judicium aut testimonium publicum de aptitudine sacerdotis ad audiendas confessiones) duplici modo posse obtineri : nempe primo, quando sacerdos vel prævio examine, vel sine illo (si de aptitudine aliunde constet) directè approbatur tanquàm idoneus ad audiendas confessiones; qui modus approbandi introductus fuit à Tridentino. Secundò, quando auctoritate episcopi, vel per liberam collationem, aut institutionem auctorizabilem acquirit Beneficium parochiale aut aliud curatum.

Colliges 2° regulares ex licentiâ sui superioris posse confiteri sacerdoti, non approbato ab episcopo. Quia ante Tridentinum id potuerunt; hoc autem concilium hanc facultatem non revocavit; cùm tantùm dicat, confessiones secularium non posse audiri ab eo qui non est approbatus; circa regulares autem nihil immutavit.

Quamvis postea Gregorius XV prohibuerit, ne ullus sacerdos, etiam regularis, audiat confessiones monialium, nisi ab episcopo sit approbatus.

Cæterùm hæc approbatio simplex, primo modo accepta, differt à jurisdictione; non enim hoc ipso, quòd sacerdos sit approbatus, seu judicatus idoneus ad audiendas confessiones, hoc ipso acquirit potestatem in pœnitentem, ut subditum, nisi accipiat jurisdictionem ordinariam, aut delegatam ab illo, qui habet ordinariam, e. g., à parocho.

Quando verò præsentatus ab episcopo instituitur institutione auctorizabili ad Beneficium curatum, tunc simul approbatur ad audiendas confessiones, ac insuper accipit potestatem jurisdictionis in pœnitentes suæ parochiæ tanquàm subditos.

Sed quæritur jam quis possit institutionem ejusmodi auctorizabilem impartiri. — Resp.: Jure ordinario, ut dictum, episcopus confirmatus, etiam ante consecrationem, ejusque vicarius generalis, ac sede vacante capitulum; quia in iis quæ pertinent ad jurisdictionem ordinariam, succedit episcopo; abbates et prælati jurisdictionem quasi-episcopalem habentes in populum sui territorii, à jurisdictione ordinariâ exemptum; denique alii etiam prælati, qui eam potestatem acceperunt speciali privilegio apostolico.

Ante Tridentinum obtineri etiam poterat jus institutionis auctorizabilis à personis ecclesiasticis per viam consuetudinis aut potiùs præscriptionis 40 annorum cum titulo, et immemoriali tempore sine illo. Ratio est quia institutio auctorizabilis, seu commissio curæ animarum, non est actus ordinis, sed jurisdictionis episcopalis (aliàs non posset exerceri ab ejus vicario, aut à capitulo sede vacante) atqui ea quæ ad jurisdictionem episcopi pertinent, de jure communi præscribi possunt 40 annis cum titulo, et immemoriali tempore sine illo, c. 1, de Præscript., in 6.

Atvero, jure novo concilii Trid. spectato, censent doctores institutionem auctorizabilem in Beneficiis curatis à prælatis inferioribus non ampliùs posse præscribi adversùs episcopum, quamdiù nempe Ecclesia ab ejus jurisdictione non est exempta. Quia Trid., sess. 7, c. 13, de Ref., præsentatos à locorum ordinariis jubet examinari, et ad curam animarum approbari, non obstante quovis privilegio et consuetudine, sive præscriptione, etiam immemoriali; ut adeò videatur improbare non tantùm consuetudinem antea introductam, sed etiam in posterum introducendam; quia Ecclesiis et saluti animarum periculosa ac noxia est visa.

Seclusis tamen vitiosis circumstantiis posset Beneficium per præscriptionem eximi à jurisdictione episcopi, ac immediatè subjici prælato jurisdictionem quasi episcopalem habenti in clerum et populum; quo casu præscriberetur etiam jus institutionis auctorizabilis. Accedit quòd etiam clausula illa, præscriptionem irritans, sit lex humana. Atqui omni legi merè humanæ, seclusis, ut dixi, vitiosis circumstantiis, potest tandem præscribi, si debita adsint requisita, cum leges ipsæ tam canonicæ quàm civiles præscriptioni has vires tribuant.

Quæres an institutioni necessariò præmittendum sit examen? — Resp. ex cit. sess. 7, c. 13, regulariter præmittendum, quia concilium ibidem statuit, à quibuscumque personis, etiamsi Sedis Apostolicæ nuntiis præsentatio fiat, non instituendum ante ad quævis Beneficia ecclesiastica, quàm à loci ordinario examinatus et idoneus repertus fuerit. Neque ullo appellationis remedio eumdem se tueri posse, quominùs examen subire teneatur.

Excipit tamen concilium, l. c., præsentatos, nominatos et electos ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum.

Idem dici potest pro casu quo præsentati mores, virtus, doctrina, ac aliæ qualitates sunt abundè perspectæ episcopo. Tunc enim non video cur episcopus necessariò per examen explorare illud debeat, de quo aliunde certam habet notitiam

Articulus III.

De institutione corporali seu investiturâ.

47. Quales olim contentionum fluctus excitârit pertinax illa de investituris controversia, exposui in Appar., p. 3, c. 5, art. 1. Pacata tunc equidem fuit grandis sacerdotium inter regnumque procella; quia tamen

post institutionem collativam tituli et auctorizabilem, beneficiatus per investituram mittitur in possessionem non tantùm spiritualium jurium, sed etiam bonorum temporalium, quibus Beneficium ad congruam sustentationem beneficiarii est dotatum, ideò posterioribus etiam temporibus, atque etiam nostris, non rarò contentionis aliquid intercessit, ubi de missione in possessionem bonorum beneficialium actum est.

Et quidem à jure canonico graves in eum statutæ sunt pœnæ, qui per manum laicam investituram acceperit, c. 12, 16, q. 7, etc. Pertinet proin jus investituræ ad superiorem ecclesiasticum, uti episcopum, qui vel per seipsum, vel per vicarium generalem, aut decanum ruralem, aut per alium commissarium ad Beneficia parochialia, aliaque investit, atque in eorum possessionem introducit.

Ut autem hoc legitimè fiat, requiritur, ut Beneficium vacet de jure, vel de jure et facto simul. Si autem alius detineret illud, aut quasi possideret, oporteret eumdem priùs citari et audiri c. 28, de Præb., in 6, quæ tamen citatio omittenda, si notorium sit detentorem omni jure destitui.

Modus investituræ ac missionis in possessionem pro diversis locis est varius, uti etiam pro ipsorum Beneficiorum diversâ ratione. Episcopi solent investiri per installationem, certis pro loci consuetudine solemnitatibus factam; abbates et alii prælati per inductionem in ecclesiam et collocationem in sede abbatiali; canonici per assignationem stalli seu sedis in choro et capitulo : parochi et alii Beneficiati per inductionem in Ecclesiam, osculum altaris, aut similes cæremonias, aut per contactum januæ clausæ et illius reserationem. In pluribus locis novi parochi die festo aut dominico, populo in templo præsenti proponuntur, et accipiunt insignia parochialia, estque hæc *investitura in spiritualibus*.

Peractâ dein re divinâ, introducuntur in domum parochialem, ubi claves et rationum libros accipiunt, quam *investituram in temporalibus* appellant. Hanc aliquando patroni, advocati Ecclesiarum, et Domini territoriales sibi vindicant, quando episcopus sic investitur.

Quomodò autem episcopi aliique prælati in Germaniâ investiantur ab imperatore in feudis imperii, constat ex conventione initâ inter Callixtum II et Henricum V, in Appar., p. 3, c. 5, art. 1. exhibitâ.

Cæterùm necesse non est, ut possessionem singulorum jurium ac bonorum specialiter capiat, sufficit enim mitti in possessionem Beneficii : accessoria enim sequuntur suum principale, in quo fundantur. Et aliunde sufficit ad acquirendam possessionem apprehensio etiam ficta, quæ fit per traditionem clavium, instrumentorum, librorum, etc. Imò etiam per apprehensionem veram unius partis fundi censetur possessio totius fundi esse addita.

Potest etiam possessio Beneficii apprehendi per procuratorem, saltem si mandatum speciale habeat. Quam limitationem complures doctores addunt.

Effectus autem investituræ, seu missionis in possessionem sunt illi fermè qui ex captâ possessione aliarum rerum ac jurium solent consequi. Unde quamvis illa absque prævià institutione tituli collativâ jus proprietatis non tribuat, supponitur tamen titulus ex diuturniore possessione, nisi alius jus proprietatis probet.

Dat etiam ejusmodi immissio in possessionem conditionem præscribendi bonæ fidei possessori, ita, ut qui per triennium Beneficium bonâ fide possederit cum titulo colorato sine intrusione et simoniaco ingressu, non tantùm in foro externo tutus sit, sed etiam in conscientiâ; ut aliàs diximus de possessione triennali pacificâ.

Propriâ tamen auctoritate beneficiatus etiam post canonicam institutionem, collativam tituli, apprehendere non potest possessionem Beneficii; nisi institutio collativa facta sit, cum aliquâ expressione aut signo investituram denotante, e. g., cum traditione clavium, vel traditis libris rationum, etc.; aliàs frustra foret ejusmodi institutio realis, seu investitura subsequens institutionem collativam.

Neque obstat quòd c. *Nihil*, 44, de Elect., extra Italiam electis in concordiâ ante confirmationem papalem detur potestas administrandi Ecclesiam in spiritualibus et temporalibus, exceptâ duntaxat alienatione. Nam possessio illa et administratio tantùm est provisionalis, usque dùm confirmetur et per investituram stabiliatur. Unde cit. cap., addit eos *interim dispensativè* posse administrare Ecclesiam.

Cæterùm si quis possessionem Beneficii, cujus titulum ac jus acquisivit, propriâ auctoritate, violentè depellendo, e. g., alium, invadat, in pœnam ipso jure et facto amittit titulum et jus acquisitum; si verò sine violentiâ, propriâ tamen auctoritate adit, ipsum Beneficium non amittit, arbitrariè tamen puniri poterit.

DE INVESTITURIS EPISCOPATUUM ET ABBATIARUM, ET DE SYNODO ŒCUMENICA LATERANENSI PRIMA, Dissertatio.

(AUCTORE NATALI ALEXANDRO.)

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit investitura legitima? Quæ ejus origo? Quis status in Germaniâ, Galliâ, et Angliâ ante Gregorii VII pontificatum.

1. Investitura est consensus ab imperatore vel rege adhibitus electioni factæ alicujus ad episcopatum, vel abbatiam, et concessio bonorum ecclesiasticorum solemni quodam ritu facta. Investiturarum origo fuit munificentia principum erga Ecclesias, quibus non solùm prædia et latifundia, sed regalia sive feuda ma-

testati suæ obnoxia concesserunt. Unde factum est ut bona hujuscemodi conditionem feudorum sequerentur, nec eorum possessionem adire possent electi episcopi, nisi princeps eorum electionem gratam haberet, ac secundum dominium et juramentum fidelitatis ab iis præstitum, ipsis hujuscemodi bona fruenda concederet aliquo signo externo, solemnique, ritu, puta per virgam pastoralem et annulum, aut per sceptrum, seu aliud quodvis instrumentum. Et quia feuda illa, sive regalia, præcipua sunt et nobilissima Ecclesiarum bona, ad eorum conditionem cætera evehi censentur, et iisdem conditionibus subjacere. Unde reges omnium bonorum ecclesiasticorum investituram electis, et à Suâ Majestate probatis episcopis absque discrimine concesserunt. Quòd autem principes feuda Ecclesiis nobilissima et ditissima concesserint, non unus pietatis motus, sed publicæ etiam utilitatis respectus effecit. Sperabant nimirùm fore ut episcopi, qui feudorum possessione ipsorum vasalli fiebant, fidem ipsis juratam religiosiùs observarent, ipsosque juvarent adversùs hostes, ac perduelles non solùm copiis, quas olim suppeditare tenebantur, sed excommunicationum fulminibus. Istud fuisse *Caroli Magni* consilium, cum feudis nobilissimis plerasque Germaniæ et Galliæ ditavit Ecclesias indicat *Willelmus Malmesburiensis*, lib. 5, de Gestis regum Anglorum. « Carolus Magnus, « inquit, pro contundendâ gentium illarum (Germanorum scilicet) ferociâ, omnes penè terras Ecclesiis « contulerat, consiliosissimè perpendens nolle sacri « ordinis homines tam facilè quàm laicos, fidelitatem « Domini rejicere. Præterea, si laici rebellarent, illos « posse excommunicationis auctoritate et potentiæ « severitate compescere. » Ita Ecclesiæ libertas opum accessione imminui visa est, dùm et regii assensûs necessitas ad electorum antistitum consecrationem inducta et vasallitium, seu nobile quoddam servitutis genus ipsis impositum, quam hominio et juramento fidelitatis profiteri tenebantur. Sed reverà nova illa servitus majorem ipsi dignitatem ac libertatem peperit : siquidem episcopi vasalli regum effecti sunt ut multorum domini fierent. Præclarè id edisserit *Helmoldus* presbyter in Chronico Sclavorum, lib. 1, cap. 69 et 70, ubi de *Vicelini* Aldeburgensis episcopi investiturâ agit. « Investituræ Pontificum (inquit, seu potiùs apud ipsum *Hartuvicus* Hamaburgensis episcopus) « imperatoriæ tantùm dignitati permissæ sunt, quæ « sola excellens, et post Deum in filiis hominum « præeminens, hunc honorem non sine fœnore multiplici conquisivit. Neque imperatores dignissimi levitate usi sunt, ut episcoporum domini vocarentur; « sed compensaverunt noxam hanc amplissimis regni « divitiis, quibus Ecclesia copiosiùs aucta, decentiùs « honestata, jam non vile reputet ad modicum cessisse « subjectioni; nec erubescat uni inclinari, per quem « possit in multos dominari. »

II. Investiturarum usus in Germaniâ penes tres *Ottones*, et *S. Henricum*, imperatores fuit; idque Ecclesia conniventibus aspexit oculis, quamvis interdùm fines suos excurrerent, et per traditionem baculi pastoralis, quod spiritalis potestatis insigne est, episcopatus concederent; quoniam dignissimos episcopos Ecclesiis præficiebant, nec electionum canonicarum opprimebant libertatem, et novos in dies episcopatus regiâ munificentiâ fundabant, dotabantque. Hujus rei probationes profero ex *Ditmaro* episcopo Merseburgensi in Chronico. Is nimirùm lib. 2, pag. 24, de *Bosone* piissimo cœnobii *S. Emmeranni* Ratisponensis monacho, cujus ministerio Magnus *Otto* in rebus Palatinis utebatur, ita scribit : « Et quia is in Oriente innume« ram Christo plebem prædicatione assiduâ, et baptis« mate vindicavit, imperatori placuit, electionemque « de tribus constituendis episcopatibus ei dedit, « Misnensis, Cicensis, atque Merseburgensis. Præ his « omnibus, eò quòd pacifica erat, Merseburgensem ab « Augusto exposcens Ecclesiam, quamdiù vixit, stu« diosè eamdem rexit. » De *Ottone II*, scribit idem auctor lib. 11, ipsum eligendi libertatem episcopi capitulo Magdeburgensi concessisse : « Licentiam, « inquit, archiepiscopum eligendi, confratribus Do« mino famulantibus Magdeburg. præcepto imperiali, « præsenti archiepiscopo dedit Adelberto, et cum « uno libro, qui hodiè ibidem est, in quo sua, « imperatricisque Theophanæ imago auro splendet for« mata, munus affirmavit. Quod gratiâ Cæsaris, et in « præsentiâ ejus, archiepiscopus præparatus ad missam, « cum prælecto Evangelio, more solito optimè præ« dicâsset, recitato coram præcepto imperiali, quo « electio continebatur, ostendit, eumdemque qui« cumque temerarius hoc auderet infringere, terribili « excommunicatione damnavit. » Idem, pag. 18, commemorato *Geronis* Coloniensis archiepiscopi obitu, scribit : « Hujus vice Warinus electione et imperato« rio munere protinùs ungitur. Mortuo quoque Roberto « Moguntinæ sedis archipræsule, imperator cancella« rium suîmet nomine Willigisum, multis hoc ob uti« litatem sui generis renuentibus, eidem præfecit Ec« clesiæ. Sciebat enim, Petro attestante, quod non est « personarum acceptor Dominus. » Idem lib. 4, pag. 41, narrat quomodò post obitum Hillibardi Halberstatensis episcopi, *cùm* canonici *in electione convenire non possent, præpositus est his de capellâ regis Arnulphus, et idibus decembris ordinatus.* Idem in eodem libro, pag. 47, de *Erpone* et *Racone, Ottonis III*, capellanis ita scribit : « Voluit quoque imperator capella« nos suîmet Herponem de Halberstat, ac Raconem de « Bremel, episcopali gradu sublimare, et his in lecto « ob infirmitatem validam jacentibus, pastoralem ba« culum dedit, sed uterque sine sacerdotali unctione « decessit. » Idem libro 5, pag. 57 et 58, *Tagmonem*, post Gisileri obitum, commendatione S. Henrici imperatoris, Magdeburgensem archiepiscopum electum, et ab eodem principe investitum testatur, quamvis capitulum jam in Waltherdi præpositi electionem conspirâsset. « Rex, inquit, corpus archiantistitis præce« dens, usque ad Magdeburg subsequitur, præmittens « eò capellanum suîmet Wigbert, ut de electione Tag« monis unanimem confratrum voluntatem impetraret. « Sed præpositus ejusdem civitatis, Waltherd nomine,

« convocatis in unum confratribus universis, obitum « senioris, et adventum regis pariter indixit, obsecrans « ut invicem unum aliquem inquirerent, cum quo an- « tiquam eligendi consuetudinem retinerent, cui ab « omnibus illicò respondetur ; eumdem se communi- « ter velle in Dominum, divinâ ad hoc favente gratiâ, « habere. Hoc cum magnâ, ut decuit, humilitate, idem « suscipiens, veniam prostratus petiit..... Arnulphus « episcopus à rege ad confratres et ad milites admo- « dùm tristes, gratiâ Tagmonem eligendi, mittitur. Cui « legationem suam cunctis ordine pandenti, Walther- « dus respondens præ omnibus : Scimus, inquit, quid « vester senior intendat. Volumus, si licet fieri, potes- « tatem habere eligendi, et cuncti præsentes hi me, « quamvis indignum, voluerunt in vacuum succedere. « Detrimentum Ecclesiæ fieri nostræ multùm veremur, « quod ne eveniat, regiam pietatem, ac vestram peti- « mus intercessionem... His dictis, præsul egressus, « regiis omnia instillavit auribus. Qui mox præposi- « tum vocans, multùmque ei promittens, et sui licen- « tiam ac consociorum in electione, Tagmonis gratiam « acquisivit. Confestim in majorem convenientibus Ec- « clesiam cunctis, rex baculo Arnulphi præsulis cle- « rum et populum Tagmoni, venerando Patri, cum « redditurâ summo Judici ratione, commisit, eumdem- « que in cathedram episcopalem ipse constituit, astan- « tibus universis, et laudes Domino canentibus. » Idem, lib. 6, pag. 60, episcopatum Merseburgensem ab eodem sancto Henrico rege instauratum memorans, ita scribit : « Convocans ad se omnes regni primates, « dedit episcopatum sanctæ Mersburgensis ecclesiæ ca- « pellano suîmet nomine Wigberto, cum archiantistitis « baculo Tagmonis. » Idem, pag. 64, de Bambergensis episcopatûs fundatione ab eodem rege factâ, et primi episcopi institutione agens : *Ebehardo*, inquit, *tunc cancellario cura pastoralis à rege committitur, et hic à præfato archipræsule eodem die consecratur.* Idem, pag. 68, de Trevirensis archiepiscopi Ludolphi obitu, et successoris creatione ita scribit : « Mortuo Treviren- « sis ecclesiæ archiepiscopo vener. Ludolpho, capel- « lanus ejusdem (Henrici nempe regis) Athelbero, fra- « ter reginæ, et immaturus Juvenis, plus timore regis, « quam amore Religionis, communiter eligitur. Rex « autem ut hoc audivit, prioris non immemor in ger- « mano ejusdem Thiedrico non præmeditatæ constitu- « tionis, uxorem dilectam, cæterosque suîmet familia- « res, de episcopatu eodem impetrando sollicitos spre- « vit, et Meingardo, Villigisi archipræsulis camerario, « nobili secundùm carnem viro, eumdem dedit. *Hinc « Treviris orta seditio.* Tali præsumptione rex commo- « tus, illò cum exercitu properat, archiantistitem in- « thronizatum ibidem consecrari, Athelberonemque « excommunicari præcipiens. » Idem Ditmarus de suâ in Merseburgensem episcopum designatione et investiturâ ita scribit pag. 69 : « Antistes ad capellam Bru- « nonis episcopi, ubi rex eumdem expectabat, me du- « xit, et paratus ad missam regi me per manus tradi- « dit. Qui ut cum electione præsentium pastoralem « mihi curam immeritò commisit cum baculo, et pro- « stratus veniam petii, cantor introitum incœpit : *Ve- « nite benedicti Patris mei.* » Idem, pag. 74, Waltherdum Magdeburgensis ecclesiæ præpositum, defuncto archiepiscopo Tagmone, designatum archiepiscopum commemorat, primùm consensu unanimi sub beneplacito regis non canonicâ electione, quam rex prohibuerat ; deinde verâ electione, cujus auctor fuit ipse Ditmarus, ut Ecclesiæ libertatem sartam tectam præstaret, id optimo principi non ingratum fore confidens. Nec eum spes fefellit ; gratam enim rex habuit electionem, et Waltherdo investituram concessit. « Ego, inquit Ditmarus, hæc omnia in Merseburg serò « comperiens, in ipso depositionis die, orto jam sole « adveniebam, et cùm in ecclesiâ majori pauca ora- « tionis verba effunderem, veni ad refectorium, ubi « præpositus cum universis confratribus atque militi- « bus sedens, de electione tractabat. In quorum præ- « sentiâ ego stans, multùm flevi, turbatus dolore vehe- « menti, et salutatis omnibus sedebam, et quod ab his « tunc esset dispositum, interrogabam. Ad hæc Wal- « therdus : misi, inquit, legatum meîmet ad regem, « qui hæc ei quæ nobis acciderunt, mala indicaret, et « voluntatem suam in rebus faciendis inquireret : et « hic ad nos Henricum antistitem misit, ut electio à « nobis non fiat, sed tantùm consensus unanimis, et « hoc indicetur ei. Nunc autem omnium pietas præsen- « tium me, quamvis ad hoc indignum, decernit, si « Dominus, consentit, et si vult rex. Cui sic protinùs « respondebam : Sum unus ex his qui electionis hujus « ac consecrationis participes esse debent, et hoc vobis « consilium do, ac illud adjuvare, in quantùm possum « volo. Senior meliùs imperet quod velit ; vos autem « quod accepistis à Deo et antecessoribus suis, videte « ne perdatis. Te autem fratrem primus eligo mihi ad « archiantistitem, non charitate tuâ, sed utilitate certâ « in te agnitâ ; et præsentium mentem nunc singulari- « tater scire desidero. A quibus hoc unum percepi re- « sponsum : Waltherdum nobis in Dominum, et ad « archiantistitem eligimus. » Et infra : « In Urbem, « inquit, vocati, ivimus usque ad caminatam regis, et « ibi solus intromittitur Waltherdus, et ibi usque ad « tertiam soli colloquebantur ; et egressus tunc Wal- « therdus, annulum portat in manu suâ, et ostendens « nobis : Ecce habetis, inquit, pignus subsecuturæ « pietatis. Et tunc omnes nos in præsentiam venien- « tes, examinatione regis, ipso primitùs eum laudante, « prædictum Patrem elegimus, et optimi quique aspi- « rabant, et mox à rege accepit baculum pastoralem. « Post sacramentum regiæ potestati exhibitum, intro- « ductus est ad Ecclesiam... In proximo sabbato ar- « chipræsulem Waltherdum Arnulphus Præsul jussu « regis inthronizavit. Posterâ die unctus est Walther- « dus. » Sic investituræ solemnia fiebant ante consecrationem. Idem, pag. 79, Geronem Waltherdo suffectum intercessione regis memorat, salvo in posterum electionis jure, ab eoque investituram accepisse. « Posterâ « die rex ad Magdeburg veniens, in refectorio fratrum « omnes nos convenire præcepit. Ibi tunc regali peu- « tione, et salvâ in posterum electione, Gero commu-

« niter eligitur... Baculum à rege accepit pastoralem, « et mox inthronizatus, ab Eido unctus est episcopo. »

Idem, pag. 81, narrat quomodò Lievizone archiepiscopo Bremensi defuncto, Oddo, quem cum cleri consensu designaverat successorem, *clericis comitantibus ac laicis, supplex venit, et regis gratiam ad completionem electionis per fidos intercessores postulavit. Quos rex nullatenùs audiit, sed capellano suîmet Unuano, cum laude advenientium etsi non spontanea, episcopatum dedit.* Alios etiam episcopos à S. Henrico, postquàm imperator inauguratus est, constitutos, Ditmarus idem, lib. 7, commemorat.

III. Regii assensûs necessitas in ordinationibus episcoporum in Galliis inducta canone 10 concilii Aurelianensis V, anno Christi 549, sub Clodoveo magno, rege christianissimo, et edicto Clotarii II confirmata in synodo Parisiensi anno Christi 615, regumque primæ dynastiæ facta, tam antiquum in Galliis investiturarum usum probant, quàm antiqua est monarchia christianissima. Nullos enim epiocopos fuisse, nisi quos reges vel ipsi connivente Ecclesiâ nominârunt, vel à clero civibusque expeditos probârunt, historiæ nostræ monumenta testantur. Scriptor antiquus Vitæ S. Romani, episcopi Rothomagensis, tradit eum baculum pastoralem accepisse à Clodoveo II, anno 623, statimque in sede episcopali collocatum fuisse. *Rex*, inquit, *convocatis tam episcopis, quàm abbatibus, baculum illi contulit pastoralem. Inthronizatur ergo pontificali apice.* Nicetius Treveris Theodorici regis jussu, populique consensu, episcopus ordinatus est. Quintianus, eoquè defuncto, Gallus Arvernis ab eodem rege dati episcopi, ut docet Gregorius Turonensis. Ita Germanum Parisiensem Childeberti, Ommatium Turonensem Clodomeris, Medardum Viromandensem, Eufronium rursùs Turonensem, et Domnulum Cenomanensem, Clotarii regis jussu vel assensu creatos episcopos idem Gregorius et Fortunatus commemorant. Idem probant formulæ antiquæ de episcopatu, quarum olim usus fuit sub Merovingiæ familiæ regibus, quas apud Marculphum, lib. 1, et in appendice tomi II Conciliorum Galliæ P. Jacobi Sirmondi, et in Baluzianâ Capitularium editione legere est. Harum enim aliæ populi ad regem preces continent, hunc aut illum sibi episcopum dari supplicantis; aliæ præceptum regis de collato episcopatu; aliæ indiculos ad metropolitanum et episcopos pro novi episcopi ordinatione. Præceptum regis de episcopatu, ad episcopum designatum sic habet: « Cum consilio et voluntate pontificum procerumque nostrorum, juxta « voluntatem et consensum et cleri et plebium ipsius « civitatis, in supra dictâ urbe Ill. pontificalem in Dei « nomine vobis commisimus dignitatem. Propterea « per præsens præceptum decernimus ac jubemus « ut supra dicta urbs vel res Ecclesiæ ipsius, et clerus « sub vestro arbitrio et gubernatione consistant. »

Usum investiturarum sub secundâ regum nostrorum dynastiâ probat epistola Hincmari ad Ludovicum III, Francorum regem, quæ duodecima est, tomo 2 Operum ipsius: « Episcopi, inquit, talem « eligant, qui et sanctæ Ecclesiæ utilis, et regno pro- « ficuus, et vobis fidelis ac devotus cooperator existat « et consentientibus clero et plebe, eum vobis adduc- « cant ut secundùm ministerium vestrum, res et fa- « cultates Ecclesiæ, quas ad defendendum et tuen- « dum vobis Dominus commendavit, suæ depositioni « committatis, et cum consensu ac litteris vestris eum « ad metropolitanum episcopum, et coepiscopos ipsius « diœceseos, qui eum ordinare debent, transmit- « tatis. »

Sub tertiâ regum nostrorum dynastiâ, usque ad Gregorii VII pontificatum, obtinebat investiturarum usus. Arnulphus, in concilio Remensi, anno 989 electus est ejusdem urbis archiepiscopus ab Episcopis, cum omni clero, diversi ordinis populo acclamante: *Orthodoxis regibus consentientibus.* Gerbertus in depositi locum Arnulphi anno 981 ab ejusdem provinciæ episcopis lèctus est, *favore et conniventiâ utriusque principis, domini Hugonis augusti et excellentissimi regis Roberti.* Franco Parisiensis Ecclesiæ decanus, et regis Roberti cancellarius, Azelino spontè abdicanti in Parisiensi episcopatu substitutus est, *eligente clero, suffragante populo, dono regis, approbatione Romani Pontificis per manum metropolitani Senonensis*, ut scribit Fulbertus Carnotensis episcopus, epistolâ 8. De eodem Francone scribit ad regem, epistolâ 88: *Ex parte celsitudinis vestræ dictum est nobis, quòd domnum Franconem Parisiensi Ecclesiæ dare vultis episcopum, et ad hoc peragendum nostræ humilitatis habere favorem.* Investituras concedebant christianissimi principes, salvâ tamen electionum libertate. Philippus I avi sanctissimi jure utebatur, sed ejus in concessione investiturarum non omninò imitabatur integritatem ac religionem. Donum enim episcopatûs (sic eâ ætate loquebantur) gratis omninò non conferebat, si vera sunt quæ de ipso scripsit Gregorius VII ad Roclenum Cabilonensem episcopum, epistolâ 35 libri primi: « Inter cæteros, inquit, nostri hujus temporis princi- « pes, qui Ecclesiam Dei perversâ cupiditate venum- « dando dissipaverunt, et matrem suam ancillari sub- « jectione penitùs conculcârunt, Philippum regem « Francorum Gallicanas Ecclesias in tantùm oppres- « sisse, certâ relatione didicimus, ut ad summum « tam detestandi hujus facinoris cumulum pervenisse « videatur. Quam rem de regno illo tantò profectò « tulimus molestiùs, quantò et prudentiâ et religione, « et viribus, noscitur fuisse potentius, et erga Roma- « nam Ecclesiam multò devotius. Et nos quidem tam « generalis nostræ cura sollicitudinis, quàm ipsarum « destructio Ecclesiarum vehementer accenderat, ut « in tam audaces sanctæ religionis excessus severiùs « animadvertere deberemus. Sed quoniam ante actis « diebus per familiarem suum cubicularium, vi- « delicet Albericum, ad nostri censuram judicii et « vitam corrigere, et Ecclesias ordinare, firmiter « nobis respondit, rigorem canonicum interim exer- « cere distulimus. Hujus ergo promissionis fidem « in Matisconensi Ecclesiâ pastoris regimine diù « desolatâ, et ad nihilum penè redactâ, inprimis

« volumus experiri, ut scilicet Augustodunensem ar-
« chidiaconum, unanimi cleri et populi consensu,
« ipsius etiam, ut audivimus regis assensu, electum,
« episcopatûs dono gratis, ut decet, concesso, Eccle-
« siæ præfici patiatur. » In ordinationibus itaque episcoporum hic servandus erat ordo : præcedere debebat electio, seu cleri et populi consensus ; tum accedere assensum regis oportebat, qui electionem probaret : secundùm hæc episcopatûs donum seu investitura, quæ gratis omninò fieri debebat ; consecratio denique sequebatur. His finibus si se continuissent Germaniæ reges et imperatores Henrici, nullam de investituris quæstionem Romani pontifices intulissent.

Iidem mores in Anglià obtinebant ante Gregorium VII. In Glastoniensis cœnobii privilegiis apud Willelmum Malmesburiensem, lib. 12 de Gestis regum Anglorum, cap. 8 : « Rex Edgarus monachis electio-
« nem sui abbatis perpetuò manere censet ; sibi verò
« suisque hæredibus, tribuendi fratri electo Pastora-
« lem baculum potestatem retinuit ; » S. Wulstanus Wigorniensis episcopus investituram à sancto rege Eduardo acceperat. Unde cum in synodo Westmonasteriensi, cui præerat Lantfrancus Cantuariensis archiepiscopus, *simplicitatis et illitteraturæ accusatus, et quasi homo idiota, qui linguam Gallicanam non noverat, nec regiis consiliis interesse poterat*, Willelmo conquestore, novo rege, consentiente, fuisset depositus, jussusque à Lantfranco *ut baculum cum annulo resignaret*, respondit : « Verè scio, quia nec hoc honore dignus
« sum, nec oneri, nec huic par labori ; sed non
« æquum est ut tu pastoralem exigas virgam, quam
« non tradidisti ; tuæ sententiæ tamen cedens, bacu-
« lum resignabo. Rectiùs verò me facturum arbitror,
« si illum sancto reddam Eduardo, cujus baculum
« auctoritate suscepi. » Tum ad sancti regis sepulcrum se contulit, sicque compellavit jam cum Christo regnantem : « Tu scis, sanctissime rex Eduarde,
« quàm invitus hoc onus susceperim, quoties me,
« cùm quærerer, absentaverim, nec diffiteor quin in-
« sipiens factus sim. Sed tu me coegisti. Nam licèt
« fratrem non deesset electio, plebis petitio, volun-
« tas episcoporum, et gratia procerum, his tamen
« omnibus tua præponderabat auctoritas, tua volun-
« tas. Sed ecce nunc novus rex, nova lex, novus
« pontifex, novas sententias promulgat. Te erroris
« arguunt, qui me Pontificem fecisti ; me arrogantiæ
« et confidentiæ, qui consensi. Non tamen illis qui
« exigunt quod non dederunt, sed tibi baculum re-
« signo qui dedisti ; tibi curam eorum dimitto, quos
mihi commendâsti. » Ita refert Matthæus Paris ad annum 1095, quo sanctus Wulstanus ad Dominum migravit.

Investituras etiam concedebat Willelmus Conquestor, de quo scribit Ordericus Vitalis, lib. 4 Historiæ ecclesiasticæ ad annum 1070 : « Multimodæ hone-
« statis studio in multis rex Guillelmus laudabilis
« claruit ; maximèque in ministris Dei veram religio-
« nem semper amavit. Nam dùm pastor quilibet com-
« pleto vitæ suæ termino, de mundo migraret, et Ec-
« clesia Dei proprio viduata rectore .ugeret, sollicitus
« princeps prudentes legatos ad orbatam domum
« mittebat, omnesque res Ecclesiæ, ne à profanis dis-
« siparentur, describi faciebat. Deinde præsules et
« abbates, aliosque sapientes consiliarios convocabat,
« et eorum concilio, quis melior et utilior tam in
« divinis rebus quàm in secularibus, ad regendam
« Dei domum videretur, summoperè indagabat. De-
« nique illum, quem pro vitæ merito et sapientiæ
« doctrinà provisio sapientum eligebat, benevolus
« rex dispensatorem et rectorem episcopatûs vel
« abbatiæ constituebat. » Hanc nimirùm observationem quinquaginta sex annis custodivit, quibus reginem in ducatu Normanniæ, seu regno Angliæ tenuit ; et inde religiosum morem et exemplum posteris dereliquit. « Simoniacam hæresim omnimodis ab-
« horrebat ; et ideò in eligendis abbatibus vel epi-
« scopis, non tam opes seu potentiam quàm san-
« ctitatem et sapientiam personarum considerabat. »

Ingulphus abbas Crovulandensis Willelmo I coævus, de eodem more ita scribit : « A multis annis retro-
« actis, nulla electio prælatorum erat merè libera et
« canonica. Sed omnes dignitates tam episcoporum
« quàm abbatum, per annulum et baculum, regis
« curia pro suà complacentiâ conferebat. » Subjicit exemplum Vulgati abbatis Wegelandensis, quem rex Eduardus Confessor Crovulandensem abbatem traditione baculi pastoralis investivit. Gervasius Dorobernensis monachus in imaginationibus de discordiis inter monachos Dorobernenses et Baldeuvinum archiepiscopum, p. 137, de Lantfranco scribit : « Pe-
« tivit regem (Willelmum I) ut sibi donationem ab-
« batiæ (S. Augustini Cantuariensis) concederet,
« sicut omnes prædecessores suos constat habuisse
« Respondit rex et dixit se velle omnes baculos pa-
« storales Angeliæ in manu suà tenere. Lantfrancus
« ad hæc miratus est ; sed propter majores Ecclesia
« Christi utilitates, quas sine rege perficere non potuit,
« ad tempus siluit. »

SCHOLION PRIMUM.

In hoc articulo, pag. 468 edit. primæ, religios censores hanc propositionem notant : *Servitus investi turarum majorem Ecclesiæ contulit honorem.*

R. *Illa*, inquam, *servitus majorem Ecclesiæ dignitatem ac libertatem peperit : siquidem episcopi vasalli regum effecti sunt, ut multorum domini fierent.* Hanc rationem Helmodi presbyteri verbis confirmo in Chronico Sclavorum. Quid in hâc observatione contra fidem aut bonos mores pugnat?

SCHOLION II.

In eodem articulo, pag. 475, edit. primæ, religios censores hanc propositionem notant : *Quàm antiqua est monarchia Gallicana, tam antiqua est necessitas assensûs regii ad episcopos ordinandos.*

R. Facti quæstio est. Propositionis veritatem probat canon decimus concilii Aurelianensis V, sub Clodoveo regum christianissimorum primo, aliaque historiæ Ecclesiasticæ præclara monumenta, eò loci à me indicata. De necessitate extrinsecâ loquor, quæ ex cano-

nibus et legibus, necnon ex Ecclesiæ regni consuetudine exsurgit; non de necessitate intrinsecâ, quasi ad episcopalis ordinationis substantiam necessarius fuerit regum assensus, aut irrita fuerit ordinatio, quæ sine regio assensu celebrata fuisset. Perspicuum est hanc non esse mentem meam; neque in re tam clarâ opus esset explicatione, nisi fortè alia idea religiosorum censorum mentem pulsâsset.

NOTA.

Quæcumque fuerint investiturarum initia, illud exploratum est quòd libertati Ecclesiæ ejusque sanctissimis legibus minimè consonæ communiter habebantur : indecens videbatur quòd episcopi per annulum et baculum, quæ spiritualis sunt insignia potestatis, in aulâ episcopatu investirentur, quando hujusmodi nonnisi in templo inter sacra mysteria à consecratore suo recipere debuissent. Ob hanc rationem summi pontifices Gregorius, Urbanus et Paschalis hujusmodi investituras odio habentes, per eas res sacras legesque ecclesiasticas pro nihilo haberi conquerebantur. Illas nihilominùs Ecclesia toleravit quoadusque in tyrannidem non degenerârunt; nec eas removere intendit ab illis principibus, ut benè observat Natalis, art. 1, qui electionum libertatem non imminuebant, vel qui novos erigebant episcopatus; seu erectos suâ munificentiâ ditabant; vel qui sanctissimos præsules Ecclesiis concedebant, omni prorsùs simoniacâ labe semotâ.

Articulus II.

Cùm Henricus IV et Henricus V, Germaniæ reges, aliique principes, investituris ad opprimendam, sacrarum electionum libertatem, et ad sacrilegam episcopatuum abbatiarumque nundinationem abuterentur, ipsarum usum jure prohibuit Ecclesia.

Quin Ecclesia libertatem tuendi suam jus habeat, diffiteri nemo potest, qui se filium Ecclesiæ profitetur. Cùm enim Christus ipsi libertatem sanguine suo pepererit, et regis gloriæ sponsa sit, dominaque gentium, auctoritate quâ donata est à Christo, potest uti contra quosvis christiani nominis homines, etiam contra principes, qui suam opprimere libertatem nituntur. Potest adversùs eos leges condere, si fines temporalis potestatis excurrant, et in Ecclesiæ jura involent; potest eos excommunicationum fulminibus arcere, nisi à cœptis desistant; potest, quos olim in ipsis toleravit, mores emendare, immutare, prohibere, damnare, si jure non nitantur, si in manifestos degenerent abusus; errorisque aut scandali ansam præbeant; multò magis si aliquod nefas contra jus divinum aut canonicum adjunctum habeant. Potest denique canones antiquos innovare, et eorum executionem imperare. Porrò investiturarum usus temporibus Gregorii VII, apud Germanos degeneraverat in tyrannidem, quâ sacrarum electionum libertas opprimebatur, venales fiebant episcopatus et abbatiæ. Principes ad sacras hujusmodi præfecturas homines indignissimos plerùmque promovebant, accepto pretio, episcopatus per annulum et baculum, quæ spiritualis insignia sunt potestatis, conferebant. Henrici IV, his in rebus tyrannidem sanctus Anselmus Lucensis episcopus, lib. 1, paucis exponit, sic Antipapam Guibertum compellans : « Rex tuus sine intermissione « vendit episcopatus, edicta proponens ut nullus ha- « beatur episcopus qui à clero electus, vel à populo « fuerit expetitus, nisi præcesserit honor regius, « quasi ipse sit hujus ostii ostiarius de quo veritas « dicit : *Huic hostiarius aperit.* » Et infra : « Vos, « inquit, Ecclesiæ catholicæ, quam invasistis, per « totum regnum membra distrahitis, et in servitutem « redacta, quâ vile mancipium, in dominium vestrum « redigitis; et divini juris libertatem vestro obsequio « mancipatis, dicentes, omnia imperatoris juri esse « subjecta, episcopatus, abbatias, omnes omninò Dei « ecclesias, cùm dominus dicat : *Ecclesiam meam, « columbam meam, oves meas.* Paulus dicit : *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatus est à Deo tanquàm Aaron.* In parte tuâ quis præficitur, nisi quem « aut gratia, exhausto fœnore, vel munus à manu, « vel munus à linguâ, vel munus ab obsequio attraxerit? Quis moribus, quis honestate, quis vitæ « integritate eligitur? Persequendi sunt itaque lupi, » etc.

Et in ipso libri 2 exordio : « Opitulante, inquit, « Domini nostri clementiâ, qui nos et sermones nostros suo mirabili nutu regit atque disponit, accingimur respondere his qui dicunt, regali potestati « Christi Ecclesiam subjacere, ut ei pro suo libito, « vel prece, vel pretio, vel gratis, liceat pastores « imponere : ejusque possessiones vel in suâ, vel in « cujus libuerit jura transferre. »

Quam verò falsa sit ac damnanda hæc opinio, multis probat S. Anselmus, primò ex canonibus, qui Apostolorum nomine inscribuntur, quorum unus statuit ut, *si quis episcopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.*

Secundò, ex consuetudine ab apostolicis derivatâ, *ut decedente cujuslibet Ecclesiæ pontifice, clerus et populus ejusdem, communi deliberatione, de suo, vel alterius Ecclesiæ clero sibi pastorem præficerent.*

« Tertiò, quia hanc consuetudinem ab Apostolis « traditam nullatenùs violare præsumpserunt christia- « nissimi imperatores, Constantinus, Constans, Va- « lentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Ca- « rolus, Ludovicus, et his imperio et religione con- « similes, qui vel à se vel ab aliis ædificatas eccle- » sias amplissimis donis ditaverunt, et in clero » et rebus ecclesiarum nullum sibi dominium vel » judicium vindicare voluerunt : imò ne quis sibi » vindicaret, quidam eorum legibus vetuerunt. At » contra Zenon et Anastasius, imperatores Euty- » chianistæ, hi leguntur priùs sanctam Dei Ec- « clesiam sibi subdidisse, ita ut catholicos episcopos « relegarent, et apostolicâ traditione postpositâ, sibi « consentaneos in eorum sedibus subrogarent. »

Quartò quia investiturarum Germanicarum electiones sacras excludentium, usus trecentis decem et

octo Nicæni magni concilii Patribus repugnabat, qui, canone 6, ita decreverunt : « Per omnia autem ma- « nifestum est, quia si quis præter voluntatem et con- « scientiam metropolitani episcopi fuerit ordinatus, « hunc concilium magnum et sanctum censuit non « debere esse episcopum. Sanè si communi omnium « consensu rationabiliter probato secundùm eccle- « siasticam regulam, duo vel tres animositate ducti « per contentionem contradicunt, obtineat plurimo- « rum sacerdotum sententia. »

Repugnabat Antiocheno concilio, canonibus 19 et 23 : *Servetur autem*, inquit, *jus ecclesiasticum id con- tinens, oportere non aliter fieri, nisi cum synodo et judicio episcoporum, qui post obitum quiescentis po- testatem habent eum qui dignus exstiterit, promovere.*

Repugnabat Cœlestini I decreto statuentis ut *nullus invitis detur episcopus, cleri, plebis, et ordinis consensus et desiderium requiratur.* Et Decreto S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensium episcopum scribentis : « Cùm ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, « ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque con- « sensus concorditer postulaverit; ita ut si in aliam « fortè personam partium se vota diviserint, metro- « politani judicio is alteri præponatur, qui majoribus et « studiis juvatur, et meritis, tantùm ne ullus invi- « tis, et non petentibus ordinetur, ne civitas episco- « pum non optatum aut contemnat, aut oderit, cui « non licuerit habere quem voluit.... Nulla ratio sinit « ut inter episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt « electi, nec à plebe expetiti, nec à provincialibus, « cum metropolitani judicio consecrati. » Et Decreto Symmachi Papæ ac Romanæ synodi ducentorum et octodecim episcoporum ita statuentis : « Non placuit « aliquos ad statuendum aliquid in Ecclesiâ habere « aliquam potestatem, quibus subsequendi manet ne- « cessitas, non auctoritas imperandi.... Defuncto pon- « tifice, si in unum totius inclinaverit ecclesiastici « ordinis electio, consecretur episcopus. Si verò, ut « fieri solet, studia cœperint esse diversa, vincat « sententia plurimorum. »

Repugnabat VII synodo œcumenicæ, canone 3, cujus hæc sunt verba : « Omnis electio à principibus « facta episcopi aut presbyteri aut diaconi, irrita « maneat secundùm regulam, quæ dicit : *Si quis Epi- « scopus secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per « ipsas obtineat, deponatur, et segregentur omnes qui « illi communicant.* Oportet enim ut qui provehendus « est in episcopum, ab episcopis eligatur, quemad- « modùm à sanctis Patribus, qui apud Nicæam con- « venerunt, in regulâ definitum est; quæ dicit, etc. » Nec omittenda est Gregorii II aurea sententia, epi- stolâ 11, ad Leonem Isaurum scribentis : « Quemad- « modùm Pontifex introspiciendi in palatium potesta- « tem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic « neque imperator in ecclesias introspiciendi, et « electiones in clero peragendi. » Clara sententia est : Tam non potest princeps laicus beneficia et dignitates ecclesiasticas auctoritate propriâ conferre, absque concessione Ecclesiæ, quam non potest episcopus aut summus Pontifex Palatinas dignitates et reipublicæ magistratus auctoritate propriâ conferre absque con- cessione regis.

Repugnabat VIII synodo œcumenicæ, canone 12, ita decernenti : « Apostolicis et synodicis canonibus « promotiones et consecrationes episcoporum, et po- « tentiâ et præceptione principum factas interdicen- « tibus, concordantes, definimus, et sententiam nos « quoque proferimus, ut si quis episcopus, per versu- « tiam vel tyrannidem principum, hujusmodi digni- « tatis consecrationem susceperit, deponatur omni- « modis, utpote qui non ex voluntate Dei, et ritu ac « decreto ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sen- « sûs, ex hominibus et per homines, Dei donun pos- « sidere voluit, vel consensit. » Et canone 22 : « Pro- « motiones atque consecrationes episcoporum, concor- « dans prioribus conciliis, electione ac decreto episcopo- « rum collegii fieri, sancta hæc et universalis synodus « definit et statuit, atque jure promulgat, neminem lai- « corum principum vel potentum semet inserere ele- « ctioni patriarchæ, vel metropolitæ, aut cujuslibet « episcopi; ne videlicet inordinata hinc et incongrua « fiat confusio vel contentio; præsertim cùm nullam « in talibus potestatem quemquam potestativorum, « vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed po- « tiùs silere ac attendere sibi, usquequò regulariter à « collegio ecclesiastico suscipiat finem electio futuri « pontificis. Si verò quis laicorum ad concertandum « et cooperandum ab Ecclesiâ invitatur, licèt hujus- « modi cum reverentiâ, si fortè voluerit, obtempe- « rare se asciscentibus; taliter enim sibi dignum pa- « storem regulariter ad Ecclesiæ suæ salutem promo- « veat. Quisquis autem secularium principum et « potentum, vel alterius dignitatis laicus, adversùs « communem et consonantem, atque canonicam ele- « ctionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, ana- « thema sit, donec obediat ac consentiat quòd Eccle- « sia de electione ac ordinatione proprii præsulis se « velle monstraverit. » His momentis investituras, quales à Germaniæ regibus, et ab aliis principibus interdùm, Gregorii VII temporibus, usurpabantur, meritò prohibendas ac damnandas fuisse probat S. An- selmus episcopus Lucensis.

Regni sui consuetudine principes sese tuebantur; sed nec antiqua erat consuetudo, imò recens usurpa- tio, quòd episcopatus et abbatias donarent oppressâ electionum libertate; et consuetudo, quæ tolerante Ecclesiâ obtinuerat, ut investituras concederent, etiam per annulum et baculum, ab eâ poterat rese- cari, cùm non solùm priscis moribus sanctiori con- suetudini multorum seculorum usu firmatæ, sed syno- dorum œcumenicarum canonibus, et summorum pon- tificum decretis, totius mundi reverentiâ consecratis, repugnaret, ac simoniæ, ambitionis ac omnimodæ christianæ disciplinæ eversionis esset occasio. Quâ de re S. Anselmum Lucensem disserentem audire præ- stat. : « De numero verò annorum, inquit, quibus hæc « damnabilis consuetudo permansisse dicitur, ut se- « culi potestas pro suo libitu pontifices promoveat,

« jure cæsari non potest. Nam de diversis consuetu-
« dinibus illa potissimùm sequenda est, quæ cùm ori-
« ginem sumeret, catholicos Patres, suorum priorum
« Patrum vestigia sectantes, auctores habuit; sicut
« Patres VII et VIII synodi secuti sunt statuta SS. Pa-
« trum Romanorum pontificum; et illi consuetudinem
« ab Apostolorum temporibus per omnes Ecclesias
« observatam. Ea verò perversitas, quæ à seculi
« principibus superinducta est, non præjudicat eidem
« sanctæ consuetudini, quantolibet temporum obti-
« nuerit curriculo. Alioqui Dominus Deus noster cul-
« pandus est, qui filios Israel longissimâ consuetu-
« dine sub servitute detentos liberavit, et humanum
« genus sub diaboli servitute longâ consuetudine de-
« tentum post quinque millium annorum curricula,
« proprià morte redemit. Præterea, cùm veteris et
« novi Testamenti legibus adulterium inhibitum sit,
« si qui reges adulterium commiserint, numquid eo-
« rum auctoritate posteri reges adulterari sibi lici-
« tum putabunt? Absit. Et quidem certum est regum
« contra leges commissa nullatenùs sequenda esse;
« leges verò ab eisdem calcatas, in suo statu manere
« debere, etc. Si autem omnis plantatio, quam Pater
« cœlestis non plantavit, eradicabitur, et, si, ut prædi-
« ctum est, quod ab infidelibus et hæreticis actum
« fuerit, omninò cassabitur, numquid hæc impietas
« Eutychianistarum imperatorum cassari et eradicari
« non debet? Certè quisquis ecclesiasticus pro suo
« officio vehementer non accenditur, ut tanta pravitas
« à Dei domo radicitus evellatur, zelo ejusdem domùs
« Dei non comeditur, et apud Deum canis mutus la-
« trare non valens reputatur. Quis enim non adver-
« tat hanc pestem seminarium esse simoniacæ hære-
« seos, et totius christianæ religionis lamentabilem
« destructionem? Nempe cùm dignitas episcopalis à
« principe adipisci posse speratur contemptis suis
« episcopis ac clericis, Ecclesia Dei deseritur; et ab
« aliis quidem ingens pecunia aulicorum marsupiis
« infunditur, ut eorumdem suffragia ad tam nefariam
« promotionem mereantur; ab aliis, infinitæ pecuniæ
« dispendio, plus decennio in seculari curià deservi-
« tur, æstus, pluviæ, frigora, et cætera incommoda
« patientissimè tolerantur; ab aliis autem vel sui pa-
« storis, vel cujus honorem ambiunt, mors incessan-
« ter optatur; ab alio alii vehementer invidetur, dùm
« quod sibi sperat ab eo surripi posse putatur, imò,
« proh dolor! in tantam Dei injuriam interdùm pro-
« silitur, ut et servis, et fornicariis dignitas ista præ-
« stetur. Tales quippe cùm adepti fuerint quod taliter
« expetierunt, peccantes seculi potestates nullatenùs
« præsumunt redarguere, quoniam ab aliis se promo-
« tos fuisse meminerunt; imò ne redarguere præ-
« sumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem et la-
« nam accipiunt, sed perditissimè viventes, omnium
« salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scri-
« ptum est : *Ruina populi, sacerdotes mali.* Et item .
« *Et erit sicut populus, ita et sacerdos.* Sacerdotes quippe
« à populo non videntur distare, cùm quisque certa-
« tim se popularibus actionibus studet implicare. Nam
« cùm nemo Deo militans implicet secularibus nego-
« tiis, quidam eorum, non canonum, sed canum et ac-
« cipitrum studia, et reliquos mundi luxus exercent.
« Quidam autem, quasi Deus laudet in sacerdote,
« quod reprehendit in divite, amiciuntur peregrino-
« rum pellibus, et relictis suis cathedralibus Ecclesiis,
« assistunt imperatoribus, cùm canones Spiritu Dei
« conditi prohibeant pontificibus palatia regis adire,
« sed si qua suggerenda sunt, per suos diaconos po-
« tiùs intimare. Cùmque iidem sacri canones prohi-
« beant, sub interminatione, quemque pontificum à
« suâ cathedrali Ecclesiâ tribus Dominicis diebus
« abesse, alios quidem eorum vix ter aut quater *in*
« anno, et hos vix anno integro, contingit easdem re-
« visere. Et ut soli non peccent, sed fiant (ut scri-
« ptum est) *laqueus juvenum*, dant exemplum clericis
« suas itidem Ecclesias deserere, et sub spe episco-
« pandi, regum curiæ militare. »

Addit S. Anselmus Lucensis, christianissimos imperatores nihil juris in electionibus episcoporum sibi vindicare voluisse; hancque Caroli et Ludovici Pii imperatorum legem profert in Capitularibus : « Sa-
« crorum canonum non ignari, ut in Dei nomine san-
« cta Ecclesia suo liberiùs potiatur honore, assensum
« ordini ecclesiastico præbemus, ut scilicet episcopi
« per electionem cleri et populi, secundùm statuta ca-
« nonum, de propriâ diœcesi, remotâ personarum et
« munerum acceptione, ob vitæ meritum et sapientiæ
« donum eligantur, ut verbo et exemplo sibi subje-
« ctis prodesse valeant. » De quâ pientissimorum im-
peratorum constitutione ita disserit : « Constitutio hæc
« tam consonantissima sanctorum Patrum constitu-
« tionibus esse perpenditur, ut si vel à Nicænâ, vel
« quâlibet etiam universalium Synodorum promulga-
« retur, non minùs Spiritu Dei per istorum ora quàm
« per eamdem prolata crederetur. Hæc quippe docet
« hunc esse honorem, hanc esse libertatem sanctæ
« Ecclesiæ, clerum scilicet ejusdem et populum sibi-
« met pontificem eligere debere; hæc in electione ca-
« nonum statuta servanda esse commemorat; hæc
« simoniacam hæresim prohibendo impugnat; hæc
« vitæ meritum et sapientiam pastoris electione quæ-
« renda demonstrat; et brevissimè videtur tangere,
« quod B. Gregorius scribit de pontifice : *Ut quisquis*
« *perpendere debeat qualiter ad pontificatum veniat, et*
« *ritè veniens qualiter doceat, et rectè docens qualiter*
« *vivat.* »

Oppressam electionum canonicarum libertatem præpostero investiturarum usu, Henrico IV Germaniæ principes coram Gregorio VII pontifice maximo objecerunt, ut refert Helmoldus in Chronico Sclavorum, lib. 1, cap. 28 : *Qualiter omnem in statuendis episcopis canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam episcopos, quos voluisset.* Ejusdem in disciplinam ecclesiasticam tyrannidis Henricum V ejus filium Germaniæ episcopi coram Paschali II accusârunt, ut idem auctor, cap. 32, commemorat. *Meministi*, inquit, *qualiter episcopatus, abbatias, et omnia Ecclesiæ regimina fecisti venalia; nec fuit in constituendis episcopis*

ulla legitimæ electionis facultas, sed sola pecuniæ ratio. Investituras ob illos abusus prohibendas senserat Gregorius VI, si verè hanc habuit paulò ante obitum orationem, quam ipsi tribuit Willelmus Malmesburiensis, lib. 2 de Gestis regum Anglorum, in quâ hæc inter alia dixit : « Laudatus est prædecessor no-« ster Adrianus I, quòd investituras Ecclesiarum Ca-« rolo Magno concesserit; ita ut nullus electus con-« secraretur ab episcopo, nisi priùs à rege insignire-« tur et annulo et baculo. Contra laudatur in nostri « seculi pontificibus, quòd has donationes tulerunt « principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, « quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quòd « erat animus Magni adversùs avaritiam invictus, nec « facilè aditum invenisset aliquis, nisi intrâsset per « ostium. Præterea, per tot terrarum interstitia, ne-« quibat requiri Sedes Apostolica, ut unicuique electo « accommodaret assensum suum, dùm esset propè « rex qui nihil per avaritiam disponeret; sed juxta sa-« cra canonum scita religiosas personas Ecclesiis in-« troduceret. Nunc omnia palatia regum luxus et am-« bitus occupavit. Quare meritò libertatem suam « sponsa Christi asseverat, ne illam tyrannis ambi-« tioso usurpatori prostituat. » Concessionem illam Carolo Magno ab Adriano I, factam figmentum esse olim observavi; nec forsan verius est sic Gregorium VI perorâsse; sed omninò verum est Ecclesiam investiturarum usum jure prohibuisse principibus, quia eorum nequitia in tyrannidem versus erat, quâ Ecclesiæ libertas opprimebatur.

Articulus III.

Investituras primus prohibuit, damnavitque Gregorius VII in frequentibus synodis.

Cùm tot mala ex investituris, quarum usum decessores sui in principibus toleraverant, suis temporibus in Ecclesiam redundare Gregorius VII, pontifex sanctissimus, et ecclesiasticæ libertatis defensor acerrimus conspiceret, earum usum sub anathemate prohibuit, ut paucis memorat Willelmus Malmesburiensis, lib. 3 de Gestis regum Anglorum, in Willelmo I : « Hic, inquit, quod alii mussitaverant, palàm extulit, « excommunicans electos, qui investituras Ecclesiarum « de manu laici per annulum et baculum acciperent. » De ejusdem Pontificis in Henricum IV Germaniæ regem decretis Willelmus Tyrius archiepiscopus, lib. 1, Historiæ, cap. 13, ita scribit : « Porrò per annos ante « aliquot Henricus Theutonicorum rex, et idem Ro-« manorum imperator, à domino Gregorio Papâ VII « passus fuerat quæstionem et controversiam non « modicam super annulo defunctorum episcoporum « et baculo. Inoleverat enim consuetudo, præsertim « in imperio, quòd defungentibus Ecclesiarum præla-« tis, annulus et virga pastoralis ad dominum impera-« torem dirigebatur. Unde postmodùm unumquem-« libet de familiaribus et capellanis suis investiens, « ad ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi pastoris « fungeretur officio, non expectatâ cleri electione. « Quod dominus Papa contra omnem fieri honestatem « considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesia-« stica perpendens, semel, secundò ac tertiò eumdem « imperatorem commonuit, ut à tam detestabili de-« sisteret præsumptione. Quem præceptis salutaribus « commonitum cùm revocare non posset, vinculo ana-« thematis innodavit. »

Œconomia erga Henricum regem primum usus est sanctissimus Pontifex; tum causâ maturè discussâ, cùm usum investiturarum, qualis ab eo usurpabatur, manifestam esse tyrannidem, et subversionem canonum, ecclesiasticæque libertatis oppressionem conspexisset, collectâ synodo, ipsum damnavit, atque sub anathemate prohibuit anno 1075. Testis est Hugo Flaviniacensis abbas in Chronico Virdunensi, tom. 1, Bibliothecæ novæ MSS. P. Labbè S. J., ubi de Anselmo Lucensi, et Hugone Diensi designatis episcopis ita scribit : « Cùm ergo Romæ positi præstolarentur « diem consecrationis suæ, venerunt nuntii regis Hen-« rici Romam, rogantes ne contra morem prædeces-« sorum suorum dominus Papa eos consecrare vellet, « qui episcopatûs electionem solam, non autem do-« num per regiam acceperant investituram. At ipse « convocatis cardinalibus, legationem regis aperuit, « et quid sibi ad hoc respondendum, quid esset fa-« ciendum admonuit. Quibus respondentibus usum « Ecclesiæ hunc esse, hunc haberi pro lege, cùm au-« ctoritas eis nulla ad hoc suffragaretur, in Lucensi « tamen electo eis acquievit, ut consecrationem ejus « differret, donec investituram episcopatûs ex regio « dono accepisset. In Diensi verò acquiescere noluit, « sed eum primâ quadragesimæ hebdomadâ, sabbato in « presbyterum, et dominicâ consecravit in episcopum. « Et quia vidit hoc sanctorum Patrum adversari de-« cretis, ut in canonicâ electione episcopi prævaleret « donum regis, imò multoties ipsam electionem im-« mutaret, vel potiùs irritam faceret, in Romanâ sy-« nodo 50 episcoporum, considente presbyterorum et « abbatum multitudine, juxta decreta pontificalia et « institutiones canonicas, ne hoc ampliùs à quoquam « præsumeretur, prohibuit sub interminatione ana-« thematis. »

Decretum subjicit Hugo à summo Pontifice et synodo conditum his verbis : « Si quis deinceps episcopa-« tum vel abbatiam de manu alicujus laicæ personæ « susceperit, nullatenùs inter episcopos vel abbates « habeatur, nec ulla ei ut episcopo vel abbati audien-« tia concedatur. Insuper ei gratiam B. Petri et in-« troitum ecclesiæ interdicimus, quoadusque locum « quem sub crimine tam ambitionis quàm inobedien-« tiæ, quod est scelus idololatriæ cœpit, deseruerit. « Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis digni-« tatibus constituimus. Item si quis imperatorum, du-« cum, marchionum, comitum, vel quælibet secula-« rium potestatum aut personarum, investituram « episcopatûs vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis « dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se « adstrictum sciat. » Recensito Gregorii VII et Romanæ synodi decreto, subdit Hugo Flaviniacensis « Secutus est autem in hoc Patrum exempla, licèt jam

« per multa annorum curricula damnabilis hæc con-
« suetudo inolevisset et in usum conversa esset. » Id-
que probat Nicæni concilii, et VII atque VIII sy-
nodorum œcumenicarum prolatis canonibus; quibus
decretum istud Gregorii VII consentaneum est. Tan-
demque sic concludit : « In electione igitur et conse-
« cratione domini Diensis evidenter ostenditur ope-
« rata divinitas, quia per hanc occasionem, sanctæ
« Dei Ecclesiæ sub papatu domini Gregorii multis
« retro annis obnubilata electionis ecclesiasticæ splen-
« duit veritas. Viderint igitur viri cordati quid juris
« imperatoribus, regibus et principibus, in electione
« pontificis reservetur. »

Hoc primum contra investituras decretum Hugo Flaviniacensis, et ab eo decepti Conciliorum editores primæ synodo Romanæ Gregorii VII perperàm tri-buunt, quod in secundâ conditum colligitur manifestè ex ejus Epistolâ ad Henricum regem X, lib. 3. Ex eâ discimus, Henricum decreto Pontificis et synodi ve-hementer commotum, ac de imminutis regni sui juri-bus conquestum esse, nec ipsi parere voluisse. Unde hanc ad ipsum Epistolam scripsit Gregorius, quâ de-creti sui vindicat æquitatem, regem ad obedientiam hortatur, paratum se esse declarat ad temperandam sententiam, si missis ad Sedem Apostolicam viris prudentibus et religiosis ostendat quâ ratione id salvo Dei honore et officio suo facere possit. « Congregatâ,
« inquit, hoc anno apud Sedem Apostolicam synodo,
« cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui
« etiam nonnulli tuorum interfuêre fidelium, videntes
« ordinem christianæ Religionis multis jam labefacta-
« tum temporibus, et principales ac proprias lucran-
« darum animarum causas diù prolapsas, et suadente
« diabolo conculcatas, concussi periculo et manifestâ
« perditione dominici gregis, ad sanctorum Patrum
« decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil
« adinventione nostrâ statuentes, sed primam et uni-
« cam ecclesiasticæ disciplinæ regulam, et tritam
« sanctorum viam, relicto errore, repetendam esse
« censuimus. Neque enim alium nostræ salutis et
« æternæ vitæ introitum Christi ovibus, earumque
« pastoribus patere cognoscimus, nisi, quem ab ipso
« monstratum, qui dixit : *Ego sum ostium; per me si*
« *quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet :* et ab
« Apostolis prædicatum, et à Sanctis Patribus obser-
« vatum, in Evangelicâ et in omni divinarum Scriptu-
« rarum paginâ didicimus. Hujus autem decreti, quod
« quidam dicunt, humanos divinis honoribus præpo-
« nentes, importabile pondus et immensam gravitu-
« dinem; nos autem magis proprio vocabulo, recu-
« perandæ salutis necessariam veritatem vocamus et
« lucem, non solùm à te, vel ab his qui in regno tuo
« sunt, sed ab omnibus terrarum principibus et po-
« pulis, qui Christum confitentur et colunt, devotè
« suscipiendam et observandam adjudicamus. Quan-
« quàm hoc multùm desideremus, et te permaximè
« deceret, ut sicut cæteris gloriâ, honore, virtuteque
« potentior, ita esses et in Christi devotione sublimior.
« Attamen ne hæc supra modum tibi gravia au' ini-
« qua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus ne
« pravæ consuetudinis mutatio te commoveret, mit-
« teres ad nos quos sapientes et religiosos in regno
« tuo invenire posses; qui si aliquâ ratione demon-
« strare vel adstruere possent, in quo, salvo æterni
« regis honore, et sine periculo animarum nostrarum
« promulgatam sanctorum Patrum possemus tempe-
« rare sententiam, eorum consiliis condescenderemus.
« Quod quidem, etsi à nobis tam amicabiliter moni-
« tus non fuisses, æquum tamen fuerat, ut priùs in
« quo te graveremus, aut tuis honoribus obstaremus
« rationabiliter à nobis exigeres, quàm apostolica de-
« creta violares..... sed quia dùm adhuc longa Dei
« patientia ad emendationem te invitat, crescente in-
« telligentiâ tuâ ad obedientiam mandatorum Dei cor
« et animum tuum flecti posse speramus; paternâ te
« charitate monemus ut Christi super te imperium
« recognoscens, honorem tuum ejus honori præpo-
« nere quàm sit periculosum, cogites, et libertatem
« Ecclesiæ, quam sponsam sibi cœlesti consortio jun-
« gere dignatus est, non jam tuâ occupatione impe-
« dias, sed quò maximè crescat, Deo omnipotenti et
« B. Petro, à quibus et tua mereatur amplificari glo-
« ria, auxilium tuæ virtutis fideli devotione exhibere
« incipias. »

Suum istud et secundæ synodi Romanæ, cui præ-fuerat, decretum executioni, quantùm in se erat, mandari curavit Gregorius VII, ut constat ex Epistolâ ipsius ad Hugonem Diensem episcopum scriptâ 4 idus maii anni 1076, quæ est 22 libri 4, quâ præcipit, ut causa Gerardi Cameracensem ad episcopatum electi, qui investituram ab Henrico Germaniæ rege acceperat, ignorans et regem excommunicatum, et investituram hujusmodi à Pontifice prohibitam, con-gregatâ synodo, *cum consensu et consilio regis Franco-rum, si fieri potest*, discutiatur, ejusque credatur sa-cramento, si se ignorâsse juret Decretum Pontificis et synodi adversùs investituras, regisque excommu-nicationem. Ipsum enim veniâ dignum esse, si ita se res habeat, maximè cùm donum episcopatûs à rege acceptum in manibus Pontificis resignaverit. Cæterùm legato suo dat in mandatis, ut congregatâ synodo, metropolitanis et quibusvis episcopis sub pœnâ ana-thematis prohibeat ne eos consecrent episcopos qui investituram à laicis acceperint. « Si igitur, inquit,
« divina clementia huic nostræ dispositioni effectum
« dederit, inter cætera quæ tua Fraternitas agenda
« suscepit, hoc attentissimè perpendat, et exequi
« studeat, ut congregatis omnibus, et in conventu re-
« sidentibus, manifestâ et personanti denuntiatione
« interdicat, ut pro conservandâ deinceps in promo-
« vendis episcopis canonicâ et apostolicâ auctoritate,
« nullus metropolitanorum, aut quivis episcoporum,
« alicui qui à laicâ personâ donum episcopatûs acce-
« perit, ad consecrandum illum imponere manum
« audeat, nisi dignitatis suæ honore officioque carere
« et ipse velit. Similiter etiam ut nulla potestas, aut
« aliqua persona, de hujusmodi honoris donatione vel
« acceptione ulteriùs se intromittere debeat. Quòd si

« præsumpserit, eadem sententia et animadversionis « censura, quam B. Adrianus Papa in synodo VIII de « hujusmodi præsumptoribus et sacræ auctoritatis cor- « ruptoribus statuit atque firmavit, se adstrictum ac « ligatum fore cognoscat. Quo capitulo scripto, atque « in præsentiâ omnium lecto, ad collaudationem et « confirmationem ejus universum cœtum illius con- « sessûs admoneas. Eos autem qui post recensitam « à nobis hujus decreti auctoritatem, investituram « episcopatûs per manus secularium dominorum et « potestatum susceperunt, et qui eis in ordinatione « manum imponere præsumpserunt, ad nos super hâc « re rationem reddituros venire apostolicâ auctoritate « commoneas atque præcipias. »

Investiturarum canonicæ prohibitio atque damnatio in synodo Romanâ V, eodem Præside *Gregorio VII*, confirmata est anno 1078, Canone II, cujus hæc sunt verba : « Quoniam investituras Ecclesiarum, contra « statuta SS. Patrum, à laicis personis in multis par- « tibus cognovimus fieri, et ex eo plurimas perturba- « tiones in Ecclesiâ oriri, ex quibus christiana Re- « ligio conculcatur; decernimus ut nullus clericorum « investituram episcopatûs vel abbatiæ vel ecclesiæ, « de manu imperatoris vel regis, vel alicujus laicæ « personæ, viri vel feminæ, suscipiat. Quod si præ- « sumpserit, recognoscat investituram illam apostolicâ « auctoritate irritam esse, et se, usque ad condignam « satisfactionem, excommunicationi subjacere. »

Eidem decreto novum robur addidit synodus Romana VII, sub eodem Pontifice, anno 1080, canonibus 1 et 2. Et primus quidem sic habet : « Sequen- « tes statuta sanctorum Patrum, sicut in prioribus « conciliis, quæ Deo miserante celebravimus, de or- « dinatione ecclesiasticarum dignitatum statuimus, « ita et nunc apostolicâ auctoritate decernimus ac « confirmamus, ut si quis deinceps episcopatum vel « abbatiam de manu alicujus laicæ personæ susce- « perit, nullatenùs inter episcopos vel abbates ha- « beatur, nec ulla ei, ut episcopo seu abbati audien- « tia concedatur. Insuper etiam ei gratiam S. Petri, « et introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum « quem sub crimine tam ambitionis quàm inobedien- « tiæ (quod est scelus idololatriæ) cœpit, resipiscendo « non deserit. Similiter etiam de inferioribus eccle- « siasticis dignitatibus constituimus. »

Alter canon sic habet : « Item si quis imperatorum, « regum, ducum, marchionum, comitum, vel quælibet « secularium potestatum aut personarum, investituram « episcopatuum, vel alicujus ecclesiasticæ dignitatis « dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo se « obstrictum esse sciat. Insuper etiam, nisi resipi- « scat, et Ecclesiæ propriam libertatem dimittat, « divinæ animadversionis ultionem in hâc præsenti « vitâ, tam in corpore suo quàm cæteris rebus sen- « tiat, ut in adventu Domini spiritus salvus fiat. »

Articulus IV.

Gregorii VII decreta adversùs investituras Victor III innovavit atque confirmavit.

In Sedem Romanam Gregorio VII successit Desiderius, Cassinensis abbas, Victor III appellatus, simulque in ejus studia pro restaurandâ sacrâ disciplinâ et vindicandâ Ecclesiæ libertate. Is cùm nec Henricum Germaniæ regem, nec Philippum Gallorum, nec Anglorum Willelmum, sanctissimi decessoris sui decretis contra investituras parere accepisset (quanquàm longè dispar esset illorum causa principum : siquidem solus Germaniæ rex libertatem electionum penitùs opprimebat), ea decreta innovavit et confirmavit in synodo Beneventanâ, quam celebravit anno Christi 1087. Ejus acta refert Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, lib. 3, cap. 71. Canon investituras prohibens his verbis conceptus est : « Constituimus etiam ut si quis dein- « ceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus « laicæ personæ susceperit, nullatenùs episcopus vel « abbas habeatur, neque ulla ei ut episcopo vel abbati « adhibeatur reverentia. Iusuper ei B. Petri gremium « et Ecclesiæ introitum interdicimus, quousque locum « quem sub tanto crimine ambitionis et inobedientiæ « (quod est scelus idololatriæ) cœpit, resipiscendo non « deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasti- « cis Gradibus, Dignitatibusque constituimus. Si quis « item Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, « Comitum, vel cujusvis Potestatis secularis, Episco- « patum, vel quamvis aliam Ecclesiasticam Dignita- « tem, dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculo « se adstrictum noverit : Cùm trecenti decem et octo « Patres in concilio Nicæno omnes hujusmodi ven- « dentes et ementes excommunicaverint, censentes, « ut qui dat, et qui recipit, anathema sit. Cùm hujus- « modi igitur Episcopis, Abbatibus, aut Clericis reli- « quis, qui communicat, vel orat, vel ipsorum audit « Missas, una excommunicationis sententia plectitur; « quia nec sacerdotes quidem ritè putari possunt. « Simoniacas præsertim Investituras hoc Victoris III. « Decreto peti manifestum est. »

Articulus V.

Urbanus II decessorum exemplo investituras proscripsit.

Anno 1089, Urbanus II in studium decessorum pro Ecclesiæ disciplinâ et libertate restituendis atque propugnandis succedens, in synodo, quàm Melfiæ in Apuliâ celebravit, hoc promulgavit adversùs investituras decretum : « Illud summoperè et apostolicæ au- « ctoritatis privilegio providentes, interdicimus, ut « nullus in clericali ordine constitutus, nullus mona- « chus, episcopatûs aut abbatiæ, aut cujuslibet eccle- « siasticæ dignitatis investituram de manu laici susci- « pere audeat. Quod si præsumpserit, depositione mul- « ctetur. » Inter canones Melfitanos octavus est.

Idem pontifex in concilio Claromontano, anno 1095, rursùs investituras damnavit, ut constat ex Breviario canonum 15 et 16 è *Lamberti* Atrebatensis Codice edito. Statuit nempe 15, *ut nullus ecclesiasticum aliquem honorem à laicali manu recipiat*; 16 verò interdicit *ne reges vel alii principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant*; 17 vetat *ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat*. Alio, ordine à Willelmo Malmesburiensi referuntur, et paulò aliis verbis. Primus namque canon

collectionis ipsius his verbis conceptus est : *Quod Ecclesia catholica sit in fide casta, et ab omni servitute secuari libera.* Secundus verò istis, *ut episcopi vel abbates, vel aliqui de clero, aliquam ecclesiasticam dignitatem de manu principum, vel quorumlibet laicorum non accipiat.*

In Romanâ denique synodo, anno 1099 celebratâ investituras rursùs prohibuit Urbanus II excommunicatione in dantes et accipientes decretâ ; necnon etiam in eos qui pro ecclesiasticis honoribus laicis homagium præstarent. Testes sunt Eadmerus, lib 2 Historiæ Novorum, et Rogerius de Hoveden, part. 1 Annalium. « Anno, inquit, 1099, Urbanus Papa, tertiâ « hebdomadâ Paschæ magnum concilium tenuit Ro- « mæ, in quo excommunicavit omnes laicos investitu- « ras Ecclesiarum dantes; et omnes easdem investi- « turas de manibus laicorum accipientes ; nec non « omnes in officium sic dati honoris consecrantes. Ex- « communicavit etiam eos qui pro ecclesiasticis ho- « noribus laicorum homines fiunt; dicens nimis exe- « crabile videri ut manus quæ in tantam eminentiam « excreverint, ut, quod nulli angelorum concessum « est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, « et eumdem ipsum, pro salute totius mundi, Dei « Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stul- « titiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum, « quæ diebus ac noctibus obscœnis contactibus inqui- « nantur sive rapinis ac injustæ sanguinis effusioni ad- « dictæ maculantur. Et ab omnibus acclamatum est : « *Fiat, fiat.* » Huic concilio præsens erat S. Anselmus et ejus comes ac discipulus Eadmerus, *His*, inquit, *præsentes fuimus, hæc conspeximus, his ab universis*, FIAT, FIAT, *acclamari audivimus.*

ARTICULUS VI.

Urbani II et decessorum contra investituras decretis nec Henricus imperator, nec Willelmus II et Henricus Angliæ reges, paruêre; paruit verò Philippus rex Francorum; haud tamen dimissâ regalium seu feudorum Investiturâ legitimâ.

I. Henricum imperatorem pontificiis ac synodicis Gregorii VII, Victoris III et Urbani II Decretis minimè paruisse constat ex novis decretis quibus ipsum urgeri oportuit à Paschali II, Urbani successore, ut investituras dimitteret; constat ex ipsius excommunicatione ab eodem renovatâ ; constat ex eo quòd ejus corpus post mortem effossum, christianâ sepulturâ indignum judicatum fuerit quòd in schismate et excommunicatione obiisset.

Leodiensis cleri, qui Henrico adhærebat, Epistola adversùs Paschalem II investituras tuetur ut jus regium consuetudine firmatum : *Dominus noster episcopus*, inquiunt Leodienses, *communicat regi et imperatori suo, cui ex regalibus ejus acceptis juravit fidelitatem. Nimirùm effluxit tempus quo hæc consuetudo incæpit, et sub hâc consuetudine migraverunt à seculo sancti et reverentes episcopi, reddentes Cæsari, quæ erant Cæsaris, et Deo quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambrosius super Lucam?* « *Si Christus*, inquit, *non habuit imagi- « nem Cæsaris, cur dedit censum? Non de suo dedit, « sed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu, si non « vis obnoxius esse Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. « Si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis igitur ni- « hil debere Regi terreno, dimitte omnia, et sequere « Christum.* » *Item Augustinus, tract 6 super Joannem :* « *Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, « et dixit :* REGEM REVEREMINI. *Nolite dicere : Quid « mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura « regum possidentur possessiones : per imperatores et « reges seculi, Deus jura humana distribuit generi hu- « mano.* » *Igitur ex verbis istorum et aliorum sanctorum Patrum, consulant sibi episcopi Regibus et imperatoribus obnoxii, et eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est, eorum beneficiis, eos interficiant.*

Eâdem tempestate, Waltramus Naumburgensis episcopus, edito de Investituris tractatu, illarum usum propugnavit, asserens investituram à regibus concedi ratione bonorum temporalium ad Ecclesias pertinentium ; et parùm referre an fiat verbo, diplomate aut baculo, quia episcopus die consecrationis suæ baculum et annulum collocat super altare ; illaque pontificalis auctoritatis insignia recipit velut à S. Petro. Cæterùm non incongruè dare investituram per baculum qui spiritalis simul et temporalis potestatis indicium est. « Servanda est, inquit, antiqua consti- « tutio, ne pusilli Christi scandalizentur. Nil enim « refert, sive verbo sive præcepto, sive baculo, sive « aliâ re quam in manu tenuerit, investiat aut in- « thronizet rex et imperator episcopum ; qui die con- « secrationis veniens, annulum et bâculum ponit super « altare, et in curam pastoralem singula suscipit à « stolâ et ab auctoritate S. Petri. Sed congruum magis « est per baculum, qui est duplex, id est, temporalis, « et spiritualis. Operarius enim in seminandis spirita- « libus dignus est mercede suâ, non in accipiendis « temporalibus, juxta quod Paulus ait : *Si spiritualia « vobis seminamus, non est magnum si carnalia* (id est, « temporalia) *à vobis metamus.* Præcedens investitura « per regem in fundis et rebus Ecclesiæ contra ty- « rannos et raptores quieta et pacifica reddit omnia. « Sequitur autem consecratio ; ut bannus episcopalis « banno regali conveniens, in communem salutem « operetur. Et si episcopis faciendum est regibus ho- « minium et sacramentum de regalibus, apertius est « ante consecrationem, cùm Paulus Apostolus di- « cat : *Unusquisque in suo sensu abundet.* » Editus est Waltrami tractatus à Goldasto, in Apologiâ pro Henrico IV.

II. Willelmus II, Angliæ rex, investituras semper retinuit. Cùm gravi infirmitate detineretur, et peccata sua apud S. Anselmum deposuisset, rogatus à bonis quibusque ut Cantuariensem ecclesiam, instituendo illi pastorem, solveret à pristinâ viduitate, lubens annuit : « Cunctis ad nutum regis pendentibus, præ- « nuntiavit ipse, et concordi voce sequitur acclamatio « omnium, abbatem Anselmum tali honore dignissi- « mum. Expavit Anselmus ad hanc vocem, et expalluit; « cùmque raperetur ad regem ut per virgam pastora-

« lem investituras archiepiscopatûs de manu ejus « susciperet, toto conamine restitit, idque multis « obsistentibus causis, nullatenùs fieri posse asse- « ruit.... Rege ei baculum porrigente, manum contra « clausit, et eum suscipere nequaquàm consensit, « episcopi verò digitos ejus strictim volæ infixos eri- « gere conati sunt, quo ve. sic manui ejus baculus in- « gereretur, etc. Clausæ manui ejus baculus appositus « est et episcoporum manibus cum eâdem manu com- « pressus atque retentus. Acclamante autem mul- « titudine : Vivat episcopus, vivat; episcopi cum « clero Hymnum : *Te Deum laudamus*, decantare « cœpêre, electumque portaverunt Pontificem potiùs quàm duxerunt in vicinam ecclesiam... Cum decurso « non exiguo tempore, clamorem omnium de eccle- « siarum destructione conquerentium rex ampliùs « ferre nequiret, virum ad se Wintoniæ, adunato sibi « conventu nobilium, venire fecit; ac multis bonis et « Ecclesiæ Dei profuturis promissionibus illectum, « primatum Ecclesiæ Anglorum suscipere suasit at- « que persuasit. Ille igitur more et exemplo prædé- « cessoris sui inductus, pro usu terræ homo regis fac- « tus est, et sicut Lanfrancus suo tempore fuerat, de « toto archiepiscopatu satisfieri jussus est. » Ita refert Eadmerus, lib. 1 Historiæ Novorum.

Nec solùm investituras retinebat, sed et fructus vacantium Ecclesiarum Willelmus II percipiebat, suosque in usus convertebat. Et propterea diù illas vacare sinebat, ut regaliæ prætextu reditibus illarum diutiùs frueretur. Hinc ipsum ita convenit S. Anselmus, referente Eadmero, lib. 1 Historiæ Novorum : « Est et « aliud, cui tuam industriam intendere vellem et inten- « dendo consilii tui manum extendere. Abbatiæ quam- « plures sunt in hâc terrâ suis pastoribus destitutæ. « Quamobrem monachi relicto ordine suo, per luxus « seculi vadunt, et sine Confessione de hâc vitâ « exeunt. Unde consulo, precor, moneo, quatenùs « tantâ re diligenter inspectâ, secundùm voluntatem « Dei abbates illis instituas, ne in destructione mo- « nasteriorum et perditione monachorum, tibi, quod « absit, damnationem acquiras. » — « Non potuit am- « pliùs spiritum suum rex cohibere, inquit Eadmerus, « sed oppidò turbatus, cum iracundiâ dixit : Quid ad « te? Numquid abbatiæ non sunt meæ? Hem, tu quod « vis agis de villis tuis; et ego non agam quod volo de « abbatiis meis? Cui Anselmus : Tuæ quidem sunt ut « illas quasi advocatus defendas atque custodias, « non tuæ autem ut invadas aut devastes. Dei scimus « eas esse ut sui ministri inde vivant, non quò expe- « ditiones et bella tua inde fiant. Denique villas et « quamplures reditus habes, unde pleniter admi- « nistrare tua potes. Ecclesiis, si placet, sua dimitte. » Cui rex : « Pro certo noveris mihi valdè contraria esse « quæ dicis. Nec enim antecessor tuus auderet ullate- « nùs Patri meo dicere; et nihil faciam pro te. »

Urbanum II ceu legitimum Pontificem non agnoscebat Anglia, donec Walterus Albanensis episcopus, ab eo missus in insulam legatus, apud regem effecit, ut illum ceu B. Petri successorem et Christi vicarium coleret, atque in toto regno coli juberet, ut Eadmerus testatur. Œconomiâ cum feroce principe utendum fuit, ac reverà usus est Urbanus II, ipsumque minimè ursit ut investituras dimitteret, tolerandum aliquamdiù abusum ratus schismatis metu. Nec S. Anselmus ipsi quæstionem hâc de re intulit, aliunde ab eo vexatus ob negatam pecuniæ summam, et ob appellatum Urbanum Pontificem, antequàm in edicto sancivisset. Nec spes affulgebat ulla fore ut investituras dimitteret, secundùm pontificum synodorumque decreta, qui consuetudinum, quantùmvis pravarum, regni sui adeò tenax erat, ut in Majestatem suam committere, sibique coronam eripere contestaretur, quicumque eas violaret : nec episcopos regni sui summum Pontificem appellare, et absque suâ licentiâ Romam proficisci permittebat, quia regni consuetudines id vetabant, quas se servaturos promittebant episcopi, cùm investituram à rege accipiebant; ut colligitur ex colloquio regis et episcoporum ac procerum cum S. Anselmo, apud Eadmerum lib. 11 Historiæ Novorum.

In concilio Barensi, querelæ ad Urbanum II, de Willelmo II, Angliæ rege delatæ sunt, quas Pontifex synodo coram exposuit; accusatus est generatim venditionis et oppressionis Ecclesiarum, parùmque abfuit ne excommunicaretur; at de investituris nulla tunc facta mentio est. « Procedente deinceps ratione, « inquit Eadmerus, de rege Anglorum sermo con- « seritur, et sinistra quædàm de ipso publicè prædi- « cantur, Anselmo inter illa demisso vultu sedente, « et loquentes nullo favore prosequente. Tandem de « venditione et oppressione ecclesiarum, de quibus « inter alia vituperabatur, necne de injuriis Anselmo « illatis, apostolicus acriter questus est. Quem propter- « ea, inquit, etiam regni sui fecit extorrem, quo- « niam à B. Petri fidelitate et obedientiâ nequivit se- « parare. Et adjecit : Ecce vita illius tyranni qualis « ad Apostolicam Sedem sæpè delata est. Cui pro cor- « rectione suâ multa multoties cohortatoriâ simul et « castigatoriâ suasione verba mandavimus : sed afflictio « atque depulsio tanti viri, quem coram videtis, satis « innuit quantùm profecimus. Ad hæc, fratres, quid « sentitis, quid decernitis? Dixerunt : Sententia plana « est, et judicium evidens. Si enim semel, si secundò, si « tertiò vocâsti, et renuit audire, renuit disciplinam acci- « pere, restat ut gladio S. Petri sub anathematis ictu per- « cussus, quod meruit sentiat, donec à suâ pravitate di- « scedat. Respondit : Ita est. Audiens hæc Anselmus, il- « licò surrexit, et flexis genibus coram Papâ præfatum « regem jam tunc excommunicare parato, vix obtinuit « ne in regem faceret quod communis omnium sen- « tentia promulgavit. » Ita refert Eadmerus lib. 11 Historiæ Novorum.

In postremâ synodorum suarum Romæ celebratâ, Urbanum II investituras et hominii exactionem ab episcopis et abbatibus, latâ in dantes, accipientes et consecrantes anathematis sententiâ, prohibuisse ac damnâsse diximus. Defuncto paulò post Urbano, et nuntio de ejus obitu in Angliam perlato, gavisus est velut de fausto eventu rex Willelmus dicens : *De*

odium habeat qui inde curat. Et quis Urbano successisset interrogans, cùm Anselmo simillimum audisset, nullam apud se ejus auctoritatem fore juravit : *Nec enim putabat,* inquit Eadmerus, *apostolicum orbis posse in regno suo esse cujuslibet juris, nisi permissum à se.* Post aliquot menses repentinâ morte sublatus est rex Willelmus, in Ecclesiæ quidem communione toleratus, cæteroquin impœnitens. Ex hâc rerum gestarum serie quibus interfuit, qui illarum historiam scripsit Eadmerus, constat decreta pontificia et synodica contra investituras in Angliâ recepta non fuisse sub Gregorii VII, Victoris III et Urbani II pontificatu, nec usquàm ipsis parere voluisse Willelmum II.

Henrici in regnum Willelmi fratris successio, spem fecit maximam fore ut Ecclesia paululùm respiraret, ac libertatem recuperaret; maximè cùm ipso inaugurationis suæ die jurâsset, *omnes oppressiones et iniquitates quæ sub fratre suo emerserant, in omni suâ dominatione, tam in Ecclesiis, quàm in secularibus negotiis, se prohibiturum et subversurum.*

Interim S. Anselmus Româ in Angliam redux, Henricum regem Serberiæ agentem convenit, qui ipsum cum gaudio excepit, ac inaugurationis maturationem suæ excusavit, quòd ipso, cujus juris erat, minimè expectato, illam perfici jussisset. « Tùm po- « stulatus est Anselmus, pro consuetudine antecesso- « rum suorum, regi hominium facere, et archiepi- « scopatum de manu ejus recipere. Quibus cùm ille « nequaquàm se aut velle aut posse assensum præ- « bere responderet, interrogantibus quare statim quid « super his et quibusdam aliis in Romano concilio « acceperit, manifestâ relatione innotuit, itaque sub- « inferens, ait : Si dominus rex ista suscipere et sus- « cepta servare voluerit, benè inter nos et firma pax « erit. Sin autem, non video remanere meum in An- « gliâ utile fore vel honestum; præsertim cùm, si « episcopatus aut abbatias dederit, privari me penitùs « tam à suî, quàm et eorum qui susceperint, com- « munione necesse sit. Nec enim eâ de causâ An- « gliam redii, ut si ipse Romano Pontifici obedire « nolit, in eâ resideam. Unde quid velit, precor, edi- « cat, ut sciam quò me vertam. » His auditis, gra- viter commotum esse regem, Eadmerus testatur. « Grave quippe, inquit, sibi visum est investituras « ecclesiarum, et hominia Prælatorum perdere; grave « nihilominùs Anselmum à regno ipso nondùm in re- « gno plenè confirmato, pati discedere. In uno siqui- « dem videbatur sibi quasi dimidium regni perdere; « in alio verebatur ne fratrem suum Robertum, qui « tunc de Jerusalem Normanniam redierat, Anselmus « adiret, et eum in Apostolicæ Sedis subjectionem de- « ductum, quod facillimum factu sciebat, regem An- « gliæ faceret. De verbis igitur altrinsecùs motis in- « duciæ usque Pascha petitæ sunt, quatenùs utrinque « Romam mitterentur, qui decreta apostolica in pri- « stinum regni usum mutarent; et interim Ecclesiis « Angliæ in quo erant statu manentibus, Anselmus, « redditis terris quas rex mortuus Ecclesiæ Cantua- « riensi abstulerat, suis omnibus revestiretur : sicque « fieret, ut si à sententiâ flecti Papa nequiret, totius « negotii summa in eum quo tunc erat statum redi- « ret. » Annuit Anselmus, ne pravæ de se suspicionis ansam regi præberet, quamvis hæc omnia frustra fore prævideret, nec Romanum Pontificem decessorum suorum ac synodorum contra investituras decreta destructurum. Quæ verò post hæc Paschalis II cum Henrico rege, quid S. Anselmus egerit, in istius Dissertationis progressu edisseram.

III. Sedis Apostolicæ ac synodorum decretis Philippus I rex Francorum paruit, solemnem dimittens investituram, quæ annuli et baculi pastoralis traditione fiebat, liberasque episcoporum electiones esse sinens, quamvis regalium seu feudorum, pro suo jure, investituram absque hâc solemnitate concederet, eorumque ratione juramentum fidelitatis, non solemne hominium exigeret. Id constat ex Ivone Carnotensi episcopo, epistolâ sexagesimâ, ad Lugdunensem archiepiscopum Sedis Apostolicæ legatum Hugonem datâ. Præceperat ille Ivoni et comprovincialibus episcopis, ut à consecratione Daimberti Senonensis archipræsulis electi abstinerent duplicem ob causam : primam quòd sibi ante consecrationem præsentari, ac subjectionem et obedientiam tanquàm primati profiteri deberet, secundam quòd investituram episcopatûs de manu regis accepisset, contra pontificum et synodorum decreta. Quod primum impedimentum spectat, respondet Ivo, ad illam primati obedientiæ professionem episcopos ante consecrationem non teneri; nec jus istud in Senonensi provinciâ, aut in aliis, antiquitatem instituisse, vel consuetudinem servâsse. Quod secundum attinet, Daimbertum investituram à rege recepisse negat; quamvis concessio episcopatûs post canonicam electionem quovis modo à rege facta, fidei vel religioni minimè obesset, cùm traditio baculi et annuli à principibus, nullam sacramenti speciem gerat. Hujusmodi concessionem et investituram ab Ecclesiâ non esse improbatam, sed solam canonicarum electionum oppressionem, et corporalem investituram per traditionem annuli et baculi, ab Urbano II fuisse prohibitam ac damnatam; synodum VIII prohibuisse quidem principibus ne electioni ad ejus opprimendam libertatem se immiscerent, non verò ne episcopatus, post legitimam electionem concederent; parùm autem referre quo signo fieret hujusmodi concessio, cùm reges nihil spirituale dare se persuasum habeant, sed solam feudorum possessionem, quæ regibus accepta referri debet, qui munificentiâ suâ Ecclesias ditârunt. « Quod autem scripsisti, inquit, « prædictum electum investituram episcopatûs de « manu regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo « qui viderit, nec cognitum. Quod tamen si factum « esset, cùm hoc nullam vim sacramenti gerat, in con- « stituendo episcopo vel admissum, vel omissum, quid « fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus; cùm « post canonicam electionem reges ipsos apostolicâ « auctoritate à concessione episcopatuum prohibitos « minimè videamus. Legimus enim sanctæ recorda- « tionis summos Pontifices aliquando apud reges pro

« electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis regibus concederentur episcopatus ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones regum nondùm consecuti fuerant, consecrationes distulisse. Quorum exempla supposuissemus, nisi prolixitatem Epistolæ vitàssemus. Dominus quoque Papa Urbanus reges tantùm à corporali investiturâ excludit, quantùm intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione; quamvis synodus VIII solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive linguâ, sive virgâ, quid refert? cùm reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas, et alia bona exteriora, quæ de munificentiâ regum obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere. Unde August. super Joannem, tract. 6 : « *Quo jure defendis villas Ecclesiæ, divino, an humano? Divinum jus in Scripturis habemus, humanum in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino Domini est terra et plenitudo ejus. Jure humano dicitur : Hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Tolle jura imperatorum, quis audet dicere : Hæc villa mea est, meus est iste servus, mea est ista domus?* Item : *Noli dicere : Quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti : Quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura renuntiàsti humana, quibus possessiones possidentur.* »

Addit Ivo Carnotensis, hæc cùm æternâ lege sancita non sint, posse ab Ecclesiâ conniventibus oculis aspici et tolerari, vel severiùs emendari. « Quòd si hæc « æternâ lege sancita essent, non esset in manu præsidentium, ut ea in quibusdam districtè judicarent, « in quibusdam misericorditer relaxarent, ipsis in honore accepto permanentibus, contra quos ista loquuntur. Nunc verò quia ea illicita maximè facit « præsidentium prohibitio, licita quoque eorumdem « pro suâ æstimatione remissio; videmus nullos, aut « penè nullos pro hujusmodi transgressione damnatos, « plurimos autem vexatos, plurimas ecclesias spoliatas, « plurima scandala exorta, divisum regnum et sacerdotium, sine quorum concordiâ res humanæ nec incolumes esse possunt, nec tutæ, » etc.

Altero momento probatur Philippum I, Francorum regem, Urbani II synodorum ab eo celebratarum, Claromontanæ præsertim decretis contra investituras paruisse; quòd nimirùm Paschalis II, Urbani successor, in Gallias confugerit, Ludovici Crassi regis præsidium adversùs Henricum V imperatorem imploraturus, qui usum investiturarum contra pontificia et synodica decreta et anathema pertinaciter retinebat. Quod sanè Paschalis non fecisset, si rex Galliarum tum temporis solemnem investituram, prout erat ab Urbano II damnata, æquè ac ipse imperator, usurpâsset. Nec Sugerius, abbas S. Dionysii in Vitâ Ludovici Crassi colloquium Paschalis II cum legatis imperatoris approbâsset, dicentis : *Si virgâ et annulo investiatur, cùm ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum usurpare, si sacratas corpori et sanguini Dominico manus, laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo et sacræ unctioni derogare.* Has, inquam, propositiones Paschalis II non approbâsset Sugerius, Ludovico regi addictissimus, nec *cervicosos* imperatoris legatos appellâsset his obsistentes, si rex Francorum adhuc investituram per annulum et baculum ante electionem, imò sine electione concessisset, ac hominium solemne ab episcopis et abbatibus exegisset.

Denique concordia regnum inter et sacerdotium violata non est in Galliis, investiturarum occasione, ut in Germaniâ, ut testatur Ivo Carnotensis, epistolâ 238 ad summum Pontificem Paschalem. « Regnum, inquit, Francorum, præ cæteris regnis Sedi « Apostolicæ semper fuit obnoxium; et idcircò quantùm ad ipsas regias pertinuit, nulla fuit divisio inter « regnum et sacerdotium. Quod ergo hactenùs cum « pace et utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter « petimus ut de cætero observetur, et regni Franco« rum pax et summi sacerdotis, nullâ subreptione dis« solvatur. » At verisimile non est quòd tam fausta regni et sacerdotii concordia conservata fuisset, nisi reges Francorum decretis pontificis fuissent obsecuti, et investiturarum solemnem morem per traditionem annuli et baculi pastoralis dimisissent. Ipsos tamen usos semper fuisse jure suo approbandi electionem factam, et bona ecclesiastica electo concedendi; nec ipsis propterea negotium facessivisse Romanos pontifices, colligitur ex epistolâ 104 Ivonis Carnotensis ad Paschalem II datâ, in quâ de Galone ad episcopatum Bellovacensem electo ita scribit : *Rex non vult electioni assensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere.*

SCHOLION PRIMUM.

Huic articulo, pag. 505 edit. primæ, religiosi censores hanc notam apponunt : *Affert quasdam rationes pro investituris, quibus non respondet.*

Resp. : De investituris historicè tantùm tracto, non theologicè. Quid gestum, dictum et scriptum sit hâc in causâ, sive pro investituris, sive contra investituras, refero bonâ fide. Quod ab Ecclesiâ latum est eâ de controversiâ judicium, veneror et amplector.

SCHOLION II.

Ad eumdem art., pag. 512, hæc notant religiosi censores : « Excusat investituras eo modo quo fiebant « à regibus Galliæ, relictâ libertate electionis datâ « duntaxat possessione temporalium; quod verò detur « baculo vel alio signo, parùm interest, dùm rex non « intendat conferre aliquid spirituale. »

Resp. : Non ego solus excuso; excusat Ivo Carnotensis episcopus, sanctissimus et doctissimus, epistolâ 60 ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum, et Sedis Apostolicæ legatum. Ivonis rationes et verba refero paginis sequentibus, scilicet pag 513 et 514.

SCHOLION III.

In eodem articulo, hanc propositionem notant religiosi censores, pag. 514 edit. primæ : *Possunt ea tolerari, quæ solâ lege humanâ prohibentur.*

Resp. : Hæc propositio vera est et innoxia. Ab eo

enim qui legem condidit, vel cujus est ad legis observantiam cogere subditos, vel eam moderari aut remittere, posse tolerari ea quæ solâ lege humanâ prohibentur, certissimum est. Verùm nec ea propositio legitur loco à RR. censoribus notato. Sic tantùm ego : *Addit Ivo Carnotensis, hæc cùm æternâ lege sancita non sint, posse ab Ecclesiâ conniventibus oculis aspici et tolerari vel severiùs emendari.* Ivonis Carnotensis verba subjicio.

NOTA.

Etsi principes investituras concedendo nil spirituale elargiri haud ignorâssent, nihilominùs semper judicavit Ecclesia tolerandum non esse ut à principibus instrumenta spiritualia in investituris concedendis adhiberentur, ad alia etiam dimissionis signa episcopos adigendo. In hujusmodi investituris eis quæ solummodò sacerdotii erant, principes utebantur, quod cùm ab Ecclesiâ non esset tolerandum, dedecebat enim laicam potestatem spiritualia adhibere, non benè videtur Ivo dixisse quòd parùm intererat quo signo concederentur.

Articulus VII.

Paschalis II Henricum I Angliæ regem ad investituras dimittendas compulit; hominium verò ut ab episcopis pro feudis sive regalibus exigeret, secundùm regni mores, prudenti œconomiâ permisit.

Cùm Serberiæ inter S. Anselmum et Henricum I Angliæ regem de mittendis utrinque nuntiis pro investiturarum negotio convenisset, S. Anselmus per suos ad Paschalem II his verbis rescripsit (epistolâ II, lib. 4) : « Quoniam de Sedis Apostolicæ auctoritate « pendent filiorum Ecclesiæ directiones, et consilia ; « idcircò ad vestræ Paternitatis recurro præceptum et « consilium.... Mortuo rege Guillelmo, cujus violentiâ « per triennium exulavi ab Anglià, cum magno desi- « derio sum à Domino meo rege Henrico, et à princi- « pibus ejus, et ab Ecclesiâ Anglorum revocatus, et « cum magno gaudio susceptus. Qui postquàm intel- « lexerunt institutionem, quam audivi fieri in Romano « concilio à venerabilis memoriæ prædecessore vestro « Papâ Urbano : ne scilicet aliquis susciperet investi- « turam Ecclesiæ de manu laici, et ne episcopus vel « abbas homo ejus fieret; sensi et audivi quia nullo « modo eam rex et principes ejus vellent suscipere. « Quâ de re mihi necessarium vestræ Celsitudinis « consilium expecto. »

Alias etiam ad eumdem Pontificem litteras dedit, quibus ejus Sanctitatem rogavit, ut, si fas esset, decessoris sui contra investituras et hominia sententiam temperaret, ad fovendam regnum inter et sacerdotium concordiam. « Postquàm (inquit) revocatus à « rege Angliæ qui nunc est, ad episcopatum redii, « ostendi decreta apostolica, quæ in Romano concilio « præsens audivi, ne scilicet laicus investituras Eccle- « siarum daret, neque aliquis de manu ejus acciperet, « aut pro hoc homo ejus fieret, nec aliquis hæc præ- « sumentem consecraret; qui verò hæc transgrede- « retur, excommunicationi sancti concilii subjaceret. « Quod audientes rex et principes ejus, ipsi etiam « episcopi quanta mala hinc processura, quid potiùs « se facturos, quàm hæc decreta suscepturos accla- « maverunt, gravor dicere; dicant legati præsentes « qui audierunt. Tandem in me conversi uno sensu « omnes pariter affirmaverunt, me posse extinguere « omne malum, quod ex his decretis processerit, « asseverant, si precibus episcoporum meas vellem « associare, quatenùs Celsitudini vestræ placeret præ- « dictam sententiam mitigare. Quod si facere recusa- « rem, omne malum quod inde eveniret, mihi impu- « tandum sine ullâ meâ excusatione judicarent. Ne « igitur aliquid videar contemnere, aut meo solo « sensu, vel proprià voluntate quidquam facere, nec « illos audeo non audire, nec de vestræ sanctitatis « dispositione aliquatenùs volo exire. Servatà igitur « apud me reverentià et obedientià Sedis Apostolicæ, « precor ut, quantùm Dignitas vestra secundùm « Deum permittit, petitioni prædictæ, quam vobis « legati exponent, juxta sapientiam vestram conde- « scendatis; et quid me jubeatis in hâc re facere, « quidquid futurum sit, per legatos præsentes certum « me faciatis. »

Apud Paschalem II, ecclesiasticæ libertatis defensorem acerrimum, et decretorum quæ à suis decessoribus et frequentibus synodis contra investituras condita erant, tenacissimum, promovere nihil potuit Henrici regis legatio, nihil obtinere episcoporum, et ipsius archipræsulis S. Anselmi preces. Regii oratores has ad ejus Majestatem Pontificis litteras retulerunt : « Legationis tuæ verba, fili charissime, gratan- « ter excepimus, sed vellemus obedientiam promit- « tentis. In quibus nimirùm sanctæ Romanæ Ecclesiæ « illa in regno tuo pollicebaris, quæ tempore patris « tui habuerat, eos requirens honores quos tempore « antecessorum nostrorum pater tuus habuerat. Quæ « profectò omnia grata in superficie viderentur, inte- « riùs requisita, et legati tui vocibus exposita, gra- « via et vehementissima apparuerunt. Quærebas enim « ut tibi episcoporum abbatumque per investituram « constituendorum jus et facultas à Romanâ indulge- « retur Ecclesiâ, et quod per se solum fieri omnipo- « tens Dominus perhibet, hoc regiæ potestatis fieret. « Ait enim Dominus : *Ego sum ostium : per me si quis « introierit, salvabitur.* Cùm autem Ecclesiæ ostium « reges esse arrogant, fit profectò ut qui per eos Ec- « clesiam ingrediuntur, non pastores, sed fures et « latrones habeantur, eodem Domino dicente : *Qui « non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit « aliunde, fur est et latro.* Et quidem si à nobis ma- « gnum aliquid tua Dilectio postularet, quod cum « Deo, cum justitiâ, cum nostri ordinis salute con- « cedi posset, utique concederemus. Hoc verò tam « grave, tam indignum est, ut nullâ ratione catholica « id admittat Ecclesia. Faciliùs ad extrema quælibet « B. Ambrosius cogi potuit, quàm imperatori Eccle- « siæ permittere potestatem : respondit enim : Noli « gravare te, imperator, ut putes in ea quæ divina « sunt imperiale aliquid jus habere. Noli te extollere, « sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus.

« Scriptum est : *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* « Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem « Ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus commissum « est, non sacrorum. Quid tibi cum adulterâ? Adul- « tera est enim quæ non est legitimo conjugio copu- « lata. Audis, ô rex, adulteram Ecclesiam nuncupari, « quæ non legitimè nupserit. Ecclesiæ siquidem spon- « sus unusquisque æstimatur episcopus...Si Ecclesiæ « filius es, permitte matri tuæ legitimum sortiri « conjugium; ut non per hominem, sed per Deum « et hominem Christum legitimo sponso copuletur. « Per Deum enim episcopos eligi, cùm canonicè elegun- « tur, testatur Apostolus dicens : *Nec quisquam sibi « sumit honorem, sed qui à Deo vocatur tanquàm Aa- « ron.* Et B. Ambrosius : *Meritò*, inquit, *creditur quòd « divino esset electus judicio, quem omnes postulavis- « sent.* Et post pauca : *Ubi universorum postulatio con- « gruit, dubitare nos non oportet; ibi Dominum Jesum « et voluntatis auctorem et petitionis arbitrum fore, et « ordinationis præsulem et largitorem gratiæ.* Prætcrea « Propheta David ad Ecclesiam loquens ait : *Pro pa- « tribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes « super omnem terram. Ecclesia filios genuit, Ecclesia « principes statuit....* Monstruosum profectò est, ut « patrem filius generare, homo Deum creare debeat. « Sacerdotes namque in Scripturis sanctis Deos vocari « tanquàm Dei vicarios manifestum est..... Propter « hoc sancta Romana Ecclesia et apostolica per præ- « decessores nostros regiæ usurpationi et investituræ « abominabili vivaciter obviare curavit, et gravissi- « mis persecutionibus per tyrannos affecta usque ad « tempora nostra non destitit. Confidimus autem in « Domino, quoniam nec in nobis confidentiæ suæ « virtutem Ecclesiæ princeps Petrus, et episcopo- « rum primus amittet. Porrò secularium potestatum « et regum in Ecclesiâ quod sit officium, exponit Apo- « stolus Paulus dicens : *Dei enim minister est tibi in « bonum. Non enim sine causâ gladium portat. Dei « enim minister est, vindex in irâ ei qui malè agit....* « Inter ista, rex, nullius tibi persuasio profana sur- « ripiat, quasi aut potestati tuæ aliquid diminuere, « aut nos in episcoporum promotione aliquid nobis « velimus ampliùs vendicare. Imò si ab hoc propter « Deum desistas, quod contra Deum esse manife- « stum est, quod cum Deo nec tu exercere, nec « nos concedere cum nostrâ seu tuâ salute pos- « sumus, quidquid deinceps postulaveris, quod cum « Deo possumus, libentiùs indulgebimus, et honori « tuo et sublimationi propensiùs insistemus. Nec exi- « stimes quòd potestatis tuæ columen infirmetur, si « ab hâc profanâ usurpatione desistas. Imò tunc vali- « diùs, tunc robustiùs, tunc honorabiliùs regnabis, « cùm in regno tuo divina regnabit auctoritas. » Hanc Paschalis II Epistolam exhibet Eadmerus, lib. 5 Historiæ Novorum.

Narrat idem auctor perpetuus S. Anselmi comes, quomodò rex ipsum ad Aulam vocavit, de negotio quo de induciæ datæ fuerant, responsurum, atque « exe- « gît ab eo ut homo suus fieret, et eos quibus episco- « patus vel abbatias se daturum dicebat, pro more « antecessorum suorum consecraret, aut terram suam « sine retractatione et festinanter exiret, Anselmum « verò respondisse : Dixi quemadmodùm Romano « concilio interfuerim, quidque ibi à Sede B. Petri « acceperim. Si ergo excommunicationi, cujus in hoc « regno relator exstiti, memet alicujus rei causâ sub- « jicio; cui, quæso, deinceps adhærere potero, meo « judicio excommunicatus? Nuntii hæc ipsa mutare « directi, infecto negotio reversi sunt. Horum igitur « quæ cum salute et honestate meâ nequeo trans- « gredi, me transgressorem fieri, non videtur sani « consilii. Rex reposuit : Quid ad me? Usus antece- « sorum meorum nolo perdere, nec in regno meo, qui « meus non sit, quemquam substinere. » Anselmus his nequaquàm turbatus, in Ecclesiam suam secessit, ad omnia pro Ecclesiæ disciplinâ et libertate, ac pro obedientiâ Sedi Apostolicæ debitâ, constanti animo perferenda paratissimus.

Haud multò post, amicas in speciem pacificasque litteras à rege accepit, quibus eum rogabat ut ad se veniret, alio consilio negotium investiturarum moderari volentem. Wintoniam itaque cum aliis episcopis ac principibus Anselmus convenit; qui ab ipso impetrârunt, ut novis datis induciis, novi nuntii solertiores Romam mitterentur, qui summo Pontifici denuntiarent, nisi à sententiâ discederet, Anselmum cum suis ex Anglià pulsum iri, ipsum verò *totius regni subjectionem et commodum quod inde singulis annis habere solebat*, denarium scilicet S. Petri, *perditurum*. Missi sunt à rege tres episcopi, ab Anselmo monachi duo. Romam ubi pervenêre, Pontificem obtestati sunt ut austeriorem decessoris sui temperando sententiam, Anglicanæ Ecclesiæ paci prospiceret, nec regem erga Sedem Apostolicam benè affectum severitate nimiâ, et pertinaci negatione investiturarum offenderet, atque ad extrema compelleret. Respondit propositi tenax Pontifex *se nec pro capitis sui redemptione hoc facturum.* Dixitque indignabundus : *Decreta et institutiones sanctorum Patrum, minis actus unius hominis dissiparem?* Mox ad regem Henricum litteras dedit, urbanissimas quidem, et paternum amorem spirantes, sed ipsum vehementer urgentes ut investituras dimitteret; quin etiam judicio sancti Spiritûs illarum usum ipsi, ut et principibus cæteris, interdicens : « Deseruisti, « inquit, fratris tui regis impietatem, quam divino « conspicis judicio terribiliter vindicatam, Ecclesias « libertati restituisti, clerum honorare cœpisti, et cleri « principes episcopos, imò in his Christum Dominum « venerari. Confidimus itaque quia usque in finem ea- « dem sapies, et in eâdem probitate persistes; nisi « sunt aliqui perversæ mentis homines, qui cor regum « per episcoporum et abbatum investituras divinæ in « dignationi aptare conantur. Quorum in hâc parte « consilia tanquàm virus tibi sunt vitanda, ne illum « offendas per quem reges regnant, et potentes justa « decernunt. Quem profectò si propitium habueris, « feliciter regnabis, potestatemque integram et divitias « obtinebis. Quem si, quod absit, offendis, non pro-

« cerum consilia, non militum subsidia, non arma, « non divitiæ, ubi subvertere cœperit, poterunt sub- « venire. Porrò in honore Domini, in Ecclesiæ liber- « tate, nos familiares, nos adjutores habebis. Nec « opineris quia quisquam nos à tuâ divellet amicitiâ, « si ab investituris abstinueris, si honorem de- « bitum, et libertatem à Domino institutam Ec- « clesiæ conservaveris. Ecclesiarum siquidem In- « vestituras nos sancti Spiritus judicio regibus et « principibus, imò laicis omnibus interdicimus. « Nec enim decet ut à filio mater in servitutem « addicatur, ut sponsum quem non optavit, accipiat. »

Solemnis illa investiturarum interdictio à Paschali II facta est in synodo Lateranensi anno 1102 celebratâ, de quâ idem Pontifex in Epistolâ eodem tempore ad S. Anselmum datâ ita scribit : « Quâ de re « in synodo nuper ad Lateranense consistorium cele- « brato, Patrum nostrorum decreta renovavimus, « sancientes et interdicentes, ne quisquam omninò « clericus de manu laici Ecclesias, vel ecclesiastica « bona suscipiat. Hæc est enim simoniacæ pravitatis « radix, dùm ad percipiendos honores Ecclesiæ, se- « cularibus personis insipientes homines placere de- « siderant. Idcircò sanctorum conciliorum veneranda « majestas secularium principum potestatem ab ec- « clesiasticis electionibus decrevit arcendâm; ut sicut « per solum Christum prima in baptismo Ecclesiæ ja- « nua, ultima in morte vitæ aperitur æternæ; ita per « solum Christum ovilis Christi ostiarius statuatur, « per quem Christi ovibus, non pro mercedibus « ovium, sed pro Christo ingressus et egressus ad « vitam perducatur æternam... Hæc ita doceas, sicut « scis tuo primatui expedire. »

Episcopis qui à rege et monachis, qui ab Anselmo Romam directi fuerant, reversis, rex, principibus Londoniæ congregatis, Anselmum per internuntios convenit, ut sibi consuetudines paternas non negaret, aut regno excederet. Petiit ille ut litteræ summi Pontificis, cùm ad regem, tùm ad seipsum, de præsenti negotio datæ legerentur; tum se, quantùm salvo officio et Sedis Apostolicæ reverentiâ fas esset, ejus obtemperaturum majestati. Conditionem, quoad litteras ad se datas, rex elusit. Palàm perlectæ sunt quæ ad Anselmum directæ; jamque regem causâ cecidisse procerum confessus existimabat; cùm adulatores et mercenarii episcopi, qui Romam regis oratores iverant, eam opinionem prohibuêre, insigni mendacio principi gratificati, et Ecclesiæ libertatem nefariè prodentes. Asseruerunt quippe, se alia Romæ à summo Pontifice verbis accepisse, quam litteræ ad Anselmum, vel etiam ad regem directæ continerent. *Requisitique*, inquit Eadmerus, lib. 3 Historiæ Novorum, *contestati sunt in episcopali veritate Papam ipsum regi verbis putis mandâsse per se, quoniam quamdiù in aliis vitam boni principis ageret, de Ecclesiarum investituris æquanimiter illum toleraret, nec eum ullo excommunicationis vinculo necteret, si religiosas personas per dationem virgæ pastoralis eis investiret. Cur autem hanc tanti doni dignitatem ei per chartæ inscriptionem noluerit delegare, eam ferebant causam esse, videlicet, ne in aliorum notitiam principum prolata, ipsi eam sibi usurparent, Romani Pontificis auctoritate contemptâ.* Contra, qui missi fuerant ab Anselmo archipræsule, contestabantur Papam nihil cuilibet verbis mandâsse, quod litteris aliquatenùs adversaretur; quibus reponebant episcopi, se clam illis alia egisse, palam alia. Inde orta inter proceres dissensio. Quidam enim scriptis sigillo summi Pontificis munitis, et monachorum relationi credendum esse propugnabant : alii verò trium episcoporum assertionibus, quam vervecum pellibus atramento denigratis, et plumbi massula oneratis, potiùs credendum esse, *abjecto monachellorum testimonio, qui, ubi seculo se abrenuntiare professi sunt, omne,* inquiebant, *secularis negotii testimonium perdiderunt.* Balduinus monachorum primarius respondit negotium istud seculare non esse. Præterea litterarum apostolicarum testimonio ipsos convinci. Reposuêre fraudulenti præsules : *Testimonium monachorum contra episcopos non recipimus, et ovinæ pellis recipe remus? Væ, væ,* dixerunt viri religiosi; *nonne et Evangelia pellibus ovinis inscribuntur?* Tam pertinax contentio magnas in augustias Anselmum conjecit. Grave namque videbatur litteris apostolicis derogare fidem; gravis aliunde scandali fomes, antistitum relationem, in episcopali veritate illam esse veram contestantium, adversâ fronte refellere. Litterarum porrò à Paschali II ad Anselmum scriptarum verba hæc erant : « Adversùs illam venenosam simoniacæ pravitatis radi- « cem, Ecclesiarum videlicet investituram, quàm va- « lidè, quàm robustè, quàm severè patres nostri præ- « teritis temporibus deviaverint. Sapientiæ tuæ satis « est manifestum. Reverendæ in Christo memoriæ « prædecessoris nostri Domini Urbani tempore apud « Barum collecto venerabili episcoporum et abbatum ex « diversis partibus concilio, in quo tua Religio, et Nos « ipsi interfuimus, sicut qui nobiscum aderant remi- « niscuntur, in eamdem pestem excommunicationis est « prolata sententia. Et nos eumdem cum patribus « nostris Spiritum habentes, idem sapimus, et eadem « testamur. » Hæc epistola data est Beneventi, 2 idus decembris 1102.

Rex apostolicarum litterarum nullâ prorsùs habitâ ratione, faventibus et incitantibus ejus majestatem episcopis, regnique proceribus Anselmum archipræsulem urgebat, ut absque ullâ cunctatione *sibi hominium faceret, et eos quibus se daturum protinus episcopatus dicebat, consecraturum sponderet, servatâ in omnibus antecessorum consuetudine.* Respondit Anselmus, in hâc episcoporum, et Litterarum Apostolicarum varietate ac dissensione satiùs esse Romanum Pontificem consulere, quàm in re tam ambiguâ præcipitare sententiam. Tum qui Romam à rege missi fuerant episcopi, relationem suam constantissimè confirmârunt, ad omnia probanda se paratos contestati, appellato etiam summi Pontificis testimonio; Anselmus litem hoc in conventu minimè finiendam diutiùs inpræsentiarum contestari nolens, ad procerum sententiam inclinatus est, atque in eorum gratiam spopondit, si

rex interim investituras ecclesiarum daret, se licèt nec approbante, nec concedente, se nec danti nec accipienti, communionem subtracturum suam, donec reversis nuntiis Romam destinandis, de summi Pontificis voluntate certior factus esset. Se tamen sic investitorum consecraturum neminem, aut consecrandi licentiam aliis concessurum. Sic utrinque sopitâ ad tempus controversiâ, rex per dationem virgæ pastoralis duos è clericis suis duobus episcopatibus investivit. Ita refert Eadmerus, lib. 3 Historiæ Novorum.

Anno 1102, mediâ penè Quadragesimâ, Henricus rex Anselmi archipræsulis iterùm tentavit constantiam, minisque frangere conatus est. Respondit ille nuntios, quos ad Sedem Apostolicam miserat, reversos esse, litterasque à Romano Pontifice retulisse, quas inspici oporteret, si fortè regis voluntati faverent, aut Anselmum ipsum illi condescendere sinerent. Se ambages hujusmodi ultra non laturum Henricus reposuit, finalem se velle sententiam. « Quid mihi, inquit, de « meis cum Papâ? Quæ antecessores mei in hoc re- « gno possederunt, mea sunt. Hæc si quis auferre « mihi voluerit, quòd inimicus meus sit, omnis qui me « diligit certissimè noverit. » Ad quæ intrepidus Anselmus : « Nihil, inquit, eorum quæ ipsius esse scio, « ipsi tollo aut tollere volo. Verùmtamen noverit, « quòd nec pro redemptione capitis mei consentiam ei « de iis quæ præsens audivi in Romano concilio pro- « hiberi, nisi ab eâdem sede interdictorum absolutio- « nis sententia prodeat, quâ constitutionis ipsorum « vinculum prodiit. » Regis obstinatio, Anselmi constantia, illius impetus, istius fervor Ecclesiæ, ipsique Anselmo graviora mala portendebant. Proceres eorum præsensione illacrymari, Ecclesia precibus ad Christum fusis ea deprecari : interim rex, minis ac imperio in preces conversis, Anselmum urgere, ut ipse Romam pergat et quod alii nequivêre, à summo Pontifice impetrare satagat, *Ne ipse perdendo suorum jura antecessorum, eis vilior fiat.* Inducias ad Pascha usque postulat sanctus archipræsul, ut audito episcoporum regnique primatum consilio conveniens det responsum.

Celebrato paschate ad aulam redit Anselmus, procerum sententiam de præsenti negotio rogat. Ipsi persuadent ut procurandæ causâ pacis Romam se conferat cum regis oratore, ipsique preces principis, et regni negotia coram summo Pontifice exponenti, testimonio suo, si vera dixerit, suffragetur. Annuit sanctus archipræsul, et profectionem maturat. Causa festinandi hæc fuit. Litteras à Paschali II recens acceperat, quarum lectionem rex, nec per se, nec per ministros audire voluit. Metuebat Anselmus ne Pontificis responsa episcoporum assertionibus contraria essent; et ne aliquos abbates à rege investitos, et episcopos qui ipsos inauguraverant, excommunicâsset, à quorum communione si subtrahere se teneretur, magis inflammaretur præsens dissidium, gravinsque scandalum oriretur. Pontificias litteras nondùm inspexerat, cavens ne si fortè rex, mutato consilio, eas inspiciendas requireret, sigilloque exclusas reperiret, aliquid haberet quod earum auctoritati non injurià objicere posset. Has ob causas profectionem acceleravit prudentissimus archipræsul, et ab Angliâ solvit 5 kalendas maii, anno 1103.

Litteras porrò Paschalis Papæ non ante reseravit, quàm Beccum pervenisset. His episcopos à rege anno superiori ad Sedem Apostolicam missos, mendacii et fraudis palam arguebat, damnabatque, longè se abfuisse asserens ab investituris ejus Majestati quoquo modo permittendis, quæ illicitæ prorsùs essent, ac meritò damnatæ. Episcopos verò mendaces, et ecclesiasticæ libertatis, regiæque salutis proditores excommunicabat, donec Ecclesiæ Romanæ, cui affinxerant, satisfacerent. Eos tandem qui intra memoratas inducias investituram à rege, et secundùm ejus mandata, consecrationem ab episcopis acceperant unà cum consecratoribus, à communione summovebat. Harum litterarum, quas Eadmerus, lib. 3, Historiæ Novorum exhibet, referre verba operæ pretium existimo.

« Paschalis, episcopus, servus servorum Dei, An- « selmo Cantuariensi, venerabili fratri et coepiscopo, « salutem et benedictionem. Suavissimas Dilectionis « tuæ suscepimus litteras, charitatis calamo scriptas. « Neque enim aliud chartæ calamus indidit, quàm « quod de fonte charitatis intinxit. In his reverentiam « devotionis tuæ complectimur, et perpendentes fidei « tuæ robur, et piæ sollicitudinis instantiam, exulta- « mus, quia gratiâ Dei tibi præstante auxilium, te nec « minæ concutiunt, nec promissa sustollunt. Dolemus « autem quia, cùm fratres nostros episcopos legatos « regis Anglorum benignè suscepissemus, quæ nec « diximus eis, nec cogitavimus, redeuntes ad propria, « retulerunt. Audivimus enim eos dixisse quòd si rex « in aliis benè ageret, nos investituras Ecclesiarum « nec prohibere, nec factas excommunicare, et quòd « ideò nolebamus chartæ committere, ne sub hâc oc- « casione et cæteri principes in nos inclamarent. Unde « Jesum, qui renes et corda scrutatur, in animam « nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ « Sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus « vel descendit in mentem. Et hoc Deus avertat à no- « bis ut est, et non surrependo inficiat nos, ut aliud « habeamus ore promptum, aliud corde reconditum; « cum contra mendaces Prophetas imprecetur, dicens : « *Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Si verò nostro « silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis et « impietatis radice pollui, quâ ratione possemus apud « internum Judicem excusari, cùm Dominus sub spe- « cie sacerdotum dicat Prophetæ : *Speculatorem te dedi « domui Israel?* Non benè custodit urbem, qui in spe- « culâ positus, dùm non obsistat, eam hostibus diri- « piendam exponit. Si ergo virgam pastoralitatis si- « gnum, si annulum signaculum fidei tradit laica ma- « nus, quid in Ecclesiâ pontifices agunt? Ecclesiæ « honor atteritur, solvitur disciplinæ vigor, et omnis « Religio christiana conculcatur; si quod novimus sa- « cerdotibus solis deberi, laicâ patiamur temeritate « præsumi. Non est laicorum Ecclesiam tradere, nec « filiorum matrem adulterio maculare. Jure ergo pri- « vandus est patrimonio, qui matrem polluit adulte-

« rio, nec meretur ecclesiasticæ benedictionis consortium, qui eam impiâ infestatione insequitur. Laicorum enim est Ecclesiam tueri, non tradere. Ozias quidem cùm illicitum sibi sacerdotium vindicaret, leprâ percussus est. Filii quoque Aaron, quia alienum ignem imposuerunt, igne divino consumpti sunt. Alienum est ab Ecclesiâ, et à sacris canonibus est inhibitum, ne principes et seculares viri investituras non solùm non dare, sed nec electioni episcoporum se audeant violenter inserere. In septimâ quippe synodo, ut nôstis, scriptum est : *Sancta et universalis synodus definivit, neminem laicorum principum, potentumve semet inserere electioni episcoporum vel promotioni eorum.* Si ergo filii Aaron, quia ignem alienum intulerunt, corporaliter puniti sunt, isti qui à laicis, à quibus alienum est, Ecclesiam susceperunt, spirituali gladio feriuntur. Episcopos autem qui veritatem in mendacio invocârunt, ipsâ veritate, quæ Deus est, in medium introductâ, à beati Petri gratiâ et à nostrâ societate excludimus, donec Romanæ Ecclesiæ satisfaciant, et reatûs sui pondus agnoscant. Quicumque verò intra prædictas inducias investituram seu consecrationem acceperunt, à consortio fratrum, et ordinatores et ordinatos alienos habemus ; nec eis ad excusationem deceptio sufficit, quia et propheta ab alio prophetâ deceptus, nec ideò mortem evasit. »

Romam ubi pervenit Anselmus, à Paschali II perhonorificè ac peramanter susceptus est. Causæ, propter quam advenerat, discutiendiæ ac finiendæ dies constituta. In sacrum consistorium intromissus archipræsul sanctissimus. Adfuit unà Willelmus Exoniensis episcopus electus, homo facundus et vehemens, à rege missus Henrico, ut paternas consuetudines et usus ipsi confirmari auctoritate Apostolicâ obtineret. « Exponit statum regni, regiamque in Romanos munificentiam, unde ampliori quâdam et digniori præ cæteris sublimitate ex apostolicâ largitione reges Anglorum probat antiquitùs usos, eâque re non solùm molestum et indecens fore huic suorum antecessorum jura perdere ; verùm etiam magno Romanis hoc ipsum damno futurum si contingeret, et dùm fortè locum recuperandi inventuri non essent, ab eis serò lugendum. » Vehemens hominis oratio plerosque Romani cleri Proceres ad favendum Anglorum regi moverat. Silebat Anselmus, summus Pontifex attentas utrique parti aures præbens, momenta causæ tacitus expendebat, ut jus maturâ deliberatione diceret. Cujus ex silentio et Romanorum favore, certum omen victoriæ sumens Willelmus, has in voces impetu erupit : « Quidquid hinc indeve dicatur, volo nôrint quicumque assistunt, dominum meum et regem Anglorum nec pro amissione regni sui passurum se perdere investituras Ecclesiarum. » Territum his minis Pontificem investituras domino suo concessurum sperabat. Sed terreri nescius Paschalis, contentiori voce respondit : « Si quemadmodùm dicis, rex tuus nec pro regni amissione patietur Ecclesiarum donationes amittere ; scias, ecce coram Deo dico, quia nec pro redemptione sui capitis eas illi aliquando Paschalis Papa impunè permittet habere. » Summo applausu exceptum Pontificis responsum est, omnibusque hæc insedit sententia, ut et regi responderetur, quòd ilium ad benè agendum paulatim demulceret, et aliorum offensam principum exinde Roma non incurreret. « Itaque, inquit Eadmerus, Romanorum consilio Papa nonnullos paternos usus, interdictis omninò Ecclesiarum investituris, regi concessit, eumque ab excommunicatione quam antecessorem suum fecisse diximus, immunem ad tempus constituit, eis duntaxat, qui à manu ipsius investituras susceperant, vel deinceps susciperent, usque ad dignam tanti reatûs satisfactionem, pro servandâ ecclesiastici disciplinâ rigoris, sub excommunicationis catenâ retentis. Satisfactionem sanè investitorum censuræ ac dispositioni Anselmi Papæ delegavit. » Causâ hoc pacto compositâ, Anselmus apostolicâ benedictione, et primatûs Cantuariensis confirmatione donatus, Româ discessit. Paulò post ipsum moratus est Willelmus, simulatâ voti religione, quo se ad S. Nicolai corpus Bari venerandum obstrinxisset : reverà autem ut absente Anselmo, summum Pontificem ad aliquid de sententiâ remittendum adduceret. Sed spes eum frustrata est, nec aliud retulit quàm suasorias litteras regi deferendas, ne nihil egisse videretur. His litteris, ubi regi sospitatem, victorias, ac filium ex reginâ conjuge recens susceptum gratulatus est Pontifex, his eum verbis peramanter urget, ut investituras dimittat : « Opportunum rati sumus nunc tibi præcepta, et voluntatem Dei validiùs inculcare, cum amplioribus beneficiis Deo te plurimùm perspicis debitorem. Nos quoque divinis Beneficiis benignitatem nostram penes te sociare optamus, sed grave nobis est, quia id à nobis videris expetere, quod præstare omninò non possumus. Si enim aut consentiamus, aut patiamur investituras à tuâ excellentiâ fieri, et nostrum proculdubio, et tuum erit immane periculum. Quâ in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hâc nihil ampliùs obedientiæ, nihil liberalitatis per Ecclesias nanciscimur. Nec tibi debitæ potestatis aut juris subtrahere quidquam nitimur, nisi ut erga te Dei indignatio minuatur, et sic tibi prospera cuncta contingant. Ait enim Dominus : *Honorificantes me honorificabo. Qui me autem contemnunt, erunt ignobiles.* Dices : Mei hoc juris est. Non utique, non est imperatorium, non est regium, sed divinum. Solius illius est qui dixit : *Ego sum ostium.* Unde pro ipso rogo te, cujus hoc munus est, ut ipsi hoc reddas. Ipsi dimittas cujus amori etiam quæ tua sunt debes. Nos autem cur tuæ obtemperemur voluntati, cur obsisteremus gratiæ, nisi Dei in hujus negotii consensu sciremus voluntati obviare, gratiam amittere ? Cur tibi quidquam negarem quod cuiquam esset mortalium concedendum, cùm beneficia de te ampliora sumpserimus ? Perspice, fili charissime, utrùm decus an dedecus tibi sit. quòd sapientissimus ac religiosissimus Anglica-

« norum episcoporum Anselmus Cantuariensis epi-
« scopus propter hoc tuo lateri adhærere, tuo veretur
« in regno consistere... Redi ergo, fili charissime, ad
« cor tuum, propter misericordiam Dei, et propter
« amorem Unigeniti deprecamur, revoca pastorem
« tuum, revoca patrem tuum. Et si quid adversùs te
« gravius gesserit, siquidem investituras aversatus
« fueris, nos juxta voluntatem, quantùm cum Deo
« possumus, moderabimur. » Datæ sunt hæ litteræ Romæ, 9 kal. decembris 1103.

Cum Lugdunum pervenisset S. Anselmus, ipsi à Willelmo de Warlevuast regis Henrico oratore, Majestatis ejus nomini prohibitum est ne in Angliam rediret, nisi hominium ipsi præstare, et episcopatus vel abbatias de manu ejus accipientibus communicare, eosque consecrare vellet. Cui hâc in re cùm morem gerere se non posse contestaretur, Lugduni substitit. Rex, auditis à Willelmo quæ Romæ gesta erant, *omnes reditus archiepiscopatûs Cantuariensis in suos usus redigi præcepit.* Anno integro et quatuor mensibus Lugduni moratus est exul S. Anselmus apud Hugonem, illius civitatis archiepiscopum, sibi inprimis amicum. Absente archipræsule sanctissimo fœdam cernere erat in Anglià christianæ disciplinæ prolapsionem. Curiales, quibus nec electio canonica, nec justitia suffragabatur, ad sacras dignitates promoveri, Ecclesias in servitutem redigi, opprimi pauperes, gemere viduas, rapi virgines, impunè nubere Sacerdotes. Tot malorum inundatio pios quosdam impulit, ut regem adirent, ipsumque rogarent ut sanctum archipræsulem revocaret. Optatissimum esse sibi ejus reditum significavit Henricus, *sic tamen ut paternarum consuetudinum nihil sibi ab eo ulteriùs derogari, ullâ ratione pateretur.* Interim novos legatos Romam direxit, qui Paschalem II ad hoc deducere niterentur, ut Anselmum in Angliam redire, et regiæ voluntati morem gerere juberet. At illi infecto negotio redière.

Anno 1105, quem duobus characteribus designat Eadmerus, quòd nempe secundus annus esset adventûs S. Anselmi Româ Lugdunum, et quòd Galo Parisiensis episcopus Româ redierit, Paschalis II concilium Romæ celebravit, in quo excommunicavit comitem de Mellento, et alios regis Angliæ consiliarios, qui ipsum ad retinendas investituras impellebant, necnon eos qui ab ejus Majestate fuerant investiti. Id discimus ex Epistolâ Pontificis ad S. Anselmum, quam refert Eadmerus, lib. 4 Historiæ Novorum : « In concilio, « inquit, nuper habito, ex communi fratrum et coepisco-
« porum sententiâ deliberatum est, et regis consilia-
« rios, qui ad investituræ flagitium illum impellunt,
« et eos qui ab eo investiti sunt ab Ecclesiæ liminibus
« repellendos, quia de liberâ facere conantur ancillam.
« Quam nimirùm sententiam nos sancti Spiritûs judicio
« in comitem de Mellento et ejus complices promulga-
« vimus ; et eamdem ipsam in eos qui sunt investiti à
« rege, ejusdem sancti Spiritûs judicio confirmamus.
« Regis verò sententia eâ ex causâ dilata est, quia
« suos ad nos nuntios in præterito Paschæ tempore
« debuit destinare. »

S. Anselmus videns se frustra Romani Pontificis opem Lugduni præstolari, nec aliud præter consolatorias litteras Româ interdùm recipere, frustra quoque ter ad regem scripsisse pro rerum suarum recuperatione, ipsum censuris ecclesiasticis ad justitiam compellere decrevit. Sed eum comitissa Blesensis Willelmi I filia, religiosissima femina, precata est ut fulmen terribile suspenderet, seque pacis conciliatricem inter ipsum et regem interposuit. Colloquium inter eos habitum est in Normanniâ, in castro cui nomen Aquila. Rex sanctum archipræsulem maximâ cum amicitiæ significatione suscepit, Ecclesiæ reditus in fiscum redactos ipsi restituit, liberamque bonorum omnium ipsi permisit fruitionem ; annuit etiam ut in Angeliam rediret, modò tamen nulli eorum qui à se investituras ecclesiarum susceperant, vel eos consecrârant, communionem suam subtraheret. Quam conditionem, utpote Sedis Apostolicæ decretis contrariam, accipere noluit Anselmus ; et in Franciâ manere maluit, donec legati Romam ex condicto mittendi reversi fuissent. Rex se negotium maturaturum spopondit, effecturumque ut in proximâ Christi nativitate in Angliam redux esset. Pace cum Anselmo initâ, sibi gratulabatur : « Jam enim, inquit Eadmerus, multis in locis per An-
« gliam, Franciam atque Germaniam fama vulgaverat
« ipsum ab Anselmo proximè excommunicandum, et
« idcircò ei, utpote potestati adeò non amatæ, multa
« mala struebantur, quæ illi à tanto viro excommuni-
« cato efficaciùs inferenda putabantur. Quod ille sciens,
« versam à se viri sententiam magnificè lætabatur. » Hæc gesta sunt anno tertio postquàm S. Anselmus Angliâ excesserat, adeòque 1105, undecimo kalendas augusti.

Oratorem Romam mittere distulit rex Henricus aliis distinctus negotiis, et post aliquot menses datâ ad S. Anselmum, Remis agentem Epistolâ, moras excusavit, rogans ut cum Willelmo de Warlevast oratore suo Balduinum de Toriano Romam dirigeret ad communem causam tractandam et finiendam. Ægerrimè tulit Anselmus rem ita protrahi, nullumque à rege definitum constitui tempus, infra quod oratorem mitteret ; quæ dilatio Anglicanæ Ecclesiæ detrimentum gravissimum inferebat. Operæ itaque pretium duxit litteris ejus majestatem urgere, quas refert Eadmerus, lib. 4 Historiæ Novorum, in quibus hæc inter alia : « Quod suppliciter me rogatis ut non mihi displiceat
« quòd legatus vester Romam mittendus tantùm mo-
« ratur, utique vestram precem, quantùm in me est,
« contemnere non debeo ; sed causa magis Dei est
« quàm mea ; unde corde fideli et benigno animo vobis
« dico quod tacere non debeo. Mihi quidem aliquid
« displicere nisi cùm propter Deum displicet, non est
« magnum ; sed displicere Deo aliquid, nullatenùs est
« contemnendum. Utique non parùm displicet Deo
« episcopum spoliari rebus suis, quod jam gratiâ Dei
« vobis inspirante correxistis ; sed episcopum segre-
« gari à suo officio, et Ecclesiam à suo episcopo, sine
« causâ quam Deus approbet, minùs grave judicatis.
« Expedit itaque animæ vestræ ut satagatis ut ego
« qualiscumque sim episcopus Ecclesiæ, quam Deus

« regiæ vestræ potestati custodiendam commendavit, « et regno vestro in pace vestrâ celeriùs restituat, et « mihi opportunitas utendi secundùm possibilitatem « meam officio, pro quo ibi positus sum, diutiùs non « impediatur. Valdè quoque mihi timendum est ne Deo « displiceat, et me dominus Papa justè reprehendat, « quia postquàm vos et ego simul convenimus apud « castrum quod vocatur Aquila, in tam longo tempore « non nisi illi legatum nostrum, per quem quid de « tantâ re inter nos factum et quid agendum esset cog- « nosceret, et ego ejus consilium et jussionem acci- « perem. Quapropter periculosum est mihi diù ex- « pectare vestrum legatum, quem ante proximam « nativitatem Domini, sicut in verbis vestris intellexi, « Romam rediturum speravi, præsertim cum nescio « quo consilio, quâve ratione nullum terminum modo « mihi constituitis. Quoniam igitur plus mihi debet « esse quòd ego Ecclesiæ mihi commissæ præsens esse « nequeo, quàm de ullâ terrenâ possessione, precor « ut mihi aliquem proximum terminum nominetis per « litteras vestras quando possim legatum vestrum « Romam iturum expectare, quia ego non possum « differre ultra proximam nativitatem Domini quin « meum legatum mittam. »

Auditis Romæ regis Henrici et Anselmi archiepiscopi legatis, Paschalis pontifex negotium investiturarum, quòd Anglicanam diù turbârat Ecclesiam, composuit, Urbani decessoris sui sententiam temperando, et Anselmo permittendo, ut eos qui à rege investituras acceperant, aut investitos consecrârant, aut hominia fecerant, in communionem, præmissâ satisfactione, susciperet, ac nondùm consecratos, nisi aliud obesset impedimentum, inauguraret. Regi verò ut hominia fierent secundùm regni consuetudinem permisit, modò solemnem investituram per annulum et baculum dimitteret. Ista discimus ex litteris Paschalis II, ad S. Anselmum scriptis, quibus et regis obedientiam ipsi gratulatur, et quomodò causam communem finierit regiæ voluntati nonnihil condescendendo, certiorem ipsum facit. « Quod autem, inquit, « et regi, et iis qui obnoxii videntur adeò condescen- « dimus, eo affectu et compassione factum noveris, ut « eos qui jacebant erigere valeamus. Qui enim stans « jacenti ad sublevandum manum porrigit, nunquàm « jacentem eriget, nisi et ipse curvetur. Cæterùm, « quamvis casui propinquare inclinatio videatur, « statum tamen rectitudinis non amittit. Te autem, « frater in Christo venerabilis et charissime, ab illâ « prohibitione, sive, ut tu credis, excommunicatione « absolvimus, quam ab antecessore nostro sanctæ « memoriæ Urbano Papâ adversùs investituras aut « hominia factam intelligis. Tu verò eos qui investituras « acceperunt, aut investitos benedixerunt, aut homi- « nia fecerunt, cum eâ satisfactione, quâ tibi per « communes legatos, Willelmum et Balduinum, viros « fideles ac veridicos significamus, Domino coope- « rante, suscipito, et eos vice nostræ auctoritatis ab- « solvito, quos vel ipse benedicas, vel à quibus vo- « lueris benedici præcipias, nisi aliud in eis fortè « repereris, propter quod à sacris honoribus sint re- « pellendi.... Si qui verò deinceps, præter investitu- « ras, Ecclesiarum prælationes assumpserint, etiamsi « regi hominia fecerint, nequaquàm ob hoc à benedi- « ctionis munere arceantur, donec per omnipotentis « Domini gratiam ad hoc omittendum cor regium tuæ « prædicationis imbribus molliatur. Præterea super « episcopis qui falsum, ut nôsti, à nobis rumorem « retulerunt, cor nostrum vehementiùs aggravatur, « quia non solùm nos læserunt, sed multorum simpli- « cium animas deceperunt, et regem adversùs chari- « tatem Sedis Apostolicæ impulerunt. Unde inultum « eorum flagitium, Domino cooperante, non patimur. « Verùmtamen quia filii nostri regis instantia pro eis « nos pulsat attentiùs, etiam ipsis communionis tuæ « participium non negabis, donec veniendi ad nos « præceptum accipiant. »

Anno 1106, in festo Assumptionis B. Mariæ, rex Henricus Beccum se contulit, ibique cum S. Anselmo collocutus, *Ecclesias Angliæ, quas Villelmus rex* (frater suus) *sub censum primus redegerat, liberas ab eâdem exactione in manus Anselmi reddidit. Et se de ipsis, dùm viveret, nihil acceptaturum, quamdiù essent sine Pastore, promisit.* Omnes præterea reditus archiepiscopatûs, exulante Anselmo perceptos, se restiturum, ut primùm in Angliam redux esset, dato vadimonio pollicitus est. De aliis denique capitibus Ecclesiæ jura ac libertatem spectantibus inter ipsos convenit, Eadmero teste; moxque in Angliam S. Anselmus reversus est.

Anno 1107, kalendis augusti, « conventus episco- « porum, abbatum, procerum regni Londoniæ in Pa- « latium regis factus est. Et per tres continuos dies « absente Anselmo, inter regem et episcopos satis « actum de Ecclesiarum investituris, quibusdam ad « hoc nitentibus ut rex eas faceret more patris ac « fratris sui, non juxta præceptum et obedientiam « apostolici. Nam Papa in sententiâ quæ exinde pro- « mulgata fuerat firmus stans, concesserat hominia « quæ Urbanus Papa æquè ut investituras interdixerat, « ac per hoc regem sibi de investituris consentaneum « fecerat. Dehinc præsente Anselmo, adstante multitu- « dine, annuit rex et statuit, ut ab eo tempore in re- « liquum nunquàm per dationem baculi pastoralis, « vel annuli, quisquam episcopatu vel abbatiâ per « regem vel quamlibet laicam manum investiretur « in Angliâ, concedente quoque Anselmo ut nullus « in prælationem electus pro hominio quod regi « faceret, consecratione suscepti honoris privare- « tur. Quibus ita dispositis, penè omnibus Ecclesiis « Angliæ, quæ suis erant pastoribus diù viduatæ, per « consilium Anselmi ac procerum regni sine omni « virgæ pastoralis aut annuli investiturâ, patres à rege « sunt investiti. » Verba sunt Eadmeri, lib. 4 Historiæ Novorum.

Post aliquot menses, rex Henricus Angliæ sollicitè percontabatur, quomodò Paschalis Papa erga Germaniæ regem Henricum X se gereret in causâ investiturarum, et æmulatione ductus, ægrè ferebat, quòd investituras impunè concedere sineretur. Pontificem

accusabat acceptionis personarum, seque resumpturum, quas dimiserat, minabatur. Quâ de re Paschalem certiorem fecit S. Anselmus datis ad ipsum litteris : « Rex Angliæ conqueritur, inquit, quòd sustinetis « regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum « sine excommunicatione, et ideò minatur sine dubio « se resumpturum suas investituras; quoniam ille suas « tenet in pace. Videat igitur Prudentia vestra sine « dilatione quid inde agere debeatis, ne quod tam « benè ædificâstis, irrecuperabiliter destruatur. Rex « enim noster diligenter inquirit, quod de illo rege « facitis. » Respondit Pontifex datis ad Anselmum litteris : « Quòd significâsti, scandalizari quosdam « quòd regem Teutonicum dare investituras Ecclesia- « rum toleramus; nec tolerâsse nos aliquando, nec « toleraturos scias. Expectavimus quidem ut ferocia « gentis illius edomaretur. Rex verò, si in paternæ « nequitiæ tramite perseveraverit, beati Petri gla- « dium, quem jam educere cœpimus, proculdubiò « experietur. » Has Epistolas exhibet Eadmerus, lib. 4 Historiæ Novorum; quo ab auctore S. Anselmi discipulo et comite individuo totam rerum hâc in causâ investiturarum in Anglià gestarum seriem accepimus. Legi possunt et Willelmus Malmesburiensis, lib. 1 de Gestis Pontificum Anglorum, in archiepiscopis Dorobernensibus, et Rogerius de Hoveden, parte 1 Annalium, in Henrico I. Quòd enim singulare nihil habeant, sed quidquid eâ de causâ scripsêre, ex Eadmero hauserint, ideò ab illorum verbis referendis abstinui.

SCHOLION.

In hoc articulo, pag. 521, editionis primæ, religiosi censores hæc verba notant : *Pertinax Romani Pontificis negatio.*

Resp. : Verbum istud, *pertinax*, non est meum, sed episcoporum Angliæ, ab Henrico I, rege Romam missorum ad Paschalem II, in causâ investiturarum. *Pontificem obtestati sunt*, inquam, *ut austeriorem decessoris sui temperando sententiam Anglicanæ Ecclesiæ paci prospiceret, nec regem erga Sedem Apostolicam benè affectum severitate nimiâ et pertinaci negatione investiturarum offenderet, atque ad extrema compelleret. Respondit propositi tenax Pontifex*, etc. Paschalem II ex me ipso verbisque meis loquens, non pertinacem, sed *tenacem propositi*, id est, constantem Pontificem voco, quo sensu ab omnibus qui Latinè loqui sciunt, usurpantur hæ voces, ut patet ex illo Horatii :

Justum et tenacem propositi virum, etc.

ARTICULUS VIII.

Paschalis II investituras in concilio Guastallensi damnavit.

Anno 1106, 11 kalendas novembris Paschalis II, Pontifex maximus Guastallæ, quæ villa est in Longobardià ad ripam Padi fluminis, synodum cum diversarum provinciarum episcopis celebravit, præsentibus etiam Henrici V, Germaniæ regis, legatis. Cujus synodi Domnizo presbyter in Vitâ magnæ comitissæ Mathildis, et Conradus Urspergensis abbas in Chronico, meminerunt. Ex Cencii camerarii manuscripto codice Vaticano edita est. In eâ verò post sanctionem de episcopis et clericis in schismate ordinatis in suis ordinibus suscipiendis, dispensatione ob christianam pacem necessariâ, celebre contra investituras decretum editum est his verbis conceptum : « Jamdiù à « pravis hominibus, tam clericis quàm laicis, catho- « lica est Ecclesia conculcata; unde plura temporibus « nostris schismata et hæreses emerserunt. Nunc au- « tem per Dei gratiam hujus nequitiæ deficientibus « auctoribus, in ingenuam libertatem resurgit. Unde « providendum ut horum schismatum causæ penitùs « abscindantur. Patrum ergo nostrorum constitutio- « nibus consentientes, Ecclesiarum investituras à laicis « fieri omni modo prohibemus. Si quis autem hujus « decreti temerator exstiterit, tanquàm maternæ in- « juriæ reus, clericus quidem ab ejusdem dignitatis « consortio repellatur; laicus verò ab Ecclesiæ limini- « bus arceatur. »

ARTICULUS IX.

Inter Paschalem II et Henrici Germaniæ regis legatos colloquium de investituris Catalauni (Châlons-sur-Marne) *in Gallià habitum est. Deinde concilium Trecis ab eodem Pontifice celebratum, in quo Investituræ iterùm proscriptæ.*

Decreverat Paschalis II in Germaniam post synodum Guastallensem proficisci, ut Ecclesiæ statum componeret, sed ob insidias Germanorum, quibus suum contra investituras decretum odiosum prorsùs fore monitus est, in Gallias ad Philippum et Ludovicum, reges se conferre satius duxit, quorum tuitionem contra Henricum Germaniæ regem flagitaret. Ita refert abbas Urspergensis in Chronico ad annum millesimum centesimum septimum : « Suggerentibus qui- « busdam, inquit, quòd non facilè gens nostra decre- « tum illud recipiat, quòd quamlibet investituram « ecclesiasticam laicis à manibus vetat, necnon et « animosum cor regis adolescentis, quòd nondùm per « omnia dominico jugo sit habile : hæc, inquam mul- « taque id genus vir Dei considerans, necdùm sibi « ostium Germanicis in partibus apertum esse cum « gemitu pronuntians, profectionem suam cum His- « paniarum legatis per Burgundiam ad Gallias con- « vertit, et Natalis dominici gaudium suâ præsentiâ « Cluniacensibus multùm ampliavit. Inde secedens, « ab universis finium illorum Ecclesiis, ut verè Chri- « sti discipulus et Apostolorum vicarius, ingenti ho- « nore suscipitur, dignâ reverentiâ tractatur, non « aliter quàm legifer de cœlo missus auditur. »

De adventu Paschalis Papæ in Gallias, deque rebus ibi gestis, ac de colloquio Catalaunensi, testem oculatum audiamus Sugerium Sandionysianum tunc monachum, ac deinde abbatem, in Vitâ Ludovici Grossi regis, c. 9 : « Venerandæ, inquit, memoriæ universalis et summus « Pontifex Paschalis ad partes Occidentales cum mul- « tis et sapientissimis viris episcopis et cardinalibus, et « Romanorum nobilium comitatu venit ut regem Fran- « corum et filium regem designatum Ludovicum, et Ec- « clesiam Gallicanam consuleret super quibusdam mo- « lestiis, et novis investituræ ecclesiasticæ querelis,

« quibus eumet infestabat, et magis infestare minabatur « Henricus imperator, vir affectûs paterni, et totius humanitatis expers, qui et genitorem Henricum crudelissimè persecutus exhæredavit; et ut ferebatur, nequissimâ captione tenens, inimicorum verberibus et injuriis ut insignia regalia, videlicet coronam, sceptrum et « lanceam sancti Mauritii redderet, nec aliquid in toto « regno proprium retineret, impiissimè coegit. Equidem deliberatum est Romæ propter Romanorum « conductitiam perfidiam, de præfatis, imò de omnibus quæstionibus, tutius regis et regis filii, et Ecclesiæ Gallicanæ in Francià, quàm in urbe disceptare « naufragio. Venit itaque Cluniacum, à Cluniaco ad « charitatem, ubi celeberrimo archiepiscoporum, episcoporum et monastici ordinis conventu eidem nobili « monasterio sacram dedicationis imposuit. Adfuerunt et nobiliores regni proceres, inter quos et Dapifer regis Franciæ nobilis comes de Rupeforti domino Papæ missus occurrit, ut ei tanquàm Patri « spirituali, per totum regnum, ejus beneplacito deserviret. Cui consecrationi et nos ipsi interfuimus, « et contra dominum episcopum Parisiensem Galonem, multis querimoniis Ecclesiam B. Dionysii agitantem, in conspectu domini Papæ viriliter stando, « apertà ratione et canonico judicio satisfecimus. « Cùmque Turonis apud S. Martinum, ut mos est Romanus, Phrygium ferens, *Lætare, Jerusalem*, celebrâsset, ad venerabilem B. Dionysii locum, tanquàm « ad propriam B. Petri Sedem, benevolus et devotus « devenit. Qui gloriosè et satis episcopaliter receptus, « hoc unum memorabile, et Romanis insolitum, posteris reliquit exemplum, quòd nec aurum, nec argentum, nec pretiosas monasterii margaritas, quod « multùm timebatur, non tantùm non affectabat, sed « nec respicere dignabatur. Sanctorum pignoribus humillimè prostratus, lacrymas compunctionis offerebat, holocaustum seipsum Domino et sanctis ejus « toto animo inferebat, et ut de vestimentis episcopalibus B. Dionysii sanguine madefactis ad patrocinandum aliqua ei daretur portiuncula, suppliciter « exoravit : Ne displiceat, inquiens, si de vestimentis « ejus nobis vel parùm reddideritis, qui eum vobis « apostolatu Galliæ insignitum absque munere destinavimus. Occurrit itaque ei ibidem rex Philippus, « et dominus Ludovicus filius ejus gratanter et votivè, « amore Dei majestatem regiam pedibus ejus incurvantes, quemadmodùm consueverunt ad sepulcrum « Piscatoris Petri reges submisso diademate inclinari. « Quos dominus Papa manu erigens, tanquàm devotissimos Apostolorum filios ante se redire fecit. Cum « quibus de statu Ecclesiæ ut sapiens sapienter agens, « familiariter contulit; eosque blandè demulcens, « B. Petro sibique ejus vicario supplicat opem ferre, « Ecclesiam manu tenere, tyrannis et Ecclesiæ hostibus, et potissimùm Henrico imperatori audacter resistere. Qui amicitiæ, auxilii et consilii dextras dederunt, regnum exposuerunt, et qui cum eo Catalaunum imperatoris legatis occurrere festinent, « archiepiscopos et episcopos, et abbatem S. Dionysii « Adam, cum quo et nos fuimus, conjunxerunt. Ubi « cùm dominus Papa aliquantisper demoraretur, ex « condicto ipsi imperatoris Henrici legati non humiles, « sed rigidi et contumaces, cùm apud sanctum Memmium (*S. Menge*) hospitia suscepissent, relicto inibi « cancellario Alberto, cujus oris et cordis unanimitate « ipse imperator agebat, cæteri ad curiam multo agmine, multo fastu, summè phalerati devenerunt. Hi « siquidem erant archiepiscopus Treverensis, episcopus Halberstatensis, episcopus Monasteriensis, comites quamplures, et cui gladius ubique præferebatur « dux Welfo, vir corpulentus, et totâ superficie longi « et lati admirabilis et clamosus; qui tumultuantes « magis ad terrendum quàm ad ratiocinandum missi « viderentur. Singulariter et solus Treverensis archiepiscopus, vir elegans et jucundus, eloquentiæ et « sapientiæ copiosus, Gallicano cothurno exercitatus, « tacitè peroravit, domino Papæ et curiæ salutem et « servitium ex parte domini imperatoris deferens, « salvo jure regni. Et prosequens de mandatis : *Talis « est* (inquit) *domini nostri imperatoris, pro quâ mittimur, causa. Temporibus antecessorum nostrorum « sanctorum et apostolicorum virorum, magni Gregorii et « aliorum, hoc ad jus imperii pertinere dignoscitur, ut « in omni electione hic ordo servetur, antequàm electio « in palam proferatur, ad aures domini imperatoris perferre, et, si personam deceat* (1), *assensum ab eo ante « factam electionem assumere; deinde in conventu, secundùm canones, petitione populi, electione cleri, assensu honoratoris* (2) *proferre; consecratum libertè « nec simoniacè ad dominum imperatorem pro regalibus, « ut annulo et virgâ investiatur, redire, fidelitatem et « hominium facere. Nec mirum, etiam civitates et castella, marchias, thelonea, et quæque imperatoriæ dignitatis, non aliter debere occupare. Si hæc dominus « Papa sustineat, prosperè et bonâ pace regnum et Ecclesiam ad honorem Dei inhærere.* Super his igitur « dominus Papa consultè oratoris episcopi Placentini « voce respondit : *Ecclesiam pretioso Jesu Christi sanguine redemptam et liberam constitutam, nullo modo « iterato ancillari oportere. Si Ecclesia eo inconsulto, « prælatum eligere non possit, cassatâ Christi morte ei « serviliter subjacere; si virgâ et annulo investiatur, « cùm ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum « ipsum usurpare; si sacratas Dominico corpori et sanguini manus laicis manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo et sacræ unctioni derogare.* Cùmque hæc et his similia cervicosi audissent « legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, « et si tutò auderent, convicia eructarent, injurias inferrent. *Non hìc*, inquiunt, *sed Romæ gladiis determinabitur querela.* Verùm Papa quamplures viros « approbatos et peritos ad cancellarium misit, qui « eum super his composito et placidè convenirent, et « audirentur et audirent, et ad pacem regni eum ope- « ram dare obnixè exorarent. » Hæc Sugerius, quæ gesta sunt anno 1107.

(1) Id est, si persona grata sit regi.
(2) Forsan, *honoratorum*.

Subdit de concilii Trecensis celebratione : « Quibus « recedentibus, dominus Papa Trecas venit, diù sub- « monitum universale concilium honorificè celebravit; « et cum amore Francorum, quia multùm servierant, « et timore et odio Teutonicorum, ad S. Petri Sedem « prosperè remeavit. » In eo concilio Paschalem II decessorum suorum decreta contra investituras confirmâsse testatur abbas Urspergensis. « Circa Ascensionem « Domini, inquit, concilium non modicum apud Tre- « cas habuit, ubi inter multa, quæ pro tempore et « necessitate corrigenda erant, correxit; sententiam « de liberâ pastorum electione, et de coercendâ lai- « corum in ecclesiasticas dignitates præsumptione, « juxta prædecessorum suorum decreta promulgavit. « Addit Henricum regem legatos ad summum Ponti- « ficem misisse, per quos, tam ipsi quàm universæ « synodo potestatem constituendorum episcoporum « privilegiis apostolicis Carolo imperatori concessam « notificaret. Super quâ quæstione, quia in alieno « regno quidquam diffiniri Henricus non patitur, in- « ducias sibi totum sequentis anni spatium Romam « veniendi, et eamdem causam generali concilio ven- « tilandi, concedunt.

ARTICULUS X.

Paschalis II, in Italiam redux, investituras iterùm iterùmque damnavit, in synodis Beneventanâ et Romanâ.

Concilium Beneventanum à Paschali II, mense octobri anni 1108 celebratum, Petrus Diaconus, lib. 4 Chronici Cassinensis, cap. 35, commemorat : *In quo, prædecessorum vestigia secutus, constituit; ut si quis ecclesiastica Beneficia de manu laicorum acciperet, uterque communione privaretur, et qui scilicet daret, et qui acciperet.*

Anno 1110, alteram synodum Romæ in Ecclesiâ Lateranensi ab eodem Pontifice, 3 nonas martii celebratam refert Chronicon sancti Petri Vivi Senonensis eo quod editum est, auctius; in quâ istud contra Investituras decretum editum est : « Constitutiones san- « ctorum canonum sequentes, statuimus ut quicumque « clericorum ab hâc horâ investituram Ecclesiæ, vel « ecclesiasticæ dignitatis de manu laici acceperit, et qui ei manum imposuerit, gradûs sui periculo subja- « ceant, et communione privetur. Si quis ergo prin- « cipum vel aliorum laicorum, dispositionem seu do- « nationem rerum sive possessionum ecclesiasticorum « sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur, clerici « verò seu monachi, qui eas per illorum potestatem « susceperint, excommunicationi subjaceant. Sunt « præterea quidam, qui vel violentiâ vel favore, non « permittunt Ecclesias regulariter ordinari : hos etiam « decernimus ut sacrilegos judicandos. Qui verò Ec- « clesias eorum violentiâ, vel potestativo favore sus- « ceperint, excommunicationi subjiciantur. » Germaniæ rex investituram per dationem annuli et baculi, dispositionem et donationem rerum ecclesiasticarum vacante sede; et auctoritatem constituendi episcopos absque canonicâ electione, vel inclinandi, quo vellet, electorum suffragia, usurpabat. Quæ omnia Paschalis II et Synodi Romanæ decreto damnata sunt.

ARTICULUS XI.

Paschalis II, cum Henrico Germaniæ rege pactionem fecit, ut episcopi regalia ipsi dimitterent; ille verò investituris renuntiaret. Pactum violavit Henricus, et privilegium investiturarum à Pontifice extorsit.

Anno 1110, rex Henricus numeroso coacto exercitu, in Italiam irrupit, *antecessorum suorum dignitates et jura* (sic enim loquebatur) *simul et imperii coronam*, à Romano Pontifice armatâ manu postulaturus. Nuntios Romam præmisit, Paschalis II exploraturos animum. Pontifex Ecclesiæ, Urbi, populoque Romano metuens à feroci principe, Petrum Leonis, aliosque viros prudentes misit, cum ejus oratoribus de pace tractaturos. De tanto negotio in porticu S. Petri inter ipsos deliberatum : *Convenit ut imperator die coronationis suæ, omne malè usurpatum ecclesiasticum jus, in manibus Pontificis, adstante clero et populo, per scriptum deponeret :* cùm Papa idipsum faceret de regalibus, idque sacramento firmaret. *Dimitteret Ecclesias liberas cum oblationibus et possessionibus suis, quæ ad regnum non pertinent. Absolveret Papa à juramentis populos, quæ contra episcopos facere compulsi sunt. Patrimonia possessionesque B. Petri restitueret, sicuti à Carolo, Ludovico, Henrico, aliisque imperatoribus concessa sunt libera, servaretque ea B. Petro pro juribus.* Juravit etiam se nullas insidias structurum Pontifici, aut ejus fidelibus vel obsidibus. Quas conditiones ubi rex implevisset, Papa juberet episcopis adstantibus in die coronationis ejus, ut regalia imperatori dimitterent, quæ à temporibus Caroli, Ludovici, Henrici, aliorumque prædecessorum, ad regnum pertinebant; scripto firmaret sub anathematis pœnâ, ne quis eorum præsentium vel absentium, vel successores eorum, regni se intromitterent juribus; neque invaderent civitates, ducatus, comitatus, monetas, vectigalia, mercata, etc., imperatorem cum honore et benignè susciperet, et more prædecessorum ipsius, catholicorum imperatorem coronaret, etc. Ita refert Petrus Diaconus in Chronici Cassinensis libro 4, cap. 37. Legatur et Dodechinus abbas in Appendice ad Chronicon Mariani Scoti.

Hâc factâ factione, Paschalis II scripsit ad Henricum regem his verbis : « Divinæ Legis institutionibus « sancitum est, et sacris canonibus interdictum, ne sa- « cerdotes curis secularibus occupentur, neve ad co- « mitatum (id est, ad aulam), nisi pro damnatis eruen- « dis, atque pro aliis qui injuriam patiuntur, accedant... « In vestri autem regni partibus, episcopi vel abbates « adeò curis secularibus occupantur, ut comitatum « assiduè frequentare et militiam exercere cogantur... « Ministri verò altaris ministri curiæ facti sunt; quia « civitates, ducatus, marchionatus, monetas, turres « (seu potius *curtes*, ut habet Chronicon Cassinense), « et cæterâ ad regni servitium pertinentia, à regibus « acceperunt. Unde etiam mos Ecclesiæ inolevit ut « electi episcopi nullo modo consecrationem acciperent, « nisi per manum regiam investirentur. Aliquando

etiam vivis episcopis investiti sunt. His et aliis plurimis malis, quæ per investituram plerùmque contigerant, prædecessores nostri Gregorius VII et Urbanus II, felicis recordationis Pontifices excitati, collectis frequenter episcopalibus conciliis, investituras illas manu laïcâ damnaverunt, et si qui clericorum per eam tenuissent Ecclesias, deponendos; datores quoque communione privandos percensuerunt, juxta illud apostolicorum canonum capitulum, quod ita se habet: *Si quis episcopus seculi potestatibus usus, Ecclesiam per ipsas obtineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.* Tibi itaque, fili charissime, Henrice rex, et regno regalia illa dimittenda præcepimus, quæ ad regnum manifestè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis et cæterorum prædecessorum tuorum. Interdicimus etiam, et sub anathematis districtione prohibemus, ne qui episcoporum seu abbatum, præsentium vel futurorum, eadem regalia invadant, id est, civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonium, advocatias, jura centurionum et curtes quæ regni erant, cum pertinentiis suis, militiam et castra; et ne se deinceps, nisi per gratiam regis, de ipsis regalibus intromittant... Porrò ecclesias cum oblationibus, et hæreditariis possessionibus, quæ ad regnum manifestè non pertinebant, liberas manere decrevimus: sicut, in die coronationis tuæ omnipotenti Domino in conspectu totius ecclesiæ promisisti. Istud Paschalis II temperamentum amplecti visus est Henricus quod inter utriusque legatos pactione solemni et juramento firmatum est, ut diximus, eâ conditione ut ab episcopis et proceribus Germaniæ rata haberetur; quos nusquàm præbituros assensum certò sciebat, nusquàm accepturos conditionem de regalibus dimittendis ut testatur David Scottigena capellanus et historiographus Henrici V, ab Abbate Urspergensi laudatus.

Anno 1111, Romam pervenit Henricus, ibique solemni ritu et magnifico apparatu exceptus est extra Urbem à populo, ad januam à Clero, ad superiores gradus basilicæ S. Petri, ab ipso Paschali Papâ, et cardinalibus ac episcopis. Pontificem ut vidit Henricus, ad ejus pedes corruit, moxque surgere jussus, *in ore, fronte, oculis, ei pacis osculum dedit*, stratorisque implevit officium. Moxque *dexteram Pontificis tenens* magno cum populi gaudio ad portam Argenteam perductus, ibi ex libro professionem imperatoriam fecit, et à Pontifice imperator designatus est, rursùmque ipsum osculatus, cùm Lavicanus episcopus primam orationem ex more super ejus majestatem fudisset, in arcem Porphyreticam pervenêre, simulque consederunt. *Pontifex instaurari ecclesiasticum jus, et cætera quæ in conventionis chartâ scripta fuerant, petiit; paratus et ipse, quæ pollicitus fuerat, exequi.* Paululùm secessit Henricus cum episcopis et proceribus suis de negotio tractaturus. Illi, habitâ cum imperatore deliberatione, Pontifici responderunt, *conventionem* cujus executionem urgebat, *firmari justè legitimèque non posse* Frustra ipsis reposuit Pontifex, *Cæsari quæ Cæsaris sunt esse reddenda:* et: *Nemo militans Domino, implicat se negotiis secularibus;* et, juxta B. Ambrosium, *à sacerdotali officio, qui talia gerat, alienum esse.* Nec ipsis unquàm persuadere potuit ut regalibus, aut Henrico ut investituris, renuntiarent.

Paschalem, nisi his conditionibus impletis, ipsum coronare abnuentem, cum cardinalibus et episcopis non paucis, captivum sub militari custodiâ detinuit Henricus, pluresque ex honoratioribus et plebe, qui obviam ipsi processerant, spoliari, vinciri, cædi jussit. Quo factum est ut Romani in furorem versi, Germanos, quotquot in urbe occurrebant, ceciderint, ipso etiam Henrico vulnerato et fugato. Ista constant ex Chronico Cassinensi, lib. 4, cap. 39 et 40, ex Sugerio abbate in Vitâ Ludovici Grossi regis, in Epistolâ Joannis Tusculani episcopi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicarii, dùm captivus detineretur Paschalis, ad Richardum episcopum Albanensem, et ex Ottone Frisingensi, lib. 7 Chronicorum, cap. 14. Detentionis Pontificis et cardinalium auctor fuit Albertus, natione Lotharingus, Henrici cancellarius, Moguntinus deinde archiepiscopus, *tunc inter primos ejus præcordialis consiliarius.* Quem tamen postea *in carcere positum diversis tormentis et incredibili famis inedià afflixit, ipsumque de amicissimo inimicissimum, ac regni sui pestiferum hostem, divino judicio, usque ad vitæ terminum sensit*, inquit Otto Frisingensis. Crudelem pugnam Romanos inter ac Germanos commissam, eamque diem atram et cruentam utriusque fuisse Cassinense Chronicon memorat.

Immotus erat in calamitate Pontificis animus, cui jurium ecclesiasticorum conservatio vitâ ipsâ antiquior erat; quamvis Henricus imperator *non Ecclesiæ jura, non officia quælibet, sed regalia sola se dare assereret*, inquit Petrus Diaconus, lib. 4. Chronici Cassinensis, cap. 42. Verùm inconcussam ad mala propria Paschalis mentem, aliorum captivorum vexatio, urbis quam Henricus continuis incursionibus infestabat periculum, schismatis denique scandalum quod Ecclesiæ imminebat universæ, ad annuendum Henrici votis inflexerunt. Sacramento itaque se obstrinxit Paschalis nunquàm se Henricum in jure investiturarum turbaturum, aut eum anathemate percussurum ob vim sibi suisque illatam. Deinde privilegium investiturarum manu suâ subscriptum, et annulo pontificio obsignatum eidem Henrico concedere coactus est. Post hæc, ad basilicam S. Petri perductus, illum coronâ imperii ornavit portis omnibus Romanæ urbis, seditionis metu, obseratis. Cùmque ad hostiæ confractionem in missarum solemniis venisset, partem ipse sumens, reliquam imperatori tradidit dicens: *Sicut pars ista vivifici corporis divisa est, ita divisus sit à regno Christi et Domini, qui pactum istud rumpere ac violare tentaverit.* Ita refert Petrus Diaconus, Chronici Cassinensis lib. 4, cap. 42. Privilegii porrò, quod à Paschali II de retinendo investiturarum jure Henricus imperator extorsit, hic tenor erat: « Illud igitur dignitatis privilegium quod præ« decessores nostri vestris prædecessoribus catholicis « imperatoribus concesserunt, nos quoque dilectioni « tuæ concedimus, et præsentis privilegii paginâ con-

« firmamus, ut regni tui episcopis et abbatibus, liberè « præter violentiam et simoniam electis, investituram « virgæ et annuli conferas. Post investitionem verò, « canonicè consecrationem accipiant ab episcopo ad « quem pertinuerit. Si quis autem à clero vel populo « præter assensum tuum electus fuerit, nisi à te in- « vestiatur, à nemine consecretur, exceptis nimirùm « illis qui vel in archiepiscoporum, vel in Romani « Pontificis solem dispositione consistere. Sanè ar- « chiepiscopi vel episcopi libertatem habeant à te in- « vestitos episcopos vel abbates canonicè consecran- « di. Prædecessores enim vestri Ecclesias regni sui « tantis regalium suorum beneficiis ampliârunt, ut « regnum ipsum maximè episcoporum vel abbatum « præsidiis oporteat communiri, et populares dissen- « siones, quæ in electis omnibus sæpè contingunt, re- « gali oporteat majestate compesci, etc. » Integrum privilegium legere est apud Willelmum Malmesburien-sem, lib. 5 de Gestis regum Anglorum. Illud autem, sicut et prævias conventiones utrinque factas, se de-scripsisse profitetur ex Commentariis Davidis Scotti-genæ, Bancornensis episcopi, quem tamen *in regis gra-tiam, magis quàm historicum deceret, proclivem fuisse, nec historiam, sed panegyricum scripsisse*, monet. Unde abbati Urspergensi, in hujus dissidii historiâ minùs credere par est, qui Davidi illi nimis tribuit, eique fa-ciliùs credidit, ut constat ex ipsius verbis : « Provide- « rat autem rex nulli à seculo regum secundus, sciens « Romanam rempublicam olim non tantùm armis « quantùm sapientiâ gubernari consuetam, se non so- « lùm armatis, sed etiam litteratis viris necessariò « muniri, paratis scilicet ad rationem omni poscenti « reddendam. Inter quos claruit quidam Scottigenæ « nomine David, quem scholas Wirciburg regentem « pro morum probitate rex sibi capellanum assumpsit. « Hic itaque jussus à rege totam hujus expeditionis « seriem, rerumque in illâ gestarum, stylo tam facili, « qui penè nihil à communi loquelâ differat, tribus li- « bris digessit; igitur juxta præscripti testimonium « historiographi, etc. »

Memoratæ persecutionis ab Henrico imperatore in Paschalem II Ecclesiamque Romanam excitatæ histo-riam metro descripsit Gotfridus Viterbiensis, Conra-do III, Friderico I et Henrico VI, imperatoribus à se-cretis, Chronicorum parte 17, rationesque attexuit quibus Ecclesia et imperium jura sua tuerentur. Histo-ricorum hujusmodi carminum lectionem haud injucun-dam fore cùm existimem, illa subjicere velim, ne ali-bi quærere gravetur studiosus lector.

Cùm foret Henrico subjecta per omnia Roma,
Unctus apostolicis manibus sumptâque coronâ,
Cepit apostolicum, rumor in Urbe sonat.
Bella parat populus, sucurrit ab Urbe senatus,
Prævalet Henricus, pars præsulis exspoliatur.
Papa caret manto captus ab hoste suo.
Quæstio nunc oritur, cur carcere Papa tenetur?
Respondetur eis, quia sustulit omnia præsul,
Abstulit imperio pontificale decus.
Nam bona pontificum, quæ nititur ipse tenere,
Contulit imperium, quæ debet Cæsar habere :
Amodò qui teneat, Cæsare dante feret.
Annulus et baculus de nostro munere venit,
Undique pontifices regum sunt munere pleni;
Cæsaris officium quomodò Papa gerit?
Retulit Ecclesia; si quærimus æqua fateri,
Annulus et baculus nunquàm de Cæsare venit :
Nam Deus Ecclesiis cœlitùs ista dedit.
Omnia quæ reges per tempora prisca dederunt,
Non modò sunt regum, sed cui data jure fuerunt :
Nec Deus hoc patitur, nec tua jura ferunt.
Cùm tua fit Regni, tua sit custodia juris,
Cæsaribus nostris mala das exempla futuris;
In sanctum Domini dùm feritate furis.
Conditor es juris, qui spernere jura videris.
Jam neque jura Dei, neque regia jura vereris.
Ecclesiam crucias, qui cruciandus eris.
Dedecus est fontem juris confundere legem,
Et magis est timidum cœlorum spernere regem :
Cùm sacra jura neges, tristia regna reges.
Cur laicus quærit tradi sibi munera cœli?
Ut Deus instituit, electio consona cleri
Judicio cœli libera semper erit.
Tu tua si repetis, repetis quæ tu tribuisti :
Hæc cùm non dederis, cùm tollere præposuisti,
Tradere te decuit, tollere nulla mihi,
Si quodcumque datur, ratio monet ut repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoque nostra feratur.
Hoc ita si cupias, quærimus esse ratum.
Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris;
Ex ope Pontificis Cæsar Romanus haberis;
Vincula Pontificis quâ ratione geris.
Quidquid agat præsul, quidquid sacra turba fatetur,
Reddere cogetur quod Cæsaris esse videtur
Illud et in scriptis firmat uterque secus.
Annulus et baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæsaris ad Jussum penitùs reddenda parantur,
Papaque Paschalis sic spoliatus abit.

Articulus XII.

Ab Ecclesiâ Romanâ et Gallicanâ improbatum ac damna-tum est privilegium de investituris à Paschali II, con-cessum Henrico imperatori contra canones et præde-cessorum pontificum decreta. Pontifex à sapientioribus excusatus. Plerique investiturarum propugnandarum pertinaciam hæresim esse asserebant; consultiùs ac doctiùs negabant alii. Henriciana itaque hæresis hâc in materiâ fictitia videtur.

I. Cùm Paschalis II in Urbem post pactionem cum Henrico imperatore initam regressus esset, invenit ibi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, universumque clerum Romanum à se aversum, et valdè improbantem fœdus illud quod recens cum Henrico imperatore pepigerat contra canones et prædecessorum pontificum decreta, non accedente etiam canonico Romanæ Ec-clesiæ consensu, paucorum duntaxat cardinalium adhibito consilio. Parùm abfuit quin apertum in schisma erumperet illa dissensio; nam absente postmodùm Pontifice convenientes in unum, Præside Joanne car

dinali episcopo Tusculano, confirmârunt decreta Gregorii VII et Urbani II contra laicorum investituras, nihilque roboris obtinere decreverunt, quidquid adversùs ea ab ipso Paschali, et ipsi inhærentibus cardinalibus, quovis prætextu actum fuisset. Paschalis autem qui paulò ante ab Urbe recesserat, has ad eos litteras dedit, quas ex manuscripto Vaticanæ bibliothecæ descripsit Eminentissimus annalium ecclesiasticorum Parens, tomo 12 ad annum 1111. Sic autem habent : « Id quod in personam nostram, imò in Patrem « vestrum, præter ipsius Ecclesiæ judicium atque præ« sentiam vos egistis ; etsi vobis ex zelo Dei visum sit, « non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite inces« sistis. Non enim charitas, sed æmulatio id dictâsse « perspicitur. Nos tamen confisi de misericordiâ divinâ « pro animæ nostræ salute cogitavimus ; et commissum « quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis, et « universæ provinciæ fecimus, emendare curabimus, « ut quod terreni in me quoque correxisse, ostendatur « Ecclesiæ. Vos autem pro Ecclesiâ agite, ut illum « Ecclesiæ Dei zelum, quem habetis et habere osten« ditis, ipsa experiatur Ecclesia. » Datæ sunt litteræ Terracinæ, 3 nonas julii, anno 1111.

II. Bruno Signinus episcopus et Casinensis abbas, vir insignis sanctimoniæ, Guala Regino episcopo ; Roberto Pasiensi, aliisque cardinalibus et episcopis adjunctis, Paschali II imminebat ut Privilegium imperatori concessum rescinderet, eumque anathemate configeret ; alii Privilegium illud tuebantur. Magnâ animorum dissensione ac pertinaciâ de illo disputari cœptum, Paschalis Brunoni quasi hujus dissidii et scandali incentori ac signifero graviter succensuit. Ille Pontificem convenit, suam agendi rationem excusaturus. Se ejus sanctitatem colere et ex animo diligere contestatus est, nec ullum alium, ipso vivente, susceپturum Pontificem, sed præ illo diligere Deum, cujus amori omnis humana necessitudo, ipseque parentum amor postponendus est. Ideòque se improbare privilegium de retinendis investituris Henrico imperatori concessum ut contrarium pietati, religioni, fidei. Illud repugnare Apostolorum decretis, quibus qui contradicit, hæreticus est. « Fœdus autem illud, inquit, adeò « fœdum, tam violentum, tam cum proditione factum, « tam omni pietati religionique contrarium, ego non « laudo. Quis enim illud laudet, in quo violatur fides, « Ecclesiæ libertas amittitur, sacerdotium tollitur, « unicum et singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa « ostia aperiuntur, per quæ qui intrat, fur et latro ? « Habemus canones, habemus sanctorum Patrum con« stitutiones ab Apostolorum temporibus ad te usque « perductas. Viâ regiâ incedendum est, neque ab eâ « in aliquam partem declinandum, Apostoli illos omnes « damnant, et à fidelium communione sejungunt, qui « per secularem potestatem Ecclesiam obtinerent. « Laici enim, quàmlibet religiosi sint, nullam tamen « disponendæ Ecclesiæ facultatem sunt consecuti. Hæc « enim Apostolorum constitutio sancta est, cui qui « contradicit, Catholicus non est. Omnis autem qui « hæresim tuetur, hæreticus est. Nemo hanc non esse « hæresim dicere potest, quam sancta et apostolica « Ecclesia in multis conciliis hæresim nominat, et cum « suis auctoribus damnat. » Largiter erravit Bruno, cùm investiturarum concessionem vel retentionem, hæreseos nomine infamavit, et obliquè hæreseos notam Paschali II, ob concessum imperatori privilegium inussit. Investituras velut hæresim à conciliis damnatas, vir sanctus ostendere non potuisset. Simoniam quidem hæresim appellârunt, ac velut hæresim damnârunt, pontifices et concilia (quanquàm impropriè et communiori quâdam significatione istud nomen usurpârint) quia Simoniacorum parens Simon Magus hæresiarches fuit, existimans *donum Dei pecuniâ possideri*. At investituris, modò à simoniacâ labe puræ essent, hæreseos notam olim impactam probare non valuisset Signinus antistes. Apostolicis quidem decretis contrariam investiturarum usurpationem verè dixit, quia canones Apostolorum nomine inscripti, quibus sub pœnâ anathematis prohibetur ne quis per seculares potestates Ecclesiam obtineat, apostolicam hoc in capite aliisque pluribus doctrinam ac traditionem continent, quanquàm non sint ab Apostolis conditi. Sed in eo deceptus est, quòd hæresim esse contenderit quidquid Apostolorum decretis contrarium est ; cum apostolicæ constitutiones aliæ fidem, aliæ solam disciplinam et politiam Ecclesiæ, vel sacros ritus spectent. Illi porrò soli hæretici sunt, qui apostolicis decretis fidem spectantibus pertinaciter refragantur.

Suspectum Pontifici Brunonem fecit libertas constantior : metuebat enim ne sanctitatis ipsius opinio et zelus multos traheret in partes, præsertim è Cassinensibus monachis, nobilissimâ portione gregis Christi. Quamobrem illum ab istius cœnobii regimine removere decrevit, quod cum episcopatu retinere, absque Sedis Apostolicæ dispensatione non poterat. « Nisi illum, inquit, à monasterii administratione « removero, ipse suis argumentis Ecclesiæ mihi regi« men tollet. Quapropter eidem abbati direxit Episto« lam, quâ vetuit ut ultra episcopus simul esset atque « abbas ; neque enim ultra ferre Apostolicam Sedem « episcopum aliquem monasterio præesse tam cele« bri. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem episco« pum et hujus cœnobii monachum litteras misit man« dans ne ipsi viro ulteriùs obedirent, sed secundùm « Deum sibi regulariter abbatem eligerent. Sin autem « secùs agerent, in omnibus monasterii cellis abbates « ipse statueret. » Ita refert Petrus Diaconus, l. 4. Chronici Cassinensis, cap. 44.

III. Quemadmodùm Canon cardinalis episcopus Prænestinus, Apostolicæ Sedis legatus in Orientem, auditis facinoribus Henrici imperatoris in Romanam Ecclesiam et summum Pontificem, coacto Hierosolymis concilio excommunicationis sententiam in illum tulit, eamque in Græciâ, Hungariâ, Saxoniâ, Lotharingiâ, Franciâ, collectis prædictarum Ecclesiarum conciliis, renovando confirmavit, ut constat ex actis postremi concilii Lateranensis sub Paschali Papâ relatis ab abbate Urspergensi in Chronico ad annum 1116. Ita Guido Viennensis archiepiscopus, et ipse

Sedis Apostolicæ legatus, coacto in metropoli suâ concilio privilegium, quod Henricus imperator à Paschali Papâ extorserat, rescidit, ipsumque imperatorem feriit anathemate, kalendis octobris anno 1112. Aderant S. Hugo Gratianopolitanus, et S. Godefridus Ambianensis, Episcopi. Hæc porrò decreta contra investituras; contra privilegium à Paschali II, concessum, et contra Henricum imperatorem edidit synodus Viennensis :

« Investituram episcopatuum et abbatiarum, et omnium ecclesiasticarum rerum de manu laicâ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem sequentes, hæresim esse judicamus.

« Scriptum illud, seu privilegium, quod à domno Paschali Papâ violenter Henricus rex de investituris, de anathemate in personâ suâ, non sponte extorsit in virtute sancti Spiritûs damnamus, atque irritum esse et nullius beatæ memoriæ judicamus fieri.

« Henricum Teutonicorum regem, qui simulatâ pace Romam veniens, post data sacramenta domno Papæ Paschali, vitæ membrorum, malæ captionis, refutationis investiturarum, eumdem dominum Papam in Sedem Apostolicam ante corpus B. Petri, post osculationem pedis, oris et faciei proditione, perjurio et sacrilegio, velut Iter Judas, cum cardinalibus et episcopis, archiepiscopis, et multis Romanorum nobilibus tradidit, cepit, et raptum in castra insignibus apostolicis exuit, et indignè atque inhonestè irrisum tractavit, et ab eo nefandissimum et detestabile scriptum violenter extorsit, excommunicamus, anathematizamus, et à gremio sanctæ Matris Ecclesiæ sequestramus, donec his omnibus abrenuntiatis, plenam satisfactionem Ecclesiæ exhibeat. »

Synodicam ad Paschalem Epistolam dedit archipræsul Viennensis, suo et aliorum qui concilio interfuerant, episcoporum nomine, quâ ipsum rogârunt ut Synodalia decreta confirmaret; quod si renueret, se ab ejus obedientiâ minati sunt recessuros. « Et nunc, inquiunt, domne Pater, vestram, sicut dignum est, majestatem suppliciter exoramus, ut quod pro sanctæ Ecclesiæ fidei robore, pro Dei et vestro honore fecimus, auctoritate apostolicâ solemniter confirmetis. Cujus confirmationis argumentum per apertas nobis litteras significare dignemini, quas etiam (ut gaudium nostrum sit plenum) alter alteri destinare possimus. Et quoniam principum terræ pars maxima, et universi ferè populi multitudo in hâc re nobiscum sentit, in remissionem peccatorum suorum omnibus injungatis, ut si necesse fuerit, auxilium nobis et patriæ unanimiter ferant. Illud etiam cum debitâ reverentiâ vestræ suggerimus pietati, quòd si nobiscum in his steteritis, si hoc, sicut rogamus, confirmaveritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi tyranni et nuntiorum ejus litteris, locutione, muneribus abstinueritis, unanimiter nos, sicut decet, habebitis filios et fideles. Si verò, quod minimè credimus, aliam viam aggredi cœperitis, et nostræ paternitatis assertiones prædictas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos à vestrâ subjectione et obedientiâ repelletis. »

In duobus peccârunt hujus synodi præsules : primum, quòd investituras hæresim esse judicârint, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ se in hoc auctoritatem sequi gloriati sint. Non enim verbo Dei, sed Ecclesiæ duntaxat decretis contrariæ erant investituræ episcopatuum de manu laicâ; adeòque non erant veri nominis hæresis. Nec Romana Ecclesia illas usquàm hæresim esse judicaret, sed usurpationem duntaxat, et ecclesiasticæ disciplinæ canonumque Spiritu Dei conditorum violationem. Secundò, in eo peccârunt, quòd Romano Pontifici minas intentârint se ab ejus obedientiâ recessuros, nisi synodi statuta confirmaret, quod pessimi sanè exempli est.

IV. Longè modestiùs sensit ac veriùs Yvo Carnotensis episcopus qui sententiam eorum qui investituras defendere volebant contra Ecclesiæ decreta, schismaticam tantùm, non hæreticam censet; et summum Pontificem Paschalem II, familiaribus et charitatem spirantibus litteris admonendum esse ut se judicet, ac privilegium imperatori perperàm et contra Ecclesiæ utilitates ac libertatem concessum revocet; quod si fecerit gratiæ Deo erunt agendæ, sin minùs, non ideò tamen esse judicandum; nec ejus præceptis *ad cathedram* pertinentibus, id est, fidei, unitatis et christianæ disciplinæ conservationem, morum emendationem, executionem canonum, eorumque interpretationem ac dispensationem, majorumque causarum judicia spectantibus, et *ex B. Petri privilegio ac æquitate* latis (ut loquitur S. Leo) negandam esse propter ea obedientiam. Quanquàm verò erraverit in regimine, excusandum tamen quòd coactus privilegium Ecclesiæ noxium concesserit, ac verenda patris velanda, compatiendumque capiti infirmitate laboranti. Ita scribit ad Henricum Angeriacensem abbatem, epistolâ 233 : « De investituris, inquit, Ecclesiarum quas laici faciunt, sententiam præcedentium Patrum Gregorii et Urbani, quantùm in me est, laudo atque confirmo. Quocumque autem nomine talis pervasio propriè vocetur, eorum sententiam qui investituras laicorum defendere volunt schismaticam judico. Nec ista contra domnum Papam dico, quia quibusdam litteris mihi scripsit, se coactum fecisse quod fecit, et adhuc prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potiùs velare quàm nudare, familiaribus et charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dùm caput ejus laborat tantâ debilitatum molestiâ. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo Pontifice. Habemus enim Evangelicam sententiam, quæ securos nos facit : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: quæ dicunt, servate et facite; secundùm verò opera*

« *eorum nolite facere.* Vult enim hæc sententia præ- « cepta præsidentium *ad cathedram* pertinentia obe- « dienter impleri (etiamsi tales sint quales erant Pha « risæi), non eos factiosâ conspiratione à suis sedibus « removeri. Si verò ea præcipiant quæ sint contra « doctrinam evangelicam vel Apostolicam, ibi eis non « esse obediendum, exemplo docemur Pauli Apostoli, « qui Petro sibi prælato, non rectè incedenti ad veri- « tatem Evangelii, in faciem restitit, non tamen eum « abjecit. Ubi enim succumbunt humana judicia, di- « vina est expetenda misericordia; quatenùs insito- « rum conservatâ pace ramorum, et ipsi qui præcisi « sunt unitati Ecclesiæ studeant reformari, et insito- « rum ramorum societate lætari. Alioquin nec præ- « cisi inserentur, nec inserti fructificare aut florere « in tantâ turbinum concussione permittentur. Hæc « de propositâ quæstione respondeo, majorum sen- « tentiis non præjudicans, quæ paci Ecclesiæ consu- « lant et ædificationi. »

Majorum religionem et observantiam erga Sedem Apostolicam imitabantur Yvo Carnotensis episcopus, et provinciæ Senonensis præsules, cùm sibi integrum et fas non esse existimabant, de summi Pontificis actis ac personâ judicium ferre. Episcopi namque Gallicani in concilio Romano in causâ Leonis III unà cum Italis sedentes, præsente etiam Carolo Magno Francorum rege, in has voces eruperunt : *Nos Sedem Apostolorum quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam et ab ipsâ nos omnes, et ab ejus vicario judicamur; ipsa autem à nemine judicatur; quemadmodùm antiquitùs mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit, canonicè obediemus.* Ita refert Anastasius Bibliothecarius in Vitâ Leonis II. Archipræsul autem Viennensis Guido, et alii præsules in synodo Viennensi congregati, antiquum Viennensium archiepiscoporum Avitum non imitabantur, nec ejus doctrinam sequebantur, ad senatores urbis Romæ ex Ecclesiæ Gallicanæ sententiâ scribentis de causâ Symmachi pontificis maximi : *Non facilè datur intellegi, quâ vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur..... Reddet rationem qui ovili dominico præest, quâ commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterùm non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis.*

V. Viennensis concilii decretis ad Paschalem II relatis, illa confirmavit Pontifex datâ ad Guidonem Viennensem archiepiscopum, legatumque suum epistolâ, cujus exemplum ex Codice sancti Petri Catalaunensis à P. Sirmondo descriptum, in Labbeanâ conciliorum editione, tomo 10, vulgatum est. Data est hæc epistola 13 kalendas novembris ejusdem anni. Cæterùm etsi concilii hujus decreta absque exceptione confirmaverit Paschalis II, illud tamen quo investitura sacrarum dignitatum de manu laicâ judicatur hæresis, haud censendus est approbâsse, nisi fortè hæreseos nomen minùs propriè et latiori quâdam significatione à Patribus acceptum intellexerit : siquidem in concilio Lateranensi, quod anno 1106 celebravit, ferre non potuit Brunonem Signinum episcopum in priori sententiâ pertinacem, et palam propugnantem, privilegium de retinendis investituris Henrico imperatori concessum hæresim continere, ut ex Actis concilii constat, de quibus infra dicemus.

VI. Sub idem tempus, Joannes archiepiscopus Lugdunensis, Galliarum primatem agens, nationale concilium apud Ansam celebrandum indixit, in quo de fide et investituris laicorum ageretur; ad illudque convocavit provinciæ Senonensis episcopos; qui adesse noluerunt, et dissensum excusârunt synodicâ epistolâ, quam ex omnium sententiâ scripsit Yvo Carnotensis episcopus. Prima ratio cur ad eam synodum ire detrectent, ea est quòd nusquàm reverendâ Patrum sanxerit auctoritas, nusquàm hoc servare consueverit antiquitas, ut primæ sedis episcopus alienæ provinciæ episcopos vocare ad concilium, nisi id Apostolica Sedes juberet, aut una de provincialibus Ecclesiis, pro causis quas intra provinciam terminare non poterat, primæ sedis audientiam appellaret.

Secunda ratio petitur ex argumento concilii, in quo de investituris agendum erat, quas quidam inter hæreses censebant; improbant autem synodi celebrationem hanc ob causam, quia excusandum potiùs est quàm propalandum Romani Pontificis facinus, qui investituras imperatori coactus concessit, et priora decreta sua confirmare paratus est, « Præterea, inquit, quia in hoc « concilio de investituris laicorum quas quidam inter « hæreses computant, tractare disponitis, potiùs pu- « denda patris vestris nudabitis, quæ publicanda non « essent in Geth, nec in compitis Ascalonis, deridenda « exponetis, quàm post dorsùm ea velando benedictio- « nem paternam vobis acquiratis. Quod enim propter vi- « tandam populi stragem paternè in se admisit summus « Pontifex, coegit necessitas, non approbavit voluntas; « quod inde constat, quia postquàm evasit periculùm, « sicut ipse quibusdam nostrùm scripsit, quod jusse- « rat jussit, quod prohibuerat prohibuit : quamvis qui- « busdam nefandis, urgente periculo, quædam nefan- « da scripta permiserit. Sic Petrus trinam negationem « trinâ confessione purgavit, et Apostolus mansit. Sic « Marcellinus Papa (1) deceptus à profanis coram fano « thurificavit, et tamen à fratribus minimè judicatus, « post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic « Aaron in eremo moram faciente Moyse, in monte « propter importabilem populi seditionem vitulum fu- « silem fieri permisit, quem populus insipiens adora- « vit, cùm tamen non esset seductus à populo, ut « Deum esse crederet, vel divinæ culturæ reverentiam « ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, « et Domino jubente per manum Moysi ad summum « sacerdotium est sublimatus. Sic Moyses ipse, qui « cum Domino loquebatur sicut ad amicum amicus, « Deum tamen offendit, cùm propter murmur populi « dicentis : *Numquid poterit nobis elicere aquam de « petrâ hâc?* dubitare coactus est, et aquam cum dis- « ceptione à Domino postulare. Sic doctor gentium, qui « in synagogis publicè clamabat : *Circumcisio nihil est, « et Christus nihil vobis proderit, si circumcidamini*, « propter scandalum Judæorum circumcidi permisit

(1) Ex apocryphis Actis id sumptum.

« Timotheum, ut hâc condescensione Judæos lucri-
« faceret. Hæc infirma probabili necessitate, vel pro-
« vidâ dispensatione passi sunt summi et sancti viri,
« Deo benè utente malis nostris, ut per hoc doceret
« eos seipsos agnoscere, quatenùs discerent infirma
« sua sibi adscribere, et bona sibi collata ad Dei gra-
« tiam referre. »

Secundùm hæc, Paschalis Papæ œconomiam excusant, quâ Henrici imperatoris excommunicationem differt, gravioris mali metu, nimirùm schismatis, secundùm regulam à sancto Augustino traditam. *Quòd si Papa*, inquiunt, *adhuc in Teutonicum regem debitam severitatem non exercet, credimus quia consultè differt secundùm quorumdam doctorum judicia, qui consulunt quædam admittenda pericula, ut possint vitari majora. Unde dicit Augustinus in tertio libro contra Parmenianum : Hoc sanitas observat Ecclesiæ, ut cùm quisque fratrum, id est, Christianorum intùs in societate Ecclesiæ constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur; fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est; atque id cum eâ dilectione fiat, de quâ ipse Apostolus alibi præcipit dicens : Ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem. Ubi satis ostendit, quòd cùm metus iste non subest, sed omninò de frumentorum stabilitate certa securitas maneat, id est, quando ita cujusque crimen notum est, et omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsùs vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. In quâ tantò est efficacior emendatio pravitatis, quantò diligentior conservatio charitatis*, etc.

Œconomiâ quâdam et dispensatione minimè damnandâ privilegium illud à Paschali II imperatori concedi potuisse rectè scripserunt Yvo Carnotensis et cæteri Senonensis provinciæ præsules : maximè cùm electionum libertatem sartam tectam esse decrevisset, ab iisque simoniam eliminari jussisset, solam assensûs regii necessitatem et regalium investiturarum indulsisset, quæ in Gallîis à Clodovei Magni temporibus obtinebat. Præsentis *privilegii pagina confirmamus*, ait Paschalis, *ut regni tui episcopis et abbatibus liberè præter violentiam et simoniam electis, investituram virgæ et annuli conferas*, etc. *Prædecessores enim vestri Ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliârunt*, etc. (ut supra art. XI.)

Tertiam addunt rationem cur ad concilium convenire non possint, quia nimirùm de personâ Romani Pontificis agitur, quæ nullius hominum judicio subjacet. « Non videtur, inquiunt, nobis utile consilium
« ad illa concilia convenire, in quibus non possumus
« eas personas, contra quas agitur, condemnare vel
« judicare : quia nec nostro, nec ullius hominum
« probantur subjacere judicio. Unde nos constat esse
« immunes, si facta eorum oris gladio ferire formi-
« damus, cùm ipse mediator obedire eis præcipiat,
« etiamsi tales sint quales erant Pharisæi, si ea quæ
« ad cathedram pertinent recta præcipiant, ea verò
« minimè faciant. Ex quibus omnibus hoc constare
« videtur, quatenùs feminalia sacerdotalia pudendis
« superponamus, ne verecunda nostra deridenda in-
« sidiatoribus nostris exponamus, et unde quærimus
« reformare Ecclesiæ fortitudinem, in majorem incur-
« ramus debilitatem. Hæc dicentes, non instruimus
« prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam
« nostram; quia et principales Ecclesiæ claves nolu-
« mus potestate suâ privare, quæcumque persona
« vices Petri habeat, nisi manifestè ab evangelicâ
« veritate discedat. »

Se tamen antiquo juri metropolitanorum derogare nolle profitentur, quo Provinciales synodos convocare et celebrare possunt, *Salvâ reverentiâ Romanæ Ecclesiæ*. « Quæ si ad præsens, inquiunt, non potest
« Satanam sternere sub pedibus suis ; non obviabit
« tamen salubribus dispositionibus vestris, in quibus,
« secundùm quod in prætaxato libro (sancti Augu-
« stini) legitur, quisquis vel quod potest arguendo
« corrigi, vel quod corrigere non potest, salvo pacis
« vinculo excludit; vel quod salvo pacis vinculo
« excludere non potest, æquitate improbat, firmi-
« tate supportat, hic est pacificus, et ab isto ma-
« ledicto quod Scriptura dicit : *Væ his qui dicunt*
« *quod nequam bonum est, et quod bonum est ne-*
« *quam*, etc., omninò liber prorsùs securus, penitùs
« alienus. His catholicorum Patrum terminis con-
« tenti, quæ possumus, secundùm decreta Patrum,
« salvo vinculo pacis corrigere volumus. Quæ autem
« corrigere non possumus, usque ad messem, si ne-
« cesse sit, Domino docente, tolerare decrevimus. »

Factum Paschalis II excusare pergunt, ostenduntque illum concedendo investituras Henrico imperatori, decreta decessorum suorum propriè loquendo non fuisse prævaricatum, quia id studiosè non fecit, sed subreptione fallente, vel necessitate cogente. « His verbis, inquiunt, excusatos nos credimus, quòd
« à laceratione Domini Papæ linguas nostras reprimi-
« mus : et si quid contra sententiam suam, suorumque
« prædecessorum, de remissis Germanico regi inve-
« stituris fecisse videtur, filiali charitate excusamus.
« Non enim prævaricator est legis, qui delinquit in
« lege, aliquâ fallente subreptione vel impellente ne-
« cessitate, sed qui legem impugnat studiosè, et
« dilectum suum non curat agnoscere. »

Addunt, summum Pontificem non modò non vituperandum, imò laudandum esse si œconomiâ quâdam privilegium supra dictum imperatori concessit, ut hoc ecclesiasticæ disciplinæ vulnere gravioribus malis obviam iret. « Unde, inquiunt, hunc excessum ejus
« non tantùm non accusamus, sed dictante ratione
« approbamus, si imminente strage populi, paternâ
« charitate cum nonnullo vulnere suo se tantis peri-
« culis voluit objicere, ut majoribus morbis posset
« sincerâ charitate subvenire. Nec ipse primus, nec
« solus factus est dispensator Dominicorum præce-
« ptorum; quia mediator Dei et hominum, cujus vita
« in terris disciplina fuit morum, primò præcepit di-
« scipulis ut non ferrent sacculum, neque peram,
« quia tunc nulla necessitas urgebat. Imminente verò
« tempore Passionis suæ, sciens eos panis penuriam

« passuros, cùm transirent de loco ad locum, tempe-
« ravit præceptum, dans eis licentiam ut ferrent pe-
« ram et sacculum, non jam imperans cupiditati, sed
« indulgens necessitati. Ita cùm hæreses diversi gene-
« ris pullularent per diversas partes mundi, ut ca-
« tholici territi severitate sententiæ hæreticorum
« seductiones caverent, severissimè præceptum est
« ut revertentes ab hæresi vel clerici non fierent,
« vel clerici non manerent. Pro cujus rigore decreti
« cùm Ecclesia maxima damna pateretur, prudens
« discretio religiosorum voluit et docuit mutandam
« esse sententiam, et ab hæresi revertentes et catholi-
« cam unitatem profitentes fraternè suscepit, et in
« honoribus suis manere concessit; judicans melius
« esse ut fieret aliquod vulnus in cortice matris arbo-
« ris, quod charitas sanaret, quam Ecclesia de omni-
« bus quos posset, membra sua non colligeret. »

Denique investituram hæresim dici non posse propugnant, cùm ad fidei materiam nullatenùs pertineat, et in solâ manuali actione dantis et accipientis versetur. Si tamen aliquis laicus reperiretur adeò stolidus et vecors, et persuasum haberet, se conferre aliquod sacramentum aut effectum sacramenti cùm baculum et annulum tradidit, illum hæreticum esse censendum; non quidem ratione investituræ manualis sed ob diabolicam illam præsumptionem; investituram tamen illam manualem à laicis factam, invasionem esse juris alieni et sacrilegam usurpationem, quam rescindere penitùs oporteat, si id fieri possit absque periculo schismatis. « Postremò, in-
« quiunt, quod quidam investituram hæresim vocant,
« cùm hæresis non sit nisi error in fide, sicut enim
« fides cordis est ad justitiam, oris autem confessio
« ad salutem; ita hæresis error est ad impietatem,
« professio verò ejusdem erroris ad perniciem. Et
« fides et error ex corde procedunt; investitura verò
« illa de quâ tantus est motus, in solis manibus est
« dantis et accipientis; quæ bona et mala agere pos-
« sunt, credere vel errare in fide non possunt. Ad
« hæc, si investitura hæresis esset, ei renuntians sine
« vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem
« in partibus Germaniarum et Galliarum multas ho-
« nestas personas, purgato isto nævo per quamlibet
« satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, et per
« manum apostolicam refutatas investituras rece-
« pisse. Quod summi Pontifices minimè fecissent, si
« in tali investiturâ hæresim in Spiritum sanctum
« latere cognovissent; cùm ergo ea quæ æternâ lege
« sancita non sunt, sed honestate et utilitate Ecclesiæ
« instituta vel prohibita, pro eâdem occasione ad
« tempus remittuntur, pro quâ inventa sunt; non est
« institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis
« et saluberrima dispensatio. Quod cùm multi minùs
« studiosi minimè attendant, ante tempus judicant,
« spiritûs mobilis et spiritûs immobilis non intelli-
« gentes differentiam. Si quis verò laicus ad hanc
« prorumpit insaniam, ut in datione et acceptione
« virgæ putet se tribuere posse sacramentum vel rem
« sacramenti Ecclesiastici, illum prorsùs judicamus
« hæreticum, non propter manualem investituram,
« sed propter præsumptionem diabolicam. Si verò
« congrua volumus rebus nomina dare, possumus di-
« cere quòd manualis illa investitura per laicos facta,
« alieni juris est pervasio, et sacrilega præsumptio,
« quæ pro libertate Ecclesiæ et honestate salvo pacis
« vinculo, si fieri potest, funditùs abscindenda est
« Ubi ergo sine schismate auferri potest, auferatur·
« ubi sine schismate auferri non potest, cum discretâ
« reclamatione differatur. » Est inter Yvonis Carnotensis Epistola 236.

VII. Huic verò Epistolæ respondet Joannes Lugdunensis archiepiscopus, datâ ad Daimbertum Senonensem archipræsulem Epistolà, cujus hæc summa capita: Se provinciæ Senonensis episcopos extra alienam provinciam ad concilium vocâsse negat, sed inferiora membra ad caput revocâsse, quia eadem est Metropolitarum ad suos primates, quæ suffraganeorum ad suas metropolitas habitudo: ut videlicet causæ quæ apud inferiores terminari nequeunt, apud superiores diffiniantur, nisi ad Romanam audientiam appellatum fuerit, salvis tamen singularum Ecclesiarum privilegiis. Ad id quod scripserant, non esse detegenda verenda patris, ait esse trepidâsse, ubi non erat timor. Satius enim esse cum pietate verecundorum filiorum benedici, quàm cum verecundiâ irreverentis filii maledici. Causati erant periculosa tempora; Joannes respondet, quantò periculosiora sunt tempora, tantò servis Dei fortiùs adnitendum, ne cùm abundante iniquitate refrigesci: charitas multorum, refrigescat et paucorum. Multitudinem et robur adversariæ partis prædicaverant; respondet ille, paucis discipulis Christum dixisse: *Confidite, ego vici mundum.* Si ergo doceat diffidendum, victoriam mundi ipsum prædicare, et Christi victoriam prosternere. Novum esse et inauditum philosophandi genus hortari contra fortes timidos, contra importunos desides; fieri in bello fugaces, in pace verò audaces, in periculo securos, in securitate providos. Ad id tandem quod scripserant, investituras ecclesiasticarum dignitatum per laicos factas hæreses non esse, respondet Joannes Lugdunensis ipsos id efficaciter satis non probâsse. *Quamvis enim*, inquit, *sicut catholica fides in corde, ita et hæreticus error in corde maneat, tamen sicut ex catholicis operibus catholicum sentimus, ita ex hæreticis operibus Hæreticum cognoscimus.* « A
« *fructibus eorum* (inquit Dominus) *cognoscetis eos; et*
« *unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur.* » *Et licèt exteriores investituras per laicos factas non satis propriè Hæresis nomine censeamus, sentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est.* Hæc Joannis Lugdunensis archiepiscopi Epistola est inter Epistolas Yvonis Carnotensis 237.

Illi verò non assentimur contendenti investituran exteriorem in hæresim desinere, si quis pertinacite contendat eam licitè fieri posse. Id enim falsum existimamus, convicti rationibus Yvonis Carnotensis; nisi eo in casu quo quis laicorum existimaret se investituras dando, sacramentum aut effectum sacramenti conferre; quod nunquàm ipse Henricus imperator sibi

persuasit. Ille siquidem *non Ecclesiæ jura, non officia quælibet; sed regalia sola se dare asserebat*, teste Petro Diacono, lib. 4 Chronici Cassinensis, cap. 41.

VIII. Goffridus, Vindocinensis abbas, Epistolâ 7, lib. 1, ad Paschalem II datâ, opusculo 2 de Ordinatione episcoporum, et de Investiturâ laicorum, ad Petrum Leonis, et opusculo 3 de Simoniâ et Investiturâ laicorum, ad Calixtum II Pontificem maximum, investituram non minùs quàm simoniam hæresim esse contendit, quia virga et annulus sunt Ecclesiæ sacramenta, sive spiritalis signa potestatis, quæ à solo consecratore episcopus recipere potest; imò à Christo per consecratorem. Unde laicus qui investituras ecclesiarum per baculum et annulum tribuit, Christi potestatem usurpat, et Filio Dei quodammodò se prædicat altiorem. « Laicus, inquit, cùm investituram ec- « clesiarum tribuit per virgam et annulum, quæ sunt « Ecclesiæ sacramenta, sicut sal et aqua, oleum et « chrisma, et quædam alia, sine quibus hominum et « ecclesiarum consecrationes fieri non possunt, sibi « jus Christi usurpat et potestatem, et quodammodò « se Dei Filio prædicat altiorem. Nam dùm illa eccle- « siæ sanctæ sacramenta ibi dantur, ubi dari debent, « et quibus et quando debent, à Dei Filio dantur, per « consecratorem videlicet illius actionis ministrum, « sicut in remissionem peccatorum Spiritus sanctus « dabatur per Petrum.... Laicus autem quando contra « Dei Filium sic præsumit, si non ampliùs, non mi- « nùs tamen quàm Simon Magus intumuit, et ipse in- « tumescit, qui in collatione sacramentorum se Dei « Filio anteponit. Et quia Deo Dei Filio non solùm sui « Patris æqualitatem demere nititur, sed seipsum « Dei Filio superiorem impiâ suâ actione significare « videtur, recto nomine et ipse hæreticus, et ejus in- « vestitura hæresis appellatur. »

Investituram tamen, quæ fit propter possessiones ecclesiasticas, non propter res spirituales, damnandam non esse ait, quamvis inutile sit iterùm donare bona quæ semel data sunt. Verùm investituram illam per annulum à laico fieri non posse ante consecrationem. Post electionem verò et consecrationem minimè referre quonam id signo fiat. « In ecclesiasticis posses- « sionibus, inquit, quamvis nec in legibus, nec in « canonibus inveniatur, tamen propter scandalum et « schisma vitandum, talis regibus investitura conce- « ditur, ut nec ipsi propter hoc pereant, nec sancta « Ecclesia detrimentum patiatur. Investituram per « virgam et annulum accipere nisi à suo consecratore, « manifestum esse damnosum, quia nulli laico licet « illa Ecclesiæ sacramenta dare, sicut ei non licet « episcopum consecrare. Res etiam quæ semel Eccle- « siæ datæ sunt, reges iterùm eas dare, vel de ipsis « investire nec debent, nec convenienter possunt. Nam « alicui dare quod habet, et de hoc investire aliquem « quod ille jam tenet, superfluum est et vanum, non « tamen videtur criminosum. Alia utique est investi- « tura quæ episcopum perficit; alia verò quæ episco- « pum pascit. Illa ex divino jure habetur, ita ex jure « humano. Subtrahe jus divinum, spiritualiter episco- « pus non creatur. Subtrahe jus humanum, posses « siones amittit, quibus ipse corporaliter sustentatur. « Non enim possessiones haberet Ecclesia, nisi sibi à « regibus donarentur, et ab ipsis, non quidem divinis « sacramentis, sed possessionibus terrenis investire- « tur. Ex jure divino regibus quidem et imperatoribus « dominamur; ipsis tamen ex eodem jure, quia Christi « Domini sunt, honorem debemus et reverentiam, « sicut dicit Apostolus: *Regem reveremini.* Ex jure au- « tem humano tantùm illis debemus, quantùm posses- « siones diligimus, quibus ab ipsis, vel à parentibus « suis Ecclesia ditata et investita dignoscitur: Unde B « Aug. super Joannem sic loquitur: *Noli dicere: Quid « mihi et Regi? Quid tibi et possessioni? Nam per jura « regum possessiones habentur*, etc. Possunt itaque sine « offensione reges, post electionem canonicam et con- « secrationem, per investituram regalem, in eccle- « siasticis possessionibus concessionem, auxilium et « defensionem episcopo dare, quod quolibet signo fa- « ctum extiterit, regi vel pontifici seu catholicæ fidei « non nocebit. » Nec propriè, nec theologicè loquitur Goffridus Vindocinensis, cùm annulum et baculum sacramenta vocat sicut oleum et chrisma, cùm ad sacramenti substantiam non pertineant. Hyperbolicè loquitur, cùm ait laicum qui illa tradit, se Filio Dei in collatione sacramentorum anteponere; cùm imperatores et reges dantes investituras nunquàm sibi persuaserint se conferre sacramentum. Investituram itaque hæresim esse, et laicos investituram dantes esse hæreticos, non rectè probat Vindocinensis abbas. Sed suo ipse principio luculenter refellitur: statim enim opusculi initio hoc principium statuit: *Firmissimè crede quòd nihil aliud propriè hæresis dicitur, nisi quod à Patris unitate Filium sive Spiritum sanctum conatur separare, vel personarum alteram alterâ minorem vel maiorem asserere.* Quod nequidem in mentem venit principibus investituras usurpantibus, aut scriptoribus eas jure fieri propugnantibus. Quanquàm definitio illa hæreseos à Goffrido Vindocinensi tradita haud accurata sit; secundùm quam sequeretur solas Arii et Macedonii hæreses hoc nomine censendas.

Idem abbas, epistolâ 11 libri 3 ad Rainaldum Andegavensem episcopum datâ, Investituras ex duobus capitibus damnandas probat, primò quòd absque canonicâ electione episcopatus vel abbatiæ conferrentur à laicis potestatibus: deindè quòd vix absque simoniâ darentur; ideòque illis hæreseos labem aspergit. Cæterùm si præcedente electione canonicâ et absque simoniâ investitura fieret, non videtur de illâ tam severè judicaturus, tam durè locuturus Goffridus Vindocinensis. « Episcopus, inquit, sine canonicâ electione, est « quasi arbor sine radice. Arbor autem quæ radicem « non habet, etiamsi folia habeat, fructum ferre nul- « latenùs valet... Tota utique ordinatio episcopi in « solâ electione consistit, et consecratione, si tamen « illam electio rècta præcesserit. Hæc autem priùs per « semetipsum fecit Christus, deinde verò vicarii ejus. « Et in Apostolis quidem à Christo facta sunt, quo « niam ab ipso electi et consecrati fuerunt; in aliis

« verò omnibus à nullis aliis fieri licet, nisi à vicariis « Christi. Sunt autem vicarii Christi clerici in cle- « ctione; episcopi in consecratione; cæteri omnes « petere quidem episcopum possunt; eligere verò vel « consecrare non possunt. Quicumque igitur alio « modo, quasi sub nomine Pontificis, Ecclesiam vel « potestatem ecclesiasticam sibi vindicare præsumit, « hic jam non per ostium intrat, sed aliundè ascen- « dit; ut meritò non inter episcopos computetur, sed « inter fures et latrones connumeretur. Investituram, « quam de manu laici accepistis per pastoralem vir- « gam silere non debeo, nec loqui sine dolore, quod « ad majorem injuriam sanctæ Ecclesiæ in occulto « factum non fuit, sed publicè. Qui autem cognoscere « voluerit, quid catholica et apostolica Ecclesia de in- « vestiturâ senserit, quid docuerit, quid judicaverit, « quid constituerit, legat in primo capitulo illius con- « cilii, quod tempore Gregorii VII papæ factum est, et « ibi omnes clericos qui de manu laici investituram « accipiunt, hæreticos vocatos, et ideò damnatos esse « et excommunicatos inveniet. » Memoria fefellit Gof- fridum Vindocinensem. In synodorum enim à Grego- rio VII celebratarum decretis eos qui investituras de manu laicâ susciperent, excommunicatos legimus; hæreticos verò appellatos non legimus.

Pergit ille : « Licèt enim alia hæresis de investiturâ « dicatur, alia simoniaca; ista tamen quæ de investi- « turâ dicitur, contra sanctam Ecclesiam fortiùs jacu- « latur. Ibi enim inprimis omnis ecclesiasticus ordo « confunditur, quandò hoc quod unicuique à suo con- « secratore in Ecclesiâ cum orationibus, quæ ibi con- « veniunt, dari debet, à seculi potestate priùs accipi- « tur. Quod S. Apostoli non solùm interdixerunt; « verùm etiam omnes illos qui per secularem potesta- « tem ecclesiam obtinent, à Christo sibi traditâ pote- « state damnaverunt. Et meritò Apostoli judicio Spi- « ritûs sancti hanc hæresim in Ecclesiæ principio « damnare decreverunt, quam longo post tempore ex « patre diabolo nascituram esse præviderunt. » Spe- ciat canonem 31 ex iis qui Apostolis sunt adscripti.

« Cùm igitur laico investitura et omnis disponenda- « rum ecclesiasticarum rerum facultas à Spiritu S., « qui in Apostolis loquebatur, negata sit penitùs et « interdicta; qui investituram à laico suscipit, non « jam contra Apostolos tantùm, imò contra Dominum « Apostolorum, quod sanctum est, canibus exponit. « Investitura enim de quâ loquimur, sacramentum « est, id est, sacrum signum, quo princeps Ecclesiæ, « episcopus scilicet, à cæteris hominibus secernitur « pariter atque dignoscitur, et quo supra christianum « gregem cura pastoralis ei tribuitur. Hanc investitu- « ram ab illo solo suscipere debet, à quo et consecra- « tionem habet. Illum siquidem priùs oportet conse- « crari; deindè verò tanquàm ducem Ecclesiæ sacris « insignibus decorari. Si quis autem cuilibet seculari « potestati ista decere putat, errat. Quòd si defendere « nititur, Apostolorum doctrinam, et sancti Spiritûs « sensum annullare desiderat, undè hæreticus esse « nullatenùs dubitatur. Hæc propterea hæresis de in- « vestiturâ, si rectè perspiciatur, etiam hæresis simo- « niaca esse vivâ et verâ ratione probatur. Nam quæ « secularis potestas sibi vindicare nititur investitu- « ram, nisi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, « quod est gravius, sibi inordinatè subjectam efficiat « pontificis personam? ... Hâc utique non tam humanâ « quàm diabolicâ malignitate Ecclesia catholica fidem, « libertatem et castitatem amittit, sine quibus nullâ « ratione subsistit. »

IX. Goffridum Vindocinensem, et alios, investitura hæreseos nomine damnantes, non solùm refellunt momenta gravissima superiùs prolata, sed illud maximè, quòd concilia hâc in causâ celebrata, et summi Pontifices Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Pa- schalis II, et Callixtus II, qui illas damnavêre, nus- quàm earum defensoribus hæreseos notam inusserint. Quod ex eorum decretis ac sententiis hâc in dis- sertatione laudatis compertum est. Quamobrem au- licorum Henrici imperatoris temeraria verba et petulantes disputationes occasionem multis dedisse investituras hæreseos nomine sugillandi, colligitur ex Laurentio de Leodio, in historiâ episcoporum Vir- dunensium, tomo 12, Spicilegii Dacheriani, ubi Ri- chardum episcopum commemorat, privilegium de in- vestituris, quod à Paschali II extorserat Henricus imperator, ad monasterium S. Vitoni (S. Venne de Verdun O. B.) detulisse, accersitis monachis legisse, ipsisque tribulationes et exilia, quæ pro Ecclesiæ causâ passi fuerant, insultando exprobrâsse. Tum subdit historicus : « quosdam comites ejus os suum in cœ- « lum elevâsse, grandia de rege disputâsse, cum re- « gem pariter et summum sacerdotem, quod nec apud « ullos hæreticos dictum invenitur, prædicâsse; ejus « juris esse ut præsules faciat, vel deponat, dialecti- « câsse. » Quin similia anteà effutierint aulici quidam non dubito : et hujusmodi hominum temerarios ser- mones fuisse in causâ cur hæreseos infame nomen in- vestituris à plerisque tribueretur, conjicio; quamvis Henricus ipse imperator, *non Ecclesiæ jura, non officia quælibet, sed regalia sola* se dare assereret, ut ex Pe- tro Diacono superiùs observavi.

SCHOLION PRIMUM.

In hoc articulo, pag. 564 editionis primæ, hanc propositionem notant religiosi censores; *in concilio protestantur episcopi se recessuros ab obedientiâ Papæ, nisi damnet investituras.*

R. Loquor eo loci de episcopis in concilio Vien- nensi, cui præerat Guido archiepiscopus et Sedis Apostolicæ legatus in causâ investiturarum congrega- tis. Quid gesserunt, quid decreverunt, quid minati sunt refero. Quod autem notant religiosi censores non simpliciter à me refertur (quod mihi tamen vitio verti non deberet, cùm sit mera facti quæstio) seu vehe- menter improbatur his verbis : *Secundò*, inquam, *in eo peccârunt, quòd Romano Pontifici minas intentârint, se ab ejus obedientiâ recessuros, nisi synodi statuta con- firmaret; quod pessimi sanè exempli est.*

SCHOLION II.

In eodem articulo, pag. 565 editionis primæ, reli

giosi censores hanc propositionem notant : « Quan-
« quàm Papa erraverit in regimine, excusandus
« tamen, quòd coactus privilegium Ecclesiæ noxium
« concesserit; ac verenda Patris velanda : compatien-
« dum capiti infirmitate laboranti. »

R. Yvonis Carnotensis episcopi sententiam de privilegio, à Paschali II concesso imperatori in causâ investiturarum, eò loci refero, ejusdemque Yvonis sancti et juris canonici peritissimi præsulis verba summâ fide describo, de meo nihil addens. Non mea igitur, sed S. Yvonis Carnotensis verba reprehendant RR. censores.

SCHOLION III

In eodem articulo, pag. 567 edit. primæ, religiosi censores hanc propositionem notant : « Acta concilii
« Viennensis approbavit Papa; non tamen credendum
« est ea approbâsse pro eâ parte quâ dicit investitu-
« ras esse hæresim. »

R. Id ex Romanæ synodi Actis, quam anno 1216 celebravit Paschalis II, de quo sermo est, luculenter probo et hìc et art. 13, pag. 590, ejusdem editionis. Nullus alius melior interpres pontificiæ mentis quàm Pontifex ipse. Sed et Yvo Carnotensis investituras hæresim non esse propugnavit, idemque cum eo senserunt Senonensis provinciæ episcopi, quorum nomine scripsit ille synodicam epistolam eâ in causâ ad Joannem Lugdunensem archiepiscopum. Cæterùm hæc mera facti et historiæ quæstio.

SCHOLION IV.

In eodem articulo, pag. 568 edit. primæ, religiosi censores hanc propositionem velut meam notant : « Investituras tanquàm hæresim damnare, idem est
« ac declarare Papam hæreticum. »

R. Hæc propositio ibi non legitur, sed hæc tantùm Yvonis Carnotensis verba, ex quibus illam fabricari se posse existimârunt religiosi censores : « Quia in hoc
« concilio de investituris laicorum, quas quidem inter
« hæreses computant, tractare disponitis, potiùs pu-
« denda patris vestri nudabitis, quam post dorsum ea
« velando benedictionem paternam vobis acquiratis.
« Quod enim propter vitandam populi stragem paternè
« in se admisit summus Pontifex, coegit necessitas,
« non approbavit voluntas. » Hæc Yvo Carnotensis.

SCHOLION V.

Ad eumdem locum hanc notam apponunt religiosi censores : *Exempla plura affert pontificum et sanctorum qui erraverunt.*

R. Illa non affero, sed Yvo Carnotensis, cujus epistolæ in causâ investiturarum ad Joannem Lugdunensem archiepiscopum scriptæ suo et comprovincialium provinciæ Senonensis nomine, summam exhibeo per modum historiæ. An Yvonem Carnotensem censorià animadversione dignum putant, quòd Moysis, Aaronis et S. Petri peccata commemoraverit, quæ et Spiritus sanctus commemorari voluit in Scripturâ sacrâ? De Pontificum erroribus eò loci nulla mentio. Marcellini duntaxat thurificationem Yvo Carnotensis obiter commemorat, quod ex apocryphis Actis illum sumpsisse observo ad marginem.

SCHOLION VI.

In eodem articulo, pag. 572 edit. primæ, religiosi censores hanc propositionem notant : « Papa non est
« prævaricatus, quanquàm fecerit contra decreta ante-
« cessorum, quia studiosè non fecit, sed subreptione
« fallente, vel necessitate cogente. »

R. Paschalis II, qui Henrico imperatori investituras concesserat, factum sic excusant Yvo Carnotensis et cæteri provinciæ Senonensis episcopi. *Non enim*, inquiunt, *prævaricator est legis, qui delinquit in lege, aliquâ fallente subreptione, vel impellente necessitate, sed qui legem impugnat studiosè, et delictum suum non curat agnoscere.* Hæc illi.

ARTICULUS XIII.

Privilegium investiturarum a se Henrico imperatori concessum rescidit Paschalis II, damnavitque ceu privilegium contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem indultum, in duabus synodis Romæ celebratis, annis 1112 et 1116, et insigne magnanimæ humilitatis exemplum successoribus omnibusque episcopis dedit.

Cùm Paschalis II nobilissima Ecclesiæ membra adversùm se commota cerneret ob privilegium investiturarum Henrico imperatori concessum, et ab omnibus ecclesiasticæ libertatis studiosis urgeretur ut illud revocaret, concilium in basilicam Lateranensem congregavit anno Domini 1112, quinto kalendas aprilis, in quo seipsum accusavit, factumque suum fratrum consilio ac judicio corrigendum subdidit. « Scriptum
« illud, inquit, quod magnis necessitatibus coactus,
« non pro vitâ meâ, non pro salute aut glorià, sed pro
« solis Ecclesiæ necessitatibus, sine fratrum consilio
« aut subscriptionibus feci, super quo nullâ conditione,
« nullâ promissione constringimur, sicut pravè factum
« cognosco, ita pravè factum confiteor, et omninò
« corrigi, Deo præstante, desidero; cujus correctio-
« nis modum fratrum qui convenerunt consilio judi-
« cioque constituto, ne fortè per hoc in posterum
« detrimentum aliquod Ecclesiæ aut animæ meæ præ-
« judicium relinquatur. Tunc communi omnium fa-
« vore laudatum est, ut fratres omnes qui donum à
« Deo sapientiæ scientiæque perceperant, maturius
« super hoc consilium communi collatione susciperent,
« quid sequenti die per inspirationem Spiritûs sancti
« responderent. »

Ultimâ die concilii, professionem fidei coram Patribus edidit sub hâc formulâ : « Amplector omnem di-
« vinam Scripturam, scilicet veteris et novi Testa-
« menti, legem à Moyse scriptam, et à sanctis prophe-
« tis. Amplector quatuor Evangelia, septem canoni-
« cas Epistolas, Epistolas gloriosi doctoris B. Pauli
« Apostoli, sanctos canones Apostolorum, quatuor
« universalia concilia, sicut quatuor Evangelia, Nicæ-
« num, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedo-
« nense et Antiochenum concilium, et decreta sancto-
« rum Patrum, Romanorum pontificum, et præcipuè
« decreta domini mei Papæ Gregorii VII, et beatæ
« memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt, laudo;
« quæ ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt

« confirmo; quæ damnaverunt, damno; quæ repule-
« runt, repello; quæ interdixerunt, interdico; quæ
« prohibuerunt, prohibeo in omnibus et per omnia,
« et in iis semper perseverabo. »

Tum Girardus Engolismensis episcopus, Sedis Apostolicæ per Aquitaniam legatus, summi Pontificis totiusque concilii assensu, hanc sententiam promulgavit: « Privilegium illud, quod non est privilegium, neque verò debet dici privilegium, pro « liberatione captivorum et Ecclesiæ à domino Paschale Papâ per violentiam regis Henrici extortum, nos omnes in hoc sancto concilio cum domino « Papâ congregati, canonicâ censurâ, et ecclesiasticâ « auctoritate judicio sancti Spiritûs damnamus, et « irritum esse judicamus, atque omninò cassamus, et « ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat penitùs « excommunicamus. Et hoc ideò damnatum est, quòd « in eo privilegio continetur quòd electus canonicè à « clero et populo, à nemine consecretur, nisi priùs « à rege investiatur. Quod est contra Spiritum sanctum, et canonicam institutionem. » Perlectâ verò hâc sententiâ, ab universo concilio acclamatum est: *Amen, amen, fiat, fiat.* Ista constant ex Actis synodi relatis à Willelmo Malmesburiensi, lib. 5, de Gestis regum Anglorum, pag. 168, et à Conrado Urspergensi abbate in Chronico ad annum 1112. Ejusdem concilii historiam pressiùs describit Petrus Diaconus in Chronico Caffinensi, lib. 4, cap. 47. Eamdem quoque metro persequitur Gotfridus Viterbiensis Chronici parte 17, pag. 507 et 508, narratque Pontificem insignia deposuisse, judicio synodi se subjecisse, et ad pontificatum abdicandum paratum fuisse, ut Ecclesiæ, cujus de libertate violatâ incusabatur, satisfaceret:

Tunc ait, ô Patres, à Cæsare scripta notate,
Et quodcumque placet, super his decreta parate;
Me quoque Pontificem non fore, jussa date.
Peccatis mala vestra meis venisse notavi
Officiis me destitui dignum reputavi;
Me quoque deposui ne pereatis, ait.
Hæc ait, et Mitram rejicit, mantumque reliquit:
Ordinet Ecclesia sine me quidquid placet, inquit:
Moreque Pontificis judicet ipsa sibi.

De eâdem synodo, et Paschalis II, Pœnitentiâ audiendus Sugerius abbas in Vitâ Ludovici Grossi Francorum regis, cap. 9: « Aliud etiam, inquit, de manu « domini Papæ, ut deinceps investiret, surreptitium « privilegium extorsit (Henricus imperator) quod « idem dominus Papa in magno concilio trecentorum « et eo ampliùs episcoporum, judicio Ecclesiæ, nobis « audientibus conquassavit, et perenni anathemate irritum reduxit. Verùm si quærit quis quare Dominus « ita tepidè fecerit, noverit quia Ecclesia, percusso « Pastore et collateralibus, languebat, et penè eam « tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, « tanquàm propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quòd cùm fratres Ecclesiæ columnas ad tuitionem et Ecclesiæ reparationem quomodocumque solvi fecisset, pacemque Ecclesiæ « qualemcumque reformâsset; ad eremum solitudinis « confugit, moramque ibidem perpetuam fecisset, si « universalis Ecclesiæ et Romanorum violentia coactum non reduxisset. Verùm Dominus Jesus Christus redemptor et defensor Ecclesiæ suæ, nec eam « diutiùs conculcari, nec imperatorem impunè ferre « sustinuit. Qui etenim nec tenti nec fide obligati « fuerant, causam Ecclesiæ fluctuantis suscipientes « Domini designati Ludovici suffragio et consilio, in « Gallicanâ celebri concilio collectâ Ecclesiâ, imperatorem tyrannum anathemate innodantes, mucrone « B. Petri perfoderunt. » De concilio Viennensi loquitur, de quo paragrapho superiori diximus. »

Pontificiæ potestatis plenitudinem Paschalis II, non objecit, ἀπτωσίαν sibi uni non tribuit, errorem confessus est quòd à synodorum et antecessorum suorum decretis defecisset. « Intellexit namque prudentissimus et humillimus Pontifex, non in destructionem « paternorum canonum primam et maximam se accepisse à Christo potestatem; neque adversùs veritatem, sed pro veritate plus cæteris consacerdotibus « posse; » ut ait Facundus Hermianensis episcopus. Attendit ad sententiam Innocentii I, in Epistolâ ad clericum Constantinopolitanum scribentis: « Longè « præstiterit vel ea condemnare quæ rectè facta sunt, « quàm ea robur ullum sortiri, quæ adversùs canones « gesta sunt. » Attendit ad sententiam Zozimi epistolâ 6, ad Aurelianum scribentis: « Cùm adversùs Patrum « statuta venitur, non tantùm illorum prudentiæ atque sententiæ, qui in ævum victura sanxerunt, sed « ipsi quodammodò fidei et catholicæ disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est quàm penitùs non exorbitare ab itinere « majorum quorum canonica instituta velut quædam « fundamenta sunt, ferendis fidei jacta ponderibus? » Attendit ad sententiam Bonifacii II, epistolâ 3, scribentis: « Convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. » Attendit ad sententiam S. Leonis Magni ad Marcianum Augustum scribentis: « Privilegia Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicænæ synodi fixa decretis, nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, « fideliter exequendo, necesse est me perseverantem « exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi crédita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum « regulæ sanctionum, me, quod absit, connivente violentur. » Et epistolâ 78 (sive 132, editionis Quenellii) ad Leonem Augustum: « Secundùm Apostolum, « si quæ destruxi, hæc ædifico, prævaricatorem me « constituo, et eis me ultionum conditionibus subdo, « quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ principis Marciani, sed etiam ego meâ consensione firmavi... » Attendit ad sententiam Hilarii Papæ epistola 4, ad quosdam episcopos Gallicanos scribentis: « Nihil adversùm venerandos canones, nihil contra « sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat, « quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus « namque Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt « servanda, confundi; quia per hoc non minùs in

« sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm « in injuriam ipsius Domini prosilitur. » Attendit ad sententiam Gelasii I ad episcopos Lucaniæ scribentis : « Cùm nobis contra salutarium reverentiam regu- « larum cupiamus temerè nihil licere, » etc. Et Epistolâ ad episcopos Dardaniæ : « Confidimus quòd « nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscu- « jusque synodi constitutum, quod universalis Eccle- « siæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem « præ cæteris oportere quàm primam, quæ unam- « quamque synodum et suâ auctoritate confirmat, et « continuatâ moderatione custodit. » Attendit ad sententiam Symmachi Papæ ad Æonium Arelatensem episcopum scribentis : « Dùm ad Trinitatis instar, « cui una est et individua potestas, unum sit per diver- « sos antistites sacerdotium; quomodò priorum sta- « tuta à sequentibus convenit violari? Hùc accedit, « quòd si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam « sacrosanctam credimus religionem pertinere; cu- « jus omnis potestas infringitur, nisi universa quæ à « Domini sacerdotibus semel statuuntur, perpetua « sint. Quod aliàs contingere poterit, si successor « decessoris actibus non tribuerit infirmitatem, et « roborando quæ gesta sunt, faciat rata quæ gesserit. « Quanta enim vicariis B. Petri judicabitur reveren- « tia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, iis transeun- « tibus dissolvantur? » Attendit ad sententiam S. Gregorii Magni, lib. 5, epistolâ 12, scribentis : « Justitiæ « ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus « desiderant mandata servari, decessoris sui procul- « dubio voluntatem et statuta custodiant. » Attendit ad solemnem professionem Romanorum pontificum, ante ipsorum inaugurationem olim edi solitam, quâ promittebant : « Diligentiùs et vivaciùs omnia decreta « prædecessorum Apostolicorum pontificum, quæque « synodaliter statuerunt, et probata sunt, confirmare, « et indiminutè servare, et sicut ab eis statuta sunt, « in suî vigoris stabilitate custodire. Disciplinam et « ritum Ecclesiæ à sanctis prædecessoribus traditum, « illibatum custodire. » Sic habet Liber Diurnus Romanorum Pontificum. Hæc animo recolens Paschalis II, se peccâsse fassus est, privilegium de investituris, contra conciliorum et prædecessorum suorum decreta, imperatori concedendo; Ecclesiæ satisfecit; synodi judicio insigni humilitatis exemplo se subjecit, S. Petrum imitatus, qui S. Pauli reprehensionem haud molestè tulit, *quatenùs qui primus erat in apostolatûs culmine, esset et primus in humilitate; et omnia dona quæ acceperat, quasi a memoriâ repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret.* Verba sunt S. Gregorii Magni, homiliâ 18 in Ezechielem.

Idem privilegium Henrico imperatori concessum rursùs damnavit Paschalis II, in alterâ synodo Lateranensi anno 1117 : « Postquàm, inquit, Dominus de « servo suo fecit quod voluit, et me populumque Ro- « manum tradidit in manus regis, videbam quotidiè « passim fieri rapinas et incendia, cædes et adulteria. « Hæc et ejusmodi mala cupiebam avertere ab Eccle- « siâ et populo Dei; et quod feci, pro liberatione po- « puli Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis sum « et cinis. Fateor me malè egisse, sed rogo vos omnes, « orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem « malum scriptum, quod in tentoriis factum est, quod « pro pravitate suî privilegium dicitur, condemno « sub perpetuo anathemate, ut nullius unquàm sit « bonæ memoriæ, et rogo vos omnes ut idem facia- « tis. Tunc ab universis acclamatum est : *Fiat, fiat.* »

Bruno Signinus episcopus zelum ac lætitiam continere non valens, has in voces erupit : *Gratias agamus omnipotenti Deo, qui dominum papam Paschalem qui præsenti concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem et hæresim continebat.* Contentioni locum dedit illa hæreseos accusatio. Quidam enim cavillatoriè subjunxit : *Si privilegium illud hæresim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit.* Id impatienter ferens Joannes Cajetanus episcopus, Signino respondit : *Tunc hùc et in concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum? Scriptum quod fecit dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit.* Adjecit alter : *Imò nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei bonum est, quod dominus Papa fecit, bonum fuit.* Ferventem contentionem indicto silentio ægrè sedavit Paschalis, dixitque : *Fratres et domini mei, audite : Ecclesia ista nunquàm habuit hæresim, imò hùc omnes hæreses conatus sunt... Pro hâc Ecclesiâ Filius Dei in passione suâ oravit, cùm dixit :* « *Ego pro te rogavi, Petre, ut non* « *deficiat fides tua.* »

Alterâ sessione Pontifex in communem Ecclesiæ causam incumbens, supremam bonorum ecclesiasticorum dispensationem et auctoritatem ipsa quibus vellet ministris suis conferendi, Ecclesiæ asseruit, ac Gregorii VII sententiam contra investituras confirmavit : « Ecclesia primitiva, inquit, martyrum tempore floruit « apud Deum, et non apud homines. Dein ad fidem « conversi sunt reges, imperatores, Romani principes, « qui matrem suam Ecclesiam sicut boni filii honesta- « verunt, conferendo Ecclesiæ Dei prædia et allodia, « seculares honores et dignitates, regalia quoque jura « et insignia, quemadmodùm Constantinus cæterique « fideles : et cœpit Ecclesia florere tam apud homines, « quàm apud Deum. Habeat ergo mater et domina « nostra Ecclesia sibi à regibus sive principibus col- « lata; dispenset et tribuat ea filiis suis, sicut s cit e « sicut vult. » Ita refert abbas Urspergensis, subditque : « Privilegium investituræ, quod in tentoriis con- « cessisse videbatur, obliterare volens, iterans senten- « tiam Papæ Gregorii VII, investituram ecclesiastica- « rum rerum à laicâ manu rursùs excommunicavit « sub anathemate dantis et accipientis. » Tandem confirmavit quidquid Conon Prænestinus episcopus, et Guido archiepiscopus Viennensis, Sedis Apostolicæ legati, ejusdem Sedis auctoritate, in causâ investiturarum, et Henrici Imperatoris, in suis synodis decreverant. Ista constant ex Actis ab Urspergensi abbate descriptis in Chronico ad annum 1116.

scholion primum.

In hoc articulo, pag. 583 edit. primæ, hanc propo-

sitionem notant religiosi censores : *Papa se accusat coram concilio, et se corrigendum subdit.*

R. Mera facta quæstio est. Facti porrò istius veritatem probant Acta concilii Lateranensis ab ipso Paschali II, in causâ investiturarum congregati anno Christi 1112, aliaque historiæ monumenta à me prolata. Nihil ex cerebro meo finxi, sed quod gestum est, ex probatis Actis, et fide dignis auctoribus commemoravi.

SCHOLION II

In eodem articulo, pag. 586 edit. primæ, hæc reprehendunt religiosi censores : *Pontificiæ auctoritatis plenitudinem Paschalis non objecit, ἀπτωσίαν sibi uni non tribuit; errorem confessus est, quod à synodorum et antecessorum suorum Decretis defecisset.* « Refert « Alexander decreta canonum, inquiunt, ex quibus « sequi videtur decreta pontificum contra canones « nulla esse. »

R. Hæc rursùs mera facti quæstio. Quid senserit ac gesserit Paschalis II, commemoro; quid ipsum movere potuerit ut ita sentiret, atque ita se gereret expono. Nihil inde colligo quod pontificiæ potestatis plenitudinem, id est, summam auctoritatem S. Petro et ejus successoribus, à Christo datam, nihil quod vim pontificiorum decretorum labefactet; sed Paschalis II, summam humilitatem commendo. *Hæc*, inquam, *animo recolens Paschalis II se peccâsse fassus est, privilegium de investituris contra conciliorum et prædecessorum suorum decreta imperatori concedendo : Ecclesiæ satisfecit, synodi judicio insigni humilitatis exemplo se subjecit, S. Petrum imitatus, qui S. Pauli reprehensionem haud molestè tulit.* QUATENUS QUI PRIMUS ERAT IN APOSTOLATUS CULMINE, ESSET ET PRIMUS IN HUMILITATE. De honore et obedientiâ sanctæ Sedi Apostolicæ, et in eâ sedenti summo Pontifici debitis, ne levissimum quid detrahi velim.

NOTA.

Quamvis Paschalis in concilio à se convocato rei formam quodammodò assumpserit, quia Henrico imperatori investiturarum privilegium concesserat, non defuerunt tamen qui tunc etiam ab omni culpâ illum vindicaverint. Primò igitur in eodem privilegio electionum libertatem sartam tectamque esse decrevit, omnemque ab eis simoniam eliminando solius assensûs regii necessitatem indulsit; cum his verò conditionibus alii etiam sanctissimi imperatores investiturarum jure fruiti erant. Quod deinde præstitit Paschalis non ob criminabilem indulgentiam factum unusquisque agnoscet, si observet, quòd si prudenti dispensatione ab iis quæ statuerunt sui prædecessores, non recessisset, non solùm contra se irreligiosi imperatoris iram concitâsset, sed etiam ipsam Ecclesiam in diræ persecutionis ac irreparabilis dissensionis discrimen redegisset. Quot verò suppetunt in ecclesiasticâ historiâ monumenta, quibus cognoscimus non semel ex prudentiæ et charitatis legibus canonum observantiam fuisse dimittendam? Potuit proinde, imò debuit Paschalis absque eo quod violatorum canonum reus haberetur, in illacrymandis illis circumstantiis, in quibus ipse et Ecclesia universa tunc versabatur, canonum observantiam dispensare. Ut quid ergo necesse erat tot canones seu monita suorum prædecessorum, quæ recenset Natalis, præ oculis habere, ex quibus patrati delicti gravitatem mensuraret, cùm et ipsi canones ipsorum rigorem relaxandum præciperent, quoties ipsorum observantia in perniciem potiùs Ecclesiæ deserviret? Si proinde supra cæteros decet Romanum Pontificem sacros Canones inviolatos servare, debuit Paschalis ab ipsorum rigore recedere, ne ingruentium gravissimorum malorum auctor haberetur. Cæterùm si conveniens est Ecclesiæ regulas Romanum Pontificem inspicere, non ita præstare tenetur quia superiore conditæ sint potestate, nam minimè id concedendum sæpè observatum est; sed quia quid ad spirituale gubernium conducat, ostendunt.

Quod si nihilominùs Paschalis rei potiùs personam induit, id ipsius humilitati tribuendum, quo etiam cum suî demissione exorta in Ecclesiâ dissidia non erubuit removere. Voluit etiam ad aliorum scandalum eliminandum quod coactus fecerat rescindere; et quamvis episcoporum judicio non subditus, ut observavit Yvo aliique præsules, quos refert Natalis articulo 12, in concilio proponere non abstinuit quod emendandum judicavit.

ARTICULUS XIV.

Ecclesiæ decreta contra investituras laicæ potestates fu catâ obedientiâ, imò fraude eludere quibusdam in locis conatæ sunt, baculum quidem pastoralem et annulum electis prælatis non tradentes, sed prohibentes, ne illa ex altari reciperent, nisi ab ipsis ritu solemni eò ducerentur.

Hanc laicorum fraudem ex chartâ veteri cœnobii sancti Michaelis ad Mosam anno 1117 scriptâ discimus, quæ inscribitur *Notitia de libertate baculi pastoralis in eodem cœnobio*, editâ à dom. Mabillonio viro eruditissimo odoris boni lib. 6, de Re diplomaticâ, cap. 165, cujus verba historiam istam illustrantia subjicere malim, quam verbis ipse meis rei gestæ seriem exponere. « In nomine sanctæ Trinitatis et indi- « viduæ Unitatis. Deducente nos omnium bonorum « deductore Spiritu sancto, exultationem nostram « Fratribus nostris in hanc Ecclesiam nobis succes- « suris insinuemus, ut et ipsi scilicet habeant unde « nobiscum exultent, et sibi caveant, reducto con- « suetudinis illicitæ jugo, seipsos pariter et fratres « sibi successuros, unde nos exultemus, contristent. « Igitur in hâc Ecclesiâ, sicut et in cæteris, in qui- « bus secularis dignitas suam exercere nititur pote- « statem, mos antiquus obtinuerat, ut quoties abbas « moreretur, alter in loco illius, nisi baculum de « manu advocati Ecclesiæ susciperet, nullatenùs « substitueretur. Hæc illicita consuetudo adeò inoleve- « rat, ut quidam abbas nomine Sigifridus, quamvis cæ- « teris quos memoria nostra sibi revocare potuit reli- « giosior, tamen de manu feminæ, videlicet vene- « rabilis comitissæ Sophiæ suscepisset. Qui tandem ad « se reversus, et meliùs sacrorum canonum institu- « tionibus informatus, Romam pœnitentiâ ductus pe-

« tiit, baculum beatæ memoriæ Gregorio VII, qui et « Hildebrannus, crimen suum confitens reddidit. « Quem tamen, cogente vix apostolico, quia ejusdem « viri religio ad notitiam ejus pervenerat, iterùm re- « cepit; et sic abbas laudabilis vitæ usque in finem « perseveravit. Sed venerabilis prædicta comitissa « audiens se contemptam, se despectam vehementer « super hoc gratulatur; ac deinceps in dilectione viri « religiosi plurimùm pro tali contemptu charitatis « vinculi adstringebatur. Sed et ipsa hoc exemplo se « peccâsse cognoscens, Romam perrexit, atque eidem « Apostolico reatum suum confitens absoluta repa- « triavit. Ista autem membris corporis exuta, ingens « altercatio inter comitem Theodoricum, prædictæ « Sophiæ filium, et monachos exoritur, dùm hic sci- « licet, juxta consuetudinem dignitatis prædecesso- « rum suorum, abbatem substituere nitebatur. Mona- « chi autem sacrorum canonum decretis, quibus jam « per prædictum abbatem edocti fuerant, obviare re- « verebantur. Sed utrarumque partium mediatoribus « hanc litem sedare concupientibus, visum est ut ba- « culus super altare à comite Theodorico poneretur, « et abbas ejus conductu ad eum suscipiendum addu- « ceretur; satis in hoc decepti, ut quasi sic suam co- « mes non amitteret dignitatem, nec monachi suam « viderentur violare religionem; cùm sacri canones « manum rariùs nominent, quando Catholicis prohi- « bent accedere ad Ecclesias per secularem potesta- « tem : et frequentiùs præcipiant eorum omninò vitare « in conductu dignitatem. Tali ergo deceptus errore « abbas Ornatus, necnon abbas Ulricus, baculum « uterque super altare advocati conductu suscepit, et « hæc illicita nec memoriæ digna conditio in hâc « sancti Michaelis ecclesiâ usque ad electionem do- « mini abbatis Lanzonis perseveravit. Igitur prædicto « abbate Ulrico carnis claustra egresso, quidam Fra- « trum spiritu ferventes, atque sacrorum canonum « studiosi servatores, hujus miserandæ conditionis « pestem diù in Ecclesiâ lactatam, diù nutritam, diù « roboratam, vehementer ingemuerunt : atque as- « sumpto fidei clypeo, adversùs eam pro posse decer- « tare scipsos et universam Ecclesiam excitaverunt; « sic scilicet, ut priusquàm advocatus occurreret, « abbatem sibi Lanzonem nomine perficerent, et ad « altare, absque ullo laicali conductu, ad baculum « suscipiendum deducerent, et soli, sine seculari di- « gnitate, in sede collocarent. Sed his ita gestis, aures « universorum qui antiquæ consuetudinis Ecclesiæ et « advocatorum notitiam habuerant, quasi re inauditâ « concutiuntur, corda omnium in stuporem vertuntur. « Monachi hoc præsumpsisse ausi, nimiâ insipientiâ « et etiam insolentiâ notantur. Comes etiam Raynal- « dus, prædicti comitis Theodorici filius, tunc tempo- « ris Ecclesiæ advocatus, hoc audito furore commotus « cum principibus regionis ad Ecclesiam venit, qui « monachos dignitatem suam injustè sibi substraxisse « satis indignando conquerebatur. Quod nisi celeriter « corrigeretur, sic scilicet ut abbas de se egrederetur : « multis assertionibus affirmabat quòd Ecclesiam op- « pressionibus quibus posset, persequeretur. Sed ta- « men eo virorum prudentium consilio mitigato, dies « determinatur, in quo jus suum antiquum omnibus « convenientibus recitaret, et injuriam quam à mona- « chis perpessus fuerat, revelaret. Interim ab utràque « parte consilium requiritur Episcoporum. Die deter- « minato fit conventus abbatum, monachorum, cleri- « corum, laicorum. Res utriusque partis in Judicio « ponitur; sed monachi nihil superbè, nihil insolenter, « sed religiosè, sed prudenter fecisse quod fecerant, « inveniuntur : auctoritas enim sacrorum canonum in « medio deducitur, quæ sub anathemate prohibet, ne « quis per secularem dignitatem curam pastoralem ag- « grediatur. Sic enim in Canone Apostolorum reperitur. « *Si quis secularibus potestatibus usus, Ecclesiam per* « *ipsas obtineat, deponatur et abjiciatur; omnesque qui* « *illi communicant.* Item ex Antioch. concilio : *Si quis* « *per secularem dignitatem Ecclesiam Domini obtinue-* « *rit, abjiciatur et ipse et ordinator ejus, et modis om-* « *nibus à Communione separentur, et sint sub anathe-* « *mate : sicut Simon Magus à Petro.* Item ex synodo « à 240 Patribus habitâ sub Nicolao I Pontifice : « *Quisquis secularium Principum aut potentum, aut* « *alterius laicæ dignitatis, adversùs communem et con-* « *sonantem atque canonicam electionem ecclesiastici or-* « *dinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat* « *atque consentiat quod Ecclesia de electione et ordina-* « *tione proprii Pastoris se velle monstravit.* His atque « plurimis aliis testimoniis, quæ prolixitas adhibere « prohibet, atque virorum religiosorum consiliis, co- « mes Raynaldus non tantùm monachorum sed et « suum periculum discens, si quod jus circa pastoralem « curam retentaret, indignationem tandem flexit; et « quoniam non malitiosè, sed pro suâ religione mona- « chos certâsse cognovit, jus illud antiquum, quod à « progenitoribus suis retinere quærebat, inspirante « sibi Spiritu sancto renuntiavit.... Sit igitur dein- « ceps cautela fratrum religiosorum, ut quoties abbas « eligendus fuerit, sine seculari pompâ, sine conventu « omninò laicorum, clericorum, soli Capitulum ha- « beant, soli Patrem sibi cum timore Dei eligant « electum soli ad altare, ad suscipiendum baculum « deductum constituant, constituto obedientiam pro- « mittant. His expletis abbas ad publicum exeat, « fidelitates suas juxta consuetudinem, à quibus de- « bet, suscipiat. Quòd si comes in villâ fuerit, vel « cùm advenerit, duo de fratribus, vel tres ad eum « pergant, ut quem soli abbatem constituerint, ei no- « minent, omninò nihil aliud dicentes : Illud Domi- « num nobis constituimus abbatem, precamur sicut « advocatum Ecclesiæ, ut eum diligatis, et consilium « ei detis, et in necessitatibus suis obveniatis. Si au- « tem obliti suæ religionis aliter egerint, unde jugum « antiquitatis execrandæ super se vel super posteros « revocent, vinculis anathematis sacrorum concilio- « rum, quæ ut Evangelia sunt veneranda, sese ad- « strictos non ignorent. »

Articulus XV.

Gelasius II controversiam investiturarum componere noluit aut Henricum imperatorem ab anathemate absolvere, absque judicio synodi.

Audito Paschalis II obitu, statim Romam advolavit Henricus imperator : Gelasium II qui ipsi successerat, ex Urbe egredi compulit : et pacem ab ipso minis et terroribus extorquere conatus est, extrema quæque intentans, nisi pacis securitatem daret, ac juramento firmaret. Respondit Pontifex magnanimus : « De con-« troversiâ quæ inter Ecclesiam et regnum est, vel « conventioni, vel justitiæ libenter acquiescimus, loco « et tempore competenti, videlicet Mediolani, vel « Cremonæ, in proximâ beati Lucæ festivitate, fratrum « nostrorum judicio, qui à Deo sunt judices constituti « in Ecclesiâ, et sine quibus hæc causa tractari non « potest. Et quoniam Dominus imperator à nobis se-« curitatem quærit ; Nos verbo et scripto eam promit-« timus, nisi ipse eam interim impediat. Aliàs enim « securitatem facere, nec honestas Ecclesiæ, nec con-« suetudo est. » Id constat ex Epistolâ Gelasii II ad Gallos. Quâ in Epistolâ insigne monumentum habemus ad probandum episcopos jure divino in conciliis sedere judices causarum ecclesiasticarum : *Fratrum nostrorum judicio*, inquit, *qui à Deo sunt judices constituti in Ecclesiâ et sine quibus hæc causa terminari non potest.* Itaque Gelasius II in controversiâ de investituris nihil innovavit, nec à decessorum suorum decretis vel tantillùm deflexit.

SCHOLION.

In hoc articulo, pag. 597 edit. primæ, religiosi censores hanc propositionem notant : *Episcopi jure divino in conciliis sedent judices controversiarum Ecclesiasticarum.*

R. Id à me opportunè observatum est in Epistolam Gelesii II ad Gallos in causâ investiturarum scriptam, cujus verba descripsi. Id enim ex re esse asserit. Id constat ex concilio Hierosolymis celebrato ab Apostolis in controversiâ de legalium cæremoniarum observantiâ : sic enim in eo S. Jacobus primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ episcopus suffragatus est : *Propter quod ego judico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine.* Id constat ex actis plerisque conciliorum, quibus episcopi hunc in modum subscribunt : *Ego N. episcopus decernens* vel *definiens* vel *judicans subscripsi.* Ea est sacræ facultatis Parisiensis, t Ecclesiæ Gallicanæ doctrina. Bellarminus ipse cardinalis doctissimus lib. 1 de Conciliis et Ecclesiâ, c. 18, *episcopos in conciliis non consiliarios sed judices esse* probat, et ex Actis Apostolorum, cap. 15, veritatis istius probationem arcessit. Et cap. 16, id probat : « Ex consuetudine Ecclesiæ, quæ est optima Scriptu-« rarum interpres : nam cùm in omnibus conciliis, « quæ post apostolica tempora sunt celebrata, hunc « ordinem observatum esse constet, ut soli episcopi « fuerint judices, idem omninò in apostolico concilio « servatum credere debemus, nec enim Ecclesia uni « versa, ac præsertim primis illis temporibus, ab Apo-« stolorum exemplo et Traditione discessisset. »

Articulus XVI.

Callixtus II investituras damnavit, et Henricum imperatorem eas pertinaciter retinentem excommunicavit in concilio Remensi.

Ut primùm consecratus est Callixtus II Pontifex maximus, concilium indixit Remis celebrandum, ad pacem Imperii et Sacerdotii, si fieri posset, conciliandam. Henricus imperator episcoporum et Principum Germaniæ votis sollicitatus in conventu Triburiensi, et à civilibus discordiis sibi metuens : *Semetipsum ibidem pollicebatur ob reconciliationem universalis Ecclesiæ præsentandum iri*, inquit abbas Urspergensis. Celebratum est istud concilium anno Christi 1119, 13 kalendas novembris. Adfuêre 15 archiepiscopi, plusquàm ducenti episcopi, abbatum ingens numerus, Patres in universum quadringenti et viginti, ut Hesso Scholasticus, qui præsens aderat, et abbas Urspergensis testantur. Præfuit Callixtus II. Concilii locus erat insignis Ecclesiæ S. Mariæ, metropolitana sedes. Quæ verò ante concilium in negotio pacis gesta fuerint, exponere est operæ pretium, idque ex Commentario Hessonis Scholastici testis rerum gestarum oculati ut hæc ejus verba probant : *Quod vidi et audivi, fideliter et quantò brevius potui pedestri sermone descripsi.*

Callixtus II statim post inaugurationem suam Guillelmum de Campellis Catalaunensem episcopum et Pontium abbatem Cluniacensem Argentinam (Strasbourg) ad Henricum imperatorem misit, de pace et concordiâ inter regnum et sacerdotium cum eo acturos. Propensum ad pacem animum sibi esse significavit imperator, modò sine imminutione imperialis auctoritatis eam concilliari posse ostenderent. Tum Catalaunensis episcopus : « Si veram pacem, inquit, « domine, rex habere desideras, investituram episco-« patuum et abbatiarum omnimodis dimittere te « oportet. Ut autem in hoc nullam regni tui diminu-« tionem pro certo tencas, scito me in regno Franco-« rum electum, nec ante consecrationem, nec post « consecrationem aliquid suscepisse de manu regis ; « cui tamen de tributo, de militiâ, de telonio, et de « omnibus quæ ad rempublicam pertinebant, et anti-« quitùs scilicet à regibus christianis Ecclesiæ Dei do-« nata sunt, ita fideliter deservio, sicut in regno tuo « episcopi tibi deserviunt, quos hùc usque investiendo, « hanc discordiam, imò anathematis sententiam in-« curristi.... Si ergo investituras dimittere volueris, « et possessionem Ecclesiarum, et eorum qui pro « Ecclesiâ laboraverunt reddere, et veram pacem « eis dare ; laborabimus, opitulante Domino, huic con-« tentioni finem imponere. » Conditionem accepit imperator, re cum suo concilio communicatâ, modò fidem et justitiam apud summum Pontificem inveniret, e veram pacem ipse et sui, possessionesque hujus occasione dissidii amissas, reciperent. Catalaunensi

episcopo securitatem postulante, imperator se proposita capitula rata habiturum et executioni mandaturum, datâ subscriptione sub testimonio fidei christianæ promisit; pariterque post ejus majestatem Lausanensis episcopus, Palatinus comes, cæterique viri illustres tùm clerici cùm laici, qui erant in comitatu, conventioni subscripsêre. Id cùm ad Pontificem Parisiis tùm agentem Catalaunensis episcopus et Cluniacensis abbas retulissent, lætitiâ incredibili affectus est, et communicato cum episcopis et cardinalibus sibi assistentibus consilio, eosdem cum episcopo Ostiensi, et Gregorio cardinalibus remisit ad imperatorem, cui Virdunum inter et Mediomatricum occurrerunt, nuntiaveruntque summum Pontificem ipsum ad communionem et pacem lubentissimè recepturum, promissa modò exequi vellet, diemque dicere quo illa esset ante finem concilii impleturus. Ille pacta conventa iterùm propriâ subscriptione firmavit, idemque fecêre proceres. Mutuam quoque conventionem Callixti legati firmârunt. Stata dies feria sexta nono kalendas novembris, quâ imperator, Mosomi, coram summo Pontifice, sine fraude pacta exequeretur. Hic porrò mutuæ Conventionis tenor erat :

« Ego Henricus, Dei gratiâ Romanorum imperator « Augustus, pro amore Dei, et B. Petri, et domini Papæ « Callixti, dimitto omnem investituram omnium Eccle- « siarum, et do veram pacem omnibus qui ex quo dis- « cordia ista cœpit, pro Ecclesiâ in guerrâ fuerunt, vel « sunt; possessiones autem Ecclesiarum, et omnium « qui pro Ecclesiâ laboraverunt, quas habeo, reddo; « quas autem non habeo, ut rehabeant, fideliter adju- « vabo; quòd si quæstio inde emerserit, quæ eccle- « siastica sunt, canonico, quæ autem secularia sunt, « seculari terminentur judicio.

« Ego Callixtus II, Dei gratiâ Romanæ Ecclesiæ epi- « scopus catholicus, do veram pacem Henrico Roma- « norum imperatori augusto, et omnibus qui pro eo « contra Ecclesiam fuerunt, vel sunt; possessiones « eorum, quas pro guerrâ istâ perdiderunt, quas ha- « beo, reddo, quas non habeo, ut rehabeant, fideliter « adjuvabo. Quòd si quæstio inde emerserit, quæ ec- « clesiastica sunt, canonico, quæ secularia sunt, secu- « lari terminentur judicio. »

His utrinque firmatis legati ad pontificem jam Remis agentem redière, ac rei gestæ seriem ipsi ante synodum exposuêre. Cœpta est, ut dixi, 13 kalendas novembris. Callixtus II luculentâ oratione exorsus est, in quâ multa de pace præclarè dixit, seque ad eam Ecclesiæ et imperio procurandam omnibus eniti studiis significavit. « Hanc, inquit, virtutem quam appeto, « quam ex sanctarum auctoritate Scripturarum, et ge- « nerali approbatione publicæ commoditatis summo- « perè laude toto nisu inquirere, et in totâ Dei Eccle- « siâ, ipso juvante, diffundere vivaciter laborabo. » Ita refert Ordericus Vitalis, lib. 12 Historiæ ecclesiasticæ. Se quoque nihil non acturum declaravit ad *simoniacam hæresim quæ maximè per investituras contra Ecclesiam Dei innovata erat*, consilio et auxilio Patrum, eliminandam, ut refert Hesso Scholasticus. Tum Ostiensis, et Catalaunensis episcopi, qui ad imperatorem pro negotio pacis missi fuerant, jubente Papâ legationis suæ exitum et pacta utrinque firmata coram sacro concessu exposuêre. Die concilii alterâ, Pontifex in crastinum se Mosomum (*Mouson*) profecturum significavit ad colloquium cum imperatore, prout inter ipsos convenerat, ineundum et pacem Ecclesiæ concludendam; se verò quantociùs rediturum ad conventionem pacis Patrum sententiâ confirmandam si fieret, vel ad fraudis auctorem, si promissis non staret, Ecclesiæ fulminibus conterendum eorum judicio. *Et sicut*, inquit, *conventionem pacis, si fiat, vobiscum et per vos confirmare optamus, sic in commentorem fraudis, si infidelis evaserit, judicio Spiritûs sancti et vestro gladium B. Petri vibrare tentabimus.* Publicas interim supplicationes indixit, ad faustum negotii exitum à Deo, cujus in manu cor regis est, impetrandum. Cùm Pontifex Mosomum pervenisset, archiepiscopos, episcopos, abbates, cæterosque viros sapientes, quos secum maximo numero duxerat, in cameram vocavit, et pacta utrinque conventa legi ac expendi jussit. In scripto imperatoris, episcopi illa verba scrupulosiùs examinârunt : *Dimitto omnem investituram omnium ecclesiarum.* Quæ sufficere visa sunt, siquidem imperator sincerè ageret, sin minùs determinatione indigere, ne fortè aut possessiones antiquas ecclesiarum sibi vindicare, aut episcopos de iisdem iterùm investire conaretur. In scripto summi Pontificis hæc verba ponderârunt : *Do veram pacem regi, et omnibus qui cum eo in guerrâ istâ fuerunt, vel sunt.* Timebant nempè ne forte his verbis ampliùs intelligerent quàm reddendam Ecclesiæ communionem; et Ecclesia suscipere cogeretur, quos aut superpositos, legitimis pastoribus, aut canonicè dopositos, sine gravi offensione sustinere non posset.

Omnibus accuratè discussis, Pontifex Ostiensem episcopum, Joannem presbyterum cardinalem, episcopos Vivariensem et Catalaunensem, Cluniacensem abbatem, aliosque misit ad castra imperatoris Henrici, qui pacta conventa ipsius majestati repræsentarent, utque ea impleret, urgerent. Fecêre ut habebant in mandatis. Audacter negavit Henricus horum quidpiam se promisisse. Ipsum omnium qui aderant testimonio, et propriæ manûs subscriptione convicit Catalaunensis antistes. Conquestus est, tantùm se *eorum consilio* pollicitum fuisse, *quod absque diminutione regni exequi non valeret.* Reposuit episcopus : « In promissis no- « stris, domine rex, per omnia fideles nos invenies. « Non enim dominus Papa statum imperii aut coronam « regni, sicut quidam seminatores discordiæ obloquun- « tur, in quolibet imminuere attentat; imò palam om- « nibus denuntiat, ut in exhibitione militiæ, et cæteris « omnibus, in quibus tibi et antecessoribus tuis servire « consueverant, modis omnibus deserviant. Si autem « in hoc imperii statum imminui existimas, quòd ul- « teriùs tibi episcopatus vendere non liceat, hoc po- « tiùs regni tui augmentum ac profectum sperare de- « bueras, si quæ Domino Deo contraria sunt, pro ejus « amore abjicias. »

His nonnihil mitigatus imperator, inducias in cra-

stinum rogavit, ut cum principibus de causâ tanti momenti conferret, et ad promissorum executionem, si posset, eorum corda inflecteret. Proceres cum pontificiis egêre legatis de modo quo imperator ad absolutionis gratiam susciperetur, intercedentes ne palàm ac nudis pedibus veniam exoraret. Sabbato novas inducias postulavit Henricus, donec generale colloquium cum regni principibus haberet, quorum absque consilio investituras dimittere non audebat. Missi pontificii comperendinatûs impatientes, ac subodorati imperatorem, qui triginta millium hominum exercitu vallatus erat, occasionem opperiri obsidendi et capiendi summi Pontificis, ad ipsum confestim redière. Ille ab insidiis sibi cavens ad aliud castrum comitis Trecensis subitò cum suis transivit. Nuntium ad comitem frustra misit imperator, ipsum rogans ut pontificem die Dominicâ detineret (Sabbatum enim erat) se verò secundâ feriâ pacta conventa impleturum. Fraudis enim certus Callixtus, ait : *Feci, fratres, pro desiderio pacis quod ab antecessoribus nostris factum nunquàm audivi. Generalem synodum congregatam, et fratres multos quasi desolatos reliqui ; ad hominem istum cum multo labore perveniens, quæ pacis sunt in eo non inveni. Unde nullatenùs eum ulteriùs expectabo, sed ad fratres nostros et ad concilium, quantò citiùs potero, regrediar. Si autem in concilio, vel post concilium veram pacem Deus nobis dederit, paratus ero suscipere et amplecti.* Tum itineri ante diem se committens, tantâ velocitate Remos properavit, ut viginti leucis peragratis, eâdem die Missam eâ in urbe celebravit, ac Leodinensem episcopum consecraverit. Feriâ II, Patribus in concilio congregatis, causæ de quâ agebatur statum et imperatoris fraudes exposuit ; ac ob nimiam defatigationem infirmatus, ad Feriam usque quartam quievit. Feriâ IV, canones quinque quos condiderat, pleno in consessu legi jussit. Qui simoniacam hæresim petebant, summo consensu sunt approbati. Circa illum quo investituræ Ecclesiarum laicis interdicebantur, non levis orta contentio est. His nempe verbis conceptus erat : *Investituram omnium ecclesiarum et ecclesiasticarum possessionum, per manum laicam fieri, modis omnibus prohibemus.* Cujus occasione decreti, tantùm murmur quorumdam clericorum et multorum laicorum insonuit, ut diem usque ad vesperam sub gravi contentione pertraherent ; ipsis enim videbatur summum pontificem hocce canone decimas, et cætera Beneficia ecclesiastica, quæ antiquitùs laici tenuerant, minuere velle vel auferre. Quibus ut faceret satis, conclusionem concilii in crastinum distulit, ut *communi consilio decretum temperaret*, ipsumque cum cæteris unanimi omnium assensu, et *auctoritate confirmaret.*

Feriâ V, invocato ritu solemni Spiritu sancto, Callixtus II de præsenti causâ luculenter peroravit, eosque perstrinxit qui pridiè contra synodica decreta tumultuati fuerant. « Scimus, inquit, quia Dominus Jesus cùm « proposuisset Discipulis : *Nisi manducaveritis carnem « Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis « vitam in vobis*, scandalizati sunt multi, *et abierunt retrorsùm*, nec postea sequebantur eum ; sic et nos « cùm heri proposuissemus quædam pro libertate Ecclesiæ, scandalizati sunt quidam infideles. Unde et « nos cum auctoritate apostolicâ dicimus : *Si infidelis « discedit, discedat ;* et det locum fidelibus, ut quæ ecclesiastica sunt, et libertati Ecclesiæ necessaria pertractent. Vobis autem qui locum et officium Apostolorum in Ecclesiâ Dei tenetis, dicimus quòd Dominus « dixit ad duodecim : Numquid et vos vultis abire? » Hâc summi Pontificis oratione murmur omne contra synodica decreta compressum nullusque ampliùs muire ausus. Qui tamen decretum illud quod murmuris insam dederat, saniori consilio temperavit, et in hanc ormam redactum concilio legi jussit : « Episcopatuum « et abbatiarum investituram per manum laicam fieri « penitùs prohibemus. Quicumque igitur laicorum « deinceps investire præsumpserit, anathematis ul« tioni subjaceat. Porrò qui investitus fuerit, honore « quo investitus est, absque ullâ recuperationis spe « omnimodis careat. » Ita conceptus canon omnibus placuit, et cum cæteris summo consensu promulgatus est ; secundùm hæc, Henricus imperator, et Burdinus antipapa, solemniter sunt excommunicati, et juramento fidelitatis à summo Pontifice absoluti, quicumque imperatori obstricti erant, nisi fortè resipisceret, et Ecclesiæ Dei satisfaceret. Ista constant ex Hessonis Scholastici, qui rebus gestis interfuit, commentariolo, quem primum edidit Tengnagellus. Remensis istius synodi meminit et Laurentius de Leodio in Historiâ episcoporum Virdunensium.

Concilii decreta Henrico imperatori, cùm non longè abesset, ex concilio primùm per honestas personas, tum per ipsum Pontificem missa fuisse, Rogerius de Hoveden scribit parte primâ Annalium Anglic., p. 475 : *Ut ante separationem concilii notum esset, utrùm Ecclesiis per regnum, et singulas quasque sibi subjectas provincias consentiat canonicas electiones, videlicet ut episcopi et abbates eligantur ab ecclesiâ ; et liberas consecrationes, ut ubi et à quibus oporteat, electi consecrentur ; ut non per investituram pastoralis virgæ, et annuli, sed per ostium, id est, Christum, ingrediantur : et investituram rerum ecclesiasticarum nihil omninò sibi laicalis exigat persona.* Ad hæc illum respondisse : *Nihil in his se prætermissurum quod sui juris esset, suorumque sibi contulit antiqua consuetudo progenitorum. Quandoque tamen flexus auctoritate generalis concilii*, inquit Rogerius de Hoveden, *tria illa priora concessit ; ultimum verò, scilicet investituram rerum ecclesiasticarum, concedere noluit. Quapropter, reverso ad concilium Papâ, excommunicandus decernitur.*

Falsò scribit Rogerius Synodica decreta ad imperatorem missa esse, et tria capitula supra memorata, seu tres conditiones decretum de investituris spectantes gratas habuisse ; quartam verò quæ rerum etiam ecclesiasticarum investituram prohibebat, respuisse, et ideò fuisse excommunicatum. Canon enimverò qui contra investituras conditus est, ecclesiasticarum possessionum investituram laicis principibus non prohibet, ut Rogerius scribit, cùm hancce clausulam emendârit Callixtus II antequàm canones promulgarentur, teste Hessone Scholastico, qui rebus tunc gestis inter-

erat. Quâ ergo ratione excommunicatus fuisset imperator, quòd ultimum capitulum seu conditionem, scilicet rerum ecclesiasticarum investituram concedere noluisset? Præterea, canones propositos, lectos ac discussos fuisse feriâ IV et dissidium ortum occasione illius capitis quòd possessionum ecclesiasticarum investiturâ et concessione laicis interdicebat; Feriâ verò V clausulam illam expunctam, et approbatos promulgatosque canones, ac demùm excommunicatum imperatorem, constat ex commentario Hessonis Scholastici; non ergo ita res se habuêre ut scribit Hovedenus : Non missi sunt, inquam, ad imperatorem canones, non illa tria priora capita decreti contra investituras conditi concessit, et excommunicatus est quòd quartum admittere noluisset. Denique injustè fuisset excommunicatus ob retentas investituras; siquidem dimiserat investituram per virgam et annulum, et liberas electiones, consecrationesque canonicas permittebat (si Rogerio fides) quam verò retinebat feudorum, et regalium investituram, Ludovicus VII, rex Francorum, concilio præsens, pariter retinebat, secundùm morem regum antecessorum. Ob aliam itaque causam in concilio Remensi excommunicatus non fuit Henricus Imperator, quam ob pertinaciam in retinendis investituris per annulum et baculum, et in constituendis suo quasi jure episcopis, nullâ canonicæ electionis habitâ ratione, contra pacta conventa.

Hinc patet solutio quæstionis quam proponit illustrissimus archipræsul Petrus de Marca, lib. 8, de Concordiâ sacerdotii et imperii, c. 21. Cur Ludovicus VII, rex christianissimus, excommunicationi Henrici imperatoris consenserit, quâ ipse æquè involvi videbatur, cùm pariter investituras daret, non quidem episcopatuum, neque per solemnem traditionem annuli et baculi, sed rerum et possessionum ecclesiasticarum? Respondet vir doctrinâ æquè ac dignitate illustris, bona Ecclesiarum duplicis esse generis; quædam vocari regalia, id est, feuda quæ regi debent servitium quasi a vassallo; alia verò esse latifundia et dominia, quæ Ecclesiis data fuerunt, et quæ jure homagii non tenentur. Olim quidem reges investituras et concessiones universi patrimonii ecclesiastici dedisse; sed in pactis inter Paschalem II et Henricum imperatorem initis antequàm Paschalis in carcerem conjiceretur, conventum fuisse ut imperator solam feudorum investituram concederet, quæ immediatè pertinerent ad imperium; quoad alia verò bona, scilicet oblationes et hæreditarias possessiones, Ecclesiis antiqua libertas servaretur, ut constat ex Epistolâ 22 ejusdem Paschalis. Ait itaque Dominus de Marca concilium Remense, cùm decernit ne investituram rerum ecclesiasticarum ullo pacto sibi laicalis exigat persona intelligendum esse de rebus merè ecclesiasticis, id est, de iis quæ ratione feudi regi servitium non debent ac homagium. Henricus autem imperator non earum duntaxat rerum concessiones, et Investituras sibi arrogabat, quæ imperio feudatariæ essent, sed omnium universim patrimoniorum Ecclesiæ. At Ludovicus VII solam feudorum investituram retinebat, absque traditione baculi et annuli; aliorum verò bonorum ecclesiasticorum investituras dimiserat, ut ad Callixti II voluntatem se accommodaret. Unde concludit, Galliarum regem eodem anathemate non fuisse involvendum cum Henrico; neque ullam rationem prohibere potuisse quominùs imperatoris excommunicationi assensum præberet.

Præclara hæc quidem, sed minimè nobis necessaria. Opus autem erat doctissimo archipræsuli hâc distinctione, ut difficultatem ex canone concilii Remensis ortam solveret, quia isto canone prohibitam quoque principibus ecclesiasticarum possessionum investituram existimabat, Rogerii de Hoveden falsâ ratione deceptus; nec genuinos et emendatos concilii istius canone viderat, quales ex pervetusto codice manuscripto illustrissimi viri Petri Seguierii Galliarum cancellarii edidit vir clarissimus Stephanus Baluzius, ad calcem capitis 21, libri 8, de Concordiâ sacerdotii et imperii, illustrissimi sui Mœcenatis. Non licuerat etiam doctissimo archiepiscopo legere Commentariolum Hessionis Scholastici de rebus in consilio Remensi gestis: ex quibus monumentis facilè perspexisset concilium Remense non prohibuisse principibus investituram rerum sive possessionum ecclesiasticarum, sed solam investituram episcopatuum et abbatiarum; quam quia dimiserat rex christianissimus, dimittere verò nolebat Henricus imperator, par non erat utriusque causa.

Addiderim, difficulter probari posse reges nostros in concedendis possessionum ecclesiasticarum investituris eâ distinctione usos, regalium et latifundiorum; imò potiùs certum esse ipsos omnium rerum ecclesiasticarum possessionem regaliæ jure concessisse, etiam post concilium Lateranense, in quo investiturarum controversia finita est. Id colligitur ex S. Bernardo, epistolâ 170, ad Ludovicum VII regem, de quodam monacho, qui ad episcopatum Lingoniensem electus erat, scribente, ejusque fidem erga ipsius majestatem laudante, quòd bonorum ecclesiasticorum possessionem noluerit, donec ea ipsi fruenda concessisset. « Electio, inquit, ritè celebrata est, electus fidelis est. « Non autem esset fidelis, si vestra et non per vos, « habere vellet. Necdùm ad vestra manum extendit, « necdùm civitatem vestram ingressus est, necdùm « prorsùs se intromisit de aliquo, quanquàm invitatio « cleri et populi et oppressorum afflictio, et vota bo- « norum, id ab eo vehementissimè flagitârint. Quæ « cùm ita sint, opus est, ut videtis, maturatione con- « silii non minùs vestro honori, quàm nostræ neces- « sitati. Et nisi per præsentes nuntios expectanti po- « pulo, qui vester est, Serenitas vestra pro voto « responderit, multorum religiosorum adversùm vos, « quod non expedit, devota vobis nunc corda turbabi- « tis, et regalibus vestris ipsis quæ ad Ecclesiam per- « tinent, non parvum, ut veremur, incommodum ac- « quiretis. » Sanè cùm patrimonia Ecclesiarum velut bona mobilia possiderentur ab episcopis, evecta per consequentiam ad dignitatem feudorum, et ut minùs præcipua, sequi conditionem principalium bonorum censebantur. Unde reges christianissimi non solùm

feudorum, sed latifundiorum, imò decimarum, et in universum omnium redituum temporalium fruitionem episcopis electis concedebant, postquàm electionem canonicam assensu regio comprobaverant; et nunc à suâ majestate nominatis eodem jure concedunt.

SCHOLION PRIMUM.

Ad hunc articulum, pag. 607 edit. primæ, religiosi censores hanc notam apponunt : *Cur rex Galliæ non comprehendatur sub excommunicatione contra investituras?*

Resp. : Iis indiculi sui verbis significant RR. censores, non probari sibi rationem quam affero, cur Ludovicus VI, rex christianissimus excommunicatione in causâ investiturarum contra Henricum imperatorem latâ obstrictus non esset. Recensitâ illustrissimi domini de Marca responsione, quam ego quidem non probo, respondi : Callixtum II, Pontificem maximum *in concilio Remensi non prohibuisse principibus investituram rerum sive possessionum ecclesiasticarum, sed solam investituram episcopatuum et abbatiarum; quam quia dimiserat rex christianissimus, dimittere verò nolebat Henricus imperator, par non erat utriusque causa.* Quid verò hâc in responsione pœnitendum? Quid censurâ dignum?

SCHOLION II.

In eodem articulo, pag. 609 et 610 edit. primæ, religiosi censores hanc propositionem notant : *Reges Galliæ jure regaliæ omnia bona temporalia dant; etiam decimas, quatenùs ad feudalia reducuntur.*

Resp. reges christianissimos rerum omnium ecclesiasticarum possessionem regaliæ jure concessisse, etiam post concilium Lateranense, in quo investiturarum controversia finita est, ex S. Bernardo probavi, cujus verba perspicua sunt. Non solùm feudorum, sed et latifundiorum, imò decimarum, et in universum omnium redituum temporalium fruitionem christianissimos reges episcopis electis concessisse addidi, postquàm electionem canonicam assensu suo comprobaverant; quia cùm patrimonia Ecclesiarum ab episcopis velut bona mobilia possiderentur, evecta per consequentiam ad dignitatem feudorum, et ut minùs præcipua sequi conditionem principalium bonorum censebantur. Non juris et dogmatis, sed facti quæstio est, cujus probabilem sanè rationem, in jure civili fundatam attuli.

Universam decimarum historiam expendendo adinvenire sanè est Ecclesiarum decimas non solùm à laicis usurpatas, in feudum eas retinuisse, verùm etiam ab ipsis principibus, sicut ab episcopis, et ecclesiarum rectoribus in feudum fuisse concessas; ut apertè supponitur, Extra. de Decim., cap. 25 et extra, de iis quæ fiunt à Prælat., sine cons. capit., cap. 7. Huic occurrere malè sæpè conata est Ecclesia, et sæpè etiam gravioris ruinæ timore toleravit; illud saltem pro viribus prospiciens, ut quæ alendis sacris ministris fuerant assignata, potentum avaritiæ non essent exposita, nec pro ditandis consanguineis Ecclesiarum rectorum deservirent. Nullibi autem adinvenio potestatem quam habet Ecclesia decimas colligendi, ex laicali titulo ortam fuisse, qualis tunc esset, quando easdem respiceret velut feuda sibi à principibus elargita, unde ab eis earumdem decimarum ratione penderet. Non solùm ex naturali jure dictante sustentationem illi tribuendam, qui alteri deservit, sed divino insuper jure decimas sibi tribuendas agnoscit Ecclesia; quapropter S. Hieronymus in cap. 22, S. Matth. ait : « *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, id est, nummum, « tributum et pecuniam; *et quæ sunt Dei Deo*, decimas, « primitias, et oblationes, ac victimas. » Et D. Augustinus, l. 5, homil. 48 : « *Redddite quæ sunt Cæsaris « Cæsari; et quæ sunt Dei Deo.* Majores nostri adeò « copiis omnibus abundabant, qui Deo decimas dabant, « et censum Cæsari reddebant. Modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio Fisci. Noluimus « partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur. » Incongruum porrò est dicere jure feudali Ecclesias obtinuisse ea quæ sibi jure naturali et divino sunt tribuenda. Dicendum potiùs quòd cùm aliquando principes jure protectionis temporalia vacantis Ecclesiæ administraverint, ab eisdem eadem temporalia recipiebant, qui ad regendas Ecclesias eligebantur; nec principes verè fide, moribusque Christiani quod suum esset, sed quod Ecclesiæ, relaxare intelligebant. Diversimodè S. Bernardum tradidisse non credo

ARTICULUS XVII.

Controversia de investituris composita est in concilio Lateranensi I, œcumenico IX. Imperator investituras episcopatuum et abbatiarum per baculum et annulum dimisit; et canonicas electiones liberè fieri permisit. Ecclesia concessit ut electiones præsente imperatore fierent, et si quæ oriretur discordia, ipse saniori parti assensum auxiliumque præberet, metropolitani et comprovincialium judicio vel consilio : Electus verò regalia ab ejus majestate per sceptrum acciperet.

Anno Christi 1121, Callixtus II legationem decrevit adversùs Henricum imperatorem, ejusque obeundæ munus Aldeberto Moguntino archiepiscopo imposuit. Saxoniam universam adversùs Henricum novus legatus commovit, principumque et plebis catholicæ animos pro Ecclesiæ pace, quam tot annos turbârat, vehementer accendit, adeò ut ingens adversùs ipsum progrederetur exercitus. Qui cùm ab ejus castris non procul abesset, magno Dei beneficio factum est, ut viri principes imperatorem adirent, ejusque animum consilio, suasione, obsecratione ita mitigarent, *ut ipse præsens negotium, non suo, sed optimatum utriusque partis arbitrio terminandum decreverit.* Duodecim ex utrâque parte primates electi, Virceburgum (Wirzbourg) convenerunt mense septembri, die sancto Michaeli sacrâ. Interfuit conventui imperator, comitiisque per continuam hebdomadam habitis, de tollendo tantùm schismate, Ecclesiæque et imperii stabilienda concordia inter eos disceptatum est. Tandem imperator, *sponsionis suæ non immemor, universas quæstiones quæ ventilabantur, non sulmet arbitrio, nec suorum quorumlibet contentione, sed juxta senatûs con-*

sultum concludi per omnia in omnibus concessit. Hæc ad felicem ut perducerentur exitum, legatio ad Apostolicam Sedem communi consensu destinata est, cujus munus episcopo Spirensi et abbati Fuldensi impositum : *Qui Romam hæc omnia deferrent, quatenùs indicto per apostolicam auctoritatem generali concilio, quæcumque humano non possent, Spiritûs sancti judicio terminarentur.* Legationem pacis incredibili gaudio suscepit Callixtus pacificus Pontifex, auditosque oratores ad imperatorem remisit, ad quem unà destinavit legatos Lambertum cardinalem episcopum Ostiensem, et duos alios cardinales, quibus dedit in mandatis ut sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate imperatorem ad communionem Ecclesiæ reciperent, post investiturarum cessionem, ipsique vicissim jus inspiciendi sacras electiones, et saniori parti assentiendi, regaliaque per sceptrum concedendi, nomine suo permitterent. Ut primùm in Germaniam redierunt, generalis conventus apud Wormatiam indictus est, ac paulò post habitus, in quo *incredibile est quàm prudenti, quàm instanti, quàm solicito cunctorum procerum consilio, pro pace et concordiâ per unam vel ampliùs hebdomadam certatum sit, donec ipse in cujus manu cor regis est, omnem animositatem Augusti, sub Apostolicæ reverentiæ obediendam, causâ matris Ecclesiæ, etiam ultra spem plurimorum inflexit. Ecclesiasticas* enimverò *investituras, cæteraque spiritualia negotia, quæ tanto tempore reges Teutonici administraverant, quæque ipse, ne regni diminueretur honor, nunquàm vitâ comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maximâ abnegavit, et in manus episcopi Ostiensis, ac per ipsum Domino nostro Jesu Christo, suæque in perpetuum Ecclesiæ dimisit.* Aliqua vicissim imperatori ob honorem regni concessit Callixtus. Pacta scripto tradita, et mutuis firmata subscriptionibus fuêre ad robur memoriamque sempiternam. Is autem erat scriptorum tenor :

« Ego Henricus, Dei gratiâ, Romanorum imperator « Augustus, pro amore Dei, et sanctæ Romanæ Ec- « clesiæ, et Domini Papæ Callixti, et pro remedio « animæ meæ, dimitto Deo et sanctis ejus Apostolis « Petro et Paulo, sanctæ catholicæ Ecclesiæ omnem « investituram per annulum et baculum, et concedo « in omnibus Ecclesiis fieri electionem et liberam « consecrationem. Possessiones et regalia beati Petri, « quæ à principio hujus discordiæ, usque ad hodier- « nam diem ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ « Romanæ Ecclesiæ restituo : quæ autem non habeo, « ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam « omnium aliarum Ecclesiarum et Principum, et alio- « rum tam clericorum quàm laicorum, consilio prin- « cipum et justitiâ, quæ habeo, ut reddantur fideliter « juvabo ; et do veram pacem Domino Papæ Callixto, « sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et omnibus qui in parte « ipsius sunt, vel fuerunt, et in quibus sancta Ro- « mana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter ju- « vabo.

« Ego Callixtus, servus servorum Dei, tibi dilecto « filio Henrico, Dei gratiâ Romanorum imperatori « Augusto, concedo electiones episcoporum et Abba- « tum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, « in præsentiâ tuâ fieri absque simoniâ et aliquâ vio- « lentiâ ; ut si qua inter partes discordia emerserit, « metropolitani et provincialium consilio vel judicio, « saniori parti assensum et auxilium præbeas. Ele- « ctus autem regalia per sceptrum à te recipiat, ex- « ceptis omnibus quæ ad Romanam Ecclesiam perti- « nere noscuntur ; et quæ ex his jure tibi debet, « faciat. Ex aliis verò partibus imperii consecratus, « infra sex menses regalia per sceptrum à te reci- « piat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, « secundùm officii mei debitum, auxilium meum « præstabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in « parte tuâ sunt, vel fuerunt tempore hujus discor- « diæ. Data anno millesimo centesimo vigesimo se- « cundo, nono kalendas octobris. »

His pactis, propter infinitæ multitudinis conventum, loco campestri juxta Rhenum lectis, episcopus Ostiensis imperatorem, cum exercitu, proceribus, omnibusque schismatis olim labe pollutis, ab excommunicatione absolvit ; et sanctâ communione, pacisque osculo ipsum donavit.

Alterum quoque conventum, paulò post, scilicet in festo S. Martini, Bambergæ habuit imperator, in quo à principibus qui priori non interfuerant, sacerdotii et imperii concordia summo consensu et applausu confirmata est. Ex isto conventu proprios oratores, cum uno ex Romanis, ad Callixtum II, consanguineum suum, jam sibi conjunctissimum, direxit imperator, gratissima nuntia, muneraque honorifica ferentes, ut testatur abbas Urspergensis in Chronico ad annum 1120, ubi accuratissimè tradit compositionis hujus historiam, et pacta conventa describit, quæ pariter apud Willelmum Malmesburiensem, pag. 169 et 170, legere est. Quæ etiam exhibet codex Vaticanus ab eminentissimo Annalium ecclesiasticorum parente laudatus.

Cùm fausta pacis initæ sacerdotium inter et imperium nuntia Callixtus II, accepisset, Henrico imperatori obedientiam per litteras gratulatus est, eumque oravit ut quantociùs Sedis Apostolicæ legatos cum suis oratoribus ad concilium generale jam indictum remitteret, in quo tanti momenti negotium consummaretur. Litteræ incipiunt : *Omnipotenti Domino.* In iis observanda hæc verba, quæ sacerdotii et imperii discordiam infinitorum malorum causam esse docent, eorumdem verò concordiam bonorum omnium incrementum : « Age ergo, fili charissime, ut tu nobis, et « nos te fruamur in Domino : Perpendat imperialis « Excellentia tua ; quantùm diuturna Ecclesiæ impe- « riique discordia Europæ fidelibus intulerit detri- « mentum, et quantùm nostra pax afferre poterit boni « fructûs, Domino cooperante, incrementum. » De legatis verò ad concilium mittendis ita scribit : « De iis « autem quæ vivâ voce referenda prædictis fidelibus « tuis nuntiis commisisti, per eosdem quid nobis, et « nostris videatur fratribus, respondemus. Legatos « itaque nostros, qui apud vos sunt, benevolentiæ

« vestræ attentiùs commendantes, rogamus, ut quia « concilium indictum à Nobis accelerat, citò eos ad « Nos, Domino largiente, remittas. Tuos verò legatos « ita instructos dirigas, ut juxta promissum tuum « regalia in integrum Ecclesiæ Romanæ restituant. » Datæ sunt hæ litteræ idibus decembris anni 1122.

Concilium œcumenicum Lateranense primum solius Romani Pontificis auctoritate convocatum, probant hæc Callixti II verba : *Ut quia concilium indictum, à nobis accelerat*, etc. Ipsi præfuit Callixtus ipse Pontifex Maximus. Conciliorum œcumenicorum in Occidente celebratorum primum istud fuit : Nonum inter œcumenica numeratur : Lateranense appellatur à loco in quo celebratum est, scilicet à basilicâ Lateranensi.

Celebrationis annum 1122 à Baronio, et Binio perperàm notatum P. Gabriel Cossartius, S. J. professor doctissimus observat, et anno sequenti, nempe 1123 habitum demonstrat. Primò, quia Sugerius, qui ipsi interfuit, jam abbas factus S. Dionysii, et quidem *sequente ordinationis suæ anno*, ut ipse testatur in Vitâ Ludovici Crassi regis, inauguratus non fuit abbas ante annum 1122, quo Adamum ejus decessorem obiisse vetera instrumenta plurima testantur.

Secundò, Robertus de Monte concilium Romanum, quo controversia de investituris composita est, quòd certè aliud non est à Lateranensi primo, anno 1123 celebratum testatur. *Anno*, inquit, 1123, *concilium Romæ celebratur, pax inter regnum et sacerdotium reformatur, et jus investiturarum episcovalium ab imperatore exfestucatur.*

Tertiò, Falconis Beneventani Chronicon his characteribus concilium istud consignat : *Anno 1123 dominicæ incarnationis, et quinto anno pontificatûs Domini Callixti II summi Pontificis, et universalis Papæ, mense martio primæ Indictionis.*

Trecentos et ampliùs episcopos adfuisse testatur Sugerius abbas. Pandulphus in Vitâ Callixti II, nonagentos et nonaginta septem, partim episcopos, partim abbates, ad hanc synodum convenisse scribit.

In eâ auditi sunt Henrici imperatoris legati, et hoc divinæ Scripturæ præconio collaudati. *Quàm speciosi pedes evangelizantium bona!* Pacta in conventu Vormatiensi inter imperium et Ecclesiam Romanam concordata, quæ incipiunt, *Ego Henricus*, etc., *Ego Callixtus*, etc., totius synodi judicio confirmata sunt, et ab imperatore per suos oratores, coram Patribus ratihabita, et executioni mandata ; sicque pax optatissima regnum inter et sacerdotium coaluit, de quâ Otto Frinsingensis, Cronicorum lib. 7, cap. 16, ita scribit : « Igitur « Romano imperio multis modis in se attrito, impera- « tor propter anathema deficere à se regnum videns, « patrisque metuens exemplum, congregato juxta « Wormatiam maximo principum conventu, investi- « turam episcoporum legato Sedis Apostolicæ Lam- « berto, qui postmodùm summus Pontifex factus, Ho- « norius est dictus, resignavit, per eumque ab anathe- « matis vinculo absolutus est. Privilegium ergo de hoc « Ecclesiæ scribitur ; ac ipsi rursùm, ut Electi, tam « Cisalpini quàm Transalpini, non priùs ordinentur « episcopi, quàm regalia de manu ejus per sceptrum « suscipiant, scripto confirmatur. Hoc pro bono pacis « sibi soli, et non successoribus datum dicunt Romani. « Ex hinc Ecclesia, libertate ad plenum restitutâ, pace- « que ad integrum reformatâ, in montem magnum cre- « visse sub Callixto Papâ II invenitur. Unde de ipso Ro- « mæ scriptum est :

« *Ecce Callixtus honor patriæ, decus imperiale,*
« *Burdinum nequam damnat, pacemque reformat.* »

De eâdem pace Gottfridus Viterbiensis Chronicorum parte 17, pag. 509, ita canit :

Reddit Apostolico Cæsar quæcumque rogavit
Pax bona conficitur, sublata Deo reparavit,
Jura suæ partis lætus uterque trahit.

In eâdem synodo, christianæ et ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ gratiâ, et sacrarum expeditionum Hierosolyma, et in Hispaniam contra hostes Christiani nominis promovendarum, canones conditi fuêre. Duos supra viginti vulgatæ conciliorum editiones exhibent. Septemdecim duntaxat vetus codex manuscriptus monasterii Anianensis in diœcesi Monspeliensi, ex quo illos edidit clarissimus Baluzius ad calcem 21 capitis libri 8, de Concordiâ sacerdotii et imperii, illustrissimi archipræsulis Petri de Marca. Sed duo interdùm vulgatæ editionis canones in unum rediguntur, quamvis et aliquis desint. Decem et septem duntaxat, in codice Vaticano, qui continet collectionem Anselmi, haberi observat Baronius. Atalius est in Anianensi et Vaticano canonum ordo, lectiones interim diversæ, et aliqui desunt in Anianensi quos Vaticanus repræsentat.

Nota.

Cùm Bossuet part. 2, l. 12, c. 34, optaret etiam ex quatuor Lateranensibus œcumenicis conciliis, et Lugdunense I aliquid afferre, quo eorumdem conciliorum auctoritatem Papæ potestati anteponeret, dicit nil in eisdem gestum fuisse, nisi *sacro approbante concilio*. Hàc verò formulâ declaratum asserit definitiones, et canones etiam illorum conciliorum, in quibus aderat Romanus Pontifex, nonnisi ab eodem concilio plenam obtinere firmitatem ; ac proinde majorem esse concilii quàm Pontificis auctoritatem. Idem asserit part. 2, lib. 9, cap. 31.

At Bossuetii illationem gratis ab eo factam statim concipio, si considerem regem, qui quamplures judices constituerit, et sententiam prænuntiaverit ex eorumdem judicum approbatione. Pessimè sanè ex hoc judicarem illorum judicum auctoritatem regiâ esse superiorem, eique supereminere. Non inspiciendum proinde, si præsules in conciliis Pontificis definitiones probaverint, id enim ab eis præstandum erat, quia et ipsi judicis munus exercent. Id considerandum est, quâ nempe auctoritate judicent ac approbent. Nos scimus, teste Nicolao I, epistolâ 9 ad Michaelem imperatorem, in œcumenicis synodis pontificum decreta, definitionesque non occultatas sub modio, ut Præsules ex eis dignoscerent, si quæ macula in fidei pulchritudine ab aliquo induci tentaretur, ac essent veluti specula, in quibus veritatem, rectitudinisque formulam

omnes inspicerent. Ex iis quæ in octo priora œcumenica concilia animadvertenda duxi, scimus non semel Romanos pontifices eisdem conciliis definienda dictâsse, ab iis quæ ipsi definierant non recedendum mandâsse. Scimus etiam quædam quæ ipsa decreverant concilia nulla cassaque reddidisse. Qui ita se habet, profectò ostendit, potiorem quàm exercet potestatem, ac aliis veluti subditis præest, ac imperat; ac proinde dùm aliorum sententias definitionesque approbat seu confirmat, statim intelligimus superioris officium exercere. Perperàm verò ex eo duntaxat quòd aliquis alterius approbat judicium, superiorem obtinere jurisdictionem conciperemus, cum et qui nulli subditam potestatem exercent, velle possent et cum aliorum approbatione judicare : atque id reverà Romani pontifices intendunt, dùm œcumenica concilia indicunt. Neque ex hoc prorsùs inutilia quis dicat futura eadem concilia, sicut ostendam in Animadversionibus de præstantiâ Papæ supra concilia.

Interim animadvertendum in Lateranensi I œcumenico concilio, cap. 1, modo eligendi sum. Pontif. quod etiam legere est cap. *Licèt*, extra, de Elect., ita haberi : « Ex hoc tamen nullum canonicis constitutio- « nibus præjudicium generatur, in quibus majoris et « sanioris partis debet sententia prævalere; quia quod « in eis dubium venerit, superioris poterit judicio de- « finiri. In Romanâ verò Ecclesiâ aliquid speciale con- « stituitur, quia non potest occursus ad superiorem « haberi. » Quòd si Papa superiorem non habet, illi subesse concilium necesse est.

Articulus XVIII.

De canonibus concilii Lateranensis primi.

Vulgatam editionem conciliorum secutus, quæ duos supra viginti canones exhibet, eorum synopsim subjicio. Primus simoniacas ordinationes et promotiones prohibet sub periculo gradûs et dignitatis iis qui sic ordinati fuerint vel promoti. Descriptus est ad verbum ex concilio Tolosano Callixti II, anno 1119, celebrato. Secundus præpositos, archipresbyteros, decanos ex presbyteris, archidiaconos ex diaconis assumi jubet. Et hic etiam ex Tolosanâ Synodo sumptus est, et in istâ repetitus atque confirmatus. Tertius presbyteris, diaconis, subdiaconis concubinarum et uxorum contubernia penitùs interdicit, aliarumque mulierum cohabitationem præter matrem, sororem, amitam, aut alias hujusmodi, de quibus nulla justè possit oriri suspicio, juxta canones Nicænos. Quartus possessionum ecclesiasticarum dispensationem, vel donationem principibus aliisque laicis vetat sub pœnâ sacrilegii. Quintus, consanguineorum matrimonia divinis humanisque legibus prohibita, infamiâ damnat. Sextus ordinationes à Burdino antipapâ, ex quo à Romanâ Ecclesiâ damnatus est, vel ab episcopis postea per ipsum consecratis factas, mittit in irritum. Septimus curam animarum vel præbendas Ecclesiæ, ab archidiacono, archipresbytero, præposito vel decano conferri vetat sine judicio vel consensu episcopi sub pœnâ excommunicationis. Octavus Beneventanæ civitatis, quæ schismatis tempore multis incursibus et invasionibus patuerat, securitati consulit, vibrato in eos qui ipsam invadere deinceps ausi fuerint, anathemate. Nonus à suis episcopis excommunicatos, ab aliis ad communionem admitti vetat. Decimus de sacris expeditionibus, ad Orientalis et Hispanicæ Ecclesiarum defensionem contra infideles decernit. Indulgentias concedit cruce signatis, et omnibus qui aliquid ad sacram militiam contulerint, et eorum familias ac bona in protectionem B. Petri et Romanæ Ecclesiæ suscipit, sicut jam ab Urbano II in concilio Claromontano statutum fuerat, latâ in prædones ac invasores excommunicationis sententiâ. Cruce verò signatos qui sacræ militiæ signum ac propositum abjecerant, quoniam voti religione et solemni quâdam professione se pro Christianorum defensione et Religionis tuitione devovisse censebantur, crucem resumere, et Hierosolymitanum vel Hispanicum iter infra annum perficere jubet, sub pœnâ excommunicationis. Quin et divina officia in eorum terris, si viri principes, aut provinciarum, urbium, castrorum, vel pagorum domini sint, interdicit, præter infantium baptisma, et morientium pœnitentias. Sed et alia ratio palam est cur ad resumendam crucem anathemate cogerentur, qui illam abjecerant. Gravissimorum scilicet criminum rei, homicidæ, raptores, incendiarii, adulteri, etc., pœnitentiæ canonicæ loco tam difficilem expeditionem aggrediebantur et adornabant, eratque tam arduum opus, satisfactionis pro peccatis illis impositæ vel imponendæ commutatio, ut constat ex oratione Urbani II in Claromontano concilio, quam refert Willelmus Tyrius, lib. 1 de Bello sacro. Sicut ergo qui pœnitentiam professi fuerant, vel ad eam publicè peragendam propter crimina damnati, ad eam implendam censuris ecclesiasticis cogi poterant : ita qui sacræ militiæ nomen dederant et postmodùm ab itineris Hierosolymitani vel Hispanici proposito defecerant, ad tam egregium opus, quod ipsis in pœnitentiam impositum erat, resumendum et exequendum, excommunicationis et interdicti pœnis à sanctâ synodo Lateranensi primâ sunt compulsi; hunc porrò fuisse, quem diximus, sacrarum illarum expeditionum finem, docet inter alios Petrus Diaconus lib. 4 Chronici Cassinensis, cap. 11 : « Fertur, inquit, ista commotio « apud Gallias occasione quorumdam pœnitentium « principia sumpsisse. Qui cùm de innumeris sceler- « bus dignè apud suos pœnitere non possent, et inter « notos sine armis vivere vehementer erubescerent, « auctoritate atque concilio sanctæ memoriæ Urbani « Papæ, prudentis et verè apostolici viri, qui tunc pro « Ecclesiæ negotiis illas adierat partes trans mare, ad « eruendum ex infidelium manibus sanctum sepulcri « Christi locum, in pœnitentiam et remissionem pec- « catorum suorum fide promptissimè se ire spopondè- « rant; certi omninò redditi, quidquid periculorum « incommodorumque subiissent, à Domino pœnitentiæ « loco suscipiendum, dùm tamen se à pristinis nequi- « tiis jam continerent. »

Canon duodecimus Lateranensis, quo de agimus, concilii, vetat ne porticanorum sine hæredibus mo-

rientium bona pervadantur. « Illam, inquit Pontifex, « pravam defunctorum porticanorum consuetudinem, « quæ hactenùs ibi fuit; ex fratrum nostrorum et totius « curiæ consilio, necnon et voluntate atque consensu « præfecti, removendam censemus; ut Porticanorum « habitatorum sine hæredibus morientium bona, con- « tra morientium deliberationem minimè pervadantur; « ita tamen ut Porticani in Romanæ Ecclesiæ et no- « strâ nostrorumque successorum obedientiâ et fideli- « tate permaneant. » Canon iste in Anianensi codice deest; legitur tamen in Vaticano, ut minimè dubium sit quin ad istud concilium pertineat. Cæterùm non levis difficultas est, qui sint *Porticani habitatores*, quos iste canon spectat. Quidam Portuenses, seu Portus Romani incolas intelligunt, qui ævo sequiori Porticani dicti sint, sicut Africani, Anglicani, Gallicani, Corsicani, etc., utque sensum aperiant Lateranensis hujus canonis, observant, præfectum Urbis jus exercuisse in præfectum Annonæ, et curatorem Portûs; cujus munus erat Portum Claudii ad ostia Tiberina restaurare, curam mercium, quæ inibi exponebantur, gerere, incolas et extraneos ab injuriis vindicare. Jus quoque fuisse præfecto in centurionem Portûs, qui cum militibus Portum tuebatur, ex codice Theodosiano colligunt. Observant secundò, Urbis præfectum facultates eorum publicâsse, qui offensam contrahebant propter operas Portuenses (ex S. Ambrosio, epist. 52 libri 8 ad Eusebium episcopum Bononiensem datâ). Quin etiam vindicâsse præfectum bona eorum qui sine liberis decederent; et illis qui ab intestato et sine hærede moriebantur, successisse in civitate Leoninâ; idque juris abolevisse Callixtum II, Pontificem maximum anno 1123, bullâ datâ Albæ 5 idus julii, indictione primâ, Pontificatûs 5. Unde cum in Portu quoque super bonis Porticanorum idem jus usurparet, eam consuetudinem Callixtus quoque sustulit lege latâ in concilio Lateranensi I. De militibus qui Portum Romanum tuebantur agi, verba illa innuere videntur: *Ita tamen ut Porticani in Romanæ Ecclesiæ, et nostrâ successorumque obedientiâ et fidelitate permaneant;* ad eum sensum quo in civitate Centumcellensi consistentes *Devotissimi milites* dicuntur, canone *Principali*, dist. 63. *Principali devotissimorum militum qui in civitate Centumcellensi consistunt relatione ad nos directâ, sacram se insinuant clementissimi principis iuupetrâsse, quæ eis presbyterum, diaconum, et subdiaconum fieri debere constituit.* Sic in civitate Portuensi milites habitabant, qui ipsam tuerentur; qui Romano Pontifici fidelitatem et obedientiam debebant Callixti temporibus. Horum bona præfectus urbis Romæ sibi vindicabat, cùm absque hærede moriebantur. Pravum hunc morem tollere voluit Callixtus II, sed ut lex ferenda executioni facilè et pacificè mandaretur, necessarius erat præfecti, cujus maximè intererat, consensus, qui propterea exprimitur in canone de quo agimus: *Necnon et voluntate atque consensu præfecti.* Hunc esse canonis istius sensum conjiciebat doctissimus Vasionensium episcopus et Vaticanæ basilicæ vicarius Josephus Suarez, à D. Joanne Ciampino litterarum apostolicarum à Secretis, et de Parco majori abbreviatore, sententiam rogatus.

Alii negant, et quidem rectiùs, vocem *Porticanos* de Portuensibus intelligi posse, quòd pontificia diplomata et constitutiones tam prædecessorum, quàm successorum Callixti II, Odiensis Portûs incolas, nunquàm *Porticanos*, sed invariabili vocabulo *Portuenses* appellârint. Quamobrem Porticanorum nomen à porticibus derivari arbitrantur, et observant Romæ ante barbarorum vastationes et incendia ingentes fuisse porticus, ubi peregrini recipiebantur, quorum aliquæ à basilicâ S. Pauli usque ad portam Urbis pertinebant; ut colligitur ex Procopio, lib. 2 de Bello Gothico; aliquæ à Basilicâ Principis, Apostolorum usque ad Molem Hadriani; ut refert Sigonius in Historiâ Italiæ ad annum 1145. *Porticanos* itaque dictos, qui in porticibus habitabant, advenas et peregrinos Horum morientium bona præfectum Urbis pervadere solitum Callixti temporibus. Tunc enim præfectorum summa erat auctoritas, et penè à Romanis pontificibus independens, quia imperatoribus juramento fidelitatis erant obstricti, et ab eo præfecturæ dignitatem tenebant; usque ad Innocentii III tempora, qui præfectum ad ligiam fidelitatem recepit, et consuetudines quas hucusque præfecti usurpaverant contra jura temporalia Romani Pontificis, contra Ecclesiæ libertatem ac reipublicæ bonum, abrogavit, ut ex ejus Vitâ et Litteris compertum est. Consuetudinem itaque pravam, quâ Porticanorum habitatorum, id est, peregrinorum et advenarum seu mercatorum (nam in porticibus merces venales prostabant), seu alterius conditionis hominum in porticibus habitantium, bona Urbis præfectus sibi vindicabat, cùm Romæ absque hærede moriebantur, abolevit Callixtus II, in concilio I Lateranensi, canone 2, de sententia Patrum, de totius Curiæ consilio, de ipsius præfecti voluntate atque consensu. Adjecta conditio est: *Ita tamen ut Porticani in Romanæ Ecclesiæ et nostrâ successorumque nostrorum obedientiâ et fidelitate permaneant;* quia forsan ab obedientiâ Ecclesiæ et legitimi Pontificis defecerant tempore postremi schismatis, à præfecto Urbis in partes Burdini antipapæ tracti. Hunc esse canonis istius sensum conjiciebat vir doctissimus Dominicus Galesius Rubensis episcopus. Quam sententiam olim propugnaverat vir maximus Antonius Augustinus Tarraconensis archiepiscopus, lib. 2 de Emendatione Gratiani, dialogo 5, pag. 279, Edit. Baluzii. Huncce canonem explicans: « Fratres, inquit, interpretor « cardinales et episcopos; Curiam verò, Curiam Ro- « manam, non clericorum, sed civium Romanorum; « præfectum autem, Urbis Romæ præfectum. Porti- « canos suspicor fuisse ineptè dictos, non à porti- « cibus, sed à Portu Ostiensi et aliis qui portoria exi- « gerent. Consuetudo prava fuisse videtur ut eis, « morientibus sine hæredibus, eorum bona diri- « perentur. » De voce *Porticani*, plura videre poterit studiosus lector in Hierolexico sive sacro Dictionario Dominici Macri, et Caroli ejus fratris Romæ edito typis Pontii Bernardon, anno 1677.

Canon decimus tertius concilii Lateranensis I, treugæ, id est, induciarum à privatis bellis auctoritate Ecclesiæ indictarum infractores, si post tertiam monitionem satisfacere contempserint, ab episcopo excommunicationis sententiâ percelli statuit, cum metropolitani consilio, aut cum duobus vel uno saltem vicinorum episcoporum ferendâ, et per scripturam episcopis circumquàque denuntiandâ. Decimus quartus, oblationes Ecclesiis factas à laicis vindicari prohibet sub pœnâ anathèmatis; Ecclesiasque incastellari, id est, à viris potentibus ut rem proprii dominii usurpari; aut in servitutem redigi vetat. Decimus quintus, monetam falsam cudentes, aut studiosè expendentes, tanquàm maledictos, pauperum oppressores, et reipublicæ perturbatores, à Communione removendos edicit. Decimus sextus, eamdem pœnam decernit in eos qui peregrinis Romam aut alia loca sacra devotionis causâ adeuntibus molestiam intulerint, aut eos novis teloneorum vel pedagiorum exactionibus vexaverint. Decimus septimus, abbatibus et monachis prohibet publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, ad sacramenta scilicet ipsis administranda, unctiones facere et missas publicas cantare. Jubet verò ut chrisma et oleum infirmorum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum, ab episcopis accipiant, in quorum sunt diœcesibus constituti. Canon iste qui in codice Anianensi est decimus sextus, aliis quoque verbis in eo exhibetur : « Sanctorum « etiam Patrum vestigiis inhærentes, generali decreto « sancimus, ut monachi propriis episcopis, cum omni « humilitate subjectis existant, et eis ut magistris et « Ecclesiæ Dei pastoribus debitam obedientiam et « devotam in omnibus subjectionem exhibeant. Pu- « blicas missarum solemnitates nusquàm celebrent. A « publicis etiam infirmorum visitationibus, inunctio- « nibus, seu etiam pœnitentiis, quod ad illorum nul- « latenùs officium pertinet, sese omninò abstineant. « In Ecclesiis verò quibus ministrare noscuntur, « presbyteros nonnisi per manum sui episcopi ha- « beant, qui ei de animarum curâ susceptâ respon- « deant. »

Decimus octavus, presbyteros parochialibus Ecclesiis ab episcopis præfici statuit, de animarum curâ ipsis rationem reddituros; eos verò qui decimas et Ecclesias à laicis absque consensu episcoporum susceperint, canonicæ obnoxios declarat ultioni. Decimus nonus, servitia, seu contributiones, quas monasteria vel eorum Ecclesiæ à tempore Gregorii VII, præstare consueverant, confirmat. Possessiones Ecclesiarum tricennales abbatibus et monachis prohibet. Vigesimus, eos qui Ecclesiis, earumque bonis, ac personis, videlicet clericis, monachis, conversis aratoribus, molestiam creaverint, anathemate ferit Vigesimus primus presbyteris, diaconis, subdiaconis monachis prohibet, ne concubinas habeant, aut matrimonia contrahant; contracta dirimit; contrahentes ad pœnitentiam cogendos, secundùm canones, edicit. Canon iste qui in Anianensi codice deest, uti et præcedens, videtur in alterâ Synodo conditus, et huicce Lateranensi falsò adscriptus, quæ sanè duos ejusdem argumenti canones non condidisset. At canon tertius vulgatarum editionum, qui in codice Anianensi septimus est, presbyteris, diaconibus vel subdiaconibus, *concubinarum et uxorum contubernia* penitùs interdicit. Quorsùm ergo canone 21, idem prohibuisset? Canon vigesimus secundus, alienationes possessionum Ravennatis exarchatûs, et bonorum ecclesiasticorum quocumque modo et à quibusvis factas damnat irritasque declarat; ordinationesque ab episcopis seu intrusis canonicè electis, sine communi consensu clericorum Ecclesiæ, sive per simoniam factas, pariter irritas judicat; non quidem quoad substantiamipsam, ut ita loquar, ordinum, et characterem; sed quoad executionem, locum et privilegia quibus carere furtim aut simoniacè ordinatos decernit sancta synodus.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

AUCTORE REIFFENSTUEL (1).

1. Quia præsens materia omnibus clericis scitu valdè necessaria existit, ne, quæ proprium statum, et ecclesiæ sibi concreditæ jura concernunt, culpabiliter ignorent, ea juxta methodum à pluribus auctoribus observatam in theologiâ morali meritò pertractatur. Idipsum, dimissis difficilioribus ad Jus Canonicum quæstionibus, breviter præstabit præsens tractatus

(1) Vid. supra Reiffenstuel vitam, col. 689-690.

DISTINCTIO PRIMA.

De Immunitate ecclesiasticâ ut sic, ejusque speciebus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid et quotuplex sit Immunitas ecclesiastica, et quo iure constituta.

2. Immunitas sic dicitur à munere. Munus enim tripliciter accipitur: I. Pro dono: sic munera dari mit-

tive dicuntur. II. Pro officio : unde munera militaria, munera civilia, qualia solent esse conjuncta cum honore. III. Pro obligatione, seu functione cuipiam impositâ : quo modo et municeps, quasi communium onerum, seu munerum particeps dicitur. Et muneri sic accepto opponitur Immunitas, quæ est exemptio, sive liberatio ab ejusmodi obligationibus et oneribus. Hæc ad propositum applicando, sit

3. Conclusio prima. Immunitas ecclesiastica est exemptio, sive jus quo ecclesiæ, res et personæ ecclesiasticæ à publicis muneribus seu oneribus secularibus liberæ sunt. Ita doctores passim, et patebunt singula ex dicendis.

4. Concl. II. Ejusmodi Immunitas rectè dividitur in localem, et realem, et personalem. Ita communis. Et quidem *Immunitas localis* est quæ convenit ecclesiis aliisque locis ecclesiasticis. *Realis*, quæ competit rebus ecclesiasticis, id est, bonis ad ecclesiam vel personas ecclesiasticas pertinentibus. *Personalis* tandem, quæ debetur personis ecclesiasticis.

5. Concl. III. Certum est quòd clerici, ecclesiæ, earumque bona, si spectentur quoad ea quæ verè et propriè spiritualia sunt, jure divino sint exempta à jurisdictione et potestate seculari. Ita Covarruv., pract. Quæst., c. 31, n. 2, concl. 1; Barbosa, l. 1 Juris eccles. univ., c. 39, § 2, n. 6, et communis aliorum. Exemplificatur hoc de sacramentis, quorum cognitio ad solum judicem ecclesiasticum pertinet; adeò quidem ut, juxta concilium Trid., sess. 4, can. 12 : *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Idem accidit in donis supernaturalibus spiritualibus, in beneficiis ecclesiasticis, in rebus sacris, et aliis similibus, ad quorum decisionem supernaturalis cognitio requiritur. Ratio est quia super his nullam omninò potestatem à Deo acceperunt principes seculares (his quippe tota potestas sua immediatè à republicâ communicatur), sed ad talia dijudicanda per Christum supernaturaliter instituta fuit potestas ecclesiastica, et tradita D. Petro, Joan. 21, ibi : *Pasce oves meas*, ejusque legitimis successoribus, ac per hos cæteris Ecclesiæ prælatis.

6. Concl. IV. Etiam quantùm ad alia prorsùs concedendum est, quòd immunitas ecclesiastica, seu exemptio clericorum, Ecclesiarum, rerumque ecclesiasticarum aliquâ ratione sit de jure divino. Desumitur hoc ex diversis textibus juris, dictam immunitatem esse juris divini clarè attestantibus. Loquendo enim de personali exemptione clericorum, eam haberi de jure divino patet ex c. *Si imperator*, dist. 96, et c. *Silvester*, et c. *Relatum*, 11, q. 1, cum concordantiis. Deinde generatim loquendo de exemptione, seu Immunitate ecclesiarum, habetur textus clarissimus c. *Quanquàm*, de Censibus, in 6, ibi : *Cùm igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solùm jure humano, quinimò et divino, à secularium personarum exactionibus sint immunes.* Et ibidem Glossa, v. *Divino*, probat hoc ex Genes., cap. 47, ubi Pharao rex Ægypti, terram sacerdotum fecit immunem et liberam, ne tenerentur cum aliis quintam partem fructuum solvere regibus. Unde et in veteri Lege sacerdotes et Levitæ erant exempti à jurisdictione seculari aliarum tribuum, et obligatione solvendi tributa. His accedit concilium Tridentinum, sess. 25, c. 20 de Reform., ubi ait : *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum Immunitatem Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam.* Concordat cap. *Nimis*, de Jurejurando, junctis variis conciliis.

7. Dicitur notanter in conclusione, *aliquâ ratione sit de jure divino.* Siquidem in hoc ampliùs declarando variant doctores. Et quidem non pauci volunt, ejusmodi exemptionem non esse de jure divino obligante, sed solùm à lege humanâ, seu per privilegia in corpore utriusque juris clausa; dici tamen quâdam ratione esse de jure divino, scilicet originaliter et initiativè, quatenùs legi naturali valdè conformis est, atque à veteri Lege divinâ originem duxit; prout in simili superiùs dictum est, decimas divinâ constitutione deberi. Et hujus sententiæ sunt Covarruvias, loco cit., num. 2, concl. 3; Lessius, l. 2, de Just. et Jure, c. 33, num. 30; Molina, Garcias, et plures alii, quos citat Barbosa, § 2, n. 1.

8. Alii è contra probabilius, jurique conformius esse censent, clericos etiam in temporalibus jure divino à civili potestate exemptos esse; prout fortiter urgent textu n. 6, relati, atque tenet Glossa, c. *Si imperator*, dist. 96, et c. *Quanquàm*, de Censib., in 6; Abbas, c. *Ecclesia S. Mariæ*, num. 6, de Constitut.; Barbosa, cit., cap. 39, § 2, num. 5, et rursùs § 3, n. 3, pro hâc sententiâ allegans decisionem Rotæ, et plurimos doctores; Layman. lib 4, tr. 9, c. 8, n. 1; Engel., tit. de Immunit. eccles., n. 23, aliique communiùs; quibus novissimè accessit Prosper Fagnanus, c. *Ecclesia S. Mariæ*, num. 10, de Constitut., asserens quod *crebrior gravissimorum interpretum sententia est eam exemptionem esse de jure divino.*

9. Neque obstat allata instantia de decimis; nam decimas etiam hodiè esse juris divini, quatenùs requiruntur ad necessariam Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, superiùs jam dictum est. Verùm de hoc plura canonistæ. * Uti fusiùs præsens auctor in Jure Canonico, lib. 2, Decr., tit. 2, § 9, num. 193, ac seqq., et lib. 3, tit. 49, n. 235 et 236. *

QUÆSTIO II.

In quibus consistat Immunitas localis, sive ecclesiarum.

10. Conclusio prima. Immunitas localis (quam alii appellant *Immunitatem ecclesiarum*, sub his etiam comprehendendo cœmeteria, et alia loca religiosa) consistit in duobus : videlicet, ut actus profani et seculares ab ecclesiis arceantur; deinde, ut malefactores ad ecclesias confugientes, ibidem in vitâ et membris protegantur, neque violenter inde extrahi possint. Et quidem de hoc posteriori fusiùs dicetur distinct. sequenti; quantùm verò ad prius attinet, sit

11. Concl. II. Inprimis in ecclesiis, earumque cœmeteriis prohibitum est, exercere judicia secularia; adeò quidem, ut totus processus judicialis et sententia super causâ seculari ibidem lata, ipso jure irrita, et

VO

nullius roboris existat. Ita expressè statuitur c. *Decet*, § fin. de Immunit. eccles., in 6, ac tenent doctores communiter. Et hoc quidem procedit non solùm de causis criminalibus, sed etiam de civilibus quæ ad forum seculare pertinent, uti patet ex textu. Maximè tamen Immunitati ecclesiarum repugnat, atque *absurdum est et crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta*, ut dicitur c. *Cùm ecclesia*, de Immunit. eccles. Ubi proin, præter nullitatem processûs, etiam sub pœnâ excommunicationis prohibetur agitare causas sanguinis in ecclesiâ, vel cœmeterio.

12. Dicitur notanter, judicia secularia. Siquidem ecclesiastica judicia ibidem validè et licitè tractari possunt, arg. c. *Quâ fronte*, de Appellat., et docet Glossa communiter recepta cit. c. *Decet*, v. *Secularium*, de Immunit. eccles., in 6.

13. Nec dicas : Judicia ecclesiastica prohibentur exerceri in die festo, non minùs ac secularia; ergo etiam utraque prohibentur exerceri in loco sacro. — Respond. enim negando consequentiam et paritatem; nam æquè, imò plus, decet ut clerici in forensibus actibus non occupentur diebus festivis, ac laici. At loquendo de loco, Ecclesia præsumere potuit, judicia ecclesiastica cum minori strepitu minorique tempore expedienda fore quàm secularia; simulque judicem ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut omnia sine irreverentiâ loci sacri fiant. Fatendum tamen magis decens esse ut etiam ecclesiastica judicia non in ecclesiâ, quæ domus est orationis, non jurgiorum, sed in palatio episcopali, aut alio competenti loco fiant. Pirhing., tit. de Immunitat. eccles. n. 7.

14. Concl. III. Insuper prohibitum est in ecclesiis, earumque cœmeteriis facere contractus vel negotiationes, aut nundinas instituere. Ita communis; et habetur citat. cap. *Decet*, de Immunitat. eccles., in 6, ibi : *Cessent in ecclesiis, earumque cœmeteriis negotiationes, ac fori cujuscumque tumultus.* Idque meritò statutum est ad exemplum Christi Domini, qui ingressus in templum Dei, *ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et dixit eis : Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21.

15. Licèt autem contractus in Ecclesiis facere sit prohibitum; iidem nihilominùs de facto initi valent : nam nullo jure irritantur, sicut, citat. cap. *Cùm ecclesia*, de Immunit., eccles. cassantur judicia secularia. Simulque isthæc constitutio, cùm sit pœnalis, non est extendenda ad contractus, et notat Glossa passim recepta cit. cap. *Decet*, v. *Processus*.

16. Cæterùm in templis vendere candelas, si id fiat ad fidelium devotionem promovendam, non est illicitum. Azorius, part. 2, libr. 9, cap. 9, quæst. 5; Angelus, et alii. Nam prohibetur quidem omnis negotiatio, vel contractus, qui fit lucri gratiâ, aut divina officia perturbat, vel impedit : hoc tamen non accidit in venditione candelarum causâ promovendæ devotionis fidelium.

17. Concl. IV. Ulteriùs in ecclesiis prohibentur fieri concilia, conciones et publica parlamenta (intellige) quando talia fiunt de rebus merè temporalibus et secularibus; nam concilia et conventus de rebus ecclesiasticis, aut ad pietatem spectantibus, rectè ibidem instituuntur. Item *confabulationes quælibet et quæcumque alia quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ Majestatis offendere.* Ita his ipsis verbis habetur citat. cap. *Decet*, eod. in 6.

18. Deinde comœdiæ profanæ, ac ludi theatrales penitùs in ecclesiis fieri prohibentur, non obstante quâcumque consuetudine contrariâ, quæ potiùs corruptela dicenda est, cap. *Cùm decorem*, de Vitâ et Honest. clericorum. Quamvis pia et honesta spectacula ibidem exhiberi valeant. Pirhing, loco citat., num. 14, post Silvestrum, et alios.

19. Item *non oportet in basilicis, seu in ecclesiis agapen facere, et intùs manducare, vel accubitus sternere*, cap. 4, *Non oportet*, distinct. 42. Neque intra ecclesiam possunt supellectilia reponi, nisi id necesse sit propter hostiles incursus, aut alias necessitates, quibus tamen cessantibus ad pristina loca reportari debent, argum. cap. *Oratorium*, dist. 42, et tradit Azorius, loco cit., quæst. 8.

20. Tandem novissimè concil. Trident., sess. 22, in decreto de observandis et evitandis in celebratione missæ statuit, ut ordinarii locorum *ab ecclesiis musicas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item seculares omnes actiones, vana atque adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.*

21. Quæres an licitum sit, disputationes in ecclesiis habere. — Respond. affirmativè : quia scientia est donum Dei, et res sancta., arg. l. 1, § 5, ff. de Extraordin. cognition.; ibi : *Est quidem res sanctissima civilis sapientia.* Abbas, c. *Cùm ecclesia*, de Immunit. eccles; Azorius, loco cit., q. 4; Pirhing. n. 11, et alii.

22. Concl. V. Ad Immunitatem ecclesiarum pertinet etiam, ne quis eis violentiam inferat, infringendo earumdem fores, vel ipsas spoliando suis bonis, aut hujusmodi quidpiam attentando. Patet hoc ex c. *Omnes*, et c. *Quisquis*, 17, q. 4, cum concordantiis, ubi tales judicantur sacrilegi. Quinimò ecclesiarum Dei violatores, sive cum effractione spoliantes ecclesias ipso jure excommunicati sunt, arg. c. *Canonica*, 11, q. 3, et c. *Sicut antiquitùs*, 17, q. 4, et c. *Conquesti*, de Sent. Excomm., junctâ Glossâ, ibidem, v. *Excommunicatos nuntietis.*

QUÆSTIO III.

De Immunitate reali et personali.

23. Conclusio prima. Immunitas rerum et personarum ecclesiasticarum (quam alias *realem* et *personalem* appellant) generatim consistit in hoc quòd res atque personæ ecclesiasticæ, à jurisdictione secularium magistratuum, eorumque exactionibus et oneribus, immunes sint et liberæ. Ita omnes theologi, canonistæ et Jurisconsulti catholici, estque definitum

concilio Lateranensi sub Alexandro III, c. 19, et refertur c. *Non minùs*, de Immunit. eccles., ubi etiam laici collectas clericis vel ecclesiis imponentes, aut jurisdictionem ipsorum usurpantes, si moniti non desistant, unà cum fautoribus suis ipso facto excommunicantur. Concordat concilium generale sub Innocentio III, c. 46, relatum in c. *Adversus*, eod., juncto c. *Quia nonnulli*, eod. in 6, et Clem. un., eod., cum concordantiis.

Additio.

* Loquendo nunc in specie de personali Immunitate, certum est, quòd, conformiter textibus Juris, can. *Si imperator*, dist. 96, et c. *Silvester*, ac c. *Relatum*, 11, q. 1, clerici quoad suas proprias personas eâdem immunitate gaudeant, cùm laici non habeant jurisdictionem in ipsas personas ecclesiasticas, utpote gaudentes privilegio fori prout fusiùs ostensum fuit à præsente auctore, lib. 2 Decret., tit. 2, § 9, et lib. 3, tit. 49, § 9 et 10. Unde ex hoc capite clerici sunt immunes à capitatione, propriè tali, quæ imponitur absque respectu ad ipsa bona. Item ab angariis, perangariis, cùm hæc sint onera merè personalia, seu respicientia ipsas personas præcisè ratione *subjectionis*, quibus ab habentibus *jurisdictionem* in ipsas imponuntur. *

24. Ut autem quoad ipsa bona, seu Immunitatem realem hæc conclusio meliùs intelligatur, sciendum quòd bona ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum, triplicis generis distingui possint. Primi generis sunt ipsæmet ecclesiæ materiales, unà cum cœmeteriis; ita vasa sacra, vestes, et quæcumque consecrata, sive benedicta sunt, tanquàm divini cultûs instrumenta. Et de his certum est atque ab omnibus concessum, ea jure divino esse exempta à jurisdictione, et quibuscumque exactionibus magistratuum secularium: nullam enim temporalem utilitatem habent, quæ in æstimationem venire possit; utpotè cùm ad divini cultûs ministerium specialiter dedicata, nullis aliis humanis usibus applicari possint, juxta reg. 51 Juris, in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.*

25. Alterum genus complectitur bona ecclesiarum tum immobilia, tum mobilia, quæ sive à fundatoribus, sive ab aliis fidelibus ad honorem Dei oblata seu donata fuerunt, ut per prælatos ecclesiarum in pios usus, ut puta in ornatum ecclesiæ ac ministrorum ejus sive pauperum sustentationem convertantur. Et de hisce bonis procedere dictam decretalem *Non minùs*, cum concordantiis, conveniunt pariter doctores, eò quòd sint Deo oblata, atque ad cultum ipsius specialiter destinata, sicque non nisi in pios usus convertenda (quod secus foret, si per exactiones secularium gravarentur, atque diminuerentur), cùm sint res Dei et *Sanctum sanctorum Domino*, cap. *Nulli*, 12, q. 2, et alibi.

26. Tertium bonorum genus est eorum quæ ad ecclesiam, aut personas ecclesiasticas pervenerunt aliis titulis sive causis; ut puta emptione, hæreditate, arte, labore manuali, aut alio quopiam titulo temporali. Et de his, præcipuè verò de bonis patrimonialibus clericorum, posset nonnulla moveri difficultas: sit tamen

27. Concl. II. Non solùm bona ecclesiæ quocumque justo titulo acquisita, sed etiam bona patrimonialia clericorum gaudent Immunitate ab extraordinariis collectis, et jurisdictione seculari, atque potiuntur privilegio fori. Ita communis doctorum, uti testatur Barbosa, lib. 1 Juris eccles. univ., c. 39, § 5, num. 6 Layman, lib. 4, tr. 9, cap. 6, num. 9; Pirhing, tit. de Immunit. eccles., numer. 62; Engel, num. 24, cum aliis. Et hoc apertè desumitur ex juribus, n. 6, allegatis, utpote quæ de rebus ecclesiæ et ecclesiasticarum personarum indistinctè atque pariformiter loquuntur. Accedit ratio, quia *accessorium naturam sequi congruit principalis*, juxta reg. 42 Juris, in 6, cum concordantiis. Simulque magis dignum trahit ad se minùs dignum, arg. c. *Quod in dubiis*, de Consecrat. eccles.; atqui dicta bona sunt quid accessorium ad personas ecclesiasticas, simulque hæ multò digniores illis; ergo. Quinimò magistratus secularis nihil posset statuere circa ejusmodi bona patrimonialia clericorum, nisi obligando simul ipsasmet eorum personas: sed has gaudere Immunitate ecclesiasticâ, fatentur omnes Catholici. Et hæ rationes à pari, vel etiam à fortiori militant de bonis ecclesiarum tertii generis; nam ut dicitur l. *Quæ religiosis*, ff. de Rei vindicat.: *Quæ religiosis adhærent, religiosa sunt.*

Additio.

* Limitatur hæc doctrina I, quoad bona mobilia vel immobilia, cum quibus clericus negotiationem instituit; etenim c. *Quanquàm*, de Censib., in 6, tantummodò illæ res clericorum à similibus oneribus dicuntur immunes, *quas non causâ negotiandi deferunt vel deferri faciunt*, quod intelligi debet de negotiatione *lucrativâ*, non autem præcisè *œconomicâ*. Ubi nota quòd posterior sit illa quâ quis emit res, ad sui et familiæ suæ sustentationem necessarias, vel saltem multùm utiles ad eam conservandam, et si quæ per accidens superfluæ remaneant, easdem pretio currente divendit; è contra verò prior, seu lucrativa est, quâ præcisè, vel saltem principaliter res aliqua lucri capiendi gratiâ comparatur, ut eadem vel in suâ priori specie mutatis temporum aut locorum circumstantiis, majori pretio distrahatur, vel ut arte ac industriâ in aliam formam mutata, cariùs vendatur. Unde teste præsente auctore, in Jure Canonico, lib. 3 Decr. tit. 49, num. 249, in sensu intento negotiari dicitur ille qui rem aliquam emptione, mutatione, aliove contractu acquirit et comparat eo animo, ut eam revendendo, distrahendo, vel locando lucrum reportet. E. g., 1° si clericus varia congreget, sibique per emptionem procuret frumenta, ut tempore caristiæ in majori pretio vendere queat; vel 2° si monasterium erigat ex hoc principaliter fine, aromatariam ut conficiendo et distrahendo medicinas capiat lucrum: nam sacra congregat. episcoporum et regularium, die 9 jan. 1602, declaravit: *Regulares non posse aromatariam*

tenere, nisi pro seipsis, quo casu visitari non potest à protomedico. Videantur Barbosa, 2 part. de Potestat. episcop., allegat. 13, n. 13; Molina, de Just. et Jure, tract. 2, disp. 342, conclus. 5; Delbene, de Immunit. eccles., cap. 5, dubitat. 3, lect. 5, n. 3, præsens auctor Reiffenstuel in Jure Canon., loco cit. *

28. Limitatur hactenùs allata doctrina II, in bonis feudalibus et emphyteuticis : nam hæc non pleno jure transeunt in clericum aut ecclesiam, sed dominus directus, qui eadem concessit, præter dominium ipsorum directum certas sibi conditiones et jura reservat; quæ proinde à clericis atque ecclesiis erunt observanda. Unde pariter, si ecclesia vel clericus à seculari domino, v. g., imperatore feudum habeat, ac super jure feudi quæstio inter clericum et laicum emerserit, ea non per judicem ecclesiasticum, sed per dominum feudi erit terminanda, prout decisum habetur c. *Ex transmissâ*, et c. *Verùm de foro competenti.* Hinc respectu secularis feudi ecclesia vel clericus non gaudet privilegio fori, sed tenetur coram secutari domino feudi judicium subire; et convenitur coram eo in actionibus tam realibus, quàm personalibus feudum concernentibus.

29. Limitatur III, si fundator, seu patronus, v. g., princeps territorialis in ipso fundationis limine sibi certam pensionem, sive annuos redditus in bonis ecclesiæ attributis reservâsset, atque ipsos episcopus ante consecrationem ecclesiæ eidem constituisset: arg. cap. *Præterea quoniam*, de Jure patronat., ubi patronis permittitur in ecclesiis *antiquos et moderatos redditus à locorum episcopis institutos exigere.* Postquàm autem ecclesia jam ædificata, dotata, et consecrata est, novi census eidem imponi non possunt, nec veteres augeri, c. *Prohibemus*, de Censibus, cum concordantiis. Quod si secùs fiat, illud irritum erit.

30. Limitatur IV, quoad onera antiqua, seu quæ rebus, antequàm ad Ecclesiam quocumque titulo devenissent, priùs jam imposita fuerunt : nam quælibet res transit cum suo onere, arg. c. *Ex litteris*, de Pignoribus, et alibi. Hinc ecclesia, vel clericus tenetur ad hujusmodi onera antiqua præstanda, dummodò ea sint vera et realia, id est, ipsis fundis seu bonis infixa, perpetua, certa et determinata, arg. c. 1, junctâ Glossâ, v. *Senioribus*, ac summario de Censibus. Et in hoc sensu procedit textus c. *Si tributum*, 11, q. 1, ibi : *Agri ecclesiæ solvunt tributum :* et illud c. *Tributum*, 23, q. 8 : *Quia de exterioribus ecclesiæ, quod constitutum antiquitùs est, pro pace et quiete, quâ nos tueri, et defensure debent, imperatoribus persolvendum est.* * Supple, *titulo concessionis ecclesiasticæ*, non autem, *titulo subjectionis*, seu in ipsos clericos jurisdictionis. De quo videantur Panormitanus, Innocentius, Andreas et Angel apud ac cum P. Pichler in candidato jurisprudentiæ abbreviato, lib. 3, tit. 49, n. 12. *

31. Dicitur, *quoad onera antiqua;* sive, ut canone proximè relato dicitur, *quod constitutum antiquitùs est.* Nam loquendo de oneribus novis, seu quæ imponuntur bonis ecclesiarum, vel personarum ecclesiasticarum eo tempore quo bona illa jam spectabant ad ecclesias vel personas ecclesiasticas, ab ejusmodi oneribus hæ prorsùs immunes sunt, per textus n. 6 allegatos. Et quamvis Bartolus in l. *Rescripto*, § fin, n. 5, de Minoribus, teneat principes laicos posse efficere tributaria, et affecta omnia prædia eorum territorii, ita ut, cùm exinde ad ecclesias pervenerint, obnoxia sint collectis postea imponendis; tamen ejus cautelam esse falsam, et contra Immunitatem Ecclesiæ, et ab omnibus communiter reprobatam, ait Fagnanus, in. c. *Non minùs*, n. 11, de Immunit. eccles., post Baldum et Rotam, quos citat.

32. Concl. III. Etiam in communibus necessitatibus, et utilitatibus reipublicæ, prohibitum est laicis sub pœnâ excommunicationis, novas exactiones seu collectas ecclesiis aut clericis imponere. Ita hodie clarissimè habetur in bullâ *Cœnæ Domini*, ubi § 18, imponentes collectas ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, ipso facto excommunicantur. Idipsum jam antehàc prohibitum fuerat in concilio Lateranensi, sub Alexandro III, ac refertur c. *Non minùs*, de Immunit. eccles., ubi contra oppositum attentantes sic statutum legitur : *Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus; nisi episcopus, et clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ullâ exactione ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Hæc ibi.

33. Dicitur, *absque ullâ exactione;* nam istud, *absque ullâ exactione*, ac spontè per ecclesias, ex arbitrio episcopi, qui dictam necessitatem inspicere debebat, olim conferendum erat; ita ut ea *laici humiliter et devotè reciverent cum gratiarum actione*, prout declaratum fuit in concilio generali sub Innocentio III, et refertur c. *Adversùs*, eod., ubi tamen judicium super his denuò adimitur episcopis, atque præcipitur, ut *propter imprudentiam quorumdam Romanus Pontifex priùs consulatur; cujus interest, communibus utilitatibus providere.*

34. Concl. IV. Ut in casu communium necessitatum vel utilitatum, ecclesiæ, et clerici contribuere debeant, plures requiruntur conditiones, ex allegatis textibus juris desumptæ. I. Ut necessitas vel utilitas sit publica. II. Ut episcopus et clerus super hoc deliberent. III. Ut dicta necessitas vel utilitas sit communis, tam laicorum quàm clericorum. IV. Ut ad eas relevandas non sufficiant facultates laicorum. V. Ut contributio ab ecclesiasticis fiat spontè, et sine aliquâ exactione seu compulsione laicali; unde talis contributio, seu collecta non debet imponi auctoritate magistratûs secularis, sed ecclesiastici, simulque ad eam solvendam clerici non sunt compellendi per judicem secularem, sed per ecclesiasticum. VI. Ut, nisi periculum in morâ fuerit, desuper Romanus Pontifex consulatur. Ita desumitur ex cit. c. *Non minùs* et c. *Adversùs*, de Immunit. eccles., junctâ Clem. un., eod., prout fusiùs explicat Fagnanus, c. *Non minùs*, n. 22 et seqq. ac tenent alii canonistæ.

Additio.

* Quæres an proximè adductæ conditiones quoque requirantur, si necessitas, propter quam fiunt expensæ, non præcisè respiciat ipsam communitatem in genere, seu aliquam rempublicam in communi, sed immediatè redundet particulariter in commodum privatorum, nimirùm in singula ejusdem communitatis membra, etiam ecclesiastica. — Resp. In tali casu, juxta graves etiam auctores proximè citandos, posse, e. g., à magistratu laico peti à clericis aliquam contributionem pro ratâ, *titulo impensarum;* quin necesse sit ad superiùs mentionatas recurrere conditiones. Pro hâc sententiâ citantur Abbas in c. *Non minùs*, n. 20; Barbosa in c. *Adversùs*, de Immunit., n. 4; Gratianus, discept. 399, n. 16, et Silvester, v. *Immunitas*, q. 5, n. 20, ac tenent Pichler, lib. 3, tit. 49, n. 11, et fusiùs Schmalzgrueber, lib. 3 Decret., tit. 49, n. 32 et seq., atque teste eodem Pignatellus, tom. 1, consult. 50, n. 5, addens, ita sæpiùs respondisse S. congregationem Immunitatis; etenim hujusmodi contributiones ex unâ parte non exiguntur à principe, vel aliquo magistratu, *titulo jurisdictionis* in clericos, nec à clericis præstantur in recognitionem *alicujus subjectionis;* ex alterâ autem parte æquum est, ut qui in particulari et quoad privatam suam personam immediatè sentit commodum, sentiat et onus, conformiter regulæ 55; de Regulis juris, in 6, videturque in simili emergentiâ quasi tacitum pactum inter seculares, et tales clericos intercedere. Ex quo inferunt allegati auctores, clericos esse obligatos contribuere, si agrorum ripæ sint adversùs vim fluminis muniendæ, ne fluvius inundet agros etiam proprios, si aperienda fossa, ut aquæ aliò deriventur, aut ducendus rivus, quo prata etiam clericorum irrigentur, vel fodiendus puteus communis, ex quo etiam clerici, ob defectum alterius, aquam accipiant, etc. Notanter tamen annectit P. Schmalzgrueber, loco cit., seculares non posse in simili casu per seipsos adigere ad contribuendum pro ratâ clericos renuentes, sed potiùs debere id per legitimos eorum superiores efficere; nam, uti jam dictum est, etsi frequenter clerici obligentur servare leges civiles *vi directivâ*, non tamen adstringuntur *vi coactivâ*. Aliam cautelam adjungit P. Pichler, loco cit., ut nimirùm à principe vel magistratu non excedatur rata factarum desuper impensarum, puta, si contributiones sub *titulo impensarum* ita augerentur apud clericos, ut exinde aliqua pars inferri posset in ærarium publicum, vel applicari ad solvenda alia debita communitatis, aut ad conservandum splendorem majorem principis, vel ut aliqua civitas faciliùs sustinere valeat expensas faciendas ob adventum principis, nativitatem filii principis, aut dotationem principissæ, nuptias proximè celebraturæ, uti exemplificat P. Franciscus Schmier, l. 3 Jurisprudentiæ, tr. 1, part. 3, cap. 4, sect. 3, § 3. *

DISTINCTIO II.

De jure asylorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo jure, quibusque locis competat privilegium asyli?

1. Immunitas localis, ut jam superiùs dictum, consistit in duobus : videlicet, ut actus profani et seculares arceantur ab ecclesiis, et ut malefactores ad eas, aliaque pia loca confugientes in vitâ et membris protegantur, neque inde violenter extrahantur. Siquidem tum per leges civiles, tum sacros canones speciale privilegium ecclesiis aliisque piis locis, ob majorem eorum reverentiam, concessum est ut delinquentes, qui ad illas tanquàm ad asylum confugiunt, per vim extrahi non possint. Et de hoc loquendo, sit

2. Conclusio prima. Privilegium Immunitatis seu asyli ecclesiastici non est juris naturalis aut divini, sed humani duntaxat, civilis ac ecclesiastici. Ita Covarruvias, lib. 2, variar. Resolut., cap. 20, n. 2; Pirhing, tit. de Immunit. eccles., n. 15, et communior aliorum. Idque desumitur ex c. *Inter alia*, de Immunit. ecclesiarum ibi : *Juxta sacrorum statuta canonum, et traditiones legum civilium, fugiens ad ecclesiam*, etc. Accedit ratio; quia, licèt jure naturali ac divino Deus sit colendus, et reverentia locis sacris exhibenda, non tamen inde necessariò infertur, hoc fieri debere, Immunitatem reis ad ecclesiam confugientibus præstando, partim quia etiam crimina esse coercenda jure naturali ac divino statuitur; partim quia reverentia locis sacris jure divino et naturali debita satis observaretur per hoc quòd actus profani et seculares inde arceantur.

3. Nec obstat quòd jam in lege veteri Deus præceperit civitates refugii esse constituendas, Exod. 21, n. 35, et Deut. 19, simulque etiam gentiles ex instinctu naturæ aliqua loca designaverint, quæ vocabantur *asyla;* atque, ipsum concilium Trid., sess. 25, c. 20, de Reform., asserat, *ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum Immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam.* — Respondeo enim leges veteris Testamenti, quæ morales non fuerunt, sed tantùm cæremoniales aut judiciales, per adventum Christi exspirâsse. Unde jus asyli jam non habetur ex veteris legis obligatione, sed solùm ad quamdam ipsius similitudinem, et secundùm congruam juris naturalis æquitatem (quam etiam gentiles agnoverunt), de facto per sacros canones ac leges imperatorias, ecclesiis aliisque locis sacris concessum fuit. Nec obstat concilium Trid., loc. cit. : nam, ut concordentur jura juribus, loquendo de Immunitate asyli, plus non vult quàm asyla ad imitationem veteris legis, atque instinctu divino, acceptâque à Deo auctoritate, per canonicas sanctiones constituta esse.

4. Infertur proinde cum Barbosâ, lib. 2, Juris eccles. univ., cap. 3, n. 82; Engel, tit. de Immunit. eccles., num. 9, Covarruviâ et aliis, quòd circa hanc Immunitatem ecclesiasticam, seu jus asyli, habeat magnam vim consuetudo; ac propterea ad eam multis in casibus judices recurrere debeant. Nam quia hæc Immu-

nitas non est juris naturalis aut divini, sed humani duntaxat, consequenter contrariam consuetudinem admittit, arg. c. ult. de Consuet.

5. Concl. II. Privilegio asyli gaudent omnes ecclesiæ, sive consecratæ, sive nondùm consecratæ, dummodò auctoritate episcopi benedictæ fuerint, aut aliâ ratione, ut puta erectione crucis, ad publicum missæ sacrificii usum deputatæ; prout liquet ex c. *Ecclesiæ*, de Immunit. eccles., idque procedit, etiamsi ecclesia illa sit interdicta vel polluta, et necdùm reconciliata: quia tales censuræ aut impedimenta juris, utpote pœnalia et odiosa, non oportet extendere ultra casus à jure expressos, Pirhing, loc. cit., n. 3, Silvester et alii.

Additio.

* Nec refert quòd tales ecclesiæ necdùm perfectè sint constructæ, dummodò ibidem auctoritate episcopi primus lapis jam fuerit positus, et loco altaris modo in rituali præscripto crux defixa. Idem sentiendum, quamvis talis ecclesia infortunio, e. g., terræ motu corruerit, nisi sit destructa auctoritate superioris sine spe reædificationis. Ratio horum omnium est, quia talis locus adhuc verè, et quidem auctoritate episcopi obsequiis divinis est dedicatus, quod sufficit, arg. c. 9, de Immunitate. *

6. Præterea jure asyli gaudent cœmeteria, unà cum fabricis ad templi structuram attinentibus, ut est sacristia, turris, atrium, porticus atque ambitus: quia hæc omnia vel spectant ad ecclesiæ fabricam, vel ei sunt annexa. Quinimò cœmeterium auctoritate episcopi designatum et sacratum, obtinet privilegium Immunitatis, etiamsi sit separatum ab ecclesiâ. Barbosa, loc. cit., n. 63 et seqq.

7. Nec dicas: Si super tectum templi, aut in ejus turri vel sacristiâ, sive subtùs ecclesiam in cavernâ committitur injuriosa humani sanguinis vel seminis effusio, non polluitur ecclesia, ut notat Glossa communiter recepta in c. un. de Consecrat. eccles., in 6; ergo neque gaudent isthæc loca jure asyli. Negatur enim consequentia: nam quando agitur de violatione sive pollutione ecclesiæ, nomen *ecclesiæ* strictè accipiendum est pro solo spatio sive ambitu interiore, eò quòd materia hæc sit quasi pœnalis et odiosa. E contra, dùm sermo est de privilegio asyli, quod est favorabile et gratiosum, nomen *ecclesiæ* accipiendum est latè; quo sensu omnia ei annexa et cohærentia complectitur: nam *odia restringi, et favores convenit ampliari*, juxta reg. 15 Juris, in 6.

8. Hùc facit c. *Si quis contumax*, 17, q. 4, ubi puniri jubetur, qui fugientem *de atrio ecclesiæ, vel de porticibus quolibet modo ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit*. Quinimò hâc ipsâ de causâ gaudet Immunitate, nec potest violenter abstrahi, qui clausam ecclesiam reperiens, ejus januam vel seram apprehendit: quia jam censetur existere in loco sacro. Barbosa, ibidem, n. 65; Bonacina, disp. 2, de Bullâ Cœnæ, q. 3, punct. 16, § 4, n. 19 et alii. Et hoc extendunt non pauci doctores ad illum qui parietem ecclesiæ exteriorem tangit: nam privilegia Immunitatis sunt amplianda, simulque talis censetur adhærere loco sacro. Diana, part. 3, tract. 1, resol. 73, post Aloysium Riccium, et Bonac., disp. 3 in Decal., q. 3, punct. 4, n. 5, citans plures alios: quamvis non desint oppositum tenentes quoad hoc posterius.

9. Insuper dicta Immunitas non tantùm ecclesiis, sed etiam spatio quadraginta passuum circa majorem sive matricem ecclesiam, et spatio triginta passuum circa minores ecclesias, concessum legitur c. *Sicuti antiquitùs* et c. *Diffinivit*. 17, q. 4. Verùm hoc non habere locum quoad ecclesias intra castella sive muros civitatum constructas, desumitur ex c. *Quisquis*, 17, q. 4, ibi: *Capellæ quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in hâc triginta passuum observatione;* et post Archidiaconum notat Covarruv., lib. 2 var. Resol., c. 20, n. 5, cum quo etiam notant plerique doctores, istam Immunitatis ad quadraginta vel triginta passus extensionem de consuetudine vix alicubi observari: quamvis Fagnanus, c. *Ecclesiæ*, n. 20. de Immunit. eccles., referat quòd S. Congregatio cardinalium indistinctè servari jusserit Immunitatem per circuitum dictorum passuum, saltem in cathedralibus et collegiatis ecclesiis.

10. Concl. III. Insuper monasteria, seu domus religiosorum, et eorum horti, areæ, et quæcumque intra monasteriorum septa continentur; nec non hospitalia aut oratoria auctoritate episcopi constituta (secùs si oratoria non sint constructa auctoritate episcopi), atque omnia alia loca religioni aut pietati destinata, dummodò eâdem auctoritate episcopi fundata fuerint, gaudent privilegio asyli. Ita Barbosa, loc. cit., n. 67 et seqq.; Fagnanus, cit. c. *Ecclesiæ*, n. 23 et seqq., et alii. Idque patet tum ex l. *Pateant*, c. de his qui ad ecclesias confugiunt, tum ex c. *Id constituimus* 17, q. 4, cum concordantiis; ac præsertim ex bullâ Gregorii XIV, quæ incipit: *Cùm aliàs*, 1591 desuper emanatâ, ibi: *Monasteriis, domibus, locisque sacris aut religiosis.*

11. Nec dicas: Si omnia hujusmodi loca religiosa gaudent Immunitate ecclesiasticâ, cur ergo communiter rei confugiunt ad monasteria, non verò ad ecclesias quarum tanta est multitudo? — Resp. id præcipuè fieri ob majorem asyli amplitudinem et commoditatem, quæ habetur potiùs intra septa monasteriorum quàm in ecclesiis vel aliis locis religiosis; quamvis reverà et hæc gaudeant privilegio Immunitatis, seu jure asyli ecclesiastici.

12. Concl. IV. Reus confugiens ad sacerdotem, manibus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum portantem extra ecclesiam, gaudet jure asyli. Ita Abbas, Panorm., c. *Sanè*, de Celebr. missar.; Engel, tit. de Immunit. eccles., n. 12; Barbosa, cit. c. 3, n. 69, allegans pro hâc sententiâ plurimos doctores; quamvis Covarruvias, n. 6, non nihil de hoc dubitet. Ratio est quia sanctissimum corpus Christi est longè dignius quàm ecclesia materialis, simulque ipsis ecclesiis conceditur hoc privilegium propter corpus Christi; ergo multò magis huic, sive sanctissimo Eucharistiæ sacra-

mento : nam *propter quod unumquodque tale, et illud magis tale.*

13. Nec obstat quòd de hoc non habeatur textus clarus in jure, siquidem præsens materia est favorabilis, sicque extendenda; et alioquin privilegium extenditur ad casum non expressum, quando ex mente privilegiantis potest ille casus comprehendi. Et hâc de causâ istud intelligunt doctores non solùm in casu quo quis sacerdotem vel hastam baldachini apprehenderit, sed etiam si se personis comitantibus sanctissimum sacramentum immiscuerit : quia omnes illæ cum sacerdote Sanctissimum deferente unam ecclesiam constituunt, quibus proinde favor iste concessus intelligitur.

14. Neque hinc sequitur quòd etiam captivus sumens Eucharistiam gaudeat Immunitate : siquidem privilegium asyli conceditur fugientibus ad eccle iam vel Eucharistiam; captivus autem non potest ad eam fugere, benè tamen sanctissimo sacramento ut viatico et spirituali cibo animæ refici. Multò minùs confugiens ad sacerdotem, sanctum oleum ad infirmos deportantem, gaudebit Immunitate, cùm huic neque jus faveat, neque paritas, sive ratio faciendæ extensionis. Barbosa, ibid., cum aliis.

Additio.

* Quæres an gaudeant privilegio asyli ædificia clericorum in communi viventium, e. g., Patrum Oratorii, vel S. Philippi Nerii, item domus parochiales et palatia episcoporum? — Resp. I : Fabricæ illæ, in quibus clerici in communi viventes insimul habitant, gaudent jure asyli, si fuerint debitâ auctoritate episcopi erectæ. Ita Peregrin., c. 4, n. 66, et Delbene, de Immun., c. 16, dub. 9, sect. 13. Ratio est quia censentur loca sacra, utpote auctoritate episcopi ad cultum divinum deputata. — Resp. II : Domus parochiales insistendo juri communi, et præscindendo à consuetudine, gaudent jure asyli, dummodò non ultra triginta passus distent à suâ ecclesiâ. Ita cum Barbosâ et aliis præsens auctor, l. 3 Decr., tit. 49, § 2, ac refertur sic à sac. congregatione Immunitatis declaratum in unâ Nepesinâ 4 martii, anno 1626, et in alterâ die 10 decembris, anno 1658, uti testatur Pignatell., tom. 1 Consultationum. — Resp. III : Palatia episcoporum pariter gaudent jure asyli, saltem si non distent ultra quadraginta passus à suâ ecclesiâ cathedrali. Ita Menochius, l. 9, de Immunit., c. 5, v. *Palatium episcopi*, et sub his terminis communis, atque deducitur ex can. *Sicut antiquitùs*, 17, q. 4, ubi jubetur excommunicari qui in tali circuitu ecclesiæ majoris seu cathedralis personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit, quod utique signum est prædictum circuitum et palatium episcopi intra illud spatium contentum, gaudere asylo. Utrùm verò eodem fruatur privilegio tale palatium ultra quadraginta passus ab ecclesiâ cathedrali distans, inter DD. non convenit, ubi præsens auctor, l. 3 Decr., tit. 49, n. 52, cum Abbate, Fagnano, Silvestro, Hostiensi adhùc affirmativam tenet. E contrà verò Decianus, Julius Clarus, Pignatellus et alii negativam defendunt, putatque Menochius, lib. 4, cap. 5, eam procedere saltem in casu quo tale episcopi palatium ultra quadraginta passus ab ecclesiâ cathedrali distans, neque habet aliquam capellam publicam, in quâ indifferenter homines ad audiendum sacrum admittuntur. *

QUÆSTIO II.

Quæ personæ gaudeant jure asyli ecclesiastici?

15. Reorum ad loca sacra tanquàm asyla fugientium, alii possunt esse fideles, alii infideles; et illorum quidam laici, quidam clerici vel religiosi; istorum alii pagani aut Judæi, alii hæretici, et denique ii vel gravitate delictorum, vel ære alieno oppressi. Et de omnibus his procedit præsens quæstio.

16. Conclusio prima. Certum est omnes fideles laicos delinquentes, et ad loca sacra confugientes gaudere jure ecclesiastici asyli, dummodò non admiserint crimina specialiter excepta. Patet hoc ex c. *Si quis contumax*, 17, q. 4, et c. *Inter alia*, de Immunit. eccles. cum concordantiis, ac præsertim ex cit. bullâ Gregorii XIV, *Cùm aliàs*. Et hoc intellige, etiamsi hi sint excommunicati vel interdicti : nam censura non privat Immunitate, cùm hujusmodi pœna nullibi sit jure expressa, simulque censuræ sint medicinales, non mortales, arg. cap. 1, de Sent. excom. in 6; Pirhing, loc. cit., n. 32; post Covarruviam, cit. c. 20, n. 11, et alios.

17. Concl. II. Fideles debitores pecuniarii, qui solvendo non sunt (vulgò falliti) confugientes ad ecclesiam gaudent Immunitate. Ita Abbas, c. *Inter alia* n. 22, de Immunit eccles.; Barbosa, cit. lib. 2, Juris ecclesiast. univ., cap. 3, n. 46 et 47; Covarruvias n. 14, et alii magno numero ab ipsis relati, quamvis non desint quidam oppositum tenentes. Ratio est, tum quia in favorabilibus reorum nomine veniunt debitores; reus enim dicitur, cui movetur quæstio, id est intentatur actio, sive civilis, sive criminalis, c. *Form.*, de Verb. signif., tum quia bulla Gregoriana, § 2, expressè facit mentionem de *fraudulentis decoctoribus*, ita tamen ut revocet quæcumque privilegia et indulta ipsos extrahendi; tum tandem quia c. *Inter alia*, de Immunit. eccles., generaliter prohibetur extrahi de ecclesiâ invitus; adeò ut etiam servus, ob timorem domini ad ecclesiam confugiens, non sit restituendus, nisi de impunitate suâ dominus ejus clericis juramentum præstiterit.

18. Cæterùm, si fraudulentus debitor in creditorum præjudicium una cum rebus et bonis alienis ad ecclesiam se recipiat, tunc de licentiâ episcopi ejusmodi bona sunt consignanda judici seculari ad effectum, ut veris dominis reddantur. Barbosa, cit. n. 47; Diana, part. 6, tr. 1, resol. 17, et alii. Nec obstat c. *Diffinivit*, 17, quæst. 4, ubi prohibetur quidpiam *damni*, *seu spolii residentibus in loco sancto inferri*. Nam loquitur textus de bonis propriis rei, non autem alienis, et in quorum detentione idem delinqueret.

Additio.

* Unde, ne fortè rectores ecclesiarum, ad quas tales debitores confugiunt, nimiùm faveant similibus, non rarò in præjudicium creditorum pecunias multas

hisce onèratas, secum in locum asyli asportantibus, et ex eo occultè postea aliorsùm aufugientibus, benè notandæ sunt sequentes declarationes S. congregationis : una Immunitatis, die 1 decemb., anno 1617, dicens, quòd *decoctor non debeat res et bona in præjudicium creditorum ad ecclesiam transferre, sed debeant illa judici seculari consignari, ut adjudicet, cui de jure competunt.* Altera congr. episcop. et regularium 14 novemb., anno 1636, ubi præcepit, *bona posita in loco immuni in præjudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni.* Et 12 decemb., anno 1642, mandavit, ut *ex quâdam ecclesiâ extraherentur bona eò transportata in fraudem creditorum; consignanda tamen judici competenti.* Videantur de hoc in casu emergenti fusiùs Delbene, cap. 16, dub. 11, sect. 6, n. 17 et seqq., et Menochius lib. 4, de Immunitate, cap. 7, v. *Cæterum ad finem.*

19. Concl. III. An clerici et religiosi in asylis tuti sint etiam contra proprios judices ecclesiasticos (nam contra judices seculares defenduntur aliunde, videlicet per privilegium fori), ita ut ab illis extrahi extra casus jure exceptos non possint, multùm controvertunt doctores, aliis affirmantibus, cæteris verò negativam sententiam tenentibus, uti videre est apud Fagnanum, c. *Inter alia*, n. 70 et seqq. de Immunit. eccles.; Barbosa. lib. 2 Juris eccles. univ., cap. 3, n. 137; sed meritò uterque horum affirmativam sententiam amplectitur, veluti probabiliorem et magis communem : nam canones generaliter loquuntur, non distinguendo inter clericum et laicum, ac proinde generaliter de omnibus sunt intelligendi. Deinde privilegium asyli, hoc est, ut nullus violenter inde extrahi valeat, principaliter concessum est ipsi ecclesiæ, sive loco sacro, idque propter reverentiam ejus, arg. c. *Reum*, et c. *Frater*, 17, quæst. 4, cum concordantiis; ergo suffragatur cuilibet, sive clerico, sive laico, nisi sit de specialiter exceptis. Accedit quòd clerici non debeant esse deterioris conditionis quàm laici, simulque nullibi hoc privilegium eis ademptum reperiatur.

20. Cæterùm data resolutio procedit quoad crimina graviora et correspondentes ipsis pœnas judiciales enormes, quæ limites disciplinæ ecclesiasticæ ac regularis correctionis excedunt; non verò quoad pœnas correctivas omninò necessarias pro conservatione statûs ecclesiastici ac regularis. Infertur proinde quòd clericus perpetrans homicidium non præmeditatum, ac extra locum sacrum (quod additur, quia alioquin hoc delictum foret unum de exceptis) et confugiens ad ecclesiam gaudeat Immunitate; adeò quòd non possit inde violenter extrahi, et tradi curiæ seculari, vel mitti ad triremes.

Secus est de delictis levioribus aut pœnis merè ecclesiasticis quæ potiùs correctionem sapiunt quàm vindictam publicam. Sic enim religiosi delinquentes possunt secundùm eorum instituta per superiorem in monasterio coerceri, verberari et in carcerem detrudi, imò, si opus fuerit, etiam de monasterio expelli, neutiquàm suffragante ipsis Immunitate loci : prout patet experientiâ, ipsâque religionum consuetudine, quæ est optima legum interpres, et tenent doctores passim. Similiter potest episcopus clericum in flagranti crimine in loco sacro deprehensum, suis carceribus mancipare ad correctionem, absque violatione Immunitatis ecclesiasticæ : tum quia hìc non agitur de amissione vitæ, vel membrorum, arg. c. *Inter alia*, de Immunit. eccles., tum quia alioquin disrumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ contra c. *Cùm inter*, de Consuet.

21. Concl. IV. Quantùm ad Judæos et paganos, multi censent eos ad ecclesiam confugientes gaudere Immunitate ecclesiasticâ; eò quòd privilegium istud fuerit concessum loco sacro, ob ejus reverentiam; atque ipsum, tanquàm ecclesiis favorabile, sit ampliandum; simulque canones illud concedentes loquantur generaliter et indistinctè, prout inter plures alios vult, et argumentatur Fagnanus, loc. cit., n. 59 et seqq., et Diana part. 6, tract. 1, resolut. 23, et pro hâc sententiâ Barbosa, cit. c. 3, n. 44, allegat declarationem S. congregationis controversiis jurisdictionalibus præpositæ, anno 1631 factam; de quâ si legitimè constabit, dicta sententia omninò tenenda erit.

22. Cæterùm insistendo juri communi probabilius videtur eos non gaudere Immunitate, nisi sincero corde parati sint veram fidem amplecti, ut tradit Abbas, c. *Inter alia*, n. 6, de Immunit. eccles.; Covarruvias, n. 11; Pirhing, tit. de Immun. eccles., n. 39; Layman, lib. 4, tr. 9, cap. 3, n. 12; Bonacina, disp. 3 in Decal., quæst. 7, punct. 6, § 5, n. 3, et alii quamplures. Ratio est, tum quia ita habetur decisum in Jure civili, l. 1, c. de his qui ad ecclesias confugiunt, quæ lex non reperitur in Jure canonico correcta, imò potiùs approbata, cit. c. *Inter alia*, ibi : *Juxta sacrorum statuta canonum, et traditiones legum civilium*, tum quia indignus est ut ab Ecclesiâ defendatur, qui Ecclesiam contemnit, arg. cap. ult. de Immun. eccles. Sic autem Ecclesiam contemnunt infideles, nolentes veram fidem amplecti, ipsamque Ecclesiam per baptismum ingredi; tum tandem, quia canones Immunitatis privilegium locale concedentes ecclesiis intelligendi sunt secundùm materiam subjectam, hoc est, de personis ecclesiasticæ jurisdictioni subjectis, sive de fidelibus : si quidem istorum curam et gubernationem gerit Ecclesia, non Judæorum aut paganorum, de quibus dicit Apostolus, 1 Corinth. 5 : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Et per hoc patere potest responsio ad rationes in oppositum.

23. Concl. V. Certum est quòd hæretici ob crimen hæresis priventur Immunitate ecclesiasticâ : siquidem in bullâ Gregorianâ expressè excipiuntur *hæresis rei*; idque meritò propter enormitatem hujus criminis, ad Ecclesiæ subversionem specialiter tendentis.

24. Cæterùm, an hæretici propter solum crimen hæresis, vel (ubi publicè tolerantur, v. g., in Germaniâ) etiam propter alia crimina, ut puta homicidium, furtum, etc., Immunitate priventur, rursùm variant doctores. Eos privari affirmat Covarruvias, cit. cap. 20,

n. 11, cum quibusdam aliis ; tum quia hæretici, tanquàm Ecclesiæ hostes et proditores omni ejus favore indigni sunt; tum quia tales reverà sunt *næresis rei*, non obstante quòd propter hoc crimen non inquirantur : atqui hæresis rei generaliter et absolutè excluduntur à privilegio Immunitatis per bullam Gregorianam; ergo.

25. Oppositam nihilominùs sententiam non pauci doctores sequuntur, ut Sylvester, v. *Immunit. III*, quæst. 3, Zoesius, tit. de Immunit. eccles., n. 16, Pirhing n. 40, Engel n. 19, et alii. Rationem dant quia in hæretico propter homicidium, vel aliud crimen ad ecclesiam confugiente hæresis se habet per accidens; neque enim is fugit ad ecclesiam propter hæresin, sed propter aliud delictum. Accedit quòd hæreticus per baptismum jam sit ingressus Ecclesiam, ejusque legibus obligetur; ergo pariter favoribus localibus, sive Immunitate ecclesiis ob earum reverentiam concessâ frui poterit. Et hoc vel maximè tunc quando is à pertinaciâ et errore recedens per veram pœnitentiam Ecclesiæ reconciliatus fuit, sicque dignus effectus ut illius favore et protectione, perinde ac alii fideles, per Immunitatem defendatur, prout limitat Bonacina, cit. § 5, n. 2.

Additio prima.

* Quæres I an milites illi qui sine legitimâ dimissione militiam deserentes confugiunt ad ecclesias vel monasteria, gaudeant Immunitate ecclesiasticâ? — Resp. ad hoc quæsitum in praxi valdè frequens, tales milites, nisi simul sint conjuncta aliqua alia delicta gravia Immunitate gaudentia, de per se non gaudere, si ille qui habet potestatem cavendi, sufficientem præstet cautionem, quòd similibus nullum in vitâ aut membris nocumentum, nec verberatio nimiùm inhumana fermè ad mortem usque, sit inferenda. Ita cum aliis Gonzalez in cap. *Inter alia*, de Immunitate eccles., n. 8, et probatur à pari, quia etiam servus non gaudet eâ Immunitate, sed is domino exigenti extradi debet, si dominus præstet securam juratam cautionem de non inferendo simili nocumento, uti expressè habetur cap. 6 de Immunit. eccles., junctâ lege 4, c. de His qui ad ecclesiam confugiunt; ergo pariformiter erit discurrendum de milite deserente militiam sine legitimâ dimissione : nam, cur servus sub prioribus conditionibus non gaudeat Immunitate, ratio est quia à domino suo fugiens suî ipsius quasi furtum facit, subtrahendo se à suo legitimo domino : sed hoc ipsum verificatur quoque quoad militem à militiâ transfugam, cùm etiam priùs per juramentum fidelitatis se principi quasi tradiderit, sicque res quasi illius facta fuerit, consequenter deserendo militiam per hanc subtractionem, seu per fugam ad asylum quasi suî ipsius furtum quoque facit, prout satis clarè innui videtur, l. *Præsenti*, 6, § *Sanè*, 5, cod. de His qui ad ecclesiam confugiunt. *

Additio II.

Ex hoc quæsito tria benè notanda eruere possunt superiores talium ecclesiarum vel monasteriorum. I. Ne statim et absque ulteriori examine ipsimet cooperentur, ut tales transfugæ liberi evadant fugiendo aliorsùm : etenim, si hoc resciretur à præfectis militum, possent non sine gravi fundamento petere satisfactionem, et novi militis substitutionem, quia altero fuerunt privati, cui forsan dedissent sufficientem cautionem de non inferendo gravi nocumento, si præcedenter fuissent requisiti. II. Ne statim fidant cuilibet cautioni, ac præprimis attendant an is qui eamdem dat, habeat sufficientem potestatem cavendi ; ubi in nonnullis provinciis hæc potestas dicitur competere generalibus, vel etiam chiliarchis ejusdem legionis; in aliis verò (uti in Bavariâ) non nisi supremo consilio bellico. Solet autem ordinariè in praxi exigi cautio scripta, ut miles eò securior evadat à tam enormi pœnâ. III. Ut benè advertant milites non gaudere Immunitate ob leviores respectivè pœnas evitandas ad ecclesiam seu monasterium confugientes, cùm hæc Immunitas solùm concessa sit ad evitandas graviores, præcipuè capitales; uti eruitur tum ex c. *Inter alia*, de Immunitate, tum ex Gonzalez, ubi scribit in citatum capitulum, *Inter alia*, de Immunit., præsertim n. 8. Hinc suadendum similibus ut illicò iterùm redeant ad suos, ne, si resciatur, pœnas suas aggravent. *

Additio III.

* Quæres II an femina committens crimen non exceptum, et in aliquo extraordinario casu confugiens ad monasterium virorum, vel vice versâ vir ad monasterium monialium, gaudeat Immunitate ecclesiasticâ, ita ut excludi nequeat? — Resp. affirmativè, ita tamen ut si detur aliquis locus extra clausuram, illùc ponatur. Quòd si similis locus non adesset, omni possibili præcedente cautelâ, et circumspectione adhibitâ talis persona insistendo juri, ab ipsâ clausurâ exoludi nequiret; ratio est quia jus tuendi vitam tanquàm de jure naturæ excusat ab observantiâ juris positivi, præcipientis ne mulieres ingrediantur clausuram virorum, vel viri clausuram monialium. Cæterùm ad omne scandalum vitandum in tali casu, si aliud remedium non suppetat, nec illicò absque periculo, ne deprehendatur, occultè (v. g., sub aliâ veste) aufugere iterùm queat, posset mulier rea ad monasterium monialium, vel vir reus ad conventum virorum translocari. Videantur in simili casu Rodriquez. tom. 1. QQ. regul., q. 47, art. 4, Lezana v. *Clausura*, n. 131; Bonacina, de Clausurâ, q. 4. punct. 4, n. 13. et Delbene de Immunitate, cap. 19, dub. 45 et seqq.

QUÆSTIO III.

Quæ crimina non gaudeant Immunitate ecclesiasticâ?

26. Conclusio prima. Omnia crimina gaudent Immunitate ecclesiasticâ, quæ de jure non reperiuntur specialiter excepta. Ita communis, et habetur expressum c. *Inter alia*, de Immunit. eccles., ibi : *Fugiens ad ecclesiam, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesiâ extrahenaus*, etc. *nisi publicus latro fuerit, vel depopulator agrorum*, etc Unde adulteri, raptores virginum, condemnati ad tri-

remes, et hujusmodi gaudent Immunitate, cùm de jure canonico specialiter non excipiantur.

27. Nec obstat quòd, spectato jure civili ab Immunitate excipiantur homicidæ quicumque, adulteri et raptores virginum, auth. de Mandatis princip., § *Neque autem*, collat. 8. — Resp. enim quòd in materiâ Immunitatis utpote merè ecclesiasticâ non sit attendendum jus civile, sed canonicum, et quidem in omni foro, quando est discrepantia in utrumque.

28. Concl. II. Septem sunt crimina quæ non gaudent Immunitate ecclesiasticâ; quæ, licèt in jure canonico paulò aliis verbis contineantur, tamen in bullâ Gregorii XIV *Cùm aliàs* (et habetur tomo 2 Bullarii Romani, constit. 7 dicti Pontificis), referuntur sequentibus verbis, § 3 : *Ut laicis ad ecclesias locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis earumve cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis rei, Immunitas ecclesiastica non suffragetur.* Hæc ibi.

29. Concl. III. Primò itaque Immunitate non gaudent *publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, uti loquitur bulla Gregoriana, et concordat textus, c. *Inter alia*, de Immunit. eccles.; et hoc est primum crimen exceptum; nam latrones et viarum grassatores parùm differunt, nisi quòd latronis nomine illi tantùm venire videantur, qui publicas vias obsidentes solent aggredi, et despoliare viatores cæde interveniente; grassatores autem viarum id faciant absque cæde hominis; et utroque casu crimen est exceptum. Tales censentur piratæ, et qui publicas obsident vias, vel arcem habent aut castrum, et inde erumpere solent ad despoliandum homines prætereuntes.

30. Infertur proinde fures recipi asylo. *Fures* enim vocantur, qui occultè et sine armis furantur; qui autem violenter aggrediuntur, sive cum armis, sive absque armis, *latrones*, prout habetur auth. *Sed novo*, c. de Servis fugitivis. Similiter is gaudet Immunitate, qui quidem in viâ publicâ hominis deprædationem attentavit, sed non perfecit, quia in pœnalibus et odiosis, præsertim quæ cedunt in præjudicium Ecclesiæ, actus debent esse perfecti, et consummati.

Additio.

* Quinimò non desunt auctores qui cum Deciano et Bonacinâ putant, non solùm illum qui in viâ publicâ deprædationem incipiens, eamdem necdùm perfecit, gaudere immunitate ecclesiasticâ, sed etiam alterum quoque, qui eamdem deprædationem perfecit quidem, absque tamen occisione, vel mutilatione. Et quamvis hæc doctrina videatur pugnare contra proximè dicta num. 29, insistendo tamen bullæ Benedictinæ (de quâ *addit.* post num. 41), gravissimum sanè pro se habet fundamentum; cùm ibidem apud me § 3, ad privationem Immunitatis ex parte grassatoris requiratur in formalibus, ut *grassati mors, aut membrorum mutilatio (N. B.) secuta fuerit.* Ex quo inferunt hi auctores, quòd publicus latro à grassatore strictè loquendo non per hoc distinguatur, quasi verè quoad talem latronem cædes vel mutilatio intervenire deberet, non verò quoad grassatorem (uti tamen n. 29, innui videbatur), sed potiùs per id quòd publicus latro vias, et itinera foris obsideat; grassator autem intra urbem in itinere publico grassetur, sive dein occidat, sive non. *

31. Concl. IV. *Depopulatores agrorum* dicuntur qui segetes in agris deprædantur, comburunt, aut destruunt, vel agros alienos vastant; et hi non gaudent jure asyli. Addit Barbosa, loc. cit. n. 87, cum aliis, quòd inspectâ bullâ Gregorianâ, utpotè absolutè loquente, hoc procedat de depopulatoribus agrorum sive diurnis, sive nocturnis; quamvis attento jure communi solus nocturnus excludatur, c. *Inter alia*, de Immunit. ecclesiast., ibi : *Vel nocturnus depopulator agrorum.*

32. Concl. V. Qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur, illis pariter non suffragatur Immunitas ecclesiastica; prout liquet ex allegatis verbis bullæ Gregorianæ. Concordat cap. ult. de Immunit. ecclesiast., ubi et hujus exceptionis ratio redditur, illis verbis : *Cùm in eo in quo delinquit, puniri quis debeat; et frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.* Et hoc procedit etiam in illo casu, quo quis in unâ ecclesiâ delinquit, et postea fugit ad aliam; cùm enim una sit per totum orbem Ecclesia universalis, qui offendit unam ecclesiam particularem, censetur omnes offendisse; ac proinde nullibi gaudet Immunitate.

33. Censetur autem homicidium aut mutilatio in ecclesiâ committi, non solùm tunc, quando uterque intra ecclesiam existit, sed etiam, quando quis extra ecclesiam existens, sclopo, vel jaculo mutilat, vel occidit existentem intra ecclesiam : nam talis reverà occidit, vel mutilat alterum in ecclesiâ. Et hoc idem dicendum, si quis lethaliter vulneraverit existentem in ecclesiâ, sed vulneratus extra eam obiit; quia delictum censetur commissum in ecclesiâ, Bonacina, tom. 2, quæst. 7, punct. 6, § 2, n. 5, et alii.

34. Num autem vicissim, si quis intra ecclesiam existens sclopo, vel telo interficiat, sive mutilet existentem extra ecclesiam, privetur Immunitate, variant doctores. Negant Bonacina, loc. cit. n. 3; Novarius, et quidam alii, eò quòd talis, propriè loquendo non in ipsâ ecclesiâ, sed ex ecclesiâ occidat vel mutilet; simulque in hâc materiâ, utpote odiosâ et pœnali, non sit facienda extensio ab inchoatione homicidii ad homicidium ipsum. Affirmativa tamen sententia, videlicet talem privari Immunitate, est communior; quam tenet Abbas, cap. ult., n. 11, de Immunit. eccles., Pirhing, eodem, n. 25, et Barbosa, cit. cap.

3, n. 111, citans plurimos alios ; tum quia tale homicidium, quamvis consummetur extra ecclesiam, nihilominùs in ipsâ inchoatur sive principiatur ; tum quia talis infert injuriam loco sacro, abutens ipso ad cædem vel mutilationem injustam faciendam. * Et taliter etiam novissimè decidit Benedictus XIII, in suâ bullâ : *Ex quo divina*, editâ anno 1725. *

35. Quæres an quis privetur privilegio Immunitatis non solùm propter homicidium, vel mutilationem, sed etiam propter alia crimina commissa in ecclesiâ, v. g., propter furtum, adulterium, et hujusmodi gravia delicta, quibus infertur specialis irreverentia loco sacro. — Resp., spectatâ bullâ Gregorianâ, negativè. Siquidem Pontifex in sæpè citatâ bullâ, § 2, expressè declarat, delinquentes in nullis aliis casibus, præterquàm in suâ bullâ expressis, posse ab ecclesiis extrahi, simulque prohibet fieri extensionem ad casus in eâ non expressos, *etiam ex paritate, identitate, aut majoritate rationis*, Barbosa, cit. c. 3, n. 105, Bonacina loco cit., n. 11, et alii post dictam bullam scribentes, quamvis ante ipsam non pauci oppositum tenuerint.

Additio.

* Dices ex hâc responsione sequi, etiam illos pessimos homines, qui ciborium, seu vas illud, in quo SS. Eucharistia actualiter continetur, surripiunt ex ecclesiâ, gaudere Immunitate ecclesiasticâ ; cùm etiam illud crimen, etsi gravissimum, in bullâ Gregorianâ vel Benedictinâ non contineatur inter excepta. — Resp. ad hoc illatum Farinacius in Appendice de Immunitate ecclesiasticâ, n. 217, negando suppositum, quòd nimirùm tam enorme crimen non contineatur sub exceptis : videtur enim verè reduci posse ad crimen læsæ majestatis in personam ipsiusmet supremi Principis commissum. Accedit, quòd similes impiissimi homines sint vehementer suspecti de hæresi, quæ utique in jure est inter crimina excepta conformiter dictis superiùs n. 23. *

36. Concl. VI. Insuper, qui proditoriè hominem occiderit, non gaudet Immunitate. Patet hoc ex allegatâ bullâ Gregorianâ ; ibi : *Qui proditoriè proximum suum occiderint.* Cæterùm *homicidium proditorium* vel maximè tunc committitur, quando quis aliud verbis et aliud mente gerit, atque sub specie amicitiæ proximum interficit, prout fecit Joab duobus principibus militiæ, Abner et Amazæ, quos sub specie osculi præbendi occidit. 2 Reg., c. 3 et 20.

37. Deinde generaliùs loquendo, *homicidium proditorium* censetur, quando vel sub specie amicitiæ (ut dictum) vel saltem nullâ præcedente inimicitiâ, aut si præcessit, eâdem per reconciliationem sublatâ, securus, et nihil mali prævidens occiditur, v. g., ferro, veneno, à tergo, de nocte, vel per insidias, etc. Siquidem homicidii proditorii malitia in eo consistit, quòd occidatur compos rationis, qui hìc et nunc impotens est ad præcavendum.

38. Dicitur, *compos rationis.* Nam utrùm procurans abortum fœtûs animati secuto effectu, censeatur homicida proditorius ac privetur Immunitatè, est nova difficultas. Sed Bonacina, cit. punct. 6, § 3, n. 8, probabilius esse censet talem non privari cùm infans non occidatur per insidias ac dolosè, eò quòd dolus in infantem, utpote rationis impotentem, non possit committi : nam dolus est machinatio ad decipiendum, seu fallendum proximum adhibita.

39. Concl. VII. Assassinii rei non gaudent Immunitate ; ut expressè tradit citata bulla Gregoriana. Porrò *assassinii* crimen trahit originem, et nomen à quibusdam infidelibus, qui *assassinii* vocabantur, et acceptâ pecuniâ occidebant fideles, quos aliqui volebant occidi ; uti notatur per Glossam magnam, cap. 1, de Homicidio, in 6. Itaque assassinii rei sunt tum illi qui occisorem promisso pretio conducunt, tum qui operas suas ad occidendum locant. Et hi omnes, utpote criminis assassinii rei, secuto effectu, non gaudent Immunitate.

40. Concl. VIII. Præter crimen hæresis (de quo jam supra, n. 23 et seqq.) privantur Immunitate ecclesiasticâ rei criminis læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis commissi. Ita citata bulla Gregorii XIV.

41. Dicitur, *in personam ipsiusmet principis.* Nam secùs dicendum de offendentibus statuam principis, vel cudentibus falsam monetam ; non obstante quòd et tales de jure civili censeantur rei læsæ majestatis. Addunt doctores, eum qui offendit, sive occidit filios principis aut ejus consiliarios vel legatos, etsi reus existat criminis læsæ majestatis, nihilominùs gaudere Immunitate, eò quòd crimen non committatur in personam ipsiusmet principis, Bonacina, cit. quæst. 7, punct. 6, § 6, n. 3 et 4 ; Diana, part. 6, tract. 1, resol. 18, et alii, paucis exceptis, qui ex eo oppositum tenent, quòd consiliarii, et senatores censeantur esse *pars corporis ipsius principis.* l. *Quisquis*, c. *Ad legem Juliam majestatis.*

Additio prima.

* Dices juxta novissimam bullam Benedicti XIII *Ex quo divina*, etc. Romæ 15 junii anno 1725, publicatam pariter ab Immunitate et asylo excluduntur falsificantes litteras apostolicas (NB.), *conflantes, adulterantes aut tondentes quascumque monetas*, vel ipsas monetas conflatas, adulteratas aut detonsas ita expendere et erogare præsumentes, ut fraudis conscii, et participes censeri possint, item ministri montis pietatis, sive alterius publici telonii, aut banci pro depositis principis privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes : pariter ab Immunitate excluduntur non solùm homicidæ proditorii, sed etiam (NB.) illimitatè *interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato ;* ergo hucusque dicta, quæ omnibus hisce asylum concedere videntur, non subsistunt — Resp. præsentem auctorem ex fundamentis superiùs, præsertim n. 25 et n. 36, adductis, ac insistendo bullæ *Cùm aliàs* Gregorii XIV, equidem allegatis hìc criminibus asylum cum aliis doctoribus communiter concessisse pro suo tempore, quo necdùm recentissima bulla citati Benedicti XIII, excipiens novissimè illa crimina

ab Immunitate, emanavit; ast de facto haud dubiè pariter insistendo modernæ recentissimæ bullæ Benedicti XIII *Ex quo divina*, etc., adulteratores monetarum, vel alia delicta hìc specificata committentes, non gaudent Immunitate ecclesiasticâ; quoniam Benedictus XIII, ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam, ne abutantur tales Immunitate, priora crimina à Gregorio XIV excepta adhuc magis ampliavit, ita ut non solùm adducta à Gregorio, et n. 28, specificata delicta excipiantur ab Immunitate, sed etiam alia à Benedicto XIII determinata, et hìc in objectione allegata, quòd benè notandum legentibus auctores ante hanc recentissimam bullam scribentes. Unde in formâ resp. ad objectionem distinguendo consequens : dicta illa quæ adulterationi pecuniarum et homicidio non proditorio, etc., asylum concedere videntur, non subsistunt, insistendo bullæ Gregorianæ, et illi tempori quo auctor præsens scripsit, nego, insistendo modernæ recentissimæ bullæ Benedicti XIII, admitto consequentiam. *

Additio II.

* Porrò in memoratâ bullâ Benedicti XIII, concilio Romano à se celebrato postea insertâ, reperiuntur adhuc plura declarata, quæ antea erant controversa, atque nonnulla alia ultra bullam Gregorii XIV extensa. Sic inprimis conformiter dictis post, n. 34, declaravit Immunitate non gaudere eum, qui in ecclesiâ existens alterum extra ecclesiam versantem, e. g., sclopeto occidit ubi antecedenter non deerant auctores contrarium docentes. Secundò definivit, pro latrone publico in ordine ad privationem asyli habendum esse illum qui unicâ tantùm vice ibidem vel in viâ vicinali homicidium commisit, seu mutilationem. Tertiò decidit ab Immunitate ecclesiasticâ excludi falsificantes litteras apostolicas. Quartò conflantes, adulterantes, aut tondentes quascumque monetas, vel tales expendere, et erogare præsumentes. Quintò ministros montis pietatis, sive alterius publici telonii, banci, furtum aut falsitatem in prædictis locis committentes. Sextò eos qui asylantes ab ecclesiâ violenter extrahunt. Septimò quoad crimen assassinii, non solùm mandatarios conductâ mercede occidentes, vel mutilantes, verùm etiam ipsosmet mandantes. Octavò demùm exclusit ab Immunitate omnes proximum suum interficientes *animo præmeditato*, sive inimicitia præcesserit, sive non, prout vidi in duabus jam Germaniæ diœcesibus post hanc bullam sic fuisse judicatum. *

Additio III.

* Quæras quodnam sit homicidium præmeditatum, seu (NB.) *animo præmeditato* commissum? — Resp. cum Farinacio part. 5 Oper. criminal., de Homicidio, q. 125, n. 8 et 9, et Ubaldo Stoiber de Immunitat. eccles., quæst. 7, n. 64. Homicidium præmeditatum est illud quod resolvitur in animo occidentis ex aliquo intervallo, antequàm committatur. Unde non omne homicidium voluntarium censetur in jure præmeditatum; nam homicidium subitò in rixâ vel ex calore iracundiæ perpetratum absque prævià per aliquod intervallum resolutione potest adhuc esse voluntarium, et graviter peccaminosum, ita ut occidens ante occisionem præcognoscat adhuc malitiam actûs, quin tamen sit præmeditatum. Ex quo consequitur quòd vi bullæ Benedictinæ de facto quidem privatur Immunitate ecclesiasticâ, qui quocumque medicamento cum prævià deliberatione abortum fœtûs animati procuravit, vel etiam inimicum suum præcedente jam per aliquale intervallum de occidendo resolutione interfecit : secùs tamen si in ludo vel rixâ ita fuerit subitaneâ irâ inflammatus, ut occidat proximum, quin prævio intervallo de eodem occidendo quidquam resolverit. An autem animus præmeditatus intervenisse præsumi possit, debet desumi ex circumstantiis, quæ si non adsint sufficientes, potiùs in favorem rei, et Immunitatis ecclesiasticæ, ac præcedentium bullarum judicatur absque præmeditatione id contigisse. *

QUÆSTIO IV.

De commodis Immunitatis ecclesiasticæ, pœnisque eam violantium, ac modo extrahendi reos criminum exceptorum.

42. Conclusio prima. Privilegia asylorum seu commoda reorum ad ecclesias confugientium, varia sunt. Nam I. Reus in loco sacro nequit capi, aut vinculis constringi, multò minùs per vim, seu invitus ex eo extrahi; prout habetur c. *Definivit*, 17, quæst. 4; ibi : *Nullus audeat confugientes ad ecclesiam, vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, seu spolii residentibus in loco sancto inferre.* Concordat c. *Inter alia*, De Immunit. eccles., ibi : *Non est violenter ab ecclesiâ extrahendus*, estque unanimis doctorum.

43. Quòd si verò reus spontè egrediatur (prout licitè potest, etiam rectoribus ecclesiarum invitis) Immunitas non violatur, quia nulla ecclesiæ fit injuria, neque reus inde violenter extrahitur. Secùs dicendum si reus ad asylum deserendum verbis dolosis, aut fictâ promissione judicis impunitatem promittentis inductus fuerit, ac postea capiatur; quia dolus hâc in parte pro vi habetur; Pirhing, tit. de Immunit. eccl., n. 52, post Azorium, Suarez et Layman. Unde, qui verbis dolosis circumventus, atque præstitâ à judice securitate et impunitate principis inductus exiit ex asylo, is ecclesiæ restituendus erit, aut judex tenebitur ei servare fidem promissam de impunitate vitæ et membrorum, Barbosa, loco cit., n. 54, et alii.

44. II. Reus, quamdiù est in ecclesiâ non potest per sententiam judicis ad mortem, vel aliam pœnam corporalem condemnari, prout desumitur ex c. *Reum*, 17, q. 4, et c. *Inter alia*, de Immunit. eccles., ibi : *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra et vitam super hoc tamen, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè punciendus :* videlicet pecunialiter, vel aliâ satisfactione præter pœnam corporalem, ut explicat Glossa, v. *Pu-*

niendus, et sequitur Abbas ibidem, allegans communem doctorum. Addit Pirhing, n. 47, et Layman, loco. cit., c. 3, n. 13, post Suarez; talem neque pœnâ servitutis, neque exilii, neque triremium mulctari posse; eò quòd hæ pœnæ sint valdè graves atque corporalibus æquiparentur, imò earum quasdam excedant.

45. III. Nequit prohiberi quominùs ad reum necessarius victus et vestitus deferatur; text. clar. l. *Præsenti*, c. de His qui ad ecclesiam confugiunt; ibi: *Nec aliquando patimur, in ipsis ecclesiis reverendis ita quemque delineri atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur aut requies.* Et meritò ita statutum est: nam impedire reo necessarium victum, foret aperta coactio; quia ipse vel fame perire, vel exeundo se tradere cogeretur. Nihilominùs prohibitum non est, ponere custodias circa ecclesiam, ne reus liberè aufugiat; vel ut capi possit, si spontè exierit, aut fugam attentaverit. Layman ibidem cum communi.

46. IV. Rei ad ecclesias confugientes recipiendi sunt, neque inde repelli possunt aut excludi. Nam clerici, ac præsertim rectores ecclesiarum tenentur tueri jura ecclesiæ, ipsiusque Immunitatem; ergo hoc ipso non possunt reos ad eam confugientes excludere. Quinimò si profugus non habeat bona propria, unde sustentetur (nam si hæc adsint, ex ipsis ei alimenta præstari debent), neque etiam à consanguineis, vel aliis necessaria vitæ habere possit, hæc per ecclesiam, utpote cujus tutelæ et protectioni sese commisit, eidem velut pauperi præstanda erunt; ne alioquin inediâ et necessariorum inopiâ urgente, invitus abire, et seculari potestati sese tradere cogatur. Abbas, cit. c. *Inter alia*, de Immunit. eccl.; Sylvester, v. *Immunitas III*, n. 5, et alii. Qui tamen addunt, debere ejusmodi reum, si possit, in commodum ecclesiæ laborare; tum ne Immunitas ipsi sit occasio otiandi, tum ut labore recompenset alimenta sibi præstita.

47. V. Reus ad ecclesiam fugiens nequit spoliari rebus bonisque suis, quæ secum attulit in eam; in arg. c. *Diffinivit*, 17, q. 4. Intellige hoc de rebus propriis rei, non autem alienis, sive alteri obligatis, et in quorum detentione idem delinqueret, ut dictum n. 18. Insuper, si reus arma prohibita secum detulit, ea poterunt ipsi etiam intra ecclesiam auferri; delinquit enim is qui fert arma legibus prohibita. Covarruvias, cit. c. 20, n. 18; Layman, n. 13, et alii.

48. Concl. II. Per violationem Immunitatis ecclesiasticæ sive violentam reorum ex asylis ecclesiasticis extractionem committitur gravissimum sacrilegii peccatum. Patet hòc ex c. *Miror*, et c. *Frater*, 17, q. 4; ibi: *Qui admittere sacrilegium non dubitavit*, et alibi. Accedit ratio, quia violenta talis extractio repugnat sanctitati et reverentiæ locis sacris debitæ. Hinc S. August., Serm. 5 de Dedicat. Eccl., ejusmodi extractionem appellat grandem injuriam religionis, et Divinitatis offensam.

49. Concl. III. Præter alias pœnas in jure statutas vialator Immunitatis ecclesiasticæ olim excommunicari jubebatur; c. *Sicut antiquitùs*, 17, quæst. 4, cum concordantiis; quæ tamen continebant excommunicationem non latæ, sed primùm ferendæ sententiæ. Verùm hodiè, sive spectatâ bullâ Gregorianâ, d cta excommunicatio est latæ sententiæ; prout liquet ex verbis ejusdem bullæ, § 8; ibi: *Quòd si quis quàcumque dignitate et auctoritate præditus, contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras et pœnas easdem incurrere.* Bonacina, tomo 2, disp. 3, q. 7, puncto 8, n. 3, et alii. Taceo quòd in bullâ Benedicti XIII talis extrahens privetur ipsomet asylo.

50. Dicitur notanter, *præter alias pœnas;* nam plures pœnæ in istos sacrilegos jure statutæ sunt. Et quidem de jure civili tales censentur rei criminis læsæ majestatis; text. clar., l. 2, c. de His qui ad eccles. confugiunt. Imò et ultimo supplicio affici jubentur, l. *Præsent.*, c. eod., quamvis hæc pœna non videatur ampliùs esse in usu. Insuper ipsi de jure canonico, præter pœnitentiam publicam ab episcopo injungendam, incurrunt pœnam pecuniariam nongentorum solidorum, c. *Si quis contumax*, 17, q. 4, vel certè triginta librarum examinati argenti purissimi, c. *Quisquis inventus*, eod. 17, q. 4, pro qualitate delicti, et delinquentium conditione, judicis arbitrio variandam, et ecclesiæ læsæ applicandam pro satisfactione.

51. Quæres quid observandum circa extractionem reorum privilegio asyli non gaudentium. — R. De facto quoad hoc est observanda constitutio Gregorii XIV quæ, § 3 et 4, exactè tradit formam extrahendi reos ex asylo ecclesiastico ob commissa crimina excepta. Et primò mandat Pontifex omnibus Ecclesiæ prælatis, ut eos qui aliquod ex criminibus ibidem exceptis *judicio suo commisisse videbuntur, quando à curiâ seculari fuerint requisiti, ministris et officialibus curiæ secularis absque irregularitatis notâ, aut alicujus censuræ ecclesiasticæ incursu, tradi et consignari curent.* Quibus verbis clarè innuitur, de facto non esse opus prævià cautione vel juramento, de impunitate vitæ et membrorum, reo criminis excepti priùs obtinendâ; quidquid olim secùs fuerit, c. *Reum*, et c. *Id constituimus*, 17, quæst. 4.

52. Deinde, ne curiæ secularis ministri abutantur facultate, sive de jure communi, sive per specialia privilegia olim sibi concessa, per se et propriâ auctoritate extrahendi ejusmodi reos, Pontifex dictam facultatem revocat, atque decernit, *ut curia secularis, ejusque judicis et officiales, ab ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis sine expressâ licentiâ episcopi, vel ejus officialis, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis*, etc., *capere, extrahere aut incarcerare non possint.*

53. Subdit tamen Pontifex unicam limitationem ejusque cautelam, dicens: *Nisi eo casu quo ipse episcopus, dictæ personæ ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superiùs expressis culpabiles tradere, aut capturæ et incarcerationi intervenire et assistere recusaverint; tuncque reverentiæ ecclesiæ, et locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori quo id fieri poterit*

cum scandalo et tumultu, extrahere curent. Hæc Pontifex.

54. Et hoc quidem, videlicet extractionem rei absque expressâ episcopi licentiâ per judices seculares fieri non posse, quantùmvis de qualitate criminis excepti certò constet, post dictam constitutionem Gregorianam communiter tenetur (licèt auctores hanc antecedentes oppositum docuerint) et clarè desumitur ex allegatis ejus verbis, utpote generaliter et indefinitè loquentibus. Quòd si verò super qualitate criminis dubium emerserit, ejus cognitio (deducto priùs reo ad carceres curiæ ecclesiasticæ, ibique debitè custodito) ad solum judicem ecclesiasticum, id est, episcopum, seu ab eo deputatum pertinet; tum quia hæc res est ecclesiastica, adeò ut ejus violatores sacrilegium committant; tum præsertim, quia novissimè sic declaravit Gregorius XIV, in sæpè cit. bullâ, § 5, ibi : *Nisi cognito priùs per episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs expressa commiserint.* Barbosa lib. 2 Juris ecclesiast. universi, cap. 3, n. 1757, et alii.

55. His addendum cum eodem Barbosâ, n. 168 et aliis, quòd non possit episcopus delinquentes curiæ seculari tradere, nisi priùs sibi de excepto delicto perpetrato constiterit certè, non autem per judicia præcisè probabilia, et præsumptivè duntaxat. Item quòd episcopus non teneatur stare processui facto à laicâ potestate, nam quòd hæc aliqualem cognitionem per viam facti pro informatione, an crimini commisso sit annexa qualitas impeditiva juris asyli, possit instituere, haud negatur. Et tandem quòd, si dubium fuerit inter doctores, an delictum gaudeat Immunitate ecclesiasticâ necne, debeat judex ecclesiasticus pro reo judicare; nam Immunitas hæc, utpote ob reverentiam et favorem ecclesiarum, aliorumque locorum sacrorum principaliter concessa, censetur esse materia favorabilis; simulque in dubio potiùs reo favendum est, juxta Reg. 11 Juris, in 6, cum concordantiis.

Additio prima.

* Dictis ultimis iterùm ex bullâ Benedicti XIII superiori quæstione jam citatâ de novo adjungendum, quòd in extradendis ex asylo reis criminum exceptorum, sequens præscribatur episcopis norma. I. Quotiescumque curia ecclesiastica à curiâ seculari fuerit requisita, ut laicum aliquem delinquentem è loco immuni extrahi, et illi consignari faciat, atque talia super delicti excepti qualitate, ac personæ reiteratè subministrata, vel acquisita adsint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesiâ aliisve locis immunibus ope ac medio suorum executorum (implorato etiam, quatenùs opus sit, brachii secularis auxilio) cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tutâ custodiâ detineri curet, et faciat. II. Ubi verò ex processu informativo desuper conficiendo constat de crimine excepto, ac insuper adversùs eumdem extractum talia resultant indicia, ut crimen ab eo fuisse paratum moraliter credi possit, eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ secularis tradere et consignare potest, ac debet; exactâ tamen, receptâque priùs ab ipsis obligatione, in formâ juris validâ, restituendi extractum ecclesiæ sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ, supposito, quòd ille extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quòd si ea minimè purgaverit, et verè delinquens repertus fuerit, curiæ seculari in ipsum tali casu, uti juris esse censuerit, agere atque procedere liceat. *

Additio II.

* Pro complemento hujus materiæ sæpiùs occurrentis, et non rarò vel ob præcipitantiam judicis secularis, vel ob imprudentiam rectoris ecclesiæ graves tricas excitantis, utile duxi in compendio referre ea quæ observanda sunt ab ipso rectore ecclesiæ vel monasterii illius, in quo reus quærit asylum. Itaque, I. Eumdem eventualiter, et extrajudicialiter examinet ob quale delictum confugiat ad hoc templum, vel monasterium; et, si intellexerit delictum esse non adeò grave, et consequenter nec adeò gravem habere annexam pœnam, vel tantùm concernere correctionem morum, candidè aperiat, nullam pro eo adesse Immunitatem. II. Si resciverit delictum valdè grave, quod mortem aut mutilationem, aliamve quasi hisce æquivalentem promereretur pœnam, ulteriùs attendat utrùm tale delictum sit inter excepta, vel non; et quidem, si fuerit inter posteriora, nequit excludere petentem asylum. Quòd si verò esset inter excepta, III, candidè tali aperiat, quòd hoc delictum non gaudeat asylo, et quòd à judice requisitus teneatur eumdem potestati seculari iterùm interveniente saltem auctoritate episcopi, extradere. IV. Quòd si talis, hoc non obstante, abire nolit, poterit quidem interea eumdem recipere; juxta præsentem autem auctorem, lib. 3 Decret., tit. 49, n. 190, ad recipiendum non teneretur, si illud crimen indubitanter, et omninò certò sit inter excepta. Quando verò adhuc duditatur aliquo modo, utrùm illud inter excepta numeretur, obligatur talem malefactorem ad asylum admittere. V. Cùm deinde fuerit à judice seculari requisitus rector ecclesiæ, ut hunc malefactorem, qui non videtur gaudere Immunitate, extradat, humanis verbis respondeat quòd illicò velit juxta suam, præsertim vi bullæ Benedictinæ, obligationem scribere ad reverendissimum ordinarium, cujus est declarare, utrùm talis gaudeat Immunitate vel non, ubi etiam altissimè fato veridicam speciem facti cum omnibus circumstantiis fideliter transcribat, nec ullatenùs intra hoc tempus directè vel indirectè cooperetur, ut, usque dùm ab episcopo vel consilio ecclesiastico, aut vicario generali adveniat resolutio, malefactor fugâ elabatur; aliàs enim rector ecclesiæ teneretur de culpâ, et deberet puniri à suo superiore, uti apud hunc au-

ctorem, libro 3 Decretal., tit. 49, num. 174, præter alios advertunt Farinacius et cardinalis Thuscus. VI. Si intra hoc tempus, usque dùm episcopus rescribat, potestas secularis petat à rectore monasterii assecurationem de sufficienti custodiâ malefactoris, ne fugâ interim elabatur, rector ecclesiæ sanctè spondeat, se nec directè nec indirectè ad talem fugam cooperari velle, impedire verò non posse, si liberè et sponte suâ forsan discederet. Quòd si potestas secularis, his non attentis, vigilias interim non solùm extra, sed etiam intra claustrum, aut in camerâ asylantis poneret (quem tamen modum cum Farinacio reprobat Pignatellus, tomo 1, consultat. 128, n. 4, dicens, contrarium sæpiùs à S. congregatione fuisse declaratum, quòd nimirùm sic non liceat), quòd si, inquam, potestas secularis custodiam nihilominùs intra claustrum poneret, nec rector precibus suis interpositis impedire posset, saltem contra hunc actum protestetur, reverendissimum ordinariatum desuper reddat certiorem, et cum patientiâ exinde exspectet resolutionem. atque interim allaboret ut saltem interea non committantur à custodibus aliæ insolentiæ, et circumvagationes non necessariæ per monasterium, etc. VII. Postquàm venerit responsio et resolutio ab ordinario, rector ecclesiæ id exactè exequatur, quod sibi in responsione injungitur; ubi plerùmque conformiter bullis Gregorianæ et Benedictinæ juxta dicta præcedentia reus vel ad carceres episcopales (si nempe delictum necdùm clarè continetur inter excepta) ponendus, vel etiam potestati seculari (quando saltem per processum informativum moraliter certò dictum crimen numeratur inter excepta) extrahendus erit. VIII. Quòd si per sententiam diffinitivam episcopi reus ob commissum delictum exceptum consignari debet potestati seculari, hæc traditio fiat interventu deputatæ ab episcopo personæ ecclesiasticæ, quæ reum ad ministros justitiæ deducat, extra tamen locum asyli foris exspectantes, nisi fortè prædicti vocati fuerint ad coercendum reum obtemperare et egredi renuentem. Videatur bulla Benedicti VIII, § 8, ibi : *Tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesiâ, aliisve locis immunibus ope, ac medio suorum executorum (NB. implorato etiam, quatenùs opus sit, brachii secularis auxilio) et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur.* '

PAUWELS VITA.

Nihil de Pauwels (Josepho) novimus, nisi quòd ex ordine FF. Minorum Recollectorum, sacræque theologiæ lector, Lovanii seculo proximè elapso floruit. Ipsius *Tractatum theologicum de Casibus reservatis*, quem juxta secundam editionem Lovaniensem, ann. 1751-1752, typis denuò mandamus, omnium theologiæ studiosorum laude existimationeque celebratum, sequenti approbatione commendârunt, anno 1750, ejusdem ac ipse ordinis theologi : scilicet quantùm ad ea quæ in priori hujusce editionis volumine continentur, hæc habent doctissimi approbatores : « *Quoniam natura et ratio judicii* pœnitentialis *illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat fe-* « *ratur;* cùmque *extra* mortis *articulum sacerdotes*, ordinariam aut delegatam ad hoc jurisdictionem non habentes, *nihil possint in casibus* diœcesanis *reservatis* (ita concilium Trid., sess. 14, c. 7), non solùm utiiis, sed in- « super necessaria est confessario casuum eis reservatorum cognitio. Huic assequendæ, singulari, raroque de- « super à se elaborato opere succinctam, claram, facilemque subministrat viam F. Josephus Pauwels ordinis « nostri FF. Minor. Recoll. sacræ theologiæ in conventu SS. Trinitatis lector actualis; quapropter hoc opus, et « à nostris, et ab aliis jam à temporibus expetitum, ut typis evulgetur, dignissimum reputamus. »

Quoad verò posterius volumen, in quo duplici parte de reservatis regularium ac de pontificiis agitur, hæc sanè eximia de nostri auctoris opere leguntur : « Cùm *magnoperè ad christiani populi disciplinam pertinere* teste- « tur concilium Trid., sess. 14, c. 7, *ut atrociora quædam et graviora crimina non à quibusvis, sed à summis dun-* « *taxat sacerdotibus absolvantur*, nemo diffitebitur, confessariis seu directoribus animarum, *ne in messe alienâ* « (ut ait Mediolanense IV, sub S. Carolo Borromæo) *falcem ponant*, eam peccatorum notitiam necessariam esse, « quæ non solùm ab episcopis, verùm etiam à summis Pontificibus pro universali Ecclesiâ, et à superioribus « regularium pro suo respectivè ordine reservantur. Notitiam hanc copiosissimè subministrat *Tractatûs theolo-* « *gici tomus secundus in duas partes divisus, quarum prima de Casibus regularibus, secunda de pontificiis*, auctore « Josepho Pauwels ordinis nostri FF. Min. Recoll. S. Theol. lectore jubilato : in eo quippe opere eruditissimus « auctor disertissimo stylo, exquisitissimâ methodo, et (si ita loqui liceat) compendiosâ prolixitate ac prolixo « compendio, cuncta quæ ad hanc materiam spectant, ex Pontificum, conciliorum ac SS. Canonum promptua- « riis gravioribusque theologis tanto argumentorum ac rationum pondere, tantâque eruditione proponit, ut le- « ctores dulci quâdam violentiâ in suam sententiam pertrahere videatur. »

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE CASIBUS RESERVATIS.

Prolegomena.

DE ANTIQUITATE, FINE, NATURA RESERVATIONIS, AC REGULIS NECESSARIIS PRO GENUINO MATERIÆ PRÆSENTIS INTELLECTU.

PROLEGOMENON PRIMUM.

1. *Casus* (theologicè loquendo) à cadendo dictus, est, quo quis *cadit* à rectitudine virtutis obligantis. In hunc sensum (1 Cor. 10, versu 12) admonetur, ut qui se stare existimat, videat seu reflectat, ne *cadat*. Atque in istâ latitudine complectitur *casus*, non solùm quodlibet peccatum mortale, sed etiam veniale, secundùm S. Scripturam, Prov., c. 24, v. 16, ubi dicitur etiam justus septies, id est, sæpiùs *cadere*. Differt ab excommunicatione, suspensione et interdicto, sicut culpa à pœnâ; à votis et juramentis, sicut vitium à virtute. Dividitur in communem et reservatum, de quo totus tractatus noster.

2. Porrò in Ecclesiâ potestatem esse reservandi delicta certi generis, est certa et indubitata doctrina, quæ non obscurè colligitur inprimis ex verbis Domini, Pœnitentiæ sacramentum instituentis, Joan. 20, v. 23: *Quorum* peccata *retinueritis, retenta sunt*. Secundò ex usu et judicio universalis Ecclesiæ, quæ tum in Jure canonico, tum in concilio Tridentino et alibi præsentem veritatem tanquàm certissimam et exploratam vel supponit vel declarat. Tertiò ex ipsâ rei naturâ: cùm enim sacerdos inferior in usu clavium à superiori dependeat, non potest illius potestas excedere hujus commissionem, quæ proinde si certa delicta excipiat, non transeunt hæc in judicium commissarii sacerdotis. sed soli reservantur superiori. Analogia manifesta est in politico seu forensi judice, qui sicuti nullam, sic restrictam dare potest jurisdictionem delegato et subordinato judici: id est, sicuti retinere sibi potest cognitionem casuum et delictorum omnium, sic aliquorum. Vide, si libet et vacat, Waldensem, tomo 2, de Sacram., c. 149, ubi catholicam veritatem fusè probat contra Wiclef; cujus fundamentum erat quòd reservatio sit contra charitatem proximi. Frivolum profectò fundamentum et minùs solidum, ad sustinendam tanti ædificii molem, ad negandam (inquam) Ecclesiæ potestatem reservandi casûs.

3. Perspicuè et, ut solet, energicè in rem præsentem loquitur concilium Tridentinum, sess. 14, de Pœnitentiâ, c. 7, de Casuum reservatione: *Magnoperè*, inquit, *ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absolverentur*. Quibus brevissimis concilii verbis exprimuntur, 1° reservationis antiquitas, 2° natura, 3° causa finalis, 4° causa efficiens, 5° causa materialis, 6° minister pro reservatis.

Antiquitas quidem reservationis, dùm et *sanctissimis Patribus nostris* usitatam fuisse asserit, nec immeritò, quandoquidem illius usûs tanquàm antiquissimi mentionem facit Cyprianus, epist. 12 (aliàs, l. 3, epist. 16) quæ incipit: *Ingemiscere*. Et epist. 13 (aliàs lib. 3, epist. 17) quæ incipit: *Miror;* sed, ut verum fatear, subobscurè. Clariùs de eodem usu testimonium perhibent Benedict. XI, Extrav. *Inter cunctas*, de Privilegiis; Sixtus IV, Extrav. *Etsi dominici*, de Pœnit et Remiss., et Bonifacius VIII, cap. *Si episcopus*, de Pœnit. et Remiss., in 6: *Si episcopus*, inquit, *suo subdito concesserit ut sibi possit idoneum eligere confessorem; ille quem is elegerit, in casibus qui eidem episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem*.

Reservationis autem *natura* juxta concilium Tridentinum consistit in ademptâ vel denegatâ *quibusvis* sacerdotibus inferioribus potestate in certi generis peccata.

4. *Causa finalis*, eodem concilio declarante, est *christiani populi disciplina*, quatenùs qui ipsâ scelerum gravitate à committendis sceleribus revocari non volunt, hoc saltem medio cohibeantur. dùm prænoverunt vel eventu discunt, horum vel illorum delictorum absolutionem esse tantò difficiliorem, quantò ab altiori et graviori judice obtinendam. Accedit *ad christiani populi disciplinam*, quòd graviora vulnera graviorem exigant medicum, qui subacto judicio, scientiâ, rerum usu et experientiâ præ cæteris noverit tum vindicare præterita, tum præcavere futura, præscriptâ spiritali diætâ in cautionem relapsûs.

5. *Causa efficiens* sunt *summi sacerdotes;* pro orbe universo Pontifex, pro diœcesibus episcopi, pro suâ quisque religione superiores regulares. De Pontifice res ipsa loquitur et Tridentinum concilium supra citatum his verbis exprimit: *Unde meritò Pontifices maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universâ traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare*. De episcopis prosequitur idem conc. in hunc modum: *Neque dubitandum est, quando omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis*

omnibus in suâ cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate. De regularium superioribus (iis videlicet, qui toti ordini vel provinciæ præsunt) res pariter indubitata est, tum ex decreto Clementis VIII, *Sanctissimus Dominus*, ubi superiorum regularium potestas in reservata restringitur, tum ex aliis theologiæ principiis, quia sunt veri superiores, habentes ordinariam potestatem in utroque foro, interno et contentioso, neque ullo jure impediti.

6. *Causa materialis*, eodem iterùm concilio referente, sunt *atrociora quædam et graviora crimina*, non quasi non possit mortale levius aut minùs atrox reservari, sed quòd solam graviorum criminum reservationem exigere videantur bonum et praxis Ecclesiæ.

Tandem *minister* pro reservatis est *summus sacerdos* et ordinarius, idem ille qui reservavit, et, quod inde est consequens, ejus in officio superior, successor, delegatus. *Qui reservavit*, quia nemo sibi ipsi manus ligare potest, nemo sibi tollere potestatem absolvendi per præceptum reservationis : quin contra, cùm *reservare*, nihil sit aliud, quàm substractam vel denegatam cæteris potestatem ad se revocare, manifestò sequitur, aut reservationem ridiculam et jocosam esse, aut absolvendi potentiam esse penes reservantem. *Superior et successor;* quia hic est paris, ille majoris auctoritatis, quàm reservans; in parem verò vel majorem nemo habet imperium. Demùm *delegatus*, ille scilicet, cui sive in solidum, sive in partem, sive per modum habitûs, sive per modum actûs suas vices pro reservatis commiserit ordinarius.

7. Infertur 1° illum qui potestatem reservandi habet, posse casum unum reservare sibi, et alterum alteri, unum decano, et alterum archidiacono : id enim nihil est aliud quàm uni committere absolutionem à peccato uno, et alteri ab altero, quod prudenter aliquando fieri, docet suo facto concilium Tridentinum, sess. 24, de Reform., cap. 6, ubi episcopo et ejus vicario, ad hoc specialiter deputando conceditur potestas absolvendi à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, exceptâ hæresi, quæ soli episcopo reservatur his verbis : *Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm* (episcopis) *non eorum vicariis sit permissum.* Denique non est dubium quin possit superior sibi ipsi reservare peccatum, et postea huic vel isti committere facultatem suam. Cur ergo non possit à principio culpam alteri reservare? Tum enim unico actu præstabit effectum duplicem, et reservationem respectu unius, et delegationem respectu alterius.

8. Infertur 2° differentiam notabilem esse inter modum quo tollunt reservationem ordinarius, et delegatus : ordinarius enim reservationem auferre potest extra confessionem sacramentalem, datâ vel permissâ cæteris plenâ auctoritate; delegatus verò duntaxat per sacramentum, nisi forsitan peccatum reservatum foret ratione censuræ, à quo delegatus absolvere posset extra sacramentum

9. Infertur 3° ignorantiam quamlibet, etiam invincibilem legis vel decreti reservantis non excusare à reservatione. Ratio corollarii est, quia, ut supra deduximus ex concilio Tridentino, reservatio nihil est aliud, quàm adempta vel denegata confessario inferiori potestas in certos casus, relictâ interim in cæteros auctoritate. Cùm verò ablatam per superiorem legitimum potestatem non possit confessario reddere pœnitens per suam ignorantiam, sequitur confessarium nihil posse in reservatum, sive sciat sive nesciat pœnitens decretum reservationis : ut enim nulla pœnitentis ignorantia, quantumvis invincibilis, facit sacerdoti simplici potestatem in peccata communia, ita nulla confessario simplici in reservata : intelligo de ignorantiâ legis, quâ et simplici sacerdoti in communia, et simplici confessario in reservata jurisdictio denegatur. Rursùs uti inhabilis ad matrimonium, etiam ex solo jure ecclesiastico, puta, consanguineus vel affinis in gradu per Ecclesiam prohibito, non redditur habilis per ignorantiam, ita pariter discurrendum de confessario, per statutum vel præceptum Ecclesiæ inhabili ad absolvendum, puta, à peccato hæresis vel incestûs.

10. Dixi, *legis vel decreti reservantis;* primò, quia si invincibilis ignorantia respiciat insuper legem prohibentem, humanam, divinam, naturalem, uti peccatum formale non erit, quod ex eâdem committeretur, ita nulla erit pariter reservatio. Secundò, si ignorantia excuset à gravi culpâ, etsi relinquat veniale peccatum, non erit locus casui reservato. Tertiò, si reservatio peccati dependeat à censurâ, tametsi incurratur illa (id est, reservatio peccati) dùm sola censuræ reservatio ignoratur; non tamen, dùm ignorantia excusat ab ipsâ censuræ substantiâ.

11. Sed quid, si reservatio afficiat peccatum jure divino aut naturali simul et humano prohibitum, et ignorantia cadat in solam legem humanam? Non quæritur quid sit dicendum, si reservatio afficiat actum duntaxat malum, quia lege humanâ prohibitum : est enim manifestum, quòd hujus legis invincibilis ignorantia sicuti tollit omnem culpam, sic tollat pariter omnem pœnam. Quare quæstio solummodò est pro casu quo reservatio afficit actum, antecedenter non solùm jure divino vel naturali, sed etiam humano interdictum : an, inquam, si solam legem humanam contigerit ignorari, atque adeò committatur nihilominùs peccatum formale et materiale contra jus divinum et naturale, hoc ipsum sufficiat ad reservationem vel censuram? V. g., Sixtus V contra malè aut simoniacè promotos et promoventes ad sacros ordines, anno 1588, nonis jan. Bullam edidit, *Sanctum et salutare*, 91, apud Cherubinum. Quæritur an ut delinquens incurrat reservationem bullâ Sixtinâ expressam, satis sit quòd noverit se peccare contra jus divinum, an verò insuper requiratur, ut noverit specialem prohibitionem Ecclesiæ eâdem bullâ contentam? Quæstio omninò similis, imò eadem ferè ab auctoribus instituitur in tractatu de Legibus, videlicet an qui transgreditur legem humanam in materiâ juris divini vel

naturalis, incurrat pœnam jure humano constitutam, si voluntariè delinquat contra legem divinam vel naturalem cum inculpabili ignorantiâ humanæ?

12. Ignorantiam solius juris positivi excusare à pœnâ, et reservatione saltem pœnali, docent Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 6, n. 84 et 91. Sanchez, lib. 9, de Matrimon., disp. 39, n. 9, 17 et 18, cum multis aliis quos adducit. Contrarium saltem quod ad pœnas attinet, docent Scotus, 4, dist. 6, q. 8, n. 1; Suarez, de Legibus, lib. 5, c. 12, n. 7; Herincx, part. 2, tr. 3, disp. 5, q. 4, n. 28, cum pluribus aliis, quos Sanchez citatus adfert n. 7 et 16. Ratio hujus opinionis est, quia talis ignorantia relinquit culpam mortalem atque adeò pœnam, quæ, ut sit justa et delicto proportionata, non debet malefactori prævisa esse. Nec dicas quòd omnis pœna debeat esse voluntaria, saltem in suâ causâ, ad quod requiritur ut cognoscatur non solùm quod est causa, sed etiam quatenùs causa est: quia hoc principium nec per se notum est, nec ullâ ratione demonstrari potest. Satis ergo est quòd homo consentiat in culpam, quæ est causa pœnæ: nam ratione culpæ ita subjicitur judicis potestati, ut ab eodem justâ pœnâ puniri possit, vel juxta leges, si in his præscripta sit, vel ejus arbitrio, si huic commissa sit. Quod verum auctores putant, sive pœna sit ordinaria, sive extraordinaria, modò non excedat proportionem delicti, etiam cum tali ignorantia commissi.

13. Interim videtur potissimùm attendenda intentio legislatoris et reservantis. Quare dicendum existimamus primò, si reservans aut legislator velit castigare aut reservare transgressionem utriusque legis, naturalis et humanæ, atque id ipsum satis significet, excusare utriusvis legis ignorantiam invincibilem, tum à pœnâ, tum à reservatione. Ob hanc causam est valdè probabile et jam communiter receptum, solius legis ecclesiasticæ invincibilem ignorantiam excusare à censurâ, etsi alioquin committatur peccatum grave contra jus divinum aut naturale; quia ignorantia invincibilis legis ecclesiasticæ eximit delinquentem à contumaciâ et præsumptione, quam superior ad censuram censetur requirere argum. cap. 48, de Sentent. excommun. et cap. *Reprehensibilis*, de Appell. Secundò, si reservans aut legislator significet pœnam aut reservationem suam afficere etiam solius præcepti divini aut naturalis transgressionem, non excusabitur malefactor ob ignorantiam solius legis humanæ. Ita procedunt passim reservantes episcopi. Imò in synodis, pastoralibus, admissionibus ne quidem cernimus legem positivam prohibentem, distinctam ab eâ, quâ tollitur confessariis inferioribus absolutio à reservatis, sine facultate speciali. Igitur reservatio episcopalis habet locum eo ipso quo contra jus divinum aut naturale delinquitur per actum nominatim expressum, perfectum et consummatum. Item ob eamdem causam incurritur impedimentum pœnale criminis, dirimens matrimonium, etsi ignoretur non solùm pœna, sed etiam lex ipsa ecclesiastica. Tertiò si omnibus maturè consideratis, voluntas reservantis aut legislatoris obscura foret, videtur habitura locum regula Juris 30, de Reg. juris, in 6: *In obscuris minimum est sequendum.* Et regula 49, eodem: *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

PROLEGOMENON II.

14. Casus reservatus (ut pro maximâ parte colligitur ex ante dictis) juxta modernam Ecclesiæ praxim et disciplinam videtur in hunc modum legitimè describi posse: *Peccatum mortale, enormius, internum simul et externum, certum, in suâ specie consummatum, à quo præter reservantem, ejus in officio superiorem aut successorem nemo, directè absolvere potest extra mortis articulum sine facultate speciali.* De hujus definitionis particulis singulis plurima nobis dicenda sunt.

Dicitur 1°: *Peccatum mortale*, quod ne ita intelligas, quasi absolutè loquendo venialia per Ecclesiam reservari non possint: cùm enim jurisdictio in venialia non minùs quàm in mortalia detur sacerdotibus ab Ecclesiâ, utraque auferri, negari et restringi absolutè potest. Imò verò de facto negatur degradatis, excommunicatis non toleratis et probabiliùs simplicibus sacerdotibus post decretum Innocentii XI, 12 februarii 1679.

15. Dices: Ad reservationem requiritur, non solùm ut confessariis inferioribus adimatur absolvendi potestas, verùm etiam ut pœnitentibus imponatur onus accedendi superiorem aut ejus delegatum specialem.— Resp. in tantum quæstionem esse de nomine, in quâ sequimur sententiam communiorem, quæ ad reservationem duntaxat exigit defectum seu impotentiam confessarii, nullam absolutam obligationem pœnitentis. Ita dicitur Pontifex sibi reservare concessionem indulgentiæ plenariæ, non obligando fideles, sed restringendo episcopos.

Reservari igitur per se loquendo venialia possunt, non quasi confitendi obligationem Ecclesia introducere possit; sed quatenùs confiteri volentibus, confessarium dare et negare potest. Simile est in mortalibus per sacramentum Pœnitentiæ directè remissis. Itaque quòd nullum hodiè peccatum nisi mortale reservetur, reducitur in stylum et praxim Ecclesiæ, quæ venialia nec reservare consuevit, nec forsan utiliter reservaret, tum quia venialia sunt materia libera confessionis, tum quia, ut docet concilium Tridentinum, sess. 14 de Pœnitentiâ, cap. 5, multis aliis remediis expiari possunt.

16. Porrò cùm dicitur, ad reservationem requiri mortalem malitiam, non eo ipso significatur, necessarium esse, ut actus reservatus repugnet proximè juri divino vel naturali. Satis est, mortalem et enormem esse, quicumque legi opponatur. Quare si Episcopus actum aliquem ex objecto vel secundùm speciem indifferentem ex gravi causâ sub gravi prohibeat vel præcipiat, ac interim præcepti sui observantiam ob pertinaciam subditorum nequeat obtinere, potest sine ullo dubio, præcepto priori alterum jungere, quo transgressores in posterum peccatum reservatum commissuros statuat. Idem dictum sit de censurâ: ut mirum sit, non neminem tam perspicuæ veritati repugnâsse.

17. Dicitur 2°: *Enormius*, quod rursùs non ita intelligendum quasi quodlibet mortale per se loquendo

reservari non possit; sed quòd secùs exigant praxis et bonum Ecclesiæ. De praxi Ecclesiæ testimonium perhibet concilium Tridentinum, sup. citatum, dicens sanctissimis Patribus nostris visum esse, ut *atrociora quædam et graviora crimina* reserventur. De bono Ecclesiæ, ratio est theologica, quia reservandi potestas non est omninò libera et arbitraria; sed debet respicere necessitatem vel utilitatem disciplinæ populi christiani, ut idem concilium innuit. Necessitas verò et utilitas disciplinæ populi christiani non exigunt ut reserventur quælibet promiscuè mortalia; sed graviora tantùm et perniciosa fidelium communitati. Porrò ut crimen aliquod censeatur enorme, dignum censurâ vel reservatione, non est iterùm necessarium, ut proximè repugnet juri naturali, aut sit prohibitum, quia malum; sed satis esse potest, quòd sit malum, quia prohibitum, repugnans soli legi positivæ graviter obliganti. Nonne peccatum primi parentis nostri erat delictum atrox et enorme? Interim non erat prohibitum quia malum, sed malum quia prohibitum, ut pueros catechismus docet; et tamen esum illum insipidum secuta est tam gravis Dei censura, ut etiamnùm omnium nepotum dentes obstupescant. Itaque delictum gravius et atrocius esse potest inobedientia, eaque non solùm legis divinæ positivæ, sed etiam humanæ, præsertim si sit contumax, et vergat in perniciem populi christiani.

18. Dicitur 3° : *Internum simul et externum*, quia alterum sine altero non sufficit, quod inprimis de solo externo manifestum est : peccatum enim externum ab interno separatum, habet solummodò malitiam objectivam et fundamentalem, in quam non cadit censura vel reservatio, ut patet in actionibus ebriorum, stultorum ac dormientium. Imò non sufficit peccato externo jungi qualecumque internum etiam mortale; sed debet esse ejusdem speciei. V. g., reservata est hæresis in omnibus Belgii diœcesibus; Petrus verò propositionem hæreticam seriò ac deliberatè verbo vel scripto profert; si retineat judicium internum propositioni vocali difforme, non incidit in casum hæresis vel censuram, quamvis peccato externo jungatur internum, v. g., voluntas indirecta scandali, et formalis malitia contra præceptum fidei negativum : satis est enim deesse internum errorem, internam hæresim seu propositionem mentalem hæreticam; quanquàm fatendum, quòd forum externum, cui recessus animi secundùm se non possunt esse perspecti, internum per externum colligat vel supponat. Similiter Paulus cælebs seu innuptus carnale commercium habet cum conjugatâ, quam omninò existimat liberam, non committit adulterium reservatum; quia adulterio externo et materiali jungitur quidem peccatum mortale internum, sed fornicationis tantùm.

19. Quantùm attinet peccata merè interna, non apparet ratio dubitandi quin absolutè loquendo reservari possent; quia æqualis requiritur jurisdictio in confessario ad validè absolvendum interna, id est, quæ solâ cogitatione aut voluntate interiori consummantur, atque ad absolvendum externa, id est, quæ in actum exteriorem prodeunt. Neque minùs tenetur pœnitens confiteri interna mortalia, quàm externa. Ergo utraque per Ecclesiam absolutè loquendo reservari possent, etiam propriè et strictè dictâ reservatione.

20. Nec refert, quòd (ut dicitur cap. *Tua nos* et cap. *Sicut tuis*, de Simoniâ, et in conc. Trid., sess. 24, c. 1, de Reform. matrim.) Ecclesia non judicet de occultis; quod usque adeò verum est, ut auctores plerique doceant, non posse Ecclesiam actum merè internum præcipere aut prohibere. Non refert, inquam, quia respondeo primò juribus citatis non esse sermonem de internis, sed de externis per accidens occultis, de quibus non judicat Ecclesia per sententiam ab homine. Secundò, quando dicitur Ecclesiam non judicare de internis, id intelligitur in foro externo et contentioso, non autem in foro interno et sacramentali, ad quod sicuti à pœnitentibus deferuntur, sic per Ecclesiam judicantur et absolvuntur peccata merè interna. Tertiò, suppositâ veritate illius sententiæ (quæ non est certa) non posse Ecclesiam actus merè interiores directè præcipere vel prohibere, nihil inde sequitur contra præsentem conclusionem; quia in casu quo Ecclesia reservaret merè interna, nec præciperet nec prohiberet sive pœnitenti, sive confessario, directè actum interiorem; sed confessario prohiberet exercitium actûs exterioris, scilicet absolutionis sacramentalis; pœnitenti pariter prohiberet actum externum confessionis apud alterum instituendæ, quàm ordinarium vel specialem ejus delegatum.

21. Non refert etiam quòd in peccatum merè internum non possit ferri censura : nam respondeo primò, assumptum hoc non esse extra controversiam : oppositum enim tradit Glos. c. *Cogitationis*, de Pœnit., dist. 1, et Clement. 1, de Hæreticis, cum multis aliis, quos adducunt Sanchez, lib. 2, in Decalogum, cap. 8, n. 2; Farinacius, de Hæresi, q. 192, § 1; Barbosa, p. 2, de Potest. episc., alleg. 40, n. 6, quorum ratio est quia Ecclesia habet jurisdictionem in actus merè internos, cùm ejus potestas sit spiritualis. Atque adeò, inquiunt, potest actus merè internos punire. Respondeo secundò disparitatem esse quòd censura pertineat ad jurisdictionem fori externi et contentiosi, quod non extenditur ad actus merè internos (atque hæc est verior et magis recepta opinio seu responsio); reservatio autem communiter non est pœna fori externi, sed mera limitatio jurisdictionis quoad forum sacramentale, quæ limitatio respicit actus merè internos, eodem modo quo ipsa jurisdictio.

Proinde quòd peccatum hodiè reservatum debea esse *externum*, ut habet præsens conclusio, refundi debet in praxim et disciplinam Ecclesiæ, seu in defectum potiùs voluntatis quàm potestatis.

22. Ut autem peccatum censeatur externum, quantùm satis est ad reservationem, requiritur 1° ut actus externus seu signum sensibile actum interiorem sufficienter exhibeat seu repræsentet; 2° ut signum sensibile seu actus exterior sit de se sufficiens materia peccati mortalis, et non per solum respectum ad actum interiorem.

Hinc colligitur 1° quòd esus carnis in exiguâ quantitate et insufficienti ad peccatum mortale, die jejunii factus animo hæretico (v. g., existimando cum acatholicis, quòd ciborum delectus pertineat ad judaicas cæremonias) non sit hæresis reservata. Ratio est quòd modicus ille carnis esus tantùm sit peccatum mortale per respectum ad actum internum, cùm, seclusâ hæresi internâ, non sit nisi peccatum veniale contra præceptum Ecclesiæ. Accedit quòd illa comestio hæresim internam non satis significet, cùm etiam ob gulam aut alium finem aliquando fiat à catholicis.

23. Colligitur secundò quòd in reservatam et externam hæresim non incideret, qui interiùs cum Manichæis cogitans et credens Christum non esse hominem, in hæc duntaxat verba prorumperet : *Verè non est homo*, nullo alio verbo vel signo addito ; quia illæ voces præcisæ à circumstantiis et aliis quibuscumque signis, non significant hæresim.

Colligitur tertiò quòd, si ponamus reservari peccatum mortale contra castitatem, peccatum reservatum non incurreret, qui animo fornicandi proferret verbum turpe, secundùm se leve, quamvis peccaret mortaliter propter internam intentionem. Ratio est quia verbum illud turpe non significat illam intentionem, cùm sine eâdem sæpiùs proferatur ; atque adeò si talis incurreret reservationem, deberet hæc afficere solum peccatum internum.

24. Colligitur quartò idem dicendum fore si aliquis ex gravi odio leviter percuteret aliquem (non loquimur de percussione parentis) ubi percussio cujuscumque personæ reservata esset ; quia levis ista percussio ex se non est peccatum mortale, nec unquàm instituta ad significandum grave odium internum. Proinde si in proposito locus esset casui reservato, deberet reservatio incidere vel in percussionem venialem, vel in mortale internum odium, quorum neutrum affirmari potest.

Quam doctrinam, inquit cardinalis de Lugo, disput. 20, de Pœnitent., n. 15, immeritò censuravit Turrianus in selectis Disputationibus, parte 2, disp. 31, dub. 71, ut improbabilem et non tutam ; quia illa est doctrina gravissimorum doctorum, quam amplecti videntur Henriquez, lib. 6, cap. 14, n. 6. Granado, 2-2, contr. 1, tract. 15, disp. 13, n. 14; eamque satis insinuat Suarez, tomo 4, de Religione, tract. 8, lib. 2, cap. 18, num. 12.

25. Dicitur 4° : *Certum*. Atque adeò peccatum non censebitur reservatum, quoties est morale dubium de reservatione, idque sive sit dubium juris, puta, dùm dubitatur de jure seu ipsâ lege reservante, an verè et legitimè lata sit, quomodò et in quibus circumstantiis obliget, etc., sive sit dubium facti, ut quando scitur quidem existere legem, quâ reservatur homicidium, procuratio abortûs, adulterium, etc. ; sed dubitatur an illud ipsum peccatum commiserit pœnitens, vel juxta circumstantias seu conditiones, quibus est reservatum, v. g., an homo reverà occisus, an plenè deliberatè ; an ex pharmaco, an aliunde secutus abortus ; an femina carnaliter cognita sit libera vel conjugata. Et utrobique sive dubium sit positivum, cùm scilicet sunt rationes probabiles in utrumque partem, quibus determinatio judicii seu assensûs reprimitur et cohibetur, quo casu videtur certum non esse peccatum reservatum : sive dubium sit negativum.

26. Interim debet esse dubium maturum et deliberatum, non præceps et perfunctorium, et si sit juris (ut rectè advertit Gobat, tract. 7, n. 358) debet esse virorum prudentûm, non cujuslibet privati, vel confessarii, etiam forsitan minùs docti. Quando, inquit Gobat, cit., doctores negant, reservationem existere in dubio juris, id est, quando dubitatur utrùm sit aliqua lex lata, quæ hunc aut illum casum reservet, non intelligunt dubitationem uniuscujusvis privati hominis ambigentis an lex reservans verè comprehendat hanc aut illam materiam, hunc aut illum casum, sed intelligunt communem, aut plurium consensum dubitantium vel negantium. Alioqui sequeretur valere omnes absolutiones casuum reipsà reservatorum, quas impendunt indoctissimi confessarii, quod utique repugnat Tridentino concilio, sess. 14, cap. 7, et potest videri Coninck, tomo 2, in 3 parte, disp. 8, n. 85, et 101, cum Laymanno, tract. 6, cap. 12, n. 2. Ergo tunc solùm impedit reservationem hìc et nunc dubium juris, quando viri docti planè dubitant de tali lege, aut alii contra alios probabiliter censent, non exstare talem legem ; quo casu cardinalis de Lugo, disp. 20, de Pœnit., sect. 2, n. 16, ait exstare dubium improprium et positivum, adeòque distinctum ab eo quod vocat proprium et negativum. Hactenùs Gobat, et ex eo Sporer, Theol. sacrament., parte 3, cap. 6, sect. 2, § 3, n. 733.

27. Conclusio nostra sic intellecta est communis, quam docent Lugo, cit. n. 18 ; Suarez, tomo 5, de Censuris, disp. 40, sect. 6, n. 5, et tomo 2 de Relig., lib. 4, cap. 5, n. 15 ; Henriquez, lib. 6, de Pœnit., cap. 26, n. 7 ; Bonacina, de Pœnit., q. 7, puncto 5, § 4 ; Sanchez, lib. 1, cap. 10 ; Sporer, sup. ; Herincx, p. 4, tr. 4, disp. 6, q. 1, n. 7 ; Filliucius, tomo 2, tract. 21, cap. 4., n. 172 ; hurtado, de sacram. Pœnit., diffic. 11, dub. 6, verbo *Casus reservati*, n. 5 ; Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 8, cum innumeris aliis.

28. Ratio communioris doctrinæ est, quòd reservatio sit odiosa, atque adeò, ut pluribus dicetur infra, conformiter ad regulam 15 de Regulis juris, restringenda, id est, strictè et propriè intelligenda, scilicet quantùm permittit verborum rigor et proprietas. Itaque quando simpliciter reservatur peccatum, v. g., homicidium, hæresis, etc., non potest reservatio extendi ad eadem delicta, nisi constet certò commissa esse, quia homicidium dubium in odiosis non censetur homicidium simpliciter, sed tantùm secundùm quid : quamvis enim certitudo et incertitudo non diversificent speciem, seu quamvis peccatum certum et dubium non distinguantur quoad speciem, essentiam vel objectum (nam homicidium tam dubium, quàm certum est voluntaria hominis interfectio), differunt

nihilominùs quoad existentiam. Similiter si quidem certum sit, commissum esse homicidium, sed dubitetur an homicidium in hâc vel illâ diœcesi reservatum sit, et post maturam deliberationem dubium perseveret, sive sit negativum, quando scilicet ex neutrâ parte occurrunt rationes sufficientes ad assensum, sive sit positivum, quando motiva utrinque emergentia suspendunt intellectum, dicendum est homicidium, aut demùm quemcumque alium casum similem non reservari. Ratio est, quia tam pœnitens quàm confessarius communis libertatem habent, ille confitendi, hic absolvendi homicidium, nisi constet hanc eis potestatem per superiorem ablatam esse. Id autem non constat, quamdiù est dubium.

29. Interim conclusio dupliciter ab auctoribus limitatur. Prima limitatio est, si Decretum reservationis, dubium facti sufficienter comprehenderet : sic enim irregularitas ex homicidio in jure extenditur ad casum dubium cap. *Ad audientiam*, de Homicidio, ubi dicitur : *Quia verò utrùm occasione vulneris decessisset, dubium habetur, vestræ discretioni duximus respondendum, quòd, cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.* Et cap. *Significâsti*, eodem. Et vel hinc colligitur quòd alioquin homicidium simpliciter ac per se positum stet pro solo certo.

30. Dices potiùs oppositum colligi, videlicet quòd homicidium simpliciter positum comprehendat dubium; pontifices enim non videntur ibidem novum jus introducere, sed ex generali principio præexistentem obligationem declarare. Colligitur ex illis verbis capitis prioris, *cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*. Et ex istis capitis posterioris : *Cùm in hoc casu cessare sit tutius*. Respondeo Pontifices nequaquàm introducere novum jus : allegare autem illud principium generale, non quasi per se obligans in omni casu; id enim esset onus intolerabile; sed quasi sufficiens fundamentum ad statuendam novam legem in præsenti casu : non enim est dubium, quin consilium possit esse motivum et fundamentum præcepti, sicut potest esse motivum voti, ut constat in paupertate, obedientiâ et castitate, quæ idcircò voventur, quia in Evangeliis consuluntur, tanquàm media perfectionis. Itaque pontifices, ut diximus, illam regulam non adferunt tanquàm universim in dubiis speculativis obligantem, sed tanquàm rationabile motivum ad decernendum, eum esse irregularem, qui alium percussit, etsi dubitetur an defunctus ex ejus ictu obierit. Id autem pontifices statuunt, cavere volentes, ne fortè, qui verè est homicida, celebret, inflictâ etiam certâ irregularitate dubio homicidæ ob reverentiam sacri ministerii. Atque hanc existimo esse veram intelligentiam illorum jurium, inquit doctissimus Suarez, sup. n. 9.

31. Secunda limitatio est, nisi sit præsumptio fori externi pro delicti admissi veritate. Ita Bonacina, Filliucius citati, et Sanchez, supra Stante hâc præsumptione, inquit Sanchez, est pro certitudine delicti possessio, et illâ præsumptione est in utroque foro standum, dùm contraria veritas non constat. V. g., hæresis externa reservatur quando etiam mente ita sentitur; dubius autem eam proferens est, an ita mente senserit, vel an mente ita sentiente protulerit exteriùs, animo ejus asserendæ, et sic sit verè externa ac proinde reservata, an solius joci animo; censebitur in hoc dubio reservata; quia, cùm verba sint naturaliter signa intentionis, et nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet, nec aliter, quàm in eo habet, præsumptio est ac possessio in hoc dubio, ut hæresis illa processerit exteriùs ex vero interiori in illam consensu. Item quia in hoc dubio hic judicaretur verus hæreticus in foro externo. Ergo idem in interno; quia hæc judicia non sunt diversa, nisi quando istud falsæ præsumptioni innititur, et in hoc constat contraria veritas. Ita Sanchez.

32. Sed inprimis, ut advertit eminentissimus de Lugo, sup., hæc doctrina non cohæret cum iis quæ tradit idem Sanchez, l. 4 in Dec., c. 44, n. 3 et c. 40, n. 26, ubi tandem concludit, licèt præsumptio stet pro voto castitatis emisso, quia verba prolata fuerunt talia, in dubio tamen de intentione, licèt votum obliget propter illam præsumptionem, non tamen esse reservatum : quia reservatio est odiosa, et restringi debet ad casus certos, non ad dubios : atque ideò reservato voto castitatis intelligi debet votum certum, quod solùm est votum castitatis simpliciter et absolutè. Ita Sanchez. Non video autem, sed neque videt cardinalis de Lugo, quomodò possit hoc cohærere cum superiori doctrinâ : quia tam odiosa est reservatio absolutionis, quàm voti, et fortassè magis. Si ergo reservatio voti intelligitur de voto certo, non de dubio, et hoc licèt adhuc votum dubium obliget propter præsumptionem, quæ stat pro illius valore; idem dici debet de reservatione peccati, ut reservata hæresis, v. g., intelligatur de peccato certo hæresis, non de dubio, licèt præsumptio stet pro veritate delicti.

33. Itaque vel ex præsumptione fori externi resultat aliquid verosimilitudinis pro foro interno, vel nihil. Si primum, præsumptio talis ponit casum extra statum præsentis controversiæ; casus enim noster supponit dubium, atque adeò vel nulla utrinque fundamenta sufficientia ad assensum, vel æqualia, quibus si pro unâ parte accedat verosimilitudo ex præsumptione vel conjecturis, jam tollitur æquilibrium, atque adeò gravatur et inclinatur intellectus in unam partem contradictionis. Si secundum, id est, si præsumptio fori externi relinquat perfectum dubium animi, nihil faciet pro foro conscientiæ. Lugo cit., Sporer cit., Tamburinus, lib. 2, de Sacram., tract. de Cas. reserv., cap. 4, n. 8 : Gobat, n. 357; Dicastillo, disp. 11, n. 92.

34. Nec refert quod talis in foro externo, ut hæreticus puniretur propter præsumptionem in verbis fundatam : est enim clara differentia, nam in foro externo verba exteriùs prolata probant internam hæresim, neque hæc probatio infirmatur, quamdiù non affertur aliquid, quod in foro externo contrarium probet; atque hinc est quòd talis reputaretur hæreticus simpli

citer et absolutè. At verò in foro interno adversùs præsumptionem verbis fundatam affertur aliquid, vim ejus infirmans et elidens, videlicet animus, conscientia et testimonium pœnitentis, seriò et sincerè affirmantis dubium suum de interno consensu. Ac licèt testimonium simile in foro externo non admittatur, nihilominùs in foro conscientiæ et solet et debet recipi. Vide eminentissimum cit., n. 19.

35. Hactenùs de sententiâ tum magis communi theologis, tum magis favorabili pœnitentibus, à quâ recedunt Armilla, verbo *Casus*, num. 13; Corduba in Regulam S. Francisci, c. 7, q. 4, p. 1, casu 5; Frias, tract. de Modo audiendi confessiones, parte 2, c. 8, casu 2; Spinula, opusc. de Prud. elect., disp. ult., sect. 7; Bonæspei, de Sacram. Pœnit., disp. 10, dub. 1, n. 8, dicens: Dùm peccatum aliquod mortale reservatur, nullâ factâ mentione dubii, nec certitudinis peccati, si dubium sit an sit reservatum, necne, censeri debet reservatum.

36. Fundamentum hujus opinionis est primò, quia mortale dubium est materia necessaria confessionis, eo ipso quo confessio peccati mortalis simpliciter per Christum præcepta est; ergo mortale dubium est materia reservationis, eo ipso, quo mortale simpliciter per superiorem reservatum est. Eadem opinio fundatur secundò in decreto sacræ congreg. edito per mandatum Clem. VIII, die 9 januarii, anno 1601, per quod omnibus sacerdotibus, tam secularibus, quàm regularibus, per universam Italiam, extra urbem degentibus injungitur, *ne quis eorum sub prætextu quorumcumque privilegiorum*, etc., *ab ullo ex casibus* CLARÈ VEL DUBIÈ *in bullâ Cœnæ contentis*, etc., *absolutionis beneficium in posterum impendere audeat.*

37. Sed non videtur propterea recedendum à communi sententiâ. Ad primum fundamentum respondeo primò retorquendo argumentum: Mortale internum aut merè inchoatum, est materia necessaria confessionis, eo ipso, quo confessio peccati mortalis per Christum simpliciter præcepta est, ergo mortale internum aut merè inchoatum, est materia necessaria reservationis, eo ipso quo mortale simpliciter per superiorem reservatum est. Quisquis, admisso antecedente hujus argumenti, negas consequentiam, rogo ut idem facias de argumento sequenti: mortale dubium est materia necessaria confessionis, eo ipso quo peccati mortalis confessio simpliciter et absolutè præcepta est; ergo mortale dubium est materia reservationis, eo ipso, quo mortale simpliciter per superiorem reservatum est. Respondeo secundò differentiam esse quòd peccatum mortale dubium pro necessariâ materiâ confessionis agnoscant tum praxis communis fidelium, tum opinio receptissima doctorum, quæ in rebus sacramentalibus, à positivâ Christi voluntate præcipuè dependentibus, magnoperè æstimanda sunt. At verò peccatum mortale dubium per se loquendo reservari, paucissimis exceptis, cæteri omninò negant, nec praxi communi fideles confirmant, vidente et audiente, sine obloquio, quolibet superiore.

38. Ad fundamentum secundum respondeo primò, sententiam communem inde potiùs confirmari; si enim peccatum mortale dubium reservetur eo ipso quo mortale simpliciter, quid erat opus præcepto, quo speciatim id præscribatur circa casus Cœnæ? Nonne et illi reservati sunt, et quidem rigidissimâ reservatione? Cur ergo per decretum speciale de illis statuitur, quod omnibus commune est, ut supponitur? Itaque cùm exceptio formet regulam in contrariam, manebit licitum absolvere à casibus dubiè reservatis in bullis, vel decretis aliis Pontificis, episcoporum et regularium superiorum, sine facultate in reservata. Eàdem reflexione supra usi sumus ad cap. *Significàsti* et cap. *Ad audientiam*, de Homicidio, ubi statuitur ut incurratur irregularitas propter dubium homicidium. Respondeo secundò, anno sequenti, videlicet 1602, 26 novembris, eumdem Pontificem Clem. VIII, edidisse decretum alterum, decreti prioris in punctis pluribus restrictivum, in quo objecti termini *clarè vel dubiè*, de quibus argumentum, omittuntur. Quare videtur res reducta ad terminos antiquos bullæ *Cœnæ*, in quâ præfatæ particulæ omittuntur. Atque adeò videtur hodiè licitum absolvere à casibus dubiis, etiam bullâ *Cœnæ* contentis, sine facultate speciali. Bardus, discept. 6, c. 14, p. 4, § 7, n. 6. De Schildere, de princ. consc. tr. 5, n. 14, Bosco, n. 129, Gobat, n. 357.

39. Igitur summa summarum est, rètinendam esse communem sententiam, quâ suppositâ quæro quid faciendum, si pœnitens à casu reservato dubio absolutus per communem confessarium, postea fiat certus, peccatum reservatum reverà se commisisse. Respondet Gobat, n. 358, sola pœnitentia; id est, solummodò pœnitentiam sacramentalem implendam esse, nec ullam restare obligationem confitendi. Eamdem responsionem habet Sporer, n. 734. Atque ita dicendum putat Lugo, n. 20, si probabile esset quòd qui confessus est peccatum dubium, licèt postea recordetur fuisse certum, non teneatur illud iterùm confiteri ut certum; quia jam fuit ab illo directè absolutus sub conditione, si fuerat commissum; similiter enim in casu præsenti remanet directè absolutus, quia ille, qui in dubio absolvit, à peccato hæresis, ad hoc maximè absolvit ut si verè fuit peccatum, remittatur. Ita Lugo. Addit Sporer majorem esse rationem in proposito, cùm jam peccatum mortale certum confessus sis, de solâ reservatione dubius; ut si procuratio abortûs sit reservata, et confitearis quòd potionem abortivam dederis prægnanti, dubitans de successu; confiteris peccatum mortale certò commissum, solummodò dubitans an fuerit consummatum atque adeò reservatum.

40. Imò existimat Lugo, n. 22, absolutè satis probabile esse quòd non sit postea ad superiorem recurrendum pro absolutione, et adducit doctrinam Sanchii, cap. 44, n. 10, ubi casus proponitur similis de illo qui dubius de voto castitatis emisso, petit dispensari ab episcopo vel alio habente facultatem in vota non reservata: qui ratione dubii dispensavit; eò quòd votum castitatis dubium non sit reservatum; ac si

contingat dispensatum postea certum fieri de suo voto, resolvit Sanchez citatus, quòd ad Pontificem recurrere ampliùs non debeat pro relaxatione ejusdem voti. Quod verissimum videtur, ait Lugo, cùm alioquin dispensatio fuisset vana : non enim dispensatio fuit conditionata, si non esset votum; sed potiùs sub conditione, si verè fuerit votum : nam si non fuit votum, non fuit dispensabile; ergo si episcopus potest tunc dispensare, potest tollere obligationem, casu quo fuerit.

41. Atque hoc exemplum idem auctor n. 23, ad nostrum casum in hunc modum applicat : sicut votum dubium non reservatur, sic nec peccatum, ut ex auctoribus citatis supponitur. Ergo sicut in dubio voto dispensat episcopus, adeò ut dispensatio maneat valida, licèt postea constet de certitudine voti : sic dubium reservatum absolvit communis confessarius, adeò ut maneat absolutum, etiamsi postea constet, peccatum reservatum certò commissum fuisse. Ita in substantiâ Lugo, extendens eamdem doctrinam etiam ad censuras.

42. Dices : Verior equidem et magis recepta sententia est, quòd peccatum mortale bonâ fide confessum, ut dubium, debeat, comperto errore, denuò submitti clavibus tanquàm certum. Hinc autem legitimè videtur sequi, ut qui peccatum reservatum communi confessario bonâ fide confessus est, tanquàm dubium, debeat, comperto errore, idem confiteri tanquàm certum, seu certò reservatum, atque adeò confessario pro reservatis approbato. Pro hujus argumenti solutione rogat Gobat citatus, ut legatur D. Rasserus tract. de Confessione, c. 7, § 6, ubi, ut idem Gobat testatur, subtiliter ostendit, prædicti argumenti consequentiam non subsistere. Curiosus lector satisfaciat desiderio patris Gobat, et legat, si habeat, Rasserum citatum. Interea videri potest responsio superiùs n. 39, ex Sporer data.

43. Dicitur 5° : *In suâ specie consummatum.* Non quasi actus inchoatus, præsertim qui pertingit ad malitiam peccati mortalis, reservari non possit; sed quia actus simpliciter positus et reservatus stat pro perfecto et consummato. Itaque tametsi superior reservare posset, v. g., homicidium duntaxat inchoatum, si vellet; nisi tamen id clarè exprimat, contra eum interpretatio facienda est in favorem pœnitentis, intelligendo per homicidium simpliciter positum, illud solùm, quod in suo genere perfectum et consummatum est.

44. Est autem observandum actum externum variis modis posse esse perfectum vel imperfectum. Primò potest actus externus esse imperfectus quoad solum terminum, etsi interim perfectus et consummatus sit, quantùm est ex parte operis et agentis. Ut si quis infligat alicui vulnus omninò grave et lethale, ex quo quidem proximè non sequatur mors, infallibiliter tamen certò secutura sit; etiamsi percussor jam tum peccatum suum quantùm est ex parte actionis consummaverit, nondùm tamen perfectum et consummatum est homicidium, donec sequatur mors. Id est, perfectum et consummatum est homicidium, quantùm attinet formalem malitiam. Perfectum et consummatum est homicidium, quantùm est ex parte agentis et actionis, quia nulla causalitas, nullus influxus, nullum ampliùs requiritur vulnus ad effectum mortis. Interim est incompletum, quantùm est ex parte patientis (qui supponitur adhùc vivere) et ex parte termini seu effectûs ultimi, id est, ipsius mortis.

45. Secundò potest actus externus esse perfectus, quantùm est eæ parte termini, et esse imperfectus quantùm est ex parte actionis seu causalitatis. Ut si quis alteri vulnus infligat, quod non sit lethale secundùm se, et interim sequatur mors per accessum fortuitum febris vel infirmitatis, imperitiam medici vel temeritatem vulnerati, delictum consummatum est ex parte termini seu effectûs ultimi, quatenùs secuta est mors; sed imperfectum, quantùm est ex parte actionis, quatenùs actio à circumstantiis extrinsecis separata, est insufficiens ad producendum effectum. Hùc reduci potest actio imperfecta defectu voluntarii, v. g., homicidium commissum per ignorantiam aut impetum acceleratum iracundiæ, deliberatâ ratione anteriorem. Quanquàm enim simile homicidium sit perfectum, quantùm est ex parte effectûs, item quantùm est ex parte actionis physicè et objectivè consideratæ, est tamen imperfectum ex parte actionis spectatæ moraliter.

46. Tertiò potest actus externus esse imperfectus tum ex parte termini, tum ex parte causalitatis, quod duobus modis potest contingere : 1° quando actionem tanquàm insufficientem, reipsà non sequitur effectus, ut si vulneratus convalescat; 2° si actio intenta quidem seriò et efficaciter fuerit, sed tamen effectu ipso non ponatur, ut si malefactor intendat quidem vulnerationem alterius vel actionem occisivam, sed nihil horum sequatur, quia manus vel instrumentum percutientis aberravit.

Demùm quartò potest delictum externum completum esse tam ex parte actionis, quàm ex parte effectûs, ut si quis actionem secundùm se occisivam deliberatè ponat et secuta sit mors. His notatis,

47. Dicendum est : Quandocumque censura vel reservatio simpliciter et absolutè aliquod delictum afficit, debet actus externus quarto modo perfectus esse, nisi censurans vel reservans utatur terminis effectum ultimum non includentibus. Unde quantùmvis perfecta sit actio ex parte delinquentis, si effectus impediatur etiam per miraculum aut per magiam, censura et reservatio pariter impediuntur. Ut si excommunicatio vel reservatio lata vel decreta sit in homicidium; quamvis alter alterum ad mortem vulneret, ita ut naturaliter desperetur vita vulnerati, non excommunicatur vulnerans, neque peccatum reservatum commisit, donec mors sequatur. Communis sententia, quæ probari potest per similе ex cap. *Perpetuo*, de Election. in 6, ubi statuitur, ut *scienter in electionibus nominantes indignum* (*nisi adeò in eo persliterint, quod*

ex votis eorum communis electio subsequatur) *nequaquàm eligendi potestate privantur.* Itaque ad effectum hujus pœnæ requirit Pontifex delictum ex parte termini consummatum.

48. Probari similiter potest ex cap. 1, de Homicidio in 6, ubi Innocentius IV statuit, ut qui per assassinos aliquem Christianorum interfecerit aut interfici mandaverit, incurrat ipso facto sententiam excommunicationis, etc., *quanquàm mors forsitan ex hoc non sequatur.* Nam quia Pontifex ibidem voluit extendere pœnam ad homicidium intentatum, etiam effectu ultimo non secuto, ideò id expressit, significans, ubi hoc non exprimitur, non habere locum talem extensionem. Ita Suarez, de Cens., disp. 44, sect. 2, n. 2. Atque hinc est quòd Clemens VIII, in suo decreto die 26 maii 1593, inter casus reservatos comprehendere volens non solùm homicidium, sed etiam percussionem gravem et vulnerationem, expresserit singula in hunc modum : *Occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujuscumque personæ;* non ignorans quòd, si solam posuisset occisionem, percussio et vulneratio, quantùmvis gravis, morte non subsecutâ, à reservatis fuisset exclusa : sicuti excluditur à pœnis irregularitatis, excommunicationis et similibus, quæ in homicidium simpliciter positum decretæ sunt, ut passim doctores tradunt. Similiter idem Pontifex in eâdem Bullâ inter casus reservabiles numerat procurationem, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, et ne quis id ipsum intelligat, secuto effectu mortis, prout intelligi alioquin deberet, expressè, addidit, *etiam effectu non secuto.*

49. Confirmatur ex ipso vulgi judicio et modo communi loquendi; quia nemo dicet Petrum occisum esse, si adhùc vivat, qualitercumque sit vulneratus, atque ita nemo dicet Paulum commisisse homicidium, qualitercumque vulneraverit Petrum, quamdiù non sequitur mors. Proinde ut Petrus non dicitur occisus, ita Paulus non dicitur occisor seu homicida in supposito : hæc enim omninò relativa sunt, adeò ut quicumque defectus aufert Petro denominationem occisi, idem necessariò tollat Paulo denominationem occisoris. Quod clarius fiet, si supponatur aliquem communi judicio medicorum lethaliter vulneratum esse, qui tamen præter expectationem convalescat. Certè in hoc casu vulnerans non potest dici homicidium commisisse, cum tamen occisio ex parte mutilantis aut vulnerantis satis esset completa.

50. Hinc sequitur 1° à fortiori, quando actio exterior est imperfecta secundùm se et insufficiens ad effectum lege prohibitum, quantùmvis effectus sequatur per accidens, sive præter illum modum quem legislator specialiter prohibet, non incurri censuram aut reservationem : ut in exemplo superiùs allegato, si causam mortis insufficientem per accidens sequatur mors ob imperitiam, temeritatem, imprudentiam medici, vulnerati vel alicujus tertii, aut per accessum infirmitatis aut infortunii naturalis. Idem dicendum si actus externus sit imperfectus defectu voluntarii.

51. Sequitur 2° rursùs à fortiori eum qui omninò aberravit ab effectu intento et inchoato, non incurrere censuram vel reservationem, decretam seu expressam terminis effectum ultimum includentibus. Ut si quis volens percutere clericum, casu aberret, tametsi sagittam emittat vel ictum in eumdem dirigat, non incurrit in canonem *Si quis suadente diabolo;* nam in effectu et re ipsâ manus violentas in eum non injecit, prout verba canonis exigunt. Ita Suarez, disp. 4, de Cens., sect. 3, n. 4, citans Ugolinum, tab. 1, de Censuris, c. 9, § ultimo, et in simili Covarruv. in cap. Alma, 1 p., § 10, n. 15. Navarrus de datis et promissis, n. 15.

52. Sequitur 3° exceptionem à conclusione generali esse, si superior seu legislator utatur terminis effectum ultimum excludentibus, aut saltem non includentibus. Sic Clemens VIII, in decreto superiùs allegato, inter casus superioribus reservabiles ita recenset abortum fœtûs animati, ut effectum ultimum sive terminum discrètè excludat, *etiam effectu non secuto.* Idem est de Innocentio IV, cap. 1, de Homicidio, in 6. Sic rursùs in diœcesi Leodiensi inter cætera reservata n. 5, recensetur *Machinatio in mortem conjugis;* ubi quanquàm terminus seu effectus ultimus mortis positivè non excludatur, tamen pariter non includitur; quia *machinatio* est de genere illorum actuum qui solo conatu, solâ intentione finiuntur et consummantur. Quare casum *machinationis* incurret maritus qui vesperi pugionem absconderet sub cervicali, ex animo occidendi conjugem, tametsi mors, percussio aut vulnus postea non sequeretur. Ejusdem generis est *raptus*, quatenùs impedimentum dirimens matrimonii, seu violenta puellæ abductio localis, causâ matrimonii ineundi; nec enim, ut censeatur perfectus, requiritur matrimonium inter raptorem et raptam attentatum, sed sufficit sola ejusdem intentio.

53. Sequitur 4° non esse necessariam exceptionem Ugolini, quâ existimat non esse locum communi doctrinæ, si actus consisteret in quâdam successione continuâ, ut est ædificare in alieno solo, retinere alienum aut concubinam. In illis casibus putat Ugolinus citatus, sufficere actum inchoatum ad incurrendam excommunicationem. Sed, ut rectè advertit Suarez, in his et similibus exemplis actus perfectus est, quantùm lex requirit. Nam dùm absolutè prohibetur ædificatio, in eâ actione non includitur terminus consummatus, et ideò ipsa actio, ut est in fieri, est consummata transgressio talis præcepti, dummodò mortale peccatum sit. Lex autem prohibens retinere alienum aut concubinam, partim affirmativa est, præcipiens actum restituendi alienum vel ejiciendi concubinam; et quando id præcipit sub censurâ, semper designat tempus, infra quod sit adimplenda, quo tempore elapso censebitur transgressio perfecta et consummata. Quòd si lex tempus non designaret, sed præciperet quamprimum fieri, omissio actûs esset consummata transgressio istius præcepti, simul atque mortalis esset.

54. Dicitur 6° *A quo præter reservantem, ejus in*

officio superiorem et successorem nemo directè absolvere potest. De reservante, et ejus in officio superiore ac successore nihil restat dicendum, tum quia desuper superiùs actum, tum quia res ipsa clamat, penes eosdem esse potestatem in reservata. Similiter certum est Confessarium quemlibet à reservatis absolvere posse indirectè, primò quando pœnitens reservatorum omninò oblitus confitetur communia. Secundò, dùm urgenti necessitate celebrandi, sacerdos habens cum peccatis communibus reservatum, non potest accedere superiorem. Vide Herincx, de Pœnit., disp. 5, n. 18 et 19, et disp. 6, n. 24. Itaque hoc solum præsenti conclusione asseritur neminem, præter reservantem, superiorem aut successorem, posse, per se loquendo, directè absolvere à reservatis.

55. Dicitur 7° : *Extra mortis articulum;* quia *semper in Ecclesiâ Dei custoditum fuit ut nulla esset reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Tridentinum, sess. 14, de Pœnitentiâ, cap. 7, cui conforme est Rituale Romanum de sacramento Pœnitentiæ, sub initium dicens, quòd, *si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos* possit *à quibuscumque peccatis et censuris absolvere.*

Quocirca observandum obiter 1° analogiam manifestam statui inter *omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes*, ac quævis peccata et censuras. Atque adeò, ut nulla excipitur *censura*, excommunicationis, suspensionis, interdicti, nullum *peccatum*, commune vel reservatum, et hoc rursùs vel episcopo vel Pontifici; nullus *pœnitens*, quantumvis criminosus, excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus; ita nullus *sacerdos* qualiscumque statûs, excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus. Hanc unicam conditionem exigit Rituale Romanum, ut *approbatus desit confessarius.* Interim meretur legi Prosper Fagnanus in quartum librum Decretalium, de Sponsal. et Matrim., cap. *Non est vobis*, ubi in oppositam partem fusè et eruditè disputat.

56. Quæstio tantùm est, inquit Steyaert, de sacram. Pœnit. § 14, n. 4, quomodò Tridentinum hìc dicat, *in Ecclesiâ* SEMPER ita custoditum fuisse, cùm ex concilio Eliberitano, Tertulliano et aliunde constare videatur, fuisse quædam olim crimina, à quibus ne quidem in fine vitæ dabatur absolutio. Respondetur cum eodem imprimis, istud non fuisse propriè dictam reservationem. Id quod verissimum est; nam reservatio non habet locum respectu superioris, quemadmodùm praxis illa seu consuetudo Ecclesiæ, si unquàm exstiterit. Respondetur secundò ex eodem, morem ejusmodi nunquàm in Ecclesiâ fuisse generalem, vel etiam in Romanâ receptum, sed toleratum tantùm in Ecclesus particularibus, uti latè probat Morinus, l. 9, c. 19. Saltem plane sic sentit hìc sancta synodus Tridentina, quod satis esse debet Catholico.

57. Observandum 2° mortis articulum et periculum propriè loquendo distingui : articulus enim mortis importat talem hominis statum, qui ex naturâ suâ et per se disponat ad mortem, puta, cùm valetudo à medicis desperata est, et eorum judicio paulò postea secutura mors. Periculum verò statûs est, qui etsi naturâ suâ et per se ad mortem non disponat, per accidens tamen ob circumstantias quæ mortem proximè inferre possent, est talis, ut mors frequenter sequatur, v. g., cùm imminet prælium, naufragium, difficilis partus, etc. Nihilominùs auctores communiter mortis articulum et periculum pro eodem sumunt. Sed et canones utroque vocabulo pro eâdem re alternatim videntur uti : sic enim cap. *Eos qui*, de Sentent. excommun., in 6, primò vocatur mortis articulus, quod paulò postea periculum dicitur. Similiter 17, q. 4, cap. *Si quis suadente*, positâ reservatione excommunicationis, excipitur *periculum* mortis, *nisi mortis urgente periculo;* cujus exceptionis fit mentio cap. *Non dubium*, de Sentent. excommun., atque ibi rursùs appellatur mortis articulus : *nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possint beneficium impetrare.* Quin ipsum etiam Rituale Romanum verbis superiùs adductis doctrinam Tridentini extendit ad periculum mortis. Et infra rursùs de ordine ministrandi sacramentum Pœnitentiæ, *si quis*, inquit, *confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantùmvis reservatis; cessat enim tunc omnis reservatio.*

58. Observandum 3° taliter absolutos, si convalescant aut elabantur periculo, non teneri eadem peccata denuò confiteri, quia fuerunt ab iisdem directè et legitimè absoluti. Quòd si verò absoluti fuerint etiam à censuris per ullum, qui aliàs non potuisset absolvere, obligantur quamprimùm se illi sistere, à quo extra mortis articulum vel periculum absolvi debuissent. Ita expressè statuitur cap. *Eos qui*, cit. his verbis : *Eos, qui à sententiâ canonis vel hominis (cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum, habere recursum) ab alio absolvuntur : si cessante postea periculo vel impedimento hujusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi et satisfacturi, prout justitia suadebit : decernimus (ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ) in eamdem sententiam recidere ipso jure.*

59. Dicitur 8° : *Sine facultate speciali.* Quare si episcopus alicui faciat potestatem generalem absolvendi suos subditos ab omnibus peccatis, non poterit sic delegatus eo ipso absolvere à reservatis; sed debet fieri mentio reservatorum, aut ex realibus circumstantiis colligi, superioris intentionem etiam ad reservati extendi : *Cùm in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus,* ut dicitur cap. *Si Episcopus*, de Pœnit. et Remiss in 6, ubi ex hâc ratione deciditur : *Si episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem*

episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitùs potestatem.

60. Ex eodem principio videtur ulteriùs rectè inferri posse, 1° quòd, si episcopus alicui daret licentiam generalem in omnes casus sibi reservatos, facultas illa generalis et indefinita non extenderetur ad casus, eidem episcopo *specialiter* reservatos; quia specialiter excepta requirunt specialem concessionem; sed de hoc pluribus infra.

Infertur 2° quamvis in Jubilæo vel aliàs concederetur facultas generalis absolvendi *à quibusvis peccatis et censuris*, non eo ipso cuilibet confessario licentiam fieri in reservata. Communis sententia apud Lacroix, l. 4, part. 2, num. 1616.

Infertur 3° si tempore Jubilæi vel aliàs detur indefinita potestas *etiam in casus Sedi Apostolicæ reservatos*, non intelligi casus bullâ *Cœnæ* expressos. Suarez, tom. 5, in 3 part., disp. 21, sect. 3, n. 3; Ugolinus, de Censuris, tab. 1, c. 10, § 4, n. 8. Sánchez in Decalogum, l. 2, c. 12, n. 13; Chapeauville, p. 1, c. 4, Viva, de Jubilæo, q. 11, a. 1, apud Lacroix cit.

61. Infertur 4° quando in Jubilæo vel per bullam *Cruciatæ* conceduntur casus *Cœnæ*, non factâ expressâ mentione hæresis, non esse licitum ab hâc absolvere. Idque tanquàm certissimum tenendum esse docet Sanchez cit., n. 10, quia concessio generalis, inquit, absolvendi ab excommunicatione et casibus *Cœnæ*, non comprehendit eam, cujus absolutionem verisimili conjecturâ delegans non commisisset, cap. *In generali*, de Regulis juris in 6, ubi dicitur : *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* At hæresis absolutio adeò reservata est, ut verosimiliter eam pontifex non concessisset. Extat præterea de hoc ipso motus proprius Gregorii XIII, quem ad verbum exprimit Rodriguez in Addit. ad bul., § 9, n. 66, et ex ipso adducunt Sanchez cit., et Lugo, disp. 20, n. 162. Itaque sic existimant Covarruvias, cap. *Alma mater*, 1 p., § 11, n. 15; Henriquez, lib. 8, de Pœnit., c. 16, n. 2; Azorius, tom. 1, lib. 8, ins. mor., c. 10, q. 12, et c. 9, q. 2; Avila, de Censuris, 2 p., c. 7, disp. 1, dub. 2, concl. 2, et plures alii apud Sanchez et alios.

POLEGOMENON III.

62. Interpretatio legum ac decretorum alia est authentica, alia doctrinalis. De utràque agunt Glossa in l. *Si de interpretatione*, ff. de Legibus; Decius et Panormitanus, c. 1, De Postul.; Prælat.; Tabiena, Angelus, Sà, et alii summistæ ibidem. *Authentica* est, quæ nititur auctoritate principis seu legislatoris, declarantis verba obscura legis suæ, vel prædecessorum, aut inferiorum suorum, hoc vel illo sensu esse intelligenda. Ad hanc reducitur usualis, quæ fit communi consensu et legitimâ consuetudine, de quâ (lege citatâ) dicitur : *Si de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit : optima enim est legum interpres consuetudo.* Ubi Gl., verbo *Optima* : interpretatio consuetudinis est probabilis et necessaria, et non in scriptis redigenda...., sed principis interpretatio est necessaria et in scriptis redigenda et generalis.

63. Hinc colligitur 1° quòd interpretationem authenticam dent solus princeps aut legislator, ejusque successor et superior, quia ut illi soli potestatem habent ferendi leges, ita easdem authenticè seu obligatoriè declarandi. Constat ex l. fin., c. de Legibus, ubi dicitur, omnem legis, interpretationem ab imperatore datam, *ratam et indubitatam habenaam esse* : et ratio additur, quia *si leges condere soli imperatori concessum est, et leges* (authenticè) *interpretari, solo dignum imperio esse oportet.* Et c. *Inter alia*, de Sent. excomm., ubi statuitur, *ut unde jus prodiit*, authentica *interpretatio quoque procedat.*

64. Colligitur 2° authenticam declarationem esse obligatoriam, atque adeò legem intelligendam esse in eo sensu, quem dederit interpretando superior seu legislator. Interim ad hunc effectum necessaria est nova promulgatio, saltem si declaratio sit in re dubiâ vel ambiguâ : si enim declaratio sit evidens, manifesta, in re planâ, controversiis non subjectâ, promulgari non debet; sed satis est ipsam legem promulgatam esse, quia declaratio evidens et manifesta inest ipsi legi à principio, et ex ipsius legis tenore et publicatione infertur.

65. Colligitur 3° declarationem authenticam per obvium verborum sensum non ligari, id est, superiorem, cùm suam vel inferioris vel prædecessoris legem auctoritativè interpretatur, sequi non debere sensum obvium et naturalem verborum, quibus lex exprimitur. Quare frequenter contingit, inquit Suarez, l. 6, de Legibus, c. 1, n. 3, ut hæc interpretatio non sit nuda declaratio sensûs prioris legis, sed aliqua etiam mutatio, vel addendo, vel minuendo, quia totum hoc cadit sub potestatem ejus, cujus auctoritate fit talis interpretatio, et potest esse necessarium ad commune bonum. Vide Suarez cit.

66. Colligitur 4° et ex corollario præcedenti manifestè sequitur, quòd, licèt interpretatio non videatur omninò adæquata proprietati verborum legis, nihilominùs dubitandum non sit de ejusdem interpretationis efficacià et obligatione. Quia potuit legislator initio, cùm legem tulit, exprimere eumdem sensum, quem jam determinat interpretando; ergo certum est interpretationem authenticè jam factam præter proprietatem verborum legis, esse obligatoriam : cùm eamdem auctoritatem, quam habuit legislator, dùm legem tulit, retineat, dùm eamdem explicat. Exemplo servire poterit *Sortilegium*, reservatum in confessariorum instructionibus diœcesis Gandavensis. Sensus obvius et genuinus illius vocis est, quem possidet tum in jure, tum in theologià, atque adeò, cùm utrobique non usurpetur, nisi vel pro magià universim, vel pro usu sortium ad cognoscendum secretum, quælibet alia illius vocis interpretatio est præternaturalis, id est, minùs propria. At Gandavensis episcopus tanquàm suorum casuum et terminorum arbiter, pro ge-

nuino suæ voluntatis intellectu remittit ad pastorale, ubi per *sortilegium* intelligitur maleficium veneficium. Dico hanc pastoralis interpretationem authenticam (quòd diœcesim Gandavensem attinet) sine dubio retinendam esse, quia, ut diximus, penes arbitrium synodi vel episcopi est, bono communi sic exigente, terminorum suorum interpretationem facere, qualem libuerit, dummodò authentico instrumento significet. Atque hæc quidem de interpretatione authenticâ seu auctoritativâ.

67. Interpretatio autem *doctrinalis* est, quæ nititur doctrinâ et judicio, non auctoritate interpretis. Ad hanc revocatur interpretatio consuetudinis non præscriptæ. Item judicialis, facta à judicibus inferioribus. Similiter, quæ datur à principe, sed tanquàm doctore privato, opinante, aut rescribente, quod notari velim. Quamobrem, inquit Bonacina, disp. 1, q. 1, puncto 8, n. 16, multi doctores asserunt standum non esse expositioni legislatoris, quando extra legem respondet non tanquàm legislator, et verba legis propriè non admittunt talem significationem et expositionem: quamvis enim verum sit, standum esse legis seu legislatoris menti, etiam contra verba legis, tamen quando legislator non respondet tanquàm legislator contra propriam verborum significationem, standum est propriæ verborum significationi, quæ præsumi potest intenta fuisse à legislatore, dùm legem conderet; nullus enim præsumitur impropriè loqui, nisi aliter ex conjecturis appareat. Hactenùs Bonacina, et rectè; sed de hoc etiam infra. Interim ex hoc principio reflectunt plurimi doctores, Navarrus, Salas, Emmanuel Sâ, Herincx, idem Bonacina et alii, Hostiensem cum multis aliis recessisse ab interpretatione factâ per Innocentium IV, super constitutione ab eodem antea evulgatâ.

68. Hinc colligitur 1° quòd interpretatio *doctrinalis* non habeat virtutem legis, atque adeò, quatenùs præcisè talis est, neminem obligare possit. Quia potiùs procedit per intellectum quàm per voluntatem, id est, non provenit à potestate jurisdictionis, sed potiùs à scientiâ et judicio interpretantis.

Colligitur 2° hanc interpretationem gradualem esse, seu suis constare gradibus, atque adeò alteram alterâ esse magis energicam et efficacem: nam si de legis alicujus intelligentiâ conveniunt omnes interpretes, faciunt humanam certitudinem atque etiam, per se loquendo, inducunt (seu potiùs declarant certo inductam) obligationem implendi seu servandi legem juxta sensum ab interprete doctrinali passim determinatum; tum quia tanta doctorum consensio significat communem intellectum; tum quia vix potest accidere ut contra communem omnium doctorum sensum adducatur ratio tam energica, quæ oppositam opinionem in conscientiâ securam reddat. Quòd si verò dividantur auctores, erit interpretatio probabilior, quæ tum auctorum, tum rationum gravitate præponderat.

69. Colligitur 3° expositionem doctrinalem cuilibet permissam esse, si eam faciat non pro arbitrio et sensu proprio, sed juxta communes regulas et sensum doctorum. Et in hanc veritatem *ferè omnes doctores conveniunt*, inquit Castropalaus. disp. 5, puncto 3, § 2, n. 1. Ratio, quia ea est humana conditio, ut homo nequeat suam mentem quâlibet terminorum periodo tam disertè exprimere, quin progressu temporis et occurrentiâ casuum nascantur dubia, pro quibus, cùm semper recurri ad superiorem aut non possit aut non expediat, eruitur manifesta necessitas interpretationis doctrinalis. Hæc necessitas originem dedit jurisprudentiæ, cujus scopus et finis est, legitimum sensum et veram legum expositionem tradere. Eadem necessitas, ratio est, ut laudetur et commendetur conatus eorum, qui legibus explicandis, ut oportet, incumbunt, l. unic., c. *de Professoribus*, qui l. 1, ff. *de Origine juris*, c. 2, *de Privilegiis*, in 6. Vide etiam, si placet, proœmium Decretalium, Sexti, et Clementinarum.

70. Porrò communes regulæ, quas debet sequi doctrinalis interpres, ad tria capita revocantur. Primum est ratio legis; secundum intentio legislatoris: tertium verborum sensus et significatio. *Ratio legis*, quando videlicet satis de eâdem constat, et maximè, si judicetur primaria vel adæquata esse. *Intentio legislatoris*, non quæ animo retinetur, sed quæ per circumstantias reales aut contextum emicat, ut quæ ex ipsâ legis materiâ, similitudine, et concordiâ aut discordiâ cum legibus aliis, absurdo aut inconvenientiis aliàs secuturis, vel similibus signis deducitur. Quo casu cavebit interpres, ne, præterito intentionis nucleo, corticem verborum urgeat contrà l. *Non dubium*. c. de Legibus, ubi dicitur, *in legem committere eum qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem;* et cap. *Humanæ aures*, 22, q. 5: *Non debet aliquis verba considerare* (scilicet nuda) *sed intentionem et voluntatem; quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Ex quo canone colligitur quòd leges exprimantur verbis ad declarandam mentem legislatoris, quam proinde si non declarant, non est illis standum. Itaque si voluntas legislatoris authenticè declarata exactè non respondeat verbis, horum proprietas frustra urgebitur, ut supra significavimus. Alioquin, si voluntas legislatoris declarata non sit, aut saltem non nisi privatim, debet quàm maximè attendi *verborum sensus et significatio*, arg. leg. *Non aliter*, ff. de Legatis, ubi dicitur: *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est, aliud sensisse testatorem*. Ergo multò magis id locum habet in verbis legislatoris.

71. Ratio verò clara est, quia verba in vulgari discursu usurpantur secundùm propriam significationem, nam idcircò hæc eis indita est. Ergo multò magis id observandum in legibus, quæ debent esse claræ et intelligibiles. Et alioquin nihil certi in humanis legibus remanebit, si liceat unicuique earum verba ad sensus improprios pro arbitrio flectere.

Notandum verò, duplicem esse verborum significationem, naturalem et civilem. *Naturalis* eo nomine non vocatur, quasi aliqua verborum aut legis significatio sit à naturâ, cùm certum sit omnem vocum et legum significationem arbitrariam esse: sed quia quæ-

dam significatio ad primam et simplicem verborum institutionem pertinet, repræsentans significatum prout verè et naturaliter extat. In hunc modum vocabulum *mors* ex primævâ institutione significat separationem corporis et animæ. Significatio *civilis* dicitur, quæ per extensionem aut fictionem juris invaluit. Sic idem vocabulum *mors* fictione juris et per quamdam quasi analogiam, professioni religiosorum et exilio attribuitur. Item nomen *filius* pro solo naturali institutum est; at juris beneficio extenditur ad illum, qui privilegio principis est adoptatus. Item vocabulum *nobilis* attribuitur, propriè loquendo, illi, qui talis est jure sanguinis; per translationem autem accommodatur ei, qui principis beneficio factus est.

72. His addi potest significatio tertia, quæ *usualis* vocari potest, quia descendit non tam à primâ institutione, quàm ab usu et consuetudine loquendi. Et hæc quidem vim magnam habet in explicando vocum seu terminorum sensu, adeò ut similis usus progressu temporis contra primævam institutionem præscribat. Interim potest *usualis* significatio ad *naturalem* et *civilem* revocari: nam si usus alicujus verbi aut vocis contra primævam institutionem sit omninò communis et totius populi, reducitur ad *naturalem*, cùm usus communis institutionem primævam tollere et mutare possit. Si autem usus sit solius juris vel theologiæ, pertinebit talis significatio ad *civilem*. Quibus notatis, quæritur quam significationem sequi debeat doctrinalis interpres?

73. Respondeo primò: Si vocabulum aliquod in jure vel theologiâ non habeat passim significationem, nisi *civilem* vel *usualem*, deserenda est naturalis. Ratio est manifesta, quia alioquin non solùm explicatio repugnabit menti superioris; sed etiam leges fient sæpiùs ridiculæ et nihil significantes, ut exemplis evidentibus constat, v. g., si quis voces *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*, *degradatio*, *usucapio*, *præscriptio*, ad primam institutionem revocaverit. Similiter qui *homicidium voluntarium* in plerisque Belgii diœcesibus reservatum sic intelligeret, ut voluntarium reputaret quodcumque, procedens quàlibet ratione à voluntate ex prævià cognitione intellectivâ, omninò aberraret: quamvis enim illius vocis *voluntarium* significatio naturalis sit adeò generalis, ut statim expressum est, nihilominùs *civilis* seu potiùs *usualis* tum apud jurisperitos, tum apud theologos recepta est, ut terminus *voluntarium*, quando homicidio jungitur, usurpetur strictiùs, ut infra pluribus. Item *maleficium*, si Calepinum legas, est quodlibet malefactum, injuria, facinus, vel quidquid improbè admissum est. Si theologiam consideres aut legem reservationis, est species magiæ diabolicæ. Præferenda omninò est significatio ultima, tanquàm *civilis* aut *usualis* in materiâ nobis præstitutâ.

74. Respondeo secundò: Retinenda est proprietas verborum *naturalis*, si circumstantiæ occurrentes aut juris alterius dispositio non exigant *civilem*. Atque ita significatur l. *Si quis*, c. *De his qui veniam ætatis*, ubi perfecta vel legitima ætas accipitur simpliciter pro naturali, non pro illâ quæ *imperiali beneficio suppletur*. Item Glossa, c. *Susceptum*, de Rescriptis, in 6, verb. *Non morte*, citans alia jura, notat, *quòd nunquàm mors civilis naturali comparatur, nisi in casibus expressis in jure.*

75. Respondeo tertiò: Si utramque significationem civilem et naturalem patiantur verba legislatoris, attentis etiam circumstantiis, debet præferri naturalis: quia analogum absolutè sumptum stat pro significato magis famoso et principali. Deinde significatio naturalis in humano convictu est frequentior, atque adeò intendi supponitur à legislatore, qui illius convictûs exercitium spectat, neque censetur loqui impropriè, nisi probetur per circumstantias.

Respondeo quartò: Si vocabulum legis vel decreti habeat duplicem significationem naturalem, præferenda est magis usitata, vel, ut Suarez, n. 11, loquitur, utendum regulâ, quæ in omnibus sermonibus ambiguis seu æquivocis prudenter usurpari solet, videlicet, ut ponderentur materia legis et circumstantiæ. Maximè verò considerare oportet initium legis, et cum eodem conjungere subsequentia; nam legis proœmio contineri solet causa finalis et principalis, atque adeò summoperè spectat ad legis intelligentiam.

PROLEGOMENON IV.

76. Reservatio est stricti juris, atque adeò restringenda, seu, quantùm patitur proprietas verborum, rigidè et strictè explicanda, conformiter ad regulam 15, de Regulis juris, in 6: *Odia restringi et favores convenit ampliari*, ubi, ut notant Peckius, Canisius et alii, per *odia* intelliguntur constitutiones et leges pœnales, edicta et rescripta acerba, quæ videlicet vel derogant juri communi, vel cedunt in alterius odium, gravamen aut præjudicium. Nemini autem dubium esse potest, quin lex reservationis cedat in gravamen et præjudicium pœnitentis, cujus libertas quoad electionem confessarii per eamdem restringitur, imposito onere comparendi coram superiore aut speciali ejus delegato. Quapropter materia reservationis, uti et censurarum cum cæteris constitutionibus pœnalibus aut odiosis sic debet intelligi et explicari, ut quàm minimùm noceat, c. *Quamvis*, de Rescriptis, in 6, l. *Cùm quidam*, ff. de Liber. et Posthum. Et Glossa in l. *Venia*, verb. *Liberis*, c. *De in jus voc.*; et in l. *Sed si hâc lege*, § ult. ff. eod. Et in l. 2, § 16, ff. *Ne quid in loco publico*. Estque sententia theologorum communissima.

77. Porrò ex hâc sententiâ, inquit Herincx, contingit ut, cùm in jure disponitur aliquid in odium seu gravamen clericorum, non veniant intelligendi religiosi, cùm strictè non significentur nomine clericorum; sed specialiter, soleant in jure appellari regulares. Ex eodem principio deducit Henno, quòd quando aliquid disponitur in gravamen filiorum, non veniant intelligendi adoptivi. Ex eâdem regulâ, inquit Castropalao, sequitur, quòd reo potiùs favendum sit in judiciis, quàm actori et possessori, quàm petitori. Demùm ex eodem capite (quanquàm etiam aliunde, infertur, quando excommunicatur homicida, non in-

currere censuram illum, qui solummodò graviter vulneravit. Si excommunicetur vulnerans, non comprehendi, qui graviter percussit sine vulnere; si faciens vel committens aliquod delictum, non respicere illum, qui solùm moraliter atque adeò impropriè per consilium, consensum, mandatum influit, de quo latiùs infra.

78. Restrictio tamen non potest fieri contra verborum proprietatem et receptum usum, cui superior censetur insistere, nisi aliud exprimat aut aliunde constet. Quare reservato genere, reservatur quælibet vera illius species : quidquid enim negatur vel affirmatur de genere distributo vel sumpto primò intentionaliter, negatur vel affirmatur de quâlibet verâ illius specie. Hinc apostasiam simpliciter reservatam malè restringes ad illam præcisè speciem, quæ est à fide; quia communis usus non solùm vulgi, sed etiam theologorum, apostatam vocare solet non tantùm fidei, sed etiam religionis et clericatûs ἀμεραrium desertorem.

79. Dixi, *nisi aliud exprimat aut aliunde constet;* sic enim, ut redeamus ad exemplum superiùs allegatum, in diœcesi Gandavensi, prout etiam in plerisque aliis, reservatum est *sortilegium*. Confessarius illius diœcesis per casum nominatum malè intelliget aut magiam universim sumptam, aut usum superstitiosum sortium : quamvis pro alterutro significato soleat plerùmque accipi; quia pastorale Gandense, ad quod episcopus remittit confessarium, per sortilegium intelligit maleficium. Itaque spectanda est reservantis intentio in terminis ab eodem expressis et realibus circumstantiis, quibus maturè consideratis, si strictior interpretatio sine violentiâ, casui reservato aptari possit, eligenda est in favorem pœnitentis.

80. Nec metuendum, ne forsitan hâc ratione recedatur à mente vel intentione reservantis, atque adeò fiat periculum sacramento, quatenùs fortassè solvitur, qui ligandus erat : quia intentio reservantis non ex privato et interiori ejusdem judicio, quod confessariis pro regulâ vel mensurâ servire non potest; sed ex ejus calamo vel instrumento publico aut aliis, ut diximus, realibus et externis circumstantiis repetenda est. De cætero novit reservans, materiam odiam esse, atque adeò vulgatam juris regulam de restringendis odiis à theologis et confessariis invocandam. Quòd si in sensu etiam minùs rigido, se intelligi voluisset reservans, legem dixisset apertiùs et proinde conformiter ad regulam Juris 57, ac omnium theologorum judicium, in rigidiorem terminorum suorum interpretationem consentit reservans, nisi contrarium exprimat.

81. Imò etsi contrarium exprimeret, si tantùm privatim, nihil operabitur similis expressio seu declaratio; quod etsi superiùs dictum fuit ex Bonacinâ, videtur tamen ob certas rationes, non inutiliter repeti. Ratio superiùs indicata fuit, quia declaratio illa privata, quatenùs extenditur ad casum decreto priori rigidè intellecto non comprehensum, est instar novi decreti vel statuti, quod, ut obliget, promulgandum est : voluntas enim legislatoris privatim cogita non fundat legem, quod adeò verum est, ut si quis consilio interfuisset, quo pragmatica de minuendo, v. g., pretii vel frumenti valore conclusa et præparata esset, propediem publicanda, non teneretur hactenùs ejusdem legis obligatione, Menoch., l. 2, de Arbit., casu 185, n. 22; Castropalao, disp. 1, de Legibus, puncto 10, n. 2, Herincx, p. 2, tr. 3, disp. 3, q. 9, n. 101. Vide etiam Castropalaum, disp. 5, puncto 3, § 3, n. 2, ubi in rem præsentem eodem ferè modo quo Bonacina supra citatus, loquitur. Primam, inquit, regulam ad investigandam mentem legislatoris esse, ut in legis interpretatione servetur proprietas verborum. Quod adeò verum est, ut etiamsi legislator extra legem dicat se aliter sentire seu intelligere, quàm ipsa verba sonant, non obligemur ejus interpretationi stare; quia dùm ipse legislator non promulgat suam declarationem et per illam intendit obligationem inducere, solùm se habet, ut quidam specialis doctor, cujus opinionem et sensum sequi non tenemur, cùm rationes firmæ sunt in contrarium. Ita doctissimus Castrop. pro eâdem doctrinâ referens Salas, disp. 21, sect. 13, fin. n. 31, et Sà, verbo *Lex*, n. 25 et 26. Itaque reservantis intentio, proprietati verborum non respondens, et privatim data, sive ad instantiam petentis, sive spontè et in colloquio domestico, non est mensura confessariorum, quamdiù in modum obligatoriæ declarationis ad subditos non dirigitur.

Cæterùm quæ hactenùs dicta sunt de legibus ac decretis in proprio verborum sensu explicandis, intelligi debent per se loquendo; sunt enim nonnullæ exceptiones, apud doctores obviæ, quas non est necessarium pro præsenti materiâ transcribere; et in omnem eventum, exceptionem satis generalem dedimus, *nisi aliud legislator exprimat, vel aliunde constet.*

PROLEGOMENON V.

82. Reservatio non potest extendi de uno casu ad alium, sub proprio verborum sensu non comprehensum, propter solam similitudinem vel identitatem rationis. Castrop. cit., disp. 5, § 4, n. 1; Suarez, Bonacina, Herincx et alii contra alios. Observandum verò ante omnia, quòd, etsi *eadem* et *similis* ratio sæpiùs confundantur, nihilominùs propriè loquendo separentur. Exemplum repeti potest ex cap. *Quia in insulis*, de Regularibus, ubi præcipitur, ut *Monachi* in insulis pueros ante annum decimum octavum in sua monasteria non recipiant; ratio verò additur, *quia in insulis dura est congregatio.* Ratio *eadem* habet locum respectu aliorum *regularium* ibidem seu in insulis degentium. Ratio duntaxat *similis* aut etiam major habet locum respectu monachorum aut regularium alibi seu extra insulas existentium, quorum æquè dura vel durior est vita seu congregatio. His notatis,

83. Probatur conclusio, quia ratio, finis extrinsecus vel motivum legis non est lex. Ergo etiamsi pro alio casu per legem non significato sit eadem, similis vel major ratio, indè non potest inferri reservatum esse. Confirmatur : nam si verba reservantis in

omnibus circumstantiis considerata casum similem propriè non significent, talis casus decreto reservationis contineri non potest : Decretum enim verbis exprimitur et mentem ac voluntatem reservantis aut legislatoris verbis vel scripturâ declarat, atque adeò non est alia intentio vel voluntas superioris, quàm de casu per tenorem decreti significato.

84. Fateor aliquando fieri ut legislator, ex identitate vel similitudine rationis moveatur ad extendendam legem de uno casu in alterum similem. Sic Bonifacius VIII, cap. *Constitutionem*, de Regularibus, in 6, constitutionem Innocentianam (quæ prohibet conversorum professionem recipi ante annum probationis elapsum) ab Alexandro IV, ad fratrum Prædicatorum et Minorum ordines duntaxat extensam, *paris similitudine rationis* ad aliorum mendicantium ordines prorogavit. At quamdiù talis extensio non fit per legislatorem, non potest fieri per subditum seu privatum legis vel decreti interpretem. Sic, ut exemplo familiari utamur, eadem fortassis ratio, quâ movetur Ecclesia ad prohibendum esum carnium diebus jejuniorum, locum habere posset etiam quoad esum piscium delicatè coctorum; interim cùm unum duntaxat prohibeat, et alterum permittat, nullum est argumentum, quo concluditur prohibitio utriusque ex solâ similitudine rationis; quia hæc ipsa unius expressio, et alterius taciturnitas indicio sunt, Ecclesiam unum velle et nolle alterum.

85. Dices, ex ratione finali et motivâ legis, quæ pro utroque casu vel similis vel eadem supponitur, satis colligi legislatoris voluntatem pro utroque casu. Quia, si eadem vel omninò similis supponatur ratio pro utroque, jam imprudenter legislator unum casum suâ lege complectitur, alio dissimulato. Igitur, cùm imprudentia in legislatore non præsumatur, dicendum quòd vel neutrum vel utrumque debeat præcipere, vel prohibere. Respondeo, ex ratione finali et motivâ legis colligi voluntatem legislatoris, sed pro illo duntaxat casu, qui verbis rigidè intellectis comprehenditur. At pro aliis casibus, quos verba legis non significant, voluntatem ejus pariter habere locum, ex fine vel motivo legis non satis ostenditur; nam potest legislator de uno disponere et non de altero, vel quia non vult vel quia non expedit, aut omnia prohibere aut omnia omittere, tametsi pro omnibus sit similis vel eadem ratio. Neque indè inferri potest imprudentia superioris; hanc enim sufficienter declinat, si casum unum ex gravi motivo præcipiat vel prohibeat, etsi pro solâ suâ auctoritate nolit hactenùs eâdem lege comprehendere alterum. Accedit ut supra dictum, quòd, etsi nobis videatur paritas vel identitas rationis, reverà tamen aliqua superior ratio nobis incognita moveat aut possit movere principem seu legislatorem; ut de uno casu disponat et non de altero.

86. Hinc colligitur 1° censuram excommunicationis latam in bullâ *Cœnæ* contra legentes libros hæreticorum, non afficere illos qui, cùm ipsi non legunt, alios tamen legentes audiunt, quantùmvis sensûs exterioris differentia non videatur minuere periculum subversionis, quæ tam per aures quàm oculos intrare potest. Interim quia, sicut auris et oculus, ita legere et audire distinguuntur, quod de solis legentibus dicitur, non potest de solis audientibus in re tam odiosâ intelligi. Sanchez, l. 2, c. 10, n. 48; Coninck, disp. 18, dub. 11, n. 178; Farinacius, de Hæresi, q. 180, in sum. num. pen.; Reginaldus, Duar., Filliucius et alii, quos refert et sequitur Bonacina, disp. 2, de Censuris, q. 5, punct. 4, n. 11; Herincx, p. 3, tr. 1, disp. 8, q. 9, n. 87; Castrop., p. 1, tr. 4, disp. 2, punct. 10, § 2, n. 4.

87. Colligitur 2° quàm solidum scilicet sit argumentum, ipso penè usu jam tritum et obsoletum, quo proceditur à reservato *labaismo* ad *ballismum*. Potest autem istius argumenti duplex esse forma vel intentio. 1° Procedendo ab actu ad actum, id est, à reservato labaismo seu conventiculo prohibito rusticorum ad reservatum pariter ipso facto ballismum (sic enim loquuntur), seu conventiculum non dissimile urbicorum, idque ex rationis identitate : quia videlicet utrobique est æquale peccatum vel saltem æquale peccandi periculum. Argumentum sic intellectum est similis formæ cum præcedenti; atque adeò etiam similis, id est, nullius efficaciæ. 2° Potest hæc esse intentio argumenti, quasi, reservato labaismo, deberet pariter ballismus reservari. Quo sensu si argumentum sumant, me quidem non tangunt vel quemvis alium decretorum episcopalium assertorem, sed feriunt omnes Belgii episcopos, jam olim adeò de hâc re sollicitos, eosque arguunt imprudentiæ. Quòd si id pariter admiserint, omnes Belgii episcopos, cùm hoc decretum unanimi consensu condiderunt, egisse imprudenter, tum se expediant ex hoc dumeto, liberent, inquam, Pontifices in bullâ *Cœnæ*, superiùs adductos à simili imprudentiâ. Et à Pontifice poterunt gradum ulteriorem facere ad ipsum Deum, qui primo parenti nostro esum de uno ligno pro suo arbitrio interdixit, permissis cæteris.

88. Excipe à principali conclusione 1° casum, quo, lege non extensâ, sequeretur iniquitas, absurdum vel imprudentia, sive in lege sive in legislatore. 2° Si addatur clausula, ut de similibus ad similia procedatur. 3° In correlativis : quod enim disponitur de uno correlativo, censetur pariter dispositum de altero. Hinc quando, cap. *De illis*, de Sponsalibus, statuitur ut sponsalia dissolvantur ob absentiam sponsi sine consensu sponsæ, censetur illud idem dispositum de correlativo, videlicet sponsâ : licèt solius sponsi canon mentionem faciat. Sic item in diœcesi Leodiensi inter cætera reservata numeratur *Matrimonium contractum post votum castitatis aut in gradu prohibito scienter vel priori uxore adhuc vivente.* Ubi quanquàm solus maritus videatur casum incurrere, si contrahat scienter *priori uxore adhuc vivente;* idem tamen dicendum est de uxore, priori marito adhuc vivente. Quia, ut inquit Navarrus man. cap. 22, n. 74, communis doctrina, quòd pœna non debeat extendi extra suum casum, fallit in correlativis, in quibus eadem ratio idem suadet. Ex quo idem Navarrus cum Paludano et pluribus aliis deducit, quando olim inter impedimenta matrimonium prohibentia recensebatur uxoricidium, idem

fuisse dicendum de maritucidio, quanquàm de solo viro uxorem occidente fiat mentio, cap. *Interfectores*, cap. *Quicumque*, cap. *Admonere*, 33, q. 2. Denique 4° exceptio est in æquiparatis. 5° In connexis jure vel consuetudine. 6° Dùm legislator de casu vel personâ particulari solummodò agit gratiâ exempli : exemplum enim non limitat dispositionem generalem, sed declarat. De quibus et similibus solidè et eruditè Suarez, Castrop. et alii ab iisdem citati.

PROLEGOMENON VI.

89. Censura vel reservatio lata vel præparata in *facientem* vel admittentem aliquod delictum, per se loquendo, non afficit cooperantes per mandatum, consensum, consilium, etc. Sanchez, de Matrim., l. 3, disp. 49, num. 2; Navarrus, c. 27, num. 51; Sylvester, verb. *Excommun. ult.*, q. 4, dist. 3; Cajetanus eodem, paulò post principium; Armilla, num. 2; Tabiena, 5, casu 49, num. ult.; Metina, lib. 1 Sum., c. 11, § 2, princ.; Henriq., lib. 13, de Excommun., c. 17, n. 2, et cap. 21, n. 1; Ledesma, de Excommun., dub. 6; Coninck., disp. 14, n. 188; Avila, 2 p., c. 5, disp. 3, dub. 2; Gaspar Hurtado, tract. de Censuris, diffic. 14, n. 53; Herincx, de Censuris, q. 1, § 3, n. 12, cum innumeris aliis.

90. Probatur primò, quia constitutiones odiosæ, ut supra dictum, non possunt extendi de casu ad casum sub propriâ verborum significatione non comprehensum. Atqui sine simili extensione dici non potest quòd censura vel reservatio lata vel decreta in *facientem*, afficiat *mandantem*, *consulentem*, *consentientem*. Minorem probat Sanchez, cit. ex c. *Famæ*, de Sentent. excommun., ubi inter cætera dicitur : *Cùm hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere* VIDEANTUR. Ex quo colligitur, quòd illi, qui solâ *auctoritate*, puta, mandando, aliquid faciunt, verè et propriè non faciant, sed tantùm facere *videantur*. Verbum enim, *videtur*, fictionem importat, Gloss. l. *Nemo*, ff. de in integ. restit., verb. *Pollicetur*. Item c. 2, de Clericis pugnantibus in duello, pugil verè homicida dicitur, non autem mandans, licèt de homicidio teneatur. Item c. *Si quis viduam*, dist. 50, ponuntur tanquàm diversa, facere, præcipere, consulere homicidium, his verbis : *Si homicidii aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit.*

91. Probatur secundò ex Navarro, Sanchez, Castropatao citatis, quia mandatum, consilium, etc., præcedunt factum. Ergo *mandare*, *consulere* non est propriè *facere*; nihil enim seipsum præcedere potest. Id est, mandatum vel consilium, v. g., de committendo furto, homicidio, incendio præcedunt tanquàm causæ morales furtum, homicidium, incendium reipsà positum : præcedunt autem aliquando etiam per notabile tempus unius vel plurium mensium aut annorum. Ergo mandare vel consulere homicidium, furtum, incendium, non est hæc eadem facere. Atque adeò censura vel reservatio afficiens *facientes* furtum, homicidium, incendium, non involvit mandantes vel consulentes, per se loquendo. Porrò mandantes non verè et propriè facere, præter citatos docent apud Sanchez, Barth., Jason, Decius, Julius Clarus, dicens esse communem opinionem omnium ferè scribentium.

92. Probatur tertiò; quando superiores excommunicationem vel reservationem dirigunt non solùm in facientes, sed etiam in cooperantes, solent exprimere utrosque. Ergo si non exprimant, non comprehendunt. Ita rursùs Sanchez ex Navarro. Probatur antecedens inprimis, quod attinet excommunicationem : sic enim pœna in auctorem principalem decreta cap. *Felicis de Pœnis*, in 6, expressè extenditur ad eum, *qui socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel favorem.* Item Clement. *Si quis suadentè*, eod., prorogatur iterùm excommunicatio in illum qui *hæc mandaverit, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium in his dederit aut favorem.* Item censura in percussores clericorum lata 17, q. 4, can. *Si quis suadente*, expressè extenditur ad mandantes, cap. *Mulieres*, de Sentent. excommun. : *Illi verò, qui non per seipsos, sed eorum auctoritate vel mandato violenter injiciunt manus in clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi.* Et cap. *Quantæ*, eod. : *Ne autem solos violentiæ hujusmodi auctores, aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes et consentientes pari pœnâ plectendos catholica condemnat auctoritas.* Item pœna in raptores lata, expressè extenditur ad cooperantes, 36, q. 2, c. *Eos qui*, his verbis : *Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes aut conniventes raptoribus*, etc. Item c. 4 ejusdem quæstionis et causæ. Item concilium Tridentinum, sess. 14, de Reform. Matr., c. 6, statuit ut *raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati.* Hæc toties et tam diversis locis repetita expressio, quid aliud significat, quàm cooperantes sub facientibus simpliciter et separatim positis non contineri ?

93. Similiter quod reservationem attinet, exemplum habemus manifestum in diœcesibus Cameracensi et Rurœmundensi, ubi synodus vel episcopus volens comprehendere cooperantes, id disertè exprimit, inter casus sibi reservatos numerans *peccata mandantium, consulentium, auxilium et favorem præstantium in hæresi, homicidio, incendio, maleficiis supra dictis.* Rursùs exemplum manifestum est in decreto Clementis VIII, de 26 maii 1593, ubi casus reservabilis sextus in hunc modum exprimitur : *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum.*

94. Interim à doctrinâ generali hactenùs traditâ datur triplex exceptio. Prima, per se patens ex statim dictis, est, si legislator aut superior exprimat cooperantes : ubi addendæ videntur nonnullæ observationes, quas habet Navarrus; videlicet inprimis canonem vel decretum extensum ad consulentem, non habere locum, si consilium nullatenùs moverit malefactorem ad committendum facinus, ut quia non auscultans consulentem, ex suâ parte omninò erat determinatus. Atque idem putat Navarrus dicendum de mandato, jussu, favore, sine quibus perinde omninò peccatum

admissum fuisset, ac cum illis, per caput *Felicis*, § *Illud*, de Pœnis, in 6, ubi dicitur : *Illud autem non duximus omittendum, quòd, si quis fuerit in præmissis nudo consilio aut simplici favore culpabilis, judex in talem, pœnam metiatur ex culpâ*, etc. In quem locum Glossa, verb. *Simplici favore*, sic inquit : *Nudum consilium vel simplex favor intelligitur illius, qui ad maleficium faciendum nihil adjicit.*

95. Rursùs circa eamdem exceptionem primam ex eodem Navarro observandum est, quando canon vel decretum exprimit utrosque, videlicet et facientes et cooperantes, multùm referre, an loquatur æquè principaliter de utrisque, an verò primariò de faciente, secundariò autem de mandante, consulente, consentiente. Si hoc ultimum, per se loquendo non incurret excommunicationem aut reservationem, mandans aut consulens, nisi sequatur effectus. Unde mandans cuipiam etiam centies, percutere clericum, non excommunicatur, si percussio non sequatur. Si primum, erit dicendum oppositum : nàm qui mandat interficere aliquem per assasinos, statim, quamvis non sequatur mors, est excommunicatus, cap. 1 *de Homicidio*, in 6, quia æquè principaliter hoc canone excommunicatur mandans, ac faciens. In eumdem modum religiosus, qui concionatur animo retrahendi auditores à solutione decimarum, est excommunicatus, quamvis auditores non retrahantur. Hæc observanda sunt præcipuè ob diœceses Cameracensem et Rurœmundensem, in quibus, ut supra diximus, reservatur casus cooperantium in quatuor peccatorum generibus specificatis. Videri etiam potest Herincx, de Censuris, q. 1, § 3, n. 12, circa finem.

96. Secunda exceptio est, quando superior censurans vel reservans, terminis ejusmodi utitur, qui juxta obvium et genuinum sensum significant utramque causalitatem, et executoris seu *facientis*, et mandantis, consulentis, consentientis, seu ipsorum cooperantium. Quanquàm fatear, si rigidè velimus loqui, non esse in casu propriè exceptionem à generali doctrinâ, quæ solùm affirmat, non teneri cooperantes eâ lege, quæ in solos facientes, reservationem vel censuram dirigit. Itaque, cùm reservatur, v. g., *procuratio* abortûs vel incendii, reservatio utrosque afficit : quia procurare aliquid, etiam spectato vulgari usu et modo loquendi, rectè censetur, non solùm qui personaliter ac per se ipsum, verùm etiam, qui per alterum mandato, consilio, consensu id ipsum exequitur. Quare, si in me recipiam onus *procurandi* alicui officium, beneficium vel aliquid ejusmodi, omnium judicio satisfaciam contractæ obligationi, si id effecero, ut promissarius meus habeat, quod promisi, sive interim id per me ipsum, sive per interpositam personam efficiam. Itaque aliud est, si canon vel decretum feriat *facientes*, aliud, si *procurantes* aliquod crimen vel delictum ; quod inde ulteriùs confirmari potest : nam qui alicui præcepit vel consuluit furtum, rectè non affirmaverit in sede confessionali, se *fecisse* furtum seu furatum esse ; ac, si affirmaverit, nullus, ut putem, confessarius id intelliget, nisi de furto per ipsum pœnitentem personaliter et proximè commisso. Qui verò alteri cum effectu præcepit vel consuluit incendium vel homicidium, verè dixerit se idem *procurâsse*. Vide Bassæum, verb. *Casus reservatus*, n. 40, § 6, circa finem ; Bordonum, de cas. Reg., q. 10 ; Arsdekin, correct. Theol. trip., p. 3, tr. 2, c. 3, verb. *Incendium*.

9. Tertiam exceptionem docent Sanchez, Navarrus, Coninck, Castropalao citati, videlicet legem latam in facientes, tunc esse ad mandantes extendendam, quando alioquin ferè reddetur inutilis et frustratoria. Atque hæc fuit doctrina glossæ finalis, c. 2, de Usuris, in 6 ; Felini c. *Translato*, de Constit., et aliorum, quos refert et sequitur Covarruvias, 3 var., c. 3, n. 9. Colligunt ex c. *Si civitatis*, de Sententiâ Excommunicationis, in 6, ubi declaratur, interdictum generale civitatis extendi ad suburbia, ne sententia illa interdicti reddatur inutilis : *Si civitas*, inquit Pontifex, *castrum aut villa subjiciantur ecclesiastico interdicto, illorum suburbia et continentia ædificia eo ipso intelligi volumus interdicta : nam licèt prædicta* (civitas, castrum, villa) *videantur aliàs murorum ambitu terminari ; hoc tamen casu, ne vilipendi valeat sententia interdicti.... expedit interpretationem fieri latiorem.* Quocirca notandum est verbum *interpretationem*, quod indicat, non tam fieri constitutionem novam, quàm expositionem antiquæ.

Itaque sententia nostra in hunc modum restricta et limitata, non solùm est magis communis, sed etiam videtur verissima et in praxi secura. Contrariam nihilominùs opinionem amplectuntur Sylvester sibi contrarius, verb. *Excommunicatio*, 9, n. 79, et Rosella, eodem verb., casu 43, num. ult., quorum ratio contradictoria est rationi nostræ, videlicet quòd mandans vel consulens aliquod delictum, absolutè dici possit, idem delictum committere, uti docent multi relati à Deciano, tract. crimin., l. 9, c. 32, n. 1. Itaque pro hàc sententiâ

98. Objicies primò c. *Mulieres*, de Sent. Excomm., à nobis supra citatum pro nostrâ opinione, ubi dicitur : *Illi verò, qui non per seipsos, sed eorum auctoritate vel mandato, violenter injiciunt manus in clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi : cùm is committat verè, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Ecce ibidem dicitur, *verè committere* delictum, qui illud committit *auctoritate vel mandato*. — Respondeo cum Navarro, Sanchez, Castropalao et omnibus doctoribus à nobis allegatis, mandantem *verè committere* seu delinquere in legem, quanquàm verè non percutiat ; sic enim verè committet aliquis in legem, quâ prohibetur furtum, qui mandato vel consilio est causa moralis alieni furti, quanquàm ipse propterea verè non furetur. Itaque fatemur ibidem sententiam excommunicationis latam in percussores clericorum, extendi ad mandantem, non quasi mandans verè percutiat atque ita contineatur sub can. *Si quis suadente :* sed quia præsens textus dirigitur ad mandantes, redditâ ratione quòd mandans verè sit reus delicti percussionis per moralem influxum, atque adeò justè excommunicari possit, licèt verè non percutiat per influxum physicum et personalem.

99. Objicies secundò : C. *Nuper*, eodem dicitur quòd *facientem et consentientem par pœna constringat;* ergo censura vel reservatio, quæ constringit facientem, ligat pariter consentientem. — Resp. cum Castropalao, textum non intelligi de eâdem pœnâ secundùm proprietatem, sed secundùm similitudinem : cùm enim consentiens reverà delinquat, meretur pœnam similem illi, quam meretur faciens. Eodem modo respondet Sanchez : dic non intelligi, inquit (axioma ; *Facientem et consentientem par pœna constringit*), omninò de eâdem pœnâ, sed de aliquâ simili pœnâ arbitrariâ, quia consentientes verè delinquunt.

100. Objicies tertiò regulam *Is damnum*, 169, ff. de Regulis juris, ubi dicitur : *Is damnum dat, qui jubet dare.* — Respon. cum Sanchez ex Deciano, tract. Crim., l. 9, c. 32, n. 2, intelligi interpretativè, juxta doctrinam Bartoli, l. *Si is, qui pro emptore*, n. 56, ff. *de Usucap.*, dicentis, legem æquiparantem factum unius personæ facto alterius, necessariò fingere, quia nequit secundùm naturam, factum unius dici factum alterius.

Objicies quartò l. *Nihil interest*, ff. *ad l. Corneliam*, de Sicariis, ubi dicitur : *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.* — Respondet Decianus citatus, intelligi, quando facto ipso aliquis causam mortis præbet, ut, si tradat gladium furioso, seçùs si dolo, ut facit mandans.

101. Objicies quintò : Capite *Ita quorumdam*, de Judæis statuitur, ut excommunicationem incurrant deferentes prohibita ad Saracenos, et tamen c. *Significavit*, eodem, dicuntur eamdem incurrere, qui per alios deferunt. — Respondet Navarrus, cap. 37, Manualis, n. 51, rationem illius textûs non esse, quasi idem sit deferre per se, et per alium mittere, aut quasi, per se loquendo, sententia lata in executorem, afficiat etiam mandantem ; sed quia lex pœnalis extenditur de uno casu ad alium, quando aliàs esset frustranea, vel quasi. Ita Navarrus, quem supra secuti sumus, dicentes, in simili casu esse exceptionem à regulâ generali, secundùm plurimos doctores.

102. Objicies sextò regulam juris 72, de Regulis Juris in 6 : *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* — Resp. primò, esse perinde non verè et propriè, sed moraliter, coram Deo, interpretativè. *Hoc procedit* (inquit Gl., verb. *Perinde*) *quâdam juris interpretatione, cùm verè loquendo factum etiam ab eodem diversis temporibus, non repræsentat identitatem ejus facti.* — Respond. secundò, regulam illam prout jacet, pro omni casu non posse intelligi : patet ex l. *Post mortem*, ff. de Adoptionibus, ubi dicitur : *Neque adoptare, neque abrogare quis absens, nec per alium ejusmodi solemnitatem peragere potest.*

103. Objicies septimò : Homicidium dirimit matrimonium, quando conjux occidit suam compartem ex prævià conspiratione et intentione, matrimonium postea ineundi cum conspirante, ut in materiâ matrimoniali ex sacris canonibus dicitur et probatur. Porrò perinde est ad hunc effectum, sive conjux occidat conjugem physicè ac per se, sive moraliter ac per alterum mandato vel consilio. — Respondeo : Nimirùm quia sic jure statutum est, c. *Laudabilem*, de Convers. infidel., ubi Cœlestinus III interrogatur *de Saracenis, qui dùm in captivitate essent, quarumdam christianarum viros,* EARUM INSIDIIS ET MACHINATIONIBUS *occiderunt, utrùm, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas de jure possint accipere in uxores*, etc. Respondet Pontifex per regulam Triburiensis concilii, non posse.

104. Objicies octavò : Contractus, etiam matrimonialis per alterum iniri potest, v. g., per procuratorem : adeò ut censeatur verè principalis facere, quod facit procurator, si non excedat limites commissionis suæ. — Respondeo, longè aliam rationem esse in contractibus, quorum natura propriè loquendo consistit in interno consensu contrahentium, signo exteriori duntaxat requisito ex conditione hominis, qui pro hoc statu non potest internum animi affectum alteri notificare, nisi mediante signo sensibili. Proinde, si modò habeatur plurium in idem placitum verus et internus consensus, habebitur contractus, sive consensus idem exprimatur verbis, scripturâ vel procuratore, cum hoc discrimine, quòd voces et scriptura sint instrumentum mortuum, procurator vivum. Sed homicidium, v. g., furtum, adulterium, incendium, propriè non consistunt in solâ intentione agentis, sed in deliberatâ sensibili actione, quam propriè loquendo ponit solus executor.

105. Objicies nonò : Qui per alterum suscipit prolem in Baptismo, est verus susceptor et contrahit cognationem spiritualem, quæ tamen odiosa est, tanquàm dirimens matrimonium inter Baptizantem et patrinos ab unâ, et baptizatum ac ejus parentes ex alterâ parte, ut docet concil. Trident., sess. 24, c. 2, de Reform. matrim. Atque insuper jura videntur exigere actionem personalem, ut patet ex verbis, quibus solent uti : *Suscipit, accipit, tenet*, etc. Interim, quod diximus, docent Basilius Pontius, de Matrimon., l. 7, c. 39, n. 10 ; Herincx, p. 4, tr. 2, disp. 7, q. 4, n. 36 ; Bosco, disp. 2, sect. 6, concl. 3, et plures alii. — Respond. primò : oppositum docet Sanchez, l. 7, de Matrimonio, disp. 59, cum multis aliis. — Resp. secundò, ut cætera taceamus, consuetudinem esse in Ecclesiâ satis receptam, ut principes et magnates, tanquàm veri susceptores, per procuratorem suscipiant. Accedit declaratio cardinalium apud Farinacium, Rebellum, Herincx et alios, quâ dicitur : *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.*

106. Objicies decimò, cap. 2, de Clericis pugnantibus in duello, supra à nobis adductum, quo potiùs videtur significari oppositum, cùm dicatur ; *Homicidium autem, tam facto, quàm præcepto sive consilio aut defensione non est dubium perpetrari.* Quibus verbis significari videtur, perpetrare seu facere vel committere homicidium, qui est causa mortis, præcepto, consilio, defensione. — Resp. omninò non esse dubium, quin homicidium *tam facto, quàm præcepto, consilio aut defensione* perpetretur. Hoc solùm nega-

tur, præcipientem, consulentem aut defendentem, esse verum et proprium homicidam : id quod ex illo capite, ut supra diximus, inde videtur colligi, quia solus pugil illic appellatur verus homicida, his verbis : *Quia igitur super hoc nos consulere voluisti, ambiguitatem tuam responsione hujusmodi removemus, quòd tales pugiles homicidæ veri existunt.*

PROLEGOMENON VII.

107. Casuum episcopalium duo sunt genera. Quidam reservantur episcopis propriâ, activâ et ordinariâ potestate et voluntate, quidam alienâ et extraordinariâ. Prioris generis sunt, quos marte et motu proprio pro circumstantiis locorum, temporum, subditorum, exprimunt in synodalibus decretis, litteris approbatoriis aut pastoralibus. Posterioris generis sunt, qui episcopis reservantur altiori potestate, seu quorum absolutionem solis episcopis concedit altior potestas. Hujusmodi est abortus fœtûs animati, à quo post constitutionem Gregorii XIV, desuper emanatam, præter ordinarium nullus inferior confessarius absolvit, nisi ab eodem ordinario specialiter deputatus. Item ejusdem generis sunt omnes casus papales, ex quolibet capite recidentes in jurisdictionem episcoporum : nec enim eo ipso, quo casus aliquis aliàs pontificius devolvitur in potestatem episcopi, potest quilibet confessarius sine speciali commissione ab eodem casu absolvere. Igitur peccatum simile in jurisdictionem episcopi devolutum, est casus episcopo reservatus : quod probatur ex supradictis ; quia casus episcopo reservatus nihil est aliud quàm peccatum mortale, etc., à quo præter episcopum, ejus superiorem et successorem nemo extra mortis articulum directè absolvere potest sine speciali ejus licentiâ. Atqui tale peccatum est abortus fœtûs animati post constitutionem Gregorii XIV. Similiter talia peccata sunt omnes casus papales, devoluti in potestatem et arbitrium episcoporum, ut manifestum est.

108. Confirmatur ; nam si episcopus pœnitentiario suo, archidiacono vel decano reservet aliquod peccatum, censebitur hoc simpliciter eisdem reservatum. Ergo, si Pontifex vel jus commune reservet aliquod peccatum episcopo, censebitur pariter peccatum idem simpliciter episcopo reservatum. Atque ita supponunt omnes doctores, cùm hanc quæstionem instituunt, quinam casus reserventur episcopis jure communi. Vide etiam Neesen, tract. 5, de Sacram. Pœnit., q. 4, dub. 4, n. 6 ; Steyaert, Aphorism., p. 4, sect. 5, § 14, n. 13 ; Filliucium, tom. 2, tract. 29, c. 6, n. 100 ; Navarrum, c. 27, n. 112 ; Toletum, l. 1, c. 16, n. 6 ; Binsfeldium in Enchirid., p. 5, c. 6, de Excommunicationibus reservatis episcopo ; Reginaldum in Praxi fori Pœnitentialis, l. 1, c. 11, sect. 2. n. 134, de Peccatis episcopo reservatis.

109. Porrò casus papales recidunt in jurisdictionem episcoporum tum toleratâ consuetudine, tum privilegio Pontificis, tum dispositione juris communis. Ex *toleratâ consuetudine* et legitimo usu episcopos Belgicos absolvere ab hæresi, etiam manifestâ, docent Bassæus, verbo *Casus reservatus*, n. 33 ; Bertrandus Loth, tr. 1, q. 1, art. 8 ; Sylvius, 2-2, q. 11, art. 3, quæsit. 2 ; Steyaert, supra, n. 11 ; Danes, tract. de Fide, Spe et Charitate, tit. 3, § 3, n. 2 ; Petrus Marchant, trib. Sacram., tom. 1, tract. 2, tit. 4, q. 8, concl. 1. In Belgio, inquit Marchant cit., omninò credo, revocationem potestatis absolvendi à casibus bullæ *Cœnæ*, locum non habere, tum quòd praxis inter doctissimos et timoratos recepta aliud indicet, tum quòd ipsi episcopi Belgii pro inquisitoribus fidei habeantur. Atque hoc ultimum repetit tom. 2, tract. 2, tit. 2, sect. 4, q. 3, dub. 1, dicens quòd, ubi officium sacræ inquisitionis non est institutum, prout in Belgio, episcopi ex naturâ officii sint inquisitores hæreticæ pravitatis. Addit Bertrandus Loth cit., articulo 12, quòd episcopi in Belgio pro majori parte loco inquisitorum creati sint à Paulo IV, contra hæreses in illis regionibus grassantes, ut constat ex bullâ dicti pontificis, quam refert Arnoldus Havensius Carthusianus, lib. 1, de Erectione novorum in Belgio episcopatuum, cap. 4. Ita illi.

110. Ex *privilegio Pontificis* seu Ecclesiæ recidunt in potestatem episcoporum omnes casus occulti, quantumvis aliàs Sedi Apostolicæ reservati. Patet ex concilio Tridentino, sess. 24, de Reform., cap. 6, ubi dicitur : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare ; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi suâ per seipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum viariis sit permissum. » Hactenùs concilium Trid., cui an deroget Bulla Cœnæ Domini, quæstio est paulò inferiùs resolvenda. Item ex privilegio Pontificis amplissima olim facultas concessa est episcopis Belgicis in casus pontificios : nam Gregorius XIII, bullâ *Nuper*, expeditâ ad instantiam Philippi II regis Hispaniarum, 25 februarii, anno 1576, dat iisdem episcopis facultatem absolvendi ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ ubilibet reservatis, tum occultis, tum manifestis, tum per se, tum per alios, in utroque foro. An verò illud privilegium etiamnùm duret, dicetur pariter paulò inferiùs

111. Ex *dispositione juris* communis absolvit episcopus percussorem clerici, 1° si percussio levis et modica fuerit, nimirùm comparativè ad enormem, cap. *Pervenit*, de Sentent. excommun. 2° Si percutiens ob *capitales inimicitias vel alias justas excusationes*, sine periculo præsentari nequeat conspectui Apostolico, cap. *De cætero*, eodem. 3° Si sit senex, valetudinarius, aut membro captus, cap. *Ea noscitur*. 4° Si puer, *sive ante, sive post pubertatem* postulet se absolvi, cap. *Pueris*. 5° Si monachus aut canonicus regularis, *et discretio abbatis non sufficit*, cap. *Monachi*

6° Si mulier, vel alia persona, quæ sui juris non sit, cap. *Mulieres*. 7° Si monialis, cap. *De monialibus*, eodem titulo. Porrò licèt nominati canones duntaxat loquantur de excommunicatione contractâ ob percussionem clerici; eamdem tamen esse rationem de aliis excommunicationibus reservatis, docent doctores passim, Navarrus, cap. 27, num. 89, § *Ad primam*. Coninck, d. 14, n. 241, dicens esse communem sententiam.

112. Restat duplex quæstio, statim nominata, quæ non videtur hoc loco importunè tractari. Prima est an concilio Tridentino, quod attinet potestatem episcoporum in casus pontificios occultos, derogetur per bullam *Cœnæ*? Secunda, an privilegium Gregorianum episcopis Belgii olim concessum, etiamnùm valeat?

Quod attinet quæstionem primam, observandum est primò, Bullam *Cœnæ* nihil aliud esse quàm processum annuum Romani Pontificis adversùs certi generis peccatores. Vocatur bulla *Cœnæ*, quia in Cœnâ Domini, seu feriâ 5 majoris hebdomadæ, solemniter super porticum basilicæ S. Petri, præsente Pontifice, pontificiis vestibus induto, adstantibus cardinalibus, populo Romano et maximâ multitudine inspectante prælegi solet. Innovatur annis singulis et publicatur Romæ, veteri abrogatâ. Durat tamen vetus, donec editur nova à Romano Pontifice, eodem vel successore, ut declaravit Pius V, apud Lacroix, l. 6, p. 2, num. 1613.

113. Observandum secundò, non quæri hoc loco, an et ubinam bulla *Cœnæ* recepta sit? Scio enim quòd doceat Natalis Alexander in suâ Historiâ ecclesiasticâ, bullam istam in nonnullis provinciis et regnis non esse receptam. Scio quòd Bassæus, verbo *Hæresis*, num. 15, dicat non esse receptam in Angliâ, Germaniâ, Galliâ. Scio quòd Asorius, Instit. moral., tomo 1, l. 8, cap. 16, quæst. 6, idem tradat, saltem ex aliorum mente, de Angliâ, Germaniâ, Poloniâ, Galliâ. Eamdem opinionem quoad Angliam, Galliam, Germaniam referunt Sanchez, l. 2, Mor., c. 10, n. 42, et Diana, tomo 1, tract. 11, resol. 35. Item de multis Germaniæ provinciis idem testatur Becanus in Summâ, tract. de Virt. theol., c. 15, q. 2, n. 6, et, relato Becano, Layman., l. 1, tr. 5, p. 2, c. 5. Similiter de Belgio idem affirmant Bassæus, verbo *Casus reserv.*, n. 33, et Petrus Marchant, Trib. sacr., tomo 1, tract. 2, tit. 4, q. 8, concl. 1, addens, se id ipsum ex illustrissimis ac reverendissimis episcopis intellexisse. Hæc, inquam, non ignoramus. Sed et novimus ex alterâ parte, plurimos auctores esse qui affirmant oppositum, inter quos Leonardus Lessius in Auctario ad 1, 2, verbo *Bulla pontificia*, casu quarto, asserit, se non dubitare, quin bulla *Cœnæ Domini* sit recepta in Belgio quoad antiquos et ordinarios articulos, quales plerique sunt, qui in eâ continentur.

114. Observandum tertiò, in bullâ *Cœnæ* per viginti paragraphos exprimi viginti excommunicationes, quibus paragrapho 22, hæc periodus additur: « Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm « per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo « constitutus.... absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum et indultorum, quibuscumque « ecclesiasticis, secularibus, et quorumvis Ordinum « etiam Mendicantium et Militarium regularibus, etiam « Episcopali vel aliâ majori dignitate præditis.... per « nos et dictam Sedem, ac cujusvis concilii decreta, « verbo, litteris, aut aliâ quâcumque scripturâ in genere et in specie concessorum et innovatorum, ac « concedendorum et innovandorum. » Porrò hinc nascitur difficultas, cùm inter *prædictas sententias* primo loco numeretur excommunicatio hæreticorum, an possint episcopi, in illis locis in quibus bulla *Cœnæ* obligat et recepta est, absolvere ab hæresi saltem occultâ (idem est de casibus cæteris) vi privilegii Tridentini superiùs allegati; an verò illud ipsum privilegium per bullam *Cœnæ* eversum sit.

Utraque sententia, tam affirmativa quàm negativa præstantissimos magno numero auctores habet, ut videri potest apud Sanchez, Moral., l. 2., c. 11, n. 26 et 27; Castropalaum, parte 1, tract. 4, disp. 4, puncto 3, § 1, n. 21 et 22; Dianam, p. 1, tract. 5, resol. 2; Bertrandum Loth, tract. 1, q. 1, a. 1; Barbosam, de Offic. et Potest. ep., alleg. 40, p. 2, n. 21 et 34.

115. Sententia negans derogari concilio Tridentino per bullam *Cœnæ*, probatur primò, argumento Bannez et aliorum apud Barbosam cit., n. 21, quia per processum bullæ *in Cœnâ Domini* non revocatur facultas episcopis concessa per Tridentinum, ut possint absolvere ab hæresi occultâ; sed revocatur privilegium concessum ipsis personis; quæ committunt hæresim, ut patet ex formâ bullæ, ubi dicitur quòd non vadant pro absolutione, nisi ad summum Pontificem, nisi in articulo mortis, vel intuitu privilegiorum. Cæterùm, qui vadit ad episcopum, ut absolvatur, non ex privilegio sibi concesso absolvitur; sed episcopus habet auctoritatem absolvendi jure divino, non ex aliquo privilegio Pontificis. Unde quamdiù Pontifex non limitaverit episcopi auctoritatem tanquàm summus prælatus Ecclesiæ, poterit episcopus absolvere ex auctoritate sui officii ab omnibus peccatis suos subditos, à quibus summus Pontifex potest absolvere universos fideles. Ita illi.

116. Probatur secundò, quia in bullâ *Cœnæ* solummodò generaliter dicitur, *ac cujusvis concilii decreta*, nec ulla fit expressa mentio concilii Tridentini. Atqui per clausulam generalem non derogatur facultati et privilegio alicujus concilii generalis; sed debet expressa illius mentio fieri. Colligitur ex cap. *Ex parte*, de Capell. Monach., ubi dicitur: *Abbas et conventus Riven. diœcesis, occasione litterarum Apostolicæ Sedis asserunt, sibi esse concessum, ut in singulis ipsorum prioratibus*, etc. *Cùm autem id obviet Lateranensi concilio, de quo nulla mentio est in litteris antedictis.... Respondemus quòd hujusmodi litteras ab Apostolicâ Sede non credimus emanâsse. Quòd si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari concilio supra dicto.* Ubi Glos., verbo *Nulla mentio*, inquit,

quòd si quis litteras impetrat contra aliquod jus sive concilium, non valent, nisi fiat mentio de illo jure. Item cap. *Nonnulli*, de Rescriptis, Innocentius III, in concilio Lateranensi statuit, *ne quis ultra duas diœtas extra suam diœcesim per litteras Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hâc constitutione fecerint mentionem.* Quocirca Glossa, verbo *Fecerint mentionem*, dicit *quòd rescriptum debet facere mentionem de constitutione, ad hoc, ut ei præjudicet.*

117. Rationem reddunt Menochius, Sanchez et ex illis Bertrandus Loth, quia constitutio concilii generalis ob suam gravitatem censetur habere tacitam clausulam derogatoriam ad postea concedenda, seu ad alia decreta posteriora; atque adeò non censetur per decreta posteriora derogari concilio generali, nisi hujus in illis fiat specifica mentio. Et quanquàm forsitan ad derogandum conciliis generalibus antiquioribus sufficiat clausula derogatoria generalis, *cujusvis concilii;* non tamen, si concilium generale sit modernum, quale est Tridentinum, cujus specifica mentio facienda est. Ita observat Bertrandus Loth circa finem articuli primi, citans pro eâdem reflexione Henriquez, lib. 1, de Indulgentiis, cap. 26, num. 16; Vivaldum in Candelabro, p. 3, cap. 12, num. 14; Sanchez, lib. 3, de Matrim., disp. 26, n. 7, et Vincentium Candidum olim sacri palatii magistrum, tomo 1, Disquis. mor., disq. 3, art. 28, et forsitan hâc ratione factum est, ut Sixtus V, derogare volens concilio Tridentino, fecerit expressam ejus mentionem, bullâ *Effrenatam*, 87, apud Cherubinum, § 8 et bullâ *Cùm sacrosanctam*, 91, apud eumdem Cherubinum, § 4.

118. Probatur tertiò, quia Pontifex in bullâ *Cœnæ* non prohibet absolutè ratione indultorum vel privilegiorum absolvere; sed eorum *prætextu;* prætextus autem non excludit illud quod fit legitimâ auctoritate, sed illud, quod sub aliquo velamine et colore exercetur. Ita Bertrandus sæpè citatus, cujus argumentum confirmant Sousa, in bullam *Cœnæ*, d. 100, conc. 3, dicens quòd prætextus sit velamen, quo moveri se quis ad aliquid agendum simulat: et Gonzalez in Reg. 8 canc. gl. 57, num. 2, ubi ait: Dictio, *sub prætextu*, idem significat, quod sub velamine vel colore alicujus rei quæ non est, vel falsa est; argum. l. 19, c. de Transact.: *Sub prætextu instrumenti, post reperti, transactionem bonâ fide finitam rescindi jura non patiuntur.*

119. Probatur quartò ex Sanchez, l. 2, Mor., c. 11, n. 27. Quia lex posterior generaliter et indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat, quamvis in lege nova sit clausula, *non obstante lege contrariâ*, etc. Atqui bulla *Cœnæ* sic non videtur Tridentino contraria, quin admittat aliquam restrictionem seu limitationem. Ergo ad vitandam juris correctionem sic debet intelligi. Probatur Major ex l. *Sed et posteriores*, ff de Legibus, ubi dicitur: *Posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.* Imò lex specialis, inquit Navarrus, Manualis cap. 27, num. 260, non censetur tolli per generalem, sive præcedat, sive sequatur. Probatur minor, quia bulla potest intelligi de peccatis publicis, et absolutione, quæ non solùm valeat pro foro conscientiæ, sed etiam pro externo. Siquidem nihil habetur in bullâ, quod cogat revocationem intelligere de peccatis occultis, et pro foro conscientiæ. Sensus ergo bullæ est, quòd nullus possit absolvi in foro externo vel à delictis publicis prætextu privilegiorum, etc. Quòd si hoc sensu intelligatur, manet integrum Tridentini decretum, quo tantùm conceditur episcopis facultas absolvendi à delictis occultis, et pro foro conscientiæ.

120. Probatur quintò; cùm facultas in casus papales occultos concessa sit à concilio Tridentino, tam recenti memoriâ convocato et celebrato, idque ob graves et justas causas, non videtur verosimile, tam facilè, et citò à Romanis pontificibus eam esse sublatam: debet enim privilegium esse constans et perpetuum. Atque adeò privilegium à Papâ concessum, sine magnâ causâ non debet revocari. Inconstantia verò maxima esset, privilegium in principio Quadragesimæ concessum, in die Cœnæ revocare.

121. Probatur sextò, quia saltem in bullis *Cœnæ* editis per Sixtum V, annis 1586 et 1587, et per Clement. VIII, 1593, 1595 et 1598, adduntur sequentia: *Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.* Hinc, ait Suarez, tomo 5, disp. 21, sect. 3, n. 4, ortum sibi dubium esse; quia inde videtur sequi, facultatem illam episcopo datam à concilio, non esse per hanc clausulam revocatam. Patet, inquit, sequela, quia in concilio expressis verbis conceditur saltem casus hæresis occultæ episcopis, ut patet ex illis verbis, sess. 24, c. 6, de Reformat. *Idem et in hæresis crimine in foro conscientiæ eis tantùm, non eorum vicariis sit permissum.* Ergo hic casus continetur sub illâ exceptione, *Nisi in eis*, etc.

122. Atque hæc sunt fundamenta præcipua negativæ opinionis. Affirmativa verò, quæ non minùs est verosimilis, probatur ex ipso bullæ tenore, in quâ, ut supra diximus, hæc leguntur, § 22: *Cæterùm à* PRÆDICTIS *sententiis* NULLUS *per* ALIUM, *quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus... absolvi possit, etiam prætextu* QUARUMVIS *facultatum et indultorum*, QUIBUSCUMQUE *ecclesiasticis... etiam* EPISCOPALI *vel aliâ majori dignitate præditis... per...* CUJUSVIS CONCILII DECRETA... *in genere et in specie concessorum.* Ex his verbis videtur legitimè inferri primò, quòd, sicuti à prædictis sententiis *nullus* absolvi potest, sic præter Romanum Pontificem et articulum mortis, nullus absolvere possit *etiam episcopali* vel aliâ majori dignitate præditus.

123. Infertur secundò, quoad casus bullæ, revocatam videri *facultatem et indultum* episcopis factum per *decretum concilii* Tridentini, supra memoratum. Quia revocantur *quævis facultates et indulta*, per *cujusvis concilii decreta*, concessa. Jam verò sub quibusvis facultatibus et indultis continetur hæc facultas, hoc indultum, et sub cujusvis concilii decretis comprehenditur decretum hujus concilii. Accedit quòd, ut

reflectunt Castropalao et plerique alii, nullum concilium, nisi Tridentinum, hanc facultatem absolvendi ab hæresi et reliquis Pontifici reservatis concesserit episcopis. Ergo hanc facultatem, per hoc concilium concessam intendit Pontifex revocare per hæc verba, *Cujusvis concilii*, quæ alioquin frustra adhibuisset Pontifex, non ignorans, solum Tridentinum hanc episcopis fecisse potestatem.

124. Infertur tertiò, spectatâ præcisè bullâ *Cœnæ*, neminem Pontifice inferiorem extra mortis articulum absolvere posse ab hæresi, sive manifestâ, sive occultâ, dummodò interna simul et externa seu perfecta fuerit. Ratio est quia statuitur neminem præter Pontificem *à prædictis sententiis* absolvere posse; inter prædictas autem sententias primo loco recensetur excommunicatio in omnes et singulos hæreticos; sic enim legitur § 1 ipsius bullæ : *Excommunicamus... omnes et singulos hæreticos;* atque adeò tam occultos quàm manifestos. Proinde ab hâc sententiâ in utrosvis latâ nemo potest absolvere præter Pontificem: clausula enim illa, *omnes et singulos*, tollit omnem exceptionem quæ non sit expressa in speciali aliquâ lege. Hinc Nicolaus I episcopis Galliæ ita scribit: *Dicendo omnia decretalia constituta*, nullum de Decretalibus constitutis prætermisit, quod non mandaverit custodiendum: et rursùm asserendo : *Omnium prædecessorum nostrorum*, nullum Romanorum pontificum, qui ante fuerunt, excepit. Eamdem clausulæ illius, *omnes*, et multò magis istius geminationis, *omnes et singulos* interpretationem esse, ex diversis juribus ostendit Nicolaus Du Bois in propositionem tertiam ab Alexandro VII condemnatam, ubi pariter reflectit, quòd eodem primo bullæ *Cœnæ* paragrapho feratur excommunicatio in omnes et singulos hæreticos... *publicè vel occultè*, etc. Prætereo plurimas in hâc materiâ damnatas propositiones, Romanorum Pontificum et cardinalium declarationes, quæ videri possunt apud auctores citatos.

125. Ad primum argumentum prioris sententiæ, respondeo cum Barbosâ cit., n. 22, nihil evincere; quia, si delinquentibus privilegium auferatur, quò minùs absolvi possint, aufertur pariter episcopis, quò minùs absolvant : hæc enim relativa sunt, quorum proprietas est, ut sint simul naturâ et convertantur essendi consequentiâ. Et quamvis episcopi jurisdictionem suam jure divino possidere supponantur, impedietur tamen ejusdem jurisdictionis usus et exercitium per reservationem pontificiam.

126. Ad secundum respondeo cum Covarruviâ, Menochio, Molinâ, Sanchez, Bonacinâ apud Castrop., de Privilegiis, tract. 3, disp. 4, puncto 21, § 4, n. 6, ad revocationem decretorum concilii generalis non esse necessariam specificam aut individuam ipsius concilii mentionem per proprium nomen concilii, v. g., *Tridentini;* sed sufficere derogationem per clausulam generalem, v. g., dicendo : *Non obstante quâcumque constitutione, etiam in concilio generali editâ*, vel, *non obstantibus privilegiis per cujusvis concilii decreta concessis.* Ad cap. *Ex parte*, de Capellis monachorum, respondeo illic non argui quòd non sit facta expressa seu individua mentio; sed quòd *nulla* mentio facta sit concilii Lateranensis. Ad cap. *Nonnulli*, de Rescriptis, respondeo quòd debeat fieri expressa mentio constitutionis, saltem per terminum generalem, non tamen per nomen individuum. Ita significat ea ipsa Glossa, quæ objicitur, dicens. *Rescriptum debet facere mentionem de constitutione, ad hoc, ut ei præjudicet.* Et in margine additur : *Communiter non exprimitur nomen constitutionis; sed dicitur : Non obstante constitutione de duabus diætis editâ in concilio generali.*

127. Ad illud quod dicunt Sanchez, Henriquez, Vivaldus, Candidus, Loth, videlicet, quòd, si concilium generale modernum sit, v. g., Tridentinum, tunc saltem non sufficiat clausula generalis derogatoria, v. g., *cujusvis concilii*; sed requiratur mentio magis determinata, v. g., exprimendo nomen concilii Tridentini; ad hoc, inquam, respondeo cum Bonacinâ et Castropalao cit., me non videre, quo fundamento id dicatur, cùm omnia omnium generalium conciliorum, à legitimo Pontifice approbatorum decreta, sint æqualis auctoritatis. Imò potiùs pro decretis concilii Tridentini non videtur necessaria ulla derogatio specialis, aut etiam forsitan generalis, eò quòd in decreto ultimo ejusdem concilii, sess. 25, declaretur, omnia in eodem sacro concilio statuta de morum reformatione et ecclesiasticâ disciplinâ sic fuisse decreta, *ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit, et esse intelligatur.*

128. Ad tertium respondeo : Crisis est, eo fine excogitata, ut declinetur difficultas argumenti; quia in primis non statuit bulla, ut solo privilegiorum prætextu nemo absolvi possit, etc.; sed ut *etiam prætextu* isto non possit. Quo verbo significatur, nullam episcopis in hos casus potestatem esse sive aliunde, sive *etiam* ex privilegio. Deinde certum videtur nobis, per *prætextum* facultatum et indultorum intelligi veram privilegiorum existentiam seu subsistentiam. Quocirca Bonacina, de Censuris, in bullâ *Cœnæ* contentis, disp. 1, q. 22, puncto 2, prop. 2, n. 7, nomen *prætextus*, inquit, quod in bullâ ponitur ibi *prætextu facultatum*, non semper significat velamen et fictum colorem, sed aliquando etiam significat veram causam.

129. Ad quartum respondeo : Admittimus quòd lex posterior generaliter et indistinctè loquens, limitanda sit per legem priorem specialem. Recipimus etiam tanquàm indubitatum, quòd vitanda sit correctio juris, quantùm et quamdiù potest fieri. Sed negamus quòd bulla *Cœnæ* posterior in hunc modum restringi et limitari possit per caput sextum Tridentini sæpiùs memoratum et antiquius. Quia, ut addunt objicientes, exceptio facienda est, si constitutio generalis speciali expressis terminis contradicat, id est, si, spectato textu et contextu legis generalis, nulla possit admitti exceptio vel limitatio, secundùm quam subsistere possit et in suo vigore permanere lex specialis. Sic autem contingit in præsenti : quod enim dicitur, bullam *Cœnæ* intelligi posse de delictis publicis et pro foro externo, jam ante rejectum et refutatum

est. Addi verò hoc loco potest, quòd nunquàm in ullo concilio generali episcopis facultas data sit in casus pontificios manifestos, vel pro foro externo. Proinde non fuit quòd episcopis in casus istiusmodi negaretur facultas, tanquàm per alicujus concilii decretum concessa.

130. Ad quintum, respondeo : Dùm Pontifex in bullâ *Cœnæ* negat episcopis facultatem in casus occultos, concessos per Tridentinum, non contradicit concilio; sed utitur potestate per concilium expressè concessâ. Quare dici potest privilegium à Tridentino episcopis factum, esse conditionale, pendens ab illâ conditione, *ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*, quemadmodùm sessionis 25, cap. 21, dicitur; atque ita, dùm Pontifex suam auctoritatem interponit, ne quis ab hæresi, reliquisque casibus bullâ *Cœnæ* comprehensis absolvat, non potest dici revocare privilegium à Tridentino concessum ; sed potiùs cessare privilegium Tridentinum defectu conditionis, sub quâ concessum fuerat. Itaque negatur intervenire inconstantiam aut levitatem ex parte Pontificis, quia, ut jam diximus, non fuit episcopis per Tridentinum absolutè facta auctoritas absolvendi, sed conditionatè, si et quatenùs videbitur Pontifici. Ita ferè Castropalao citatus.

131. Ad sextum, respondeo cum Suarez, tom. 5, disp. 21. de Excommunicationibus Papæ reservatis in bullâ *Cœnæ*, sect. 3, n. 5, specificationem hæresis in concilii Tridentini c. 6, sæpiùs memorato non fieri ad concedendam episcopis potestatem absolvendi, sed potiùs ad limitandam et restringendam; cùm enim ante generali clausulâ concilium fecisset episcopis potestatem absolvendi ab omnibus casibus pontificiis occultis, per se vel vicarium suum, deinceps hæresim exprimit ad limitandam potestatem antecedenter datam, quoad casum hæresis, à quo per se tantùm, non per vicarium suum absolvere possint.

Atque hæc quidem de quæstione primâ. Quæstio secunda erat, an privilegium amplissimum episcopis Belgii per Gregor. XIII, anno 1576, ad instantiam Philippi II, regis catholici concessum, etiamnùm vigeat? Dubitat Zypæus juris pont. analit. enarrat., l. 5, de Pœnit. et Remiss., n. 7. Sed affirmandum est cum Sylvio, 2-2, q. 11, a. 2, quæsit. 2. Marchant, tomo 1, tribunal. sacrament. tract. 2, tit. 4, q. 8; Bassæo, verbo *Casus reservatus*, n. 33; Bertrando Loth, tract. 1, q. 1, art. 8, et aliis communiter. Ratio sumitur ex ipso bullæ tenore; quia Pontifex concessit illud privilegium, *donec aut quousque inferior Germania..... in pristinâ regis* (Catholici) *obedientiâ plenariè et integraliter restituta et reposita fuerit*. Atqui inferior Germania nondùm est plenariè et integraliter restituta et reposita in pristinâ regis catholici obedientiâ. Ergo non cessat privilegium, quia privilegium temporale, concessum sub aliquâ conditione, quæ finitur lapsu temporis, sicut ultra illam extendi non potest, ita neque ante illam finiri. Ita arguit Bertrandus.

132. Objicies 1° ex Zypæo citat. Etsi omnes ditiones nondùm in obedientiam regis catholici reductæ sint; per inducias tamen cessârunt bellorum tempestates, ob quas dici fortè posset ea facultas concessa. — Respondeo primò non esse hanc facultatem concessam propter bellorum tempestates, sed propter multitudinem hæreticorum, quibus Ecclesiæ reconciliandis non sufficiebant episcopi; quo factum fuit, ut multi *citra beneficium debitæ absolutionis* obiissent, ut in supplicâ regis catholici expressum fuerat, et repetitur in bullâ Gregorii XIII. — Resp. secundò : Licèt bellorum tempestates fuissent motivum Pontificis, tamen finem bellorum non esse finem privilegii manifestè constat ex bullâ : quia non conceditur prædicta facultas, donec et quousque bella duraverint; sed donec aut quousque inferior Germania *in pristinâ regis obedientiâ plenariè et integraliter* fuerit reposita et restituta.

133. Objicies 2° ex eodem : Philippo regi, seu ad ejus instantiam concessum est privilegium; ergo per ejus mortem expirâsse videri potest. — Respondeo primò, non regi Philippo, sed ad ejus instantiam episcopis Belgii concessum esse ad obviandum gravi dispendio animarum. — Respondeo secundo, Philippum vivere in successoribus, qui rigore privilegii non excluduntur, eò quòd Pontifex de principe, non de personâ loquatur, etsi Philippum nominet. Unde privilegium non est personale, quasi concessum sit à Pontifice ad gratificandum personæ Philippi II, sed est concessum coronæ Hispanicæ ad bonum animarum et faciliorem hæreticorum conversionem. Est igitur concessum Philippo, non quatenùs Philippus, sed rex catholicus erat; ad eum ferè modum quo loquimur de Apostolo Petro, cui per Christum traditæ sunt claves Ecclesiæ, non ad privilegium personale, in ejus personâ finiendum, sed reale, in ejusdem successoribus duraturum.

134. Objicies 3° ex eodem : Conditio temporis adjecta, reddita est impossibilis, cùm ampliùs ad Philippi (utpote mortui) obedientiam redigi ditiones non possint. — Resp., ut statim, Philippum in hâc causâ sustinuisse personam regis catholici, præsentis et futuri.

Objicies 4° quòd dudùm post bullam Gregorianam in brevi Clementis et Urbani VIII, quo archiepiscopum Mechliniensem creant pro exercitu regio apostolicum in Belgio delegatum, similis amplissima facultas detur, exceptis tamen criminibus *hæresis, majestatis*, etc. — Respond. neutrum breve repugnare nostræ conclusioni; quia licèt Clemens et Urbanus VIII, in præfatâ institutione archiepiscopi Mechliniensis, excipiant crimen *hæresis*, inde non sequitur, quòd archiepiscopus eamdem facultatem aliunde non haberet. Poterat ergo archiepiscopus absolvere ab hæresi, etc., quatenùs episcopus Belgii erat, ex bullâ Gregorianâ; non poterat, quatenùs præcisè Apostolicus delegatus pro exercitu regio. Unde quòd uterque Pontifex excipiat in suo brevi peccatum *hæresis*, non est, ut revocet facultatem aliunde episcopo convenientem; sed quòd ita habea stylus Curiæ, cùm quis pro simili munere instruitur. Alioquin non est verosimile quòd Pontifex novo onere

gravàret episcopum, et simul privaret gratiâ vel privilegio, independenter à tali onere, possesso et obtento.

135. Objicies 5° quòd saltem privilegium istud durare non videatur post initam et conclusam pacem inter regem catholicum et fœderatos : fuit enim concessum, ut sæpè diximus, *donec aut quousque* Germania inferior integrè reducta foret in obedientiam coronæ Hispanicæ. Hodiè verò, cum rex inierit pacem cum cessione urbium et provinciarum, videtur cessare dicta facultas eousquè concessa, dùm urbes illæ et provinciæ in regis obedientiam reductæ fuerint, cùm jam non ampliùs reductio illa videatur possibilis. —Respond.: Nego assumptum ; ad cujus probationem, ut cætera interim taceantur, dico quòd conditio sub quâ datum est privilegium seu potiùs terminus, quo privilegium finiendum sit, non fuerit pax inter regem et fœderatos ineunda, sed Belgii plenaria et adæquata reductio in obedientiam Hispaniæ vel alterius Romano-catholici capitis.

136. Objicies 6° quòd Belgium fœderatum in obedientiam regis *virtualiter* reductum videatur, quatenùs per pacem cum fœderatis initam cessit jure provinciarum ; ad eum modum quo dicitur debitor creditori satisfecisse, cùm facta est transactio seu compositio. — Resp. cum Bertrando cit.: Etsi per illam cessionem juris factam à rege, supponantur Hollandi æquivalenter restituisse provincias quas occupaverant, si cessio foret libera et voluntaria : non propterea censeri debet Germania inferior jam plenariè reducta in obedientiam regis juxta mentem Pontificis, concedentis illud privilegium, et juxta finem, quem prospexit in ejusdem privilegii concessione : quia summus Pontifex largitus est privilegium propter frequentiam hæreticorum, qui passim occurrebant in oppidis et locis reductis sub obedientiam regis aut reducendis, et propter quotidianam necessitatem absolvendi, ut patet ex ipsis Bullæ verbis : *In supra dictis oppidis aliisque locis, jam (ut præfertur) de novo reductis cum aliis similibus ; necnon in præsentibus subditis, in posterum similiter quomodocumque reducendis, ac usus seu necessitas postulabunt.* Et supra ex illis verbis : *Plures citra beneficium debitæ absolutionis obiisse, potissimùm in iis oppidis, villis, municipiis, et fortalitiis*, etc., *tam in ducatu Geldriæ, quàm in civitatibus Hollandiæ et Zelandiæ*, etc. *Quare idem Philippus rex, ne gravior animarum jactura sequatur*, etc. Ex quibus patet, Pontificem in illâ Bullâ et limitatione dictæ concessionis spectâsse illud tempus, quo tota Germania inferior sic esset reducta in obedientiam regis, ut jam hæreses essent omninò eliminatæ, nullaque foret passim necessitas absolvendi ab hæresi, aut saltem non ita frequens ; in quæ certè tempora nondùm devenimus. Ita Bertrandus. Summa responsionis est, ad mentem Pontificis non sufficere reductionem *virtualem*, ut finiatur privilegium ; sed requiri *formalem*, quâ scilicet reddatur fides catholica et minuatur numerus hæreticorum. Hæc sunt, quæ circa præsentem quæstionem moveri possunt.

137. Pro fine hujus prolegomeni observandum quòd, si episcopus alicui potestatem indefinitam faciat in suos casus, id de illis solummodò intelligendum sit, qui vel quatenùs propriâ et ordinariâ auctoritate reservantur. Quare ad absolvendum à casu pontificio (recidente ex quolibet capite in jurisdictionem episcopalem) et connexâ censurâ, non sufficit potestas episcopi indefinita et generalis in reservata ; sed insuper requiritur altera, specialior et magis determinata. Steyaert et Neesen sup. citati, quibus adde Bertrandum Loth, tract. 17, art. 8 ; Sylvium, 2-2, q. 64, art. 7 quæst. 4, concl. 5 ; Portel, verbo *Abortus*, num. 5, Novarium, Sum. Bul., tit. de Abortu, num. 13 ; Dianam, parte 7, tr. 5, resol. 15 ; Mazuchel, tract. de Cas. res., disp. 2, c. 3, diff. 4, num. 68 ; Villalobos, Sum., tomo 2, tract. 12, diffic. 14, num. 4 ; Trullench., in Decal., tomo 2, l. 5, c. 1, dub. 5, n. 8, quatenùs docent confessarium (si solummodò potestatem indefinitam habeat in casus episcopales) non posse absolvere ab excommunicatione contractâ per abortum animati fœtûs.

PROLEGOMENON VIII.

138. Licèt casus papales secundùm se et proximè reserventur Pontifici, nihilominùs reservatio culpæ juxta communiorem doctorum opinionem pendet à reservatione censuræ. Vide Herincx, p. 4, tr. 4, disp. 6, q. 1, num. 6 ; Coninck, disp. 8, de Pœnit., dub. 11, num. 82 ; Suarez in 3 parte D. Thomæ, tomo 4, disp. 29, sect. 2, num. 11 ; Henriquez, l. 6, c. 14, n. 1 ; Vasquez, q. 91, art. 4, dub. 1 ; Sanchez, l. 2 Summæ, c. 8, n. 5 ; Layman, l. 5 Sum., tract. 6, c. 12, n. 2 ; Castropalao, de sacram. Pœnit., tract. 23, puncto 15, § 2, n. 1.

Hinc sequitur primò, si quando contingat ob ignorantiam, v. g., delinquentis, culpam à pœnâ, id est, delictum à censurâ separari ; sequitur, inquam, delictum sic à censurâ separatum, spectare ad forum episcopale, perinde ac si nulla exstaret Sedis Apostolicæ reservatio. Vide doctores citatos. Ex quo ulteriùs manifestè deducitur quòd, licèt episcopus non possit sibi reservare casum pontificium quatenùs talem, cùm nemo possit sibi reservare peccatum, in quod nullam penitùs potestatem habet ; posse nihilominùs reservare sibi casum papalem, pro supposito, quo delinquens non incurrisset censuram, v. g., defectu pertinaciæ. Ratio jam data fuit, quia casus pontificius in illo supposito, pertinet simpliciter ad jurisdictionem episcopi, perinde ac cætera peccata, in quæ nunquàm lata est censura papalis. Ergo potest episcopus ab initio eumdem casum pro illo supposito consideratum, sibi reservare.

139. Sequitur secundò quòd, si synodus vel episcopus delictum simile, à censurâ, ut diximus, separatum inter casus sibi reservatos comprehendat, sufficiat in confessario inferiori facultas indefinita in casus episcopales, si non exprimatur contrarium. Exemplum. In diœcesi Buscoducensi simpliciter reservatur *hæresis* ; nihil additur, ut passim in cæteris, de facultate

speciali necessariâ ad absolvendum. Si reus formalis et materialis hæresis, censuram non incurrerit, v. g., ob ignorantiam, erit casus merè episcopalis, à quo possit absolvere confessarius, admissus simpliciter pro reservatis. Ratio ex supradictis; quia casus pontificius ob ignorantiam delinquentis à censurâ separatus, est simpliciter episcopalis, à quo proinde absolvit quilibet admissus vel approbatus pro casibus episcopalibus per clausulam generalem et indefinitam.

140. Sequitur tertiò aliter loquendum si aliter episcopus vel synodus exprimat, ut supra diximus : si enim episcopus casum aliàs papalem sub peccatis sibi reservatis contineat, et in confessariis inferioribus exigat licentiam specialem ad absolvendum ab eodem casu, universim et simpliciter sumpto, non poterit confessarius, approbatus simpliciter, per generalem clausulam pro reservatis, absolvere, quantùmvis supponas, culpam à pœnâ, id est, delictum à censurâ separari. Exemplum. In diœcesibus Antuerpiensi, Cameracensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, et Ruræmundensi simpliciter et sine addito reservatur *hæresis*. Deinceps casibus cæteris ex ordine enumeratis, additur neminem, quantumvis aliàs admissum pro reservatis, absolvere posset ab *hæresi* sine facultate speciali. Nihil iterùm additur, nec ullis circumstantiis significatur, vocem *hæresis* in alio sensu quàm ante usurpari; probabilius nobis est, in diœcesibus nominatis requiri *specialem* facultatem pro utràque hæresi, tam quæ censuram conjunctam, quàm separatam habet in delinquente. Ratio, quia potest episcopus facultatem specialem exigere pro utràque. Ergo exigit, quando nullam facit distinctionem. Porrò quòd licentia *specialis* in diœcesibus nominatis requisita non pendeat à censurâ, exemplis confirmari potest. 1° In diœcesibus Antuerpiensi, Brugensi, Gandavensi et Ruræmundensi requiritur facultas *specialis* ad absolvendum à labaismo, qui tamen nullam habet conjunctam censuram. 2° In Antuerpiensi requiritur facultas specialis, et quidem singulis vicibus postulanda ad absolvendum à procuratione abortûs post quadragesimum diem conceptionis; ubi proinde (ut pluribus dicetur infra) cùm nulla requiratur conditio præter ætatem diei quadragesimæ, incurretur peccatum *specialiter* reservatum, sive fœtus fuerit animatus sive inanimatus, dummodò die quadragesimo senior fuerit; cùm tamen abortui fœtûs inanimati nulla censura constituta sit post bullam Gregorii XIV *Sedes Apostolica*, de anno 1591, 31 maii.

PROLEGOMENON IX.

141. Quantùm ad casus in diœcesi Buscoducensi reservatos, in primâ synodo diœcesanâ, celebratâ anno 1571 mensis maii die 8, et duobus sequentibus, præsidente rev. et illustr. D. Laurentino Metsio, II episcopo Buscoducensi, titulo de sacramento Pœnitentiæ, cap. 9, solummodò dicitur : « Nemo quoque « à casibus Sedi Apostolicæ aut episcopo reservatis, « quemquam nisi in mortis articulo absolvere præsumat : cùm enim sacerdos in dictis casibus non sit « legitimus judex, nullam ab iis absolvendi auctori- « tatem habet, ideòque absolutio, quam impendit, « invalida est et nullius roboris, prout hæc tam in « generali Tridentino, quàm provinciali Mechliniensi « conciliis apertè declarata et definita sunt. » Citatur autem concilium Mechliniense, tit. de Sacram., c. 6; idque non tam ut discamus quinam casus in diœcesi Buscoducensi reservati sint, quàm ut doceamur à casibus episcopalibus, qualescumque sint, neminem absolvere posse, qui in eosdem casus non receperit potestatem. Interim cùm concilium Mechliniense, cui tanquàm comprovincialis episcopus præcedenti anno subscripserat idem reverendiss. D. Laurentius Metsius, spectaret totam provinciam, hinc ex eodem concilio repetenda fuit diœcesis Buscoducensis reservatio.

142. Quare in alterâ synodo Buscoducensi, celebratâ anno 1612, die 9 et 10 mensis octobris, præsidente reverendiss. D. Gisberto Masio, tit. 6, c. 14, dicitur : « Casus autem reservati episcopo sunt ii « qui in prætacto Mechliniensi concilio numerantur : « Raptus virginum, homicidium, etc., et omnia de- « licta prædictis graviora, illis tamen quæ Sedi Apo- « stolicæ reservantur, eidem Sedi semper salvis. » *Prætactum* autem concilium, est Mechliniense primum, celebratum anno 1570, die 11 mensis junii, præsidente reverendiss. D. Martino Rythovio, episcopo Iprensi, tanquàm seniori comprovinciali, nomine et loco eminentissimi Granvellani. Tandem eximius Steyaert, ejusdem diœcesis vicarius apostolicus, ad utramque synodum Sylvæducensem, suo jussu reimpressam, adjecit inter cætera instructionem confessariorum, in approbationibus, ut loquitur, dari solitam, in quâ n. 13, dicitur : « Casus in diœcesi Syl- « væducensi ordinario reservati sunt : hæresis, apo- « stasia, simonia, sodomia, homicidium voluntarium, « incendium cum deliberatâ voluntate procuratum, « raptus virginum, incestus cum consanguineis aut « sanctimonialibus, injectio violenta cum læsione in « parentes facta, sortilegium et adulterium notorium; « ac omnia delicta, quæ majorem excommunicatio- « nem annexam habent, et prædictis graviora. » Numero 15, additur : « Nemo absolvere potest aut valet « complicem secum in peccato carnali; quale censea- « tur omne peccatum contra castitatem, externum, « mortale; adeòque etiam oscula, tactus impudici, « in quibus utrinque peccetur mortaliter.

143. Quocirca reflectenda est illa numeri 13 finalis clausula, *ac omnia delicta.... prædictis graviora*, per quam repetuntur ac reservantur delicta omnia specificatis seu nominatim expressis casibus in eodem genere graviora. In eodem, inquam, genere; quia certum est, in nullâ diœcesi reservari delicta expressis casibus graviora in diverso genere peccati : esset enim vaga nimis et indeterminata reservatio, quæ comprehenderet peccata seu delicta quælibet in quolibet disparato genere graviora *prædictis* seu nominatim expressis; indeque maxima tum pœnitentium, tum

confessariorum anxietas et vexa exurgeret in discernendâ peccatorum omnium disparatorum inæqualitate, quod certè difficillimum est, ut rectè observat ampliss. D. Brauman in manuscriptis à se dictatis. Atque ita præfatam clausulam intelligit Steyaert, Aphor., p. 4, de sacram. Pœnit., sect. 5, § 14, n. 12, dicens, præter casus expressos in diœcesi Mechliniensi reservari *prædictis in eodem genere graviora*.

144. Sed dubitari posset, an eadem clausula in cæteris diœcesibus eumdem sensum vel intellectum habeat, id est, an ubilibet reserventur peccata seu *delicta prædictis*, seu nominatim expressis *graviora* ? Ratio dubitandi est quia inprimis (quod attinet diœcesim Cameracensem) ita legitur in antiquis statutis synodalibus, de Pœnitentiâ et ejus partibus, tit. 5. Item in decretis synodi Namurcensis celebratæ sub illustrissimo Engelberto Desbois, anno 1639, 7 junii, titulo de sacram. Pœnit., ubi leguntur sequentia : *Et omnia alia prædictis graviora in eodem genere peccati ; Apostolicæ tamen Sedi suis casibus semper salvis.* Item in decretis synodi Tornacensis, habitæ sub reverendissimo domino Michaele D'Esne, tit. 8, de sacramento Pœnitentiæ, c. 8, ubi continentur sequentia : *Et prædictis graviora in eodem genere peccati.* Item eodem modo ad calcem casuum reservatorum, eadem periodus legitur in decretis et statutis synodi Mechliniensis, celebratæ die 11 mensis junii, anni 1570. Porrò cùm reservatio casuum synodo provinciali Mechliniensi expressa, deinceps inserta sit Pastorali, ad usum totius provinciæ impresso, dubitari ulteriùs potest an eadem clausula non afficiat diœceses Antuerpiensem, Brugensem, Gandavensem, Ruræmundensem, et Iprensem.

145. Respondeo : Inprimis quod attinet diœcesim Buscoducensem, reservata illic remanent quæcumque quolibet nominato casu in eodem genere graviora sunt. 2° In Coloniensi et Cameracensi hodiè non adjicitur similis clausula. 3° In Antuerpiensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi, instructio pro Confessariis præfatam periodum : *Omnia... delicta prædictis graviora*, suo loco emovit, et à calce casuum reservatorum transtulit ad solam sodomiam. Est autem differentia considerabilis inter eamdem periodum in fine additam, et uni duntaxat casui reservato conjunctam ; quòd videlicet in fine expressa relationem habeat ad casus quoslibet præcedentes ; uni autem casui, v. g., sodomiæ juxta posita, nonnisi hujus unius generis graviora delicta complectatur.

PROLEGOMENON X.

146. Quod attinet diœcesim Coloniensem, de duobus punctis præmonendus est lector. Primum est quòd non videantur illìc reservati olim fuisse casus, quamdiù occulti essent, ut monent Joannes à S. Thomâ (vel qui eumdem ex Hispano in Latinum transtulit R. P. Henricus Hechtermans) doctrinæ Christianæ part. 3, cap. 1, § 6 ; Franciscus Bonæspei, tomo 6, tract. 5, disp. 10, dub. 3, n. 30 ; Manigart, part 1, cap. 10, fol. 352 ; Vinitor, de Sacramentis, tit. 7, c. 11, q. 11 ; apud Lacroix, l. 6, part. 2, n. 1636. Colligunt ex verbis sequentibus : *Attamen à casibus dictis, si occulti sint, quilibet sacerdos approbatus et institutus, eum*, scilicet pœnitentem, *absolvere potest, non tamen absolvitur sic, ut eum talis absolutio à judicio vel foro litigioso eximat.*

147. Existimamus distinguendum esse inter occultum per se et per accidens. Vocamus occultum *per se*, quod merè internum est, nullo signo exteriori declaratum, et ideò per se occultum seu nemini cognitum aut cognoscibile. Vocamus occultum *per accidens*, quod exteriùs commissum, est secundùm se sensibile, id est, per sensum externum, visûs, v. g., vel auditûs deprehendi potest ; sed nihilominus clanculò seu privatim commissum ignoratur. Casus *per se* occulti, seu merè interiores, sicuti in nullâ diœcesi, sic pariter non reservantur in Coloniensi, ut satis colligitur ex antedictis. Occultos autem *per accidens*, in eâdem diœcesi reservatos esse, indè videtur colligi, quòd *perjurium* et *adulterium*, ut à tempore immemorabili expressè additur, tum solùm sit reservatum, cùm publicum seu *manifestum* fuerit : hæc enim illorum casuum restrictio seu limitatio, vel prorsùs nulla est et inutilis, vel supponit delicta cætera reservari etsi *manifesta* non fuerint, sed per accidens occulta. Quidquid sit de istâ reflexione, omne dubium sublatum est per decretum 26 maii 1715, quo declaratum est, per casus occultos, qui hìc non reservantur, intelligi merè internos, et omnes externos, etiam occultos reservatos esse, exceptis adulterio et perjurio. Ita R. P. Leonardus Colendall, auctor indicis locupletissimi in opera eximii P. Lacroix, verbo *Reservatio casuum*, fol. 785.

148. Alterum, de quo lectorem præmonendum diximus, est quòd, quantùm attinet diœcesim Coloniensem, in nostro schemate sequamur synodum celebratam anno 1662, pag. 71, ex quâ Doctor Coloniensis Lacroix, anno 19 hujus seculi Coloniæ reimpressus, casus ibidem reservatos exhibet eodem ordine et tenore, quo nos expressimus. Sequimur autem præfatam synodum, ut aliquid habeamus certi ; cùm alioquin in hâc archidiœcesi (non dubito, quin archiepiscoporum jure et fundato motivo) expressio casuum reservatorum, notabiliter varietur tempore. Ante annum 1662 expressio seu reservatio casuum in pluribus punctis substantialiter diversa erat, ut videri potest apud Joannem à S. Thomâ, Franciscum Bonæspei, Manigart citatos, et Brunonem Neusser Polyanth., disp. 95, q. 2, n. 4. Juxta Agendam novam, impressam anno 1720, fol. 58, num. 51, casus episcopales in archidiœcesi Coloniensi iterùm notabiliter variati, sunt sequentes : « Homicidium voluntarium. « Sacrilegium. Incendium Ecclesiæ deliberatâ voluntate procuratum. Sodomia. Raptus virginum. Incestus cum consanguineis aut affinibus in 1 vel 2 gradu, « aut cum sanctimonialibus. Adulterium manifestum. « Injectio manuum violenta in parentes cum læsione « Sortilegia, veneficia ligatura, et omne maleficium.

« quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus. « Perjurium manifestum. Violatio fidei et votorum. « Simonia. Hæresis. Apostasia. Blasphemia magna « seriòque prolata. Quos casus (exceptis adulterio et « perjurio) quantùmlibet occultos, dummodò non « merè interni fuerint, reservationi episcopali subja- « cere, recenter in edicto desuper per Diœcesim « promulgato declaratum fuit. » Num. 52, additur : « His casibus reservatis adjicitur crimen complicis. » Ita recentior Agenda Coloniensis. Vide etiam nucleum theologicum R. P. Bernardini Thenhaven, Coloniæ tertiò impressum, anno 1745 ; examine 26, de approbatione, jurisdictione et officio confessarii ac sigillo confessionis, n. 6, ubi omittit peccatum complicis, quia reverà non est peccatum reservatum, ut dicetur infra. Vide insuper Tribunal confessariorum et ordinandorum, eximii Patris Ludovici Fliegen ord. prædicat., editum et impressum Coloniæ, 1723. Quod autem spectat stylum et modernum usum ejusdem aulæ, solet confessariis ad triennium non admissis facultas dari absolvendi *etiam à casibus ordinariæ jurisdictioni* episcopali *reservatis, exceptis percussione clerici et peccato complicis in materiâ venereâ, abortu, apostasiâ, homicidio voluntario, incendio ecclesiæ, veneficio, injectione manuum violentâ in parentes cum læsione, ligaturâ et omni maleficio, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus.*

149. His ita præmissis, tractamus singillatim de casibus reservatis in novem diœcesibus, juxta ordinem alphabetarium subsequentis schematis. Unicuique casui suum caput dabitur, quod dividetur in diversos paragraphos. Horum primo tractatur quæstio præliminaris, una vel altera, secundùm capacitatem aut exigentiam materiæ. Altero notantur diœceses in quibus casus præpositus reservatur, expresso tenore verborum, quibus exhibetur in litteris approbatoriis, synodis, pastoralibus vel Agendis. Tertio fiunt aliquot reflexiones in ejusdem tenoris diversitatem pro diversis episcopatibus. Quarto deducuntur inde (etiam sæpiùs ex aliorum mente) aliqua corollaria, quæ licèt nobis non probentur singula, eo tamen fine adducuntur, ut lector alterius forsitan judicii noverit, quid, quinam et ubi censeant : rejectis, si quæ occurrant, in ultimum paragraphum objectionibus.

CAPUT PRIMUM.

DE ABORTU.

§ 1. Quæstio præliminaris prima. — *Quid abortus et quomodò procuretur ?*

150. Respondeo : Abortus est fœtûs immaturi abactio vel ejectio. Duobus modis committitur, aut antea, aut postea quàm fœtus animatus est. Hinc duplex abortus, animati et inanimis fœtûs. Abortum verò procurare, nihil est aliud quàm studio vel de industriâ efficere seu impedire ne fœtus jam conceptus maturescat, et juxta naturæ cursum et ordinem emittatur in lucem. Procurare igitur censetur, qui quovis medio præstat ut fœtûs jam concepti generatio non sequatur, sive id præstet per semetipsum seu personaliter, sive per alterum, mandato, consilio, consensu. Præstare autem id iterùm potest duobus modis, 1° directè et per se intendendo abortum, vel instar medii, v. g., ad conservandam famam aut vitam prægnantis, vel instar finis, saltem quantum est ex parte et naturâ actionis. In hunc modum contingit, dùm adhibetur medium vel medicamentum per se efficax et proximè ordinatum ad expellendum vel occidendum fœtum, ut sunt potiones quædam medicatæ, compressio violenta prægnantis, percussio, grave onus eidem impositum, et sexcenta similia, quæ excogitat perditorum juvenum et puellarum audacia vel libido, ut obiter tangit Sixtus V, bullâ, *Effrænatam*, inferiùs allegandâ. Dixi : *Quantum est ex parte et naturâ actionis ;* quare ad directam abortûs procurationem non requiritur intentio expressa operantis, sed sufficit tacita et interpretativa, dùm interim voluntariè et satis deliberatè adhibetur actio, per se et proximè abortiva, v. g., percussio gravis circa uterum prægnantis. Quo casu censebitur percussor directè voluisse abortum, quidquid fingat aut protestetur oppositum, quia protestatio factis contraria nihil efficit. 2° Generatio fœtûs concepti impediri potest indirectè, videlicet quando proximè et immediatè intenditur ac obtinetur effectus notabiliter bonus, v. g., prægnantis vita vel sanitas, permisso tantùm, id est, remotè et per accidens sequente abortu.

Quæstio ii. — *Qualiter peccetur abortu ?*

151. Respondeo : 1° Nunquàm licet directè abigere et interficere fœtum animatum sub peccato mortali gravissimo contra quintum præceptum Decalogi, et omnibus pœnis canonicis ac civilibus in veros homicidas latis. Ratio est, quia est verum homicidium voluntarium et directa innocentis occisio, eò gravior, quò perdit corpus et animam parvuli nondùm regenerati. 2° Non licet gravidæ graviter periclitanti, etiam indirectè, abigere fœtum animatum per potionem, quæ directè tendat ad sanitatem et vitam prægnantis, si spes sit, fore ut fœtus aliàs non baptizandus, vivus emittatur in lucem, moriente matre. Ratio, quia licèt non peccet prægnans in casu contra justitiam, delinquit tamen contra charitatem in proprium semen et sanguinem, præferens sanitatem suam temporalem vitæ æternæ parvuli, hactenùs non baptizati. Diximus : *Si spes sit*, etc. Alioquin enim peccatura non videtur, si sibi consulat per medicinam permittens innocentis mortem, non intendens, sive ex parte agentis, quæ solummodò dirigitur in propriam sanitatem, sive ex parte actionis, ob secuturam proximè curationem, non obligante ampliùs præcepto charitatis de præferendâ vitâ spirituali parvuli, tanquàm jam desperatâ et moraliter impossibili. 3° Nunquàm licet directè procurare abortum fœtus etiam inanimati sub peccato mortali gravissimo contra justitiam et charitatem.

152. Ratio est, quia, ut Tertullianus Apologet. c. 9, inquit : *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dùm adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est pro-*

hibere nasci; nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, et qui est futurus, et fructus omnis jam in semine est. Et S. Augustinus, lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 15, (cujus verba referuntur cap. *Aliquando* 32, q. 2) abortum fœtûs etiam inanimati directè intentum vocat crudelem libidinem et libidinosam crudelitatem, quâ priùs interitus, quàm vita fœtûs intenditur. Et verò si nunquàm liceat directè intendere abactionem seminis per pollutionem, quantò minùs per abortum expellere embryonem, multò viciniorem homini ! Cùm autem diximus licere *nunquàm*, etiam casum illum intellige, quo aliqua persona vel per stuprum subacta, vel per dæmonem delusa esset, quod practicè censemus possibile. Ratio, quia licèt utroque casu nulla supponatur culpa prægnantis, est tamen de suo sanguine et semine, quod gestat in utero, formatum et dispositum in actu primo ad recipiendum Dei imaginem et spiraculum vitæ. 4° Licet nihilominùs prægnanti sumere medicinam, quæ tendat directè et proximè ad ejus sanitatem aliter non curabilem, quantumvis timeatur indirecta sequela abortûs fœtûs inanimati.

Quæstio iii. — *Quid de abortu statuerit Sixtus V?*

153. Respondeo : Sixtus V, constit. 87, in bullario Cherubini, editâ 29 octob. 1588, quæ incipit, *Effrænatam*, rigidas admodùm et gravissimas pœnas tulit in hujus criminis reos. Inprimis § 1, statuit : *Omnes et quoscumque, tam viros, quàm mulieres* (proinde complectitur etiam prægnantes ipsas, quæ suâ sponte sibi abortum faciunt) *qui de cætero per se aut interpositas personas* (id est, sive physicè et exequendo, sive moraliter et mandando, consulendo, consentiendo) *abortûs seu fœtûs immaturi, tam animati, quàm inanimati, formati vel informis* (ex quo colligitur pœnas proximè secuturas intelligi de utroque abortu) *ejectionem procuraverint* (scilicet directè et de industriâ) *percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis*, etc., (id est, quibuscumque mediis, verè et realiter influentibus) *ita ut reipsà abortus inde secutus fuerit* (proinde non sufficient tentamina quælibet vel actus inchoati ab effectu *reipsà* separati) *ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint* (id est, per se vel alium fœtûs immaturi tam inanimati, quàm animati ejectionem quovis medio procuraverint) *pœnas tam divino, quàm humano jure, ac tam per canonicas sanctiones et apostolicas constitutiones, quàm civilia jura adversùs veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu et reipsà patraverint, propositas et inflictas... eo ipso incurrere.*

154. Secundò § 2, 3, 4, statuit, eosdem incurrere irregularitatem, unde nec promoveri possint ad sacros ordines; nec, si jam promoti fuerint, ministrare; sed eo ipso omni privilegio clericali, officio et beneficio esse privatos, quæ sic vacatura reserventur dispositioni Papæ, atque inhabiles in posterum futuros, etsi delictum occultum fuerit. Insuper ordinat, ut, qui foro ecclesiastico subjiciuntur, per judicem ecclesiasticum depositi et degradati, tradantur curiæ et foro seculari, capitali sententiâ puniendi.

Tertiò, § 5, decernit, eisdem pœnis teneri omninò eos qui sterilitatis potiones ac venena propinaverint mulieribus, aut quo minùs concipiant, impedimentum præstiterint, consuluerint vel auxiliati fuerint : nec non et mulieres, quæ ea scienter sumpserint.

155. Quartò, § 7 et 8 statuit, ut qui vel quæ, vel ut principales vel ut socii, consciive, ad tale facinus opem, consilium, favorem, potionem aut medicamenta scienter dederint, aut etiam scribendo litteras vel apochas, vel aliàs verbis aut signis juverint aut consuluerint, ipso facto excommunicationem incurrant, à quâ nequeant absolvi (nisi in mortis articulo) nec in Jubilæis, nec vigore concilii Tridentini, nisi à solo Romano pontifice.

Quæstio iv.—*Quid de abortu statuerit Gregorius XIV?*

156. Respondeo : Gregorius XIV, constitut. 8, *Sedes Apostolica*, de anno 1591, 31 maii, gravissimam bullam Sixtinam in duobus potissimùm punctis lenivit et temperavit. Primum est de abortu fœtûs animati, quocirca in hunc modum statuit § 2, circa finem : *Constitutionem prædictam* (Sixti V) *sic duximus moderandam, ut à peccato et excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenùs deliquerunt, quàm quoad illos, qui post nostram constitutionem, in eisdem casibus deliquerint, quilibet presbyter, tam secularis, quàm cujusvis ordinis regularis ad Christi fidelium confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci ordinarium deputatus, plenam et liberam in foro conscientiæ tantùm absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsùs, quam idem Sixtus prædecessor sibi ac suis successoribus reservavit.*

157. Secundum, de abortu fœtûs inanimati de quo § 3, ita loquitur : *Quo verò ad pœnas procurantium abortum fœtûs inanimis, aut exhibentium mulieribus vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium vel consilium eis dantium, in prædictâ constitutione contentas, constitutionem præfatam, in eâ parte, ubi de his agit, ad terminos juris communis ac sacrorum canonum, et concilii Tridentini dispositionem, auctoritate apostolicâ tenore præsentium, tam quoad præterita, quàm quoad futura, perpetuò reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hâc parte nunquàm emanâsset. Non obstantibus eâdem prædecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia præter contenta in hâc nostrâ constitutione, in suo robore omninò permanere volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Hactenùs Gregorius Pontifex.

158. Hinc colligitur 1° procurantes abortum fœtûs inanimati post constitutionem Gregorianam non incidere in excommunicationem bullâ Sixti V fulminatam : idque tum quod attinet agentem principalem, tum quod spectat quovis medio cooperantes. Idem est de dantibus et sumentibus venena sterilitatis.

Colligitur 2° auctorem abortûs fœtûs animati, etiam post moderationem Gregorianam, incurrere excommunicationem latæ sententiæ, irregularitatem et pœnas cæteras bullâ *Effrænatam* expressas. Ratio est, quia Gregorius, quod attinet abortum fœtûs animati,

nullam censuram, nullam pœnam eâdem bullâ expressam sustulit; sed (NB.) solam variavit reservationem delicti et connexæ excommunicationis, pro foro conscientiæ. Quin imò expressè voluit, prædecessoris sui constitutionem *quoad reliqua omnia in suo robore omninò permanere.*

159. Colligitur 3° eamdem excommunicationem, irregularitatem et pœnas incurrere cooperantes ad eumdem abortum, ope, mandato, consilio, favore, potione, vel alio cujusvis generis medicamento, etc. Ratio, quia sic ordinaverat Constitutio Sixtina, quam pro hâc parte non mutavit Gregorius, qui nihil variavit circa modum, medium vel personas, sed, ut statim diximus, solummodò circa reservationem delicti et excommunicationis, *contra personas ibi expressas* latæ.

Colligitur 4° quòd neque principalis, neque quolibet modo aut medio cooperantes incurrant censuram aut pœnas alias, si abortus reipsà non succedat. Ratio est, quia hanc conditionem tanquàm necessariam pro omnibus pœnis à se inflictis exigit Sixtus V, § 2, dicens; *ita ut reipsà abortus indè secutus fuerit.*

Colligitur 5° ordinarium loci ab abortu fœtûs animati et connexâ excommunicatione pro foro conscientiæ absolvere posse, tum per se, tum per quemlibet presbyterum, secularem aut regularem, ad Christi fidelium confessiones audiendas admissum, et *ad hos casus specialiter* deputatum.

160. Colligitur 6° abortum fœtûs animati vi constitutionis Gregorianæ, esse casum ordinario reservatum, nisi delinquens declinaverit censuram ratione ignorantiæ vel defectu pertinaciæ. Constat ex ante dictis, quia solus ordinarius et presbyter inferior ab eodem ordinario specialiter deputatus ab eodem absolvere potest.

Colligitur 7°oppositum dicendum, videlicet, *vi constitutionis Gregorianæ*, abortum fœtûs animati non reservari ordinariis, si delinquens non incurrerit censuram defectu pertinaciæ, etc. Ratio est, quia, ut diximus, quoad abortum fœtûs animati, nihil fecit circa bullam Sixtinam Gregorius, nisi quòd variaverit reservationem peccati et censuræ. Id est, hoc solùm ordinavit, ut abortus prædictus et censura, quæ vi bullæ Sixtinæ reservabantur Pontifici, jam reserventur episcopo, cæteris omnibus in suo robore permanentibus. Atqui per bullam Sixtinam non reservabatur abortus Pontifici, nisi dependenter à censurâ, ut de casibus pontificiis universim promiscuè docent theologi: ergo per bullam Gregorianam non reservatur abortus Ordinario loci, nisi dependenter ab eâdem censurâ.

Quæstio v. — *Quis censeatur presbyter specialiter deputatus?*

161. Status quæstionis est, cùm Gregorius XIV superiùs statuit, ut presbyter seu regularis, seu secularis tum demùm possit absolvere à peccato abortûs fœtûs animati et excommunicatione, quando fuerit per ordinarium loci ad hos casus *specialiter deputatus*: status, inquam, quæstionis est, quid requiratur, ut censeatur *specialiter deputatus*, an sufficiat deputatum esse per clausulam generalem et indefinitam ad absolvendum ab omnibus casibus et censuris ordinario reservatis, an verò insuper requiratur, ut ordinarius faciat *specialem* mentionem abortûs.

Bonacina de censuris, disp. 2, q. 2, puncto 10, num. 16, putat sufficere, quòd aliquis per clausulam generalem sit deputatus ad absolvendum ab omnibus peccatis et censuris episcopo reservatis. In eamdem opinionem inclinantur Machabus, de perfecto Confessario, tom. 1, lib. 2, part. 3, tract. 17, docum. 9, n. 5, et Alphonsus de Leone, de Censuris, recoll. 7, n. 50, apud Dianam, part. 7, tract. 3, resol. 15. Ratio præcipua hujus opinionis est, quia facultas absolvendi ab omnibus casibus episcopo reservatis, si explicetur distributivè, procul dubio casum abortûs complectetur.

162. Oppositum docent Sylvius, 2-2, quæst. 64, art. 7, quæsito 4, concl. 5: Portel, verbo *Abortus*, n. 7; Bertrandus Loth, tract. 17, art. 8. Idem docent Steyaert, de sacramento Pœnitentiæ, § 14, n. 13, et Neesen, tract. 5 de sacram. Pœnit., q. 4, dub. 4, n. 6, quatenùs docent, admissum simpliciter ad absolvendum à casibus episcopalibus, non posse eo ipso absolvere à pontificiis, in potestatem episcoporum devolutis.

Probatur hæc opinio; quia requirit pontifex deputationem *specialem*, non qualemcumque, sed *ad hos casus;* ubi certum est particulam demonstrativam *hos* referri ad solum abortum et ejus censuram. Jam verò confessarius simpliciter deputatus ad absolvendum ab omnibus peccatis episcopo reservatis, non est hoc ipso ad abortum et ejus censuram *specialiter deputatus*. Probatur; quia supponitur tantùm *generaliter* approbatus ad absolvendum ab omnibus; ergo non est *specialiter* approbatus ad absolvendum ab hoc vel illo determinato. Itaque talis sacerdos ad summum dici potest *specialiter* approbatus respectivè ad confessarios cæteros, qui nullam habent potestatem in reservata, vel respectivè ad deputationem generalem, quæ ad peccata communia tantùm extenditur; non verò respectivè ad hunc individuum et determinatum casum.

Confirmatur 1°: Supponamus quòd simplex sacerdos potestatem habeat absolvendi à venialibus, et deinceps approbetur per episcopum ad absolvendum etiam à mortalibus. Non poterit dici *specialiter* approbatus seu deputatus ad absolvendum, v. g., à peccato mortali furti, quia non est *specialiter pro mortali furto*, sed generaliter pro omni mortali non reservato approbatus. Ergo approbatus ad absolvendum ab omnibus peccatis episcopo reservatis, non potest dici specialiter deputatus ad absolvendum ab abortu.

163. Confirmatur 2°: Deputatus generaliter ad absolvendum ab omnibus casibus episcopalibus, non potest dici specialiter deputatus ad absolvendum præcisè, v. g., à Simoniâ.

Confirmatur 3° ex iis quæ supra diximus; qui

potestatem indefinitam habet absolvendi à casibus pontificiis, non potest eo ipso absolvere à casibus bullæ *Cœnæ*, quia facultas generalis in casus papales, non est *specialis* respectu horum casuum seu *ad hos casus*, qui bullâ *Cœnæ* continentur. Ergo. Antecedens cum pluribus antea adductis tanquàm certum docet vel supponit Steyaert sup. dicens, qui potestatem habent absolvendi à casibus papalibus, prout accipiunt passim, quibus datur (sacerdotibus utique) facultas legendi libros prohibitos; non ideò posse absolvere à reservatis in bullâ *Cœnæ*, quia reservatio specialior est quàm papalis ordinaria.

164. Hinc facilis est responsio ad fundamentum principale oppositæ opinionis. Nimirùm manifestum est quòd signum universale *omnis* et *nullus* à suâ latitudine impediri possit per circumstantias: sic enim hæc, v. g., propositio, *omnis* vel *nullus currit*, prolata in circumstantiis, quibus de tribus vel quatuor determinatis sermo præcesserat, certum est, quòd nisi pro totidem non possit intelligi. Deinde etsi facultas generalis absolvendi ab omnibus casibus reservatis episcopo, si distributivè explicetur, comprehenderet abortum, non tamen *specialiter*.

Quæstio vi. — *Quando animetur fœtus?*

165. Sanctus Augustinus, Enchiridii c. 86, *scrupulosissimè*, inquit, *inter doctissimos quæri ac disputari..... quando incipiat homo in utero vivere.* Quod si jam tum temporibus Augustini desuper scrupulosissimè quærebatur, quantò magis id necessarium succedenti ætate, quâ, uti crevit libido, ita frequentior est abortus et pœna gravior, quæ, ut liquet ex supra dictis, ab animâ ejecti fœtûs principaliter pendet!

Inprimis certum est non posse recipi sententiam illorum, seu medicorum seu physicorum, quæ docet, aut semini inesse animam rationalem, aut saltem statim à conceptu infundi: in hâc enim sententiâ informat anima rationalis non solùm fœtum formatum et lineamentis suis absolutum, sed etiam embryonem, quod ante omnia repugnare videtur S. Scripturæ, Exodi 21, vers. 23, ubi (juxta versionem Septuaginta) procurantes abortum fœtûs formati et informis, diversis pœnis castigantur, ille, capitis ut homicida, hic juxta viri arbitrium, mulctâ pecuniariâ. Supponitur igitur homicidium non committi cujuslibet fœtûs abactione. Deinceps eadem sententia repugnat juri canonico, 32, q. 2, c. 8, 9, 10. Similiter sancti Patres discrimen illud formati et informis fœtûs, à septuaginta Interpretibus insinuatum, passim recipiunt, quorum aliquot testimonia etiam in sacros canones redacta sunt, signanter Augustini, ut locis citatis videre licet. Eamdem opinionem tanquàm absurdam rejicit S. Anselmus lib. de Concept. virginal., c. 7, dicens: *Quòd mox ab ipsâ conceptione infans rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus: sequitur enim, ut, quoties susceptum semen humanum, etiam ab ipso momento susceptionis perit, antequàm perveniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo anima humana, quoniam non reconciliatur per Christum; quod est nimis absurdum.*

166. Secundò certum est, pariter admitti non posse opinionem aliam, priori diametraliter oppositam, quæ fœtui sive formato, sive informi, quamdiù gestatur utero, animam rationalem denegat. Quam opinionem omninò rejecit Ecclesia, damnans per Innocentium XI, hanc, inter 65, propositionem 35: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere animâ rationali, et tum primùm incipere eamdem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Imò verò (ut loquitur Steyaert in eamdem propositionem) apud omnes stultum habetur, et jam pridem Augustini tempore habebatur, dicere hominem demùm animari cùm paritur; quod vel matre ante tempus dissectâ refutatur.

167. Quare eligenda est sententia inter utramque media, quæ docet animam rationalem et creando infundi et infundendo creari; non dùm concipitur aut paritur fœtus, sed dùm formatus est; id quod ex sacrâ Scripturâ, canonibus et sanctis Patribus supra sufficienter constat. Graviter pro suo more Tertullianus, l. de Animâ, c. 37: *Ex eo fœtus*, inquit, *in utero homo, à quo forma completa est: nam et Moysi lex tunc abortûs reum talionibus judicat, cùm jam hominis est causa, cùm jam illi vitæ et mortis status deputatur.* Et quanquàm S. Augustinus, Enchiridii c. 86, dicat se ignorare, *utrùm ab homine inveniri possit..... quando incipiat homo in utero vivere*, longè tamen existimat probabilius (quod et verissimum esse diximus) animam rationalem nec cum semine parentis traduci in prolem, nec differri usque ad partum; sed formato et constructo corpori, tanquàm domicilio extrinsecùs per solum Deum creatorem infundi, et tunc demùm hominem fieri, atque indè fœtuum homicidia inchoari.

168. Sed difficultas potissima est, ut determinetur, quoto post conceptionem die formatio fœtûs absolvatur: hùc enim jam inclinatur pondus totius quæstionis, in quâ nihil magis videtur certum, quàm rem non satis certam esse: quod inprimis ipse Augustinus aliquoties citatus innuit, quasi desperans de inveniendâ per hominem præsentis quæstionis veritate, quam forsitan idcircò occultam voluit natura vel ejus auctor, ut, quantò magis nescitur dies quo animatur fœtus, tantò magis abhorreant homines à procurando quovis tempore abortu.

Ejusdem rei difficultatem satis demonstrat vel sola discordia doctorum desuper disputantium. Lævinus Lemnius, c. 11, docet, maris formationem absolvi aliquando die 30, aliquando 35, aliquando 40, aliquando 45; feminæ verò nunc 35, nunc 40, nunc 45, nunc 50. Nonnulli volunt animari feminam, ut longissimùm, die 40, vel 42, masculum 30; Mazuchellus, tract. de Cas. res., disp. 2, c. 3, diffic. 1; Herincx, 3p., tract. 2, disp. 6, q. 3, n. 28, et multi alii. Ejusdem systematis est Hippocrates, lib. de Na-

turâ fœtûs, n. 10, apud Lessium, l. 2, c. 9, dub. 10, n. 65.

169. Verùm communissima theologorum sententia inter fœtûs masculi et feminini animationem statuit differentiam dupli temporis, et masculum quidem docet animari die 40, femellam verò 80, conceptionis. Quam tamèn opinionem nemo tam fatuus est, ut intelligat instar regulæ perpetuæ, nullo unquàm casu aberrantis, aut adeò mathematicè, quasi momentum, hora vel dies deesse aut superesse non possit. Intelligitur itaque moraliter, per se loquendo, ut plurimum. Hanc doctrinam sic intellectam tradit Glossa, c. *Cùm exixa*, dist. 1, quam sequuntur Navarrus Man., c. 15, n. 14; Sylvius, 2-2, quæst. 64, art. 7, quæsito 4, addens communiùs ita teneri. Barbosa, allegat. 51, n. 137. Naldus, Summâ, verb. *Abortus*, n. 2, dicens, ita tradere omnes. Marchant, Tribun. sacram., tom. 2, tract. 6, tit. 1, q. 3, vocans magis communem sententiam. Sporer, Theologiæ Sacram. p. 4, c. 4, num, 698, vocans persuasionem communem. Bertrandus Loth, tract. 27, art. 5, vocans communem sententiam theologorum et philosophorum, pro quâ reverà adducere possum legionem integram ex omni tribu et linguâ et populo et natione.

170. Probari solet communis sententia ex Levitici 12, vers. 5, ubi dicitur, mulierem, cùm pepererit masculum, 7 diebus immundam fore, et 33 mansuram in sanguine purificationis, qui simul juncti faciunt 40. Si verò pepererit feminam, immundam fore diebus quatuordecim, et mansuram in sanguine purificationis diebus 66, qui simul faciunt 80. Porrò rationem, cur pro partu feminæ statuatur spatium duplo majus, quàm pro partu masculi, plurimi doctores indè repetunt, quòd spatium duplo minus formando et effigiando embryoni masculo, quàm femineo sit necessarium. Ita Isych et Cyrillus, l. 15, de Adorat. apud à Lapide in Levitici c. 12, vers. 5; Maldonatus in Lucæ 2, vers. 22, citans pro eâdem opinione medicos et philosophos; Abulensis in c. 12 Levitici, quæst. 22; Glossa superiùs citata; Covarruvias, vocans communem doctorum, in Clement. *Si furiosis*, p. 2, §3, n. 1; Dicastillo de Justitiâ et Jure, l. 2, tract. 1, disp. 10, dub. 13, n. 161.

171. Porrò quidquid sit de istâ probatione, retinenda est pro praxi theologis hæc sententia, eò præcipuè, quòd sit communis doctorum præstantissimorum, quorum auctoritas in re morali theologicâ magnum pondus habet. Nec metuendum, ne forsitan hâc ratione committatur error, medicis, theologis et nonnullis philosophis contrarium opinantibus; quia satis est, opinionem nostram (ut toties diximus) adeò vulgatam et communem esse; quòd cùm non possint ignorare superiores censurantes aut reservantes, eidem opinioni sine ullo dubio se accommodant, quamdiù contrarium non exprimunt. Imò hanc opinionem tanquàm magis communem sequitur sacra pœnitentiaria, ut testantur Navarrus in sacrâ pœnitentiariâ dudùm versatus, consiliorum l. 5, de Homicidio, consilio 46, num. 2, et plures alii

§ 2. *Tenor præsentis casûs, quo exprimitur in novem diœcesibus nominatis.*

172. In diœcesi Antuerpiensi dicitur: *Advertendum... quòd nullus confessarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit aut valeat à labaismo, et peccato carnali complicis; ab hæresi verò publicâ, uti et à* PROCURATIONE ABORTUS POST QUADRAGESIMUM DIEM CONCEPTIONIS, *singulis vicibus specialis hæc facultas petenda est.* Instructiones pro confessariis, num. 14.

In Buscoducensi, Cameracensi, Namurcensi et Ruræmundensi nihil expressè et nominatim statuitur de abortu.

In Coloniensi pariter nihil expressè, sive spectes synodum anni 1662, sive agendam anni 1720. Sed stylus hodiernus confessariis pro triennio tantùm approbatis reservat peccatum *abortûs*. Litteræ approbatoriæ seu admissoriales.

In Gandavensi sic legitur: *Sciant denique confessarii, quòd etiamsi aliàs habeant facultatem absolvendi à casibus nobis reservatis, adhuc tamen specialem habere debeant quoad abortum.* Instructiones pro confessariis.

In Leodiensi inter casus ordinariò reservatos numero septimo simpliciter recensetur *procuratio abortûs*. Instructio summaria pro confessariis, n. 17.

In Mechliniensi dicitur: *Advertendum... quòd nullus confessarius extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis... absolvere possit ab hæresi, neque à procuratione abortûs fœtûs animati; pro quibus delictis specialis facultas requiritur.* Instructiones pro confessariis, n. 12.

§ 3. *Reflexiones in tenoris diversitatem.*

173. — 1. In diœcesibus Antuerpiensi et Mechliniensi ad reservationem etiam *specialem* sufficit abortum *procurari*. Patet, quia in utràque dicitur, facultatem *specialem* necessariam esse ad absolvendum *à procuratione abortûs*. Porrò considerabilis distantia est inter *facere et procurare*. Ad primum requiritur actio personalis et propria, ad ultimum sufficit aliena. Vide quæ diximus proleg. 6, n. 96.

De cætero differunt diœceses Antuerpiensis et Mechliniensis in duobus potissimùm punctis. Primum est, quòd in Antuerpiensi sufficiat ad reservationem *specialem*, diem à conceptione quadragesimum elapsum esse, nullâ de cætero in ejecto fœtu requisitâ conditione. At in Mechliniensi reservatur quidem *specialiter* procuratio abortûs; sed tantùm *fœtûs animati*.

174. Alterum est, quòd in Antuerpiensi (secûs ac in Mechliniensi et cæteris diœcesibus) statuatur, facultatem specialem *singulis vicibus*, id est, ad actus singulos petendam et obtinendam esse: dicitur enim illic, quòd ad absolvendum *à procuratione abortûs post quadragesimum diem conceptionis, singulis vicibus specialis hæc facultas petenda est.* In Mechliniensi et cæteris, simpliciter *specialis facultas requiritur*. Porrò aliud est, requiri facultatem specialem, aliud facultatem specia-

lem singulis vicibus obtinendam esse : potest enim facultas specialis extendi ad plures actus aut vices ; quo casu non erit singulis vicibus innovanda : ut si episcopus aliquem primò admissum ad absolvendum à reservatis, demceps specificè approbet quoad abortum, v. g., pro decem vicibus ; habebit sic admissus facultatem speciam, quæ tamen singulis vicibus non erit repetenda.

175. — 2. In Buscoducensi, Cameracensi, Namurcensi et Ruræmundensi, quanquàm nihil expressè dicatur de abortu, observandum tamen, in singulis reservari *homicidium voluntarium*; item in Buscoducensi et Namurcensi *delicta omnia, quæ majorem excommunicationem annexam habent.* De cætero spectanda bulla Gregoriana superiùs adducta, quâ, sicut diximus, ordinatur, ut ab abortu animati fœtûs et connexa censura, extra mortis articulum absolvi nequeat tam cooperans, quàm principalis, nisi vel per episcopum, vel ab eodem *specialiter* deputatum.

3. In Coloniensi juxta stylum hodiernum curiæ in approbatoriis reservatur quidem simpliciter *abortus;* sed non requiritur in iisdem litteris ad absolvendum ab *abortu* facultas *specialis,* distincta ab indefinitâ potestate in casus episcopales. Nihilominùs, quod attinet abortum fœtûs animati spectanda rursùs constitutio Gregoriana.

176. — 4. In Gandavensi requiritur facultas *specialis* ad absolvendum ab *abortu*, nullâ prorsùs adjectâ restrictione, sive quoad vitam sive quoad ætatem fœtûs.

5. In Leodiensi sine ullâ pariter restrictione reservatur *procuratio abortûs;* sed ab episcopo non exigitur facultas *specialis* ad absolvendum. Consideranda tamen iterùm constitutio sæpiùs nominata Gregorii XIV. Consideranda etiam pro eâdem diœcesi periodus finalis numeri 17 Instructionis summariæ pro confessariis, ubi statuitur : *Nemini quantùmvis potestatem habenti absolvendi à casibus... reservatis, veniam esse concessam, ut absolvere possit ab... homicidio voluntario.*

§ 4. *Corollaria.*

177. — 1. In diœcesi Antuerpiensi casum *specialiter* reservatum incurrunt, non solùm *facientes* abortum post quadragesimum diem à conceptione ; sed etiam *cooperantes* mandato, consensu, consilio, secuto effectu. Quare si juvenis, v. g., puellæ à se imprægnatæ consulat, aut mater præcipiat ad declinandam infamiam, abortum fœtûs ante 40 dies concepti, peccatum specialiter reservatum incurrunt puella, juvenis, mater; intellige, si sequatur effectus vi consilii vel mandati : si enim supponamus abortum vel ipso effectu non succedere, vel saltem sine influxu mandantis aut consulentis (puta, quia seriò, tempestivè et efficaciter revocavit, vel puella ad facinus omninò determinata, nullatenùs mota est consilio vel mandato) non tenebitur casu reservato mandans, consulens, consentiens. Ratio corollarii tum hìc, tum alibi assignata fuit, videlicet, quòd procurare aliquid censeatur, qui id ipsum exequitur sive per se sive per alterum.

178. — 2. In eâdem diœcesi perinde est, sive fœtus sit animatus, sive inanimis, masculus vel femineus. Ratio, quia nulla conditio exigitur in ipso fœtu præter completam ætatem quadraginta dierum. Quapropter, si die 41 ejiciatur femella, incurret casum *specialiter* reservatum tam principalis quàm cooperans, tametsi puellam, per se loquendo, eâ ætate non animari doceat communissima theologorum opinio, ut supra diximus.

3. In eâdem diœcesi, si fœtus sit certò femineus aut inanimatus, non sufficit diem à conceptione quadragesimum inchoatum esse in puncto abortûs. Ratio est, quia talis abortus nec reservatur constitutione Gregorii XIV, ut patet ex supradictis, nec decreto episcopali vel synodali, quod illum solummodò abortum afficit, qui fuerit commissus *post* quadragesimum diem conceptionis. Non censetur autem *post* diem quadragesimum fieri, quod ipso die quadragesimo perpetratur. Atque ita, cùm Ecclesia indulget, ut fideles resumant carnium comestionem *post* quadragesimam, nemo sanæ mentis id intelligere potest de sabbato sancto inchoato.

179. — 4. Ibidem, si fœtus certò fuerit inanimatus, ac omnibus seriò et maturè consideratis dubitetur, num dies quadragesimus esset, cùm abigeretur, non erit casus : quia cùm dubitetur, esseine, an non quadragesimus dies, quando fœtus abactus est, non potest, stante illo dubio, verè affirmari, quòd id ipsum contigerit *post* diem quadragesimum.

5. Ibidem, si dubitetur non solùm de ætate quadraginta dierum, sed etiam de vitâ fœtûs, non videtur iterùm futurus casus : quia talis abortus nec reservatur statuto synodali, ut statim probavimus, nec constitutione Gregorianâ, quæ solummodò reservat episcopis abortum *animati* fœtûs : jam verò animatum fuisse illum fœtum, de cujus animatione seu vitâ est dubium, verè affirmari posse non videtur.

180. — 6. Ibidem, si supponatur fœtum abortivum ante quadragesimum diem fuisse animatum, incurritur ex triplici capite peccatum reservatum : nec poterit absolvi sive cooperans, sive principalis, sine auctoritate speciali, nisi delinquens defectu pertinaciæ vel ratione ignorantiæ non incurrisset censuram Sixtino-Gregorianam.

Dicitur primò, quòd incurratur in proposito ex triplici capite peccatum reservatum ; quia inprimis Synodus Antuerpiensis reservat septimo loco, *homicidium directè voluntarium*, sub quo sine ullo dubio continetur destinata et per se intenta abactio fœtûs animati, quolibet conceptionis die committatur, saltem, si, ut solet, sequatur effectus mortis. Deinde inter casus episcopo Antuerpiensi reservatos recensentur *omnia delicta, quæ majorem excommunicationem annexam habent,* inter quæ certum est contineri abortum fœtûs animati, quovis conceptionis die perpetratum. Denique idem abortus de jure reservatur episcopis ex constitutione Gregorii XIV, supra.

181. Dicitur secundò, non posse absolvi sive cooperantem sive principalem sine auctoritate speciali

Colligitur ex eâdem bullâ : nam, ut ante ostendimus, ordinaverat Sixtus V, ut qui in posterum abortum procuraverit vel tanquàm principalis, vel tanquàm socius, incurrat inter cætera censuram excomunicationis Pontifici reservatæ. Gregorius XIV relinquit censuram Sixtinam (si fœtus sit animatus) respectu omnium personarum, in quas eamdem tulerat Sixtus V. Hoc solum statuit, ut à peccato et connexâ censurâ, alioquin Sedi Apostolicæ reservatis, in posterum absolvere possit Ordinarius loci, et per eumdem ad hos casus *specialiter* deputatus. Atque adeò, ut absolvantur tam cooperans, quàm principalis, etsi fœtus ætatem diei quadragesimæ non attigerit, dummodò supponatur animatus esse, requiritur in confessario inferiori deputatio *specialis*.

Dicitur tertiò; nisi delinquens defectu pertinaciæ vel ratione ignorantiæ non incurrisset censuram Sixtino-Gregorianam. Ratio est, quia deputatio vel facultas *specialis* pro abortu animati fœtûs, ante quadragesimum diem conceptionis commisso, non exigitur propriâ et ordinariâ episcopi Antuerpiensis voluntate et auctoritate, sed pontificiâ et extraordinariâ : Pontifex autem licentiam ordinarii *specialem* in delegatis, duntaxat exigit ad absolvendum ab abortu et censurâ copulatim, ut supra diximus. Ergo qui censuram defectu pertinaciæ seu ratione ignorantiæ non incurrisset procurando abortum fœtûs animati ante 40 diem, pariter non incurrisset casum episcopo specialiter reservatum.

182. — 7. Cùm in diœcesi Antuerpiensi (secùs ac in cæteris) ad absolvendum ab abortu, etc., (idem est de hæresi publicâ) *singulis vicibus*, id est, ad actus singulos *specialis* facultas petenda et obtinenda sit; videtur in cæteris quidem diœcesibus sufficere, quòd aliquis admissus ad excipiendum Christi fidelium confessiones, petat et accipiat insuper licentiam *specialem*, non limitatam, ad absolvendum simpliciter ab abortu. At in diœcesi Antuerpiensi, qui similem potestatem nactus est, ubi semel absolvit, non potest eâdem iteratò uti, si non innovetur. Unde episcopus Antuerpiensis concedens alicui facultatem specialem in abortum aut hæresim publicam, intelligendus est conformiter ad confessariorum instructiones pro unâ duntaxat vice, nisi contrarium voce, scripto vel circumstantiis exprimat. Hæc tamen intelligenda sunt de solo abortu post quadragesimum diem conceptionis : quod enim attinet abortum fœtûs animati ante diem 40, non videtur ex mente Gregorii XIV, facultas specialis *singulis vicibus* innovanda.

183. — 8. In Buscoducensi, Cameracensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi non reservatur abortus fœtûs inanimati, quolibet conceptionis die committatur. Secùs est de Coloniensi, si spectes stylum modernum curiæ, quo tamen facultas *specialis* non requiritur, sed sufficit indefinita in casus reservatos.

9. In Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Namurcensi, Ruræmundensi requiritur deputatio *specialis* ad absolvendum ab abortu fœtûs animati tum principalem, tum cooperantes, nisi ob ignorantiam vel aliàs excusentur à censurâ. Ex constitutione Gregorii XIV. In Mechliniensi non habet locum adjuncta exceptio. Unde etiamsi seu principalis, seu cooperantes censuram non incurrerint, committunt tamen peccatum specialiter reservatum in Mechliniensi.

10. In Gandavensi casum *speciatim* reservatum incurrunt *facientes* abortum fœtûs, sive animati sive inanimati quovis die conceptionis, sive contraxerint censuram, sive non. Secùs loquimur de cooperante per auxilium, consilium, mandatum vel consensum, qui nullum incurrit casum, si fœtus fuerit inanimatus; nec, nisi censuram contraxerit, si animatus fuerit.

184. — 11. In Leodiensi tenentur casu reservato executor et cooperantes, sive fœtus sit animatus, sive inanimis, sive ejectus supervivat, sive moriatur. Facultas tamen *specialis* ad sensum toties significatum non exigitur ad absolvendum sive principalem, sive cooperantem, quando fœtus nondùm est animatus, quia neque requiritur ab episcopo, nec à Pontifice. Item eâdem facultate non indigebit cooperans, etsi fœtus sit animatus, si delinquens censuram excommunicationis non incurrerit. Ex constitutione Gregorii XIV. Aliter loquendum de agente principali, secuto per abortum effectu mortis, pro quo reflecte summariæ Instructionis pro confessariis numerum 17, circa finem, ubi, ut supra tetigimus, *specialiter* reservatur homicidium voluntarium.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

185. Objicies 1° contra corollarium quintum : procurans abortum est irregularis, si post diligens examen dubium perseveret an fœtus fuerit animatus. Ergo pariter incurrit casum reservatum. Antecedens docent Barbosa, de Offic. et Potest. episc., part. 3, alleg. 51, n. 141; Sanchez l. 1 Mor. c. 10, n. 43; Navarrus, Manual. c. 27, n. 223, et l. 5 Conciliorum, tit. de Homicidio, consilio 49, n. 2; Toletus l. 1, c. 85, n. 21; Sayrus l. 6, c. 15, n. 2, et plures alii. Ratio est quia, quando est dubium de animatione fœtûs, procurans abortum est dubius homicida, qui irregularitatem incurrit, juxta *Ad audientiam*, et c. *Sigmficâsti*, 2, de Homicidio. Imò, si dubitetur an fœtus ejectus sit masculus an femella, præsumitur masculus, atque adeò animatus post diem quadragesimum, in ordine ad irregularitatem. Navarrus cit.; Barbosa, n. 138; Covarruvias, Clem. *Si furiosus*, p. 1, n. 3.

Respondeo primò, ab irregularitate ad reservationem non semper fieri legitimum argumentum; quæ enim jure canonico de irregularitate ordinata sunt, non possunt eo ipso extendi ad reservationem : sic enim incurritur irregularitas (jure sic disponente) non solùm per homicidium voluntarium, sed etiam per mutilationem, ut certum est apud doctores ex Clem. *Si furiosus*, de Homicidio. Hinc tamen legitimè non deducitur reservari episcopis non solùm homicidium voluntarium, sed etiam mutilationem ab homicidio separatam.

186. Respondeo secundò, veriorem videri senten

tiam, quæ negat antecedens. Ratio est quia canones superiùs adducti, quibus statuitur homicidam dubium censendum esse irregularem, loquuntur in casu quo constat homicidium commissum vel saltem mortem subsecutam esse, et dubitatur de solo influxu. Quare canones supponunt subjectum mortis capax, supponunt hominem mortuum esse, et procedunt in dubio de causalitate, v. g., an ex hujus vel illius ictu percussus interierit, ut habet casus c. *Significâsti*, vel *utrùm occasione vulneris*, an ex naturali infirmitate vulneratus decessisset, ut supponit casus c. *Ad audientiam*. At in nostro casu dubitatur non solùm de influxu seu causalitate in ipsam mortem, sed etiam de morte ipsâ. Non supponitur, inquam, subjectum mortis capax; non supponitur hominem occisum vel mortuum esse, sed de hoc ipso dubitatur: est enim dubium de vitâ vel animatione fœtûs; ergo etiam de ipsius morte, quia mori non potest, qui nunquàm vixerit. Aliud foret, si constaret fœtum ejectum fuisse animatum, ac dubitaretur, v. g., an actio vel cooperatio Petri fuerit efficax vel sufficiens ad producendum abortum. Atque ita jam tenet communis sententia recentiorum, quos citant et sequuntur Præpositus, 3 p. D. Thomæ, quæst. 5 de Irregularitate, dub. 8, num. 58; Herincx p. 2, tr. 5, disp. 6, q. 7, n. 122; Franciscus Bardi de Conscientiâ, discept. 6, cap. 7, § 4.

Objicies 2° contra corollarium decimum: Specialis licentia in diœcesi Gandavensi pro absolutione ab abortu, solummodò requiritur, ut est casus pontificius; adeòque, cùm non sit casus pontificius, quando pœnitens censuram non incurrit, manet abortus fœtûs animati casus merè episcopalis, comprehensus sub homicidio.

187. Respondeo: Neg. antecedens; quia specialis licentia simpliciter exigitur ad absolvendum ab *abortu*, qui perfectissimè committitur, sive adsit, sive desit censura, sive fœtus sit animatus, sive inanimis. Cæterùm nullo apice, nullâ circumstantiâ significat episcopus se loqui impropriè, seu speciem accipere pro genere, id est, per *abortum* simpliciter positum intelligere illam speciem, de quâ loquitur Gregorius XIV. Secùs dicendum feret, si se satis explicaret illustrissimus vel ejus synodus, quemadmodùm olim solebat Iprensis, exigens facultatem specialem *pro casu abortûs, à Pontifice episcopis reservato*. Itaque opinionem nostram existimamus magis probabilem, salvo semper meliori judicio.

188. Instabis: Saltem per abortum in litteris patentibus diœcesis Gandensis videtur intelligi abortus fœtûs animati, quia episcopus Gandavensis propriè non reservat abortum; sed aliunde reservatum supponit, quod inde videtur colligi: nam episcopus casus duodecim, quos sibi reservare intendit, speciali charactere exprimit, videlicet *raptum*, *virginum homicidium*, *incendium*, etc. Deinde paragrapho sequenti, mutato charactere, monet specialem facultatem necessariam esse ad absolvendum ab abortu, labaismo et hæresi; ergo tres illos casus episcopus sibi non reservat, sed reservatos supponit, videlicet abortum per Gregorium XIV, hæresim per bullam *Cœnæ*, et labaismum per synodum provincialem; adeòque non potest episcopus intelligere abortum fœtûs inanimati, quia Gregorius XIV hunc non reservat episcopis.

189. Respondeo primò: Nego consequentiam, quæ non videtur subsistere, ut exemplis ostenditur. Non sequitur: Episcopus Antuerpiensis in suis patentibus, n. 13, recenset casus ordinario reservatos; deinceps distincto numero confessarios monet, quòd etsi habeant facultatem in casus episcopales, non possint absolvere ab hæresi publicâ, labaismo et procuratione abortûs post 40 diem conceptionis; non sequitur, inquam: Ergo episcopus Antuerpiensis sibi propriè non reservat hæresim publicam, labaismum, aut procurationem abortûs post 40 diem conceptionis, sed tres illos casus supponit reservatos: inprimis enim quòd episcopus Antuerpiensis sibi propriè, eo non obstante, reservet hæresim publicam, constat, quia, n. 13, inter casus sibi reservatos recenset *hæresim internam signo exteriori expressam*, sub quâ comprehenditur tam publica quàm occulta. Similiter eodem numero 13, primo loco ponitur labaismus, qui proinde propriè reservatur episcopo Antuerpiensi, etsi numero 14 moneatur confessarius ad absolvendum à labaismo necessariam esse facultatem specialem. Certum videtur pariter quòd, non obstante istâ reflexione, idem episcopus propriè sibi reservet procurationem abortûs eo ipso quo fœtus habuerit ætatem quadragesimæ diei; hunc enim non potest supponere tanquàm reservatum per Greg. XIV, qui de solo abortu fœtûs animati loquitur. Item non sequitur: Episc. Leod., summariæ Instructionis pro confessariis num. 17, recenset speciali charactere casus sibi reservatos; deinceps mutato charactere, confessarios admonet neminem, quantùmvis admissum pro reservatis, absolvere posse ab homicidio voluntario; non sequitur, inquam: Ergo episcopus Leodiensis sibi propriè non reservat homicidium voluntarium, sed reservatum supponit. Itaque

190. Respondeo secundò, quòd episcopus Gandavensis distincto paragrapho et charactere enumeret, 1° quidem casus communes, deinceps verò tres illos nominatos, hanc esse rationem, quia tres illos specialiter sibi reservare intendit et eximere à lege communi, quâ reservat cæteros.

Instabis 2°: Pastorale diœcesis Gandensis et Manuale pastorum agens de sacramento Pœnitentiæ, § 7, ait casus in istâ diœcesi reservatos esse duodecim, ibidemque omnes enumerat, absque eo quòd mentionem faciat unius ex tribus casibus relatis; et meritò, quia tunc non deberet dicere esse duodecim, sed quindecim, aut saltem quatuordecim. Deinde Manual pastorum, uti et pastorale diœcesis, dant authenticam interpretationem omnium casuum quos episcopus reservat, et nullam dant circa tres illos casus; nec mirum, quandoquidem interpretationem authenticam solùm dare possit, qui legem tulit, aut illius superior.

Respondeo quòd Pastorale diœcesis Gandensis omninò mentionem faciat hæresis, recensens sexto

loco inter casus episcopo reservatos peccatum *hæresis*. Similiter Pastorale dat authenticam interpretationem *hæresis*, dicens : *Per hæresim intellige veram et internam, externo signo manifestatam*, etc. Quòd autem mentionem non faciat de labaismo, ratio est quia editum est anno 40 elapsi seculi, jussu illustrissimi domini Antonii Triest; decretum verò episcoporum Belgicorum de labaismo, emanavit duntaxat anno 97 ejusdem seculi. Deinceps, quòd Pastorale Gandense nullam faciat expositionem labaismi, ratio esse posset, quòd desuper satis latè et fusè agat decretum Belgicorum episcoporum. Quòd verò idem Pastorale non tractet de abortu, ratio esse potest, tum quia de eodem egit, quatenùs de homicidio, tum quia desuper fusissimè tractat utraque constitutio, Sixtina et Gregoriana.

CAPUT II.

DE ABUSU S. EUCHARISTIÆ.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS. — *Quale peccatum sit abusus S. Eucharistiæ, SS. reliquiarum, aut sacræ Scripturæ?*

191. Respondeo : Inprimis abusus seu profanatio S. Eucharistiæ est sacrilegium reale gravissimum : cùm enim abusus seu profanatio rei sacræ crescat et fiat gravior pro ejusdem rei majori dignitate et sanctitate, non potest dignissimi et adorandi hujus sacramenti abusus non esse gravissimum omninò sacrilegium. *Tantò*, inquit S. Thomas, 2-2, q. 93, art. 3, *sacrilegium est gravius, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.* Deinceps enumerat varios gradus rerum sacrarum, *inter quas*, ait, *summum locum obtinent ipsa sacramenta quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod continet ipsum Christum. Et ideò sacrilegium quod contra hoc sacramentum committitur, gravissimum est inter omnia.*

Secundò, quod attinet sacras sanctorum reliquias, dubitari posset an indigna earum tractatio sit sacrilegium. Ratio autem dubitandi est, quia illarum veneratio non pertinet ad virtutem religionis, sed ad aliam virtutem inferiorem, scilicet duliæ. Ergo irreverentia illis facta duliæ opponitur, non religioni, sicuti irreverentia parentibus facta opponitur virtuti pietatis, non religionis, quia parentes colendi sunt non ex virtute religionis, sed pietatis. Nihilominùs affirmandum est cum S. Thomâ citato, committi sacrilegium profanatione reliquiarum, et quidem omninò grave, quia, ut loquitur S. Thomas, inter res sacras *post sacramenta secundum locum tenent... reliquiæ sanctorum, in quibus quodammodò ipsæ personæ sanctorum venerantur et dehonorantur.*

192. Ad rationem dubitandi respondendum verum esse quòd indigna tractatio reliquiarum, præcisè spectata ut est injuria sanctorum, non sit eatenùs sacrilegium, sed peccatum contra observantiam et reverentiam sanctis debitam ob eminentiam sui statûs, oppositum duliæ; sed habet rationem sacrilegii, quatenùs hoc ipsum redundat in injuriam Dei, cujus sunt ministri et filii cum ipso regnantes ac ipsius gloriæ participes; sicut enim ad Dei honorem pertinet ut ejus filii, quos ipse tantoperè diligit et evexit, ipsius intuitu honorentur, ita in Deum refunditur inhonoratio quæ sanctis aut eorum reliquiis vel imaginibus irrogatur. Lessius, l. 2, c. 45, dub. 3, n. 17; Castropalao de Vitiis oppositis religioni, tract. 17, disp. 2, puncto 3, § 2, n. 6; Suarez, tom. 1 de Relig., tract. 3, l. 3, c. 6 et 7.

193. Tertiò committitur reale sacrilegium per abusum sacræ Scripturæ ad irrisiones, jocos, mendacia et peccata alia, sed maximè ad lasciviam, prout impius Beza abusus est Canticis canticorum sacrilegio horribili et voce blasphemiæ in Spiritum sanctum. Ratio est, quia verba S. Scripturæ inter res sacras numerantur, tum quia sunt quasi quædam Dei reliquiæ, ab ipso dictatæ : tum quia ipsum Deum loquentem quasi quædam imagines aut quædam signa repræsentant : tum quia per ipsa nos Deus sanctificat juxta illud Joannis 13 : *Vos mundi estis propter sermonem.* Ergo verborum illorum profanatio vel abusus seu corruptela habet malitiam sacrilegii; præterquàm quòd alia crimina secum regulariter conjungat. Lessius, Suarez, Castrop. citati, Bonacina, disp. 3, de primo Decalogi præcepto, q. 6, puncto unico, num. 5. Vide etiam S. Thomam, cit. art. 2, ad 1, ubi docet quòd hæretici *ex hoc, quòd divinæ legis verba pervertunt, sacrilegium incurrunt.* Et verò omnes hæretici hâc ratione sunt sacrilegi, injuriam facientes verbo Dei, quatenùs eodem abutuntur ad confirmandum perniciosa mendacia, atque adeò Deum ipsum mendacii auctorem faciunt, tacitè hoc ipso blasphemantes.

194. Porrò ad mensurandam sacrilegii gravitatem licèt multùm faciat, ut supra diximus, rei sanctitas; hæc tamen sola non sufficit. Spectanda insuper conditio operis, quo violatur, videlicet quo pacto, id est, an graviter an secùs eidem repugnet. Quare inprimis majus peccatum est confringere sanctorum imagines, quàm indevotè accedere ad S. Eucharistiam. Item gravius est abuti S. Scripturâ ad libidinem, quàm ad jocos vel facetias. Tandem omnium est gravissimum, Eucharistiâ, sacris reliquiis vel Scripturâ uti ad exercitium artium magicarum, quatenùs res sacro-sanctæ subordinantur operibus tenebrarum, et dignissimum corporis ac sanguinis Domini sacramentum famulatur principi dæmoniorum. De quâ re gravissimam apostrophen ex Horatio Gambarupta referunt Barbosa, n. 135, et Trullench in Decalogum, l. 1, c. 10, dub. 3, n. 4, circa finem.

§ 2. *Tenor casûs.*

195. In diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi nihil de hoc casu exprimitur.

In Coloniensi, spectatâ Agendâ anno 1720, impressâ, fol. 58, n. 51, reservatur *sacrilegium.*

In Leodiensi dicitur : *Abusus sacro-sanctæ Eucharistiæ aut sanctarum reliquiarum vel etiam S. Scripturæ ad exercitium artium magicarum.*

Eumdem casum variatis nonnihil terminis reservatum invenio in diœcesi Trevirensi, ubi inter cætera reservata exprimitur : *Abusus hostiæ, sacri chrismatis, olei sacri vel cujusvis rei sacratæ ad sortilegium, divinationem, incantationem, aliosve magicos usus.* Item in Hildesiensi reservatur *Abusus sacramentorum ad vana et superstitiosa.* Vide Lacroix, l. 6, part. 2, num. 1638 et 1642. Similiter in diœcesi Constantiensi (apud Gobat tract. 7, num. 396) reservatur *abusus sacramentorum et sacrarum rerum ad magicas artes, veneficia et superstitiones.*

§ 3. *Reflexiones.*

196.—1. Quanquàm præsens casus in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi et cæteris initio enumeratis non reservetur quatenùs est sacrilegium, reservatus tamen esse potest, in quantum connotat vel involvit magiam vel superstitionem.

2. Per *sacrilegium* (inquit Lacroix cit., n. 1646) secundùm Gobat, tract. 7, n. 364, intelligitur violatio loci sacri, effuso sanguine aut semine, vel furto patrato. Aliqui etiam putant intelligi violationem personæ sacræ, sed communiùs negant alii. Ita Lacroix. Gobat verò ab eodem citatus inquit : solent episcopi communiter reservare septem vel octo crimina, scilicet homicidium voluntarium, crimen incendiarii, *sacrilegium*, quando scilicet locus sacer sanguine, semine, aut furto violatur. Ita Gobat. Quòd si verum foret per sacrilegium reservatum universim non intelligi, nisi quo locus sacer violatur, nullam haberet partem in præsenti casu diœcesis Coloniensis; sed non satis intelligo, sacrilegium simpliciter positum, præcisis etiam realibus circumstantiis, pro solo locali accipiendum esse.

3. Peccatum hoc reservatum, prout exprimitur in diœcesi Leodiensi, componitur ex sacrilegio et superstitione. Utrumque ex suo genere mortale est. Utrumque contra virtutem religionis, unum per excessum, alterum per defectum.

197. — 4. Cùm nulla determinetur artium magicarum species, indifferens videtur esse, sive sacra Eucharistia, Scriptura aut reliquiæ applicentur ad exercitium maleficii venefici, id est, quod ordinatur ad inferendum alteri nocumentum, sive amatorii, videlicet quod tendit ad provocandum alterius carnalem amorem. Magia, inquit Manigart parte 1, cap. 10, fol. 340, hìc accipitur pro arte et facultate faciendi opera mirabilia, quæ nimirùm communem hominum opinionem et potestatem excedunt, per auxilium dæmonis.

5. Hic casus (ut observat Jacobus Marchant, Quæstionum pastoralium tract. 5, cap. 6, n. 21) satis frequens est apud magos et sagas, quibus dæmon illudit et persuadet, sacratissimarum illarum rerum abusum efficacem esse ad hos effectus, cùm interim certum sit inter illam causam et hos effectus nullam esse proportionem.

198. — 6. Sed dubitari potest an ad hujus delicti consummationem requiratur conjungi sacrilegium magiæ realiter seu in effectu, an verò sufficiat committi realiter sacrilegium ex motivo aut fine superstitionis futuræ. Ratio dubitandi est ex unà parte, quòd non dicatur reservari abusum *in* exercitio, sed *ad* exercitium artium magicarum, quo significari videtur, sufficere magiam in agentis intentione; non requiri in ipso opere seu effectu ; quia præpositio *ad* in tali discursu potiùs denotare videtur operantis finem quàm effectum operis. Exemplum in raptu, impedimento matrimonium dirimente, si committatur *ad* ineundum matrimonium. Item in furto, eà lege, v. g., reservato, si fieret *ad* fornicandum. Neutro exemplo præpositio significat rei usum vel effectum, sed solùm finem vel motivum operantis.

199. Ex alterà verò parte præpositio eadem sæpissimè sumitur pro effectu vel usu ipso, aut saltem eumdem denotat, ut cùm, v. g., dicimus, abuti quempiam ingenio *ad* ineptias, manibus *ad* furtum, ore *ad* blasphemiam, oculis *ad* vanitatem, etc. Nihilominùs in exemplis ultimò allegatis videtur verus et realis abusus ab effectu inseparabilis esse : non enim abutitur ore, v. g., ad blasphemiam aut manibus ad furtum, qui soam habet furandi aut blasphemandi intentionem, quidquid interea ore vel manibus fecerit. Atverò Eucharistiâ et sanctorum reliquiis verè et realiter abutitur, qui, v. g., in pulverem redigit, apud se gestat, etc., etsi solâ intentione jungatur exercitium artium magicarum. Ex quibus colligitur, quòd non sit improbabilis opinio, affirmans superstitionem in solâ intentione sufficere, quam, etsi terminis non exprimant, exemplis tamen, quæ adducunt, indicant Gobat sup., num. 421, Marchant cit., cas. 21 ; Notau de Sacram. Pœnit., p. 2, d. 3, q. 1, a. 3, casu 21.

§ 4. *Corollaria.*

200. — 1. Casum Leodii reservatum incurrit, qui ad alterius instantiam, missam celebrat ad reperiendum furem rerum suarum. Casus est apud Gobad, cit. n. 421.

2. Qui sacram hostiam gestat aut confert, ut induretur et resistat armis. Gobat.

3. Qui frangit vel comminuit sub nefario verborum murmure Eucharistiam ad finem maleficii vel philtri amatorii. Apud Marchant cit.

4. Qui hostiam consecratam minutim proscindunt, ac pro parte sumunt, pro parte tribuunt personæ maleficiandæ. Apud Chapeauville, part. post., c. 21, q. 2, Notau cit., n. 41, Manigart, part. 1, c. 10, fol. 341. Vide Glossam c. *Accusatus*, § *Sanè*, de Hæreticis in 6.

5. Incurrissent, qui nuper in civitate Valencensi partem hostiæ consecratæ indebant pelli incisæ manûs pro felici chartarum successu. Apud Notau cit.

201. — 6. Qui sumptâ lugubri veste celebraret missam de *Requiem* pro viventibus, apud Chapeauville, Notau, Marchant. Vide c. *Quicumque sacerdotum*, 26, q. 5, ubi deplorat Pontifex, quosdam eò impietatis et desolationis pervenisse, ut *missam pro requie defunctorum promulgatam, pro vivis* audeant *celebrare homini-*

bus, non ob aliud, nisi ut is, pro quo ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis incurrat periculum. Statuit autem Pontifex, *ut, si quis deinceps talia perpetrâsse fuerit detectus, à proprii deponatur ordinis gradu, et tam ipse sacerdos, quàm etiam ille, qui eum ad talia peragenda incitâsse pervenditur, exilii perpetui ergastulo relegentur.*

7. Qui missam celebraret, ut fures rerum suarum vel moriantur vel agantur in rabiem, donec restituant. Apud Manigart cit., qui et addit, hoc hodiè ab iniquis hominibus non infrequenter postulari.

202. — 8. Sacerdos celebrans super rebus profanis, quæ vulgò putantur aptæ ad sortilegia, ut sunt hostia non consecrata, circumscripta certis notis et litteris sanguineis, ducto sanguine ex annulari digito; item cuticula, quâ infantis nascentis caput est involutum; item panis incoctus sive massa cruda, vel coactus in placentam, aut lapis vulgò dictus *Calamita*, et similia, si ordinentur ad *exercitium artium magicarum.* Apud Delrio, Disquis. magic., l. 5, sect. 16.

9. Qui quadrifolium supponit missali celebrantis sacerdotis pro fortunâ prosperâ.

10. Incurrissent magi Mantenses, qui Parisiis mense novembri 1586, fassi sunt, quòd curaverint libros suos magicos benedici per sacerdotem, qui indutus stolâ, cum aspersorio ex herbâ hypericontis eosdem libros aquâ benedictâ aspergebat proferendo formam baptismatis : *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc. Apud Delrium citatum, sect. 15.

11. Qui canibus sacrilego Scripturæ abusu maxillas constringunt, et latratu interdicunt.

12. Qui schedulam verbis sacris conscriptam deferunt, ut adversùs arma reddantur impenetrabiles, aut ad eumdem effectum, occurrente casu, certam proferunt sacræ Scripturæ sententiam.

203. — 13. Qui hominem ope dæmonis sic induratum et impenetrabilem emolliunt et penetrabilem faciunt reciproco sacrilegio et abusu verborum sacratissimorum.

14. Qui per superstitionem utuntur verbis S. Scripturæ ad reddendam vel auferendam homini vel pecori sanitatem.

15. Qui similium verborum mussitatione hominem sistunt aut armorum impetum vel ictum impediunt.

16. Non tamen committerent peccatum reservatum, qui interno livore permoti, in perniciem suorum inimicorum, altaria sacris vestibus exuerent, aut veste lugubri accingerent vel consueta luminariorum obsequia Ecclesiis Dei subtraherent, de quibus agitur eodem cap. *Quicumque Sacerdotum*, 26, q. 5.

17. Neque qui sanctorum reliquias vel imagines cum acatholicis ludibrio habent, contemnunt aut injuriis afficiunt.

18. Neque qui superstitionibus suis admiscent aquam, candelas aut agnos Dei benedictos vel consecratos, ramos Palmarum aut olivarum, oleum sacrum Confirmationis aut Extremæ unctionis. Manigart cit. Ratio est quia de similibus non loquitur Instructio confessariorum.

204. — 19. Multò minùs incurrisset obstetrix, quæ Chrismate baptismali ungebat puerperam, ut partum redderet faciliorem. Apud Gobat, tr. 2. casu 5, n. 190.

20. Idem Gobat, n. 189, et Jacobus Marchant Resol. past. de Sacram. tract. 2, c. 4, n. 3, liberant à superstitione, atque adeò à præsenti casu reservato obstetricem, quæ examinata à suo parocho fatebatur, se solitam invocare Christi ac beatæ Virginis opem, et pio affectu recitare sacrum illum Evangelii versum : *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, addens se didicisse experientiâ, sacri illius versiculi pronuntiationem valere ad facilitandum partum et ab omni maleficio eximendum. Cùm autem, inquit Marchant, nullam vanam circumstantiam huic orationi ab eâ annexam potuerim deprehendere, non judicavi id reprobandum, quia absque dubio pius affectus ad incarnationem et nativitatem Filii Dei, et ad Virginem parientem, plurimùm prodesse potest, sive contra maleficium, sive ad faciliorem partum impetrandum. Monet tamen non immeritò idem auctor, quòd, quia cautus est dæmon, faciens aliquando de pietate superstitionem, ideò debeant suspecta etiam nobis esse, quæ pia apparent, donec examine serio tanquàm Lydio lapide probentur, et aurum verum ab adulterino discernatur. Ita March.]

205. — 21. Similiter peccatum reservatum non incurrunt, qui sacras reliquias, agnos Dei, Evangelium S. Joannis aut alia S. Scripturæ verba, vel è collo appensa vel vestimentis insuta deferunt adversùs maleficia et sortilegia aut infortunia et mala corporis et animæ, si omnis superstitio desit. Manigart citatus, addens superstitionem, si quæ subsistit, facilè deprehendi posse, 1° si admisceantur quædam falsa, apocrypha vel incerta. 2° Si addantur quædam inutiles circumstantiæ, nihil videlicet ad rem pertinentes. 3° Si ex verbis sacris promittatur effectus vanus, aut simul adhibeantur voces nihil significantes, vel saltem nihil ad propositum, vel addantur certæ figuræ, circuli, aut ignota nomina angelorum, etc.

22. Non incurrit casum, qui sacrâ Scripturâ abutitur ad fabulas, vaniloquium, adulationes, detractiones, libellos famosos, turpiloquium, etc., quanquàm, ut supra diximus, abusus sit sacrilegus. Vide concilium Tridentinum, sess. 4, Decreto de Editione et Usu sacrorum librorum, ubi « temeritatem illam reprimere « volens, quâ ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad « scurrilia scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et præcipit, ad tollendam hujusmodi « irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc « et similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis « homines temeratores et violatores verbi Dei, juris « et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur. »

206. — 23. Reflectendum quòd confessarius pœni

tentem similis delicti reum interrogare inter cætera debeat de sequentibus punctis aut omnibus aut eorum aliquot, prout necessarium judicaverit, attentis statu et confessione pœnitentis. 1° An abusum illum commiserit ex aliquâ passione, an ex errore intellectûs, credens pertinaciter S. Eucharistiæ, reliquiis aut Scripturæ inesse efficaciam vel virtutem respectu effectuum magicorum; tum enim delinquens est hæreticus incidens in excommunicationem Pontifici reservatam. Manigart cit., Toletus, lib. 4, c. 14, n. 12, et alii. 2° An iniverit pactum cum dæmone et quâ de causâ, videlicet an ex odio Dei, desperatione, libidine, etc. 3° An Deum, fidem, sanctos, sacramenta adjuraverit vel blasphemaverit, et quâ ratione. 4° Quo pacto S. Eucharistiâ, reliquiis vel Scripturâ sit abusus. 5° An ad effectum maleficii venefici aut amatorii, etc. 6° Si ad effectum maleficii venefici, interrogandus est rursùs quot personis, quoties, quamdiù, in quo bonorum genere damnum intulerit, an in famâ, honore, fortunâ, sanitate, vitâ, usu matrimoniali, etc. 7° Si ad effectum maleficii amatorii, rogandus ulteriùs quot personas, cujus conditionis, quoties in sui amorem pellexerit, an liberas, an conjugatas, an moniales vel Deo sacratas, consanguineas, affines, etc. 8° An paratus sit restituere, quantùm vires permittunt, damna in bonis fortunæ illata? 9° An eamdem artem docuerit alios et quot? 10° An libros magicos domi habeat, quibus utatur? et his similia plura, prout inter interrogandum et respondendum prudens confessarius judicaverit expedire.

CAPUT III.

DE ADULTERIO.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid adulterium et quale peccatum?*

207. Respondeo cum S. Thomâ, 2-2, q. 154, art. 8, O : *Adulterium... est accessus ad alienum torum*, seu concubitus illicitus quo torus violatur alienus; unde adulterium dicitur, quasi *ad alterius* torum accessio. Jure civili tantùm committitur cum conjugatâ, sive à soluto, sive à conjugato, non etiam cum solutâ : unde l. *Fugitivus*, 225, ff. de *V. S.*, adulterium vocatur alienæ matrisfamil. corruptio. Ratio est ob seminis confusionem et prolis incertitudinem; quam ob causam jure civili major in feminis desideratur castitas quàm in viris. Canones verò in utroque conjugum æqualem castitatem desiderant, et utrumque ad fidei, quam mutuò promisit, observationem obligant, ut tam vir adulterium committat, qui cum aliâ sive conjugatâ sive solutâ consuetudinem habet, quàm mulier, can. *Nemo*, 32, q. 4.

208. Sequitur 1° tribus modis adulterium committi posse; primò per accessum liberi seu soluti ad conjugatam; secundò per accessum conjugati ad solutam; tertiò per accessum conjugati ad conjugatam alienam. In utroque priori casu unus violatur torus, in tertio duplex, in quo proinde duplex committitur adulterium, duplex injuria in sede confessionali exprimenda. Completur autem adulterium per solam copulam carnalem generationi idoneam; quanquàm sit extra dubium actus externos inchoatos, imò etiam interna desideria reduci ad adulterium in foro conscientiæ et sacramentali.

209. Sequitur 2° adulterium aliud esse formale tantùm, aliud materiale tantùm, aliud mixtum, formale simul et materiale. Formale tantùm committitur, dùm conjugatus accedit ad suam aut liber ad liberam, quam putant esse alienam. Materiale tantùm saltem ex unâ parte est, dùm conjugatus accedit ad liberam vel alienam quam putat invincibiliter suam, aut liber ad conjugatam quam putat omninò solutam. Similiter materiale tantùm committitur, dùm delinquentes carent usu rationis per somnium, dementiam, ebrietatem. Formale simul et materiale est, dùm liber cum conjugatâ vel conjugatus cum alienâ deliberatò peccat, cognitâ circumstantiâ matrimonii seu qualitate personarum.

210. Peccatum hoc esse gravissimum ex pluribus S. Scripturæ locis manifestè constat. Tob. 4, v. 13; Job. 31, v. 11; Prov. 6, v. 32; Eccl. 23, v. 32; Gen. 20, v. 3; Exodi 20, v. 14; Levit. 20, v. 10; Deuter. 22, v. 22; lib. 2 Reg., c. 12, v. 10; Heb. 13, v. 4; 1 Corinth. 6, v. 9. Ejusdem delicti gravitas sufficienter constat ex gravitate pœnæ non solùm apud fideles, sed etiam apud paganos et gentiles usitatæ. In lege veteri Deus per Moysen adulteros occidi jussit lapidatione, Levit. 20, v. 10. Similiter mulieribus adulteris decrevit aquas maledictionis, quæ uterum earum disrumperent, Num. 5, v. 27. Ægyptii, teste Diodoro, l. 1, c. 6, adulteros cædebant virgis ad mille plagas; adulteras verò truncabant naso in perpetuam infamiam. Arabes, Parthi, aliæque nationes adulteros semper pœnâ capitis puniverunt. Testis est Alexand. ab Alex., lib. 4, cap. 1. Cumani adulteram ludibrio omnium in foro publico exponebant; deinde asino insidentem per totam urbem circumducebant. Plutarch., in problem. Saxones adhùc Pagani, adulteram jubebant suspendio se necare, et super ejusdem incensæ et concrematæ bustum suspendebant adulterum. Testis est S. Bonifacius apud Guilelm. Malm., l. 1, c. 64, de Anglis. Brasilienses adulteras vel occidunt vel in servas vendunt. Testis Osorius, l. 2, de gestis Emman. Graves etiam pœnas in adulteros decreverunt Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Severus et Aurelianus, qui ordinavit ut adulter duarum arborum inflexis capitibus ac ad pedes religatis, moxque dimissis, intervulsus utrinque propenderet. Testis est Cælius, l. 10, c. 6. Quin et ipse Mahomet sanxit adulterum publicè fustigandum ad centum ictus.

211. Itaque adulterium sine ullo dubio est peccatum mortale gravissimum, primò quidem quatenùs involvit malitiam luxuriæ contra continentiam; deinde quatenùs vitiat indissolubile vinculum, quo auctor naturæ Deus alterum junxit alteri. Quare etiam involvit injuriam respectu conjugis, qui in corpus compartis dominium seu potestatem accepit per matrimonium, dicente Apostolo, 1 Cor., 7 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*, etc. Ex hâc potestate in

corpus mutuum per contractum onerosum factâ, satis colligitur peccari contra justitiam, tam si corporis usus permittatur non conjugi, quàm si absque causâ negetur conjugi; id quod exemplo contractuum aliorum facilè intelligitur. Nihil dicimus de peccato contra charitatem, non quasi verè non peccet adulter contra charitatem; sed quia repugnantia cum charitate omnibus peccatis est communis; omnis enim peccator vel delinquit contra charitatem respectu suî, si peccet solus, clanculò et privatim, vel insuper respectu proximi, si peccet cum altero, vel ruinæ alterius sit occasio.

212. Porrò quanquàm consentiens in alterius turpitudinem non habeat querelam super illatâ per conjugem injuriâ, nihilominùs certum est quod adulterii malitiam non purget consensus alterius conjugis, ut inter cætera nos docet Ecclesia, damnans inter 65 hanc numero quinquagesimam: *Copula cum conjugatâ, consentiente marito, non est Adulterium, atque adeò sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*

§ 2. *Tenor casûs.*

213. In diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, præsens casus exprimitur hoc verborum tenore, *Adulterium notorium.*

In Cameracensi, Leodiensi, Ruræmundensi, de hoc casu nihil.

In Coloniensi (quod attinet synodum de anno 1662) dicitur, *Adulterium manifestum.*

§ 3. *Reflexiones.*

214. — 1. Quamvis hujusmodi voces, *manifestum, publicum, famosum, notorium,* inter se confundi soleant, reverà tamen distinguuntur. Ita Lesana verbo *Notorium,* num. 3, qui et monet circa initium num. primi, notitiam hujus rei valdè necessariam esse, quia sæpiùs in bullis seu diplomatibus summorum pontificum, privilegiis et constitutionibus religionum hæ voces repetuntur. Idem docent Toletus l. 1, cap. 74, n. 7, 8 et 9; Navarrus, Manualis, cap. 25, n. 73, qui duo doctores, videlicet Navarrus et Toletus, nobis singulariter commendantur in decretis et statutis synodi provinc. Mechlinien. de anno 1608, tit. 5, c. 5. Idem discrimen inter prædictarum vocum significatum observant Avila, de Censuris, parte 7, disp. 10, dub. 6, fol. 458. Sanchez consiliorum moralium l. 8, c. 3, dub. 3. Prosper Fagnanus in 1 parte tertii decretal. cap. *Vestra*, de Cohabit. Cleric. et Mul. n. 52, et seq., ac Glossa, dict. capit. *Vestra*, verbo *Notorium*, dicens: *Ad intelligentiam eorum quæ hìc dicuntur, nota quòd aliud est fama, aliud manifestum, aliud notorium.* Eadem habet verba in cap. *Manifesta*, 2, q. 1, verbo *Manifesta.*

215. — 2. *Publicum*, inquit Fagnanus n. 52, est nomen generale. Describitur à Bartolo apud eumdem Fagnanum, *quod omnibus patet*, perinde est quâ viâ, sive per evidentiam facti, sive per actum judicialem, sive per famam. Est igitur *publicum*, quod innotuit publico seu communitati *qualitercumque.* Unde *publicum* est genus imprimis respectu *notorii et famosi. Publicum*, inquit Fagnanus cit., *est nomen generale, et verificatur in notorio, et quandoque in famâ, secundùm Abbatem.* Item Toletus sup. cit. num. 8: *Publicum*, inquit, *commune est notorio et famoso; utrumque enim dicitur publicum.* Et Suarez, tomo 5, in 3 p. D. Thomæ, disp. 9, sect. 2, n. 11, dicens, in jure canonico distingui *delictum publicum ex evidentiâ, à publico ex famâ, quod non tam notorium quàm famosum dicitur.* Similiter Sanch. cit., n. 1: Nota, inquit, *publicum* dupliciter accipi; vel ut est idem quod *notorium*, vel ut distinguitur à *notorio*... Quando *publicum* distinguitur à *notorio* dicitur illud quod famâ publicâ proclamatum est. Et sic *publicum* est idem quod *famosum*... Hanc divisionem *publici* docent Sotus membro 2, ante quæstionem primam; Panormit. cap. *Tua*, n. 2, *de Cohabitatione.* Ita Sanchez. Item Navarrus, c. 18, n. 40, censet aliquid vocari *publicum* vel per notorietatem vel per famam. Eodem modo doctores nominati respiciunt *publicum* et *manifestum.* Ex quibus colligitur, quòd *publicum* sit genus et magis commune respectu *notorii, famosi, manifesti.* Quod quidem de *notorio* et *famoso* manifestè constat ex c. *Tua nos*, de Cohab., ubi dicitur: *Consultationi tuæ taliter respondemus quòd si crimen eorum* ITA *publicum est, ut meritò debeat appellari* NOTORIUM;... *si verò publicum est non ex evidentiâ, sed ex* FAMA. Ecce illìc clarissimè supponitur delictum *publicum* posse esse vel *notorium* vel *famosum* seu famâ publicum. De *manifesto* autem pariter certum est apud doctores, quòd sit species *publici.* Navarrus, cap. 27, num. 255: *Publicum*, inquit, *definitur esse quod omnibus patet secundùm Bartolum, et ita oportet esse saltem* NOTORIUM, MANIFESTUM, VEL FAMOSUM. Et paulò inferius: *Publicum est triplex, scilicet* NOTORIUM.... MANIFESTUM.... FAMOSUM. Similia habent Henriquez lib. 14, cap. 20 num. 4. Avila sup. cit. et innumerabiles alii. Restat nunc videndum, quid sint singulæ species, et quo pacto à se mutuò distinguantur. Itaque

216. — 3. *Famosum* inprimis est, quando est fama in majori parte civitatis, viciniæ vel collegii, orta *non ex scientiâ*, sed ex indiciis et præsumptionibus. Avila citatus. *Famosum*, inquit Navarrus, dicitur quod nititur famâ majoris partis, ortâ ex uno scienti, *vel* ex indiciis et præsumptionibus. Igitur secundùm utrumque doctorem ad *famosum* quidem requiritur, ut ejus notitia viâ famæ seu rumoris pervenerit ad majorem partem communitatis, sed non requiritur, ut communitas vel aliqua illius pars *evidenter* seu *scientificè* cognoscat factum vel delictum: v. g., Petrus clanculò occidit Paulum, cùmque communitas ignoret auctorem commissi homicidii, Joannes suspicatur esse Petrum ex eo, quòd abhinc aliquot diebus inter Petrum et Paulum discordia quædam fuerit: hinc fama per communitatem circumfert Petrum tanquàm auctorem criminis. Igitur hoc ipsum est famâ *publicum* seu *famosum*, licèt nemini sit *evidens* seu *evidenter* cognitum, quia fundamentum illius suspicionis omninò separabile est à delicto. Imò, etsi supponamus, unum aliquem de auctore delicti esse physicè certum, v. g.

testem ocularem, dummodò reliqua communitas per solam famam inevidenter eumdem auctorem cognoscat, erit hactenùs delictum duntaxat *famosum*, ut passim DD. tradunt. Navarrus statim cit.; Fagnanus, n. 38: Fama, inquit, est publica, seu famosa et communis insinuatio vel proclamatio ex solâ suspicione et certo vel incerto auctore proveniens. Itaque ratio *famosi* in eo propriè sita est, quòd non exigat *scientiam* sive ipsius communitatis, sive considerabilis ejus partis, sive etiam unius individui hominis. Fama, inquit Glossa cap. *Vestra*, de Cohabit., quandoque ex scientiâ, quandoque ex suspicione procedit, quandoque ex certo auctore, quandoque ex incerto. Idem repetit in c. *Manifesta*, 2, q. 1, verbo *Manifesta*. Vide etiam c. *Tua nos*, ubi clarè distinguitur inter *publicum* ex *evidentiâ*, et *publicum* ex *famâ*.

217.—4. *Manifestum* est quod etsi non sit *evidens* respectu communitatis aut potioris ejusdem partis, est tamen *pluribus* evidenter cognitum, sic ut facilè probari possit. Utraque Glossa superiùs citata: *Manifestum*, inquit, *est quod semper ex scientiâ et certo auctore procedit. Manifestum*, inquit Sanchez sup., n. 16, tripliciter sumitur, primò ut est idem quod *notorium*. Secundò *propriè*, ut distinguitur à *notorio*, et est illud, quod facilè potest probari per multos, licèt non per tot, ut dicatur *notorium*. Ergo *manifestum* propriè sumptum distinguitur à *notorio*. *Manifestum*, inquit Navarrus, est quod nititur famâ majoris partis communitatis, ortâ à *scientibus*. Idem, citatis Navarro et Henriquez, docet Avila sup. Item Fagnanus: Est autem *manifestum*, inquit n. 53, prout distinguitur à *notorio*, publica seu famosa insinuatio vel proclamatio et communis ex certâ *scientiâ et certis auctoribus* proveniens. Idem tradunt Lesana, sup., n. 3, Angelus, verbo *Manifestum*, principio, et Sylvester ibidem. Proinde duo præcipuè requiruntur ad *manifestum*; primum, ut *aliqui sciant* seu evidenter cognoscant factum vel delictum. Secundum, ut ab illis scientibus per famam aut simplicem divulgationem pervenerit in notitiam communitatis. Est ergo *manifestum*, quasi mixtum ex *notorio* et *famoso*, participans aliquid de utroque.

218.—5. Denique *notorium* est quod *evidenter* constat *majori parti* communitatis, civitatis, villæ, parochiæ, viciniæ, etc. *Notorium*, inquit Lesana, n. 2, dicitur à verbo, *Noto*, quod est idem ac demonstro, quod contingit, quando aliquid quod est obscurum seu intricatum, manifestatur. Unde *notorium* est illud quod ita clarè et evidenter constat, ut nullo modo negari possit. Ita Lesana. Sanchez autem, num. 1: *Notorium*, inquit, est illud, quod vel per actum juridicum vel per facti evidentiam notum est. N. 3, advertit quòd *notorium* dicatur illud quod clarè et evidenter notari ac demonstrari potest, ita ut nullus tergiversationi seu negationi locus supersit; et citat Sotum, Cordubam, Castro, Fabien., Sylvestr. Angelum, Armillam, Panormitanum. Navarrus, Man. c. 25, n. 73: *Notorium*, ait, dicitur quod est confessum à parte in judicio, vel super quo est lata sententia, quæ transivit in rem judicatam, aut est adeò manifestum, ut nullâ tergiversatione celari possit; ut est peccatum ejus qui tam publicam habet concubinam, ac maritus habet uxorem et publicè filios alit, et etiam illud quod scit evidenter major pars populi vicinorum aut collegii, modò in eo saltem sint decem. Hactenùs Navarrus. Porrò hæc descriptio, ut patet, est per membra dividentia. In eumdem ferè modum loquitur Glossa, c. *Manifesta*, sup., dicens: *Notorium* est quod patet vel per confessionem, vel per probationem, vel per evidentiam rei. Prosper Fagnanus, n. 68 et sequentibus, dividit et describit *notorium* dicens: *Notorium* est jus vel factum transiens in notionem omnium, vel majoris partis eorum.

Hinc colligitur primò, ad hoc, ut factum aliquod vel delictum censeatur notorium, duo necessaria esse: primum, ut sit notum majori parti communitatis, oppidi, urbis, villæ, parochiæ, collegii, monasterii, viciniæ, etc. Secundum ut sit majori parti *evidenter* cognitum.

219. Colligitur secundò differentia inter *notorium*, *famosum et manifestum*. Differunt enim *notorium et famosum*, 1° quòd hoc nullam exigat scientiam vel evidentem cognitionem delicti in ullo supposito communitatis; illud verò scientiam exigat in majori parte. Colligitur ex auctoritatibus adductis, quibus accedit Boudart, tract. 4, de sacram. Pœnit. § 14, de Casibus reservatis, q. 9, dicens: Illud dicitur *notorium*, quod nititur scientiâ majoris partis viciniæ, collegii vel monasterii, licèt non provinciæ, civitatis vel parochiæ. Differunt 2° *notorium* et *manifestum*; ad hoc enim requiritur tantùm *scientia* aliquorum, ad illud necessaria est scientia communitatis, saltem quoad partem magis præcipuam. 3° Differunt *famosum* et *manifestum*, quia (Prosper Fagnanus, num. 63) ad hoc ut sit *manifestum*, oportet ut aliqui præsentes fuerint à quibus ortum habuerit, quive ex certâ scientiâ possint de hoc deponere, quia fuerunt præsentes, et aliquo sensu naturali, secundùm quod rei natura exigit, id perceperint. Et hinc apparet differentia inter *famosum* et *manifestum* (pergit Fagnanus) nam in *famoso* sufficit sola suspicio. Item in *famoso* sufficit ut fama habuerit ortum à certo auctore, et exinde acclamet tota vicinia vel major pars; nec est necesse, ut ostendantur plures auctores, qui hoc habuerint ex certâ scientiâ vel præsentiâ. Sed in *manifesto* oportet ut plures adfuerint auctores qui per certam scientiam et sensum corporeum hoc apprehenderint, et secundùm hoc possint testimonium perhibere.

220. Colligitur tertiò quòd, quando in aliquibus privilegiis regularium conceditur facultas dispensandi, absolvendi, etc., in aliquibus casibus, dummodò notorii non sint, tunc etiamsi tales casus aliàs manifesti, publici seu famosi fuerint, poterit dari talis dispensatio, absolutio, etc. Ita in terminis Lesana, n. 9.

Colligitur quartò quòd, quando in statutis vel constitutionibus religionum aliquæ pœnæ ponuntur contra committentes aliquod delictum, si illud fuerit notorium, non incurrantur dictæ pœnæ, si illud fuerit tantùm

manifestum, publicum aut famosum. Ita in terminis Lesana, n. 10.

Colligitur quintò non sufficere ut clerici percussor sit vitandus, ad mentem Martini V, constitutione *Ad evitanda*, editâ in concilio Constantiensi, anno 1414, non sufficere, inquam, quòd sit famosus vel manifes-.us. Ita Lesana, n. 8, citans Suarezium, tomo 5, in 3 p., disp. 9, sect. 2, n. 11. Castropalao, de Censuris, disp. 2, puncto 4, num. 7, citans Navarrum, Avilam, Layman, Coninck. Ratio est quia Extravagans *Ad evitanda* exigit ad hunc effectum, ut *notoriè* constet percussorem clerici in sententiam à canone latam incidisse, idque ita ut *factum non possit aliquâ tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari.*

6. *Notorium* dividitur juxta utramque Glossam sæpiùs nominatam et doctores communiter, in juris, facti et præsumptionis. *Notorium juris* est factum vel delictum evidens ex judiciali confessione, indubitatâ probatione et sententiâ diffinitivâ. Ex judiciali confessione, c. *Vestra*, et c. *Quæsitum*, de Cohab. Ex indubitatâ probatione, c. *Cùm olim*, de Verborum significatione, ubi notandum ex Glossâ, *manifestum* pro *notorio* accipi. Ex sententiâ diffinitivâ, c. *Vestra*, etc. *Cùm olim*, citatis.

221. *Notorium facti* est quod viâ facti est evidenter cognitum majori parti communitatis, sive quod se offert et exhibet oculis omnium, adeò manifestè, ut nullâ probabilitate negari, nullâ tergiversatione aut fugâ celari possit. Sanchez, dub. 3, n. 3; Navarrus, cap. 25, n. 73, et cap. 20, n. 56; Fagnanus, n. 77, citans Calderinum, Speculatorem, Archidiaconum, Butrium. Colligitur ex c. *Tua nos*, et c. fin de Cohabit. c. *Cùm olim*, *de V. S.* c. *Cum dilectis*, de Purgat. can. *Notorium facti* est triplex juxta triplicem habitudinem facti. Quoddam est facti permanentis seu continui, quoddam est facti transeuntis, momentanei, et non redeuntis, quoddam est facti interpolati. Ita Glossa sæpiùs adducta, quam communiter sequuntur doctores. Exemplum primi est, si quis publicè et omni vicinià sciente alat concubinam, c. *de Manifestâ*, 2, q. 1. Exemplum secundi est, si quis pleno die et foro percutiat clericum. Exemplum tertii est in mutuante ad usuras, quia non semper mutuat, sed interpolatim.

222. Sed dubitatur quot hominum scientia requiratur ad inducendum *notorium facti*. Et quidem ex ante dictis colligitur sufficere, ut notum sit majori parti communitatis. At hoc ipsum quæritur, quot homines requirantur ad communitatem. Respondeo sufficere decem, quia decem faciunt parochiam, c. *Unio*, 10, q. 3, ex quo loco Glossa, c. *De manifestâ*, 2, q. 1, verbo *Pluribus*, infert sufficere decem ad inducendum *manifestum*. Item decem faciunt plebem seu populum, ut docet Glos. dict. c. *Unio*, verbo *Mancipia*. Quare sic tenent Navarrus dicens esse communem sententiam, sup. Sanchez sup. n. 9, Ledesma, Rosell., Panormitan., Sylvester, etc.

Notorium præsumptionis est, quod in se notum non est, sed in alio; quod tamen de se non facit talis rei evidentiam, sed solùm ex ordinatione juris, quod evidenter illud præsumit ex alio noto. Ita Sanchez, n. 2, vel, ut ait Hostiensis, *notorium præsumptionis* est evidentia juris vehementer præsumpta; vel, ut inquit Calderinus, *notorium præsumptionis* est factum vel dictum ex publicis circumstantiis à jure pro veritate acceptum. Itaque duo requiruntur ad *notorium præsumptionis*, videlicet ut adsit circumstantia jure vel facto notoria, et ut ex illâ circumstantiâ resultet vehemens præsumptio pro ipso facto vel delicto. Exemplum. Si quis omnibus videntibus feminam suspectam domi teneat, factum detentionis est *notorium facti* vel *juris*: ex hoc facto resultat præsumptio copulam carnalem inter eos intercessisse, atque hoc est *notorium præsumptione*. Item si vicinis scientibus quispiam interteneat feminam ut uxorem cum competenti tractatu in victu et amictu; ecce *notorium facti*, ex quo jus præsumit matrimonium inter eos, et prolem legitimam inde susceptam, ecce *notorium præsumptionis*, Fagnanus, n. 87.

§ 4. *Corollaria.*

223. — 1. Nullibi reservatur adulterium tantùm formale vel tantùm materiale, etiamsi supponatur commercium carnale utrinque graviter peccaminosum esse, ut si liber concumbat cum liberâ cum errore matrimonii ex utrâque parte; aut si conjuges misceantur carnaliter cum errore opposito.

2. Non tamen requiritur ut ex utrâque parte committatur adulterium formale; quare si liber peccet cum conjugatâ quam existimat liberam aut conjugatus decumbat cum alienâ quam existimat suam, hæc, non ille, suppositis aliàs supponendis committet peccatum reservatum. Ratio est quia hæc sola committit adulterium formale et materiale.

3. Non debet adulterium reciprocum seu duplex esse, quasi delinquentium uterque debeat esse junctus matrimonio. Itaque perinde est, sive liber cum conjugatâ, sive conjugatus cum liberâ, sive conjugatus cum conjugatâ peccet.

4. Indifferens est, sive fiat consentiente, sive invito conjuge; id enim, ut est indifferens ad adulterium juxta propositionem 50 inter 65, damnatam ab Innocentio XI, ita etiam ad reservationem.

5. Non sufficiunt tactus quantùmvis obscœni, pollutio, inchoata copula cum retractu, sodomia perfecta vel imperfecta, etc., quanquàm in his omnibus peccetur à conjugato contra fidem conjugalem magis vel minùs pro differentiâ delictorum. Vide Azorium, Instit. Moral., parte 3, l. 3, c. 18, 20, 23 et 25. Ratio corollarii est quia non committitur per similia perfectum et propriè dictum adulterium, ad quod requiritur concubitus generationi idoneus.

224. — 6. Non sufficit pariter coitus liberi cum feminâ alteri desponsatâ solummodò per verba de futuro. Sufficit tamen matrimonium duntaxat ratum. Azorius cit.; Filliucius, tract. 30, c. 4, n. 86.

7. Nullibi reservatur adulterium formale et materiale, per accidens occultum.

8. Nullibi etiam reservatur adulterium publicum

solâ famâ. Ratio est ex dictis quia adulterium *solâ* famâ publicum nec est manifestum, nec est notorium. Jam verò adulterium duntaxat reservatur, si sit manifestum in diœcesi Coloniensi, si sit notorium in Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Mechliniensi et Namurcensi.

9. Nullibi iterùm, quod uni, v. g., testi de visu evidenter constat, etsi deinceps famâ perlatum sit ad notitiam communitatis. Ratio, quia hactenùs nec est notorium nec manifestum.

10. Sequitur non esse confundendum adulterium notorium, ut dicitur in diœcesi Mechliniensi et cæteris statim enumeratis, cum manifesto, ut dicitur in Coloniensi. Quare adulterium hìc reservatum, non esset eo ipso reservatum illìc. Vide doctores cit., inter quos Lesana ex dictis colligit quòd, *quando in statutis vel constitutionibus religionum, aliquæ pœnæ ponuntur contra committentes aliquod delictum, si illud fuerit notorium, non incurrantur dictæ pœnæ, si illud fuerit tantùm manifestum, publicum aut famosum.*

225. — 11. Requiritur itaque ad adulterium notorium, ut sit cognitum majori parti communitatis sive per confessionem judicialem, sive per invictam probationem, sive per sententiam condemnatoriam, sive per evidentiam rei. Vide iterùm superiùs dicta, quæ si non sufficiant, addo cap. fin. *De tempor. Ordinat.*, ubi in specie agitur de adulterio notorio. *Quæsitum est*, inquit Pontifex Gregorius XI, *de sacerdotibus vel aliis clericis, qui per reatum* adulterii, *perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt*, etc.; *respondemus quòd si proposita crimina, ordine judiciario comprobata vel aliàs* notoria *non fuerint*, etc. Non dubito quin illud vocabulum *adulterium notorium* simpliciter et sine addito positum, idem significet apud episcopum quod apud Pontificem. Hìc autem in eo sensu accipitur, quem statim dedimus, juxta Gloss. in dict. cap., verb. *Notoria*, dicentem : *Notorium tribus modis dicitur crimen, per sententiam, per confessionem in jure factum et per rei evidentiam.* Ita Glossa remittens ad cap. ult., de Cohabit. cler. et mul., sæpiùs adductum. Addo etiam cap. *Cùm dilectis*, de Purgat. canon., ubi rursùs agitur de adulterii crimine, et dicitur usque adeò fuisse publicum et *notorium, quòd nullus inficiationi locus penitùs existebat; utpote cujus universæ vicinìæ populus testis erat.*

226. — 12. Non tamen est necessarium ad notorietatem adulterii, ut sit cognitum civitati, regno, provinciæ; satis est esse notum vico, parochiæ, viciniæ, dummodò decem personas contineat. Constat ex ante dictis et ex cap. *Cùm dilectis*, statim citato, ubi significatur sufficere ut adulterium censeatur notorium, *quòd universæ viciniæ populus testis erat.*

13. Non potest adulterium notorium esse, ubi non sunt saltem decem personæ. Sanchez, n. 10, ex ante dictis infertur, inquit, primò, nunquàm scientiam pauciorum quàm sex, notorium facere; scientiam verò sex aliquando facere; quando scilicet est major pars populi, vel viciniæ vel collegii, ut si sint tantùm decem; aliquando verò non facere, quando scilicet sunt plures decem : semper enim requiritur notitia majoris partis. Infertur secundò non posse oriri *notorium* facti in viciniâ vel populo, ubi non sunt personæ saltem decem. Ita doctissimus Sanchez, addens ita censere doctores omnes antea à se citatos.

14. Ut adulterium sit notorium facto, non est necesse ut se ipso videatur, sed satis est videri in altero, scilicet in argumentis quæ delictum sine juris præsumptione manifesto ostendant. Nota, inquit Sanchez, n. 4, quòd ad hoc ut aliquid dicatur verè notorium facti, non oportet ut in se ipso videatur, sed satis est videri in altero, scilicet in argumentis vel testimoniis quæ ex se, et non ex juris præsumptione, evidenter delictum ostendunt. Ratio est quia sunt aliqua delicta quæ nunquàm fiunt in conspectu omnium, ut adulteria, furta, etc., et ideò, ad hoc ut notoria dicantur, sat est videri in claris argumentis. Ita Sanchez, citans Silvest., verbo *Notorium*, q. 1.

227. — 15. Adulterium solâ præsumptione notorium non videtur reservatum esse, quia non est propriè notorium. Notoria supponitur circumstantia, notorium supponitur factum, ex quibus resultat præsumptio : notoria sit et ipsa præsumptio; atverò delictum ipsum nullo modo. Jam autem non reservatur *notoria* circumstantia adulterii, vel *notoria* præsumptio inde resultans; sed *adulterium notorium*. Quòd verò delictum ipsum non fiat secundùm se notorium per quamvis etiam manifestissimam præsumptionem, probatur, quia nulla præsumptio quatenùs talis infert infallibiliter delictum quod respicit, atque adeò nulla præsumptio reddit delictum evidens vel notorium; id quod clarius fiet, si repetatur exemplum ex Prospero Fagnano superiùs adductum : videlicet præsumitur adulterium, si quis conjugatam alterius tori, et suspectam domi teneat, et id ipsum vel fateatur in judicio, vel tota vicinia noverit. Notorium est respectivè aut facto aut jure factum detentionis, cui incumbit præsumptio : sed nullo modo fit necessaria consequentia à facto detentionis ad adulterium, cùm sit certissimum, alterum ab altero separari posse. Quare meritò Sanchez, citatis pluribus doctoribus aliis, n. 2, dicit notorium *largè et impropriè* sumi *pro notorio præsumptionis.*

228. — 16. Non incurritur casus, nisi adulterium quà tale fuerit notorium vel manifestum. Unde, si Petrus conjugatus habuerit copulam cum Catharinâ, et hæc ipsa copula sit evidenter cognita communitati, sic tamen, ut ignoretur passim esse adulterinam, puta, quia Petrus peregrinus est, non erit casus. Quando agitur de delicto *notorio*, inquit Lesana, n. 7, cum doctoribus cæteris, non est attendendum ad factum ipsum materialiter, ut ita dicam, notorium, sed formaliter in ratione delicti. Unde etiamsi *notorium* sit, aliquem sacerdotem celebrâsse, si tamen notorium non est illum celebrâsse censurâ irretitum, irregularitas illa non censebitur notoria. Navarrus, sup. c. 27, Thesaurus, § *Advertendum*, Barbosa, alleg. 39, n. 26, ex multis aliis. Similiter si notorium sit

aliquem ingressum esse in clausuram monialium, non tamen est notorium an ingressus fuerit sine licentiâ, non censebitur talis igressus in ratione culpabilis, notorius. Sanchez, de Matrim., lib. 8, disp. 34, n. 56, post alios.

229. — 17. Non censetur adulterium facto notorium, quantùmvis cognitum communitati, si aliquâ probabili ratione negari, aliquâ tergiversatione vel fugâ celari possit, v. g., dicendo, quòd ignorata fuerit circumstantia matrimonii, etc. Ratio est quia quælibet probabilis ratio in oppositum, vel tergiversatio impedit, quominùs censeatur notorium, ut constat ex juribus, Glossâ, doctoribus, ad nauseam adductis. Adfero in præsenti solum Bonacinam, cujus doctrina de *notoriâ percussione* clerici serviet nobis pro *adulterio notorio*. Vitandum, ait, clerici percussorem, cujus percussio notoria est notorietate facti, ita ut non possit suam percussionem aliquâ tergiversatione celare. Si verò potest eam aliquâ tergiversatione seu titulo ac suffragio celare, non dicitur excommunicatus vitandus, ut contingit, quando percutiens excusat se, dicendo percussisse titulo defensionis, vel nescivisse illum esse clericum, vel se joco percussisse. Debet tamen hujusmodi excusatio probabilis esse, aut probabile dubium ingerere.

230. — 18. Dubium moveri posset, quid sit dicendum de conjugatâ, quæ absento marito adulterium secretò commisit. Mansit occultum crimen, conjuge per notabile tempus emanente, donec peperit spurium; quâ occasione fit manifestum aut notorium delictum adulterii. — Respondeo non esse peccatum reservatum, quamdiù crimen non est notorium vel manifestum, ut per se patet; quare si mulier præfata confiteatur ante puerperium, non indiget confessario pro reservatis approbato. Sed neque reservabitur postea, cùm evulgatum fuerit, quia supponitur virtute clavium directè absolutum.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

231. Objicies 1° ex Lacroix, lib. 6, p. 2, q. 237, n. 1656, quòd distinctio illa inter *publicum*, *manifestum*, *famosum*, *notorium* vix serviat pro praxi in hâc materiâ.

Respondeo omninò servire pro praxi, ut satis constat ex auctoritatibus supra allegatis, quibus apud eumdem Lacroix accedit Andreas à Matre Dei Carmelita Salmanticensis, de Privileg. regularium, c. 4, punct. 1, n. 26, docens, *publicum* distingui à *notorio*, et hoc dici *notorium*, quod coram majori parte communitatis factum est. È contra, si ad notitiam communitatis alio modo pervenerit, dici tantùm *publicum* seu factum *publicum*, *famosum*, *manifestum*, sed non ideò esse *notorium*. Deinde Lacroix id solùm affirmat, ut factum censeatur esse *non occultum*, perinde esse, sive sit illo sensu *notorium*, sive tantùm *publicum*.

Objicies 2°: *Manifestum* cum *notorio* sæpiùs in jure confunditur; ergo infundata est *notorii et manifesti* distinctio. Antecedens probatur ex cap. *Cùm olim*, de verb. Signif., ubi Innocentius III ita loquitur: *Offensam illam nos rescribimus intelligere* MANIFESTAM, *quæ vel per confessionem vel per probationem legitimè nota fuerit, aut evidentiâ rei, quæ nullâ possit tergiversatione celari.* Proinde cùm verbis illis finalibus contineatur *notorii* definitio, confunditur utrumque, id quod advertit ibidem Gloss. dicens: *Hic sumitur manifestum pro notorio.* Item cap. *Super quibusdam*, eodem, ubi dicitur, *illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem catholicam publicè prædicant aut profitentur, seu defendunt eorum errorem, vel qui coram prælatis suis convicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæreticâ pravitate.* Item cap. *De manifestâ*, 2, q. 1, crimen vocatur *manifestum*, *quod omnes* SCIEBANT.

Respondeo cum Sanchez, n. 16, *manifestum* accipi tribus modis, uno propriè, duobus impropriè, esseque ex subjectâ materiâ vel circumstantiis colligendum debeatne propriè an impropriè sumi. Quòd si igitur extra omnes circumstantias sensum improprium exigentes proferatur vocabulum *notorium* vel *manifestum*, non est dubium quin debeat propriè accipi. Atque ita quamvis *manifestum* in citatis canonibus sumatur impropriè et cum *notorio* confundatur, nullatenùs id in exemplum perpetuum servire potest. Apostolus concupiscentiam renatorum involuntariam, aut motus ejus indeliberatos aliquando *peccatum* vocat, ubi juxta concilium Tridentinum, sess. 5, de Peccato originali, et S. Augustinum pluribus locis, ex subjectâ materiâ peccatum impropriè sumitur, pro eo scilicet quod *ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Hinc verò nemo rectè intulerit, peccatum secundùm se sumptum et propriè intellectum à motibus involuntariis non distingui

CAPUT IV.

DE APOSTASIA.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS PRIMA. — *Quid, quotuplex et quale peccatum apostasia?*

232. *Apostasia* vocabulum Græcum generatim significat defectionem, fugam, desertionem, recessum vel desistentiam ab opere vel statu assumpto et inchoato. Unde apostata Græcis idem est, qui desertor Latinis, sive transfuga; is nimirùm, qui à principe vel duce suo ad hostes transfugit aut deserit institutum prioris vitæ. Quo præmisso *respondeo dicendum quòd apostasia* theologicè et generatim sumpta *importat retrocessionem quamdam à Deo*, S. Thomas, 2-2, q. 12, art. 1, O. Hæc autem retrocessio est varia pro varietate modorum, quibus homo Deo conjungi et rursùs ab eodem separari potest. *Diversimodè*, ait S. Th. cit., *fit* (ista retrocessio) *secundùm diversos modos quibus homo Deo conjungitur; primò namque conjungitur homo Deo per fidem. Secundò per debitam et subjectam voluntatem ad obediendum præceptis ejus. Tertiò per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia, sicut per religionem et clericaturam vel sacrum ordinem.* Cùm ergo tot modis homo conjungatur Deo, tot pariter à Deo separatur deserendo fidem, obedientiam vel charitatem, religionem vel sacrum ordinem. *Contingit ergo*, pergit doctor Angelicus, *aliquem apostatare à Deo, re-*

trocedendo à religione quam professus est, vel ab ordine quem suscepit, et hæc dicitur apostasia religionis seu ordinis. Contingit etiam aliquem apostatare à Deo per mentem repugnantem divinis mandatis, seu per peccatum mortale. *Quibus duabus* (vel si malis, tribus) *apostasiis existentibus, adhùc potest remanere homo Deo conjunctus per fidem. Sed si à fide discedat, tunc omninò à Deo retrocedere videtur.*

233. Hinc deducitur quatuor esse species apostasiæ (nisi apostasiam ab ordine et religione reduxeris ad unam speciem), videlicet à fide Romano-catholicâ, à religione per Ecclesiam approbatâ, ab ordine clericali, et ab obedientiâ seu charitate per peccatum mortale, quo tollitur vinculum et conjunctio hominis cum Deo quoad gratiam sanctificantem, et mutuam amicitiam. Juxta quem sensum omnis peccator est apostata, quatenùs deserto Deo, domino et principe suo transit seu convertitur ad creaturam. Hoc sensu, Ezechielis 2, versu 3, vocantur *gentes apostatrices quæ recesserunt* à Deo. Et Ecclesiastici 10, versu 14, dicitur : *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo;* quasi dicat, Apostatare à Deo, sive ipsa defectio à Deo fuit initium superbiæ hominis, id est, fuit prima hominis superbia. Et Ecclesiastici 19, versu 2 : *Vinum et mulieres faciunt apostatare sapientes,* id est, à Deo deficere primò per crapulam seu temulentiam, deinde per fornicationem et immunditiam, ac tandem per hæresim aut infidelitatem.

234. Nihilominùs apostasia à charitate, ut rectè observat Sylvius, non solet modò vocari simpliciter *apostasia*, eò quòd usus jam obtinuerit, ut apostatarum nomen sit odiosius, quàm ut tribui possit cuilibet peccatori. Ita Sylvius, 2-2, q. 12, art. 1, cum omnibus theologis. Quare *apostasia* strictiùs sumpta, est recessus ab instituto prioris vitæ et statûs, irrevocabili professione recepti et obligantis. Porrò cùm sit triplex vitæ vel statûs sic obligantis professio, nimirùm fidei per baptismum, clericatûs per sacrum ordinem, religionis per votum, sequitur triplicem tantùm esse propriè dictam *apostasiam*, à fide, ordine, religione. De quàlibet aliquid dicendum restat.

235. *Apostasia à fide* est recessus à fide Romano-catholicâ ad sectam aliquam infidelium, v. g., paganorum aut Judæorum. Quare (ut notant Valentia, 2-2, disp. 1, quæst. 11, puncto 1, diffic. 1; Bannes, ibid. q. 12, art. 1, dub. 1, in solutione ad 2; apud Sanchez, l. 2 Moralium, c. 7, n. 16) in *apostasiâ* duo possunt considerari, videlicet terminus, à quo et ad quem; sive inprimis considerari potest recessus à fide semel susceptâ; et hoc est veluti formale, proprium et essentiale *apostasiæ*. Secundò considerari potest accessus sive conversio ad sectam aliquam infidelium, et hoc est veluti materiale. Exemplum est in *apostasiâ* latiùs sumptâ, quâ miles, v. g., deserit castra principis vel ducis sui. Formalis et propria malitia hujus desertionis in recessu à duce et principe sita est, ad quam materialiter se habet ejusdem desertoris transitus in castra adversariorum : esset enim completum et morte dignum delictum desertionis, etsi nullam ampliùs militiam sequeretur desertor.

236. Hinc colligitur 1° verissimam esse doctrinam S. Thomæ, sup. ad 3, cùm dicit : *Apostasia respicit infidelitatem, ut terminum ad quem est motus recedentis à fide. Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem : secundùm illud* 2 *Pet.* 2 : « *Melius erat eis veritatem non cognoscere, quàm post cognitam retroire;* » est enim certum quòd non sit determinata species infidelitatis apostasia, quatenùs respicit *terminum ad quem est motus recedentis à fide :* nam cùm terminus ad quem desertor fidei moveri seu accedere potest, sit triplex, paganismus, Judaismus, hæresis, constat apostasiam secundùm se ad hanc triplicem speciem indifferentem esse, atque adeò indeterminatam. Itaque, si Catholicus transeat ad paganismum, erit paganus, si ad Judaismum, id est, si fidem Christi in solâ figurâ retineat, erit Judæus; si transeat ad Calvinismum, Lutheranismum, Jansenismum, id est, recedat tantùm à nonnullis fidei punctis, erit hæreticus.

237. Colligitur 2° apostasiam formaliter sumptam esse *aggravantem circumstantiam* respectu infidelitatis. Differt ab eâdem penès terminum *à quo*, videlicet quia apostasia requirit terminum *à quo* positivum et contrarium, id est, veram fidem antecedenter agnitam et receptam. Paganismus autem, Judaismus et hæresis non item. Quod quidem de paganismo et Judaismo certum est; de hæresi verò nobis videtur probabilius, et est magis conforme recepto loquendi modo tum antiquorum, tum modernorum, quidquid nonnulli aliter sentiant. Igitur ad hæresim, sicuti et ad cæteras infidelitatis species, non requiritur transitus à termino positivo catholicæ fidei ad ejus privationem aut formam contrariam, sed sufficit continua quies sub eâdem formâ : quemadmodùm ut aliquis censeatur fidelis et catholicus, satis est quòd profiteatur Romanam fidem, impertinens autem et accidentarium est, sive ad hanc fidem transiverit à termino positivo et contrario infidelitatis, sive in sinu catholicæ Ecclesiæ educatus perpetuò quieverit sub eâdem fide.

238. Nihilominùs (ut notant Herincx, 3 p., tr. 1, disp. 9, de Infidelitate, quæst. 1, n. 7, et Steyaert, Aphorism., part. 2, disp. 20, de Infidelitate, n. 8) soli deficientes à verâ fide ad Judaismum vel paganismum vocari communiter solent apostatæ; qui verò, retento utroque testamento, recedunt ab aliquâ veritate revelatâ, simpliciter appellantur hæretici. Unde Julianus imperator, ait Steyaert, apostata dictus est, non item alii imperatores in hæresim lapsi. Lapsus interim in hæresim, facit apostasiam latiùs dictam. Proinde ad apostasiam à fide propriè dictam necessaria est totius fidei catholicæ desertio.

Apostasia à religione est exitus professi temerarius et illicitus à religione per Ecclesiam approbata, animo non revertendi ad eamdem vel aliam, sive retento, sive dimisso habitu, quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventûs egressio fiat.

Dicitur 1° : *Exitus professi temerarius et illicitus*,

quia in multis casibus aliquis à suâ religione legitimè exire potest sine peccato apostasiæ. Primò animo intrandi religionem strictiorem, petitâ (ne bonum obedientiæ contemni videatur), etsi non obtentâ licentiâ, dummodò sub prætextu strictioris religionis non lateat levitas et inconstantia puerilis in injuriam ordinis, c. *Licèt*, de Regularibus. Secundò ex dispensatione legitimâ, etiam ad minùs arctam, Extravag. *Viam ambitiosæ*, de Regul. Tertiò ex translatione ad episcopatum, juxta Clement. 1, de Elect. Quartò filius, ut subveniat parentibus, quos ante religionis ingressum reliquit in extremâ egestate vel illius proximo periculo. Quintò, ut adeat superiorem causâ injusti gravaminis, nisi huic incommodo aliàs per constitutiones regulares sit provisum, quod ideò additur, quia in nostrâ religione excommunicati sunt, qui prætextu gravaminis vel recursûs ad superiores conventibus sine licentiâ egrederentur.

239. Dicitur 2° : *A religione per Ecclesiam approbatâ*. Ex quo sequitur primò non esse apostatas qui deserunt vota simplicia privatim emissa ; 2° non etiam qui deserunt religionem quam professi sunt, si non sit approbata per Sedem Apostolicam, etsi alioquin voverint obedientiam, paupertatem et castitatem : ratio est quia nulla datur vera religio sine assensu et approbatione Pontificis ; ergo nullus veræ religionis desertor seu apostata, sine eodem assensu ; 3° sequitur ad apostasiam propriè et strictè sumptam non requiri vota solemnia : nam religiosi societatis Jesu, solis biennii simplicibus votis adstricti, per quæ novitii esse desinunt ac veri religiosi efficiuntur, sunt verè et propriè apostatæ, si ab eo statu recedant, ut declaravit Gregorius XIII, bullâ *Ascendente Domino*. Vide Sanchez, Moral., l. 6, c. 8, n. 6.

240. Dicitur 3° : *Animo non revertendi ad eamdem vel aliam*, quia inprimis, qui deserit religionem suam, ut sit extra potestatem superioris vel ad vagandum, semper intendens reverti ad suum institutum, non est apostata, sed fugitivus, ut habet communis doctrina theologorum. Similiter, ut supra diximus, non est apostata qui deserit religionem suam animo intrandi *aliam* strictiorem quanquàm in modo abeundi peccari possit, imò verò etiam in substantiâ contra particularia ordinis privilegia. Vide Herincx, p. 3, tr. 4, disp. 5, quæst. 10, n. 101. Sed quæstio moveri potest de transeunte à strictiori ad laxiorem sine legitimâ dispensatione. Hunc esse verum apostatam et subjici omnibus apostatarum pœnis affirmat Suarez, tom. 5, in 3 part., disp. 31, sect. 6, num. 4. Movetur, quia relinquens statum suum religiosum, et alium invalidè assumens, perinde est ac si religiosum institutum simpliciter ac omninò desereret. At transiens absque legitimâ licentiâ ad laxiorem religionem, transit invalidè, adeò ut nulla sit posterior professio, et nihilominùs dimittit professionem priorem. Ergo est verus apostata : actus enim omninò irritus immunitatem non præstat. Interim opinio communis contradicit, à quâ non esse recedendum existimat Sanchez, sup. n. 8. Ratio est quia talis non deserit simpliciter vitam religiosam, sed certæ religionis institutum, seu mutat potiùs vitam religiosam, quàm dimittat, cùm in quâlibet religione tria vota substantialia emittantur. Nec refert quòd transitus supponatur irritus esse, quia satis est transeuntem non habuisse animum deserendi simpliciter statum religiosum, quod requiritur ad apostasiam. Et quamvis quoad alios effectus perinde sit non efficere et invalidè efficere, non tamen in præsenti, quia omninò deponens statum religiosum sine transitu in aliam religionem qualemcumque, habet animum ab eodem recedendi, qui animus deficit in transeunte ad laxiorem. Ita ferè Sanchez, adducens pro eâdem opinione integrum catalogum auctorum.

241. Dicitur 4° : *Sive retento, sive dimisso habitu*, quia sicut habitus non facit monachum, sic nec dimissio apostatam.

Dicitur 5° : *Quandò eò pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventûs egressio fiat*. Sunt verba Clementis VIII, quibus exprimit apostasiam superioribus regularibus reservabilem. Ratio est quiâ, si non fiat egressio extra septa monasterii, non erit delictum satis completum et consummatum. Unde quantùmvis aliquis percurrat monasterium et meditetur fugam seu apostasiam, quamdiù conventu non egreditur, aut quia non potest, aut quia non vult, v. g., mutato proposito, non censebitur perfectus et completus apostata, quamvis formalis apostasiæ reus sit coram Deo. Porrò circa præsentem periodum necessaria est triplex reflexio. Prima, quòd per *septa monasterii seu conventûs* intelligatur ultimus monasterii ambitus sive terminus, adeò ut septa monasterii complectantur non solùm conventûs ædificium, verùm etiam hortum, nemus, rus et alium quemcumque locum, monasterio incorporatum, in quem, per se loquendo, ambulare liceat, non petitâ superioris licentiâ. Imò etsi superior ex rationabili causâ vel omnibus vel aliquibus religiosis interdixisset ingressum in locum aliquem ex nominatis ; qui, non obstante simili interdicto ingrederetur locum prohibitum, etiam intentione deserendi institutum religiosum, non esset hactenùs reus perfectæ et consummatæ apostasiæ. Ita Crousers, Kerckhoven, Peyrinis, Fagundez et alii. Secunda reflexio est quòd particula *extra* non denotet quamcumque physicam egressionem, sed moralem. Unde non oportet terminum conventûs aut monasterii, quod attinet materiam præsentem, considerare tanquàm physicè indivisibilem, quasi statim apostata censendus esset, qui utroque pede extra muros ultimos conventûs existeret, hic enim, si ad se redeat et revocato priori proposito regrediatur, sicuti moraliter loquendo dici non potest egressus monasterio, sic nec apostata. Requiritur itaque egressus moralis, per aliquot passus, prudenti judicio determinandus ; neque sola distantia loci, verùm etiam consideranda est mora temporis quibus peccator conventu abfuit. Reflexio tertia est quòd, quando diximus requiri ad apostasiam egressum extra septa monasterii, id debeat intelligi per se loquendo, et ex hypothesi quòd monachus fuerit in monasterio. Alioquin dubitandum non est quin sit fu-

turus in omni rigore apostata, qui animo deserendi institutum suum exiret domo seculari, aut aliò per morale spatium abiret extra limites obedientiæ. Quòd igitur nominentur septa monasterii, est exempli gratiâ, et quia monachus ordinariè in monasterio est.

242. *Apostasia ab ordine* est recessus temerarius et illicitus à sacro sive majori ordine ad statum secularem. Hinc sequitur 1° si quis obtentâ legitimè dispensatione papali deserat statum clericalem sacris ordinibus connexum, non esse ullo modo apostatam. 2° Idem dicendum de eo qui etiam propriâ auctoritate recedit à minoribus ordinibus vel tonsurâ, sive ducendo uxorem virginem, sive viduam, sive suscipiendo officium clericali ordini vel tonsuræ contrarium. Imò nec mortaliter nec venialiter peccaturus est per se loquendo, id est, si absint contemptus, scandalum, levitas et similia. Ratio est, quia nullum exstat præceptum Ecclesiæ, quo talibus prohibeatur vel tractare causas criminales, vel uxorem etiam viduam ducere. Secundò quia canones non aliam pœnam statuunt hujusmodi clericis, quàm privationem beneficii clericalis. Tertiò, quia non magis obligantur isti ad manendum in clericatu quàm novitii in novitiatu. Interim si clericus minorum ordinum habeat beneficium quod dimisso clericatu retineat, etiam hunc esse simpliciter apostatam docent Toletus, lib. 4, c. 18, n. 4; Lesana, verbo *Apostata*, n. 13; Silvester et alii. Sequitur 3° apostatam propriè dictum atque adeò gravissimi mortalis reum esse clericum majoris ordinis, si sine legitimâ auctoritate deserat clericatum. Ratio est quia relinquit statum, in quo per talis ordinis voluntariam susceptionem fuerat constitutus simul et obligatus ad divinum servitium ac castitatem servandam sive ex voto sive ex præcepto.

Quæstio II. — *Quas pœnas canonicas inducat apostasia?*

§ 1.—243. Respondeo: Inprimis, apostasia à fide, exteriùs et interiùs perfecta, quantùmvis occulta subjacet eisdem pœnis quibus hæresis. Patet ex c. *Contra*, de Hæreticis, in 6, ubi Bonif. VIII ordinat contra Christianos ad Judaismum transeuntes, perinde ac contra hæreticos procedendum esse. *Contra Christianos*, inquit, *qui ad ritum transierint vel redierint Judæorum... est tanquàm contra hæreticos;... et sicut contra fautores, receptatores et defensores hæreticorum, sic contra fautores, receptatores et defensores talium est procedendum.* Similiter apostatæ à fide, et hæretici eidem excommunicationi involvuntur per bullam *Cœnæ*, § 1, ubi legimus: *Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis... quoscumque... à christianâ fide apostatas ac omnes et singulos alios hæreticos.* Vide Sanchez, l. 2, c. 7, n. 18; Cajetanum, Sum. verb. *Apostasia*; Valentia, 2-2, disp. 1, q. 12, puncto 1, notab. 2; Azorium, tomo 1, l. 8, c. 21, q. 7; Herincx, p. 3, tr. 1, disp. 9, q. 9, n. 99; Zoesium, Comment. in lib. 5 Decret., tit. 9, de Apostatis, n. 1.

244. Secundò, apostata à religione (idem est de fugitivo seu vagabundo) excommunicatus est jure communi, si dimittat habitum religionis. Constat ex c. *Ut periculosa*, Ne clerici vel monachi, in 6, ubi districtiùs inhibetur, *ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè vel expressè professus, in scholis vel alibi temerè habitum religionis suæ dimittat... Si quis autem horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* Ex quibus verbis colligitur ad effectum hujus excommunicationis sufficere quòd professus habitum suæ religionis temerè dimittat, sive id faciat animo vagandi, sive animo declinandi potestatem superiorum suorum, sive animo apostatandi. Imò sufficit dimissio qualiscumque, quàlibet intentione vel occasione facta, dummodò fiat *temere*. Censetur autem *temerè*, ad effectum incurrendi hanc pœnam, habitum dimittere, non quicumque eumdem exuit, etiam mortaliter peccando, sed qui sic absque rationabili causâ eum exuit, ut et mortaliter peccet, et secundùm communem usum loquendi dici possit habitum dimisisse, ita nimirùm ut talis dimissio sit occasio ad vagandum. Quare si quis ex rationabili causâ, ut propter defensionem vitæ vel famæ suæ, aut ad vitandum grave scandalum dimiserit, non cadit in hanc censuram. Sed neque etiam si ex aliquâ levitate, v. g., ad liberiùs currendum, ludendum vel dormiendum; Sylvius, 2-2, q. 12, a. 1, concl. 3.

245. Tertiò, apostatæ à religione, quatenùs præcisè tales, non incurrunt excommunicationem latam, spectato jure communi; Sanchez l. 6, c. 8, n. 20; Suarez, tomo 4, de Relig., tract. 8, lib. 3, c. 1, n. 10 et 31; Navarrus, comm. 2, de Regular., n. 61; Castropalao, tract. 16, de Statu relig., disp. 4, puncto 16, n. 10; Sylvius cit., concl. 2, quæst. 2; Herincx, p. 3, tract. 4, disp. 5, q. 10, n. 112. Colligitur inprimis ex concilio Tridentino, sess. 25, cap. 4, de Regularibus, ubi loquens de iniquè recedentibus à suis conventibus, nullam facit mentionem excommunicationis, sed arbitrio superioris puniendos relinquit. Secundò, quia Paulus IV, in suâ bullâ contra apostatas datâ 1558, jubet eos requiri et ad monasterium reduci; si verò se inobedientes præstiterit, *sint etiam*, inquit, *auctoritate nostrâ majoris Excommunicationis sententiâ innodati.* Tertiò nullibi exstat in jure communi Excommunicatio lata in apostatas à Religione, quatenùs tales, ut patebit adducendo textus, qui in rem facere videntur. Itaque

246. Objicies 1° cap. *Ut periculosa*, ne clerici vel monachi, in 6, ubi, ne religiosi vagentur, excommunicatio imponitur dimittentibus habitum, adeòque eamdem excommunicationem videntur incurrere apostatæ retinentes habitum, utpote qui lædunt finem constitutionis. — Respondeo à violato fine extrinseco non fieri consequentiam ad violatam constitutionem. Insuper, ut sup. diximus, excommunicatio illa statuitur non ob vagationem præcisè, sed ob vagationem habitu dimisso, imò ob solam habitûs dimissionem, ex quâ sumi possit vagandi occasio. Lessius, l. 1, c.

41, dub. 15, n. 109; Suarez, de Cens., disp. 31, sect. 6, n. 1, et de Relig., tract. 8, s. 3, c. 1, n. 17; Sanchez plures referens, l. 6 Sum., c. 8, n. 20; Castropal., num. 11.

Objicies 2° cap. *Fin.*, de Apostatis, ubi monachus suspenditur ab executione ordinis in apostasiâ suscepti, quousque à Pontifice dispensatio impetretur. — Respondeo sermonem igitur esse de suspensione, non de excommunicatione. Imò ne ipsa quidem suspensio ibidem infligitur ob delictum apostasiæ, sed ob susceptum sacrum ordinem in illo turpi et infami statu. Quare si nullum ordinem, aut saltem non nisi minorem receperit monachus tempore apostasiæ, non contrahet prædictam suspensionem; Suarez, Sanchez, Castrop.

247. Objicies 3° motum proprium Pauli IV, *Postquàm divina bonitas*, quo suspenduntur apostatæ à religione in perpetuum ab omni cujuscumque ordinis ecclesiastici executione, ab omni gradu, ab omnibus beneficiis obtentis et eorum fructibus, ac decernuntur inhabiles ad quoscumque gradus et quælibet beneficia in posterum obtinenda.—Respondet inprimis Sanchez, n. 30, hunc motum proprium non esse receptum, quod etiam probabile existimat Castrop., n. 13. Respondeo secundò, nullam illìc excommunicationis mentionem fieri.

248. Quartò, quod de apostatis à religione habitum regularem retinentibus jam dictum est, idem affirmandum de fugitivis, videlicet spectato jure communi non incurrere excommunicationem, si habitum non dimittant. Omnes supra citati. Ratio est eadem, quia nullibi in jure communi excommunicatio in fugitivos quatenùs tales lata invenitur. Fateor quidem quòd Extrav. *Viam ambitiosæ*, de Regular., statuatur, excommunicatum fore, qui *vel cum habitu, vel sine habitu, vagando* incesserit; verùm id non statuitur ob ipsum recessum aut evagationem, sed ob pertinaciam quâ vagabundus monitus ut redeat, *infra terminum quindecim dierum* redire neglexerit.

Quintò, apostata à sacro vel majori ordine varias incurrit pœnas: 1° Quamdiù persistit in apostasiâ, rejicitur ab accusando aut ferendo testimonio, et est infamis, c. *Alieni*, 2, q. 7, et c. *Beatus*, c. *Si quis*, 3, q. 4; 2° perdit privilegium clericale, si deserens habitum et ordinem, comprehendatur in crimine, c. *Præterea*, de Apostatis. Item si ter ab ordinario monitus militaria noluerit arma deponere, c. *In audientiâ*, de Sentent. excomm. Item si pariter monitus non deferat ullâ ex parte habitum clericalem, c. *Contingit*, eodem.

Sextò, omnis apostata sive à religione, sive à sacro ordine incurrit excommunicationem latæ sententiæ, si matrimonium contrahat seu attentet. Constat ex Clement. 1, de Consang. et Affin., ubi dicitur: *Religiosos, et moniales ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes,.... excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.*

§ 2. *Tenor casûs.*

249. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi simpliciter dicitur *apostasia.*

In Cameracensi legitur, *Apostasia*, quæ in Manuali parochorum de anno 1622, sic explicatur: *Apostasia, à fide quidem, si animo simul et exteriùs ab eâ ex toto deficiat. A religione, si professus religionem approbatam, sine licentiâ eam deserit, animo non redeundi ad illam vel aliam, sed seculariter vivendi, et si habitum eâ intentione dimittit, vel ut contra jus ad aliam transeat, vel ad vagandum, vel etiam ad fornicandum, alio habitu, ut se occultet, assumpto, est excommunicatus. Ab ordine verò, si in majoribus ordinibus constitutus, propriâ auctoritate recedit ad statum secularem, et si uxorem duxerit, excommunicatus est.*

In Gandavensi Instruct. pro confessariis, n. 7, habet simpliciter, *apostasia*: sed Pastorale Gandavense impressum 1640, sub illustriss. ac reverend. Antonio Triest, casum præsentem in hunc modum explicat: *Per apostasiam intellige primò illam quæ est à fide, quâ quis animo et exteriùs à fide ex toto deficit. Secundò à religione, ut si prorsùs religionem approbatam deserit sine licentiâ animo non redeundi ad illam vel alium, sed seculariter vivendi. Tertiò si habitum eâ intentione dimittat, vel ut contra jus ad aliam transeat, vel ad vagandum, estque talis etiam excommunicatus. Quartò ab ordine, ut si in majoribus ordinibus constitutus, propriâ auctoritate recedat ad statum secularem; si verò uxorem duxerit, est excommunicatus.*

In Ruræmundensi instructio pro confessariis inter casus episcopo reservatos secundo loco recenset *apostasiam à fide, à religione et ab ordine reipsà exteriùs perpetratam.*

§ 3. *Reflexiones.*

250. — 1. In omnibus diœcesibus reservari videtur triplex apostasia, à fide, ab ordine sacro et religione. Quod quidem in Camerac., Gandav. et Ruræmundensi manifestum est ex ipso tenore expressionis. Idem verò videtur esse de diœcesibus cæteris, in quibus simpliciter reservatur *apostasia*. Ita censent pro diœcesi quidem Mechliniensi Arsdekin correct., p. 3, tr. 2, c. 3, et Franciscus Maria, p. 3, tr. 5, c. 4, § 3, n. 10. Pro Leodiensi Chapeauville, tract. de Cas. reserv., parte post., c. 2, q. 1 et 2; Jacobus Marchant, Res. past., tr. 5, cap. 6, n. 2; Manigart, Prax. pastoral., p. 1, c. 10, fol. 253; Notau, tract. de sacram. Pœnit., parte 2, disp. 3, q. 1, art. 3, n. 12, saltem quod attinet apostasiam ab ordine et religione. Pro Tornacensi Boudart, tomo 5, tract. 4, de sacram. Pœnitent., § 14, q. 11. Pro Namurcensi Paradis, p. 2, c. 6, d. 1, saltem quod spectat utramque ultimam speciem. Addit Vanden Perre scribens pro diœcesi Gandavensi, reflex. ad tract. de Cas. res. et reflex. vindic., in materiâ reservationis apud omnes theologos agnosci tertiam speciem apostasiæ.

251. Ratio, quia reservato genere reservata est quælibet vera illius species, ut supra diximus, et in hunc modum probavimus; quidquid negatur vel affirmatur de genere primò intentionaliter sumpto vel distributo, negatur vel affirmatur de quàlibet verâ

illius specie. Ob hanc causam reservato simpliciter abortu, censebitur reservatus uterque, tam ille qui est fœtûs inanimati, quàm qui est animati. Similiter reservatio hæresis simpliciter positæ complectitur utramque, tam occultam quàm manifestam. Igitur etiam apostasia simpliciter reservata extenditur ad omnes suas species propriè et strictè sumptas. Porrò tria membra superiùs enumerata, esse veras apostasiæ species evincunt communis usus et modus loquendi, cui reservans episcopus, ut dictum est suo loco, sine dubio se accommodat : quæ enim clavis aut mensura potest adhiberi aptior aut magis tuta ad penetrandam aut aperiendam mentem episcoporum, quàm communis usus, id est, acceptio vocum seu terminorum theologis passim usitata ? Theologis porrò dari triplicem veræ apostasiæ speciem enumeratam testis est inter cæteros Sylvius, 2-2, q. 12, a. 1, dicens : *Juxta communem loquendi modum triplex est apostasia, à religione, ab ordine, à fide.* Idem præter Arsdekin, Marchant, Manigart, Boudart, Chapeauville cit., docent Filliucius, tomo 2, tract. 22, c. 6, n. 198 ; Azorius, Instit. mor., p. 1, l. 8, c. 21 ; Bassæus, verbo *Apostasia*, n. 1 ; Bannez, q. 12, a. 1 ; Lesana, verbo *Apostata*, n. 2, 4 et 13 ; Bonacina, de Censuris in B. C. contentis, disp. 1, q. 2, puncto 1, n. 1 ; Vallensis in Paratit. seu summar. Decret. expl., lib. 6, tit. 9 ; Canisius, sum. Juris canon., l. 3, tit. 20 ; Val. And., Synopsi juris canonici, lib. 5, tit. 9 ; Glossa, c. *Hi qui*, distinct. 50, et alibi.

252. Confirmatur ; quia si unam tantùm ex speciebus apostasiæ reservare velint superiores, solent particulam addere, quæ sensum generalem stringat : sic enim Pontifex in bullâ *Cœnæ*, volens excommunicare solos à fide deficientes, id ipsum exprimit dicens § 1 : *Excommunicamus... à fide apostatas.* Similiter in decreto Clementis VIII, quo continentur casus superioribus regularibus reservabiles, exprimitur *apostasia* cum expressâ restrictione, *à religione.* Proinde cùm nullam similem restrictionem addant episcopi supra nominati, reservantes apostasiam, videntur complecti utramque, tum illam quæ est à fide, tum aliam, quæ est à religione, ac cùm sit paritas rationis, etiam tertiam, quæ est à majori vel sacro ordine.

2. In Cameracensi et Gandavensi tertia species apostasiæ restringitur expressis terminis ad sacrum seu majorem ordinem.

253. — 3. In Gandavensi reservatur apostasia à religione, etiam impropriè sumpta, nimirùm si religiosus *habitum eâ intentione dimittat, vel ut contra jus ad aliam religionem transeat ; vel ad vagandum.* Secus est de Cameracensi, ubi solummodò confessarius admonetur, fugitivum aut vagabundum, quando dimittit habitum, esse excommunicatum ipso facto, c. *Ut periculosa, Ne clerici vel monachi*, in 6, sup.

4. In Cameracensi et Gandavensi monentur pariter confessarii, quòd clerici majorum ordinum (idem est de religiosis et monialibus) si contraxerint vel quantùm in se est, attentaverint matrimonium, sint ipso facto excommunicati per Clement. *Unic.* de Consang. et Affin., sup. adductam ; quanquam excommunicatio nemini sit reservata.

254. — 5. In solà Leodiensi præter facultatem generalem in casus episcopales, requiritur insuper *specialis* ad absolvendum à quàvis specie apostasiæ : sic enim habet Instructio summaria pro confessariis istius diœcesis, n. 17, *noverint autem* (confessarii) *nemini quantùmvis potestatem habenti, absolvendi à casibus nobis reservatis, veniam esse concessam, ut absolvere possit ab... apostasiâ.* Proinde ut apostata à fide absolvatur in illâ diœcesi, requiritur facultas prædicta, etsi non incurrerit censuram paragrapho primo bullæ *Cœnæ* expressam. In cæteris diœcesibus pro solà apostasiâ à fide facultas *specialis* tum necessaria est cùm delinquens præfatam excommunicationem contraxerit. Ratio est quia apostasia à fide per se loquendo est casus papalis, per accidens seu per indultum episcopalis, à quo proinde sine *speciali* facultate in nullâ diœcesi absolvit delegatus, nisi delictum à censurâ separetur ob ignorantiam delinquentis, aut aliàs, ut supra in Prolegomenis diximus.

§ 4. *Corollaria.*

255. — 1. Casum non constituit in quâlibet diœcesi apostasia mentalis et interna tantùm, vel contra realis aut externa tantùm, aut incompleta : ut si quis aut affectu solo, aut solo effectu amplectatur paganismum, aut Judaismum, puta metu mortis, tempore persecutionis, aut intuitu notabilis alicujus commodi vel incommodi ; item si religiosus sive retento sive exuto habitu vagetur intra septa monasterii ex efficaci affectu apostatandi.

2. Idem est de transitu à fide catholicâ ad Lutheranismum, Calvinismum, Jansenismum, etc., quia, ut supra diximus, secundùm theologos communiter *apostasia à fide* est recessus à totâ fide catholicâ ; qui autem ad sectam aliquam hæreticorum transit, v. g., Calvinistarum vel Jansenianorum, manifestum est quòd totam fidem non deserat, sed tantùm aliqua illius puncta.

256. — 3. Idem, si religiosus vagetur per locum à superiore graviter interdictum, dummodò supponatur conventui seu monasterio innexus et incorporatus esse, Suarez, de Relig., tr. 8, l. 2, c. 18, n. 4.

4. Idem, si religiosus sive retento sive dimisso habitu deserat septa monasterii ad vagandum cum intentione redeundi aut etiam animo intrandi religionem aliam, quantùmvis laxiorem contra juris canonici dispositionem. Excipitur, ut supra diximus, diœcesis Gandavensis, in quâ peccatum reservatum committit, qui vel ad vagandum, vel ut contra jus ad aliam religionem transeat, dimittit habitum.

5. Idem, si septis monasterii physicè egressus, ad se et suum conventum per Dei gratiam tempestivè redeat seu reducatur, sine morali recessu per spatium considerabile loci vel temporis. Ratio est quia talis recessus, licèt in foro interno sit mortalis ob malam monachi intentionem, non censetur tamen apostasia consummata, quæ moralem recessum exigit, argum. c. *Divortium*, de Pœnitent., dist. 1, ubi dicitur quòd

brevi reversus recessisse non videatur, *si brevi reversa est uxor, nec divertisse videtur*. Quot autem passibus debeat religiosus à conventu discessisse, non potest physicè definiri. Existimat Bordonus non sufficere mediam horam, seu potiùs leucam. Rectiùs existimat Coriolanus id esse relinquendum prudentis arbitrio.

6. Idem de eo qui invalidè professus defectu ætatis, libertatis vel alterius necessariò requisitæ conditionis, invito superiore aufugeret. Interim concilium Tridentinum, sess. 25 de Regularibus, cap. 19, præcipit, puniri tanquàm apostatam, qui etiam infra primum quinquennium ab emissâ professione, prætextu similis impedimenti dimiserit habitum, non deductis antea, quas prætendit, causis coram superiore suo et ordinario.

257. — 7. Religiosus exemptus ab ordinariâ jurisdictione episcopi, si deserat per apostasiam institutum suum, non incurrit casum episcopo, sed suo superiori reservatum; Chapeauville, q. 3; Manigart 258; Paradis. n. 30. Colligitur manifestè ex decreto Clem. VIII, quo superioribus regularibus potestas datur reservandi apostasiam à religione; quæ potestas risui serviet, si reservans ipse ab hujus apostasiæ delicto non possit absolvere.

8. Ad reservatam apostasiam ab ordine majori requiritur animus laicalis vitæ; quare si habitum dimittat clericus ex levitate, petulantiâ, vel alio fine, qui non excludat intentionem vitæ et statûs clericalis, non erit casus; Chapeauville, q. 1; Arsdekin et Manigart, sup. Paradis. n. 11.

9. In nullâ diœcesi casu reservato tenetur clericus minorum ordinum, non habens beneficium ecclesiasticum, si habitum clericalem dimittat ex fine laicalis vitæ; Chapeauville, Manigart, Paradis. Aut si quidem sit beneficiatus, sed simul cum habitu dimittat beneficium. Iidem.

10. Probabiliùs committit peccatum reservatum in Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, et Ruræmundensi clericus minorum ordinum, qui retineat beneficium ecclesiasticum dimisso habitu ex fine vivendi laicaliter. Secùs dicendum pro Cameracensi et Gandavensi.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

258. — 1. Objicies : Si tres species apostasiæ censeri debeant reservatæ sub vocabulo, *apostasia*, simpliciter expresso, quare non etiam quarta, quæ est à charitate vel obedientiâ per peccatum mortale vel gravem transgressionem præcepti graviter obligantis? Certè S. Thomas, sup. citatus, recenset inter species apostasiæ, etiam illam quæ est à charitate. — Resp. verbis Sylvii, Bannez et aliorum sup., obstare usum communem theologorum, apud quos nomen apostatæ hodiè invidiosus est, quàm ut tribui soleat cuilibet peccatori, etiam graviori.

259. — 2. Objicies ex MSS. olim Lovanii dictatis : Nihil sequitur ex auctoritatibus Boudart, Chapeauville, Notau, etc., supra adductis, nisi tres illas apostasiæ species reservatas esse in illis diœcesibus, pro quibus scripserunt auctores memorati, qui episcoporum suorum mentem potuerunt habere perspectam; quod non est extendendum ad alias diœceses, in quibus non constat de eâdem mente vel intentione episcoporum. — Respond. : Cum in diœcesi Tornacensi, pro quâ scripsit Boudart; Leodiensi, pro quâ scripserunt Chapeauville, Notau, etc., reservetur simplici vocabulo *apostasia*, rectè horum auctorum judicium extenditur ad cæteros episcopatus, in quibus eodem vocabulo idem casus reservatus est. Neque ad rem facit quod additur, auctoribus illis episcoporum suorum mentem potuisse esse perspectam; quia vel agitur de mente episcoporum, prout exteriùs exprimitur, vel prout interiùs retinetur. Si primum, manifestum est eamdem esse mentem episcoporum Tornacensis, Leodiensis, Mechliniensis et reliquorum. Si secundum, id est, si agatur de mente illorum episcoporum quatenùs vel animo retentâ, vel privatim significatâ, eatenùs non poterit esse regula necessaria confessarii vel pœnitentis.

260. — 3. Objicies : Plurimi auctores, inter quos eximius Steyaert, censent per apostasiam simpliciter expressam intelligi illam duntaxat speciem quæ est à fide. *Apostasia*, inquit Steyaert, explicans hunc casum, quatenùs in provinciâ Mechliniensi reservatum, *nempe à religione, v. g., ad Judaismum, Turcismum*, etc.; *ita propriè sumitur et à casu hæresis differt*. Ergo judicio Steyaertii illa sola apostasia est *propriè* sumpta, quâ receditur à fide catholicâ. — Respondeo : Non negamus auctores aliquos aliter opinari, sed (quantùm nobis apparet) minùs probabiliter. Quod attinet eximium Steyaert si rectè inspiciatur, non docet quod objectione prætenditur : cùm enim ait apostasiam à religione, v. g., ad Judaismum, esse *propriè* sumptam, nullatenùs significat, apostasiam ob ordine sacro vel religiosâ professione esse impropriè dictam, sed lapsum in *hæresim* esse impropriè apostasiam, id quod etiam superiùs diximus. Itaque Steyaert præscindit ab hâc quæstione, an recessus temerarius ab ordine vel professione contineatur sub apostasiâ simpliciter reservatâ; affirmans interim, quod est certum, sub illo vocabulo reservari recessum à fide, non qualemcumque, v. g., in hæresim, sed qui fit à totâ fide, v. g., ad Judaismum, quia ille solus est *apostasia à fide propriè* dicta.

261. — 4. Objicies S. Thomam sup. O : *Si à fide discedat*, homo, *tunc omninò à Deo retrocedere videtur, et ideò simpliciter et absolutè est apostasia, per quam aliquis discedit à fide, quæ vocatur apostasia fidei; et secundùm hunc modum apostasia simpliciter dicta ad infidelitatem pertinet*. Ergo, juxta S. Thomam non est vera et propriè dicta apostasia, si quis recedat solummodò à clericatu vel religione. — Respondeo negando consequentiam : non enim prætendit S. Thomas in utroque ultimo casu non esse verum apostatam; sed non recedere à Deo *simpliciter* sive in totum, in quem modum recedit à Deo desertor fidei : qui enim religionem vel sacrum ordinem deserit, recedit quidem à Deo quoad vinculum charitatis, item quoad vinculum supererogatorium, quo spontè se obligavit, atque hâc ratione est verus et propriè dictus apostata; sed cùm

nihilominùs possit manere Deo conjunctus quoad vinculum fidei, hinc nondùm *simpliciter* seu in totum deserit Deum. At si insuper fidem abneget, tunc neque vinculo fidei, neque vinculo charitatis manet Deo conjunctus, atque ita *simpliciter* recedit à Deo et proindè solus fidei desertor hoc sensu est *simpliciter* apostata. Hanc esse mentem doctoris Angelici colligitur ex contextu : *Contingit*, inquit, *aliquem apostatare à Deo, retrocedendo à religione quam professus est, vel ab ordine quem suscepit; et hæc dicitur apostasia religionis vel ordinis... Quibus duabus apostasiis existentibus, adhùc potest remanere homo Deo conjunctus per fidem; sed si à fide discedat, tunc omninò à Deo retrocedere videtur.*

262. — 5. Objicies : Apostasia à fide non differt essentialiter ab hæresi : quòd enim apostata deficiat à totâ fide, hæreticus ab aliquo illius articulo, fundat differentiam solummodò materialem penès magis et minus. Ergo in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, *apostasia à fide* videtur potiùs reservari sub hæresi quàm præsenti casu.—Respond. 1° : Ob hanc causam sic sentiunt Manigart, Paradis, Notau, volentes per *apostasiam* intelligi hoc loco illam solam quæ est ab ordine vel religione. —Respond. 2° : Non est una omnium theologorum opinio de identitate essentiali hæresis et apostasiæ : oppositum enim docent Sylvester, verbo *Hæresis*, q. 2; Canus, l. 12, de Locis theologicis, c. 9, apud Sanchez in Decalogum, l. 2, c. 7, num. 16. Hoc certum, quòd differentiam sufficientem inter utrumque agnoscat Pontifex, ut per distinctos terminos anathemate feriat et *hæreticos* et *à fide apostatas*, § 1 Bullæ *Cœnæ*. Cur ergo eadem differentia episcopo non sufficiat, ut sibi separatim reservet hæresim et apostasiam à fide? Certè differentiam ad hunc effectum sufficientem expressis terminis agnoscunt Gandavensis, Cameracensis, et Ruræmundensis, ut supra videri potest.

263. — 6. Objicies : Jam aliquoties dictum fuit ad apostasiam à fide requiri totalem recessum ab eâdem : quod si verum sit, transiens à fide catholicâ ad Judaismum, non erit apostata; non enim deserit totam fidem, sed eam solummodò, quæ novo Testamento continetur.—Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem dico desertorem esse totius fidei, quæ est propria Romano-catholicis : professio enim veteris Testamenti communis est catholicis et Judæis; Testamenti autem novi solis catholicis propria est.

CAPUT V.

DE BLASPHEMIA

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid, quotuplex, quale peccatum blasphemia?*

264. *Respondeo dicendum quòd nomen blasphemiæ importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, et præcipuè divinæ.* S. Thom., q. 13, art. 1, O. Itaque blasphemia generatim significat omne convicium et maledictum in aliquem præsertim alicujus dignitatis et excellentiæ, quo censu accipitur 1 Cor., 4 : *Blasphemamur et obsecramus;* et ad Titum 3 : *Admone illos..... neminem blasphemare*, id est, ut exponit Hieronymus, maledicere et conviciari. Speciatim verò ex usu Patrum et theologorum accipitur strictiùs pro contumeliâ in Deum. Unde Augustinus, l. de Moribus Manich., cap. 11 : *Est autem blasphemia, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere; de hominibus namque dubitari potest; Deus verò sine controversiâ bonus est.* Formaliter igitur et propriè definiri potest : *Contumeliosa locutio in Deum.* Proinde ad blasphemiam inprimis requiritur *contumelia*, quæ non est aliud quàm alieni honoris aperta violatio. Requiritur secundò *locutio*, seu ut verbis derogetur honori divino; ex quo colligitur contumeliam esse genus blasphemiæ : contumelia enim generatim dicitur omnis inhonoratio, seu omne signum vel factum quo honori alterius derogatur : nam etsi potissimùm fiat verbis, quæ significandi principatum obtinent, sæpè tamen fit aliis signis, ut ex usu probatorum auctorum constat et docet S. Thom., q. 72, art. 1. Alia est igitur contumelia verborum, alia factorum, ut si quis alteri in faciem spuat, si alapâ feriat, etc. Sed ea tantùm contumelia blasphemiam constituit, quæ verbis agitur; verbis, inquam, formalibus aut virtualibus. Quare satis est si fiat scripturâ aut alio signo vocis vicario, v. g., musicâ, quâ sicuti Dei laudem enuntiamus, sic oppositam laudi blasphemiam exprimere possumus. Denique requiritur ad blasphemiam ut contumelia irrogetur Deo, scilicet directè vel indirectè, de quo infra. Ita Navarrus, c. 13, n. 81; Lessius, l. 2, c. 45, dub. 5, n. 24; Barbosa, part. 3, alleg. 51, n. 85 et seq.

265. Hinc constat blasphemiam esse speciem irreligiositatis, sive peccatum religioni oppositum per defectum, ex suo genere mortale gravissimum, imò ex levitate materiæ nunquàm veniale : uti ex hâc parte non potest esse peccatum veniale idololatria, infidelitas vel perjurium. Imò *pejus est* (inquit S. Aug., lib. contra mendacium adversùs Priscillianistas, cap. 19) *blasphemare, quàm pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus; blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tantò est autem quisque inexcusabilior, sive perjurus, sive blasphemus, quantò magis ea quæ pejerando vel blasphemando asserunt, falsò noverunt esse vel credunt.* Avertit tamen Suarez, l. 1 de Irreligiositate, cap. 6, n. 1, ut sit propriè blasphemia, debere proferri per modum convicii; aliàs si tantùm materialiter vel ex levitate aut joco proferatur, censet fore peccatum levitatis et irreverentiæ, quod tamen limitat Sanchez, l. 2, c. 32, n. 2.

266. Et generatim Marchant, tom. 2, tr. 2, tit. 4, sect. 1, q. 3, in Append., concl. 6, docet excusationes speculativas, quæ à nonnullis doctoribus congeruntur ad excusandum blasphemos, utpote quòd verba illa sint velut interjectiones commoti animi, quòd ex præcipitantiâ et pravâ consuetudine proferantur, à judicio practico et christiano esse rejiciendas : cùm enim verba illa, prout hic et nunc proferuntur et audiuntur, nil

aliud præter blasphemiam formalem insinuent, gravem irreverentiam ingerunt; Deus utique non irridetur, et os blasphemi illum condemnat, quidquid sit de intentione ejus. Itaque quæ Deum vel Christum ejus tangunt, et falsitatem, vituperium, irrisionem, contemptum Dei sonant (etsi affectus omnis pravus deesset), de genere illorum sunt censenda, quæ non tantùm malè sonant, sed ex naturâ suâ horrenda sunt in ore Christiani, adeòque excusationem non admittunt. Præceptum sanè Dei est, non inhonorare Deum, quod ubique, semper et quibusvis circumstantiis obligat sub mortali, maximè cùm fit per execrationes, irrisiones et contemptus. Nec levitas materiæ prætendi potest, ubi est objectum illud infinitæ bonitatis et supremæ sanctitatis; nec indeliberatio favet ei qui quidquid est, Dei est, et in illo vivit, movetur et est, à quo accipit vitam, inspirationem et omnia. Ita Marchant, ubi, quod de indeliberatione dicit, debet intelligi cum grano salis, ut patebit inferiùs.

267. Porrò quàm atrox et immane delictum sit blasphemia, docemur inprimis multiplici S. Scripturæ testimonio. Ob blasphemiam solebant Judæ scindere vestimenta sua in ejus detestationem et execrationem, ut hoc signo sibi cor intimo dolore tangi et quasi scindi testarentur, Isaiæ 73, v. 1; Actorum 14, v. 13; Matth. 26, v. 65, ubi princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, et nullis jam ampliùs testibus esse opus significat ad Christum capitis condemnandum, postquàm se Filium Dei nominâsset. Ob blasphemiam filius mulieris Israelitidis præcepto Domini lapidibus fuit obrutus, Levitici 24, v. 14, et v. 16, jubetur Moyses ad filios Israel dicere, *ut qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Ob blasphemiam Antiochus insanabili et invisibili plagâ percussus fuit, 2 Machab., c. 9, ob blasphemiam Sennacherib cum 185,000 per Angelum Domini cæsus est, Isaiæ 37, v. 36; ob blasphemiam et contemptum Dei Israel, Holofernes manu feminæ trucidatus est, Judith, c. 13. Item omnem blasphemiam tollendam monet Apostolus, Ephes. 4, v. 31, Coloss. 3, v. 8, Tit. 3, v. 2, et in ejusdem horrorem declarat, 1 Timoth., 1, quòd Hymenæum et Alexandrum tradiderit Satanæ, *ut discant non blasphemare.* Varii insuper blasphematores varias dederunt pœnas pro eodem crimine. Blasphemus Pharao, dicens: *Non novi Dominum*, mersus est in mari Rubro. Syri dicentes: *Deus montium est Dominus eorum, et non est Deus vallium*, multi à paucis Israelitis in valle prælio cæsi sunt, 3 Reg., 20. Blasphemus antichristus dejicietur in tartara, Apoc. 13, v. 6, et 19, v. 20. Imò ipse Nabuchodonosor, viso fornacis Babylonici miraculo, posuit *hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum..., dispereat, et domus ejus vastetur.* Daniel., 3, v. 96.

268. Ejusdem delicti gravitas colligitur ex pœnis per utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam in blasphemos decretis. Jus civile, Novellâ 77, blasphemos ultimo supplicio afficiendos decrevit. Verùm pœna mortis jam desuetudine abrogata est, ut relatis aliis docent Menochius, de Arbitr., casu 375, n. 26, et Farinac., l. 1 Prax., tit. 3, q. 20, n. 64. Jus canonicum, cap. 2 de Maledicis, et cap. *Si quis per capillum*, 22, q. 1, varias decrevit pœnas tam in laicos quàm in clericos blasphemantes Deum, vel sanctos et maximè beatam Virginem. Similiter in utrosque gravissimis pœnis animadvertunt concilium Lateranense, inchoatum sub Julio II, continuatum sub Leone X, sess. 9; Julius III, constitutione quæ incipit: *In multis depravatis*, et Pius V, constit. *Cùm primùm apostolatûs.*

269. Varias pœnas diversis temporibus in blasphemos in Galliâ auctoritate regiâ decretas fuisse patet tomo 2, p. 1, c. 21 Actorum clerici Gallicani; item ex l. 6 Capitular. regum Franciæ, cap. 101. Item additione 3 ad Capit. reg. Franc., c. 84. Item ex constitutionibus Aurelianensibus sub regibus Francisco II et Carolo IX, quæ quamvis rigidissimæ fuerint, nescio tamen, inquit Marchant cit., *quo pacto regum Galliæ illùc dementiæ pervenerit, ut non nisi blasphemiæ in eo audiantur, et Gallorum elegantiæ non nisi blasphemiis ornentur cum honore nominis christiani: quod malum in Belgium serpit inter eos qui Gallorum consuetudine plus æquo sunt gavisi.* Ita Marchant.

270. Sunt et plurima principum nostrorum edicta in eumdem abusum successivis temporibus edita et repetita. 9 martii 1510, 3 martii 1514, 5 aprilis 1536, 9 febr. 1566, et quidem ultimâ novemb. 1517, hìc decretum est, ut qualescumque blasphemi et execrabiliter jurantes, severè puniantur, primò pecuniâ arbitrariâ; secundò publicâ in theatrum expositione et linguæ incisione; tertiò fustigatione per locum ubi acciderit, et perpetuo banno sub pœnâ mortis sine remissione. Edicto 5 januarii 1518, repetita est ordinatio, sed mitigatæ pœnæ; primò, 60 sol. Fland., secundò, dupli; tertiò, tripli, et sex dierum jejunii in pane et aquâ; quartò, expositionis ad sex horas. Demùm edicto de 7 octob. 1531, ordinatum art. 43, ut blasphemi rigidè puniantur per carcerem menstruum in pane et aquâ; graviùs qui Deum abjurant animo improbo; præter carcerem lingua transcindatur; aliàs arbitriè in cute luant sine conniventiâ; alioquin judices statûs sui periculum patiantur. Quæ omnia ostendunt gravitatem istius peccati in omni foro, et atrocissimum blasphemiæ delictum in ore hominis christiani nullâ ratione tolerandum esse.

Cæterùm blasphemia variè dividitur, primò, in parte actûs, qui vel est interior vel exterior. Juxta quam divisionem alia est blasphemia oris, alia cordis. S. Thomas citat. Addunt aliqui blasphemiam operis, cum ipso opere falsum de Deo significatur, v. g., per idololatriam, vel aliis in Deum factorum contumeliis; sed, ut supra dictum, hæc non est propriè blasphemia.

271. Secundò dividitur ex parte modi, idque tripliciter, videlicet in eam quæ fit per verba modi indicativi, et appellari solet enuntiativa; in eam quæ fit per verba modi imperativi et optativi seu per modum imprecandi, et vocatur imprecativa; demùm in eam quæ fit per verba fracta absque enuntiatione aut im-

precatione. Prima committitur, dùm affirmatur de Deo aliquid, quod ei repugnat, aut negatur, quod ei est necessarium : ut si quis affirmet, Deum esse auctorem malorum, injustum, crudelem, personarum acceptorem, aut probroso nomine compellet, vel si quis neget sanctissimam Trinitatem, generationem Verbi, æqualitatem ejus cum Patre, processionem Spiritûs sancti ex filio, divinam providentiam, sapientiam, potentiam, bonitatem, etc., aut demùm, si quod Deo est proprium, tribuatur creaturis : eo enim ipso (quantùm est ex parte blasphemantis) deprimitur Deus, quatenùs æquatur creaturis in hoc vel illo genere perfectionis ; talis erat Blasphemia Pharisæorum de Christo dicentium : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Quibus verbis duplicem contumeliam irrogabant Deo, in quantum tribuebant principi dæmoniorum quod divinà fiebat virtute, et de Filio Dei affirmabant commercium cum diabolo. In eumdem modum blasphemia involvitur in omni superstitione, idololatriâ, magiâ, quatenùs excellentia aliqua Deo propria, ut potentia, sapientia, bonitas, tribuitur diabolo vel creaturis. Sic Israelitæ, Exodi 32, de vitulo conflatili per blasphemiam affirmabant : *Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.*

272. Hi tamen tres modi non distinguuntur specie, sed sunt unius rationis, ut docet S. Thomas cit. ad 3 : nam tribuere Deo quod ei non convenit, et negare quod convenit, non differunt nisi secundùm affirmationem et negationem, quæ non variant rationem injuriæ vel contumeliæ, sicut nec rationem notitiæ vel erroris. Ea verò quæ Deo sunt propria, tribuere creaturis, nihil videtur aliud quàm tribuere Deo quod ipsi non convenit : quidquid enim est Deo proprium, est ipse Deus : attribuere autem id quod est Deo proprium, alicui creaturæ, est ipsum Deum dicere idem creaturæ. Ita S. Thomas. Blasphemia *imprecativa* committitur, cùm quis Deo optat vel imprecatur malum aut defectum boni, v. g., dicendo : *Maledictus Deus, pereat Deus, ad despectum Dei, tædeat, pudeat, pœniteat Deum.* Eodem pertinet Gallica illa phrasis : *Mort Dieu !* quâ mortem volunt vitæ interminabili. Demùm blasphemia *per verba fracta* committitur, dùm quis nihil negans, affirmans aut desiderans, per despectum, irrisionem ac indignationem probrosè nominat 1° attributa divina, ut : *O Dei bonitas, sapientia, potentia !* vel : *Vah ! qui destruis templum Dei !* 2° Sacramenta, sanguinem aut vulnera Christi ; 3° membra Christi, beatæ Virginis vel sanctorum, quam blasphemiam Lessius vocat *dehonestativam.*

273. Tertiò dividitur blasphemia ex parte materiæ in hæreticalem et non hæreticalem. Non hæreticalis est, quæ hæresim non significat. Talis plerùmque est, quæ committitur imprecando, optando, imperando sine affirmatione vel negatione, etc. Hæreticalis est, quæ hæresim continet. Talis est plerùmque enuntiativa, cùm videlicet tribuitur Deo quod illi non convenit, vel negatur quod convenit, vel transfertur in creaturam. Ad hanc blasphemiam non requiritur ut proferatur ex errore pertinaci contra fidem, sed sufficit objectum vel significatum ejus, fidei repugnare, ut observat Castropalao, tract. 17 de Vitiis oppositis Religioni, disp. 2, punct. 2, § 3, n. 1. Ob quam causam Sporer, tr. 2 in 1 præcept. Decalogi, c. 10, sect. 3, § 1, n. 12, distinguit blasphemiam hæreticalem ab hæreticâ, quòd hæc, non illa, præter significatum fidei repugnans, exigat assensum internum et erroneum cum pertinacià, adeò ut duplex involvat peccatum mortale, et blasphemiæ, et infidelitatis internæ et externæ, seu perfectæ hæresis. Exempla blasphemiæ hæreticalis sunt : 1° in horribili illo et prorsùs abominabili vocabulo *Sacre Dieu !* quo boni omnis centrum et originem vocant *scelestum, damnatum, execrabilem ;* vox enim *sacre* apud Gallos æquivoca est, significans primò idem quod *venerabile et consecratum ;* secundò idem quod *scelestum et execrabile.* Ita discimus ex dictionariis Gallico-Flandris, signanter illo quod Antuerpiæ impressum est apud Joannem Keerbergue, anno 1593. Eamdem æquivocationem patitur vocabulum Latinum *Sacer*, de quo Calepinus :

274. « *Sacer*, inquit, idem quod venerabile et consecratum... Capitur nonnunquàm pro execrando, scelesto. Virg., lib. 3, Æneid. :

« *Quid non mortalia pectora cogis*
« *Auri* SACRA *fames !*

« Antiquitùs homo *sacer* dicebatur, qui post diras execrationes pestis, alteriusve calamitatis expiandæ gratiâ alicui deorum immolabatur ; quamvis per translationem etiam latiùs accipiatur pro quovis homine scelerato et detestabili. » Ita doctissimus Calepinus. Porrò in malam partem, id est, sensu posteriori hoc vocabulum sumunt homines, quando Deo tribuunt ex iracundiâ, impatientiâ, desperatione aut malâ consuetudine ; ut sumunt idem vocabulum, quando, quod satis frequens, cani vel diabolo jungunt, ubi sinè manifestâ stultitiâ dici non potest, proferentis intentionem esse affirmare de cane vel diabolo sanctitatem. Exemplum blasphemiæ hæreticalis est, 2° in vocabulo pariter horribili et execrando *Je renie Dieu*, renego Deum, ejuro, desero, detestor ; videlicet quo Dei bonitas, amabilitas, existentia denegantur. Ita Castrop. sup. n. 2 ; Lessius, n. 27 ; Zoesius in l. 5. Decretal., tit. 26, n. 2. Exemplum est 3° quando humana veritas et certitudo comparatur divinæ, ut cùm aliquid affirmando dicitur : *Tam verum quàm Deus, est.* Quam propositionem blasphemam esse docent Covarruv., de Pact., 1 p., § 17, n. 9 ; Suarez, lib. 1, de Blasphemiâ, c. 6, n. 12 ; Barbosa, 3 p. de Pot. episc., alleg. 51, n. 92. Zoesius citatus. Ratio est quia illa comparatio divinæ veritatis adducitur ad firmandum veritatem objecti creati, quatenùs affirmatur æqualitas inter veritatem creatam et incomparabilem, inacessibilem veritatem divinam. Ergo committitur blasphemia, non qualiscumque, sed hæreticalis, quæ in eo sita est, creaturæ tribui, quod proprium est Creatori. Interim certum videtur, horum verborum malitiam multùm pendere ab intentione proferentis, qui, si æqualem cum Deo certitudinem

et infallibilitatem vellet objectis creatis tribuere, sine dubio blasphemus hæreticalis esset; secùs, si tantummodò similitudinariam. Ita Medina, Lopez, Azorius, Sanchez et alii, quos citat et sequitur Castrop., n. 4.

275. Quartò dividitur blasphemia ex parte voluntarii, in directam et indirectam. Directa est quæ fit destinatâ intentione inhonorandi Deum, ut quæ ex desperatione, odio Dei aut adversâ fortunâ sæpiùs profertur. Indirecta, quæ quidem non profertur ex formali intentione improperii; sed tamen satis deliberatè cum notitiâ vel ignorantiâ vincibili rei significatæ. Taliter blasphemant qui non quidem ex odio Dei, sed ex iracundiâ, impatientiâ, passione in hominem, pecus vel rem inanimatam voluntariè proferunt usitatissima illa vocabula Gallica, *Mort Dieu! Sacre Dieu! Je renie Dieu!* qui enim scienter et seriò profert verba blasphemiam significantia, eo ipso convincitur, virtualiter et indirectè velle convicium aut improperium Dei.

276. Quintò dividitur ex parte termini in illam quæ proximè et immediatè Deum respicit, ut in exemplis hactenùs allegatis, et in alteram, quæ tendit proximè in aliquid Deo sacrum, vel ad eumdem peculiariter relatum, v. g., in sanctos, quatenùs, injuria vel contumelia his illata redundat in Deum. Unde S. Thomas ad 2 *dicendum*, inquit, *quòd sicut Deus in sanctis suis laudatur, in quantùm laudantur opera, quæ Deus in sanctis efficit, ita et blasphemia, quæ fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Debet esse maledictum in sanctos formaliter seu quatenùs sancti sunt, adeòque cum habitudine ad Deum formali vel virtuali. Quare si contumelia jactetur in sanctos, non ut sunt sancti sive beati, sed ut nobiscum homines fuerunt in terris, non erit propriè blasphemia, v. g., si quis dicat, Adamum fuisse gulonem, Magdalenam peccatricem, Petrum calvum vel piscatorem, Paulum persecutorem Ecclesiæ, Crispinum et Crispinianum sutores, etc.

Quæstio II. — *An, quandonam et qualiter peccent, qui habent consuetudinem blasphemandi, incautè jurandi?* etc.

277. Respondeo, inprimis ipsam blasphemandi, incautè jurandi aut generaliter peccandi consuetudinem præcisè, non esse peccatum speciale. Ratio est quia, si loquamur de consuetudine formaliter sumptâ, hæc non distinguitur ab ipsis peccati actibus, ex quibus coalescit, adeòque non est eatenùs speciale peccatum Antecedens est certum, quia consuetudo formaliter sumpta nihil est aliud, nisi aggregatum ex repetitis actibus, ita ut singuli actus sint partes integrales, constituentes unam multitudinem, unum aggregatum, quod appellatur consuetudo. Si verò loquamur de consuetudine, prout est quædam inclinatio, ex actibus repetitis genita, eatenùs quidem est habitus vitiosus, movens et inclinans ad malum, sed in tantùm non potest equidem esse formale et actuale peccatum, quod in solo actu ejusve omissione reperiri potest. Vide Sanchez, l. 3 Mor, c. 5, n. 4, et ab eodem citatos Sotum, Medinam, Azorium, Ledesma, Suarez, Vega.

278. Secundò, qui scienter et voluntariè frequentatis actibus contrahit consuetudinem peccandi, v. g., qui frequenter repetit blasphemias, perjuria, etc. simul advertens, sensim sibi consuetudinem illorum peccatorum ingenerari, bis graviter peccat, 1° blasphemiis aut perjuriis vel peccatis similibus secundùm se consideratis; 2° quatenùs voluntariè ponit causam secuturis blasphemiis, perjuriis vel similibus malis: licèt enim blasphemiæ (idem est de similibus) ex consuetudine vel habitu inveterato supponerentur formaliter non esse peccata, ob defectum voluntarii, v. g., si omninò indeliberatè et naturali quasi impetu fiant, ipsa tamen voluntas ponendi earum causam, videlicet consuetudinem per frequentos actus, satis deliberata fuit, ideòque duplicatam sortitur malitiam, et ab actu deliberatè frequentato, et à prævisis secuturis actibus, indirectè saltem volitis, etsi materialiter tantùm malis.

279. Hinc sequitur 1° quòd bis mortaliter peccent, qui usu quotidiano advertunt sibi fieri consuetudinem Gallicarum blasphemiarum, *Mort Dieu!* etc. Sequitur 2° illum qui contraxit similem consuetudinem, non satisfacere in confessione exprimendo numerum blasphemiarum, perjuriorum, etc., sed insuper debere addere, peccata eadem tamdiù et toties multiplicata esse, ut tandem fecerint voluntariam consuetudinem. Sequitur 3° non sufficere, quòd talis homo doleat de peccatis præteritis atque etiam firmum de cavendis futuris propositum habeat, nisi ita sit efficax, ut se extendat etiam ad propinquas occasiones declinandas et cavenda ac tollenda pericula peccatorum, quantùm moraliter loquendo potest fieri. Sequitur 4° quòd confessarius talem compellere possit ac debeat ad fugiendum lusus, tabernas, potitationes et similia quibus blasphemandi aut pejerandi consuetudo alitur aut fovetur.

280. Tertiò qui ita contraxit consuetudinem blasphemandi, pejerandi, etc., tenetur sub peccato mortali operam dare ut vincat et superet consuetudinem. Quia dùm quis advertit suam pravam consuetudinem similium peccatorum, et quantùm potest, deponere non conatur, censetur eam velle et approbare, et consequenter etiam censebitur indirectè velle ipsas blasphemias, etc., ex illâ consuetudine secuturas, ideòque peccat formaliter et manet in continuo statu peccati mortalis.

281. Hinc sequitur 1°, qui habent consuetudinem utendi vocabulis gallicis sæpiùs repetitis, reos esse peccati mortalis, si non adhibeant media opportuna vel necessaria consuetudini superandæ: v. g., si non abstineant lusu, potitationibus et consortio illarum personarum à quibus noverunt sibi esse periculum delinquendi. Sequitur 2° tales non excusari, quòd blasphemiæ et perjuria ex quodam naturali impetu inveteratæ consuetudinis aut vitiosi habitûs, præcipitantis et prævenientis rationem seu deliberationem erumpant; quia, licèt sæpiùs, stante simili consuetudine, blasphe-

miæ et perjuria non sint in se ac directè voluntaria, sunt tamen indirectè et in causâ voluntariè et culpabiliter relicta vel non ablata. Sequitur 3° non etiam excusari obtentu passionis et iracundiæ, quia id ipsum provenit ex consuetudine non ablatâ, quòd in aliquam iracundiam acti, blasphemiis hujusmodi utantur. Similibus non assueti, timorati homines, quanquàm et ipsi in aliquam passionem assurgant aut moveantur, istis improperiis abstinent. Sequitur 4° non excusari titulo ignorantiæ, seu quia nesciunt vel saltem non satis penetrant vim et significationem verborum : est enim ignorantia vincibilis et supina, quia si nihil mali subesse per errorem invicibilem judicarent, non paterentur inde remorsum conscientiæ, quem confessarii experiuntur.

282. Quartò, qui habet consuetudinem blasphemandi, pejerandi vel jurandi indiscriminatim verum et falsum, toties peccat mortaliter, quoties recordatur illius pravæ consuetudinis, eamque extirpare non curat : ut si quis habeat concubinam, et advertens peccandi periculum, eamdem non dimittat, aut si possessor alieni et memor suæ obligationis, nihilominùs restitutionem voluntariè differat. Ita Suarez, Valentia, Ledesma, Sanchez, Reginaldus, Bonacina apud Castropal., tract. 14, disp. 1, punct. 9, n. 4. Ratio est quia quoties recordatur blasphemus, perjurus, etc., consuetudinis suæ, eamque, cùm possit, corrigere negligit, convincitur amare causam sequentium peccatorum.

283. Quintò, consuetudinarius perjuriorum aut blasphemiarum, v. g., *Mort Dieu !* etc., si non adhibeat media vel à confessario præscripta vel aliàs opportuna ad vincendam consuetudinem, ac nullâ secutâ emendatione in eodem statu frequentiùs redeat, per se loquendo sine absolutione dimittendus est. Ratio est quia est in voluntariâ consuetudine peccati mortalis gravissimi : quod de perjurio quidem propriè et strictè sumpto sine ullâ dubitatione manifestum est; nec minùs certum de Gallorum execrandis blasphemiis, toti Belgio jam usitatis : per primam enim, ut supra diximus, Deo immortali imprecantur mortem; per alteram, bonorum omnium fontem et finem vocant detestabilem et sceleratum. Quâ quidem blasphemiâ nescio quid gravius cogitari possit. Ne ipsi quidem Judæi crucifixores Christi talia improperia eidem objecisse leguntur; neque gentiles aut idololatræ deorum suorum simulacra similibus probris lacerant. Vocabula sunt horribilia et penitùs fugienda christianis, quorum usus cum scandalo hæreticorum in Belgio inveterascit et quotidiè radices firmiores agit, adeò ut jam non adulti solùm ac genii robustioris homines, verùm etiam pueri, parentum exempla quotidiana imitati, priusquàm Deum noverint vocare patrem, vocent scelestum et execrabilem ac velint mortuum. De adultis verò catholicis res indignissima est, hominem fide Christi Romano-catholicâ institutum, tot et tantas blasphemias in ejus faciem evomere eodem illo ore quo sacratissimum ejus corpus et sanguinem statis temporibus gustat.

Sextò, qui habet consuetudinem inveteratam blasphemandi, pejerandi, etc., sed adhibet, quantum potest, media per confessarium præscripta vel aliàs opportuna consuetudini superandæ, non peccat formaliter, si nihilominùs ex impetu quasi naturali restantis habitûs, libertatem præveniente pejeret seu blasphemet.

QUÆSTIO III. — *An blasphemia, perjurium et similia in ebrietate commissa, sint reservata ?*

284. Respondeo : Inprimis, ebrietas imperfecta, quâ videlicet alteratur quidem sensus, sed non aufertur, sicuti relinquit liberum et voluntarium, sic pariter relinquit locum casui reservato. Secundò, secùs dicendum est de ebrietate perfectâ, sed involuntariâ, ob ignoratam, v. g., fortitudinem potûs et habitudinem subjecti : hæc enim facit, ut blasphemia, perjurium et similia in perfecto mentis exilio jam commissa, nullatenùs sint voluntaria, sive directè aut in semetipsis, sive indirectè aut in causâ, ut per se patet. Tertiò idem est, si ebrietas perfecta supponatur venialiter peccaminosa : quia peccata inde secuta non possunt perfectè voluntaria esse : voluntarium enim effectûs non potest excedere voluntarium causæ, quandò nimirùm effectus in solâ causâ voluntarius est. Quartò, idem est rursùs, si quidem perfecta ebrietas perfectè sit voluntaria, sed tantùm quatenùs ebrietas est, eo scilicet, quòd operans nec prævideris nec prævidere potuerit blasphemias vel perjuria ex ebrietate secutura, puta, quia omninò inexpertus.

285. Ratio est quia effectus malus, emotâ per ebrietatem mente, secutus, non est voluntarius in se, ut patet et supponitur, non etiam in suâ causâ : hæc enim tantùm est voluntaria materialiter, non autem quatenùs causa est illius effectûs; quia ordo seu respectus causalitatis inter ebrietatem, v. g., et blasphemiam supponitur invincibiliter ignorari. Quare c. *Sanè*, 15, q. 1, commissa per ebrietatem dicuntur committi per ignorantiam, et c. *Inebriaverunt*, eâdem causâ et quæstione dicitur, culpandum fuisse Loth, non quantùm incestus, sed quantùm illa merebatur ebrietas. Hinc etiam, si taliter ebrius interficiat hominem, in foro civili non tenetur de homicidio, arg. l. *Infans*, ff. *Ad legem Corneliam*, de Sicariis, ubi dicitur : *Infans vel furiosus, si hominem occiderint, lege Cornelià non tenentur, cùm alterum innocentia consilii alterum fati infelicitas excuset.* Ebrietas autem est voluntarius furor et intermittens amentia. Item in foro ecclesiastico non incurrit irregularitatem per Clement. *Si furiosus*, de Homicidio, his verbis : *Si furiosus aut infans seu dormiens, hominem mutilet vel occiaa.., nullam ex hoc irregularitatem incurrit.* Covarruvias, 2 p., dictæ Clement., § 4, n. 3 et 4; Navarrus, cap. 27, n. 231; Henriquez, lib. 14, c. 15, n. 7; Avila, 7 p., disp. 6, sect. 1, dub. 12 et 15.

286. Itaque quæstio instituitur de ebrietate perfectâ et perfectè voluntariâ, non solùm quatenùs ebrietas est, sed etiam quatenùs causa est effectûs peccaminosi, vel directè intenti ab operante, vel prævisi. Ad quæstionem sic institutam, negativè respondent Oliverius Mazuchellus, tract. de Cas. reserv., disp. 2, cap. 16,

q. 3, n. 55; Graffius, in Praxi, lib. 1, c. 10, n. 52, apud Dianam, parte 10, tract. 14, resol. 68. Respondent, inquam, blasphemum aut perjurum in casu, etiam suppositis aliàs supponendis, non committere peccatum reservatum, idque, ut addit idem Mazuchellus, etiamsi quis vinum sumeret usque ad ebrietatem ex fine et intentione blasphemandi aut pejerandi. Ratio hujus opinionis est, quia blasphemia, perjurium et similia, licèt cum deliberatione inchoentur in suâ causâ, cum eâdem tamen non consummantur. Imò si propriè velimus loqui, nec ipsa ebrietas passivè sumpta, nec quæ ebrietatem sequuntur mala, formaliter et in se peccata sunt; quia non dependent proximè et in se à voluntate, ut actiones liberæ, sed potiùs ut effectus consequentes, qui positâ semel causâ, non sunt ampliùs in nostrâ potestate; posito enim potu largiore vini, eoque in stomachum infuso, non sunt in nostrâ potestate opera quæ inde sequuntur. Atqui de ratione peccati est esse liberum et in nostrâ potestate. Confirmatur, quia aliter actiones externæ peccatorum dependent à voluntate liberâ, aliter hæc opera : illæ enim ita dependent, ut omni momento sit in nostrâ potestate, eas inchoare vel non inchoare, et inchoatas abrumpere vel continuare. Unde ipsæ per se sunt propriè voluntariæ, laudabiles vel vituperabiles, peccata vel merita; quia secundùm se assiduè à voluntate pendent et conservantur, ac proinde ab eâdem informantur et veluti animantur ad constituendum unum perfectum opus morale. Hæc verò non sic, sed remotè solùm à voluntate liberâ pendent, nimirùm quatenùs liberè facta est applicatio causæ, quâ positâ naturaliter et necessariò sunt secutura, nec ampliùs in nostrâ potestate est, ea inchoare vel differre. Unde per se non sunt peccata formalia; sed solùm ut considerantur in liberâ applicatione causæ inebriantis, in quâ dicuntur voluntaria.

287. Quod ut rectiùs intelligatur, notari possunt in proposito quatuor actus. Primus est voluntas illa quâ quis expressè vel implicitè vult se inebriare, etiamsi videat periculum blasphemiarum, perjuriorum et similium ex ebrietate impendere. Secundus est potatio. Tertius est operatio potûs, quâ tollitur usus rationis. Quartus est blasphemia vel perjurium. Primus est fons totius mali, et in eo residet tota culpa. Secundus est actio libera, assiduè pendens ex illâ voluntate; unde cum illâ constituit integrum et completum opus morale. Tertius est effectus secundi, qui posito secundo naturaliter et necessariò sequitur. Quartus sequitur ex tertio. Itaque cùm tertius et quartus per se non pendeant à voluntate liberâ, sed solùm ratione secundi, non sunt etiam per se peccata, sed solùm ut continentur in secundo tanquàm causâ. Ita Lessius, lib. 4, cap. 3, dub. 3, n. 29.

288. Dices : Ad hoc ut homicidium, vel incendium sit reservatum, sufficit esse voluntarium in causâ, saltem propinquâ; unde casum reservatum incurrit, qui deliberatè alicui infligit lethale vulnus, etsi vulneratus diebus aliquot supervivat. Item qui alicui propinavit venenum, censebitur homicida, etsi statim non sequatur mors. Item qui carbonem ignitum vel titionem supponit materiæ inflammabili, censetur causa incendii postea secuti. Atqui tamen in his casibus mors vel incendium non est voluntarium in se, proximè aut immediatè, sed tantùm in causâ liberè positâ. Positâ enim causâ sequitur mors, sequitur incendium naturaliter et independenter à præsenti voluntate ac libertate operantis, ad eum ferè modum, quo sequitur naturaliter blasphemia vel perjurium, positâ voluntariè ebrietate. Respondeo disparitatem esse, quòd homicidium et incendium in casu objectionis sint voluntaria et consummata proximè, et in se, exteriùs et interiùs, quantùm est ex parte agentis, adeò ut solus terminus sit independens à præsenti voluntate et libertate; id est, occasio et incensio activè sumpta liberè ponitur, quanquàm ipse incendii progressus et homicidii terminus sive mors deinceps sequantur naturaliter.

289. Porrò consummatio ex parte termini solùm requiritur per modum conditionis, sine quâ non. Alioquin quòd ipsa actio, quantùm est ex parte agentis satis sit consummata, constat 1° quia nulla ampliùs necessaria est actio vel causalitas ex parte vulnerantis aut incendentis ad effectum reservationis, dummodò mors et combustio subsequantur. Constat 2° quia, si requireretur, ut ipse terminus homicidii vel incendii pendeat proximè à voluntate aut libertate agentis, jam nunquàm, aut rarissimè locus esset reservationi : rarissimè enim contingit ut vulneratus in momento moriatur, aut incendium ipso initio sit tam notabile quàm requiritur ad reservationem. Aliud est de blasphemiâ, perjurio vel similibus in ebrietate commissis; quia in hoc casu non solùm terminus actionis, sed ipsa actio ponitur sine libertate : inebriatio enim non est blasphemia, sicuti inflictio lethalis vulneris est occisio, quantùm est ex parte agentis.

290. Itaque hæc sententia est probabilis. Oppositam (apud eumdem Dianam eodem loco) docent aliqui innominati, quibus addi potest Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 7, n. 117, admittens, quòd homicidium, pollutio et similia in somno vel ebrietate prævisa et intenta, sint peccata reservata, et eisdem pœnis puniantur, quibus commissa in vigiliâ. Ratio hujus opinionis esse potest, quòd blasphemia (idem est de similibus) in ebrietate commissa habeat ea omnia quæ ad casum reservatum requiruntur; quia 1° est interna seu formalis, non quidem quando in se committitur, sed quando causa ejus voluntariè ponitur. 2° Est externa, ut supponitur, quia realiter et externè in ebrietate commissa. 3° Est voluntaria, quia voluntarium propriè sumptum dividitur in directum, quod in se intenditur, et indirectum, quod in alio. Cæterùm, sufficere ad reservationem voluntarium indirectum probatur 1 quia sufficit ad censuram. Bonacina, de Censuris, disp. 1, quæst. 1, puncto 4, n. 8, dicens quòd qui mandavit alteri percussionem clerici, incurrat excommunicationem eo tempore quo dormit, si tum impleatur mandatum seu fiat percussio. Item Suarez, de Censuris, disp. 5, sect. 1, n. 2, dicens; si præceptum

esset sub excommunicatione assistere missæ vel matutino officio, et aliquis prævidens vel culpabiliter non præcavens futuram omissionem sese inebriaret aut somno circa illud tempus traderet, censuram incurreret, non quando se inebriat aut somno tradit, sed quando omittit per ebrietatem aut somnium voluntariè procuratum. Idem docent Coninck, disp. 13, dub. 2, n. 47; Sayrus, l. 1, c. 8, n. 3; Filliucius, tract. 11, c. 5, n. 132.

291. Probatur 2°: Voluntarium indirectum sufficit ad irregularitatem. Quare si quis prævideat in suo somnio vel ebrietate periculum homicidii vel mutilationis futurum, et nihilominùs nullâ adhibitâ cautione somno se dedat, vel se inebriet, erit irregularis, si homicidium vel mutilatio subsequatur. Suarez, disp. 46, sect. 1, n. 12; Molina, tomo 4, disp. 71, n. 3; Navarrus, c. 27, n. 230; Toletus, l. 1, c. 74, n. 6; Castrop., disp. 6, puncto 15, § 5, n. 3; Avila, p. 7, disp. 6, sect. 1, dub. 12 et 15; Covarruv., Clem. *Si furiosus*, p. 2, § 4, n. 3 et 4; Sayrus, l. 6, c. 17, n. 35. Probatur 3°: Qui in hunc modum hominem interfecit, tenetur de homicidio in foro civili, puniendus saltem pœnâ arbitrariâ. Zoesius, lib. 48 Digestorum, tit. 8, n. 59 et 60, citans Menoch., Tiraq., Covarruv., Peckium. Imò Carolus V gloriosæ memoriæ imperator sanxit edicto 7 octobr. 1531, art. 32 et rursùs 30 jan. 1545, art. 2, ne ebrietas in cædibus aliisque excessibus et delictis excusationem adferat. Et quidem priori edicto statuit, ut similes delinquentes duplici afficiantur pœnâ, primò propter delictum, deinde propter ebrietatem. Id autem statuit prudentissimus imperator, quia propter frequentiam ebrietatis in suis ditionibus et usum quotidianum supponebat, delinquentes non extra culpam. Peckius in reg. 23 juris, n. 3. Denique occidens aut aliter damnificans in ebrietate, somnio, furore, tenetur ad restitutionem, si damnificatio in causâ fuerit voluntaria. Bonacina, de Restit., disp. 2, quæst. ult., sect. 2, puncto 2, n. 7; Sporer, tr. 5 in quintum præcept.; Dec. c. 3, n. 188, dicens esse communem; Lacroix, l. 3, p. 2, n. 296; Azorius, p. 3, l. 2, c. 13.

§ 2. *Tenor casûs.*

292. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi nihil dicitur de blasphemiâ. In Cameracensi et Leodiensi reservatur *publica et enormis blasphemia in Deum vel sanctos.* In Coloniensi tum juxta synodum, tum juxta Agendam recentiorem, *blasphemia magna seriòque prolata.* In Ruræmundensi, *publica et enormis blasphemia vel contumelia in Deum vel sanctos.*

§ 3. *Reflexiones.*

293. — 1. Conveniunt Cameracensis, Coloniensis, Leodiensis et Ruræmundensis in genericâ notione blasphemiæ, quæ, ut supra dictum, committitur verbis formalibus aut virtualibus. Sed Ruræmundensis reservat insuper *contumeliam in Deum vel sanctos*, quæ non solùm verbis, verùm etiam factis committitur, ut itidem diximus; est enim contumelia generatim sumpta, *honoris alieni aperta violatio.* Ut igitur honorem alienum tam verbis quàm factis violare possumus, ita utroque modo committere contumeliam propriè et strictè sumptam. Respiciunt itaque se blasphemia et contumelia, ut magis et minùs communia. Omnis blasphemia est contumelia, sed non convertitur.

294. — 2. In Cameracensi, Leodiensi et Ruræmundensi, requiritur ad reservationem, ut blasphemia fit *enormis;* in Coloniensi, ut sit *magna seriòque prolata.* Porrò nulla differentia nisi litteralis videtur esse inter blasphemiam *magnam* et *enormem*, ut nulla est inter *magnum* et *enorme* vulnus, inter *magnam* et *enormem* clerici percussionem. Quænam verò blasphemia debeat censeri *magna* seu *enormis*, rectiùs determinatur prudentis arbitrio quàm generali regulâ. Considerari inter cætera debent qualitas proferentis, audientis, loci, temporis, objecti, voluntarii. Chapeauville, Manigart, Marchant, Notau in hunc casum, Henno in Reflexionibus ad casus diœc. Camerac. In eumdem modum resolvit ejusdem diœcesis Cameracensis Pastorale, præsentem casum in hunc modum explicans: *Enormis autem est blasphemia, quæ deliberatè fit et ex odio, vel ex affectu detestandi, contemnendi aut irridendi Deum vel sanctos, sacramenta, imagines sacras, reliquias. Id autem ex qualitate personarum, locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum judicandum est.* Itaque inprimis debet attendi *objectum:* non enim omnes blasphemiæ sunt inter se æquales; nam blasphemia hæreticalis est gravior non hæreticali, quia præter contumeliam continet infidelitatem.

295. Imò etiam, quod attinet præcisam blasphemiæ rationem et malitiam, videntur inæquales esse; videtur enim gravius committi peccatum in ratione blasphemiæ, si quis Deum dicat peccare, quàm errare; item si quis neget Christi divinitatem, quàm si membra ejus indecorè nominet. Secundò considerari debet *qualitas personæ;* homo enim Romano-Catholicus et timoratæ conscientiæ non tam facilè præsumitur seriò et deliberatè in imagines vel reliquias sanctorum blasphemiam protulisse, quàm hæreticus aut perditæ conscientiæ. Tertiò debet considerari *voluntarium:* est enim certum, peccatum multò enormius esse, si blasphemia procedat ex odio vel desperatione, adeòque si Dei inhonoratio directè intendatur, quàm si solummodò indirectè per impatientiam quamdam, iracundiam aut consuetudinem. Quartò attendi debet *circumstantia loci:* quia si blasphemia proferatur coram pluribus, iisque timoratis, erit enormior non quidem in præcisâ ratione blasphemiæ, sed scandali, quàm si clanculò vel privatim proferatur. Quintò consideranda est *circumstantia temporis:* si quis enim à nemine lacessitus inter loquendum blasphemias deliberatè misceat, peccat graviùs quàm si id ipsum faciat, dum ab altero injustè invaditur circa vitam, famam, fortunam.

296. — 3. In diœcesibus Leodiensi et Ruræmundensi requiritur insuper, ut blasphemia sit *publica.* Sed difficultas est, an sufficiat notitiam facti vel delicti pervenisse ad partem majorem communitatis viâ

famæ, seu an sufficiat, blasphemiam esse *famâ publicam*, an verò debeat esse *publica facto* seu coram majori parte communitatis commissa. Hoc ultimum affirmant Jacobus Marchant, n. 19; Diana, p. 10, tract. 14, resol. 68; Vidal in arcâ Theologiæ moral., tit. de Blasphemiâ, inq. un., n. 38; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1646; Castrop., de Sacram. Pœnit., tract. 23, puncto 15, § 2, n. 9; Manigart, part. 1, c. 10, fol. 335. Contrarium docent Chapeauville, c. 19, q. 1; Henno, tom. 8, de Pœnit., disp. 8, q. 8, a. 3; Notau, de casu 19, n. 38; Barbosa supra, n. 105, atque hæc opinio videtur verior et tenenda, quia theologi communissimè appellant *publicum*, quod est notum communitati aut majori ejusdem parti; sive communitas in notitiam venerit facto publicè commisso, sive famâ seu relatu, de quâ re videri possunt, quæ supra diximus de adulterio notorio.

297. — 4. In diœcesi Cameracensi requiritur quidem, ut blasphemia sit similiter *publica;* sed ad sensum pastoralis, quod ita loquitur : *Publica et enormis blasphemia in Deum vel sanctos... Publica autem est, quæ sit coram pluribus et innotescit majori parti alicujus viciniæ, collegii, aut cujuscumque congregationis, in quâ sunt ad minus decem personæ.* Ubi, ut publica sit blasphemia, requiritur copulatim, et ut coram pluribus proferatur, et ut innotescat majori parti communitatis, quod aliqui ad rationem *publici* (ut iteratò diximus) non requiritur. Nihilominùs pro diœcesi Cameracensi sine dubio retinenda et observanda est expositio Pastoralis, secundùm ea quæ in Prolegomenis diximus.

5. In Coloniensi ad reservationem non requiritur, ut quâvis ratione sit publica, dummodò sit *magna, sériòque prolata.*

§ 4. *Corollaria.*

298. — 1. In diœcesibus Cameracensi, Coloniensi, Leodiensi non sufficit Deo vel sanctis ejus injuriam vel contumeliam irrogari facto. Secùs est de Ruræmundensi, in quâ peccatum reservatum committit, qui imaginem crucifixi, effigiem aut reliquas sanctorum subsannarret, conspueret, conculcaret, combureret, transfoderet, vel cum despectu et in opprobrium in aquam, terram, ignem projiceret.

2. Blasphemiam *magnam* seu *enormem* non videtur committere, qui verbum Deo contumeliosum profert minùs deliberatè, ex passione vel consuetudine. Ratio, quia licèt similis contumelia gravissima esse possit ex parte objecti et mortaliter peccaminosa, non obstante consuetudine, non est tamen *enormis*, spectato voluntario. Chapeauville et Manigart, ac disertissimè Pastorale Cameracense his verbis : *Non censetur autem enormis* blasphemia *(tametsi sit mortale peccatum) quæ subitò fit (cum advertentiâ tamen), ex aliquâ passione vel consuetudine.*

299. — 3. Aliud videtur dicendum, si proferatur ex odio vel in contemptum Dei, aut ex affectu irridendi Deum, vel sanctos, quantùmvis alioquin ex parte objecti non sit *enormis*, seu comparativè gravis.

4. In nullâ diœcesi casum reservatum videtur incurrere, qui tantùm enuntiat blasphemiam *dehonestativam*, quâ videlicet sanguis aut membra Christi, beatæ Virginis aut aliorum sanctorum indecorè aut honestè nominantur, nisi forsitan ex destinato contemptu, irrisione vel improperio directè intento fierent. Si quis secùs sentiat, secùs etiam practicet, ut præmonuimus.

5. In omnibus diœcesibus nominatis incurrit casum reservatum, qui ex odio, contemptu, indignatione, desperatione coram populo seu multitudine, deliberatè dicit Deum crudelem, improvidum, rerum nostrarum incurium, injustum, personarum acceptorem, auctorem peccati, etc., divam Virginem meretricem, Apostolos impostores, etc. Ratio est quia blasphemia *enormis* est tum ex parte objecti, tum ex parte voluntarii.

300. — 6. In Coloniensi reservationem incurrit, qui blasphemiam alioqui *magnam* secretò et nemine præsente *seriò* ac deliberatè scribit vel enuntiat.

7. In Leodiensi et Ruræmundensi debet insuper esse *publica*, id est, famosa, manifesta vel notoria. At in Cameracensi non reservatur, quæ nemine vel uno tantùm præsente commissa fuerit, quantùmvis supponatur, ulteriùs divulgari.

8. In Cameracensi, Leodiensi, Ruræmundensi non sufficit blasphemiam intra domesticos parietes coram duobus, tribus aut quatuor commissam esse, dummodò ulteriùs non divulgetur. Imò putant Vidal in Arcâ theol. moral. sup., n. 41, Finellius, de Cas. res., casu 3, n. 26, apud Dianam, part. 10, tract. 14, res. 68, et sequitur Lacroix, lib. 6, p. 2, n. 1646, non esse dicendam blasphemiam *publicam*, quando quis blasphemat coram filiis vel famulis tantùm, etiamsi essent plures quàm decem; nam ad blasphemiam simpliciter *publicam* requiri volunt præsentiam et intelligentiam exterorum, qui videlicet non sint ex familiâ blasphemantis. Ita illi quidem.

301. — 9. In Cameracensi, Leodiensi, Ruræmundensi, si supponamus blasphemiam alioqui *enormem*, initio occultam vel paucis notam esse, et, priusquàm divulgetur, sacramentaliter remitti, non erit deinceps reservata, quantùmvis publicata fuerit.

10. In diœcesibus proximè nominatis non reservatur blasphemia *publica* et *enormis* copulativè, sed copulatim, ut rectè observat pastorale Cameracense, dicens : *Nolumus tamen reservare blasphemiam enormem, nisi simul sit publica, neque publicam, nisi simul sit enormis.*

11. Ut blasphemia censeatur *publica*, requiritur ut sit cognita communitati, *in quâ sunt ad minus decem personæ.* Pastorale Cameracense. Quapropter si tota congregatio, familia, vicinia, cui cognitum est delictum, constat solummodò sex vel septem personis, non potest blasphemia reservata esse.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

302. — 1. Objicies contra corollarium ultimum : Ridicula videtur præcisa illa determinatio numeri denarii personarum, tanquàm necessarii ad communitatem, respectu cujus factum aliquod vel delictum possit censeri publicum. — Respond.: Non magis quàm

determinatio numeri vicenarii assium seu floreni brabantici pro mortali furto. Utrumque statuitur non mathematicè, sed moraliter; utrumque morali judicio doctorum, qui sicuti existimant, vicenarium assium esse gravem materiam, ita denarium hominum esse grave consortium.

2. Objicies contra corollarium septimum : ut adulterium sit reservatum, non sufficit esse famosum seu famâ publicum; ergo ut blasphemia sit reservata, non sufficit famosam esse seu famâ publicam. — Respondeo negando consequentiam. Disparitas est quòd reservetur adulterium duntaxat, si sit *notorium* vel *manifestum* respectivè; blasphemia verò, si sit *publica*.

303. — 3. Objicies : Præter auctores reflexione tertiâ adductos Panormitanus et alii ex eodem docent, Blasphemiam, ut si *publica*, debere esse commissam coram totâ communitate vel potiori ejus parte; igitur opinio nobis contraria, est extrinsecè magis probabilis. — Respondeo primò negando consequentiam; quia nostra opinio est communissima, quidquid aliqui oppositum censeant, ut satis colligitur ex antedictis. Vide, quæso, solum cap. *Tua nos*, de Cohab. supra aliquoties adductum, ubi Pontifex manifestè significat, crimen vel delictum aliquod posse esse publicum et inevidens; igitur, ut publicum censeatur, non debet esse commissum coram totâ communitate vel potiori ejus parte. Respondeo secundò, ne hoc quidem necessarium esse in diœcesi Cameracensi, in quâ solummodò exigitur, ut fiat *coram pluribus et innotescat majori parti*, etc., ac proinde non est necesse, ut fiat coram majori parte, etc. Denique ne hoc quidem requiritur, ut delictum aliquod sit *notorium* vel *manifestum*. Estne, qui putet, quando in diœcesi Mechliniensi reservatur *adulterium notorium*, in Coloniensi *manifestum*, estne, inquam, qui putet, ad reservationem necessarium esse, ut coram totâ communitate vel majori ejus parte committatur?

304. — 4. Objicies ex Marchant : Ut blasphemia censeatur *publica*, debet publicè commissa esse. — Respondeo negando assumptum, quia sufficit famosam esse : ad famosum autem sufficit sola suspicio vel incertus auctor, ut supra ostensum. Imò ne quidem hoc est necessarium ad *notorium* vel *manifestum*.

5. Objicies ex eodem : Quando reservatur *publica* Blasphemia, videtur intelligi, quæ ex modo aut loco et tempore, quo fit, multitudini alicui, sive majori parti alicujus viciniæ manifesta existit. — Respondeo negando assumptum; quia aliud est blasphemiam *publicam* esse, aliud *manifestam*.

6. Objicies ex eodem : Strictè accipi debet in pœnalibus vox hæc *publica* vel *publicum* pro eo quod ex se est manifestum et publicè fit. — Respondeo : Admittimus, vocem *publica* strictè in pœnalibus accipiendam esse; sed dicimus, strictè loquendo distingui *publicum* à *manifesto*, tanquàm genus à specie.

305. — 7. Objicies ex eodem : Blasphemia intra domesticos parietes, v. g., coram duobus facta, ac postea per eorum relationem ventilata, non tam *publica* dicitur quàm publicata, cùm fuerit ex se privatim commissa. — Respondeo publicum et publicatum sæpiùs à theologis confundi. Vide Andream à Matre Dei Carmelit, Salmant. de Priv. reg. c. 4, p. 1, n. 26, apud Lacroix l. 6, p. 2, q. 238, n. 1656. Respondeo secundò nihil ex istâ reflexione sequi, nisi duplex esse publicum, facto videlicet et famâ; utrumque tamen publicum est. Quid si delictum intra domesticos parietes commissum; per judicem seu per sententiam publicetur? Nonne erit in omni rigore publicum, videlicet ipso jure? Igitur *publicatum* est publicum famâ vel jure.

306. — 8. Objicies : si sufficiat blasphemiam sola famâ divulgatam esse, frustra requiretur, ut sit *publica* : quia non potest aliâ ratione præter blasphemiam requiri publicitas, nisi quòd per hanc aggravetur peccatum blasphemantis, quatenùs audientibus datur scandalum. Jam verò publicitas per solam famam non potest augere peccatum blasphemantis; quia fit præter aut contra ipsius voluntatem, sæpè etiam cum ejus injuriâ. Respondeo primò retorquendo argumentum in adulterium notorium, quod præter aut contra directam intentionem agentis solet fieri notorium facto vel jure. Respondeo secundò, publicitatem etiam ex solâ famâ aggravare peccatum blasphemantis, non quidem in se consideratum, sed in suo fundamento, tùm videlicet, cùm delinquens ex circumstantiis advertit, delictum publicandum esse. Ita quidem Henno et Notau. De quo quidquid sit, respondeo tertiò, episcopum posse reservare blasphemiam *publicam*, sic ut publicitas sit tantùm conditio, sine quâ blasphemiam secundùm se reservabilem, nolit reservatam esse, quod multis exemplis facilè ostendi potest.

CAPUT VI.

DE CONTUMELIA IN S. EUCHARISTIAM.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid contumelia et quale peccatum?*

307. Respondeo : Quod ad vocem attinet, *contumelia*, secundùm Isidorum, l. 10 Etymologiarum, c. 3, dicitur à *tumendo*, quia contumeliosus per iracundiam tumet in verbis injuriæ : oritur enim ex iracundiâ, ut ex Gregorio, cap. 31 Moralium docet S. Thomas q. 72, art. 4. Vel dicitur à contemnendo, ut vult Ulpianus, l. 1, ff. de Injuriis et famosis libellis, quod magis approbat Molina disp. 18. Quod verò ad rem spectat, *contumelia importat dehonorationem alicujus*. S. Thomas, art. 1, quem theologi passim secuti, dicunt quòd contumelia sit alieni honoris aperta violatio, ut supra verbo diximus. Differt 1° à *blasphemiâ* tanquàm genus à specie. Differt 2° à *detractione* : hæc enim repugnat famæ, illa honori; S. Thomas, q. 72, a. 1, et q. 73, a. 3. Porrò differentia inter famam et honorem est quòd fama sit recta aliorum de aliquo existimatio : honor verò testimonium seu reverentia alicui debita propter ipsius excellentiam; quâ ratione verum est commune proverbium, honorem esse in honorante, non in honorato.

308. Distinctio altera inter detractionem et contumeliam est, quòd detractio debeat occulta esse, sal-

tem quantùm est ex intentione detrahentis, secundùm illud Ecclesiastici 10 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minùs habet qui occultè detrahit ;* contumelia verò potissimùm fit coram seu in faciem ; sicut enim honor non exhibetur, nisi præsenti, vel absenti quatenùs præsenti, ita pariter contumelia seu inhonoratio. S. Thomas, q. 73, a. 1, O., comparans detractionem furto, contumeliam rapinæ. 3° Differt contumelia à *convicio* et *improperio* materialiter tantùm seu ex parte materiæ. S. Thomas, q. 72, a. 3, ad 1. Conveniunt in eo, quòd alterius honorem coram seu in facie violent.

309. Distinguuntur autem, ut idem S. doctor insinuat, quòd *Contumelia* præcisè sumpta solummodò fiat, quando objicitur vitium moris, ut si alium appelles furem, ebrium, scortatorem, etc. *Convicium* verò, quando objicitur quodcumque vitium, sive moris sive naturæ, ut si appelles cæcum, calvum, gibbosum, abjecto vel ignobili genere natum. Denique *improperium* est, cùm alicui beneficium à te collatum exprobras, juxta illud Ecclesiastici 20 : *Exigua dabit, et multa improperabit.* Interim addit S. Th. et meritò, quandoque unum pro altero poni. 4° Differt contumelia à *susurratione*, quòd susurro quatenùs talis non intendat alteri honorem tollere, sed amicitiam, idque non in faciem, sed à tergo, seminando discordias. S. Th. q. 74, a. 1, O, 5° Differt à *calumniâ*, quia hæc est falsi criminis impositio, atque adeò, si fiat in faciem, species contumeliæ ; si à tergo, species gravissimæ detractionis. 6° Distinguitur à *diffamatione ;* hæc enim est famæ propriæ vel alienæ publica diminutio seu coram pluribus facta, cum intentione directâ vel indirectâ propalandi infamiam. 7° Distinguitur ab *irrisione* seu *illusione*, quia hoc vitium tranquillitatem animi tollit proximo, injiciens illi erubescentiam seu ruborem et confusionem, quod est contra charitatem. S. Thomas, q. 75, a. 1, O. Itaque, ut in compendium contraham, quæ ex S. doctore hactenùs diximus, *contumelia* tollit honorem et parit irreverentiam ; *detractio* tollit famam et parit infamiam : *susurratio* tollit amicitiam et parit discordiam ; *irrisio* tollit tranquillitatem animi et parit erubescentiam. Ad *irrisionem* verò pertinet *subsannatio.* Differentia tota in eo est, *quia irrisio fit ore, id est, verbo et cachinnis : subsannatio autem naso rugato* (id est, halitu in nares attracto) *ut dicit Glossa super illud Psalm. 2 : Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* S. Th. ad 1. Sic milites irridebant seu *illudebant* Christo Domino, quando velatam sacratissimam ejus faciem percutiebant dicentes : *Prophetiza, quis est, qui te percussit ?* Luc. 22, v. 64. Similiter *et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave rex Judeorum*, Matth. 26, v. 29. *Subsannabant* verò, quando moventes capita sua dicebant : *Vah, qui destruis templum Dei !* Marci 15, v. 29.

310-311. Porrò contumelia est peccatum mortale ex suo genere contra justitiam commutativam ; gravius, quàm furtum, quia tollit proximo bonum gravioris momenti, ut de detractione arguit S. Thom. q. 73, a. 3, O. Similiter *gravius peccatum est contumelia, quam detractio, in quantum habet majorem contemptum proximi, sicut et rapina est gravius peccatum, quàm furtum.* Ad. 2. *Ex hoc* enim, *quòd aliquis manifestè verba contra alium profert, videtur eum parvi-pendere ; unde ex hoc ipso dehonoratur.... Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis quàm parvi-pendere.* Eâdem q., a. 1, O. Ex quibus ulteriùs colligitur, contumeliam cæteris paribus tantò graviorem esse, quantò magis honore digna est res vel persona, in quam profertur seu quæ contemnitur. Ut proinde contumelia in Deum, Eucharistiam, Christum, D. Virginem, sanctos, eorum imagines et reliquias sit omninò gravissima.

Finaliter in memoriam revocandum est quod supra diximus, contumeliam tam factis quàm verbis committi. S. Th., q. 72, a. 1, O, et ad 2.

§ 2. *Tenor casûs.*

312. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi nihil de hoc casu exprimitur.

In Coloniensi reservatur *sacrilegium*

In Leodiensi, *insignis contumelia illata sacræ eucharistiæ aut sacris sanctorum reliquiis.*

In Ruræmundensi habetur aliquid, quatenùs juxta casum proximè præcedentem reservatur *contumelia in Deum vel sanctos.*

§ 3. *Reflexiones.*

313. — 1. Ad contumeliam reservatam in diœcesi Leodiensi requiritur primò, ut sit *insignis :* secundò, ut inferatur *S. Eucharistiæ ;* tertiò, *aut sacris sanctorum reliquiis.* Sicuti autem morali ac prudenti judicio statuendum est, quæ sit *enormis blasphemia*, ita rursùs, quæ *insignis contumelia.* Chapeauville, Manigart, Marchant in hunc casum. *Insignis* contumelia, inquit Marchant, dicetur, quæ atrociter notabilis est, exterioribus etiam signis ostentata. Ad quod considerandum, multùm attendenda sunt, intentio contumeliam proferentis, qualitas personæ, loci, temporis, occasionis et cæteræ circumstantiæ. Ita ille.

314. Attendamus itaque primò intentionem contumeliosi seu contumeliam proferentis. Et quidem discrimen non exiguum est inter contumeliam directâ intentione voluntariam, et indirectâ tantùm, ut supra dictum est de blasphemiâ ; inter intentionem seu voluntatem liberam, et metu coactam vel promissis corruptam ; inter voluntatem consuetudine solutam et ligatam.

315. Secundò, attendenda est qualitas seu conditio personæ : hinc enim, ut Marchantius in hunc casum arguit, catholicus benè affectus Eucharistiæ et Reliquiis, id est, in fide catholicâ enutritus et de cætero vivens secundùm præcepta Dei et ecclesiæ, rarò censeri debet hunc casum incurrere : hæreticus autem frequentissimè : cùm enim hæretici, saltem nobis viciniores, negent præsentiam Christi in Eucharistiâ, cultum, quem Catholici huic sacramento deferunt, habent aut vocant superstitiosum ; quo fit, ut aliquando in realem, sæpiùs in verbalem *insigneri*

contumeliam erumpant. Similiter cùm unum mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum sic agnoscant, ut sanctos cæteros sine injuriâ sanguinis et crucis ejus invocari et coli non posse, putent aut fingant; cùmque insuper cultum sacrarum imaginum et reliquiarum, Decalogo velint interdictum esse, hinc facilè et sæpiùs contingit, ut de sanctorum reliquiis et imaginibus contemptim et contumeliosè loquantur, aut datâ occasione injurias reales promant. Prudens confessarius de similibus exactè interrogabit, si quando per Dei gratiam fiat, ut eant vel redeant ad gremium Ecclesiæ Romano-Catholicæ.

316. Circa hoc punctum, ut ex Marchantio diximus, tam facilè non delinquunt catholici, qui fide Romanâ à puero imbuti, in sacramento altaris credunt et adorant Christum, et cum concilio Tridentino, sess. 25, *de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus* confitentur, inprimis sanctos tanquàm Dei amicos et cohæredes Christi utiliter invocari; secundò, sancta eorum corpora, quæ viva membra fuerint Christi et templum Spiritûs sancti, veneranda esse; tertiò, imagines Christi, Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas esse, eisque debitum honorem impertiendum, non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda..., sed quia honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines quas osculamur et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus; et sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Fatendum interim, quandoque etiam Catholicos tam in fide infirmos aut in malitiâ obduratos esse, ut eò tandem audaciæ et impietatis veniant, quò sanctis imaginibus, reliquiis, sacramentis abutantur.

317. Tertiò, debemus attendere circumstantiam loci, quæ potest efficere ut non sit contumeliosum quod aliàs vel alibi foret tale; sic enim in locis quibus exulat fides Romano-Catholica, aut clandestinus solummodò ipsius cultus permissus est, multa fieri et omitti possunt citra contumeliam, quæ alibi non tolerantur.

Quartò, considerari debet circumstantia temporis, quia rursùs excusari poterit à Contumelia, qui tempore persecutionis, Eucharistiam, vasa vel paramenta sacra, Imagines aut Reliquias Sanctorum, loco minùs convenienti abderet vel absconderet, ne, si in manus incidant persecutorum seu inimicorum fidei, reali injuriâ afficiantur.

318. Quintò, considerare oportet occasionem et cæteras circumstantias; sed vel præcipuè objectum contumeliæ seu inhonorationis secundùm se. Ex hâc parte contumelia *insignis* non infertur S. Eucharistiæ, si quis eam in statu peccati mortalis per formale sacrilegium sumat: quamvis enim id ipsum repugnet divino honori, atque adeò rationem aliquam inhonorationis seu contumeliæ habeat, et quidem mortaliter peccaminosæ, non est tamen contumelia comparativè *insignis*.

2. Cùm ad casum Leodii reservatum necesse sit ut inferatur *S. Eucharistiæ*, etc., observandum est, circa S. Eucharistiam dupliciter contumeliam committi posse, primò proximè, circa ipsas species corpus et sanguinem Domini continentes; secundò remotè, abutendo altaribus, sacris vasibus aut paramentis, in ludibrium et lusum sacramenti.

§ 4. *Corollaria.*

319.—1. In Leodiensi perinde est ad reservationem, sive contumelia jungatur scandalo aliorum, quòd publicè et coram pluribus committatur, sive fiat clanculò et privatim, si cæteras conditiones habeat. In Ruræmundensi debet contumelia in Deum vel sanctos esse *publica*. Vide cap. præc.

2. In Leodiensi non incurreret casum, qui sanctorum imagines cum Iconoclastis subsannaret, dejiceret, conspueret, conculcaret, etc. Aliter loquendum pro Ruræmundensi, si delictum sit publicum.

3. Si propriè velimus loqui, in Ruræmundensi non videtur reservata esse quælibet contumelia in S. Eucharistiam. Ratio est quia propriè non est *contumelia in Deum*; Eucharistia enim, etsi Deum continet, non est tamen formaliter Deus, sed signum gratiæ sanctificantis, Deum ipsum continens et repræsentans. Ergo injuria facta Eucharistiæ non fit formaliter Deo. Ita arguit Castropalao, p. 3, tr. 17, de vitiis oppositis Religioni, disp. 2, punct. 3, § 2, n. 4. Nihilominùs opponi posset, quòd, sicut contumelia irrogata sanctis formaliter consideratis, redundat in Deum, et constituit blasphemiam; ita pariter inhonoratio dignissimo Dei signo facta, censeri possit *contumelia* in ejusdem signi auctorem, et significatum *Deum*.

320.—4. Perinde est in utrâque diœcesi, sive inhonoratio committatur facto, sive scripto, sive verbo. Vide sup., n. 311. Dices juxta S. Th., cit. O: *contumelia, propriè loquendo, in verbis consistit*, et non nisi *extenso nomine in factis dicitur*. Respondeo; etsi forsitan primæva vocis institutio ita habeat, ut solis verbis fiat propriè dicta contumelia; usus tamen, qui secundùm dicta superiùs contra primævam institutionem præscribere potest, latiùs *extendit* idem vocabulum. Vide Lessium, l. 2, cap. 45, dub. 5, num. 24, et Azorium part. 3, lib. 13, cap. 5, dub. 3.

5. Contumeliam *insignem* vel *enormem* non committeret, qui metu mortis, gravium tormentorum vel alterius notabilis incommodi negaret eucharisticam veritatem vel debitam reliquiis reverentiam.

321.—6. In Leodiensi peccati reservati non foret reus, qui reliquis sacramentis, v. g., Baptismatis, Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis illuderet.

7. Neque, qui circa reliquias committeret superstitionem cultûs indebiti, vim faciens in circumstantiis inutilibus, v. g., quòd vasculum, quo continentur, sit trigonum, octangulum, rotundum, etc. Vide Navarrum, cap. 11, n. 35.

8. Nec, qui reliquias falsas pro veris obtruderet, quanquàm omninò graviter peccaret: aut qui exponeret veras quidem reliquias, sed nondùm per Eccle-

siam approbatas, contra cap. 2, de Reliquiis, et concil. Trident., sess. 25, de Invoc., etc.; aut qui veris et debitè approbatis reliquiis uteretur ad turpem quæstum, contra c. 2, citatum. Turpis autem quæstus dicitur, inquit Navarrus cap. 17, n. 169, qui quæritur ex venditione, locatione, traditione, vel ostensione reliquiarum, cum pacto vel fine principali, ob id aliquid recipiendi.

9. Casu tamen reservato tenetur, qui cum hæreticis Eucharistiam appellaret panem album, Deum panicum, panem benedictum, idolum Papistarum, etc., aut qui cum Calvinistis cultum huic sacramento à Catholicis deferri solitum, appellaret superstitionem diabolicam, aut cum catechismo Heydelbergensi missam Papistarum appellaret execrabilem idololatriam.

322.—10. Idem dicendum de eo, qui hostiam consecratam conspueret, conculcaret, transfigeret, etc., vel sanctorum reliquias in terram aut ignem projiceret in opprobrium et contemptum.

11. Idem est de militibus aut ejusdem furfuris flagitiosis hominibus, qui ciborium seu pyxidem, effusis vel projectis consecratis hostiis, in suos usus per intolerabile sacrilegium converterent.

12. Idem de illis, qui sacris vasibus, paramentis aut aliis altaris Domini utensilibus abutuntur in ludibrium sacramenti.

13. Similiter casum incurrunt mimi et theatrales gesticulatores, qui in ruborem Catholicorum imitantur ritus in missæ sacrificio ex præscriptò Ecclesiæ usurpatos.

CAPUT VII.

DE FALSITATE CIRCA LITTERAS.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid falsitas, crimen falsi, et quomodò committantur.*

323. Quæstionis hujus resolutio videtur necessariò præcedere utrumque casum, et præsentem scilicet et proximè secuturum. Itaque respondeo inprimis cum Justiniano, Novellâ 73: *Nihil est aliud falsitas, nisi veritatis imitatio* seu immutatio: et proinde *falsum* est quod imitatur aut mentitur verum, cùm interim verum non sit. Ut autem criminis punibilis rationem habeat, duo insuper requiruntur. Primum, est dolus malus, id est, animus fallendi et corrumpendæ veritatis; l. 1, l. *Impuberem*, ff. *ad L. Cornel.*, de Falsis. l. *Nec exemplum*, c. eod. Atque ideò, qui dicit falsum, quod putat verum, falsi crimine non tenetur, quia ream linguam non facit, nisi mens rea, cap. *Homines*, 22, q. 2. Alterum est nocumentum tertii, id est, ut cedat in præjudicium, gravamen, incommodum, jacturam alterius. Gloss. in l. 23, c. eod. Proinde tria requiruntur ad crimen falsi, immutatio veritatis, dolus operantis, jactura tertii.

324. Quanquàm autem variis modis committatur falsum, ut variis exemplis demonstrant varii tituli utriusque juris, leges variæ et varii canones; facilioris tamen doctrinæ causâ ad quatuor capita revocari possunt; aut enim falsum admittitur dicto, aut facto, aut scripto, aut usu. *Dicto*, ut in teste qui falsum testimonium dicit vel verum supprimit dolo malo; uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat, cap. 1, de Crimine falsi.

325. Secundò *facto*, si quis falsam monetam cudat, l. *Qui falsam*, ff. *ad Leg. Corn.*, de Falsis. Item si quis nummos aureos raserit, tinxerit, finxerit, l. *Quicumque*, ff. eod. Item si quis in aurum vitii quid adjecerit, puta æs vel stannum, aut argenteos nummos adulterinos conflaverit, l. *Cornelià*. Item si quis mensuras publicè probatas corruperit, l. penult. Item cùm quis signum adulterinum facit, sculpit, exprimit, § *Item lex Cornelia*, de Falsis, Instit. de publicis Judiciis. Item si quis duobus in solidum rem eamdem diversis contractibus vendit; cui adjungitur et is qui judicem corrumpit, l. *Qui duobus*, ff. sup. Denique si quis partum supponat, l. *Qui falsum*, ff. eod. Tertiò falsitas potest committi *scripto*, v. g., si quis testamentum vel aliud instrumentum falsum scribat, signet, recitet, subjiciat, citato § *Item lex Cornelia*, de Falsis, Instit. de publicis Judiciis, l. 1, § 4, l. 2, l. *Quid sit falsum*, ff. Hoc titulo. Item si quis in testamento sibi adscribat legatum vel fideicommissum, l. *Si quis legatum*, ff. eod. Item qui erasis litteris aliud in earum locum subrogat, c. *Olim*, de Rescriptis. Intellige, si id faciat loco suspecto, c. *Ex conscientiâ*, de crimine falsi.

326. Denique falsum committitur *usu*, ut si quis Falsis litteris utatur, c. *Ad falsariorum*, eod. Item si quis falsas leges aut constitutiones alleget, l. fin., ff. eod. Item si quis falsum nomen vel cognomen sibi assumat, illicitis insignibus utatur aut falso diplomate vias commeet l. *Falsi*, et l. *Eos qui*, ff. eod. Exstant deinceps plura similium modorum exempla sub eodem tit. D. et C., inter quæ licèt varia sint, quæ propriè falsitatem in se non habeant, tamen ex interpretatione pro falsis habentur, et pœnâ falsi puniuntur, veluti, aperire litteras sigillatas alterius, et potissimùm rescripta principum, etc. Demùm circa litteras apostolicas falsitas multis modis committitur, vel in modo dictaminis seu mutatione styli, vel in formâ scripturæ, vel qualitate chartæ, ut videre est cap. *Licèt*, eod.

§ 2. *Tenor casûs.*

327. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi nihil de hoc casu legitur. In Cameracensi et Ruræmundensi reservatur *crimen falsarii, si scripturæ sint publicæ, ut regis, principis, magistratûs, judicis, de publico tractantes.* In Leodiensi, *falsitas circa litteras alicujus prælati inferioris Papâ.*

§ 3. *Reflexiones.*

328. — 1. In nullâ diœcesi reservatur crimen falsi in totâ latitudine sumptum; sed inprimis in Cameracensi et Ruræmundensi restringitur ad illam falsi speciem, quæ *scripturas* respicit. Debent autem *scripturæ* esse *publicæ* in utràque diœcesi, ut sunt decreta, diplomata, edicta, constitutiones aut leges *regis, principis, magistratûs, judicis*, tum civilis, tum ecclesiastici, concernentia regnum, principatum, provinciam, diœcesim, civitatem, etc. Unde *publicum* hoc loco distra-

bitur ab ordinariâ suâ significatione, et sumitur pro scripturâ quæ respiciat seu concernat publicum, id est, communitatem, non quæ publico innotuerit seu publicata sit. Ratio est ex subjectâ materiâ, quia scriptura sensu posteriori publica, seu publicata, non facilè recipit falsitatem, quòd verus illius tenor insideat animo et memoriæ populi.

329. Dices : Expressis terminis distinguuntur *scripturæ publicæ* et *de publico tractantes*, quæ se respiciunt, ut excedentia et excessa. Potest scriptura *publica* seu publicata esse, et non tractare *de publico*. Contra potest tractare *de publico*, et non esse *publica* seu publicata. Respondeo illud, *de publico tractantes*, non esse restrictionem totius periodi, sed solius exempli, quasi diceretur, reservari falsitatem circa scripturam *publicam;* qualis est, v. g., regis, principis, etc., non quæ ab illis ut personis privatis scribitur, sed quæ respicit communitatem, seu *de publico tractat*. Quare *τὸ de publico tractantes* non restringit *scripturam publicam*, sed scripturam *regis*, *principis*, etc.

330. — 2. In Leodiensi dicitur inprimis *falsitas circa litteras*. Porrò litteræ in quinque partes integrales dividi possunt : prima pars est ipsum litterarum corpus seu contentum ; secunda est subscriptio ; tertia, datum ; quarta, superscriptio seu inscriptio ; quinta, sigillum. Sequitur falsitatem reservatam committi posse, 1° addendo vocem, litteram, accentum, punctuationem, etc. : sic enim addendo negationem, sensus redditur contradictorius ; addendo litteram, *ora* fit *mora ; orcus*, *porcus*, etc., et multò magis per unius litteræ additionem diversitas notabilis induci potest circa *datum*, ut per se patet. Addendo accentum, *pendere* fit *pendêre*, *occidit*, *occîdit*, *leporis*, *lepôris*. 2° Falsitas reservata committi potest, hæc eadem tollendo, ut satis constat, si invertantur exempla ; 3° transponendo seu variando ; sic *Saulus* fit *Paulus*, etc. Imò unius etiam commatis diversitate sensum notabiliter variari posse, docemur ex bullâ Pianâ in causâ Baii. 4° Falsitas committi potest, novas litteras in solidum efformando, addito per dolum, alterius decepti vel ignorantis nomine 5° Adulterando sigillum, quod fieri postest iterùm tribus modis, vel utendo legitimo et vero sigillo superioris sine ejus auctoritate, vel utendo sigillo per dolum fabricato ad instar illius quo superior utitur, vel transponendo sigillum (puta ceram Hispanicam aut azimum sigillatum) de unâ scripturâ in aliam.

331. Dicitur secundò, *alicujus prælati*. Prælatus dicitur quasi ante latus. Dupliciter accipitur : Primò largè ab allusione vocabuli, quilibet habens curam, ut comprehendantur rectores Ecclesiarum parochialium, qui præsunt parochianis in foro animæ. Secundò strictè et propriè, ut solus ille censeatur prælatus, qui habet aliquam jurisdictionem ordinariam in foro contentioso. Quare prælatus propriè vocatur qui ecclesiæ collegiatæ, seculari aut regulari præfectus est. Hinc alii sunt prælati regulares, ut abbates, generales, provinciales, priores, guardiani, rectores, etc. Alii seculares, ut priores, præpositi, decani, etc. Panormitanus cap. *Cùm ab ecclesiarum*, de Offic. Ordin. ; Angelus, Sylvester, Tabiena, Zerola, Bassæus, Sâ, verbo *Prælatus ;* Tamburinus, tomo 1, de Jure, abb., disp. 1, quæsito 1, n. 7 et 8. Demùm inter prælatos eminent summus Pontifex, patriarchæ, primates, archiepiscopi seu metropolitani et episcopi.

332. Dicitur tertiò, *inferioris Papâ*, quia falsificatio litterarum apostolicarum reservatur in bullâ *Cœnæ*, § 6, ubi statuitur ut excommunicationem Pontifici reservatam incurrant, primò falsificantes Sedis Apostolicæ litteras etiam in formâ brevis. Secundò, falsarii supplicationum, gratiam aut justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vicecancellarium aut eorum locum gerentes vel de mandato Romani Pontificis signatarum. Tertiò, falsò fabricantes litteras apostolicas, etiam in formâ brevis. Quartò, falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vicecancellarii aut gerentium vices eorum. Sed et jure communi excommunicatio lata est, non solùm in falsificantes ipsos, sed insuper in fautores ac defensores, c. *Ad falsariorum*, de Crimine falsi.

333. — 3. Sicuti in diœcesibus Cameracensi et Ruræmundensi requiritur, ut scripturæ sint publicæ seu de publico tractantes, ita in Leodiensi videtur necessarium ad reservationem, ut litteræ falsificatæ respiciant prælati officium ; quia in hujus falsitatis reservatione non tam videtur spectari persona quàm officium : non enim sine causâ dictum est : *Falsitas circa litteras prælati*, nimirùm, ut tacitè excluderetur quælibet alia falsificatio, quæ non foret litterarum prælati formaliter considerati : verba enim in constitutione odiosâ non materialiter, sed formaliter accipienda sunt, v. g., cùm reservantur percussio parentis, oppressio prolis, etc. Item cùm reservatur inter casus clementinos falsificatio manûs vel sigilli officialium monasterii. Nec obstat quòd falsificatio epistolæ familiaris, sit injuriosa prælato, non solùm quatenùs persona singularis est, verùm etiam quatenùs officialis ; quia equidem muneri seu officio solummodò injuriosa est indirectè. Ita discurrit Castrop., parte 4, tr. 23, disp. un., puncto 15, § 2, n. 20.

§ 4. *Corollaria*

334. — 1. Itaque in nullâ diœcesi probabiliùs incurrit casum, qui falsificat epistolam familiarem de rebus domesticis aut negotiis familiæ tractantem, et generatim quæ non respicit communitatem (pro Cameracensi et Ruræmundensi) vel prælati quà talis officium, pro Leodiensi.

2. Idem videtur dicendum de regulari exempto qui falsificat litteras prælati vel superioris sui ; quia nomine *prælati inferioris Papâ* non videtur intelligi prælatus exemptæ Religionis respectu subditorum suorum. Potest nihilominùs delinquens incurrere casum suo superiori reservatum, secundùm decretum Clementis VIII, sup.

3. In nullâ diœcesi reservatione tenetur, qui physicè et personaliter litteras vel scripturam non falsificat, sed per interpositam personam, mandato, consilio, consensu, favore. Castrop. sup. ; Fagundez de

secundo Ecclesiæ præcepto, l. 8, c. 7, n. 21; Manigart in hunc casum, n. 6. Vide etiam Prolegomenon VI.

335. — 4. Existimant Marchant n. 17, et Manigart, fol. 323, hunc casum non incurrere, qui utitur quibusvis litteris per alterum falsificatis; quorum ratio esse potest, quòd, licèt qui falsis litteris utuntur sub nomine Pontificis, tanquàm falsarii puniantur c. *Ad falsariorum*, de Crimine falsi, reverà tamen litteras non falsificent, eò quòd litterarum falsarum usus, earumdem falsitatem non faciat sed supponat. Secùs tamen dicendum, si quis utatur sigillo per alterum falsificato.

5. Idem existimant iidem ob eamdem causam de eo, qui veras regis, principis, magistratûs, judicis, prælati litteras obtinet per dolum alieni nominis aut falsò refert earum tenorem cum præjudicio tertii.

6. Idem ob eamdem causam censet Chapeauville, si quis litteras à rege, principe, episcopo, etc., obtineat obreptitiè vel subreptitiè.

7. Idem, si quis punctum aliquod inordinatè appositum radit, aut contrà, punctum omissum pro clariori intelligentiâ adjicit. Chapeauville, Manigart, Marchant. Excusat, inquit Zoesius, l. 5, Decretal., tit. 20, n. 7, materiæ levitas (ut à censurâ pontificiâ, sic à reservatione episcopali) ubi et quando non est immutatus sensus litterarum, quia gravitas hujus delicti non consistit in atramento et litteris, sed in sensu, quo integro permanente, nihil potest videri peccatum.

336. — 8. Idem, si quis errorem etiam notabilem in legitimâ scripturâ corrigat juxta mentem et intentionem superioris, expressam vel intelligibilem per reales circumstantias, v. g., exhibet aliquis episcopo supplicam, quâ petit licentiam excipiendi confessiones, et simul absolvendi à reservatis. Utrumque, ut suppono, largitur; sed non exprimitur in admissoriis per inadvertentiam secretarii, nisi facultas excipiendi confessiones. Quanquàm graviter peccare possit, non erit tamen falsarius, neque casum reservatum incurret confessarius, si addat, *et absolvendi à reservatis*, prout petiverat in suâ supplicâ subsignatâ. Chapeauville, Marchant, Manigart, Bellochius, Diana, p. 5, tr. 14, res. 40. Similiter Duardus, Sayrus, Reginaldus, Ugolinus, Gambarupta, Naldus apud Dianam citatum docent, non esse falsarium ad effectum excommunicationis, qui corrigit litteras apostolicas juxta mentem Pontificis, ut si, v. g., dicebatur in supplicâ, *Petro Panormitano*, et notarius scripserit, *Petro Neapolitano* : vel in supplicâ exprimebatur *quartus gradus consanguinitatis*, et notarius scripserit *affinitatis*. Ita illi.

337. — 9. Idem, si quis rasam vel deletam, etc., in regis, principis, etc., scripturâ aliquam dictionem, pœnitentiâ ductus tempestivè restituat, quia non est hactenùs falsificatio consummata. Chapeauville.

10. Idem, si quis falsificet litteras effectui datas, per ea, quæ tradit Navarrus, c. 17, n. 169.

11. Si quis falsaverit litteras vel scripturam regis, principis, prælati, sed hactenùs dolo malo usus non fuerit, putant nonnulli casum non esse reservatum, eò quòd delictum falsitatis velint per usum et damnum tertii consummari. Sylvester, v. *Falsarius*. Coriolanus, p. 2, casu 7, n. 2, citans Antonium de Butr., cap. penult. de Crimine falsi, et Graffium in expositione casûs 11, Chapeauville, Marchant, Manigart. Contrarium videntur indicare Petrus Marchant, ad c. 7, Reg. dub. 10, Kerckhoven in Stat., cap. 6, § 22, n. 57; Crousers lect. parænet. 15, ad c. 7, Reg. fol. 625.

338. — 12. Idem, si quis scripturas sæpiùs nominatas fingeret, aut fabricaret sigillum merè ad artem vel ingenium ostendendum, ad solam recreationem vel jocum sine vero alicujus damno vel illius periculo. Marchant et Kerckhoven citati.

13. Peccatum tamen reservatum committit in diœcesibus Cameracensi et Ruræmundensi, qui circa publicam regis, principis, magistratûs, judicis scripturam, addit, delet, transponit etiam unam litteram variato sensu litterali in alterius gravamen aut præjudicium. Idem est in Leodiensi, si in eumdem modum falsentur litteræ Prælati formaliter considerati, seu ejus officium concernentes, cujusmodi sunt commendatitiæ, approbatoriæ seu admissoriales, dimissoriales, provisionales alicujus beneficii, etc., Marchant.

339. — 14. Item juxta plurimos auctores, casu reservato tenentur, qui similem superioris scripturam comburunt, lacerant, supprimunt. Sylvester, Chapeauville, Manigart, Notau. Hæc tamen resolutio non videtur carere difficultate; quia propriè loquendo in hunc modum non falsificatur scriptura, id est, non tollitur hoc modo veritas, sed existentia litterarum, sicuti si quis monetam à principe ad alterum directam seu transmissam supprimat, destruat, liquefaciat, licèt graviter peccare possit contra justitiam, non tamen dicitur propriè falsificare monetam.

CAPUT VIII

DE FALSITATE CIRCA MONETAM.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid moneta, et quæ ad ejus veritatem requirantur.*

340. Respondeo ex Aristotele, l. 5 Eth., cap. 5, moneta, hominum usu et lege propter necessitatem introducta est, ut esset omnium rerum quibus utimur et indigemus, mensura et æstimatio. Electa est autem materia metalli, videlicet aurum, argentum, æs, quæ olim rudi et informi massâ appendebantur, ut testis est Plinius Historiæ naturalis, l. 33, c. 3. Postea verò ad sublevandum libræ laborem signabantur, impressâ pecudis figurâ, unde et pecunia dicta est. Aristoteles, l. 1 Polit., c. 6, et Plinius, loco citato. Succedenti tempore obtinuit consuetudo, quæ etiamnùm viget, ut ad augendam monetæ auctoritatem, et omnem fraudis tollendam suspicionem, principis imagine signaretur, quemadmodùm constat ex l. fin. c. de veter. Numism. potest., ubi capitali sententiâ puniendus dicitur, qui *æternales vultus* imperatorum, *fraudi-*

bus... duxerit violare. Et Cassiodorus, lib. 7 Variar., c. 32. *Omninò monetæ debet integritas quæri, ubi et vultus noster imprimitur, et generalis utilitas invenitur: quid enim erit tutum, si in nostrâ peccetur effigie?* Non rarò etiam apud Christianos nomen Domini, alicujus sancti vel crucis figura imprimitur, ut *sit in testimonium veritatis monetæ, secundùm materiam et pondus*, ait Nicolaus Oresmius Lexoviensis episcopus, l. de Mutat. Monet., c. 13.

341. Moneta porrò seu nummus publicâ auctoritate cusus, vim usumque in commutationibus non tantùm habet ex substantiâ materiæ, sed potiùs ex quantitate æstimationis, lege publicâ impositæ : si enim substantiam auri vel argenti absolutè spectes, nondùm habet rationem pretii, sed potiùs mercis. Quare ut consequatur rationem pretii, ad res alias æstimandas emendasque idonei, publicæ æstimationis quantitate indiget; hæc igitur est ultima forma pecuniæ. Interim fundamentum justi nummi est metalli bonitas et pondus : hæc enim ab impressâ publicæ æstimationis figurâ significantur; cui signo si intrinseca materiæ bonitas non respondeat, verus non erit nummus, ut apertè colligitur ex l. 1, c. de veter. Numism. potest., ubi imperatores Valentinianus et Valens, solidos veterum principum veneratione formatos, tradi ac suscipi ab ementibus ac distrahentibus jubent, *modò debiti ponaeris sint et speciei probæ.* Eadem doctrina traditur l. 1, ff. de Contrah. empt., ubi dicitur : *Electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis subveniret.*

342. Bonitas autem metalli partim sumitur ex ejusdem raritate et naturalibus proprietatibus, v. g., auri vel argenti puritate, ductilitate, etc., partim ex communi hominum apprehensione et affectu. Verùm ut nummus seu moneta utilitatem habeat, ob quam est instituta, videlicet ad subveniendum necessitatibus commutationum ac commerciorum, spectari debet intrinsecus ejusdem valor, non secundùm privatam aliquorum aut unius cujusdam provinciæ vel regionis, sed aliarum etiam gentium, quibuscum commercium seu negotiatio est, quasi passim receptam persuasionem, æstimationemque; alioqui periclitabitur non solùm facultas commerciorum, sed et mutua societas, atque ex unâ in alteram regionem transeundi facilitas. Huic intrinsecæ bonitati seu æstimationi monetarum accessoria est intrinseca seu imposititia, quæ et mutari solet supremi principis aut magistratûs publici auctoritate.

343. Hinc tandem colligitur, ad veritatem monetæ tria necessaria esse, formam, materiam, pondus. Glossa, c. *Quantò*, verb. *Patris*, de Jurejurando; Sylvester, verb. *Falsarius*. q. 7; P. Navar. l. 3, de Restit., c. 1, n. 316; Decianus, tract. Crim., tom. 2, l. 7, c. 23, n. 9; Menoch., consil 49, n. 1, Mascard., de prob. concl. 1065, n. 7, et alii apud Barbosam, part. 3, alleg. 51, n. 56.

Ad formam spectat non solùm æstimatio legalis et character per principem vel rempublicam ordinatus, sed etiam cudendi auctoritas, quam signum impressum indicat. Monetam verò cudere, est unum ex regalibus, ut constat ex lib. 2, Feud. tit. 56, et l. 2, c. de falsâ Monetâ, ubi mortis supplicium decernitur iis, qui monetam privatâ fusione formârint, tanquàm læsæ majestatis crimine obnoxiis; et meritò; cùm enim nummus propter publicam utilitatem ac necessitatem institutus sit, non nisi ejus auctoritate prodire debet, qui totius communitatis curam gerit; nam alioquin innumeræ fraudes et incommoda sequentur.

344. Verùmtamen jus cudendi monetam aliis etiam præter supremum principem, sicuti et alia regalia, competere solet, seu ex privilegii concessione, seu ex legitimè præscriptâ consuetudine; uti notat Petrus Greg. Tholos., l. 36 Syntagm., c. 2, n. 25. Alterum ad veritatem monetæ requisitum, est materiæ puritas seu integritas : non quòd nummus naturâ suâ certam materiam exigat, sed ex hypothesi, si aureus esse debeat, nihil vitii immittatur in aurum; si argenteus, nihil rursùs materiæ heterogeniæ misceatur, plusquàm est necessarium ad ligaturam, l. 9, ff. ad l. *Corn.* de Falsis. Tertium denique est justum materiæ pondus, sicut signum nummi indicat : quia, ut supra ex Aristotele diximus, tale signum ideò in nummis ponitur, ut mensurare opus non sit.

§ 2. *Tenor casûs.*

345. In diœcesi Leodiensi exprimitur præsens casus tenore tituli : *Falsitas circa monetam.*

In cæteris diœcesibus de eodem nihil.

§ 3. *Reflexiones.*

346. — 1. Sicut veritas monetæ, secundùm dicta, consistit in tribus, videlicet formâ seu valore et charactere, materiâ seu substantiâ, et pondere seu quantitate, ita opposita veritati falsitas in quolibet illorum defectu. Itaque inprimis circa formam falsarius est, et incurrit casum reservatum in diœcesi Leodiensi, qui privatâ auctoritate monetam cudit. Nec refert primò quòd talis moneta possit justa esse, videlicet si de cætero constet legitimâ materiâ, pondere et charactere : quia etiam his suppositis non est vera moneta, nec habet rationem pretii, sed mercis, æstimabilis secundùm solum valorem naturalem seu intrinsecum; extrinsecum enim seu legalem à quo haberet? Non à principe, contra cujus voluntatem causa est; non à privato, qui caret potestate elevandi metallum in pecuniam et publicum emptionis ac negotiationis instrumentum. Barbosa, num. 57; Covarruv., de Collat. vet. num. c. 8, n. 3; Molina, tr. 2, t. 3 poster. disp. 702; Layman, lib. 3 de Just. tr. 3, p. 1, c. 5, n. 5; Zoesius in lib. 5 Decretal. tit. 20, n. 4. Vide etiam can. *Quòd quidam*, 1, q. 1, ubi ex S. Augustino dicitur quòd regale signum impositum non excuset percutientes furtim et extra publicas monetas aurum vel argentum. Et l. 2, c. de falsâ Monetâ, ubi Imperator in suis monetis tantùm, cudendæ pecuniæ studium frequentari jubet. Nec refert secundò quòd falsitas sit immutatio veritatis cum dolo et in-

jurià vel jacturà alterius ; hìc autem nullus damnum vel jacturam patiatur, quamdiù res manet occulta. Quare etiam nulla nascitur obligatio restituendi, ut docent Zoesius cit. Navar. Man. c. 17, n. 167, Sylvester, q. 7; non refert, inquam, quia monetam furtim percutiens, injuriam facit principi, cujus auctoritatem et jus usurpat. Imò (sicut Layman citatus ait) etiam damnificat principem, suo dolo efficiens ut ejus monetæ non tanto numero expendantur ; quapropter eumdem obligari dicit ad restitutionem principi vel ejus monetariis faciendam.

347. — 2. Circa materiam, falsitatem reservatam committit, qui unum metallum pro alio miscet vel substituit ; hic enim facit injuriam non solùm principi, sed etiam communitati, cùm manifestatè repugnent justitiæ commutativæ damna indè subsecuta, quæ indubitanter reparanda sunt. Observandum tamen ex Petro Greg. Tolos. Syntag. l. 36, c. 2, n. 9, mixtionem aliquam necessariam esse in materiâ metallorum, quæ nummis cudendis designata sunt ; sed mixtionis legem etiam à principe recipiunt, quam curatores monetarum sequi debent ; hanc vocant *aloy* seu *ligaturam ;* ita enim misceri, et expedire arti et utilitati publicæ visum est. Neque ullum etiam invenitur metallum usque adeò defæcatum, quod non alterius quamdam mixtionem aut habeat aut exigat, vel ex hâc causâ, ne, v. g., materia nimiùm mollis alioquin per frequentem usum collybo depereat. Secundò circa materiam delinquit, et (sicut docet Gambarupta apud Barbosam n. 58) incurrit casum, qui mutat formam externam, ut qui falsificat monetæ superficiem, tingendo vel deaurando argentum : qui æs mercurio oblinit, ut mentiatur argentum. Vide l. *Quicumque*, *ff. ad L. Corn.*, de Falsis, ubi, qui *nummos aureos tinxerit*, graviter castigatur.

348. — 3. Circa pondus committit reservatam falsitatem, qui monetam minorem et leviorem pro majori et graviori cudit. Vide l. 1. ff. de Contrah. empt., et Navarrum c. 17, n. 167. Secundò qui de justo monetarum pondere detrahunt aquâ forti, rasurâ vel circumcisione. Radi autem in nummis dicitur superficies plana, circumcidi circumferentia. Vide l. *Quicumque*, sup., et Glos. ibid. Sed quid si quis privatâ auctoritate monetam justo graviorem reducat ad æqualitatem ? Sylvester, q. 8, et P. Navar. apud Layman, existimant, talem non esse falsarium. Similiter duo viri clarissimi (inquit Barbosa, n. 60,) Marsil. et Alciat. affirmant hunc tonsorem seu limitatorem monetarum nullis pœnis subjacere, quia neminem lædit. Eamdem quæstionem sub dubio relinquit Zoesius sup. n. 5. Respondeo Inprimis videtur certum quòd nulli liceat privatâ auctoritate monetam justo pondere graviorem reducere ad æqualitatem, sub peccato materiæ proportionato et obligatione restitutionis. Barbosa cit. Menoch. casu 316, à num. 36 : Mart. Navar., n. 168; Layman n. 5. Ratio est quia excessus ille ad principem vel communitatem pertinet, non ad privatos. Quam ob rem secundùm doctores citatos facienda est etiam in casu restitutio principi vel monetariis. Dices : Nulla committitur falsitas circa formam, materiam aut pondus, quando infra taxatam à principe quantitatem non descenditur. — Respondet Menoch. cit. n. 38, principem justum existimare monetæ suæ pondus, quod à suis monetarum censoribus in publicum ex eorum officinâ mittitur, et quod à se factum est, in deterius mutari non velle. Respondeo secundò, quod attinet reservationem : Existimat Marchant, non esse casum reservatum, quamvis delinquentem non excuset à gravi peccato, aut onere restitutionis, supposità gravitate materiæ. Hæc sententia sine dubio est probabilis. Contrariam nihilominùs docent Barbosa cit. n. 60, Bassæus, verbo *Falsarius*, n. 2. Manigart part. 1, c. 10, fol. 320, et per consequentiam omnes illi qui in casu controverso agnoscunt strictam falsitatem monetæ.

§ 4. *Corollaria.*

349. — 1. Casum non incurrit qui falsificat monetam reprobatam, id est, publicâ auctoritate rejectam, tanquàm defectuosam, quam vulgò monetam *de billon* appellant, id est, ad forficem damnatam. Ratio est quia, cassato valore extrinseco seu legali, redit in suam naturam seu substantiam metalli, ac desinit pecunia esse. Vide Barbosam, n. 61.

2. Idem est de falsificante falsam monetam. Barbosa n. 62 ; v. g., forma seu character nummi aurei imprimitur argento, quod deinceps oblinitur auro tuso vel fuso, vel fit mixtura ex diversis metallis, aut legitimum metallum legitimo charactere insignitur privatâ auctoritate, et nihilominùs ob ignorantiam vulgi transit manus communitatis : qui fraudem edoctus, nummum similem circumcidit aut radit, non incurrit peccatum reservatum.

350. — 3. Idem dicendum est de mandante aut consulente. Manigart.

4. Idem, si quis in exiguâ admodùm quantitate falsaret monetam, sive quoad pondus sive quoad materiam : nec enim videmus cur hìc sicut alibi dari nequeat peccatum veniale ex levitate materiæ. Interim per actus repetitos crescet delictum, ut in furtis minutis.

5. Falsum non committit neque contra justitiam peccat princeps, si nummo à se cuso valorem legalem supra naturalem tribuat, excessu scilicet moderato. Ratio est quia licitum est principi deducere moderatas expensas, sustentandis ministris, parandis et reparandis instrumentis seu materialibus necessarias : nec enim obligatur monetam cudere suis expensis. Imò ultra expensas potest pluris taxare nummos, quàm valeat materia ; quia metallum in pecuniam elevatum auctoritate principis, pluris æstimatur, quàm rude et informe. Vide Zoesium sup. n. 6, et Pet. Gregor., n. 26.

351. — 6. Reservatione non tenetur, qui pecuniam adulterinam seu monetam per alterum falsificatam, malâ fide expendit. Ratio est quia omninò diversa sunt, falsificare monetam, et falsificatam expendere, ut de usu falsarum litterarum supra dictum est. Falsificatio præcedit usum ; ergo in eodem propriè non consistit :

quanquam fateamur, expendentes non evadere reatum pœnæ. Castrop., n. 6; Zecchus, de Cas. res., casu 18; Gambarupta sup., fol. 114, n. 3; Barbosa, n. 67; Manigart, fol. 321; Jac. Marchant, num. 16. Sed superest dubium, ad hunc locum pertinens, quomodò peccent expendentes monetam per alterum falsificatam? — Respondeo 1° qui falsam monetam etiam bonâ fide recepit, non potest eamdem citra peccatum transferre in alium contractu oneroso. Ratio est, quia tuus error nullum tibi titulum tribuit decipiendi alterum, nec damni illati reparatio ab innocenti, sed reo seu deceptore exigenda est, eritque error pejor priore, si deceptus decipiat alterum, et hic rursus tertium cum abusu perpetuo monetæ adulterinæ. Error suum auctorem teneat, nec ultra pergat; quod et dicendum in rebus aliis, ut nemo possit rem æstimatam decem, per errorem verò vel imprudentiam viginti emptam, etiam viginti vendere; quia tanti non valet, et, sicut dictum est, præcedens deceptio vel imprudentia venditoris non potest nocere emptori.

352. Respondeo 2°, idem dicendum est, etsi moneta tantùm sit falsificata ratione formæ, puta, quia sine legitimâ auctoritate cusa est, etsi aliàs nullo laboret defectu circa pondus vel materiam. Ratio; quia falsa moneta est, non habens valorem, nisi naturalem, fitque sine dubio contra principis rationabilem voluntatem. Oppositum docet eximius Lacroix, l. 3, p. 2. n. 960, q. 176. Gravior difficultas est, an qui monetam per alterum falsificatam bonâ fide expendit, teneatur ad restitutionem, secuto damno et detecto errore. Negant Angelus et Sylvester apud Bassæum, verb. *Falsarius*, n. 2. Affirmant Navarrus et Navarra. Utrum que probabile putat Diana. Nostro judicio, qui benè distinguit, benè docet Tannerus, quocum dicimus: 1° teneri ad restitutionem, si res per falsam pecuniam comparata extet eadem numero apud emptorem; 2° teneri ad restitutionem, in quantum factus est ditior, si res per falsam monetam acquisita sit bonâ fide consumpta; 3° non teneri, si nihilo ditior factus, bonâ fide consumpserit.

7. Indifferens est ad reservationem, sive aliquis falsificet monetam principis proprii, sive alieni. Gambarupta apud Barbosam, n. 58.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

353. — 1. Objicies pro sententiâ doctoris Lacroix: Moneta quoad solam formam seu defectu solius auctoritatis falsa, legitimatur judicio et usu populi; hæc enim rerum æstimationem et pretium statuunt. — Respondeo, statuere pretium vulgare, non legitimum; alioquin argumentum retorqueri posset in monetam substantiâ aut pondere falsam, quæ transiret manus errantis populi.

2. Objicies: Qui similem monetam expendit, nemini injuriam facit, nemini damnum; cùm enim quoad substantiam et pondus supponatur legitima, et quoad formam deprehendi nequeat adulterina, poterit, qui recepit, eâdem tantumdem efficere. — Respondeo 1° injuriam et damnum fieri principi, sicut supra dictum est; 2° etsi nemini oriretur damnum, sufficit injuria et involuntarium principis ad peccatum; 3° peccari etiam potest contra justitiam commutativam respectu privatorum, si valor legalis monetæ non respondeat exactè naturali.

3. Objicies: Talis nummus à vero et legitimo nullâ ratione distingui potest, sive quoad materiam, sive quoad characterem. — Respondeo inde nihil ampliùs sequi quàm fraudem ac deceptionem occultam esse.

CAPUT IX.

DE HÆRESI.

§ 1. QUÆSTIO PRIMA. — *Quid hæresis, et quale peccatum?*

354. Respondeo: Hæresis est species infidelitatis positivæ, S. Thomas, 2-2, q. 10, art. 5, O. Pro quo notandum infidelitatem esse triplicem, negativam, privativam et positivam. Divisio colligitur ex S. Thomâ, art. 1. *Negativa*, est carentia inculpata fidei, qualis reperitur in pueris perpetuò amentibus et ignorantibus invincibiliter mysteria fidei. Hæc non est peccatum, sed ejus pœna, ut docent nos Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII, damnantes 68 inter 79, et S. Augustinus, epistolâ 105 ad Sixtum, ac alibi. Clarissimè verò S. Thom., citato art. 1, O. *Privativa*, est carentia seu ignorantia culpabilis aut voluntaria fidei. Hæc est eorum *qui intelligere noluerunt*, ut Augustinus loco citato loquitur. Utraque vel respicit solum actum, vel actum simul et habitum. Infidelitas negativa quoad actum solum habetur in baptizatis, pueris, perpetuò amentibus, et adultis aliis fidelibus, qui per invincibilem ignorantiam omittunt credere quod oportet. Infidelitas privativa quoad solum actum reperitur in illis fidelibus, qui negligunt scire aut credere quæ et quando oportet. Ex quibus facilè colligitur quænam sit infidelitas seu negativa seu privativa quoad utrumque. Denique *positiva*, est error sive assensus positivus repugnans fidei.

355. Dividitur ex parte subjecti in voluntariam seu formalem, et involuntariam seu materialem. Infidelitas positiva voluntaria, est citra dubium, gravissimum peccatum: et quidem, Joannis 8, antonomasticè vocatur nomine peccati: *In peccato vestro moriemini*, et c. 16: *Ille arguet mundum de peccato*, nimirùm infidelitatis, ut statim additur: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Dividitur ex parte objecti in paganismum, Judaismum et hæresim: cùm enim, inquit S. Th., art. 5, O., *peccatum infidelitatis consistat in renitendo fidei; hoc potest contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nondùm susceptæ, et talis infidelitas est paganorum sive gentilium; aut renititur fidei christianæ susceptæ, vel in figurâ, et sic est infidelitas Judæorum; vel in ipsâ manifestatione veritatis, et sic est infidelitas hæreticorum. Unde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis.* Proinde paganismus est negatio totius fidei, rejecto vel non agnito utroque Testamento, novo et veteri. Judaismus est negatio Christi seu novi Testamenti. Hæresis est negatio pertinax revelatæ veritatis, recepto alioquin Christo et adventu ejus. Vel paulò clariùs hæresis describi potest: Error intellectûs voluntarius, contra

aliquam fidei veritatem, cum pertinaciâ assertus ab eo qui de cætero profitetur Christi religionem.

356. Dicitur primò *error intellectûs*, id est, judicium vel assensus, quo approbatur falsum vel improbatur verum : ut enim fides, sic opposita fidei infidelitas est in intellectu sicut in subjecto proximo. S. Thom., art. 2, O. Dicitur secundò *voluntarius;* sicut enim assensus fidei descendit ex pio voluntatis affectu, ita hæresis ex malâ voluntatis electione. S. Th. cit. Dicitur tertiò, *contra aliquam fidei veritatem*, quia hæresis importat corruptionem fidei christianæ, ad quam aliquid pertinet dupliciter; uno modo directè et principaliter, sicut articuli fidei; alio modo indirectè et secundariò, sicut ea, ex quibus negatis sequitur corruptio alicujus articuli. Et circa utraque potest esse hæresis, eo modo quo et fides. S. Th., q. 11, art. 2, O.

357. Dicitur quartò, *cum pertinaciâ :* qui enim sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci animositate defendunt; quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi. S. August., Epist. 162. Similia habet contra Manichæos, et refertur c. *Qui in Ecclesiâ*, 24, q. 3, et l. 4, contra Donatistas, c. 16. Idem apertè docent concilium Viennense, relatum Clement. 1, de Summâ Trinit., § 2, et S. Th. cit. ad 3. Pertinacia verò ad hæresim requisita videtur in eo consistere quòd quis errorem fidei repugnantem teneat, non ignorans oppositum tradi ab illâ Ecclesiâ quam esse veram et legitimam potest ac debet scire; aut saltem, quòd neget doctrinam sibi aliàs satis propositam, ut tenetur credere. Vide Coninck, l. 2, disp. 18, de Infidelitate, dub. 7, n. 78 et 93; Vasquez, 1-2, disp. 126, n. 6; Valentina, 2-2, disp. 1, q. 11, puncto 1, diffic. 4, ad 2; Sanchez, l. 2, de Præc.; Dec., c. 7, n. 3; Castrop., tract. 4, disp. 3, puncto 2, n. 1; Herincx, p. 3, tr. 1, disp. 9, quæst. 2, n. 17, et seq. Dicitur quintò in descriptione hæresis, *assertus ab eo, qui de cætero profitetur Christi religionem*, ut distinguatur à paganismo, quo tota negatur fides, et Judaismo, quo novum Testamentum.

358. Dubitatur verò an ad hæresim propriè dictam requiratur baptismus, vel transitus à fide ad errorem oppositum, de quo ultimo puncto nonnulla breviter diximus, c. 4, § 1, n. 237.— Respondeo negativè ad utrumque. Ratio prioris est, quia secundùm dicta nihil ad hæresim videtur requiri amplius, quàm pertinax negatio articuli revelati, unius vel alterius, receptis cæteris. Ponamus homini non baptizato ita proponi fidem, ut teneatur credere. Si uni tantùm repugnet articulo, cùm nequeat dici paganus vel Judæus, quid aliud esse poterit, quàm hæreticus? Confirmatur; quia hæresiarcharum et hæreticorum filii, appellantur hæretici, etsi nunquàm sint baptizati, sive defectu formæ, ut Paulianistæ, sive defectu ætatis, ut Anabaptistæ, qui nisi in adultâ ætate non baptizant.

359. Ratio posterioris repetitur pariter ex naturâ et descriptione hæresis, ad quam impertinens est ille transitus. Sicut (inquit Coninck, dub. 6, n. 59) ut aliquis sit verè catholicus, sufficit quòd fidem catholicam integrè et vere credat ac profiteatur, et omninò impertinens est, an semper fuerit talis, an verò fuerit aliquando Judæus, Turca vel hæreticus. Secundò, ut arguit idem Coninck, si Turca vel Judæus fieret Lutheranus, esset verè hæreticus, cùm tamen nunquàm fuisset Catholicus. Vide Herincx, q. 1, n. 7; Castropal. puncto 1, n. 2; Suarez, de Fide, disp. 16, sect. 4, n. 8; Lorca, 2-2, q. 10, art. 5, n. 4; Steyaert, Aphorism., part. 2, disp. 20, n. 6.

Quæstio II. — *An dubium de fide sit hæresis?*

360. Prænotandum primò, quæstionem solummodò esse de dubio vel dubitante pertinaci, postquàm veritas per Ecclesiam definita est, aut aliàs satis proposita ad credendum, v. g., si, damnatis per Ecclesiam propositionibus Jansenianis, quispiam deliberatè dubitet de earum falsitate, volens, de hâc ipsâ nec satis constare per Scripturam aut Patres, nec per sententiam Pontificis, tanquàm in similibus non inerrabilis : tametsi erroneè.

Prænotandum secundò, dubium generatim esse suspensionem mentis inter duo opposita, adeò ut in neutram partem aut negando aut affirmando, se possit flectere. Proinde dubius in fide censendus est, qui, propositâ sibi sufficienter fide vel aliquo illius articulo, voluntariè et deliberatè suspensus manet, et de ejus veritate apud se ipsum disputans, nec assentitur illi, nec ejus opposito : si enim assentiatur illi, non erit dubius, sed certò catholicus; si opposito, iterùm non erit dubius, sed certò hæreticus.

361. Prænotandum tertiò, dubium aliud esse negativum, aliud affirmativum seu positivum; utrumque dupliciter, ex parte actûs seu subjecti, et ex parte motivi seu objecti. *Ex parte actûs seu subjecti* dubium negativum seu, ut vocant, in actu exercito est, dum quis, apprehensâ utrâque parte, v. g., an liceat aliquid vel non liceat, neutri parti assentiens, absque ullo actu positivo suspensus manet. Dubium positivum *ex parte actûs vel subjecti*, seu, ut vocant, in actu signato et reflexo est, dum quis, apprehensâ utrâque parte, neutri volens aut potens assentiri, actu aliquo positivo et reflexo judicat rem esse dubiam seu incertam. *Ex parte motivi seu objecti* dubium negativum est, dùm intellectus inter utramque partem suspenditur, quòd nulla occurrat ratio, nullum medium vel motivum negandi vel affirmandi; sed merè negativè se habet intellectus, et ignoranter, v. g., circa stellarum aut hominum numerum, sintne pares, an impares. Dubium positivum *ex parte motivi vel objecti* est, dùm intellectus inter utramque partem suspensus est ex eo quòd media seu motiva æqualia occurrant pro utrâque. Quo casu cùm pars utralibet æquo pondere intellectum gravet, neutra æquilibrio eximit, donec aut imperio voluntatis, aut potiùs alterius fundamenti accessu declinet bilanx. His ita notatis:

362. Respondeo primò : Dubitans cum pertinaciâ de articulo revelato et ad credendum satis proposito, dubio positivo *ex parte actûs et motivi*, sine ullo dubio est hæreticus. Ratio est 1° quia habet errorem actua-

lem divinæ veracitati repugnantem, sive voluntarium assensum erroneum, quò malè judicat de rebus fidei, ac licèt non expressè auferat ipsam fidei veritatem, tamen ejus firmitatem et certitudinem essentialem tollit et negat; 2° quia videtur æquale præjudicium inferre divinæ veracitati, qui aliquem fidei articulum dicit falsum, et qui incertum, cum hoc discrimine quòd prior judicet divinum testimonium de facto falli, posterior falli posse.— Respondeo secundò : Dubitans de fide dubio negativo vel *tantùm ex parte motivi*, vel *ex parte actûs et motivi* non est hæreticus defectu pertinaciæ, eò quòd articulus fidei, circa quem merè negativè suspendit assensum, non sit eidem satis cognitus vel propositus.

363. Gravior est difficultas de illo qui dubitat dubio quidem negativo *ex parte actûs*, sed affirmativo *ex parte motivi*, id est, qui propositis utriusque partis motivis seu fundamentis, quasi intra semetipsum disputans de aliquo fidei articulo, voluntariè suspendit assensum absque omni judicio positivo et reflexo de certitudine vel dubietate objecti. — Respondeo cum eminentissimo Lugone, de Fide, disp. 17, sect. 5, et disp. 20, sect. 1, n. 15, quem sequitur Sporer, tract. 2 in primum præc., Decal., c. 3, sect. 1, n. 6, per distinctionem : Dubitans hoc modo negativè, et formaliter hæreticus, quando voluntas imperat suspensionem assensûs ex motivo difficultatum pro parte oppositâ militantium; quasi deterrita et verita periculum deceptionis et falsitatis. Ratio est quia licèt sic dubitans, articulum revelatum actu formali et positivo non judicet falsum; item licèt eumdem articulum non judicet dubium vel incertum in actu signato, per expressum, formalem et reflexum assensum, convincitur tamen eumdem articulum revelatum exercitè et virtualiter habere pro dubio et incerto, quatenùs motiva partis oppositæ in actu exercito approbat tanquàm sufficientia ad cohibendum assensum.

364. Quare suspensio assensûs sic subsecuta reducitur ad veram infidelitatem, accedente scilicet pertinaciâ, quâ quis nolit induci auctoritate Ecclesiæ ad assensum resolutum istius articuli. Unde etiam hùc pertinent quæ dicuntur cap. 1 de Hæreticis, et Clement. un. de Summâ Trin., apud Herincx, Coninck, Sporer, etc. Secùs videtur dicendum, si voluntas imperet suspensionem assensûs, v. g., quia dubitans pro præsenti sentit se ingenio non satis dispositum ad ponderandum motiva revelatæ veritatis; quapropter statuit rei inquisitionem et assensum differre in aliam temporis circumstantiam; talis, inquam, hæreticus esse non videtur, quia dubitat ex infirmitate potiùs quàm pertinaciâ; neque tam putat in actu exercito esse dubium articulum revelatum, quàm se pro præsenti esse minùs dispositum ad statuendum vel eligendum aliquid in tanti momenti negotio.

Quæstio III. — *An ignorantia consistat cum hæresi?*

365. De invincibili non est quæstio; de vincibili affirmant doctores plurimi, primò quia hæc non excusat à peccato formali in furto, homicidio, adulterio, et similibus delictis. Ergo neque in hæresi seu infidelitate; secundò, quia culpabiliter et vincibiliter errans contra fidem, peccat verà infidelitate et amittit fidem, ut docet concilium Trident. sess. 6, cap. 15; ergo vel peccat hæresi, vel Judaismo, vel paganismo; non enim sunt aliæ species infidelitatis; tertiò, quia ejusdem specici sunt peccata quæ ex ignorantiâ et quæ ex malitiâ committuntur, cùm species peccati ex objecto sumatur, non ex modo; atqui error contra fidem ex malitiâ est peccatum hæresis; ergo etiam ex ignorantiâ culpabili. Ita docent Sotus, 4, dist. 22, q. 2, art. 3, post 5 concl., cas. 1, Lopez, 2 p. Instr., cap. 20, de Excomm. res. in B. C., casu 1; Lorca, 2-2, q. 11, disp. 41, n. 15. Alii limitant hanc sententiam ad ignorantiam ita crassam, ut nullo negotio superari possit. Hanc putant ab hæresi non excusare, quia æquiparatur scientiæ, et constituit culpam latam. Ita Sayrus, Thes. cas., tom. 1, l. 3, c. 4, n. 15, et probabile existimat Valentia, 2-2, disp. 1, q. 11, p. 1, diff. 4. Demùm alii restringunt ad ignorantiam affectatam, quia affectans ignorantiam, affectat errorem contra doctrinam Ecclesiæ, cui proinde censetur voluntariè et pertinaciter contradicere. Secundò, sicut ad hæresim requiritur pertinacia contra definitionem Ecclesiæ, sic ad censuram, contra legem Ecclesiæ; atqui pertinax est et incurrit censuram, peccans ex ignorantiâ affectatâ legis ecclesiasticæ; ergo pertinax est et committit hæresim, errans ex ignorantiâ affectatâ definitionis ecclesiasticæ. Tertiò, quia talis errat ex electione, nec corrigi vel aliter sentire paratus est. Ita Canus, l. 12 de Locis theolog. cap. 9; Petrus Navarra, de Restit,, cap. 4, dub. 8, n. 208; Valentia sup. in resp. ad 1, et nonnulli alii.

366. Respondeo probabilius esse quòd omnis ignorantia, simplex, crassa vel affectata excuset à peccato hæresis, cui excommunicatio aliæque pœnæ ecclesiasticæ imponuntur, si sit causa erroris, sive si errans paratus sit corrigi et sentire aliter, si aliter per Ecclesiam doceatur. Herincx cit., q. 2, n. 20 et seq.; Castrop. disp. 3 de Hæresi, puncto 2, n. 3; Azorius, Inst. mor., tom. 1, l. 1, c. 14, q. 9, et l. 8, q. 4, et c. 9, q. 8; Coninck, supra, n. 100; Lugo, de Fide, disp. 20, sect. 6; Bannez, Aragon, Turrianus, Malderus, Vasquez, Sanchez, Suarez, Farinacius apud citatos. Probatur hæc sententia, primò quia ignorantia etiam voluntaria impedit pertinaciam ad peccatum hæresis propriè dictæ indispensabiliter requisitam, pertinacia enim consistit in relatione, cujus terminus est definitio Ecclesiæ cognita, sicut constat exemplo subditi, qui non dicitur pertinax, rebellis, contumax respectu regis vel superioris sui, nisi cùm perspectam sibi habet seu cognoscit ipsius legem aut voluntatem, eique repugnat; quamdiù igitur laborat ignorantiâ legis vel præcepti etiam affectatâ, reus quidem est inobedientiæ, tanquàm in causâ voluntariæ, non tamen pertinaciæ seu rebellionis.

367. Ignorantia quælibet, quatenùs vincibilis, id quidem præstat, ut *possis* cognoscere quod ignoras, non tamen ut ipso facto *cognoscas*. Probatur secundò, quia sic errans, quantùm in se est, non facit Deum

auctorem mendacii, seu non evertit objectum formale fidei aut Dei veracitatem; in quo propriè consistit ratio hæresis et infidelitatis, quia non habet voluntatem contradicendi testimonio, ubi et quando cognoverit divinum esse, sive per propositionem Ecclesiæ, sive aliunde; quanquàm ejus culpâ vel negligentiâ contingat quòd id non cognoscat. Imò si paratus sit sentire aliter et corrigi per Ecclesiam, eo ipso tacitè et exercitè credit et credendum existimat, quod tanquàm credendum proponitur per Ecclesiam. Quare in actu exercito credit et recipit illum ipsum articulum, cui in actu signato per ignorantiam contradicit.

368. Porrò quòd ignorantia etiam affectata non pugnet cum tali dispositione animi, quâ quis paratus sit corrigi per Ecclesiam, constat primò, si ignorantia affectetur ex merâ negligentiâ et tædio discendi; secundò, et multò clariùs, si affectetur ignorantia, ne, existente forsitan et cognitâ Ecclesiæ definitione, recedendum sit à priori judicio : est enim impossibile, ut tale motivum habeat qui non reveretur Ecclesiam; quia qui hanc non reveretur, certus est, se movendum non esse ab ejus definitione ad variandum judicium suum. Itaque motivum sic ignorantis necessariò connotat obediendi voluntatem et talem erga auctoritatem Ecclesiæ submissionem, quâ sibi credendum et recipiendum statuat, quidquid ab eâdem sub credendi obligatione noverit declaratum. Nec necessaria est limitatio, quam plurimi auctores addunt in duobus casibus. Prior est si quis ideò affectet ignorantiam, quia errori suo absolutè inhærere decrevit, parvipendens, quid doceat Ecclesia, atque ideò negligens inquirere doctrinam ejus.

369. Alter casus est, si ignorantia affectetur ex fine liberiùs errandi. Non est, inquam, necessaria ista limitatio; quia inprimis casus prior est extra propositum : talis enim non est paratus corrigi per Ecclesiam, cujus auctoritatem contemnit; committitque hæresim, non tam per errorem ex affectatâ ignorantiâ procedentem, quàm per alterum directè voluntarium, quo ex scientiâ vilipendit Ecclesiam et revelatam ejus auctoritatem. Quantùm ad casum alterum : qui affectat ignorantiam ex fine liberiùs errandi, seu retinendi præsens judicium suum, vel novit hoc suum judicium erroneum esse, vel ignorat. Si noverit, novisse pariter debet judicium suum repugnare Ecclesiæ, atque ita cessat ignorantia et succedit scientia. Si ignoret et corrigi sit paratus, uti non est pertinax sic nec hæreticus. Si corrigi per Ecclesiam nolit aut ejus auctoritatem contemnat, iterùm non spectat casus ad statum controversiæ. Quòd si τὸ *liberiùs* sumatur in vim comparativi, id est, si negligat inquirere veritatem, ne si cognoverit doctrinam Ecclesiæ, graviori remorsu sequatur errorem suum, iterùm est hæreticus, quia in illo *liberiùs* errandi fine, necessariò involvitur contemptus Ecclesiæ et voluntas errandi (quanquàm forsitan non tam liberè) etiam stante vel supposità scientiâ definitionis ecclesiasticæ. Hinc facilè solvuntur fundamenta contraria.

370. Ad primum primæ opinionis argumentum respondeo, cum ignorantiâ vincibili consistere furtum, homicidium, adulterium, quia ignorantia in his materiis non mutat objectum operis seu peccati, sed solum operandi modum. At in materiâ fidei mutatur et tollitur objectum hæresis per ignorantiam etiam voluntariam; quia hæresis occupatur circa articulum revelatum et *cognitam* Ecclesiæ doctrinam seu propositionem; *cognitio* enim (uti supra dictum) seu scientia revelationis aut doctrinæ ecclesiasticæ terminat et specificat pertinaciam ad hæresim requisitam. Vel breviùs; hæc est differentia inter hæresim et cætera peccata, quòd hæc non exigant pertinaciam, sed solam libertatem et voluntatem agentis; quare si verè sint voluntaria, sive directè et secundùm se, sive indirectè et in causâ, suâ, v. g., vincibili ignorantiâ, complentur in suâ specie, et habent totum quod exigunt tum ex parte objecti, tum ex parte subjecti. Hæresis verò ex parte subjecti exigit pertinaciam, ad quam requiritur directum voluntarium. Quare admitto errorem contra fidem ex ignorantiâ vincibili admissum, in causâ seu indirectè voluntarium esse atque adeò peccaminosum. Admitto eodem modo esse voluntariam et peccaminosam repugnantiam cum Ecclesiâ. Nego *pertinacem* esse. Si rectè perpendatur, ait rectè Castropalao, n. 4, error sic commissus, non est peccatum *directè* contra fidem, sed potiùs contra obligationem sciendi mysteria fidei.

371. Ad secundum, respondeo, negando antecedens; nam talis error tanquàm procedens per ignorantiam, secundùm se est involuntarius, voluntarius tantùm in suâ causâ seu negligentiâ, atque ita non pertinet ad veram infidelitatem, quam S. Thomas in paganismum, Judaismum et hæresim dividit, et per quam Tridentinum docet amîti fidem : id enim solùm convenit illi errori, qui pugnat cum actu fidei, quod in casu non habet locum, ut antea ostensum fuit.

Ad tertium, patet responsio ex dictis ad primum.

372. Ad fundamentum secundæ opinionis respondeo : Admittimus (et ex dictis constat) quòd ignorantia vincibilis, præcipuè crassa, relinquat culpam latam et theologicam. Recipimus pariter sano sensu, quòd ignorantia crassa et supina æquivaleat scientiæ, sed non in ordine ad quemlibet effectum. Potest æquivalere scientiæ quoad culpam, non tamen quoad pertinaciam, temeritatem, rebellionem, præsumptionem, etc. Quare si canon censuram ferens exigat in delinquente præsumptionem, temeritatem, pertinaciam, excusabitur à censurâ, qui deliquerit per ignorantiam etiam crassam. Sanchez, lib. 9 de Matrim., disp. 32, n. 47, et Moral., l. 6, c. 8, n. 45; Præpositus in 3 p., q. 1, de Censuris, dub. 6, n. 47, et dub. 8, n. 60; Portel, verbo *Ignorantia*, n. 28; Navarrus, c. 27, n. 141; Bonacina, de Cens., disp. 1, q. 1, puncto 3, n. 19; Neesen, de Cens., q. 1, dub. 6; Castrop., tr. 2, disp. 1, punct. 18, n. 1.

373. Ad primum fundamentum opinionis tertiæ,

respondeo cum eodem Castrop., negando quòd affectans ignorantiam, affectet errorem contra doctrinam Ecclesiæ, nimirùm quatenùs id necessarium est ad pertinaciam, hoc est, directè; quòd errorem indirectè affectet, videlicet in negligentiâ culpabili addiscendi quæ per Ecclesiam credenda proponuntur, jam ante concessum est.

Ad secundum, respondeo, ex eodem motivo nobis esse probabile (salvo semper judicio meliori) quòd eadem ignorantia excuset pariter à censurâ, non quâlibet, sed in illos latâ, qui *scienter*, *temerè*, etc., hoc illudve fecerint aut facere *præsumpserint*. Bonacina, cit. q. 2, puncto 1, n. 11; Bassæus, verbo *Ignorantia*, n. 29, citans Angelum, Sylvestrum, Caspensem; Herincx, p. 2, tr. 3, disp. 5, q. 4, n, 27; Diana, p. 5, tract. 9, res. 17; Cœlestinus, Compend. theol. mor., tract. 3, c. 5, n. 2; Hurtadus, de Cens., diffic. 21, n. 92, apud eumdem Dianam. Excipiunt nonnulli casum quo ignorantia sic foret affectata, ut ad ingentem temeritatem accederet.

§ 2. *Tenor casûs.*

374. In diœcesi Antuerpiensi, Instructionis pro confessariis n. 13, præsens casus his verbis exprimitur: *Hæresis interna signo exteriori expressa.* Deinceps verò, n. 14, adjungitur: *Advertendum... quòd nullus confessarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit aut valeat à labaismo, et peccato carnali complicis; ab hæresi verò publicâ... singulis vicibus specialis hæc facultas petenda est.*

In Buscoducensi simpliciter reservatur hæresis.

In Cameracensi, n. 1, reservatur *hæresis* quæ sic exponitur in Pastorali: *Non ea quæ solùm est interna, nec ea, quæ solùm est externa, sed interna quocumque signo exteriùs manifestata; sub quâ continetur dubitans de fide, si voluntariè et ex pertinaciâ ac pravitate, seu sciens et prudens dubitat de veritate quam novit esse de fide, illudque suum dubium exteriùs prodit; secùs, si dubitet ex ignorantiâ aut infirmitate.* Inferiùs ad calcem additur: *Nemo... quemquam præsumat ab hæresi absolvere, nisi specialem licentiam id faciendi in scriptis obtinuerit.*

In Colonensi nihil de hoc casu dicitur, spectatâ synodo 1662. At in Agendâ de anno 20 hujus seculi inter cæteros casus simplici vocabulo exprimitur *hæresis.*

In Gandavensi dicitur *hæresis*, de quâ sic loquitur Pastorale: *Per hæresim intellige veram et internam, externo signo manifestatam, sive sit publica sive occulta; sub quâ continetur etiam dubitatio de fide, modò sit voluntaria et ex pertinaciâ, exteriùs manifestata: secùs, si sit ex ignorantiâ aut infirmitate.* Demùm Instructio pro confessariis, ad calcem casuum reservatorum addit: *Sciant denique confessarii, quòd, etiamsi aliàs habeant facultatem absolvendi à casibus nobis reservatis, adhùc tamen specialem habere debeant quoad.... hæresim.*

In Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi simpliciter habetur *hæresis*, et in tribus illis diœcesibus expressè monetur confessarius, ad absolvendum ab *hæresi* requiri facultatem *specialem.*

In Ruræmundensi dicitur: *Hæresis interna signo externo manifestata;* et rursùs confessarius expresse monetur de facultate *speciali* requisitâ ad absolvendum ab *hæresi.*

§ 3. *Reflexiones.*

375. — 1. In omni diœcesi requiritur ut hæresis sit *interna signo exteriori expressa:* quod enim in unâ dicitur expressè, in alterâ habetur tacitè, attentâ maximâ superiùs allegatâ, videlicet, quòd reservatio secundùm modernam Ecclesiæ disciplinam non afficiat peccatum, nisi internum simul et externum. Ut autem hæresis censeatur externa, triplex (iterùm ex supra dictis) conditio est necessaria. Prima, ut verbum, scriptum aut signum externum hæresim interiorem significet, ita ut audiens, si quis adesset, errorem internum per externum inferret aut judicaret. Perinde tamen est, sive illam significationem signum externum habeat secundùm se, sive per circumstantias concurrentes temporis, loci, personæ. Secunda conditio est, ut actus exterior sit de se malus et mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi quantitatem. Tertia conditio est, ut actus externus sit confessio hæresis: aliud est enim significare, aliud confiteri et asserere hæresim.

376. — 2. In omni etiam diœcesi casum reservatum incurrit dubitans de aliquo fidei articulo. Quare utriusque pastoralis, tam Cameracensis, quàm Gandavensis expositio (quod attinet dubitantem) non solùm est authentica, sed etiam doctrinalis; quia non solùm utriusque diœcesis episcopus statuit, ut casum reservatum incurrat dubitans in materiâ fidei; sed ex hæresi reservatâ, theologicè infert, reservari dubium de fide. Porrò tam in his, quàm in illis, ut dubitans de fide censeatur hæreticus, requiritur *pertinacia*, non ita consistens in obstinatione voluntatis, quàm repugnantiâ mentis. Excusat in utrisque infirmitas et ignorantia. *Infirmitas*, v. g., cùm quis gravi tentatione pulsatur, cui succumbit. *Ignorantia* probabiliùs simplex, crassa vel affectata, dummodò ignorans paratus sit sentire aliter, si per Ecclesiam aliter doceatur.

377. — 3. In Antuerpiensi reservatur hæresis tam occulta, quàm publica. Sed ad absolvendum ab hæresi *publicâ* præter potestatem indefinitam in casus episcopales requiritur in confessario *specialis*, et quidem *singulis vicibus* innovata: id quod existimamus. verum, etiam in supposito, quo delinquens non incurrisset censuram Excommunicationis, v. g., ob ignorantiam vel defectum contumaciæ. Ratio alibi data fuit, quia facultas *specialis* singulis vicibus obtinenda exigitur simpliciter ad absolvendum *ab hæresi... publicâ.* Ergo opus est prædictâ *speciali* facultate, quotiescumque aliquis in veram et publicam hæresim lapsus est; id autem posse aliquando fieri absque eo, quòd delinquens contraxerit censuram, non videtur dubium. Cæterùm hæresis censetur *publica*, si quâvis

viâ innotuerit majori parti communitatis, in quâ saltem sint decem homines.

378. — 4. In Buscoducensi et Colonìensi reservatur pariter hæresis utraque tum occulta, tum publica, et ad absolvendum ab utrâlibet requiritur facultas *specialis*, si delinquens incurrerit censuram. Ratio est quia hæresis pro hoc supposito est casus per se pontificius, à quo nullus confessarius absolvit sine potestate *speciali*. Quòd si supponas delinquentem non esse censurâ irretitum, sufficiet pro his duabus diœcesibus facultas indefinita et generalis in casus episcopales. Ratio est quia in hoc supposito (quantùm spectat duas illas diœceses) hæresis non reservatur *specialiter*, sive reservatione ordinariâ sive extraordinariâ, id est, neque ex voluntate Pontificis, neque ex voluntate episcopi; nam in illis duabus diœcesibus non adjungitur clausula, quæ passim in cæteris, neminem videlicet ab hæresi absolvere posse sine facultate *speciali*. Vide supra tenorem casûs.

5. In Cameracensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi probabiliùs requiritur facultas *specialis* ad absolvendum ab hæresi, sive publicâ sive occultâ, sive conjunctâ censuræ, sive ab eâdem separatâ. Ratio est quia in his diœcesibus specialis potestas expressè requiritur ad absolvendum ab *hæresi*. Vide supra tenorem casûs. Vide etiam ampliss. D. Van Vyve, Exam. Reflex. ad § 7, n. 17, et R. D. Vanden Perre, Reflex. ad tr. de Cas. res., § 7.

§ 4. *Corollaria.*

379. — 1. In nullâ diœcesi casum incurrit, qui erubescit Christum, aut fidem quam corde retinet, ore negat, sive metu coactus, sive præmio corruptus.

2. Neque hæreticus interior, si utatur signis aut factis sibi soli hæresim significantibus; v. g., si quis negans interiùs eucharisticam veritatem, ac desuper quasi secum disputans, capite abnuat aut in hæc verba prorumpat, *non credo*. Ratio est quia seclusis cæteris realibus circumstantiis, signum externum hæresim interiorem nemini significare potest. Sanchez, l. 2, c. 8, n. 8; Castrop., tract. 4, disp. 3, puncto 3, n. 3; Bonacina, de Censuris, disp. 2, q. 5, puncto 2, n. 5; Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 7, n. 106.

380. — 3. Aliter dicendum volunt Sanchez, n. 26; Bonacina, n. 6; Bosco, n. 109; Suarez, tomo 5, in 3 parte, disp. 4, sect. 3, n. 17, si quis hæresim interiorem verbis æquivocis exprimat, v. g., dicens : *Maria non fuit virgo*, et apud se ipsum per Mariam intelligat Deiparam. Ratio est quia illa actio exterior ex se satis exprimit interiorem animum. Quòd autem ab aliis forsitan non ita percipiatur, provenit non ex defectu ipsius actûs, sed ex conjunctione alterius significationis, per quam non minuitur prior malitia, sed additur nova simulati animi. Addit Bosco, non esse necessarium ad hæresim externam, ut adstantes percipiant ex verbis aut signis animum internum hæreticum; satis esse quòd illum possint percipere; esto hìc et nunc propter æquivocationem maneat occultus. Contrarium docet Castropalao citatus si verba sint perfectè æquivoca, quæ in bonum et malum sensum possunt ex æquo accipi, et interim nullæ concurrant circumstantiæ, quibus tollatur æquivocatio verborum seu indifferentia.

381. — 4. Nullibi incurrit casum, qui fatetur externè, se aliquando errori contra fidem adhæsisse; quia significat quidem hæresim interiorem, sed præteritam, non præsentem : sive declarat, non asserit errorem interiorem. Sanchez, n. 25.

5. Idem est de eo, qui utitur scripturâ sibi soli hæresim significante; v. g., si cyfris aut characteribus inusitatis significationem arbitrariam, nemini, quàm sibi cognitam indat, iisque errorem suum interiorem exprimat. Ratio est, quia manet hæresis intra mentem hæretici, quatenùs à nemine intelligibilis est. Sanchez, n. 10.

6. Idem est de illo, qui hæresim, quam corde tenet, merè materialiter refert, explicat, transcribit.

382. — 7. Idem, si quis errorem vel dubium suum circa fidem confessario, doctori, amico manifestet causâ consilii vel conversionis; quia talis manifestatio non est peccaminosa, sed laudabilis et fructuosa; neque formalis professio vel assertio hæresis, sed materialis narratio tendens in finem honestissimum. Suarez, Castropalao, Sanchez, Barbosa, Bonacina.

8. Casum non incurrit schismaticus, quatenùs talis; quanquàm enim contigua sint schisma et hæresis, adeò ut istud in hanc facillimè degeneret, ut significatur 24, q. 3, c. *Inter hæresim;* nihilominùs distingui possunt, v. g., si schismaticus internè agnoscat Pontificem tanquàm caput Ecclesiæ, sed interim ex passione vel contumaciâ non velit eumdem ipso opere fateri et revereri : ad eum ferè modum, quo filius rebellis patrem, subditus superiorem, animo quidem sive corde agnoscunt, factis autem negant. Vide Tolet., l. 4, c. 19, n. 22.

383. — 9. Hæresim reservatam non constituit mera revelati articuli nescientia seu ignorantia sine omni assensu, signato vel exercito, sive sit ignorantia pura seu nescientia simpliciter negativa, sive privativa in eo, qui potuit et debuit scire. Quanquàm pro mensurâ negligentiæ sit et peccati modus.

10. Idem est de meris repræsentationibus aut subreptitiis apprehensionibus fidei repugnantibus, v. g., circa præsentiam Christi in Eucharistiâ, virginitatem Deiparæ, mysterium sanctiss. Trinitatis, attributa divina aut alios articulos revelatos, præsertim in hominibus meticulosis, Deum timentibus et in catholicâ fide ab infantiâ enutritis : sunt enim incidentiæ tantùm aut meræ imaginationes, quas hominis in fide orthodoxâ à puero educati voluntas non informat.

384. — 11. Idem est de illo, qui teneret etiam pertinaciter propositionem ab Ecclesiâ condemnatam, tanquàm *temerariam*, *scandalosam*, *piarum aurium offensivam :* nisi forsitan hæc ejus pertinacia nasceretur ex alio errore, quo diceret et putaret, Ecclesiam in materiâ fidei et morum errabilem esse.

12. Reservationem incurrunt *credentes* hæretico-

rum, excommunicati insuper per bullam *Cœnæ*, illi scilicet, qui nullum quidem errorem in individuo exprimunt vel designant, sed implicitè et in confuso approbant, laudant, recipiunt fidem vel doctrinam hæreticorum, v. g., si quis assereret, se paratum mori in fide vel doctrinâ Calvini. Ratio; quia *credentes* hæreticorum sunt hæretici. Toletus sup., n. 7; Arch. c. *Quicumque*, de Hæreticis, in 6; Palud., 4 sent., d. 13, q. 1; Sylvester, verbo *Hæresis*.

385. — 13. Perinde est ad reservationem et pœnas canonicas, sive errorem interiorem hæreticus prodat signo sensibili positivo, sive negativo seu sensibili *omissione*, v. g., si quis Christum in Eucharistiâ non adoret aut veneretur in realibus circumstantiis, quibus hæc omissio est signum sensibile negatæ eucharisticæ veritatis.

14. Non requiritur ad reservatam hæresim, ut aliquis contradicat doctrinæ quam existimat veram et revelatam; id enim, quantùm ad actum internum attinet, est impossibile; sed satis est quòd contradicat articulo ad credendum proposito per illam Ecclesiam, quam potest et tenetur credere esse sponsam Christi. Sanchez.

386. — 15. Non evadit reservationem, qui sciens aliquid ab Ecclesiâ definitum, pertinaciter contradicit, tametsi protestetur, se paratum corrigi aut sentire aliter, si argumentis convincatur; talis enim non fidit judicio et auctoritati Ecclesiæ separatim ab argumentis. Sanchez.

16. Hæreticus est et reus reservationis, qui in rebus nondùm per Ecclesiam definitis partem aliquam eligit seu amplectitur eâ animositate, ut affirmet se aliud non crediturum, etiam definiente Ecclesiâ; quia, etsi pars quam tuetur, hactenùs non sit hæretica, imò fortè etiam vera; eo tamen ipso, quo Ecclesiæ aliter definienti resistere paratus est, credit, eamdem in materiâ fidei errabilem esse, quod est hæreticum. Sanchez.

CAPUT X.

DE HOMICIDIO.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS PRIMA. — *Quid homicidium, et quotuplex?*

387. Respondeo : Homicidium dicitur ab homine tam occiso quàm occidente : nec enim homicidium appellatur, sive cùm homo à bruto, sive cùm brutum ab homine occiditur. Quare describi potest : Hominis per hominem interfectio. Pertinet ad utrumque sexum, l. *Hominis*, 152, ff. de Verb. signif., quanquàm homo antonomasticè accipiatur pro viro, l. *Si quis aliquid*, § *Qui abortionis*, ff. de Pœnis, his verbis : *Mulier aut homo perierit*. Dividitur in necessarium, voluntarium, casuale.

Necessarium vocant, non quod procedit per naturalem necessitatem sine ullâ libertate agentis, sed quod committitur sine dolo et injuriâ; cujusmodi inprimis est illud quod quis committit ad necessariam suî defensionem, c. *Interfecisti*, de Homicidio. Et hoc, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, est sine culpâ et reprehensione, eodem cap., et l. 2, 3, 4, c. *Ad l. Corn.*, de Sicariis : quia vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, omnes leges, omniaque jura permittunt, c. *Si verò*, 1, de Sentent. excomm., c. *Significâsti*, 2, de Homicidio, l. 3, ff. de Justitiâ et jure. Secundò *necessarium* vocant, quod fit auctoritate legis aut superioris, jus gladii habentis, aut in justo bello, c. *De occidendis*, c. *Miles*, c. *Si homicidium*, 23, q. 5.

388. *Voluntarium* homicidium est, quod dolo malo et animo occidendi admittitur, c. *Sicut dignum*, de Homicidio, l. 1 et 7, ff. ad l. Corn., de Sicariis. Accedit concilium Tridentinum, quod (sess. 14 de Reform., cap. 7) ad homicidium voluntarium seu *voluntate* perpetratum videtur requirere ut fiat *per industriam*, *per insidias* aut *ex proposito*. Dupliciter id potest fieri, primò, si quis mortem alterius formaliter, expressè, proximè seu in se intendat, v. g., si exeat eo animo ut expectet alicubi armis instructus ad occidendum inimicum suum, et hanc intentionem effectu ipso exequatur; secundò, si mortem quidem proximè et in actu signato non intendat, exerceat autem deliberatè actionem, quam mors per se loquendo subsequitur, v. g., si quis alicui propinet venenum, prægrandi baculo caput feriat, glande vel gladio petat præcordia; quidquid in actu signato protestetur contrarium, convincitur exercitè et ipso facto intendisse mortem, estque verus et propriè dictus homicida voluntarius, secundùm omnes doctores. Solus ille casus excipitur, quo infortunium sufficiens deliberatio non præcesserit.

389. *Casuale* est, quod juxta nomen suum contingit casu, per inadvertentiam, negligentiam, temeritatem, sine intentione mortis vel in se proximè, vel in causâ proximâ, per se loquendo connexa cum effectu. Dividitur in *casuale simpliciter*, et *mixtum*. Simpliciter casuale vocatur, quod mero infortunio tribuendum est, sive quod nullâ culpâ præcedit. Commissum sine culpâ nullatenùs imputatur : v. g., si occisor dabat operam rei licitæ, aut etiam illicitæ, secundùm sententiam magis probabilem, si utroque casu sufficientem adhibuerit diligentiam et cautelam, ne quid incommodi sequeretur, c. *Lator*, et c. *Dilectus*, de Homicidio, quia quæ merè fortuitò accidunt vel eveniunt, non imputantur, quandoquidem humanâ providentiâ caveri non possunt, cap. ult., eòdem. Hùc pertinet homicidium commissum ab infante, furioso et dormiente : nam et hujus nulla pariter habetur ratio, Clement. un., eòdem, l. *Infans*, ff. ad l. Corn., de Sicariis, ubi dicitur quòd infantes excuset consilii innocentia, furiosos infelicitas fati. *Casuale mixtum* est, quod partim casui seu fortunæ, partim arbitrio vertitur, nimirùm quandò effectus mortis nec intenditur formaliter et in se ipso, nec æquivalenter vel in causâ proximâ; nihilominùs committitur vel omittitur aliquid, quo commisso vel omisso prævideri poterat aut debebat, mortem forsitan secuturam.

390. Exemplum in eo qui ligna projicit ex fenestrâ in viam communem, supponens quidem neminem interea pertransire, cui noceri possit, sed de hoc ipso non satis certus. Si reverà hominem interficiat, erit

homicidium *casuale mixtum*, non autem *voluntarium*, sensu superiùs allegato, quia nec intenditur in se, in actu signato, formaliter et expressè; nec in actu exercito, saltem in causâ proximâ et prudentis arbitrio; nemo enim prudenter dicet, homicidium sic commissum fuisse formaliter aut interpretativè intentum. Id unum affirmabunt singuli, actum esse imprudenter, omitti debuisse, quod factum est, aut fuisse circumspiciendum, atque adeò non quidem intentione, sed imprudentiâ, temeritate, negligentiâ homicidium evenisse.

QUÆSTIO II. — *Quid duellum, quotuplex et qualiter prohibitum ?*

391. Homicidiorum occasio frequentissima duellum, *fabricante diabolo* (ut loquitur Tridentinum, sess. 25, de Reform, c. 19) introductum, Latinis dicitur quasi duorum bellum, Græcis monomachia, seu pugna unius tantùm cum altero, can. *Monomachiam*, 2, q. 5. Dividitur primò ex parte modi in propriè et impropriè sumptum. Duellum propriè sumptum, est periculosum duorum certamen, initum ex condicto cum designatione loci et temporis. Ita doctores passim. Impropriè sumptum, est cui deest eorum aliquid, videlicet aut condictum seu conspiratio et evocatio, aut periculum vitæ vel mutilationis, aut designatio loci vel temporis ; aut cùm dualitas personarum ita exceditur, ut plures contra plures promiscuè et nullo ordine servato pugnent ; tum enim seditio vel bellum est potiùs quàm duellum. Aliud est, si ordinem servent, id est, si singuli contra singulos pugnent, v. g., principales et secundantes in se mutuò respectivè. Dividitur secundò ex parte formæ in solemne et simplex. Solemne auctores suos solemniter cum certis ritibus et cæremoniis ad diabolum ducit, simplex sine istâ pompâ. Solemnitas consistit in armorum delectu, consortio testium aut fide jussorum et adjutorio secundantium. Tertiò dividitur variè ex parte finis, pro varietate causarum ob quas assumitur. Hæ causæ sunt potissimùm sex, quemadmodùm videri potest apud Sanchez, l. 2, c. 39, et alios.

392. Porrò ignorantia priorum seculorum in diversis locis, etiam publicis legibus, duella receperat ad veritatis alicujus indaginem et finem controversiarum, eâ scilicet conditione, ut, cùm, v. g, de aliquo crimine, quod satis probare non posset, alter alterum accusâsset, duelli eventu ostendere cogeretur vel suam imposturam vel reatum alterius. Abhorret tamen ab institutis christianis, tanquàm repugnans juri divino et naturali ratione homicidii, quod ex eo frequentissimè sequitur ; et quia continet tentationem Dei, quasi per hujusmodi duella debeat manifestare veritatem : quibus sicut nihil crudelius, sic nihil stultius potuit excogitari in christiano pectore, quod decet omnem mansuetudinem. Quare quilibet honestis imbutus moribus ea facilè detestabitur tanquàm fallacia et temeraria, pervertentia ordinem judiciorum et justitiam violantia; cùm plurimi, quorum causa jure et veritate nitebatur, stolidissimi deorum Martis arbitrio pugnantes occubuerint, et ejusmodi infamis aleæ jactu vitam non tantùm transitorii hujus seculi, sed etiam venturi perpetuò amiserint ; neque enim vel in ipso bello victoriam semper justa causa consequitur ; quin non rarò divina sententia et occulto Dei judicio declinat in eum cujus pessima causa est.

393. Hæc duella moribus et regionibus nostris usitata non sunt : satis tamen frequentia, quæ tendunt ad vindicandam injuriam aut defensionem honoris. Quicumque prætendatur finis, excepto casu rariori gravissimè sunt prohibita, primò, jure naturali, *non occides*. Secundò, jure canonico, tit. de Clericis pugnantibus in duello. Item c. 1 et 2, de Purgat. vulg. Item can. *Monomachiam*, 1, q. 5. Tertiò, jure civili, l. *Unica*, c. de Digladiatoribus. Quartò, Edictis Principum nostrorum, Philippi II, 22 junii 1598; Alberti et Isabellæ, 27 Feb. 1610, 11 julii 1624, 26 octob. 1626. Idem pro regno Galliæ dicitur de Ludovico XIV.

394. Quintò, Pontificum Romanorum et generalium conciliorum decretis et censuris : inprimis enim Julius II, constitutione apud Cherubinum 19, quæ incipit : *Regis pacifici*, datâ 24, febr. 1509, inter cæteras pœnas decrevit excommunicationem latam tum in *quoscumque è quàcumque causâ* duellantes, tum in omnes et singulos, qui locum vel campum liberum cesserint ad duellum : sed tantùm pro statu Ecclesiastico. Hanc constitutionem confirmat Leo X, bullâ *Quàm Deo*, 31, datâ 23 julii 1519, ubi insuper § 5, *excommunicationis et perpetuæ maledictionis* pœnam extendit ad illos, qui *ad talia cruenta spectacula videnda convenerint*.

395. Utriusque prædecessoris sui constitutionem approbavit Clemens VII, sed ejus bulla non extat in Bullario Cherubini. Deinceps Pius IV, constit. *Ea quæ*, 21, datâ 13 novemb. 1560, censuram excommunicationis et reliquas pœnas à tribus prædecessoribus decretas extendit ultra statum ecclesiasticum, et ad quoslibet complices fautoresve. Interea celebratur concilium Tridentinum, quo rursùs fulminatur excommunicatio latæ sententiæ in quoscumque dominos temporales, *qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint* : in duellantes ipsos, eorum patrinos, consulentes, spectatores, sess. 25, de Reform., cap. 19, sed loquitur tantùm de duello solemni.

396. Gregorius XIII, considerans *duellum privatum non minùs cruentum, et animæ et corpori noxium esse*, quàm solemne, bullam edidit *Ad tollendum*, 78, 5 decemb. 1582, quâ statuit, *omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore, et in loco convento monomachiam commiserint*, etiam privatim seu non solemniter, teneri omnibus pœnis et censuris per concilium Tridentinum latis. Idem decernit de locorum dominis, duellum simile seu *certamen ex condicto* permittentibus, *aut quantùm in se fuerit*, non prohibentibus, mandantibus, consulentibus, adjuvantibus, *aut ex composito* spectatoribus; idque *etiamsi illi, qui ad locum destinatum*

pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit, quominùs illa committatur. Tandem Clemens VIII, constit. *Illius vices*, 11, 17 aug. 1592, confirmat decretum Tridentini et constitutiones Pii IV ac Gregorii XIII, reservans Sedi Apostolicæ tum relaxationem interdicti, tum absolutionem excommunicationis. Interim si delictum occultum sit, nec deductum ad forum contentiosum, potest episcopus à peccato et censurâ absolvere vi concilii Tridentini, sess. 24, de Reform., c. 6, quia constitutio Clementis VIII *nullam* facit mentionem concilii Tridentini, ac de cætero duellum bullâ *Cœnæ* non continetur. Sanchez, l. 2, c. 39, n. 27.

§ 2. *Tenor casûs.*

397. In Antuerpiensi reservatur *homicidium directè voluntarium.*

In Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi, *homicidium voluntarium.*

In Cameracensi legitur: *Homicidium voluntarium reipsà factum; et si sit clerici, solus Pontifex, vel ab eo delegatam potestatem habens, absolvere potest.*

In Gandavensi ponitur *homicidium*, de quo sic loquitur Pastorale: *Per homicidium* (intellige) *quod reipsà commissum est, sive sit voluntarium sive casuale, ex culpâ latâ, aut peccando mortaliter in negligentiâ cavendi eum casum. Homicidium autem clerici reservatur Pontifici.*

In Leodiensi *homicidium voluntarium;* sed ad calcem casuum reservatorum additur: *Noverint autem* (confessarii) *nemini quantùmvis potestatem habenti absolvendi à casibus nobis reservatis, veniam esse concessam, ut absolvere possit ab... homicidio voluntario.*

In Namurcensi similiter: *Homicidium voluntarium;* sed, n. 29, additur: *Is cui conceditur facultas absolvendi à casibus nobis reservatis, non potest absolvere ab... duello, nisi specificè exprimatur.*

In Ruræmundensi: *Homicidium voluntarium reipsà factum, et, si sunt clerici, Sedi Apostolicæ esse reservatum.*

§ 3. *Reflexiones.*

398. — 1. Videntur coincidere *homicidium voluntarium, et directè voluntarium;* quia (sicut supra dictum est ex communi sententiâ tum theologorum tum jurisperitorum) per *voluntarium* hoc loco intelligitur, quod in se est volitum et intentum, vel in causâ mortis propinquâ, per se loquendo, connexâ cum effectu. Utroque autem casu est *voluntarium directè:* ad hoc enim non requiritur ut in actu signato, formaliter et expressè, quantùm est ex parte agentis, intendatur mors per modum finis aut medii; sed satis est intendi exercitè, interpretativè et quantùm est ex naturâ actionis; quod contingit, quando deliberatè ponitur causa ex quâ proximè seu immediatè (id est, sine medio effectu bono) per se loquendo sequitur mors.

399. In hunc modum convincitur, directè intendere ebrietatem, sive ad instar finis, quantùm est ex parte actionis, qui repetitis vicibus infundit haustum liberalem generosi vini, præcognitâ eius virtute et suâ infirmitate, tametsi per actum signatum aut reflexum ebrietatem sibi pro fine non præstituat. Bonacina, disp. 7, de Irreg., q. 4, puncto 8, n. 2; Suarez, tomo 5, in 3 partes, disp. 44, sect. 1, n. 4; Filliucius, tract. 20, de Censuris, c. 1, n. 2, et c. 4, n. 89; Navarrus, c. 27, n. 240; Sayrus, lib. 7 Thesauri, c. 7, n. 5, 6 et 7; Covarruvias, 2 p., relect. init., n. 1 et 2; Zoesius, l. 5 Decret., tit. 12, n. 4, et l. 48 Digest., tit. 8, ad l. *Corn.*, de Sicariis, n. 8; Herincx, p. 2, tr. 3, disp. 6, q. 7, § 5, n. 140; Molina, de Just. et Jure, tract. 3, disp. 3, n. 4; Sporer, tr. 5, in 5, præc.; Dec., c. 3, n. 59; Bassæus, verbo *Irregularitas VI*, n. 1.

400. — 2. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi non reservatur homicidium *casuale*, sive quod penitùs est extra arbitrium operantis, pendens à mero infortunio, sive quod est voluntarium in causâ remotâ, per accidens conjunctâ cum effectu. Ratio est quia non est homicidium *voluntarium*, eo videlicet sensu, quo sumitur *voluntarium*, quando homicidio conjungitur. Ita omnes auctores allegati numero præcedenti.

401. — 3. Specialis est interpretatio authentica Pastoralis Gandensis, nihilominùs pro eâdem diœcesi omninò retinenda. Sensus ejus legitimus et genuinus videtur esse, reservari inprimis homicidium *voluntarium*, tum quod intenditur proximè et in se, tum quod in causâ mortis proximâ. Secundò *casuale*, non quidem *simpliciter* tale, quod mero casui seu infortunio vertitur; sed *mixtum*, quod partim fortunæ, partim arbitrio tribuendum est; sive quod committitur *ex culpâ latâ* theologicè gravi, estque adeò voluntarium saltem indirectè, seu in causâ remotâ, per accidens connexâ cum effectu. Exemplum supra allegatum est: si quis è fenestrâ, pleno die, in viam communem lignum projiciat in caput transeuntis, mortem non intendens, sed equidem inferens per imprudentiam, in quantum potuit ac debuit prævidere ob circumstantiam loci et temporis posse fieri quòd aliquis interea transiret. Tertiò, reservari homicidium commis sum ex gravi *negligentiâ* (quod reducitur ad casuale mixtum) *cavendi eum casum*, ut si mater aut nutrix, prævidens periculum oppressionis, ne noctu teneatur surgere, condormiat parvulo, secuto effectu mortis.

402. — 4. In omni diœcesi debet homicidium *reipsà factum* seu consummatum esse, adeò ut necessarium sit, mortem ipso effectu subsequi. Ratio in Prolegomenis data est; quia non potest censeri delictum ex omni parte completum et consummatum, quamdiù deest effectus mortis; homicidium enim importat violentam corporis et animæ separationem: proinde tamdiù non habetur completum homicidium, quamdiù anima immanet corpori, tametsi præter causarum naturalium exigentiam id fieret per Deum vel per dæmonem, id est, vel per miraculum vel per superstitionem.

5. In solâ Leodiensi exigitur facultas *specialis* ad absolvendum ab homicidio voluntario universim sumpto,

403. — 6. In omni diœcesi casus propriè episcopalis est duellum illicitum et impropriè sumptum, secuto ex alterutrâ parte effectu mortis. Ratio ; quia est *homicidium voluntarium*, Pontifici non reservatum. Secùs est, si effectus mortis non sequatur ex quocumque capite. Ratio est ; quia duellum impropriè sumptum, morte non subsecutâ, nec reservatur episcopis reservatione ordinariâ, seu proprio eorum decreto, neque extraordinariâ, seu lege aut voluntate Pontificis : in bullis enim Pontificum superiùs allegatis, uti et in concilio Tridentino, sermo est de duello propriè sumpto; id quod exprimitur præsertim in bullâ Gregorii XIII, hoc verborum tenore : *Qui ex condicto, statuto tempore et in loco convento monomachiam commiserint.* Similiter Clemens VIII, de illis loquitur, qui *singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex composito* iniverint.

404. — 7. Duellum propriè sumptum et illicitum, ubivis reservatur *specialiter*, saltem si delinquens à censurâ non excusetur ob ignorantiam, etc., idque sive duellum sit simplex, sive solemne, sive publicum, sive occultum, sive secutâ morte ex alterâ parte, sive non secutâ. Colligitur ex bullis Pontificum sup. Dixi : *Saltem si delinquens*, etc., quæ exceptio non habet locum in diœcesi Namurcensi, in quâ putamus conformiter ad alibi dicta, locum esse casui *specialiter* reservato, etsi delinquens censuram excommunicationis non contraxisset. Ratio est, quia in hâc diœcesi facultas *specialis* desideratur in confessariis ad absolvendum à duello simpliciter : sic enim legitur Instruct. pro confess., n. 29 : *Is, cui conceditur facultas absolvendi à casibus nobis reservatis, non potest absolvere ab... duello, nisi specificè exprimatur.*

405. — 8. In Cameracensi, Gandavensi et Ruræmundensi confessarius admonetur (quod et pro cæteris diœcesibus habet locum) *homicidium clerici* (patientis scilicet) reservatum esse Pontifici. Ratio est, quia est percussio *enormis*, quæ reservatur Pontifici can. *Si quis suadente*, 17, q. 4. Idem est de homicidio monachi secundùm eumdem canonem. Ab hâc excommunicatione (si delictum sit occultum et non deductum ad forum contensiosum) vigore concilii Tridentini, sessione 24, de Reform., cap. 6, absolvunt episcopi, pro foro conscientiæ, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi suâ per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum : imò etsi delictum non sit occultum, illi scilicet, quibus amplior potestas data est. Si verò homicidium sit clerici *facientis*, seu commissum à clerico, hic deponendus est, sive facto, sive mandato, sive consilio sit homicida, c. *Sicut dignum*, de Homicidio. Item de rigore juris deponendus est clericus, qui spontè alicui obtulerit duellum, vel oblatum susceperit, sive victor sive victus fuerit. Potest interim cum eo dispensare episcopus, dummodò mutilatio vel homicidium ex duello non sequatur, c. 1 de Clericis pugnantibus in duello. Et hoc quidem de jure communi : spectatis autem tum concilio Tridentino, tum constitutionibus Clementis VIII et Gregorii XIII, id ipsum non posse episcopum, videtur [illegible]ensi in Decretal., l. 5, tit. 14, n. 3, post Azorium, 2 parte, Inst. mor., l. 3, c. 30, n. 12. Denique si homicidium neque sit clerici patientis neque facientis, nihilominùs excommunicatione vindicatur per judicem, can. *Itaque*, 24, q. 3.

§ 4. *Corollaria.*

406. — 1. In nullâ diœcesi reservatur occisio injusti invasoris vitæ, servato moderamine inculpatæ tutelæ. Aliud dicendum de invasore honoris, pudicitiæ, fortunæ, in eorum scilicet opinione, quam sequimur tanquàm probabiliorem, qui censent pudicitiam, honorem, fortunam per injusti invasoris mortem defendi non posse. Ex quo manifestum est, oppositum corollarium fluere in oppositâ opinione. Quod si excedatur moderamen inculpatæ tutelæ in quâvis materiâ et sententiâ, v. g., si defensio mutetur in vindictam, sicuti graviter delinquitur in quintum Decalogi præceptum, sic, suppositis aliàs supponendis, committitur peccatum reservatum.

407. — 2. In quâvis diœcesi absolvi potest per confessarium pro reservatis non approbatum, qui alteri lethale vulnus inflixit, ex quo moraliter certò secutura sit mors, si ante secutum mortis effectum confiteatur; nec eodem effectu postea subsecuto tenebitur superiori vel speciali ejus delegato idem peccatum confiteri ; quia virtute clavium directè remissum fuit.

3. Ubivis reservatur casus quo maritus aut pater uxorem vel filiam in flagranti delicto deprehensam interficit, nisi doloris acerbitas aut iracundia prævertat libertatem et rationem.

4. In solâ Gandavensi reservatur casus quo quis per imprudentiam mortaliter peccaminosam citra directam mortis intentionem, aliquem, v. g., glande vel sagittâ interficit.

5. Idem est de medico vel chirurgo qui per imperitiam artis, et pharmacopolâ qui per corruptas et emortuas medicinas personaliter applicatas cum deliberatione et peccato mortali contra præceptum, *non occides*, alicui est causa acceleratæ mortis.

408. — 6. Idem, si mater, nutrix vel obstetrix per negligentiam mortalem parvulo sit causa mortis, defectu necessarii alimenti, inclementiâ frigoris, incendio per gravem imprudentiam excitato aut simili infortunio resultante *ex culpâ latâ, aut peccando mortaliter in negligentiâ cavendi illum casum.*

7. Idem est de prægnante, quæ licèt directè non intendat abortum fœtûs animati, nihilominùs tales exercet actiones, ex quibus possit ac debeat prævidere, abortum facilè secuturum, si reverà in effectu contingat, fœtum animatum aut in utero mori aut mortuum ejici.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

409. Objicies 1° contra reflexionem primam : Concilium Tridentinum, sess. 14, de Reform., c. 7, per *homicidium voluntarium* videtur intelligere illud solum, quod formaliter, expressè et in actu signato est volitum, igitur eo nomine non appellat, quod solummodò est voluntarium in causâ, quantùmvis propinquâ. Antecedens ostenditur his verbis concilii : *Cùm etiam, qui* PER INDUSTRIAM *occiderit proximum suum, et* PER INSI-

DIAS, *ab altari avelli debeat ; qui suâ* VOLUNTATE *homicidium perpetraverit... nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit.* Ubi concilium Tridentinum adducens verba illa Exodi 21, vers. 14 : *Si quis per industriam*, etc., ad homicidium voluntarium seu *voluntate* factum, videtur exigere, ut fiat per *industriam, per insidias, voluntate :* quæ omnia videntur significare, judicio concilii tum solummodò homicidium censeri voluntarium, cùm expressè, formaliter, proximè, et in se intentum est.

410. Respondeo cum Molinâ, de Justitiâ et Jure, tract. 2, disp. 3, n. 5, illud Exodi 21 : *Si quis per industriam* (quod hodiè est caput 1 de Homicidio) solùm referri à concilio tanquàm causam rationabilem decisionis, quæ subjungitur; non autem quasi de eo solo homicidio concilium loqui velit. Quare mutatis statim terminis, *qui suâ voluntate*, inquit, *homicidium perpetraverit.* Porrò voluntate suâ perpetrare dicitur, tam qui intendit in se, quàm qui æquivalenter seu in causâ proximâ. Quod autem concilium verba Scripturæ allegatæ alio fine non adduxerit, probatur; quia copulatim exprimit, *per industriam et per insidias*, cùm certum sit, non requiri utrumque.

411. Instabis primò : Discursus concilii non erit satis fundatus, nisi per homicidium *voluntate* factum, conformiter ad cap. 21 Exodi, intelligat quod ex propositio seu per industriam aut insidias commissum fuerit : si enim complectatur illud, quod in causâ est voluntarium sine expressâ agentis intentione, sensus concilii erit : Decernimus fore irregularem et ab altari arcendum, qui commiserit homicidium *voluntarium in causâ;* quia olim ab altari avellendus erat, qui commiserat *voluntarium in se;* quæ ratio non subsistit, tanquàm procedens à pœnâ olim inflictâ pro crimine graviori, ad eamdem hodiè inferendam pro crimine minùs gravi.— Respondeo primò, etsi procederetur à crimine graviori ad minùs grave, discursum concilii fundatum fore, quia procedit in circumstantiis notabiliter diversis; ab altari scilicet holocaustorum ad altare sanguinis agni immaculati. Respondeo secundò, crimina æqualia esse, homicidium in se intentum, et in causâ proximâ. Rectè etiam utrumque dicitur per industriam vel insidias fieri, unum signatè, alterum exercitè.

412. Instabis secundò : Concilium vocat homicidium casuale, quod casu, *non ex proposito* committitur. Ergo à contrario censet voluntarium omne et solum illud, quod *ex proposito*, id est, directâ, formali et signatâ intentione committitur.— Respondeo cum Molinâ cit., negando consequentiam; quia duplex est propositum, signatum et exercitum, quorum altero fit homicidium voluntarium, neutro casuale. Itaque à primo ad ultimum opinamur, sententiam doctorum illorum, qui nobis in hoc puncto repugnant apud Bonacinam, de Irregularitate, disp. 7, q. 4, puncto 8, salvo meliori judicio, esse minùs probabilem.

413. Objicies 2° contra reflexionem quartam ; sicuti ad casum præsentem requiritur homicidium, sic pariter ad martyrium ; utrobique tanquàm terminus ultimus et complementum desideratur mors, hìc suscepta, illìc illata. Atqui verus est martyr et aureolam recepturus, qui in odium virtutis sustinet causam mortis naturaliter non impedibilem, tametsi per Deum ab effectu separatam ; ergo.— Respondeo, in foro Dei quoad pœnam et præmium attendi maximè voluntatem, quæ si efficax fuerit, uti nihil formalis malitiæ vel bonitatis recipit ab actu vel effectu externo, ita nihil laudis aut vituperii. Quare martyrem non tam facit pœna vel effectus mortis, quàm causa et constantia voluntatis. Illa communis est martyri et latroni, hæc propria martyri. Repugnare etiam videtur divinæ bonitati et pietati, non coronare mortem suo miraculo impeditam. At in humanis legibus, præsertim pœnalibus et odiosis, sæpissimè requiritur externa circumstantia, quæ, licèt nihil adjiciat ad formalem malitiam, est tamen conditio suspendens pœnam vel effectum legis. Vide S. Thomam, 1-2, q. 20, art. 5, ad 4, et 2-2, q. 64, a. 7, ad 3 ; item ibid., art. 8, ad 2.

414. Objicies 3° : Irregularis est qui mutilat tantùm, quem volebat occidere.— Respondeo rationem esse, quia irregularitas à jure extenditur ad casum mutilationis. Unde mutilans in casu non incurrit Irregularitatem propter intentum aut inchoatum homicidium, sed propter consummatam mutilationem : quod manifestum est, si supponatur percussorem non habuisse animum seu voluntatem occidendi, sed mutilandi tantùm, quo casu incurret equidem Irregularitatem, secuto effectu. Clem. *Si furiosus*, de Homicidio.

CAPUT XI.

DE INCENDIO.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS PRIMA. — *An incendium jure scripto episcopis reservatum sit ?*

415. Respondeo cum Suarez, disp. 29, sect. 3, n. 6 ; Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 5, et plerisque aliis negativè. Ratio est quia ex nullo textu juris communis, ex nullâ Pontificis alicujus constitutione id satis evincitur. Probatur : nam ut evinceretur, deberet fieri vel per Extrav. *Super cathedram*, de Sepulturis ; vel per Extrav. *Inter cunctas*, de Privilegiis ; vel ex c. *Pessimam*, 23, q. 8 ; vel ex c. *Si quis membrorum*, eâdem causâ et quæst. Atqui horum locorum nullus ostendit efficaciter, incendium episcopis reservatum esse ; quod probatur inductione.

416. Inprimis certum est nihil desuper contineri Extrav. *Super cathedram*, quæ est Bonifacii VIII, quia in eâ nulli casus reservati exprimuntur, ut legenti manifestum est. Quare erravit amanuensis vel typographus doctissimi Suarezii, dùm dicit n. 5 : « Tertius « modus (quo intelligi potest reservatio fieri episcopis) « est jure communi, et ita solent quinque vel sex casus « numerari, jure communi reservati episcopis, ex « Extrav. *Super cathedram*, de Sepulturis. » Similiter error est typographi vel amanuensis, dùm n. 6 respondetur, ex dictâ Extravagante non sumi argumentum firmum, tanquàm revocatâ per Clem. *Dudùm*, de

Sepulturis : neque enim vel in dictâ Extravagante exprimuntur quinque illi vel sex casus reservati, neque revocata est per Clement. *Dudùm*, sed omninò resumpta et confirmata, in verbis : *Aliam à præfato Bonifacio* (VIII) *editam, sacro instante et approbante concilio, innovamus, subjicientes tenorem illius, qui dignoscitur esse talis : Bonifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam ;* SUPER CATHEDRAM. Porrò abusus ille in Suarezium tanquàm solertissimum et acutissimum theologum meo judicio non potuit cadere. Quare suspicor fuisse vitium amanuensis vel typographi, qui Extravagantem *Super cathedram* transcripsit vel impressit loco Extravagantis *Inter cunctas*, de Privilegiis.

417. Itaque quod attinet Extravag. *Inter cunctas*, quæ est Benedicti XI, largitur hæc amplissimam facultatem quoad sepulturas, verbi divini prædicationem, et audiendas fidelium confessiones : largitur autem fratribus Prædicatoribus et Minoribus. Interim admonentur, *ne ad confessiones recipiant criminosos criminibus, pro quibus solemnis est pœnitentia indicenda...* INCENDIARIOS ; *eosque qui tam enormibus sunt irretiti peccatis, quòd ea rationabilis consuetudo, præscripta canonicè, in episcopatibus aliquibus, reservavit episcopis, similiter non admittant*, id est, dimittant seu non absolvant. Igitur hoc loco videtur incendium per Benedictum XI, episcopis reservari.

418. Respondet Suarez sup. n. 6, pontificem illìc jus novum non condidisse de reservatione casuum ; sed illos obiter retulisse, qui tunc erant reservati aut jure communi aut consuetudine : atque adeò incendium nec tunc fuisse, nec modo esse reservatum per prædictam Extravagantem ; sed in eâdem referri duntaxat *incendium*, tanquàm tunc temporis reservatum episcopis vel ex jure communi, vel ex receptâ consuetudine, quod ad hæc tempora extendi non debet. Patet, inquit Suarez, in primo casu illìc enumerato, qui est peccatum, cui ex jure annectitur pœnitentia publica : omnes enim fatentur, hunc non esse in usu, quia publicæ pœnitentiæ jam sublatæ sunt, et si quæ supersunt, pertinent ad forum contentiosum, nec ratione earum censentur reservata peccata, nisi etiam habeant annexam censuram.

419. Sed contra : dato, inquit Bosco, n. 73, quòd Pontifex ibi non condiderit novum jus de reservatione casuum, sufficere videtur, quòd referat illum casum tanquàm tunc reservatum jure communi : cùm enim ostendi nequeat idem jus postea fuisse revocatum, manet peccatum incendiarii reservatum jure scripto qualicumque. Quòd autem Pontifex non supponat, incendium consuetudine, sed jure communi reservari episcopis, probatur : quia incendium omninò distinguit à casibus consuetudine reservatis, statuens, ne (Fratres) ad confessionem recipiant *incendiarios ;* similiter ne admittant eos, qui tam enormibus sunt irretiti peccatis, quòd ea rationabilis consuetudo, præscripta canonicè, in episcopatibus aliquibus, reservavit episcopis : *Quam consuetudinem* (inquit Pontifex)... *solummodò circa voluntariè homicidas, falsarios, Ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiasticæ violatores, et sortilegos approbamus.* Ubi manifestum est, quod diximus, Pontificem distinguere incendium à casibus consuetudine reservatis. Atque adeò, si Pontifex non faciat novum jus, id est, si non reservet hoc loco incendium episcopis, sed reservatum supponat, utique supponere non potest, nisi ex jure scripto.

420. Respondeo, dari medium inter jus commune, et præscriptam consuetudinem, atque adeò non esse necessarium ut jure communi scripto reservatum sit, quidquid reservatum est aliter quàm viâ præscriptionis. Igitur licèt Pontifex distinguat incendium à casibus præscriptâ consuetudine reservatis, item licèt incendium episcopis non reservet ipse, sed reservatum supponat, non debuit id supponere ex jure communi ; supponere potuit ex decreto vel statuto synodali vel episcopali in episcopatibus aliquibus usitato, quod neque est jus commune, neque præscripta consuetudo, ut per se manifestum est ; sic enim hodiè in diversis Belgii episcopatibus reservantur percussio parentûm, sodomia, etc., non vi juris communis, non etiam viâ præscriptionis, sed lege vel statuto synodali.

421. Deinceps nulla difficultas erit ex prædictâ Extravagante, etsi concedamus Benedictum XI illìc jus novum condidisse, seu incendium primò reservâsse episcopis ; nam prædicta Extravagans omninò cassata est per Clement. *Dudùm*, de Sepulturis, his verbis : *Dudùm à Bonifacio Papâ VIII, prædecessore nostro, infra scriptâ editâ decretali : Benedictus Papa XI, prædecessor noster, aliam* (scilicet *Inter cunctas*) *illius revocatoriam promulgavit, quæ quia*, etc. Nos EAM OMNINO CASSANTES. Quæ verba revocatoria, cùm omninò sint absoluta, videntur derogare prædictæ Extravaganti quoad omnia quæ et quatenùs illìc statuuntur, ut rectè observat Suarez.

422. Similiter oppositum conclusionis non deducitur ex c. *Pessimam*, 23, q. 8 ; hìc enim (quod in rem faciat) id unum statuitur, incendiario pœnitentiam injungendam esse, *ut Hierosolymis aut in Hispaniâ in servitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem archiepiscopus vel episcopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et per annum ab officio episcopali abstineat.* Ubi nullam video reservationem, sed solummodò præceptum, ut talis peccator non absolvatur, nisi hâc vel illâ impositâ pœnitentiâ, quam episcopus relaxare non possit. Nullo autem apice statuitur hanc ipsam pœnitentiam à solo episcopo imponendam esse, seu à solo episcopo dandam absolutionem.

Multò minùs deduci aliquid potest ex c. *Si quis membrorum*, eâdem causâ et quæst., quia itidem solummodò statuitur, *domorum* incendiarios sententiis interdicti et excommunicationis coercendos esse.

423. Dices : S. Th., Supplem., q. 20, art. 2, O, docet episcopis universim incendium reservari, utique ex jure communi omnes respiciente. In hunc modum loquitur : *Sunt autem quinque casus, in quibus oportet quòd simplex sacerdos pœnitentem ad superiorem remit-*

tat. Primus est, etc. *Quartus dè incendiariis.* —Resp. sic loqui potuisse spectato usu communi, non jure scripto ; quia nullus textus est allegabilis quo id præscribitur.

Quæstio II. — *An incendiarii incurrant excommunicationem, eamque Pontifici reservatam ?*

424. Variæ sunt sententiæ. Prima docet omnes incendiarios ipso facto excommunicatos esse per c. *Tua nos*, de Sententiâ excommun., ubi Pontifex interrogatus, an soli clericorum percussores pro absolutione ad Sedem Apostolicam sint mittendi, respondet, *quòd non solùm qui in clericos temerarias manus injiciunt, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.* In quem locum plurimi auctores putant, excommunicationem in omnes incendiarios ferri per hæc verba, *ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati.* Quare volunt particulam, *ex quo sunt*, causalem esse, ut sensus sit : *Incendiarii* QUIA *sunt per Ecclesiæ sententiam* excommunicati, id est, *quia* præsenti constitutione excommunicantur , pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam sunt mittendi. Favet huic opinioni quòd in illo textu æquiparentur incendiarii percussoribus clericorum, qui ipso facto excommunicati sunt. Secundò, quia textus non dicit, *ex quo fuerint*, quod alioquin excommunicationem ferendam denotaret, sed *ex quo sunt*, videlicet præsenti canone ; quod significat censuram latam.

425. Verùm hæc sententia communiter rejicitur, quia in verbis allegatis nullatenùs continetur excommunicatio lata ipsius *juris ;* expressè enim additur, *per Ecclesiæ sententiam*, quæ est actus hominis, non legis ; adeòque non agitur de excommunicatione *à jure* latâ, sed *per hominem* ferendâ. Deinceps non dicitur, *excommunicati*, sed *publicati ;* ergo non agitur de sententiâ excommunicationis, sed publicationis , id est, denuntiationis.

Ad primam hujus sententiæ rationem respondeo, particulam, *ex quo sunt*, non posse sumi in vim causalis, quia alioquin excommunicationem à jure latam vel supponit vel statuit. Ultimum non esse verum ex dictis constat. Primum non posse admitti constabit ex dicendis. Deinceps nulla ista causalis est : ad Apostolicam Sedem mittendi sunt, quia sunt excommunicati ; non enim omnis excommunicatio Pontifici reservata est.

426. Ad secundam respondeo 1° ne ipsos quidem clericorum percussores hoc canone excommunicari; 2° percussoribus clericorum incendiarios comparari, postquàm seu ex quo fuerint excommunicati per sententiam episcopi, et publicati.

Ad tertiam, videlicet, quòd non dicatur, *ex quo fuerint*, sed *ex quo sunt*, quæ denotare videntur censuram ipso jure latam, respondeo obstare textum, qui expressè loquitur de publicatione *per Ecclesiæ sententiam :* hæc autem, sicut diximus, est actus hominis, non legis. Unde non est scrupulosè urgenda circumstantia temporis, significata per verbum *sunt.*

427. Secunda sententia docet excommunicationem in incendiarios non quidem ferri c. *Tua nos*, cit., sed latam supponi jure aliquo antiquiori ; hoc autem loco reservationem pontificiam addi, si et quando per judicem fuerit publicata. Ratio hujus opinionis est, quia expressè dicitur incendiarios per Ecclesiæ sententiam publicatos, Romam pro absolutione excommunicationis mittendos esse ; atqui publicatio excommunicationis et absolutionis reservatio sequuntur seu supponunt excommunicationem latam.

428. Hanc sententiam iterùm non admittimus, quia si Pontifex, c. *Tua nos*, supponat excommunicationem jure aliquo antiquiori latam in incendiarios, debet textus vel canon aliquis produci posse, quo id ipsum statuatur. Nullus verò est allegabilis; quod rursùs probatur inductione : inprimis enim excommunicatio lata non decernitur c. *Pessimam*, 23, q. 8, quo loco Innocentius II, hoc unum statuit, ut qui *malo studio, sive pro odio, sive pro vindictâ ignem apposuerit vel apponi fecerit*, etc., EXCOMMUNICETUR, quod sine dubio est ferendæ sententiæ. Secundò idem non ostenditur ex c. *Si quis membrorum*, eâdem causâ et quæst., ubi dicitur : *Si quis membrorum truncationes, aut domorum incendia fecerit, sive facere jusserit aut facienti consenserit,... ab Ecclesiâ se privatum agnoscat ; si verò post secundam et tertiam conventionem cuncta in quibus arguitur non emendaverit, tanquàm ethnicus et publicanus ab omni christianorum privilegio separetur.*

429. Circa quem canonem observari potest primò, de solis domorum incendiariis sermonem esse. Secundò, licèt in verbis, *ab Ecclesiâ se privatum agnoscat*, videatur contineri censura latæ sententiæ, vero tamen esse similius, non loqui canonem de censurâ excommunicationis, sed interdicti, quo prohibeatur incendiarius ab ingressu Ecclesiæ ; sententia enim excommunicationis duntaxat statuitur *post secundam et tertiam conventionem*, post quam, si *cuncta in quibus arguitur. non emendaverit... ab omni christianorum collegio separetur.* Quæ verba ultima , inquit Suarez, significant excommunicationem majorem ferendam. Hinc tandem solvitur argumentum quo movetur Bonacina contra communiorem sententiam. Fatemur quòd absolutionis reservatio et excommunicationis publicatio sequantur censuram ipsam excommunicationis. Negamus quòd sequantur contractam ipso jure, sed solùm per sententiam judicis latam ante denuntiationem seu publicationem. Vide Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 24, n. 5, et Suarez, tomo 5, in 3 parte, disp. 22, sect. 2, n. 15.

430. Tertia sententia admittit ipso jure excommunicatos esse incendiarios ecclesiarum, non verò alterius loci profani, sed hos tantùm excommunicari per sententiam episcopi. Fundatur hæc sententia 1° in cap. *In litteris*, de Raptoribus, ubi dicitur, ecclesiarum incendiarium in mortis articulo constitutum fuisse per quemdam capellanum suum à sententiâ anathematis absolutum. Verùm nihil indè efficaciter pro hâc sententiâ ; quia non dicitur, incendiarium illum contraxisse illud anathema ipso facto. Imò per vocem *sententia* indicatur illam excommunicationem fuisse latam per

sententiam hominis ; quamvis enim *τὸ sententia* extendi posset ad censuram ipso jure latam, quo sensu appellamus illam *latæ sententiæ ;* nihilominùs juxta proprietatem vocis magis significat sententiam hominis ; quæ significatio cùm magis faveat reo, præferenda videtur in materiâ pœnali et odiosâ.

431. Rectiùs id probat Glossa in cap. *Tua nos*, cit., ex cap. *Conquesti*, de Sentent. Excommun., ubi canonici Regin. conquesti sunt Pontifici quod quidam malefactores *quasdam ecclesias Regin. episcopatûs violenter confregerunt, easque spoliare niminè dubitârunt.* Respondet Pontifex : *Mandamus quatenùs, si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis... et cum litteris vestris rei veritatem continentibus apostolico se conspectui repræsentent.* Quocirca reflectendum est ante omnia ex Castropal., n. 9, et Bonacinâ, tomo 3, de Censuris, disp. 2, q. 3, puncto 12, n. 11, quòd, licèt hic textus specialiter loquatur de confringentibus ecclesias Regin. episcopatûs, ejus tamen decisio pro lege generali ab ecclesiâ sit recepta, ut omnes doctores supponunt.

432. Itaque ex hoc canone videtur legitimè deduci, quemlibet voluntarium cujusvis ecclesiæ incendiarium ipso facto excommunicatum esse, et post publicationem, à solo Pontifice absolvendum. Rationem dant Suarez, n. 16 ; Castropalao, n. 11 ; Lessius, l. 2, c. 43, dubit. 4, n. 22 ; Bonacina, n. 4, Filliucius, tract. 15, c. 2, q. 5, n. 53, quia incendens Ecclesiam verè potest dici eamdem effringere, cùm omninò destruat, et etiam spoliare, quia hoc nomine quævis damnificatio rebus Ecclesiæ illata continetur ; ut si quis frangat, laceret, comburat imagines, vestes sacras, etc., non minùs spoliat quàm qui hæc secum asportat.

433. Itaque finaliter dicimus cum Glossâ, c. *Tua nos*, cit., quam doctores plerique sequuntur : « Non « credo quòd omnes incendiarii generaliter sint ipso « jure excommunicati, nisi de incendiariis Ecclesia- « rum, cùm de aliis non inveniam ; et per hanc decret. « (videlicet *Tua nos*) non probatur, quòd alii ipso jure « sint excommunicati ; sed illis (incendiariis cætera- « rum rerum) primò excommunicatis ab episcopis, « subsecutâ publicatione ac denuntiatione, Papa per « hanc decretal. (*Tua nos*) reservat sibi eorum abso- « lutionem. »

§ 2. *Tenor casûs.*

434. In Antuerpiensi reservatur *incendium Ecclesiæ, domorum, frugum et aliarum rerum notabilium cum deliberatâ voluntate procuratum.*

In Buscoducensi, Mechliniensi, Namurcensi, *incendium ex* (*cum*) *deliberatâ voluntate procuratum.*

In Cameracensi et Rurœmundensi, *incendium Ecclesiæ, domorum, frugum aut aliarum rerum* (aliàs, *aliorum*) *ex proposito factum.*

In Coloniensi, spectatâ synodo anni 1662, reservatur simpliciter *incendium Ecclesiæ :* sed in Agendâ de anno 1720, *incendium Ecclesiæ, deliberatâ voluntate procuratum.*

In Gandavensi, *incendium deliberatum*, quo nomine intelligitur in Pastorali, *quod ex proposito factum est, sive sit Ecclesiæ, domorum, frugum aut aliarum rerum his similium.*

In Leodiensi nihil de incendio.

§ 3. *Reflexiones.*

435. — 1. Incendium quadrupliciter considerari potest : primò ex parte causæ efficientis ; secundò ex parte causalitatis seu actionis ; tertiò ex parte materiæ seu objecti ; quartò ex parte effectûs. *Ex parte causæ efficientis* ad incendium reservatum in quâvis diœcesi requiritur, ut fiat directè, *ex proposito et deliberatâ voluntate.* Probatur ; quia id ipsum in omnibus ferè diœcesibus expressè additur : et quanquàm non adderetur, deberet subintelligi ex sacris canonibus, qui cùm excommunicationem latam vel ferendam in incendiarios statuunt, loquuntur de illis solis, qui ex odio, in vindictam, aut aliàs malo studio incendium effecerint : sic enim legitur cap. *Pessimam*, 23, q. 8 : *Si quis... malo studio, sive pro odio, sive pro vindictâ, ignem apposuerit,... excommunicetur.*

436. In quem locum Suarez, num. 20 : Necessarium est, inquit, ut incendium ex certâ scientiâ et pravâ voluntate intendatur : nam si quis ex negligentiâ, etiam notabiliter culpabili, sit causa incendii præter directam intentionem et voluntatem suam, non dicitur in rigore et proprietate incendiarius. Ita Suarez. In eumdem modum loquuntur Bonacina, cit. puncto 43, num. 3 ; Filliucius, num. 53 ; Sayrus, num. 10, et alii. Jam verò non videtur dubium, quin idem per incendium intelligat episcopus, dùm reservat, quod Pontifex, dùm censurat. Sed et jus civile pœnam capitalem decernit in incendiarios, *qui ob inimicitias vel prædæ causâ incenderint*, etc., l. *Capitalem*, § *Incendiarii*, ff. de Pœnis. Itaque non sufficit ad reservationem in quâvis diœcesi incendium casuale, proveniens ex infortunio vel imprudentiâ præter directam intentionem : non enim dicitur *malo studio, ex odio, pro vindictâ, ob inimicitias, deliberatâ voluntate* aut *ex proposito* fieri, quod ante non fuit intentum et præmeditatè dispositum ab operante.

437. Interim non est necesse, ut intendatur in actu signato ; satis est, quòd intendatur exercitè, ponendo deliberatè causam illius proximam, moraliter indeclinabilem : quidquid enim exterius simulet aut fingat operans, se nolle incendium, aut etiam signatè animo contradicat, convincitur, exercitè et interpretativè voluisse, per causam ejus proximam et naturalem.

2. *Ex parte causalitatis* requiritur in quâvis diœcesi actus incendii positivus, repugnans justitiæ. *Actus positivus*, quia non *procurat*, non *facit* incendium, sive qui negativè omittit extinguere, sive qui non impedit incendiarium, dùm potest et debet ex officio justitiæ vel charitatis. *Repugnans justitiæ*, quia per incendium reservatum sine dubio intelligitur injuriosa rei alienæ per ignem destructio vel dissipatio. Vide Bonacinam sup. ; item Arsdekin, Notau, Paradis. in hunc casum.

438. — 3. *Ex parte materiæ* in Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Mechliniensi, Namurcensi et

Ruræmundensi perinde est, quidcumque incendatur, si modò aliquid notabile vel magni momenti fuerit. Quare in illis diœcesibus committunt peccatum reservatum, qui incendunt civitatem, vicum, ecclesiam, sacellum, oratorium, domum, stabulum, horreum, navim, segetes, sylvam, cespites, struem lignorum, et quidlibet demùm inflammabile alicujus considerationis. Ratio est quia in præfatis diœcesibus ex parte materiæ nulla fit restrictio vel limitatio. In eumdem modum ob eamdem causam doctores communiter intelligunt, c. *Tua nos*, de Sentent. excommun., ubi statuitur, incendiarios, postquàm per sententiam diœcesani fuerint excommunicati ac denuntiati, pro absolutione mittendos esse ad Sedem Apostolicam; intelligunt, inquam, de incendiariis quarumcumque rerum notabilium. Vide Bonacinam, Toletum, Suarez, Sayrum, Filliucium, Cajetanum, apud Castrop., n. 7.

439. In Coloniensi necessarium est ad reservationem, ut incendatur *ecclesia*. Quocirca dubitari potest quid intelligatur nomine *ecclesiæ*. Simile dubium movetur à doctoribus circa c. *Conquesti*, de Sent. excommun., ubi Clemens III jubet nuntiari excommunicatos, qui spoliant et confringunt *ecclesias;* Panormitanus in dictum cap.; Navarrus, Man. c. 27, n. 94; Suarez n. 12; Sayrus, l. 3, c. 29, n. 18; Barbosa part. 3, alleg. 50, n. 90; Filliucius tr. 15, c. 2, n. 55, existimant, per *ecclesiam* intelligi, non solùm templa per episcopum ad divinum officium deputata, sed etiam hospitalia, monasteria et alia pia loca per episcopum consecrata. Ratio est quia similis constitutio fertur in favorem ecclesiarum, ac proinde nomen *ecclesia* latè accipiendum est. Contrarium tenent Bonacina, de Censuris, disp. 2, q. 3, puncto 12, n. 6, et Castropalao, n. 12, volentes per ecclesiam intelligi solùm templum materiale, auctoritate episcopi ordinatùm ad divina officia, quia esto similis constitutio cedat in favorem Ecclesiæ, absolutè tamen pœnalis est; ergo extendi non debet ultra proprietatem verborum.

440. Atqui retentâ proprietate verborum, et spectato communi usu, non veniunt ecclesiæ nomine hospitalia, monasteria aut similia pia loca. Idem ob eamdem causam contra Suarez, Barbosam et nonnullos alios, probabiliter docet Castropalao de sacristiâ, sive sit contigua ecclesiæ, sive ab eâdem sejuncta, quia non est formaliter et propriè ecclesia, sed aliquod illius accessorium; alioquin etiam conventus ecclesiæ connexus et contiguus veniret eodem nomine. Nec refert quòd, ut dicitur regulâ juris 42: *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, quia sacristia accessoria est ecclesiæ quoad ædificium, sed non quoad leges, pœnam vel favorem spectantes, nisi id expressè cautum fuerit, prout cautum est in materiâ interdicti, c. *Si civitas*, de Sentent. excommun.; alioquin, si propter allegatam juris regulam censeatur incendere ecclesiam, qui sacristiam, similiter polluere censebitur ecclesiam, qui cœmeterium, quod manifestè repugnat, c. un. de Consecr. eccles. in 6.

441. In Gandavensi perinde est, sive incendium sit ecclesiæ, domorum, frugum, sive aliarum rerum, *his* similium. *Frugum* autem nomine, inquit Calepinus, intelligitur omne illud quod ex fructu terræ in alimoniam vertimus; neque solùm quod ex frumentis et leguminibus, verùm etiam quod ex sylvis cæduis capitur. Sed dubitari potest an demonstrativum *his* appellet solummodò supra *fruges*, de quibus proximè præcessit mentio, an insuper supra domos et ecclesias. Si primum, reservationem in Gandavensi non incurret, qui sacellum, oratorium, hospitale, monasterium, stabulum, horreum aut navim incenderet; secùs dicendum, si secùs intelligas Pastorale.

442.—4. *Ex parte effectûs* requiritur in quâvis diœcesi ut incendium reipsà sit consummatum, saltem pro notabili parte. Unde quamvis ad perfectum ac reservatum incendium non sit necesse ut ecclesia, domus, horreum, etc., secundùm omnes suî partes per ignem consumatur, requiritur tamen ut ignem conceperit, seu conflagraverit quoad notabilem et considerabilem partem, quæ non sumitur hìc absolutè pro omni eâ quæ est objectum mortalis furti, aut quæ inducit gravem restituendi obligationem, sed accipitur respectivè seu in comparatione ad totum, puta ecclesiam, domum, etc. Ratio est quia non dicitur simpliciter procurâsse incendium aut incendisse ecclesiam, domum, etc., qui quamlibet illius partem, v. g., uno vel altero floreno æstimatam, igne consumpserit; talis, inquam, communiter non dicitur incendisse domum vel ecclesiam, sed voluisse incendere; voluntas autem sine facto consummato non sufficit. Itaque, cùm denominatio desumatur à notabili respectivè parte, non dicetur domus, ecclesia, (idem est de similibus) incensa, nec malefactor denominabitur incendiarius, nisi pars comparativè notabilis consumatur igne.

443. Dices: In diœcesibus plurimis reservatur incendium *deliberatâ voluntate procuratum;* ergo in illis saltem ad incurrendam reservationem satis est *procurâsse* incendium. Jam verò rectè dicetur *procurâsse*, qui initium dederit in quantùmvis exiguâ parte. Respondeo omninò satis esse quòd malefactor in quâlibet exiguâ parte initium dederit incendio postea crescenti et secuto quoad partem notabilem; hoc enim verè est procurâsse grave incendium. At si malefactor partem aliquam minùs notabilem accendat, ultra quam ignis non serpat, sicut non dedit initium incendio gravi deinceps secuto, sic dici nequit incendium procurâsse ad mentem reservantis.

5. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi et Namurcensi sufficit incendium *procurari*.

§ 4. *Corollaria.*

444.—1. Defectu *causæ efficientis*, seu requisitæ intentionis, peccatum non erit reservatum, si quis animo se calefaciendi, lignorum notabili quantitati immittat seu supponat ignem, prævidens quidem aut formidans camini incendium forsitan secuturum, sed tamen non intendens. Omnium quidem judicio reputabitur similis temerarius et reus gravis peccati, sed

non dicetur *deliberatâ voluntate* vel *ex proposito* aut *malo studio* incendium procurâsse.

445.—2. Idem est pro quâvis diœcesi, si focum vel candelam aliquis per negligentiam seu pigritiam non extinguat in circumstantiis periculosis, non quidem volens seu directè intendens incendium, sed prævidens ejus periculum, tametsi sequatur effectus. Erit iterùm in causâ reus et graviter delinquet, sed non dicetur deliberatâ voluntate vel ex proposito commisisse.

3. Secus dicendum, si fraus vel dolus intercederet, ut si quis focum vel candelam de industriâ relinqueret propè materiam facilè inflammabilem, apud se statuens, id tribuendum naturali suæ oblivioni, et per hanc viam sibi fore effugium, cùm interim incendium intentum et affectatum esset in proximis circumstantiis.

446. — 4. Defectu *actionis* seu injuriæ non incurrit casum, qui propriam domum incendit, tametsi cum peccato prodigalitatis et damno indirecto creditoris sui, respectu cujus se reddit impotem solvendo debito. Aliud foret, si prævideret, eidem infortunio naturaliter et necessariò involvenda esse mobilia conductoris, aut ædes vicinas : quanquàm ne hoc etiam casu in quâlibet diœcesi.

447. — 5. Defectu *materiæ* nullibi committit casum, qui rem alterius leviorem aut minoris momenti deliberatè incendit. Idem est de militibus justi belli, qui effectus inimicorum, quos facto possident, incendunt ad frangendum vires et potentiam adversæ partis. De excessibus, qui in re istâ à nonnullis incendiariis committuntur, loquantur fumigantes ruinæ. Similiter defectu materiæ non committeret casum in diœcesi Coloniensi, qui sacra vestimenta aut alia ecclesiæ utensilia vel ornamenta combureret; quia non sunt ecclesia. Bonacina, puncto 12, n. 8.

6. Defectu *effectûs* satis consummati, non erit casus, si quis ignem materiæ inflammabili supposuerit, sed cohibeatur progressus incendii, arbitrio vel fortunâ. Secùs erit, si incendium initio progressum ad partem notabilem domûs, ecclesiæ, vel similium, sistatur demùm, v. g., operâ aut vigilantiâ civium vel vicinorum.

CAPUT XII.

DE INCESTU.

§ 1. Quæstio præliminaris prima. — *Quid incestus, et quale peccatum ?*

448. Respondeo : Incestus *est abusus consanguineorum vel affinium.* S. Thomas, 2-2, q. 154, art. 9. Idem legitur 25, q. 2, can. *de Incestis*, et 26, q. 1, can. *Lex illa ;* ubi et incestuosi vocantur, qui consanguineis vel affinibus intra gradus prohibitos abutuntur. Unde et nuptiæ inter hos contractæ appellantur incestuosæ, can. *Nec eam*, 25, q. 2; *Novel.* de Incestis nuptiis, et l. fin., c. eod., quasi similibus nuptiis desit cestus, id est, vinculum illud, quo Venus ad honestas nuptias utebatur; Covar., 4 Decret., p. 2, c. 6, § 8.

449. Itaque ad incestum propriè dictum requiritur inprimis coitus vel concubitus, id est, copula carnalis per resolutionem carnis sic consummata, ut possit sequi generatio. Tentamina quælibet incompleta et actus inchoati, qui non pertingunt ad completam rationem usûs carnalis, participant malitiam, non naturam incestûs rigorosè sumpti. Secundò requiritur, ut concubitus sit illicitus. Quare concubitus consanguineorum vel affinium, qui infra gradum alioqui prohibitum matrimonium iniverunt ex dispensatione legitimâ, non sunt incestuosi. Tertiò requiritur, ut intercedat inter consanguineos vel affines, id est, qui sanguine vel carne uniuntur. Quartò necesse est ut committatur intra gradus prohibitos, id est, matrimonium dirimentes ex jure naturali, divino vel humano.

450. Hinc colligitur primò quòd cognatio legalis, quæ nascitur ex adoptione, ad hoc vitium non sufficiat, quia est vinculum duntaxat morale, non faciens conjunctionem carnis aut sanguinis. Secundò idem ob eamdem causam dicendum de cognatione spirituali resultante ex sacramentis Baptismatis et Confirmationis. Negari tamen non potest quin talis cognationis violatio per carnalem usum, contineat specialem deformitatem contra legem Ecclesiæ, quæ inter similes prohibet et dirimit matrimonium, potestque reduci partim ad incestum, partim ad sacrilegium : *Si enim aliquis abutatur personâ conjunctâ sibi secundùm spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestûs.* S. Thomas, art. 10, ad 2. Tertiò idem est si quis utatur virgine Deo sacratâ per votum castitatis aut religionem. Interim est sacrilegium, et reducitur à S. Thomâ citato ad adulterium, à jure canonico, can. *Si quis sacro*, 27, q. 1, ad incestum.

451. Porrò incestum esse grave peccatum, colligitur ex Scripturis : 1 Corinth. 5, invehitur Apostolus in concubitum privigni cum novercâ, tanquàm ipsis etiam gentibus inauditum, et incestuosum tradit satanæ per præceptum vel sententiam excommunicationis. Levitici 18, v. 6, prohibet Deus ne ullus homo ad proximam sanguinis sui accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Deinceps enumerantur gradus jure divino pro illo tempore prohibiti : et cap. 20 constituitur pœna mortis in transgressores, hâc additâ ratione : *quia rem illicitam, rem nefariam operati sunt.*

452. Gravitas peccati hujus (secundùm S. Th., art. 9) desumitur ex triplici capite. Primò est contra reverentiam et honorem sanguini debitum. Hanc causam passim Scriptura indicat, dum monet, *ne discooperias, ne reveles turpitudinem* matris, sororis, etc., cùm enim in consanguineis et affinibus principium ortûs nostri intueamur, debetur illis certa quædam reverentia, quoad ea quæ actum gignendi spectant. Hinc Sem et Japhet tantâ cautione et sollicitudine virilia Noe contexerunt; Cham verò ob irreverentiam et irrisionem incurrit maledictionem patris, Gen. 9.

453. Imò nonnullis etiam animantibus similis quædam reverentiæ instinctus in suum sanguinem est in-

genitus, ut ex Philosopho, l. 9 Histor. animal., cap. 47, refert S. Th., sup. ad 3. Secundò quia personas sanguine et affinitate junctas necesse est simul conversari; unde si non arcerentur à commixtione venereâ, nimia veneris opportunitas esset ejusmodi hominibus, atque adeò eorum animi valdè emollescerent per luxuriam. Tertiò, quia per hoc impediretur et minueretur amicitia humana : dùm enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur simul aliquâ speciali amicitiâ consanguinei utriusque. Imò cùm per concubitum ex duobus fiat una caro et veluti unus homo completus, videtur natura illos quærere, inter quos antea non erat conjunctio carnalis; et illos refugere qui jam ante ratione consanguinitatis vel affinitatis erant una caro vel unus sanguis.

Quæstio ii. — *Quid consanguinitas, et quousque dirimat matrimonium ?*

454. Breviter de re notissimâ, quam hâc solummodò ratione attingimus, quia ejus memoria omninò est necessaria ad cognoscendum incestum propriè et strictè sumptum. Itaque *consanguinitas est vinculum, ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* S. Th. 4, dist. 40, q. un., a. 1. Descriptionem laborare defectu prætendit Aversa, excessu Covarruvias : utrique occurrunt Sanchez l. 7, de Matrim., disp. 50, et Bosco disp. 12, sect. 5, concl. 1. Consanguinitas autem habet lineas, gradus, stipitem, regulas. *Linea*, est personarum sanguine junctarum ordinata collectio. *Gradus*, sunt mènsura distantiæ, et habent quamdam analogiam cum gradibus scalæ : ut in his de uno in alterum descenditur et ascenditur, sic in illis. *Stipes*, est persona in quam veluti principium originis consanguinei concurrunt. *Regulæ*, sunt præcepta juris et rationis, quibus dirigitur subductio graduum.

455. Dividitur linea in rectam et transversam. Recta, est series producentium et productorum, estque adeò rursùs duplex, ascendentium scilicet, quæ continet genitores, et descendentium, quæ complectitur genitos; sive, ut loquitur D. Thomas, art. 2, linea recta ascendentium est series personarum secundùm habitudinem principiati ad principium; descendentium, principii ad principiatum. Pro hâc lineâ est generalis regula, tot gradibus distare unum ab altero, quot generationibus. Ratio est quia singula generatio fundat duarum personarum habitudinem et distinctionem; ergo duæ duplicem, etc.; proinde numerus graduum idem est qui generationum.

456. Hinc deducitur veritas regulæ ab aliis allegatæ, videlicet in lineâ rectâ tot esse gradus quot personas, demptâ unâ : cùm enim numerus personarum, demptâ unâ, adæquet numerum generationum, hæ verò respondeant gradibus, necesse est numerum personarum, unâ substractâ, æqualem esse numero graduum. Linea transversa, est series disparatorum, ab eodem stipite descendentium. Si descendant secundùm eamdem distantiam, linea vocatur æqualis, cujus hæc est regula generalis, tot gradibus distare à se mutuò, quot ab ipso stipite, c. *Ad sedem*, et c. *Parentelæ*, 35, q. 5.

457. Constat, quia cùm tota ratio conjunctionis illorum inter se, sit conjunctio eorum cum ipso stipite, necessariò subductio graduum penes distantiam ab illo repetenda est, nec possunt magis vel minùs distare à se mutuò, quàm ab illo distent. Linea verò transversa inæqualis, est series eorum qui ab eodem stipite inæqualiter distant. Hujus lineæ regula generalis est, tot gradibus distare unum ab altero, quot gradibus remotior distat à stipite, cap. fin. de Consanguinitate. Ratio est quia remotior trahit ad se propinquiorem, favore matrimonii.

Consanguinitas in lineâ rectâ probabiliùs dirimit matrimonium jure naturæ in infinitum. Ita theologi et canonistæ magno numero, quos refert Sanchez, l. 7, disp. 51, n. 12. Favet huic sententiæ jus civile, nec repugnat canonicum. Consanguinitas in lineâ transversâ, spectato jure canonico antiquo, dirimit matrimonium usque ad septimum gradum, c. *de Affinitate*, c. *Nullum*, c. *Nulli*, 25, q. 3. Jure autem pontificio novo, tantum usque ad quartum inclusivè, c. *Non debet*, de Consang. et Affin. Vide S. Th., art. 4.

Quæstio iii. — *Quid affinitas, et quousque dirimat matrimonium ?*

458. Respondeo : *Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copulâ proveniens, omni carens parentelâ.* S. Th. 4, dist. 41, quæst. un., art. 1. Explicationem hujus descriptionis vide apud Sanchez disp. 64, n. 1, et Bosco, sect. 6, n. 3 et sequentibus, ubi simul ostenditur vinculum affinitatis oriri ex omni et solâ carnali copulâ, adeò consummatâ, ut sufficiat per se loquendo ad generationem. *Ex omni;* igitur inprimis tam ex illicitâ seu fornicariâ, quàm licitâ seu conjugali; utraque facit unitatem carnis, quæ est radix affinitatis; quia non solùm, qui matrimonio juncti sunt, fiunt *duo in carne unâ*, Matth. 19. v. 5 verùm etiam *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, 1 Cor. 6, v. 16. Similiter ex copulâ habitâ cum dormiente, insanâ, ebriâ, coactâ per metum, oppressâ per violentiam, deceptâ per ignorantiam juris aut facti, etc. Affinitas enim non sequitur culpam aut voluntatem agentis vel patientis, sed (sicut diximus) unitatem carnis et seminum commixtionem.

459. *Ex solâ* : non igitur ex actu sodomitico vel congressu spadonum, non ex penetratione vasis, retento semine, aut ex copulâ carnali inchoatâ, sed abruptâ cum effusione naturæ, prout prolis timore frequentissimè faciunt, duplicatâ quidem malitiâ et fornicationis inchoatæ, et mollitiei completæ, nullo tamen impedimento. Ratio est quia per hæc et similia delinquentes non fiunt una caro, aut unum generationis principium propter imperfectionem actûs; quod in casu occurrente (forsan frequentiùs quàm volet) attendat diligenter confessarius, priusquàm decernat de affinitate et impedimento Matrimonii. Ulteriùs sequitur affinitatem propriè dictam non oriri ex matrimonio duntaxat

rato, ut refertur expressè declarâsse congregatio cardinalium, et supponit Pius V, bullâ, *Ad Romanum spectat*, 62, apud Cher. editâ in concilium Trid. Fatendum tamen cum Sanch., n. 35, ex matrimonio rato oriri affinitatem impropriè et largè sumptam, seu quoddam affinitatis initium, eò quòd potestas corporum tradita per matrimonium, sit initium actûs conjugalis, unde affinitas oritur.

460. Affinitati autem nulli sunt gradus, l. *Non facile*, 4, § 5, ff. de Gradibus : intellige cum Glossâ, propriè et gratiâ sui; sunt enim impropriè et gratiâ consanguinitatis; quia vir et mulier, seu cognoscens et cognita, per copulam carnalem ad fines alternos transeunt, et vinculo affinitatis uniuntur mutuis consanguineis respectivè ac decussatim : adeò ut, quo gradu quispiam est consanguineus viro seu cognoscenti, eodem fiat affinis cognitæ, et è converso, can. *Porrò*, 35, q. 5. Ratio est quia vir et mulier per carnalem copulam fiunt una caro; ergo necesse est virum (idem est è converso) jungi secundùm carnem seu affinitatem illis quibus mulier jungitur secundùm sanguinem seu consanguinitatem, idque in ejusdem lineæ eodem gradu.

461. Hinc deducitur 1° intellectus illius regulæ (quam habet Glossa cap. *Non debet*, de consang.) *Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, et non gradum;* scilicet mutat genus attinentiæ seu conjunctionis, addens consanguinitati affinitatem; sed relinquit eumdem gradum. Deducitur 2° maritum matri uxoris suæ affinem esse in primo gradu lineæ rectæ ascendentium; filiæ, in primo gradu lineæ rectæ descendentium; sorori, in primo gradu lineæ transversæ, etc. Deducitur 3° consanguineos cognitæ e cognoscentis ad se invicem relatos nullo laborare impedimento matrimonii; quia neque uniuntur secundùm carnem, neque secundùm sanguinem. 4° Deducitur virum et uxorem, aut personas carnaliter copulatas, non esse inter se affines, sed originem potiùs et stipitem in affinitate. Quare sicut manet consanguinitas post mortem stipitis, sive ejus, qui causa contrahendæ consanguinitatis fuit, ita etiam manet affinitas post mortem ejus, qui causa affinitatis fuit; *c. Fraternitatis*, 35, q. 10. Deducitur 5° quòd, si maritus (idem est de correlativo) carnaliter cognoscat consanguineam uxoris suæ, contrahat affinitatem respectu propriæ uxoris; in pœnam autem delicti non potest petere debitum conjugale, c. 1 *de Eo qui cognovit*.

462. Quocirca duplex necessaria est observatio Prima, ad hanc pœnam requiri scientiam cognationis ita ut ignorantia excusans à formali incestu, excuse pariter ab illâ pœnâ. Ita DD. communiter ex eodem c. 1. Secunda, post concilium Trident. ad eamdem pœnam necessarium esse, ut persona carnaliter cognita sit consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu, cujus ratio statim allegabitur.

Cæterùm affinitas ex copulâ carnali licitâ seu matrimoniali proveniens, dirimit matrimonium contrahendum, usque ad quartum gradum inclusivè, in quâlibet lineâ. Patet ex concilio Lateranensi, cap. 50, et refertur c. *Non debet*, de Consanguinitate. Proveniens autem ex copulâ illicitâ, usque ad secundum. Patet ex Tridentino, sess. 24, de Reform. matrim., cap. 4.

463. Affinium nomina (quæ ferè referuntur, l. 4, ff. de Gradibus) sunt sequentia : *Socer*, id est, pater uxoris vel mariti. *Socrus*, mater mariti vel uxoris. *Prosocer*, avus uxoris vel mariti. *Prosocrus*, avia mariti vel uxoris. *Gener*, maritus filiæ. *Nurus*, uxor filii. *Progener*, maritus neptis. *Pronurus*, uxor nepotis. *Levir*, frater mariti. *Glos*, soror mariti. *Fratria*, uxor fratris, quæ et glos aliquando dicitur. *Sororius*, maritus sororis. *Janitrices*, duorum fratrum uxores. *Vitricus*, matris maritus. *Noverca*, uxor patris. *Privignus, privigna*, filius vel filia mariti vel uxoris. *Filiaster, filiastra*, filius vel filia ex alio conjuge genitus vel genita, quàm eo, quem mulier de facto habet.

QUÆSTIO IV.—*An impuberes teneantur lege reservationis?*

464. Hæc quæstio præcipuè habet locum in materiâ carnis, incestu, adulterio, sodomiâ et similibus, quæ, ut consummentur, pubertatem exigunt vel ejus vicariam malitiam : nihilominùs de casibus reservatis universim ab auctoribus proponi solet. Quocirca notandum primò, impuberes vocari, qui spectato ordinario naturæ cursu sunt incapaces ad vacandum operi conjugali. Hæc incapacitas durat in masculis usque ad annum ætatis 14, in femellis ad 12 per se loquendo : potest enim per accidens durare longiùs, aut deesse citiùs, malitiâ, ut loquuntur, supplente ætatem.

465. Notandum secundò, non esse quæstionem de illis diœcesibus, in quibus impuberes expresso ordinarii decreto eximuntur : in quem modum exemptos esse in Atrebatensi, testatur Henno, in Parisiensi, Rituale Diœcesanum.

Notandum tertiò, reservationem aliam esse pœnalem, aliam medicinalem. Lugo, Bosco, Aversa statim citandi. Pœnalem vocant, quæ fertur in odium et vindictam peccati, cujusmodi est illa Sixti V, contra malè promotos ad ordines, bullâ, *Sanctum et salutare*, 91, apud Cherubinum. Hæc minus est usitata. Medicinalem appellant, quæ non tam peccati vindictam, quàm peccatoris medicinam respicit ac refertur ad bonam Ecclesiæ gubernationem et disciplinam : et nihil est aliud, quàm lex determinans certos casus, in quibus pro remedio magis efficaci ac meliori instructione delinquentis recurri ad superiorem debeat. Quare potiùs est dispositio legis de jurisdictione confessariorum in commune bonum, quàm propriè dicta punitio.

466. His notatis, certum est inprimis, impuberes non teneri reservatione peccati, quod defectu judicii aut pubertatis perficere aut consummare non possunt. Quare nullibi reservatur incestus, adulterium, sodomia, ab impuberibus, ad copulam perfectam inidoneis attentata vel inchoata. Ratio est quia ad reservationem non sufficit actus imperfectus, ex quocumque capite proveniat imperfectio, sive per voluntatem, ut in retractu, sive per naturam, ut in frigidis, sive per

maleficium, ut in maleficiatis, sive per ætatem, ut in pueris. Quare quæstio solùm esse potest, de peccatis quidem carnalibus, si ætatem dolus et malitia suppleant; de cæteris verò quæ potentiam generandi non exigunt, si committantur cum sufficienti deliberatione et judicio.

467. Ad quæstionem sic propositam respondent negativè Paludanus, 4, dist. 34, q. 2, art. 1; Graffius, t. 1 Consil. l. 5, conc. 3, n. 13, et in Praxi, l. 1, c. 13, n. 9; Bellochius, p. 2, de Cas. reserv., q. 1, n. 203, et q. 17, n. 66; Diana, p. 2, tr. 1, miscell. res. 1, et part. 3, tract. 4, resol. 101, qui licèt signatè loquantur de peccato Sodomiæ, rationem tamen generalem reddunt, quòd minor ætas, sicut excusat à pœnis et censuris, sic pariter à reservatione. Verùm, ut rectè observant Lugo, de Pœnitentiâ, disp. 20, sect. 1, n. 10; et Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 6, n. 82, hæc ratio nullius momenti est; quia ad summum probat, excusari impuberes à reservatione pœnali, quæ secundùm dicta decernitur extraordinariè in singularis alicujus peccati odium ac vindictam. Itaque si reservatio non sit pœnalis, affirmant Lugo et Bosco citati, simpliciter autem Homobonus, de Cas. res., p. 1, c. 3, fol. 60; Lazarius, tract. de Blasph., q. 9, n. 42; Floronus, p. 1, c. 3, et p. 2, c. 6. Ratio est quia impuberes subsunt jurisdictioni reservantis, nec ullo privilegio eximuntur. Quòd subsint jurisdictioni reservantis, nemo prudenter in dubium revocabit. Speciale verò pro hâc materiâ privilegium aut altioris potestatis contraria dispositio ubi exstat? Profectò ætas illa infirma et puerilis maximè eget convenienti medicinâ, cùm sibiipsis impuberes rarò sint sufficientes. Certe non eximuntur ab observatione disciplinæ populi christiani.

468. Igitur cùm reservatio juxta concil. Trident. sess. 14, c. 7, pertineat ad christiani populi disciplinam, quâ ipsi indubiè cum aliis obligantur, debent pariter cum cæteris peccata sua atrociora et graviora, quibus nonnunquàm implicantur, confiteri summis sacerdotibus, episcopis vel aliis prælatis. Confirmatur : quia impuberes tenentur cæteris ecclesiæ legibus et præceptis, v. g., festorum, jejuniorum quod attinet abstinentiam à carnibus, communionis et confessionis annuæ, dummodò ad annos discretionis aut saltem discretionem ipsam pervenerunt; ergo etiam lege reservationis, quæ omninò concernit confessionem.

Quæstio v. — *An consanguinei vel affines in gradu prohibito, legitimè dispensati ad ineundum matrimonium, committant incestum fornicando?*

469. Supponitur 1°, consanguineos vel affines esse in gradu per ecclesiam dispensabili, v. g., 2, 3, 4, lineæ transversalis. Supponitur 2°, dispensationem legitimam obtentam esse ad ineundum matrimonium; sed, hoc nonnihil dilato, dispensatos carnaliter commisceri. In hoc supposito

Respondeo, probabiliùs non committere incestum propriè et strictè sumptum. Sanchez, de Matr., lib. 7 disp. 5, n. 6, et 13, et disp. 65, n. 9, ubi hanc opinionem judicat non solùm probabiliorem, verùm etiam certam. Bosco, disp. 12, sect. 1, concl. 12, n. 246. Ejusdem opinionis sunt Cajetanus, verb. *Incestus;* Armilla ibidem. Vega, tom. 2 Summæ, cap. 5, cas. 1, quatenùs incestum describunt, consanguineorum vel affinium carnalem commixtionem sine dispensatione matrimoniali.

470. Probatur hæc sententia; quia si præter malitiam fornicationis commixtio illa involveret circumstantiam incestûs, deberet prohibita esse non solùm generaliter per præceptum : *Non concupisces;* sed etiam *specialiter* ob unitatem carnis aut sanguinis. Atqui, supposità dispensatione legitimâ ad ineundum matrimonium, non exstat ampliùs ulla lex *specialiter* et sub peccato incestûs propriè dicti prohibens dispensatis copulam fornicariam. Probatur minor : non lex naturæ; si enim lege naturali prohibita esset illa copula tanquàm rigidè et propriè incestuosa, jam non posset Ecclesia in illis gradibus dispensare, ut per se patet. Non etiam positiva, quia nulla est assignabilis positiva lex, quæ copulam fornicariam in illis gradibus *specialiter, directè et proximè* prohibeat. Sed lex Ecclesiæ, quæ in illis gradibus matrimonium prohibet, hæc ipsa per consequentiam et *indirectè* prohibet *specialiter* copulam fornicariam in iisdem gradibus : adeò ut prohibitio *specialis* posterioris, id est, carnalis conjunctionis pendeat à nullitate et prohibitione prioris, id est, ipsius matrimonii : atqui datâ consanguineis vel affinibus dispensatione legitimâ ad ineundum matrimonium, non manet iisdem prohibitum matrimonium; ergo neque manet *specialiter* prohibita fornicatio. Aliud foret (N. B.) si ostendi aut allegari posset duplex Ecclesiæ præceptum, unum quo annulletur similium matrimonium, alterum quo independenter à lege matrimonium dirimente prohiberetur *specialiter* ipsa copula fornicaria propter carnem aut sanguinem. Atqui una tantùm assignabilis lex est, videlicet quâ prohibetur matrimonium, quæque à prohibito matrimonio deducitur à theologis ad prohibitam eâdem ratione fornicationem. Ergo, cessante per dispensationem prohibitione matrimonii, necesse est ut omninò cesset, illinc dependens prohibitio *specialis* copulæ.

471. Confirmatur : Si Ecclesia respectu omnium fidelium per constitutionem generalem tolleret aut aboleret impedimentum dirimens matrimonii in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis lineæ collateralis, in hoc supposito fornicatio in iisdem gradibus non esset propriè incestuosa. Ergo, si Ecclesia respectu duorum per constitutionem specialem seu dispensationem tollat impedimentum dirimens matrimonii in allegatis consanguinitatis et affinitatis gradibus, horum duorum in iisdem gradibus fornicatio, non erit propriè incestuosa. Probatur consequentia; quia quod operatur constitutio generalis respectu omnium, idem operatur particularis respectu aliquorum, quemadmodùm exemplo jejunii et aliarum legum manifestè constat.

472. Probatur antecedens : quanquam olim incestus propriè dictus committeretur à consanguineis in

6 vel 7 gradu lineæ transversæ fornicantibus, quamdiù duravit rigor juris Pontificii veteris ; eo tamen ipso quo prohibitio matrimonii, jure novo reducta fuit ad gradum quartum, nemo dixerit, in sexto vel septimo committi propriè incestum. Idem est de affinibus præsertim ex copulâ illicitâ, qui olim fornicando committebant incestum, tametsi plus quàm secundo gradu distarent. Hodiè verò, cùm ex concilio Tridentino affinitas ex copulâ illicitâ non dirimat matrimonium ultra secundum gradum, non porrigitur extra eumdem incestus rigorosè sumptus. Cæterùm rogatur lector cui hæc opinio forsitan displicebit, ne acceleret judicium suum ; sed legat fundamenta Sanchez et aliorum quos adduximus, simul cum objectionibus § 5 allegandis.

§ 2. *Tenor casûs.*

473. In Antuerpiensi reservatur *incestus cum sanctimonialibus, item cum consanguineis in gradibus prohibitis, et cum affinibus in primo gradu.* In Buscoducensi, Gandavensi, Mechliniensi, *incestus cum consanguineis*, aliàs *consanguineâ*, *aut sanctimonialibus*, aliàs *sanctimoniali*. In Cameracensi, *incestus cum patre, vitrico, matre, novercâ, filio, filiâ, privigno, privignâ, fratre, sorore, reipsà commissus, et cum mulieribus religiosis professis.* In Coloniensi, *incestus cum consanguineis aut affinibus in primo vel secundo gradu aut cum sanctimonialibus.* In Leodiensi, *incestus cum consanguineis aut cum virgine sacrâ, seu moniali professâ.* In Namurcensi, *incestus cum consanguineâ vel affine usque ad secundum gradum inclusivè. Sacrilegium cum moniali.* In Ruræmundensi, *incestus in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu reipsà commissus ; item qui cum mulieribus religiosis professis fit.*

§ 3. *Reflexiones.*

474. — 1. In omni diœcesi reservatur incestus minùs propriè sumptus, seu sacrilegus concubitus opere consummatus cum sanctimoniali, id est, solemniter professâ in approbatâ religione. Steyaert, Arsdekin, Van Vyve, Notau. Cùm verò nullibi requiratur in moniali conditio alia quàm professio, sequitur perinde esse ad effectum reservationis, sitne nigra, an grisia, vel cujuslibet coloris, claustralis an extra claustrum, virgo, vidua, vel conjugata. Quare si supponamus quòd conjugata post consummatum matrimonium, ob adulterium compartis ingrediatur et profiteatur religionem approbatam, commixtio carnalis ejusdem cum marito, erit incestus reservatus.

2. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi reservatur incestus cum consanguineis lineæ rectæ vel transversæ usque ad quartum gradum inclusivè. In Cameracensi et Ruræmundensi reservatur incestus consanguineorum in primo duntaxat gradu utriusque lineæ. In Coloniensi et Namurcensi in primo vel secundo.

3. In Antuerpiensi et Ruræmundensi reservatur incestus cum affinibus, sed tantùm in primo gradu lineæ rectæ et transversæ. In Buscoducensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi nullus incestus cum affinibus reservatus est. In Cameracensi solummodò reservatur incestus inter vitricum et privignam, novercam et privignum. In Coloniensi et Namurcensi extenditur reservatio usque ad secundum gradum utriusque lineæ inclusivè.

4. *Corollaria.*

475. — 1. Nullibi reservatur concubitus cum novitiâ, begginâ, voto simplici castitatis obligatâ.

2. Nullibi etiam reservatus est casus quo sacerdos, religiosus, majorum ordinum clericus peccaret cum muliere seculari, liberâ, conjugatâ, integrâ vel corruptâ.

3. Idem, si fornicentur consanguinei vel affines lineæ transversalis, ignoratâ prohibitione matrimonii, etsi de cætero cognitâ consanguinitatis vel affinitatis habitudine. Ratio est quia non est formaliter incestus.

4. Idem, si tactus inhonesti, copula inchoata, effusio seminis utrinque procurata, contingat cum consanguineis, affinibus, monialibus, sine consummato usu.

5. Idem, si copula consummata intercesserit inter consanguineos in secundo vel tertio vel quarto et quinto mixto : quia non prohibentur inire matrimonium, juxta cap. fin. de Consang. ubi approbatur regula generalis : *Quarto gradu remotior differt à stipite, et à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem.* Vide Bonco, disp. 12, sect 5, concl. 3, n. 228.

476. — 6. Idem de consanguineis vel affinibus, qui per Ecclesiam legitimè dispensati ad contrahendum Matrimonium fornicantur, priusquàm contrahant. Vide sup. n. 469. Vide etiam Bassæum statim citandum.

7. Item in nullâ diœcesi reservatur in ratione incestûs copula sodomitica cum quovis consanguineo vel affini ; quamvis personæ conjunctæ circumstantia gravius reddat scelus. Bassæus, verbo *Incestus*, n. 1. Diana, parte 3, tract. 4, resol. 101. Finellius de Casibus reserv., casu 10, n. 10, Floronus parte 2, casu 6, n. 31.

8. Idem, si quis personâ nec affini nec consanguineâ abutatur per sodomiam, et deinceps copulam fornicariam habeat cum quâlibet ejusdem consanguineâ.

9. Idem, si carnis commercium intercedat inter cognatos legaliter aut spiritualiter.

477. — 10. Idem, si quis carnaliter cognoscat sororem, matrem, filiam aut aliam consanguineam sponsæ de futuro, aut etiam de præsenti, nondùm tamen consummato matrimonio. Ratio primæ partis est quia ex sponsalibus non resultat impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis, dirimens matrimonium in primo gradu. Ratio secundæ partis eadem est quæ prioris, videlicet quòd ex matrimonio rato non oriatur affinitas, sed honestas. Igitur copula carnalis cum consanguineis sponsæ vel uxoris, matrimonio hactenùs duntaxat rato, non est incestuosa ; quia nec est affinium, ut probatum est, nec consanguineorum, ut supponitur. Excipitur casus, quo fornicatio sponsi et sponsæ præcessisset sponsalia vel matrimonium respectivè : tùm enim concubitus cum sponsæ vel uxoris consanguineâ in primo vel secundo gradu erit rigidè incestuosus : nam affinitas ex copulâ illicitâ di-

rimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè.

11. Idem, si Petrus matrimonio consummato junctus cum Catharinâ, per Paulum relictâ, committat adulterium cum sorore aut matre Pauli; secùs si cum filiâ vel filiastrâ. Ratio est quia consanguinei Pauli, sive in rectâ lineâ ascendentium, sive in lineâ collaterali non sunt affines Petro. Aliud est de filiâ per primum matrimonium genitâ, quæ sicuti est consanguinea Catharinæ in primo gradu lineæ rectæ descendentium, sic est affinis Petro.

478. — 12. Idem, si quis rem habeat primò cum Annâ, deinceps cum filiâ consobrini ejus, quia Anna et ejus consobrini filia sunt in secundo et tertio mixto; jam verò affinitas ex copulâ illicitâ non extenditur ultra secundum gradum.

13. Similiter in nullâ diœcesi peccatum committit reservatum maritus qui, matrimonio consummato, adulteratur cum consanguineâ uxoris suæ in tertio vel quarto gradu. Ratio est quòd licèt committat incestum propriè sumptum, eò quòd affinitas proveniens ex copulâ conjugali extendatur usque ad quartum gradum inclusivè, nullibi tamen reservatur incestus affinium in tertio vel quarto gradu. Vide supra tenorem casûs.

479.—14. Quòd si in exemplo proximè allegato idem maritus, commisso incestu cum consanguineâ uxoris suæ in tertio vel quarto gradu, deinceps suâ uxore carnaliter utatur, iterùm nullibi incurret casum. Ratio est quia copula cum uxore in supposito non est incestuosa : non enim uxori suæ factus est affinis, cùm affinitas ex copulâ illicitâ tantùm extendatur ad secundum gradum.

15. Si tamen commiserit incestum cum consanguineâ uxoris suæ in primo vel secundo gradu, et, non obtentâ dispensatione, exigat ac obtineat debitum conjugale, bis incurrit peccatum reservatum in illis diœcesibus, in quibus incestus cum affinibus usque ad secundum gradum inclusivè reservatus est : primò quidem cognoscendo consanguineam uxoris suæ in primo vel secundo gradu, respectu cujus affinitatem contraxerat per matrimonium consummatum; secundò, petendo et exercendo debitum conjugale ; quia cognoscendo scienter consanguineam uxoris in primo vel secundo gradu, factus est uxori affinis in eodem gradu.

480. — 16. Similiter, qui, inito matrimonio rato, adulteratur cum consanguineâ uxoris in primo vel secundo gradu, incurret in iisdem diœcesibus peccatum reservatum, si petendo debitum, consummet matrimonium sine dispensatione.

17. Nullibi incurrit casum Petrus exercens carnale commercium cum matre, filiâ vel sorore Joannæ, antea per Paulum, Petri fratrem defloratæ.

18. Idem est, si frater mariti cum uxoris sorore peccet. Ratio utriusque corollarii est ex ante dictis; quia affinitas à solo utrinque stipite inchoatur, et in alternos consanguineos decussatim protenditur.

19. In nullâ diœcesi excusat à peccato reservato defectus pubertatis seu ordinariæ ætatis, ad carnalem copulam requisitæ, si delinquentes sint doli et malitiæ capaces, idque sive cum moniali sive cum consanguineâ negotium fiat.

481. — 20. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Leodiensi, Melchliniensi probabiliùs tenentur casu consanguinei in quovis gradu lineæ rectæ, carnaliter peccantes.

21. In Cameracensi et Rurœmundensi (quod attinet consanguineos) solummodò incurrunt casum pater cum filiâ, mater cum filio, frater cum sorore delinquentes. Secùs est, si avus cum nepte, avia cum nepote, aut consobrini vel amitini commisceantur.

22. Omnes proximè nominati committunt casum in Coloniensi et Namurcensi.

23. Quod attinet affinitatem, in Buscoducensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, ne quidem incurrunt vitricus, noverca, socer aut socrus peccantes cum privignâ, privigno, genero aut nuru.

482. — 24. In Antuerpiensi et Rurœmundensi incurrunt omnes nominati respectivè delinquentes, postquàm consummatum est matrimonium. Idem in iisdem diœcesibus, si Petrus cognoscat successivè duas sorores vel matrem et filiam. Idem, si Joannes utatur carnaliter Catharinâ, quam ante deceperat pater, frater, aut filius ejusdem Joannis. Idem, si levir, id est, frater mariti cum fratriâ, id est, fratris uxore peccet, postquàm consummatum est matrimonium. Aliud est, si prosocer vel prosocrus delinqueret cum progenero vel pronuru respectivè.

25. In Coloniensi et Namurcensi committunt peccatum reservatum omnes, utroque præcedenti numero allegati.

26. In Cameracensi non reservatur incestus in primo gradu lineæ transversæ, v. g., inter uxorem et fratrem mariti vel inter maritum et sororem uxoris. Similiter non reservatur incestus in lineâ rectâ affinitatis inter socerum ac nurum, vel socrum ac generum, sed tantùm inter vitricum ac privignam, novercam ac privignum.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

483. Objicies 1° contra corollarium sextum : clericus majorum ordinum aut religiosus solemniter professus, si post obtentam dispensationem legitimam ad ineundum matrimonium fornicaretur, committeret sacrilegium; ergo consanguinei vel affines in casu allegato incestum. Respondeo neg. consequentiam. Disparitas est quòd prohibitio *specialis* copulæ in casu antecedentis non pendeat à prohibitione matrimonii; sed directè, proximè et immediatè sine ullâ subordinatione, clerico et religioso sub peccato sacrilegii prohibeatur utrumque, et fornicari, et inire matrimonium. Quare, sublatâ prohibitione matrimonii per dispensationem pontificiam, non tollitur *specialis* prohibitio copulæ ante nuptialis seu fornicariæ. Atverò in casu consanguinitatis et affinitatis, prohibitio *specialis* copulæ extramatrimonialis pendet à prohibitione matrimonii, imò est ipsa matrimonii prohibitio, quâ per dispensationem sublatâ, desinet per consequen-

tiam talis copula *specialiter* mala esse, ut supra diximus. Vide Sanchez, l. 7, disp. 5, n. 6, et Bosco, n. 248, ubi prædictum argumentum proponunt et nobiscum solvunt.

484. Objicies 2°: Poterunt ergo sic dispensati, in perpetuo concubinatu vivere sine peccato incestûs, si perpetuò differant matrimonium. Respondeo : sicut possent, si Pontifex pro totâ Ecclesiâ tolleret impedimentum dirimens matrimonii in illis gradibus. Eritne in hoc ultimo casu locus incestui strictè sumpto, si Pontifex, bono Ecclesiæ sic exigente, tolleret impedimentum consanguinitatis in quarto, v. g., gradu lineæ transversalis? An, inquam, consanguinei in illo gradu pro supposito committent incestum rigorosè sumptum sive per fornicationem simplicem, sive per concubinatum?

485. Non puto : ostendo autem contrarium, quia consanguinei in septimo, v. g., gradu consanguinitatis lineæ collateralis non committunt hodiè strictè dictum incestum per fornicationem, quod à nemine prudenter negari potest; atqui hoc ideò, quia impedimentum matrimonii olim extensum ad gradum septimum, jure pontificio novo (c. *Non debet*, de Consang.) reductum est ad quartum gradum : ergo idem dicendum erit de consanguineis in quarto, si impedimentum hodiè extensum ad quartum, reducatur aliquando ad tertium, et consequentor si idem impedimentum in eodem quarto gradu pro cæteris relictum, tollatur pro aliquibus per dispensationem : quid enim operatur revocatio generalis pro omnibus, quod non operatur dispensatio pro duobus?

486. Objicies 3° : Restabit nihilominùs in isto casu specialis aliqua inordinatio ex jure naturæ, cùm consanguinitatem ipsam per nullam legem aut dispensationem tollere possit Pontifex. — Respondeo certè non restare inordinationem quæ sufficiat ad incestum propriè et strictè sumptum : alioquin impedimentum erit indispensabile per Ecclesiam.

CAPUT XIII.

DE LABAISMO.

§ 1. Quæstio præliminaris.— *Quid labaismus, et quale peccatum?*

487. De hoc casu aliàs actum est per libellum separatim editum, quem, qui volet, consulat : supervacaneum enim ducimus transcribere integrum. Quare puncta duntaxat principalia delibabimus, idque cursim et remissivè. Itaque labaismus dudùm per utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam in variis Belgii provinciis per edicta publica, successivis temporibus edita et repetita proscriptus et condemnatus est; non quidem quasi quælibet juvenum et puellarum conventio ex naturâ rei peccaminosa sit aut involvat libidinem vel proximum ejus periculum; sed quòd constaret experientiâ, et pastorum ac decanorum undique conquerentium testimoniis, conventicula ejusmodi in suo ortu forsitan adiaphora, in suo progressu, crescente petulantiâ juventutis, passim in libidinem et infausta matrimonia tendere. Quo super quotidianis ex quolibet ferè districtu ac decanatu querimoniis fatigati episcopi judicârunt, grassanti malo occurrendum esse, et petulantes utriusque juventutis rurales conventiones, sub pœnis et censuris ecclesiasticis, tum conjunctim, tum separatim, pro suâ quisque diœcesi interdixerunt, ut ablato usu tolleretur abusus, atque uno et eodem decreto generali, in plerisque conventiculis libido ipsa, in cæteris periculum tolleretur; quo tandem fieret, ut excessus gravissimi in conventiculis jam tùm libidinosis impedirentur, in cæteris adiaphoris seu minùs malis progressu temporis non irreperent.

488. Itaque pro diœcesi quidem Gandavensi jam ferè ab annis 120, seu sub annum 1629, reverend. et illustr. D. Antonius Triest, episcopus Gandavensis, in ejusmodi conventicula, præsertim ruralia gravissimum decretum edidit, præcipiens pastoribus, ut è suggestu, *quâ poterunt diligentiâ, in illum abusum invehantur*. Pro Brugensi Georgius episcopus in statutis et ordinatis, anno 1631, 7 et 8 octobris in hunc modum loquitur : « Multis flagitiis causam præbet dissolutio « illa, quâ passim ruri puellæ, excusso pudore, unà « cum procis suis, aliisque juvenibus tabernas audent « frequentare, ibidemque ad plures horas inverecundè « potitare : quare pastores hanc gulæ et libidinis « corruptelam conabuntur extirpare, quà concionando, « quà parentes damnabilis socordiæ reprehendendo, « qui in filiabus suis tantum æstimationis et honoris « periculum dissimulant. »

489. Pro Mechliniensi Alphonsus de Berghes, ejusdem diœcesis archiepiscopus epistolam pastoralem edidit, 25 nov. 1675, quam deinceps in eodem archiepiscopatu successor Humbertus Guillelmus à Precipiano confirmavit et innovavit per decretum Mechliniæ expeditum 10 aprilis 1691. Pro Tornacensi illustrissimus Gilbertus de Choyseul du Plessy-Praslain in extracto ex actis synodi Tornacensis, habitæ 13 mensis junii anni 1673, n. 10, jubet pastores, « ut « singuli in suis parochiis districtè prohibeant, ne « puellæ ducantur ad popinas à viris vel adolescentibus. Quòd si viri eas compellant, vel ipsæ puellæ se « abduci patiantur aut spontè iverint, postquàm « pastores eas monuerint, si post trinam monitionem « non obedierint, ipsis ingressus Ecclesiæ nominatim « et publicè interdicatur. Si autem interdictum violaverint, pastores nos certiores facient, ut nisi resipuerint, excommunicentur. » Pro eâdem diœcesi synodus altera, celebrata 1677, art. 6, implorat seculares magistratus et ipsam supremi consilii curiam, *ut tantum scandalum tandem compescatur*. Pro Antuerpiensi Ambrosius Capello pridie kal. aprilis, 1676, decretum edidit de eâdem re, quod deinceps confirmat et repetit illustr. ac reverendiss. Joannes Ferdinandus. 24 februar. 1685.

490. Pro Namurcensi Catechismus ad usum diœcesis, jussu episcopi Namurani impressus 1681, conventicula istiusmodi revocat ad peccata per sextum Decalogi præceptum interdicta. Pro Buscoducensi Martinus Steyaert vicarius apostolicus, in Exegesi ad quædam capita synodorum Sylvæducensium, in lucem

edita idibus julii 1692, et rursùs in Epistolâ encyclicâ ad *clerum istius diœcesis, de variis disciplinæ ecclesiasticæ capitibus..., conventiculis juventutis*, etc., 16 kal. januarii, 1697, graviter invehitur in labaismum et similes conventiones. Quò autem episcoporum decreta certiùs darentur effectui, accesserunt diplomata senatûs regii, variis temporibus repetita, 2 martii 1682, et 6 martii 1687, quod ultimum, 21 aprilis ejusdem anni publicatum fuit in consistorio consilii Flandriæ, præsentibus Advocatis, et procuratoribus et cæteris circumstantibus.

491. Nihilominùs cùm, effectus desideratus nondùm pro voto sequeretur, convenerunt Bruxellis, 21 aprilis 1797, Belgii episcopi, H. G. à Precipiano Mechliniensis, Ferdinandus Antuerpiensis, Guillelmus Brugensis, Philippus Erardus Gandensis, et Martinus Steyaert vicarius apostolicus Sylvæducensis, ac unanimi calculo statuerunt 1° juvenibus, qui labaismum frequentant, cauponibus, qui intertenent, parentibus, qui non impediunt, sacramentalem absolutionem cum cæteris sacramentis in futurum denegandam esse. 2° Ejusdem legis transgressores à nemine, etiam admisso pro reservatis, extra necessitatem extremam, nisi ab ipsismet episcopis, Decanis ruralibus in suis respectivè districtibus, et uno superiore in unoquoque virorum monasterio, absolvi posse. 3° Publicationem præsentis decreti, ab episcopis singulis tempore opportuno in singulis respectivè episcopatibus faciendam.

492. Publicatio subsecuta est, in diœcesi quidem Ruræmundensi per illust. Reginaldum 9 julii 1697, et eodem anno in omnibus aliis Belgii episcopatibus. Horum exemplo provocatus Illustr. Josephus Clemens, archiepiscopus Coloniensis, episcopus et princeps Leodiensis, ejusdem decreti observantiam pro diœcesi Leodiensi, per epistolam pastoralem de 25 martii 1698, urget et inculcat. Similiter H. G. pro memorati decreti effectu in Epistolâ pastorali 21 julii 1700, et rursùs alterâ de 31 martii 1711, instantissimè perorat. Et in horum omnium robur et firmitatem emanavit iterùm diploma regiæ majestatis 1700 et 1711, 10 julii. Nec tamen his omnibus radix mali eò usque præcisa est, ut nullà ampliùs putatione sit opus; crescit enim sensim et per ætatem repullulat, quod animadvertens eminentia sua, quam Deus Ecclesiæ diù servet incolumen, 9 aprilis 1744, de eodem abusu dignissimum decretum edidit, cujus tenor inferiùs allegabitur. Porrò ex adductis potestatis utriusque decretis videtur labaismus legitimè describi posse : *Lascivum et impudens, rurale conventiculum juvenum et puellarum in popinis aut aliis locis, ad saltandum, bibendum, garriendum aut similes ineptias et levitates, ex condicto institutum.*

§ 2. *Tenor casûs.*

493. In Antuerpiensi, Instructio pro confessariis, num. 13, inter casus ordinario reservatos primo loco exprimit *labaismum*. Deinceps num. 14, monentur confessarii, *quòd nullus..., extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit aut valeat à labaismo.*

In Gandavensi, enumeratis casibus ordinario reservatis additur : *Sciant denique confessarii, quòd etiamsi aliàs habeant facultatem absolvendi à casibus nobis reservatis, adhuc tamen specialem habere debeant quoad... conventicula seu labaismum.*

In Ruræmundensi dicitur : *Advertendum, quòd nullus confessarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit... à casu lascivorum conventiculorum juventutis utriusque sexûs, sine expressâ ad hoc ab ordinario obtentâ licentiâ.*

In Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi non legitur hodiedùm expressa præsentis casûs reservatio.

§ 3. *Reflexiones.*

494. — 1. In nullâ ex tribus diœcesibus prioribus sufficit potestas indefinita in casus episcopales : requiritur insuper *expressa* seu *specialis*.

2. Quanquàm ad conventiculum reservatum, ex decreto Belgicorum episcoporum requirantur lascivia et impudentia, nulla tamen libido. Satis est, quòd sit vanum, petulans, et effusum in levitates ac ineptias. Vide, si lubet, opusculi nostri articulum primum.

3. Ad reservationem requiritur, ut conventiculum sit *rurale*, id est, ruri seu foris aut in apertâ, ut vocant, civitate celebratum. Vide articulum secundum.

4. Non sufficit ad labaismum qualiscumque pluralitas personarum utriusque sexûs : non sufficit, inquam, quòd unus, v. g., juvenis cum sex vel septem aut pluribus puellis ingrediatur tabernam ex quocumque fine, ut neque, quòd puella cum totidem juvenibus. Necessaria est pluralitas ex utroque sexu. Sufficiunt 10, seu 5, paria utriusque juventutis. Vide articulum tertium.

495. — 5. Probabilius nobis est, salvo iterùm judicio meliori, necessarium esse ad reservationem condictum antecedens, tacitum vel expressum, id est, conventionem, evocationem, conspirationem quamdam præviam de futuro congressu. Quod tamen ita non potest intelligi, quasi quilibet consortio reservato accedens, et nullam habens partem in condicto præcedenti, eo ipso declinet reservationem. Ibidem.

6. Per juvenes et puellas intelliguntur innupti seu matrimonio liberi vel soluti. Quare non erit labaismus, si partim ex liberis, partim ex conjugatis æquali moraliter numero congregatio componatur. Sed dubitatur, quid censendum, si una tertia sit conjugatorum, duæ tertiæ liberorum, v. g., si conventiculum constet ex quatuor conjugatis et octo liberis, an, inquam, in hoc supposito tota congregatio constituat labaismum reservatum? Censeo constituere; quia à majori parte sumitur denominatio. Articulo quarto. Alterum dubium est, an pariter iidem conjugati, unus aut alter, qui reservato conventiculo immanent vel intersunt,

eâdem reservatione teneantur? Tenentur; quia licèt unus aut alter conjugatorum, qui interest juventuti, non faciat physicè conventiculum juvenum, et puellarum, quatenùs tale, nihilominùs constituit moraliter et concurrit in modum partis integralis ad conventionem, quæ simpliciter labaismus vocari possit. Ibidem.

496. Tertium dubium est an casum reservatum incurrant etiam caupones, servantes, tenentes seu recipientes simile conventiculum. Idem eâdem operâ quæritur de parentibus qui, cùm possint ac debeant, non cohibent proles suas à congressu isto. Et quidem si simul ipsi colludant, assistant vel assideant, nulla est difficultas : tùm enim de utrisque dicendum est quod statim diximus de conjugato uno vel altero, qui conventiculo jungitur, nisi pariter, ut itidem diximus, tanto numero adessent juvenum et puellarum parentes, ut hi illos vincerent vel adæquarent. Quæstio igitur est de parentibus qui merè non impediunt, cùm possint ac debeant,et de cauponibus qui locum, cerevisiam aut vinum præstant juventuti congregatæ. Respondeo ex decreto Belgicorum episcoporum non obscurè colligi, utrosque, nimirùm et caupones et parentes, ut præfertur, delinquentes, casui reservato implicari. Ibid.

7. Indifferens est circumstantia loci ad naturam labaismi : nullum enim decretum sive regium sive episcopale specificat determinatum locum : in id unum conveniunt omnia, quòd debeat conventiculum rurale esse.

§ 4. *Corollaria.*

497. — 1. Sequitur non esse necessarium ad reservationem, ut in congressu seu conventiculo peccetur contra sextum Decalogi præceptum, peccato oris per turpiloquium, vel cordis per morosas delectationes, vel operis per actus aut tactus inhonestos.

2. Sequitur non esse labaismum reservatum si juvenes et puellæ conveniant etiam ex condicto, seriò et sincerè ad commune laboritium, v. g., ad vertendum aut colligendum fœnum, eradicandum lolium aut zizania, triturandum, etc., quia non sunt illis casibus conventicula *lasciva*, id est, ex fine et scopo principali instituta ad petulantias et levitates.

3. Idem, si conventicula etiam lasciva in clausis, ut vocant, civitatibus celebrentur, idque sive rustici, sive cives fuerint, qui intersunt.

498. — 4. Condictum antecedens, etiam tacitum seu in actu exercito, in omnibus et singulis delinquentibus non requiri, colligitur ex decreto Belgicorum episcoporum, quo satis innuitur casum reservatum incurrere qui conventiculo primùm constituto, ex incidenti accedunt, si per condictum virtuale seu consequens consentiant in unionem.

5. Non erit casus, si juvenes inter se uniti in unum consortium, ac puellæ pariter inter se conjunctæ, sine condicto tamen alterno, intercedente inter juvenes ex unâ et puellas ex alterâ parte; si, inquam, juvenes sic inter se uniti, et puellæ vicissim sic inter se conjunctæ ingrediantur eamdem tabernam aut in eodem etiam cubiculo diversis mensis assideant; quia ad conventiculum reservatum non sufficit unitas loci vel cubiculi, sed requiritur unitas consortii personarum utriusque sexûs per commixtionem aut conventionem, signatam vel exercitam.

499. — 6. Idem, si congregatio constet ex solis conjugatis etiam disparati tori, sic ut in toto conventiculo nulla mulier suum virum, nullus vir suam mulierem habeat.

7. Labaismum tamen constituere videntur non solùm virgines et juvenes hactenùs cælibes; sed etiam vidui et mulieres corruptæ extra vel intrà matrimonium, quia circumstantiam virginitatis aut cælibatûs non exigunt decreta vel regia vel episcopalia; satis est esse conventiculum juvenum et puellarum, quo nomine intelliguntur innupti seu actualiter matrimonio non conjuncti.

8. Juvenibus ac puellis qui simili conventiculo immanent; cauponibus qui intertenent, ac parentibus qui dissimulant, id est, cùm possint ac debeant, non impediunt, nisi seriò ac tempestivè resipuerint, præter absolutionem sacramentalem negari debent cætera sacramenta.

500. — 9. Sicuti ad reservationem indifferens est circumstantia loci, dummodò celebretur foris, sic etiam temporis. Perinde igitur, sive conventio fiat feriâ, sive festo, sive dominico.

10. Si res sit eadem substantialiter, reservationem non tollet diversitas vocabuli aut nominis vernaculi, in locis et conventiculis diversis usitati.

11. A reservatione excusatur qui conventiculo præsens, ignorat legem episcopalem, saltem tunc quando contra solam obedientiam delinquitur : quia licèt juxta communiorem sententiam, incurrant casum reservatum etiam ignorantes, id equidem de illâ solummodò ignorantiâ intelligitur, quæ legem reservationis præcisè respicit. At in casu ignorari supponitur utramque legem, et quæ prohibet, et quæ reservat.

12. Si conventio juvenum et puellarum alibi celebrata fuerit, ubi aut non viget aut non exstat præceptum positivum episcoporum, non erit reservata in diœcesibus Antuerpiensi, Gandavensi, Rurœmundensi, præsertim si nihil libidinis acciderit. Ratio quia ad labaismum reservatum sicut sufficit, sic requiritur ut repugnet præcepto positivo episcoporum.

13. Si labaismus alibi committatur, ubi non quidem reservatur, sed nihilominùs interdicitur præcepto positivo episcoporum, erit ille, quanquàm alibi commissus, reservatus in tribus diœcesibus proximè specificatis.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

501. Objicies 1° Nugæ et næniæ ! Frivola et ridicula ! Multò rectiùs episcopi rusticos suæ libertati relinquerent in rebus tam futilibus, nec eorum negotiis aut conventiculis se immiscerent. Quasi verò disciplina Ecclesiæ pendeat è tam innocuis conventionibus simplicium rusticorum. Prudentiùs episcopi suum zelum

impenderent reformandis populi et cleri moribus, quorum graviores abusus impunè transeunt in civitatibus. Quasi verò episcopus ruricolis ex decumano laboritio totius hebdomadæ fatigatis interdicere possit modicum illud solatii et oblectationis, quod ex honesto congressu et mutuâ societate capitur. Res est indifferens. Nihil mali committitur, libido nulla, nulla scurrilitas aut turpiloquium. Bibitur, saltatur, canitur, præterea nihil. Quid igitur sunt aliud decreta episcoporum rem adiaphoram tam rigidè et indiscretè prohibentium, nisi bullæ et nugæ? Ita objiciunt nonnulli theologi, qui simili argumento nihil probant efficaciùs quàm se suo nomine indignos esse.

502. Quòd si rationem ab iisdem nugivendis poscas, nihil referes, nisi nugatoriam repetitionem ejusdem phrasis, nugarum scilicet et næniarum. Nec mirum, quia non sunt capaces, ut probent decimam partem eorum quæ affirmant. Si malè locutus sum, testimonium perhibeant de malo, et adducant vel unum probabile fundamentum, quo saltem capitale punctum præsentis materiæ in aliquam speciem dubitationis reducant. Ostendant, inquam, aliquâ verosimili ratiunculâ, vel deesse episcopis voluntatem, vel potestatem : hinc enim pendet totum. De voluntate nullum est dubium. De potestate dubitare non possunt, nisi hoc unico nugatorio fundamento, quòd præcepti materia sit indifferens, id est, jure naturali permissa : quæ ratio si semel probabilis sit, perpetuò sequitur, nihil divinis vel humanis legibus posse præcipi vel prohiberi, quod eodem jure non est prohibitum vel præceptum. Apage igitur tanquàm ridiculum et nugatorium præceptum Dei, quo inhibitum fuit primo parenti, *de ligno scientiæ boni et mali ne* comederet. Apage eodem titulo præceptum Ecclesiæ, quo festum, jejunium, confessio, communio et similia, præter jura divinum et naturale præscribuntur. Apage verò quàm maximè tanquàm omnium præceptorum maximè nugatorium, quo non rusticis solùm aut secularibus, verùm etiam sacerdotibus et confessariis interdicitur ingressus in conventiculum, communitatem seu clausuram monialium : vel ostende, plus esse periculi in conventiculo sacerdotis et monialium, quàm rusticorum et puellarum.

503. Hactenùs autem supponitur, conventicula, de quibus quæstio, secundùm se indifferentia esse, seu nullo juris naturalis præcepto prohiberi, de quo aliàs actum. Certè in similibus conventiculis si non libidinem ipsam, saltem ejus periculum esse, docent Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Carolus Borromæus, quos omnes sequitur Eminentia sua in decreto desuper expedito, cujus tenorem promisimus et hoc loco non importunè reddimus.

THOMAS PHILIPPUS

DOOR GODTS BERMHERTIGHEYDT DER H. ROOMSCHE KERCKE PRIESTER CARDINAEL D'ALSACE, de Boussu, aertsbisschop van Mechelen, Primaet der Nederlanden, etc., etc.

Aen alle die dese sullen zien, ofte hooren lesen, Saligheidt in den Heere.

504. Met groot gevoelen verstaen hebbende, dat op sommige prochien van Ons aertsbisdom de Jonghmans en jonghe-dochters, versmaedende de Vermaeningen van hunne pastoors, en misachtende, het verbodt, soo door de Werelycke, als Geestelycke Overheydt verscheydemael vernieuwt, op gestelde dagen en herberghen nog doeven houden bestemde Vergaederingen; soo is 't, dat Wy by desen gebieden aen de pastoors der plaetsen, alwaer sulcke by-een-komsten geplogen worden, oft staen te geschieden, van, naer voorgelesen te hebben van den predikstoel dit ons decreet, met kragtige woorden uyt te leggen het groot quaedt, de verderffenisse ende het zieleverlies, hetwelcke dusdanige by-een-komsten, als wesende de naeste occasien tot de sonde, veroorsaecken; ende van die strikken des duyvels teenemael te breken, en als eene peste uyt te roeyen; voorhoudende aen de Ouders, Voogden, Peters en Meters hunne pligt, van aen de Jonckheydt onder hunne zorge staende, diergelycke Vergaederingen te beletten; andersints, dat sy daer over voor Godt ende de menschen sullen moeten verantwoorden. Bevelende aen de Seer Eerw. Heeren Landt-Dekens, van ingevalle sy vernemen, ievers onder hun district sulcke by-een-komsten voortaen nog te gebeuren ('t gene Godt wille verhoeden !). Ons aenstons die plaetsen ende persoonen over te schryven : Ordonnerende aen onsen promoter, van neerstiglyck te waeken tegen die dertele Vergaederingen der Jonckheydt; ende in recht op te roepen alle de gene, die in de selve sig sullen hebben laeten vinden, oock hun Ouders en Voogden; op dat sy naer behooren gestraft worden volgens de placcaeten, selfs met versoeck van de Werelycke Handt, des noodt zynde. Aldus gedaen in ons aertsbisschoppelyk palcis den 9 april 1744.

THO. CARD. AERTSBISSCHOP VAN MECHELEN.

Ter ordonnantie van Syne Eminentie,

M. HOLVOET, secret.

Plaetse † des Segels.

505. Ita Eminentia sua. Ita ejusdem sedis archiepiscopalis antecessores illustrissimi Alphonsus de Berghes et Humbertus Guillelmus à Precipiano, pluries repetitis vicibus. Ita pluries illustrissimi, Antuerpiensis, Buscoducensis, Gandavensis, Leodiensis, Brugensis, Tornacensis, Namurcensis, Ruræmundensis. Ita Synodi tum Provincialis, tum plures diœcesanæ. Ita senatus regius decretis sæpissimè editis in subsidium episcoporum. Nihilominùs hæc omnia rident, omnia pro næniis et nugis habent theologi quidam nugivendi, qui proinde cùm proprio judicio pertinaciter immaneant, non reverentes præceptum vel judicium sive sanctorum Patrum, sive episcoporum, sive doctorum sive politicæ potestatis, quid aliud restat, nisi ut saltem aliquando acquiescant finali vel ultimo judicio Dei.

506. Objicies : 2° Ad reservationem non sufficit præceptum negativum superiorum : prærequiritur malitia mortalis et enormis priusquàm reservatio decerni possit. Hanc objectionem non nemo confirmat

exemplo censurarum, quæ, inquit, in materiam indifferentem non possunt cadere. — R. Quàm risu digna sit ista coccygis cantilena, ex dictis constat. Dato autem, quòd conventiculum, de quo quæstio, secundùm se sit indifferens, nonne hæc illi indifferentia perit, quando cum pertinaciâ instituitur contra grave et toties repetitum præceptum episcoporum? Reservatio supponit malitiam mortalem et enormem; hanc verò ex solo jure divino vel naturali repetendam esse, ubinam legit unquàm aliquis vel audivit?

507. Quod autem censuras attinet, respondeat pro me Bonacina, de Censuris, disp. 1, q. 1, puncto 3, prop. 3, n. 8, ubi similem sibi objectionem facit. « Objicies, inquit, si gravis censura ferri non posset, « nisi pro peccato mortali, sequeretur, illum non « affici censurâ, qui non observat decretum episcopi « præcipientis sub excommunicatione, vel aliâ gravi « censurâ aliquid de se indifferens et non mortale. « Respondeo cum Soto, 4, dist. 22, q. 1, art. 3; « Vasquez, loco cit., n. 3; Valentia, tom. 4, disp. 7, « q. 17, puncto 5; Avila, 2 p., q. 5; Coninck, n. 73; « Suarez, disp. 4, sect. 6, n. 11; Filliucio, tract. 12, « cap. 1, quæstio 8, n. 30; Sayro, l. 1, c. 9 et aliis, « superiorem prohibentem vel præcipientem aliquid « sub majori censurâ, eo ipso illud præcipere vel « prohibere sub mortali, quamvis secundùm se sit « indifferens, et non mortale. Sit exemplum. Ferre « arma, ex suo genere non est mortale; nihilomi- « nùs eo ipso, quo superior sub majori aliquâ cen- « surâ prohibet, ne ferantur arma, prohibet sub « mortali, quamvis id non exprimat in sententiâ « censuræ. » Hactenùs Bonacina. Aliud exemplum est, in clausurâ monialium, quæ solo jure humano instituta est, ut patet ex multis decretis et constitutionibus variorum pontificum, Bonifacii VIII, Pii V, Gregorii XIII, et concil. Trident., sess. 25, de Reg., c. 5. Interim ingredi intrà septa monasterii nemini cujusvis sexûs vel ætatis permittitur sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, sine licentiâ episcopi vel superioris, in scriptis obtentâ. Non est necesse, proferre alia exempla in re certissimâ, cui mera ignorantia contradicit.

508. Objicies 3°: Si vera sit doctrina de conventiculis rusticorum à nobis tradita, quis insidebit sedi confessionali? Abigendi promiscuè erunt rustici et sine absolutione dimittendi, cùm in variis Belgii pagis nihil sit usitatius conventiculis istis. — Respondeo ridiculam et nugatoriam objectionem esse. Emaneant sede confessionali, qui aliter ac oportet sacramentalem absolutionem impertiunt. Quasi verò consuetudo et abusus peccandi, jurisdictionem vel potestatem confessario, aliàs non approbato in reservata. Quid si sodomia in similem consuetudinem abeat? Eritne licitum confessariis in reservata non admissis absolvere ab illo crimine, eo titulo quòd sit commune? Contra tantò magis urgenda est reservatio, quantò peccatum communius est, ut rigore negatæ absolutionis, consuetudo decrescat et gravitatem delicti peccatores penetrent. Non essent forsitan tot infirmi, si non essent tam molles medici; si synodorum et episcoporum decreta toties repetita, prout oportet, reducerentur in praxim.

CAPUT XIV.

DE MACHINATIONE IN MORTEM CONJUGIS.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid machinatio, et quandonam dirimat matrimonium?*

509. Respondeo: Machinatio est occulta insidiatio vel conatus fraudulentus in mortem legitimi conjugis. Tres exigit conditiones: Prima est animus interior, serius et deliberatus. Secunda, ejusdem animi interioris effectus exterior seu signum sensibile. Tertia, dolus malus vel astutia: quia *machinari*, est finem aliquem dolo vel astutiâ intendere. Calepinus V: *Machinor*, significat, inquit idem, quod *imaginor, cogito, per dolum aliquid molior: frequentiùs enim in malam partem accipitur.* In eamdem partem frequentiùs in jure accipitur. Ulpianus, l. 36, ff. de Verb. oblig., ita loquitur: *Si quis, cùm aliter eum convenisset obligari, aliter per* MACHINATIONEM *obligatus est, erit quidem subtilitati juris obstrictus; sed* DOLI *exceptione uti potest; quia enim per* DOLUM *obligatus est*, etc. Item l. 1, ff. de Dolo malo, approbatur definitio Labeonis dicentis, DOLUM MALUM *esse omnem calliditatem, fallaciam,* MACHINATIONEM *ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* Vide etiam, si lubeat, Lexicon juridicum, verbo *Machinatio;* Petrum Gregorium in Syntagm. juris universi, l. 21, cap. 13, n. 4; Lessium de Just. et Jure, l. 2, c. 7, n. 23. Notau, Marchant, Chapeauville, Manigart in hunc casum.

510. Porrò machinatio in mortem conjugis duobus casibus dirimit matrimonium. Primus est sine adulterio, et solet appellari *homicidium solum.* Ad hunc requiritur, 1° machinatio vel conspiratio utriusque, id est, et conjugis et complicis. Quare si alter sine scitu vel consensu alterius occidat conjugem, non resultat impedimentum, c. *Laudabilem*, de Conv. infid. 2° Requiritur effectus mortis: quanquàm enim c. *Propositum*, c. *Significâsti*, *de Eo qui duxit*, tantùm fiat mentio machinationis, nihilominùs illud verbum cum effectu intelligendum est, nec imponuntur pœnæ nisi crimini consummato, si aliud non exprimatur verbis vel circumstantiis, ut omnes doctores tradunt, et colligitur ex c. *Laudabilem*, cit. et c. *Si quis vivente*, 31, q. 1, et Glossâ c. *Super hoc*, *de Eo qui duxit*, verbo *Machinata.* Non sufficit ratihabitio. Sufficiunt tamen jussio, consilium, auxilium in effectum mortis, c. *Laudabilem*, cit. Ratio diversitatis est quia ratihabitio non est causa actûs, sicut consilium, auxilium, jussio. 3° Requiritur in conspiratoribus intentio matrimonii; quæ conditio licèt non exprimatur per canones, tamen quòd debeat subintelligi, dictat ratio inducti impedimenti, videlicet ne conjux conjugis vitæ insidietur, ut eo liberatus contrahat cum personâ magis dilectâ. Vide Glossam, c. *Super hoc*, cit. verbo *Machinata.*

511. His conditionibus suppositis resultat impedimentum dirimens matrimonii inter conspirantes, eosque non egreditur. Perinde tamen erit, sive maritus cum feminâ, sive uxor cum mare conspiret in com-

partis mortem. De marito occidente conjugem nemo dubitat. De uxore occidente maritum nemo dubitare potest, qui legerit c. *Laudabilem*, ubi sermo est de uxoribus quæ mediantibus Sarracenis suos viros occiderunt; et c. *Si quis vivente*, 31, q. 1, ubi dicitur, impedimentum criminis non habere locum, *nisi fortè vir aut mulier virum qui mortuus fuerat, occidisse notetur*. Perinde est iterùm, sive conspirantium uterque fidelis sit, sive alter tantùm, idque etsi ad infidelis conversionem occisio tenderet, c. *Laudabilem*, cit. *cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit*.

512. Casus secundus quo machinatio in mortem conjugis dirimit matrimonium, est quando conjungitur adulterio, et solet vocari *adulterium et homicidium simul*. Ad hunc requiritur 1° adulterium consummatum per usum carnalem et voluntarium seu formale, probabiliùs in utrâque parte. Vide Sanchez, lib. 7, de Matrim., disp. 78, n. 12; Bosco, disp. 12, sect. 8, concl. 2; Herincx, p. 4, tr. 5, disp. 6, q. 9, n. 76. Requiritur 2° machinatio cum effectu mortis, c. *Si quis vivente*, 31, q. 1. Perinde est, uter delinquentium occidat conjugem, id est, adultera an adulter, c. *Significâsti*, c. *Super hoc*, c. *Veniens, de Eo qui duxit*. Perinde est pariter, sive uxor aut ejus complex, commisso adulterio, machinetur in mortem viri, sive vir aut complex ejus in mortem uxoris, c. *Si quis vivente*, cit. et aliis. Non requiritur conspiratio; quare sufficit inferri mortem per alterutrum delinquentium, c. *Significâsti*, cit. Non est etiam necessaria promissio futuri matrimonii, c. *Super hoc*, cit. Requiritur tamen 3° intentio matrimonii cum complice ineundi. S. Thomas 4, dist. 37, q. 2, art. 2, O, et S. Bonav. ibid., art. 2, q. 3, O, aliique theologi et jurisperiti, apud Sanchez cit. His conditionibus suppositis resultat impedimentum dirimens matrimonii inter adulteros, eosque non egreditur. Colligitur ex c. *Super hoc*, c. *Significâsti*, c. *Propositum*, c. *Veniens*, c. *Si quis vivente*, citatis, et c. 1, *de Convers. infid.*

§ 2. *Tenor casûs.*

513. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi nihil de hoc casu expressum legitur, nisi inducat conditiones *homicidii voluntarii*.

In Leodiensi reservatur *machinatio in mortem conjugis*.

§ 3. *Reflexiones.*

514. — 1. Non requiritur ad machinationem in diœcesi Leodiensi reservatam, ut mors vel vulnus effectu ipso subsequatur. Chapeauville, Marchant, Notau citati, Henno, Reflexionib. ad casus diœc. Leodiensis. Ratio est, quia, ut reflectit Notau, in machinatione non tam habenda est ratio materiæ, quàm artis ac doli. Sic ille. Ratio altera esse potest, quòd diversis casibus reserventur *machinatio in mortem conjugis*, et *homicidium voluntarium*; quod rectè fieri non videtur, si machinatio intelligatur cum effectu mortis : dùm enim semel reservatum est homicidium generatim, id est, cujusvis personæ, quid opus, deinceps reservare homicidium conjugis cum effectu ?

515. — 2. Ad machinationem reservatam non sufficit interior intentio seu voluntas, quantumvis efficax, seria, diuturna; ut à converso non sufficit solus actus exterior, et à mortali intentione separatus ob indeliberationem, ebrietâtem, phrænesim aut subitaneam passionem operantis.

3. Idem dicendum, si voluntas interior occidendi prodeat quidem in actum exteriorem, sed sine dolo, v. g., si quis pleno die et loco uxorem graviter percutiat aut vulneret, etiam animo occidendi; quia non censetur machinari, qui palàm et sine insidiis procedit. Chapeauville, Marchant, Manigart.

4. Ad incurrendum præsentem casum non sufficit, maritum pecuniâ mori, quòd ei periculosè laboranti non subvenerit uxor, secundùm debitum fidei conjugalis : tale enim delictum nimis impropriè vocatur machinatio in mortem conjugis. Gobat, n. 412.

5. Idem, si maritus præcipiat vel consulat tertio, ut uxorem per insidias ac dolum interficiat. Manigart cit.

516. — 6. Idem de illo qui insidiatur vitæ conjugis, quâcum contraxit bonâ quidem fide, sed impedimento dirimente, v. g., ligaminis, affinitatis, honestatis; quia est machinatio in mortem conjugis in solâ erroneâ opinione operantis. Manigart.

7. Idem, si maritus in castris aut alibi prostituat legitimam uxorem, quæ hâc occasione moriatur. Manigart.

8. Casum tamen reservatum incurrit, qui ex industriâ et proposito uxorem ducit in eum locum, in quo prævidet fore periculum mortis, sive ab infortunio naturali, sive à causâ liberâ, puta, militibus aut grassatoribus; Marchant cit.; quia licèt in supposito actionem illativam mortis non ponat personaliter maritus, est tamen personalis *machinatio in mortem* aliunde inferendam.

517.—9. Item casum reservatum incurrit, qui, v. g., gladium vespere abscondit sub cervicali, ut conjugem noctu interficiat; quantùmvis remisso postea furore, et in cor reversus, mutet propositum ac subducat instrumentum destinatæ mortis.

10. Idem à fortiori, si, durante priori proposito, conjux insidias subodorata, declinet conatum machinantis, fugâ vel invocato auxilio domesticorum.

11. Idem, si maritus uxorem valetudinariam jurgiis et improperiis lacessit ex motivo accelerandæ mortis. Marchant, Manigart, Notau.

12. Indifferens est ad reservationem, sive maritus machinetur in mortem uxoris, sive uxor in mortem mariti.

§ 4. *Objectiones solutæ.*

518. Objicies 1° contra primam reflexionem : Juxta regulam in hâc materiâ receptissimam et toties inculcatam, debet peccatum reservatum in suo genere perfectum et consummatum esse; consummari autem et perfici videtur machinatio per solam mortem : quare ut homicidium, sic machinatio reservari non videtur

ante secutum effectum mortis. — Respondeo negando minorem : est enim machinatio de genere illorum delictorum, quæ ipso conatu consummantur, adeò ut effectus mortis sit præter completam et consummatam naturam machinationis. Vide quæ desuper diximus in Prolegomenis, ubi exemplum dedimus in raptu, qui consummatum matrimonii impedimentum est per solam ejusdem intentionem ; si enim puella violenter abducatur causâ vel intentione ineundi matrimonii, resultat impedimentum dirimens, absque eo, quòd in executione matrimonium ineatur seu attentetur.

519. Objicies 2° : Machinatio in mortem conjugis, ab effectu separata non constituit impedimentum criminis ; ergo neque peccatum Leodii reservatum. — Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quòd ita de impedimento criminis, expresso jure determinatum sit, c. *Laudabilem*, de Conv. infidel. ubi dicitur : *Interrogâsti de Sarracenis, qui dùm in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros, earum insidiis et machinationibus* OCCIDERUNT ; et c. *Si quis vivente*, 31, q. 1 : *Nisi fortè vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat,* OCCIDISSE *notetur :* ubi Glossa, *Nota*, inquit, *quòd dicit,* OCCIDISSE ; *unde nisi machinatus fuerit cum effectu non impeditur.*

Objicies 3° : Saltem communis est crimini et casui ratio, quam assignat Glossa, cap. *Super hoc, de Eo qui duxit*, verb. *Machinata ;* ubi dicit : « Intellige cum « effectu, ut dixit c. *Si quis vivente*, quod dicit, *ma- « chinata ;* quia verba cum effectu sunt accipienda. » — Resp. verba intelligenda esse cum effectu, quem significant vel supponunt. Verbum autem *machinatio*, quod attinet impedimentum criminis, supponit effectum mortis, ex c. *Si quis vivente*, per Glossam adducto. Eumdem effectum excludunt circumstantiæ, cùm reservatur.

520. Objicies 4° contra reflexionem octavam : Ad reservationem requiritur, ut delinquens verè et propriè faciat seu committat peccatum reservatum ; ob quam causam consulens aut mandans homicidium, incendium et similia, non tenetur peccato reservato. Ergo etiam non incurrit peccatum reservatum machinationis, qui per dolum aut insidias est causa moralis uxoricidii per alterum physicè commissi. — Respondeo negando consequentiam : disparitas est, quòd machinatio per solum mortis conatum absolvatur, quantùm attinet reservationem ; ita ut effectus mortis, peccato consummato deesse possit. Conatum verò ponit physicè maritus in supposito.

521. Nihilominùs non est dubium, quin effectus mortis sit necessarius, sicubi superiores machinationem reservantes, se satis explicent, ut de diœcesi Constantiensi, refert Gobat, tract. 7, casu 8, n. 395, de Osnabrugensi, Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1641.

CAPUT XV.

DE MAGIA DIABOLICA.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS. — *Quid magia, maleficium, veneficium, sortilegium, incantatio, ligatura?*

522. De his omnibus necessariò præmittitur quæstio ; quia reservantur in novem diœcesibus nostris, non quidem singula in singulis, sed omnia in omnibus. Itaque inprimis quod attinet *magiam*, nomen *magorum* à barbaris ad Græcos, Latinosque traductum, initio Persis et Chaldæis in honore fuit, ut scribit S. Hieronymus in cap. 2 Danielis. Postea cœpit vergere in infamiam et cunctis malis artibus tribui ; quanquàm etiam hodiè duplicem *magiam* habeamus, unam naturalem, alteram diabolicam seu superstitiosam. *Naturalis*, est ratio operandi mirabilia sine dæmonis interventu. Hujus extant multæ regulæ et exempla apud Cardanum, de Varietate rerum, Alexium Pedemontanum, Baptistam à Portâ, et alios. Hæc magia, etsi per se mala non sit, periculosa est tamen ; quia humanum ingenium curiosis et inutilibus implicat ac sensim ducit ad superstitiosam.

523. *Magia diabolica* est ratio operandi mirabilia per signa, ope vel adjutorio dæmonis ; ut enim *magia naturalis* utitur naturalibus causis, ita *diabolica* seu *superstitiosa* signis, tanquàm causis moralibus, quibus dæmon allicitur et invitatur, ut faciat, quod magus postulat. Unde S. Augustinus, lib. 21, de Civit., cap. 6 : *Alliciuntur*, inquit, *dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus creavit ; non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cujusque delectationi congruunt, per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* Porrò tota hæc disciplina cum suis signis primùm ab ipso dæmone instituta est ; *neque enim potuit*, ut pergit Augustinus, *nisi ipsis* dæmonibus *docentibus disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur ; unde magicæ artes, earumque artifices exstiterunt.*

524. Interim primus hominum, per quem diabolus mundo hanc pestem infudit, secundùm Plinium, Justinum, Augustinum et alios, fuit Zoroastres, rex Bactrianorum, qui vixit temporibus Nini regis Assyriorum. Porrò *magia* peccatum est ex suo genere mortale, ex parvitate materiæ nunquàm leve. Toletus, Filliucius, Lessius, Sanchez, Diana apud Bassæum v. *Magia*, n. 2. Ratio est quia continet invocationem dæmonis tacitam vel expressam. Fieri tamen potest, ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ob agentis ignorantiam aut innocentiam, ut si quis non advertat tacitam illam invocationem dæmonis, quæ sæpè est valdè occulta. Plerùmque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cujus abstinere tenetur, donec pleniùs de re cognoverit ; quod si non faciat, peccat. Alioquin parvitas aut magnitudo rei non diversificat crimen invocati dæmonis, sicut nec modus invocationis, tacitæ scilicet vel expressæ. *Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quâdam pestiferâ societate hominum et dæmonum, quasi pacta infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitùs sunt repudianda et fugienda Christianis.* S. Augustinus, l. 2, de Doctrinâ christ., cap. 23. *Magia* dividitur ex parte finis, in noxiam et nugatoriam, ut Augustinus proximè citatus innuit Hæc tendit in nugatoriam ostentationem vel etiam in commodum proprium aut alienum ; illa respicit dam-

num alteri inferendum, et solet appellari maleficium, quo qui utitur, maleficus; qui læditur, maleficiatus dicitur.

525. Itaque *maleficium*, prout hoc loco sumitur, est *magiæ* species, quâ quis alteri ope dæmonis damnum parat. Ita Delrio, Disquis. magic., lib. 3, q. 4 et cæteri theologi. Dividitur tum ex parte efficientis, tum ex parte finis. Causa efficiens hìc non vocatur aut Deus permittens, aut magus cooperans, aut dæmon perficiens, sed instrumentum, materiaque nocendi. Itaque *maleficium* ex parte causæ efficientis est multiplex pro multitudine signorum, rerum, causarum, quibus *maleficus* utitur ad nocendum. Vide Delrio citatum. Ex parte finis dividitur in amatorium, et veneficum. Ita Toletus, lib. 4, c. 16, n. 3; Filliucius, tract. 24, c. 8, n. 182; Bassæus, verb. *Maleficium;* n. 1; Lacroix lib. 3, p. 1, n. 41. *Amatorium* est, quo provocatur et incenditur aliquis in amorem vel odium personæ determinatæ.

526. Quocirca tria possunt obiter reflecti. Primum, constare testimoniis Aristotelis, Theophrasti, Plinii, Galeni et aliorum, esse quasdam naturalium rerum, ut herbarum ac lapidum vires et facultates, quæ amoris et concupiscentiæ flammam incendere possint: sunt enim amor et concupiscentia facultatis sentientis affectiones, quæ vi spirituum et humorum excitari, crescere ac incendi, et contra remitti, minui et extingui possint. Alterum est, nullam tamen rebus naturalibus inesse facultatem, quæ incendere aut inclinare hominem possit in odium vel amorem respectu personæ determinatæ. Id igitur tribuendum est artificio dæmonis per *magum* evocati, qui memoriam et phantasiam hominis ad vagam et indeterminatam venerem vel odium jam incitati, continuò exhibitâ et impressâ imagine unius ejusdemque objecti, tamdiù fatigat donec vincat. Tertium est, nec dæmonem nec *magum* posse cogere aut necessitare voluntatem hominis maleficiati ad odium vel amorem.

527. Sollicitare possunt, commotis humoribus, phantasmate, imaginatione; compellere invitum nequeunt. Quare non excusantur à vero et formali peccato, qui amatorio philtro decepti, sequuntur motus amoris vel iracundiæ, quidquid protestantur, se invitos rapi. Filliucius, n. 184; Toletus, n. 5; Lacroix cit.; Henno in Decal., disp. 1, q. 4, art. 4, concl. 2; Bassæus cit.; Delrio, q. 3, de amatorio *Maleficio*, sect. 2; Azorius, Instit. Mor., p. 1, l. 9, c. 26, q. 1.

528. *Veneficium* seu maleficium *veneficum* est, quo directè intenditur alterius nocumentum, reale vel personale: reale, in ejus bonis, vastando vel destruendo segetes, vineas, arbores, animalia, ædificia; personale, in ejus personâ, quoad vitam, sanitatem, generandi potentiam aut usum matrimonialem. Hæc autem omnia, ut supra diximus, efficiunt venefici diversis mediis vel instrumentis, pulveribus contritis, in cibum potumve effusis vel nudo corpori affricatis, herbis, festucis, aliisque id genus frivolis in humum projectis, hálitu vel afflatu, imaginibus et ejusmodi aliis, quæ nullo modo sunt causæ naturales effectuum magicorum, sed solummodò conditiones deductæ in pactum dæmonis et magorum.

529. *Sortilegium* aliquando latè et generaliter sumitur pro *magiâ*, tanquàm species pro genere, ita ut quamlibet magicam superstitionem significet. Sic apud Plinium, l. 8, c. 4, sortilegiorum nomine intelligun tur vanæ omnes magorum persuasiones. Ita etiam sæpè accipitur in Jure canonico. Vide Azorium, Instit. Moral., p. 1, l. 9, c. 21; Valerium Andream, Synopsi Jur. can., l. 5, tit. 21; Layman, lib. 5, tract. 6, c. 12, n. 4. Aliquando sumitur speciatim et strictè pro inquisitione occultæ veritatis per usum *sortium*. In hunc modum sumitur 26, q. 1, 2, 3, 4 et 5, ac tit. de Sortilegiis. *Sortilegi sunt* (inquit Isidorius 26, q. 1, c. 1) *qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumque scripturarum inspectione, futura promittunt.* Porrò *sortes propriè dicuntur, cùm aliquid fit, ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat.* S. Thomas, q. 95, a. 8, O. *Sortilegium* ex parte finis ab omnibus theologis et canonistis post S. Thomam cit. numeratur triplex, divisorium, consultorium, divinatorium.

530. Vocatur *sors divisoria*, *si quæratur judicio sortium, quid cui sit exhibendum, sive illud sit res possessa, sive sit honor seu dignitas seu pœna aut actio aliqua.* S. Thomas. Itaque sors divisoria est simplex fortunæ casus, quo inquiritur vi pacti aut prævìæ conventionis, quid cuique dandum sit vel negandum, sive agatur de patrimonio seu hæreditate, sive de aliâ qualicumque re. Vocatur *sors divisoria;* quia tendit ad dividendum ac terminandum, quod alioquin est indivisum ac indeterminatum. Requirit pactum seu conventionem plurium (si quidem mittatur inter plures) quâ prævìè statuatur, quid hoc vel illo fortunæ casu agendum vel omittendum, dandum vel recipiendum, futurum vel non futurum Habet locum præcipuè in divisionibus, sponsionibus, ludis, electionibus.

531. Sortilegium *divisorium* per se loquendo non continet peccatum vel vitium, *nisi fortè... vanitatis;* S. Th. cit. Ratio est; quia eventus, ut supponitur, nec expectatur à Deo per tentationem, nec à dæmone per divinationem, nec à cœlis per influentiam; sed unicè à casu fortunæ juxta stipulatam conditionem. Imò jus civile variis in locis sortilegium *divisorium* approbat, l. *Sed cùm ambo*, 14, ff. de Judic., l. 3, c. *Commun.*, de Legat. § *Optionis*, Instit. de Legat., ad tollendas controversias ex mutuo consensu partium, quæ possunt privatam legem neutri parti injuriosam statuere, ut jus, quod dividi aliter nequit, nec omnibus applicari, per æqualem sortium incertitudinem terminetur.

532. Interim in electionibus ad dignitates ecclesiasticas et officia, usum sortium damnat Pontifex absolutè et sine restrictione, c. fin. de Sortilegiis. Ratio canonis est, quòd quæ intellectu et rationis delectu peragenda sunt, casui et fortunæ committi

non possint, ne contingat, indignos eligi et minùs habiles. Vide Suarez, de Superstit., c. 12, n. 5. *Sors consultoria* est, *si inquiratur* judicio sortium, *quid agere* oporteat. S. Thomas cit. Vocatur *consultoria;* quia tendit ad inquirendum, quid sit consultum, agere vel omittere. Hoc genere *sortium* sæpè usus est populus Hebræorum. Eodem usi sunt Apostoli, dùm in locum apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas, *sortibus* Mathiam elegerunt, Act. 1, vers. 26. Judicio *sortium* inventus est Achan, qui de anathemate aliquid sibi surripuerat, Josue 7. Similiter Saul *sorte* electus est, 1 Reg. 10. Saul quoque *sorte* deprehendit filium suum Jonatham, mel comedisse, 1 Reg. 14. Jonas propheta fugiens à facie Domini, *sorte* deprehensus est, et in mare dejectus, ut habetur Jonæ 1. Zacharias *sorte* exiit, ut incensum poneret, Lucæ 1. Nihilominùs *sortes consultoriæ* regulariter sunt illicitæ.

533. Quare meritò hic usus *sortium* reprehenditur à S. Augustino, epistolâ 119, c. 20, et à Leone IV, ad episcopos Britanniæ, ut refertur c. *Sortes*, 26, q. 5. Ratio est; quia regulariter desunt conditiones, aut saltem aliquæ earum, quæ requiruntur ad licitè explorandam voluntatem Dei per *sortilegium consultorium*. Has recenset S. Thomas cit., et adducit ad numerum quaternarium. Prima est, ut non fiat absque necessitate : quia *si absque ullâ necessitate ad sortes recurratur, hoc.... videtur ad Dei tentationem pertinere.* Deinde (inquit Lessius, l. 2, c. 43, dub. 9, n. 60) Deus non promisit, se has *sortes* temperaturum; ergo vanum est inducere in animum hanc esse Dei voluntatem, quam *sortes* indicant.

534. Imò etiam est periculosum; quia facilè se dæmon immiscet et hominem decipit. Secunda conditio est ut non fiat, nisi cum magnâ reverentiâ et præmissâ oratione. Quare peccatum erit, inquit S. Thomas, *si quis etiam in necessitate, absque reverentiâ Dei, sortibus utatur. Unde super actus Apostolorum dicit Beda : Sed si qui necessitate aliquâ compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu et precibus ad Deum fusis egisse.* Tertia conditio est ut non fiat *sortilegium* ex vano aut profano fine. Quare iterùm peccabitur juxta S. Thomam, *si divina oracula ad terrena negotia convertantur.*

535. Demùm quarta conditio est ut non fiat in electionibus ecclesiasticis. Unde peccabitur, inquit S. Th., *si in electionibus ecclesiasticis, quæ ex Spiritûs sancti inspiratione fieri debent, aliquis sortibus utatur.* Denique *sors divinatoria* est, quâ *quæritur quid sit futurum.* S. Th. Hæc omninò est illicita, et prohibetur, c. 1, de Sortilegiis, et 26, q. 5, c. *Non liceat*, c. *Sortes*, c. *Pervenit*, c. *Si quis*, c. *Contra*, c. *Episcopi.* Quibus locis prohibentur *sortilegia*, sicut aliæ divinationes et incantationes. Ratio est quia *sortis* illius moderatio expectari deberet vel à Deo, vel à cœlo, vel à casu, vel à dæmone. Non à Deo, qui id nullibi promisit et sæpè ostendit contrarium. Non à cœlo; id enim esset humanas actiones subjicere fato et à cœlorum influentiis suspendere. Non à casu; quia *sortes* in hunc vel illum modum cadentes nihil futuri præsignare possunt. Restat ergo ut ejusmodi *sortibus* præsideat solus diabolus, tanquàm earum rector et moderator.

536. *Incantatio* est invocatio dæmonis tacita vel expressa, per verba, ad agendum aliquid supra naturam. Lesana, Portel, Marchant, Crousers, Bassæus, Notau, et colligitur ex 26, q. 3, c. 1, ubi dicitur : *Incantatores verò vocati sunt qui artem verbis peragunt.* Eosdem eisdem verbis describit Hieronymus in c. 2 Danielis. Distinguitur incantatio à maleficio et veneficio, tum ex parte efficientis, tum ex parte finis. Ex parte efficientis quòd veneficium et maleficium fiant rebus, incantatio verbis, formalibus aut virtualibus, sacris vel profanis. Ex parte finis, quòd veneficium et maleficium tendant in alterius nocumentum, inferendum, vel, ut addunt alliqui, auferendum : incantatio autem respiciat effectum etiam adiaphorum, qui videlicet nemini noceat vel incommodet.

537. *Ligatura*, ligula, seu quod est idem, maleficium ligaminis, est usus signi sensibilis, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus. Id autem posse et solere magos, probatur, tum auctoritate canonum, tum communi sententiâ theologorum, tum praxi Ecclesiæ, quæ sic affectos post trienni irritam experientiam, adjunctâ septem testium juratorum manu, separare consuevit. Potest id naturaliter fieri castratione, elisione, ruptione, desiccatione, infrigidatione, et similibus, quæ, dæmon perfectè noverit, cur, Deo permittente, nequeat eisdem uti? Deinde contingit sæpiùs, ut qui nequit cum unâ, queat cum alterâ. Item ut nequeat cum eâ solâ quam maximè amat et deperit. Item, ut ablato duntaxat ligamine fiat maximè potens, qui antea nihil poterat.

538. Hujusmodi varietas ex causâ naturali provenire non potest. Provenit ergo ex prodigiosâ seu supernaturali, non divinâ : ergo angelica, non bonorum angelorum; ergo malorum. Porrò modi seu formæ, quibus in hoc genere maleficii, dæmon per magos utitur, penè sunt infiniti. Quidam malefici solummodò, ligulam sub certo murmure verborum nectunt; sed diabolus interea maleficium perficit, et sive virum, sive feminam impotentem reddit; sæpiùs tamen virum; forsitan ideò, quòd, ubi plus operis et instrumentorum requiritur, faciliùs contingat defectus et impedimentum.

539. Hujus impotentiæ causas proximas ad numerum septenarium doctores reducunt. Prima est grave odium operâ dæmonis inter conjuges excitatum. Secunda, interjectum obstaculum quo impediatur corporum approximatio; de quâ re historiam mirabilem ex Vincentio Belluacensi refert D. Antoninus. Tertia est spirituum vitalium remora seu prohibitio, ut non descendant ad membra generationis. Quarta est seminis prolifici desiccatio. Quinta est remissio superstitiosa rigoris, genitalibus necessarii ad actum matrimonialem. Sexta est locorum muliebrium restrictio, aut virilium fuga et recessus. Sepuma est usus superstitiosus rerum naturalium aut pharmacorum, qui-

bus aliquid virtutis inest ad eumdem effectum.

540. Cæterùm in omnes hujus generis homines jam olim gravissimas pœnas decreverunt tum pontifices, tum principes, ut in utroque jure manifestum est. Piissimi autem Belgarum principes prudenter admodùm suis edictis statuerunt, ut qui vagantur sub vulgari nomine Ægyptiorum, è nostris ditionibus semper exterminentur.

541. Deinceps Carolus V, gloriosæ memoriæ imperator, anno 1537, 5 februarii, et ejus filius Philippus rex Hispaniarum, anno 1560, 2 septembris, et in Addit. ad *Lætum introitum*, vetuerunt sub pœnâ confiscationis corporum et bonorum, ne ejusmodi homines eorumve asseclæ, quive se tales dicerent, aut eorum habitu uterentur, in suis ditionibus subsisterent aut versarentur. Idem Philippus edicto anni 1592, 20 julii (quod exstat in synodo Antuerpiensi) severè præcipit ut adversùs omnis generis sortilegos, genethliacos, astrologos judiciarios, maleficos et superstitiosos, omnes judices diligenter insurgant, prælati per pastores et concionatores populum instruant, judices seculares et ecclesiastici officio fungantur : hi secundùm canones et constitutiones apostolicas; illi secundùm leges et edicta. Eidem pesti remedium præscripsit anno 1607. Synodus provincialis Mechliniensis, tit. de Superstitione; quam pientissimi Belgarum principes Albertus et Isabella confirmantes, decreti desuper expediti anno 1608, articulo 13, statuerunt, ut nemo ejusmodi superstitiosis prædictionibus se addicat, nemo addictum consulat, sub exilio perpetuo gravibusve pœnis.

§ 2. *Tenor casûs.*

542. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Mechliniens simpliciter reservatur *sortilegium*.

In Cameracensi reservantur *maleficia*. *per quæ maleficus pacto expresso vel implicito cum dæmone, alicui in animâ, corpore, famâ, honore, rebus et aliis quibuscumque reipsà nocet, quocumque modo id faciat, sive signis, ligaturis, characteribus, imaginibus, verbis, seu quibusvis rebus.*

In Coloniensi *sortilegia, veneficia, ligatura et omne maleficium quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus.*

In Gandavensi Instructio pro confessariis simpliciter habet : *Sortilegium;* sed Pastorale : *per sortilegium*, inquit, *intellige, per quod maleficus vel venefica, pacto expresso vel implicito cum dæmone, immediatè vel mediatè seu per tertiam personam scienter inito, alicui in animâ, corpore, famâ, honore, rebus, et aliis quibuscumque reipsà nocet, quocumque modo id fiat, sive signis, ligaturis, characteribus, imaginibus, verbis seu quibusvis rebus.*

In Leodiensi, *veneficium, maleficium, incantatio.*

In Namurcensi, *sortilegium, ligatura et omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus.*

In Ruræmundensi, *maleficia, per quæ maleficu pacto expresso vel implicito cum dæmone immediatè vel mediatè, scienter inito, alicui in animâ, corpore, famâ, honore, rebus, et aliis quibuscumque reipsà nocet.*

§ 3. *Reflexiones.*

543. — 1. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Mechliniensi videtur poni species pro genere, *sortilegium* pro magiâ vel superstitione generatim sumptâ. Steyaert, de sacramento Pœnitentiæ, § 14, de Casibus reservatis, n. 12 : *Sortilegium*, inquit, *ponitur pro magiâ, ejusque speciebus; unde magi et sagæ vocantur sortiarii.* Van Vyve, tract. de Cas. res., § 11, sortilegium, inquit, hìc ponitur pro magiâ, uti species pro genere; quod insuper alias habet sub se species, quales sunt divinatio, augurium, aruspicium. Franciscus Maria, p. 3, tr. 5, c. 4, § 3; Dayman, l. 5, tr. 6, c. 12, de Sacram. Pœnit., n. 4 : *Sortilegium*, inquit, sive *magiæ exercitium, sicuti colligunt DD. ex Extrav. Inter cunctas de Privilegiis.*

544. Ratio est; quia *sortilegium* à tempore immemorabili consuevit episcopis reservari; testatur enim Benedictus XI, Extrav. cit., jam tum receptam et canonicè præscriptam consuetudinem fuisse, quâ in variis episcopatibus *sortilegium* reservabatur episcopis. Ex illâ eâdem consuetudine videtur usu quodam continuato descendere præsentis casûs reservatio et expressio in illis Belgii diœcesibus, in quibus simpliciter reservatur *sortilegium* : sic enim non videtur dubitandum, quin casus reliqui, eâdem olim consuetudine reservati, continuato quodam usu remanserint sub eodem significato, pro illis diœcesibus, in quibus etiam reservantur sub eodem signo vel tenore verborum : id est, Benedictus XI, Extravag. cit., approbat consuetudinem reservandi jam tum præscriptam, saltem quod attinet *voluntarios homicidas, falsarios, Ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiasticæ violatores, et* SORTILEGOS.

545. In diœcesibus Antuerpiensi, Mechliniensi, etc., reservatur usque in hodiernam diem *homicidium voluntarium*. In Tornacensi reservatur *crimen falsi;* in Cameracensi et Ruræmundensi *violatio ecclesiasticæ libertatis et immunitatis*. Manifestum est, in hisce diœcesibus, memoratos casus eisdem ferè terminis exprimi, quibus leguntur expressi in Extravagante Benedicti XI, ut non videatur dubitandum quin ex illâ consuetudine descendat in iisdem episcopatibus, eorumdem illorum casuum reservatio et expressio. Quæro igitur, an homicidium voluntarium, crimen falsi, violatio ecclesiasticæ libertatis et immunitatis rectè non intelligantur eodem sensu, quo nuper intelligebat consuetudo, de quâ Benedictus? Videtur certum; quia synodus vel episcopus eumdem terminum à prædecessoribus continuatâ serie usitatum retinens, pergit pariter in eodem significato, nisi contrarium exprimat verbis aut circumstantiis.

546. Hinc tandem infero, *sortilegium* simpliciter et sine addito reservatum, eodem sensu accipiendum esse, quo intellexerunt olim Pontifex et consuetudo. Atqui non intellexerunt determinatè et præcisè unam speciem divinationis superstitiosæ, consistentem in usu *sortium*. Probatur communi doctorum judicio : sic

enim inter infinitos alios Reginaldus, Praxis fori pœnit., l. 1, c. 11, n. 136; Comitolus, Resp. Moral., l. 1, q. 25; Tannerus, tom. 4, disp. 6, q. 9, dub. 4, n. 81; Henriquez, l. 6, c. 13, n. 5, per *sortilegium* (de quo Pontifex sup.) intelligunt divinationem universim seu genericè sumptam. Layman sup., Barbosa de Officio et Potest. episc., alleg. 51, n. 3, Toletus, l. 3, c. 14, n. 5; Baunius, Theol. mor., p. 1, tr. 4, q. 29, sub eodem vocabulo *sortilegium* intelligunt artes magicas, divinationes, superstitiones.

547. Dices Extravagantem, *Inter cunctas* cassatam et revocatam esse per Clementinam, *Dudùm*, de Sepulturis. — Respondeo, non tamen quoad acceptionem vocum. Porrò quæ diximus, non habent locum in illis diœcesibus, in quibus colligitur ex contextu aut aliis realibus circumstantiis, *sortilegium* pro determinatâ specie *magiæ* usurpari, de quo infra.

548. — 2. In Cameracensi, Gandavensi et Ruræmundensi reservatur solummodò *maleficium* seu superstitio, quæ ordinatur ad nocumentum alteri inferendum. Ad hoc autem requiritur inprimis pactum cum dæmone. Pactum verò tribus præsertim modis dividitur. Primò aliud est expressum, aliud tacitum seu implicitum. Expressum est quo directè per verba vel signa verborum vicaria fit compositio seu contractus cum diabolo. Pactum tacitum seu implicitum est, cùm quis deliberatè rebus aut verbis utitur, ad effectum certò et efficaciter intentum indifferentibus, sine dæmonis directâ invocatione : cùm enim causa cum effectu (ut supponitur) nullam habeat connexionem, sive ex rei naturâ, sive ex Dei ordinariâ providentiâ, censebitur operam dæmonis tacitè et in actu exercito invocare, qui nihilominùs effectum ab eâdem causâ certò vel probabiliter expectat. S. Thomas, q. 95, art. 2 et art. 5, ad 2; Suarez, l. 2, de Superstit., c. 9; Sanchez, l. 2; Mor., c. 38, n. 3 et 4.

549. Nec refert quòd nolit seu potiùs non velit operans invocare dæmonem; quia invocat eo ipso, quo media tam inutilia adhibet. Unde (inquit Suarez, n. 13) interdùm per crassam ignorantiam seu inadvertentiam contingit, homines contraria velle, unum in se et formaliter, aliud in alio et virtute, et sic, ait in casu contingere : quamvis enim vanâ ejusmodi causâ utens, dicat explicitè se nolle pactum cum dæmone, vult tamen illud implicitè : quia vult uti illis mediis ex se inutilibus et vanis ad illum effectum, quasi forent utilia, cùm tamen utilitatem habere nequeant, nisi dæmonis interventu. Ita Suarez cit., quem sequitur Sanchez, cit. n. 4.

550. Secundò dividitur pactum in solemne et simplex. Hoc fit privatim sine pompâ et strepitu. Illud cum certis cæremoniis, convocatâ sagarum ac dæmonum multitudine, et præsidente, in formâ visibili, rectore tenebrarum; de quibus Alphonsus à Castro, l. 1, de justâ hæreticorum punitione, cap. 14 et 16; Sprengerus, Delrio, Binsfeldius, Chapeauville, Manigart, Paradis, fusissimè. Tertiò dividitur pactum in mediatum et immediatum. Hoc initur proximè et in propriâ personâ cum diabolo. Illud fit, dùm aliquis, v. g., veritus præsentiam dæmonis, adhibet magum, tanquàm procuratorem, suo nomine contracturum.

551. Perinde est ad reservationem in diœcesibus supra expressis, qualecumque fuerit pactum, dum modò voluntariè et *scienter* initum. Denique requiritur ad reservationem, ut mediante simili pacto inferatur alicui nocumentum in animâ, corpore, famâ, honore, rebus, aut aliis quibuscumque.

552. *In animâ*, ut si quis alterum per superstitionem dementat aut usu rationis privat. *In corpore*, si cui vitam aut sanitatem tollas : doloribus, scabie, morbis, impetigine afficias. *In famâ*, si alterius occultum crimen interventu dæmonis evulgetur. *In honore*, ut si maleficus quemquam ludibrio objiciat, impactis manu invisibili colaphis, etc. *In rebus* fortunæ, armento, grege, pecore, frugibus, ædificiis, *aut quibuscumque aliis*, v. g., usu matrimoniali per maleficium ligaminis : quocumque modo aut medio, per insufflationem, infusionem, unctionem, tactum, pulverem, signa, ligulam, nexum, characteres, imagines, grandinem, tempestatem, ventum, imbrem, mures, locustas, etc.

553. — 3. In Coloniensi reservatur primò *veneficium*, quod licèt in materiâ superstitionis, ut supra diximus, usurpari propriè soleat pro determinatâ specie *maleficii;* sunt nihilominùs auctores aliqui, qui sub hoc termino reservari putant *veneficium*, etiam naturale, cùm scilicet alicui sanitas aut vita tollitur sine concursu dæmonis per venenum. Ita censent Chapeauville, Marchant, Manigart, Notau, Paradis. Secundò in eâdem diœcesi reservatur *sortilegium*, non jam pro genere magiæ vel superstitionis sumptum; sed pro specie divinationis, ut ex realibus circumstantiis colligitur; cùm enim expressis terminis illic tres superstitionis seu magiæ diabolicæ species reserventur nimirùm *sortilegium, veneficium, ligatura*, satis significatur, harum nullam pro genere accipi. Tertiò reservatur *ligatura*, seu nexus superstitiosus ligulæ, *et omne maleficium quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus.*

554. Perinde est ad reservationem, quocumque medio utatur magus, aut quocumque modo, per invocatum dæmonem inducat impotentiam coeundi, sive prohibendo accessum corporum per interjectum phantasma aut violentam retentionem; sive turbando imaginationem viri, exhibitâ mulieris specie tanquàm tetricâ et abominabili; sive laxando rigorem necessarium partis; sive abscondendo organum generationis, ut fugiat sensum; sive stringendo mulierem, ut virum admittere nequat; sive impediendo descensum seminis. Cæterùm, dæmonem ad hoc genus maleficii solâ ligulâ non moveri, testatur auctor dæmonomaniæ (damnatæ tamen lectionis), l. 4, de Nat. dæmon., asserens reperiri ritus plures, quàm quinquaginta, quibus id possit ac soleat fieri. Sprengerus, Binsfeldius, Delrio.

555. — 4. In Leodiensi reservantur primò, *veneficium*, de quo supra; secundò, *maleficium*, etiam quod ordinatur ad excitandum in maleficiato carnalem amo-

rem; tertiò, *incantatio*, in quemcumque finem.

5. In Namurcensi præter *ligaturam* et *sortilegium* olim reservari solebat *veneficium*, ut perspicuum est ex synodo diœcesanâ, publicatâ à reverendissimo ac illustriss. D. Engelberto Desbois, 7 junii 1659, tit. de Sacram. Pœnit., apud Paradis de Cas. res.; p. 2, c. 3; Bassæum ad calcem sui operis, Joannem à S. Thomâ, Doctrinæ christianæ, p. 3, cap. 1, § 11; Bonæspei tract. 5, de Pœnit. sacram., disp. 10, dub. 3, Verùm de facto juxta novissimas confessariorum Instructiones, litteris approbatoriis insertas non reservantur, nisi *maleficium* ligaminis, *quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus*, et *sortilegium* speciatim sumptum.

§ 4. *Corollaria.*

556. — 1. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Mechliniensi reservantur *veneficium* superstitiosum, *maleficium* etiam amatorium, *incantatio*, *ligatura*, *sortilegium* seu *divinatio per sortes* : non tamen *veneficium* naturale, nisi habeat conditiones *homicidii voluntarii*.

2. In Cameracensi, Coloniensi, Gandavensi, Namurcensi, Ruræmundensi non reservatur *magia* generatim sumpta, nec *incantatio* saltem nugatoria, *ars notoria*, *observantia sanitatum*, *observantia eventuum*, *necromantia*, *aruspicium*, *geomantia*, *hydromantia*, *aeromantia*, *pyromantia*, *chyromantia*, *astrologia judiciaria*, etc. Imò in iisdem diœcesibus reservari non videtur *maleficium* amatorium, quatenùs præcisè tendit in excitandum alterius carnalem amorem.

557. Dices : *Maleficium* amatorium videtur verum *veneficium* esse; quia infert maleficiato nocumentum per adjutoriorum dæmonis; plerùmque enim aut saltem sæpissimè in rabiem desinit, lædit patientis intellectum, imaginationem seu phantasiam turbat; imò ipsam etiam voluntatis libertatem, etsi non tollat, minuit tamen. Respondeo, nihil horum directè intendi per *maleficum*, quemadmodùm contingit in *veneficio*.

3. In Cameracensi, Gandavensi, Leodiensi, Ruræmundensi non reservatur *sortilegium*, sive generatim sumptum pro *magiâ*, sive speciatim pro usu *sortium*.

558. — 4. In Coloniensi et Leodiensi reservatur *veneficium*, quo nomine, ut supra diximus, auctores plurimi intelligunt utrumque, tum naturale, tum superstitiosum. Ex quo iidem auctores colligunt, casum *veneficii* reservati incurrere præter magos veneficos, non solùm qui alicui propinant venenum, verùm etiam laniones, salsamentarios, œnopolas et id genus similes, qui ignoranti emptori scienter vendunt corruptum vinum, pharmacum vel obsonium, ex quo sequatur nocumentum grave. In hos et similes graviter invehitur Damhouderius, Praxis crim., cap. 74, n. 19, « Tanta, inquit, passim permittitur his in rebus licentia, ut, si ita in suis maleficiis pergere sinantur, plures tandem, quàm ipsi carnifices sustulerint. »

559. — 5. In nullâ diœcesi casus *maleficii* aut *veneficii*, seu naturalis, seu superstitiosi incurritur, si nullum reipsà nocumentum secutum fuerit, ex quolibet capite contigerit, signum ab effectu separari.

6. Ad *veneficium* superstitiosum non requiritur venenum vulgare et strictè sumptum; quia doctores communiter sub *veneficio* comprehendunt casum, quo infertur nocumentum tertio per adjutorium invocati dæmonis, quocumque modo aut medio.

560. — 7. In nullâ diœcesi casum reservatum *maleficii* amatorii aut incantati dæmonis incurrisset Cyprianus ante conversionem suam, apud Greg. Nazianz. Orat. in Cyprian. Ratio est quia maleficium erat incompletum; cùm enim Justinam christianam virginem, quam juvenis quidam ardenter amabat, cantionibus ac veneficiis ad ejus libidinis assensum allicere conaretur; dæmonem consuluit, quànam id re consequi posset; cui dæmon respondit, nullam ei artem processuram adversùs eos qui verè Christum colerent. Quo responso commotus, dimisit artes magicas, et Christum secutus est.

8. In diœcesibus Cameracensi, Gandavensi, Ruræmundensi, per nocumentum *in animâ* non videtur intelligi nocumentum vel damnum morale, consistens in peccato mortali; sed naturale, per phrænesim, dementiam, etc.

561. — 9. Perinde est ad *veneficium*, *maleficium*; *ligaturam*, etc., sive signum magicum per semetipsum maleficus paraverit seu confecerit, sive in hoc ipsum usus fuerit operâ sortiarii; si tamen applicet ipse, et effectum obtineat.

10. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Mechliniensi, Leodiensi, peccato reservato tenentur qui verbis, orationibus, exorcismis superstitiosis homines aut pecora sanant, nisi excuset simplicitas aut ignorantia. Item, qui scedulas gestant aut servant, quibus indurentur aut adversùs arma reddantur impenetrabiles, secuto usu. Item, qui sic induratos, reciprocâ *incantatione* emolliunt. Item, qui canibus quocumque verborum tenore interdicunt latratu. Item, qui certâ verborum mussitatione hominem sistunt, aut armorum impetum et vim elidunt.

CAPUT XVI.

DE MATRIMONIO POST VOTUM CASTITATIS.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS PRIMA. — *Qualiter peccet, et ad quid teneatur qui contrahit matrimonium post emissum votum simplex castitatis?*

562. Respondeo : Inprimis extra controversiam est non peccare si votum fuerit duntaxat temporaneum, cujus terminus jam elapsus sit; aut si fuerit suspensum à conditione quæ non est impleta; aut si fuerit castitatis imperfectæ, prohibens solummodò usum veneris extramatrimonialis.

563. Secundò, similiter non peccat, qui emisso perfectæ castitatis voto matrimonium contrahit cum virgine vel viduâ bonæ famæ, quam voti omninò nesciam defloravit matrimonii promissione, nec potest inducere, ut suo juri renuntiet. Ratio est quia executio voti (quod attinet abstinentiam à conjugio) facta est illi illicita, cùm vergat in injuriam puellæ, ut passim doctores tradunt. Quare non solùm potest, verùm etiam debet per se loquendo inire matrimonium cum

deceptâ, non vinculo promissionis, sed titulo damni, aliter irreparabilis. Vide Lessium, l. 2, c. 10, dub. 4; Sanchez de Matrim., l. 1, disp. 45, n. 3; Bosco, disp. 11, sect. 1, concl. 13. Nihilominùs obligatur, contracto matrimonio, implere votum, quantùm potest sine præjudicio compartis, nisi dispensatio obtineatur. Vide Sanchez, n. 1.

564. Tertiò non peccaret qui eodem voto obligatus contraheret matrimonium, animo non consummandi de consensu compartis, v. g., simili voto se obligantis ad perpetuam continentiam, dummodò abesset periculum copulæ vel alterius immunditiæ. Ratio est quia vinculum matrimonii per se spectatum, non est formaliter contrarium castitati, sed solùm radicaliter seu virtualiter, in quantum scilicet ad copulam ordinatur; atque adeò contrahens non peccat contra votum, nisi vel per intentionem vel per periculum carnalis copulæ. Proinde hoc utroque secluso, id est, et intentione et periculo libidinis, votum non impediet matrimonium. Aliud foret de voto non nubendi.

565. Quartò, non peccabit, si ex justâ et rationabili causâ matrimonium ineat animo intrandi religionem infra primum bimestre, etiam comparte desuper non prænonitâ. Justa et rationabilis causa erit primò si compellatur ad contrahendum notabili metu (qui tamen contractum relinquat validum) famæ vel vitæ. Secundò, si id faciat ad legitimandam prolem ante susceptam. Tertiò, si non possit aliter evadere custodiam parentùm, qui eum detinent ne ingrediatur religionem. Quartò, si aliàs grave scandalum timeretur. Ita Navarrus, c. 17, n. 30; Sanchez, l. 1, disp. 43, n. 8; Bosco, disp. 12, sect. 2, concl. 1, n. 12; Lessius, sup. n. 51.

566. Quintò, qui absque simili causâ matrimonium contrahit animo intrandæ religionis ante usum carnalem, etiam comparte desuper non prænonitâ, non peccat contra votum suum, si caveat periculum libidinis. Ita Sotus et Sylvester, quos citat et sequitur Navarrus supra. Ratio est ex dictis; quia matrimonialis contractus secundùm se consideratus non repugnat castitati. Sed dubitatur, an ita contrahens non delinquat contra justitiam vel charitatem respectu compartis? Negant Angelus, Cajetanus, Ledesma et nonnulli alii apud Sanchez, disp. 45, n. 6.

567. Ratio hujus opinionis est, primò ex c. *Ex publico*, de Convers. conjug., ubi recens conjugatis conceditur spatium duorum mensium, quo possint ingredi religionem. Itaque qui animum ingrediendi religionem habet, cùm contrahit, nemini injuriam facit, sed utitur suo jure et privilegio per Ecclesiam concesso. Confirmatur quia possum intendere citra injuriam, quod possum citra injuriam facere. Possum autem citra injuriam ingredi religionem post contractum matrimonium, quamdiù non est consummatum; ergo id ipsum licitè et sine injuriâ intendo ab initio. Deinde servatur utrinque æqualitas; quia idem licitum est comparti. Probatur secundò ex c. *Commissum*, de Sponsalibus, ubi dicitur eum qui puellæ sponsalia juraverat, et postea volebat ingredi religionem, tutiùs facturum, si ante contraheret, post ingrederetur. Denique aliàs, qui tali animo contraxisset matrimonium non posset postea intrare religionem ne injuriam quam intendisse supponitur contrahendo, ipso effectu compleat.

568. Interim opposita sententia sicut communior, ita videtur verior, videlicet peccare mortaliter, qui tali intentione contrahit. Auctores pro hâc sententiâ magno numero refert Sanchez, n. 7. Ratio est quòd contractus tali intentione celebratus videatur graviter repugnare charitati, quatenùs continet gravem deceptionem conjugis, quæ, si tale propositum initio cognovisset, consensum certò non præstitisset. Quæ ratio, ut per se patet, etiam habet locum in casu quo votum castitatis, contractum non præcessit.

569. Ad primum primæ opinionis fundamentum respondeo: C. *Ex publico*, conceditur spatium duorum mensium ad deliberandum an status religiosus, Deo vocante, alterutri aptior non sit futurus; sed nulla datur licentia decipiendi conjugem, nulla celebrandi matrimonium ex antecedenti et determinatâ intentione capessendæ religionis. Sic c. *Non solùm*, de Regularibus, in 6, et in concilio Tridentino, sess. 25, de Reg., cap. 15, statuitur ut ad professionem religiosam nemo recipiatur, nisi expleto anno probationis. Est igitur novitio liberum, toto illo anni spatio religionem deserere et redire ad seculum? Estne pariter liberum, eâ intentione religionem ingredi? Non dubitamus quin graviter peccaturus sit, qui nullam habens rationem, ingreditur novitiatum præmeditato et determinato animo redeundi ad seculum, aut intrandi deinceps aliam religionem; id enim est illudere religioni.

570. Nego itaque quòd suo jure utatur qui ita contrahit. Potest quis intendere quod potest facere, eo modo quo potest facere: id est, sicut conjugatus matrimonio nondùm consummato, potest religionem ingredi, si eò per Deum vocatus fuerit; sic potest ab initio ingressum intendere sub eâdem conditione. Sicut novitius potest egredi novitiatu, si experientiâ discat statum religiosum sibi non competere; sic potest egressum statuere ab initio sub eâdem conditione. Sed neutro casu potest præcedere absoluta et determinata intentio. Nec servatur utrinque æqualitas; quia unus contrahit dolosè; altera, bonâ fide.

571. Ad secundum respondeo, c. *Commissum*, sermonem esse de eo, qui nihil statuerat de intrandâ Religione, sed dubitabat; et tamen juraverat se contracturum cum aliquâ matrimonium ad certum diem. Hic certè tenebatur contrahere urgente juramento; quia non habebat determinatum propositum Religionis, quo excusaretur.

Ad tertium respondeo negando sequelam; quia non facit injuriam, nisi contrahendo, ut facilè intelligitur exemplo novitiatûs.

572. Sextò, qui post votum perfectæ castitatis, matrimonium contrahit cum intentione vel periculo consummandi, 1° per se loquendo mortaliter peccat. 2° Peccat mortali sacrilegio, petendo debitum conjugale:

non enim (ut loquitur doctor Seraphicus, 4, dist. 38, art. 2, q. 1, ad 3) absolvitur à voto, *nisi in quantum jus matrimonii compellit eum agere contra votum; sed non compellit jus matrimonii debitum petere; quia hoc est libertatis, sed solùm solvere; ideò dico quòd potest sine peccato solvere; quia facit id, ad quod tenetur : nunquàm tamen potest sine peccato petere.* 3° Peccat reddendo debitum matrimoniale ante lapsum bimestris. Ratio est quòd compars antea jus nullum habeat exigendi debiti; ergo vovens nullum titulum reddendi : nam licentia reddendi fundatur in jure exigendi, videlicet quia petenti fiet injuria, si non reddatur. Vide Bosco, disp. 12, sect. 2, concl. 1, num. 63, ubi vocat hanc doctrinam communem. 4° Elapso bimestri, licitè consummat matrimonium, reddendo debitum. Bosco sup., Sotus, Corduba, Angelus et alii recentiores, quos sequitur Lessius, n. 52.

573. Ratio est quia non potest declinare obligationem reddendi debiti post bimestre, nisi per ingressum in Religionem : ad hunc autem obligari non videtur; quia Religio nec est medium ordinarium, nec objectum illius voti, quo sola castitas promissa supponitur. 5° Si conjux committat adulterium, tenetur alter, qui votum castitatis habet, non illi ampliùs reddere debitum.

574. Ratio est quia debet implere votum, quantùm potest sine injuriâ conjugis. 6° Qui vovit, committit sacrilegium per adulterium, imò per quemlibet actum, internum vel externum castitati contrarium, qui non respicit matrimonium. Ratio est quia per votum omnem sibi libidinem interdixit : hæc sola permittitur occasione matrimonii supervenientis, quæ requiritur ad satisfaciendum juri compartis. 7° Mortuâ conjuge, redit votum in suum statum primævum et adæquatam perfectæ castitatis obligationem. Vide Sanchez, l. 9, disp. 33, num. 11.

Quæstio II. — *Quid sit, et quale peccatum, contrahere matrimonium in gradibus prohibitis?*

575. Respondeo : Contrahere in gradibus prohibitis, est inire matrimonium cum impedimento dirimente, quod gradibus aut lineis mensurari solet. Ita Barbosa, de Off. et Pot. episc., part. 3, alleg. 51, n. 153. Impedimenta ejusmodi, ut ex usu et intellectu communi recenset idem Barbosa, sunt quinque. Primum, est cognatio naturalis seu carnalis, aut consanguinitas, quasi sanguinis unitas. *Prohibet* et dirimit matrimonium usque ad quartum gradum in omni lineâ.

576. Secundum, est cognatio spiritualis seu conjunctio personarum proveniens ex sacramentis Baptismi vel Confirmationis. *Prohibet* et dirimit matrimonium inter baptizantem vel confirmantem, et patrinos ex unâ, baptizatum vel confirmatum et parentes ex alterâ parte. Tertium, est cognatio legalis seu civilis, id est, conjunctio seu propinquitas proveniens per adoptionem; quæ qualiter matrimonium prohibeat, vide apud Barbosam, n. 189, et alios quos adducit. Quartum, est affinitas seu vinculum personarum proveniens ex copulâ carnali. *Prohibet* et dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, si proveniat ex copulâ licitâ; usque ad secundum, si ex illicitâ. Quintum, est publica honestas, seu propinquitas personarum resultans ex sponsalibus vel matrimonio. Resultans ex sponsalibus validis dirimit matrimonium in primo gradu tantùm. Resultans ex matrimonio rato, etiamsi invalido, dummodò aliter quàm ex defectu consensûs, dirimit subsequentia sponsalia et matrimonia usque ad quartum gradum inclusivè.

577. Cæterùm scienter et liberè contrahentes cum impedimento dirimente, secundùm omnes doctores mortaliter peccant; quia in re gravi contraveniunt præcepto naturali, divino vel ecclesiastico : nam licèt dari possit lex irritans, quæ non sit prohibens, ut à converso, prohibens, quæ non sit irritans; nihilominùs impedimenta quæ matrimonium irritant similiter prohibent; quoniam irritant ob incedentiam facti. Vide Suarez, l. 5 de Legibus, c. 20, n. 5; Sanchez, l. 7, disp. 5, n. 1; Bosco, disp. 12, sect. 1, conclus. 6, n. 225. Ob hanc causam in jure appellantur gradus prohibiti, in quibus nimirùm matrimonium *prohibetur*, dùm irritatur. Secundò, præter peccatum inobedientiæ videntur committere peccatum contra religionem et reverentiam sacramenti, maximè si contrahant in facie Ecclesiæ. Vide Coninck, disp. 33, de Imped. matrim., dub. 2, n. 18; Aversa, quæst. 9, sect. 5; Bosco, n. 234. Tertiò, si intendant simili matrimonio uti tanquàm legitimo, peccant contra castitatem, idque peccato saltem virtualiter multiplici, quatenùs volunt tacitè vel expressè manere in continuo statu vel periculo peccati, sicut qui decernit vivere cum concubinâ.

Quæstio III. — *Qualis requiratur notitia de morte prioris conjugis ad licitè ineundum secundas nuptias?*

578. Respondeo requiri moraliter certam. Sanchez, lib. 2, disp. 46, n. 6; Bonacina, de Matrim., q. 3, puncto 10, num. 12; Bosco, disp. 12, sect. 12, concl. 2; Herincx, p. 4, tr. 4, disp. 4, q. 3, n. 34; Sotus, Valentia, Peres, Rodriguez, Covarruvias et plures alii apud citatos, contra nonnullos. Probatur ex jure canonico, c. *In præsentiâ*, de Sponsalibus, ubi Clemens III per episcopum Cæsaraugustanum consulitur, *quid agendum sit de mulieribus quæ viros suos causâ captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint : nec* CERTIFICARI *possunt de vitâ vel de morte ipsorum, licèt super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem*, etc. Respondet Pontifex : *Quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare : nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

579. Hinc colligitur primò, non sufficere solam famam, aut absentiam septennii vel alterius longioris spatii; sed necessarium esse *certum* de morte *nuntium*, non in masculino, sed in neutro genere. Colligitur secundò requiri certam notitiam vel certum nuntium, non solùm pro foro externo, verùm etiam pro foro conscientiæ, cùm de utroque loquatur Pontifex, et de conjuge, et de judice, *non possunt, nec permittas.*

580. Idem manifestè colligitur ex c. *Dominus*, de Se-

cundis nuptiis, ubi Lucius III, Christianos in Sarracenorum captivitate detentos monet *super matrimoniis quæ quidem* eorum (*nondùm habitâ obeuntis conjugis* CERTITUDINE) *contraxerunt... ut nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei* CONSTET *quòd ab hâc vitâ migraverit conjux ejus.* Hìc iterùm requiritur certitudo, requiritur ut *constet* de morte conjugis. Dicitur autem *constare*, quod verificari potest sive per instrumenta aut testes, sive etiam per sententiam aut aliam claram probationem. Henriq., Mascard., Bald. et alii apud Barbosam, tract. de Dictionibus usu frequentioribus, dictione 66, n. 6. Ratio canonum et doctrinæ communioris est periculum adulterii et nullitatis secundi matrimonii, si ineatur cum dubio aut solùm probabili conjecturâ de morte conjugis.

581. Objicies c. *Quoniam, ut lite non contestatâ*, ubi dicitur : *Si de carnali conjugio sit agendum, tamdiù alteruter conjugum exspectetur, donec de ipsius obitu* VERISIMILITER PRÆSUMATUR : et c. *Cùm per bellicam*, 34, q. 2, ubi dicitur non esse culpabilem *qui personam ejus mariti, qui jam non esse* EXISTIMABATUR, *assumpsit.* Sufficit ergo *verosimilis præsumptio* vel *existimatio* de compartis obitu.—Respond. cum Hostiensi, et Sanchez, n. 9, textus illos intelligendos esse juxta c. *In præsentiâ*, ut ea sola existimatio vel verisimilis præsumptio sufficiat, quæ vel per certum nuntium, vel alias probationes æquivalentes certificata fuerit.

§ 2. *Tenor casûs.*

582. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi nihil de hoc casu legimus.

In Leodiensi reservatur *matrimonium contractum post votum castitatis, aut in gradibus prohibitis scienter, vel priori uxore adhuc vivente.*

§ 3. *Reflexiones.*

583.—1. In cæteris plerisque diœcesibus reservatum est adulterium, non in Leodiensi : sed quasi alternâ vice in Leodiensi, non in cæteris reservatur matrimonium, tum adulterinum ob vitam prioris conjugis, tum incestuosum ob gradum prohibitum, tum sacrilegum ob votum castitatis. Illud tamen ante omnia observandum est, in omnibus diœcesibus incurrere excommunicationem latæ sententiæ, qui contrahunt matrimonium post votum solemne, sacrum ordinem, aut in gradibus prohibitis consanguinitatis vel affinitatis, Clement. un., de Consang.

584. Quod autem attinet diœcesim Leodiensem (ut prædiximus) tres partes continet modernus casus. Primò reservatur *matrimonium scienter contractum post votum castitatis.* Per *matrimonium* intelligitur ipse contractus matrimonialis, non ejusdem usus aut vinculum. Idem docet Glossa, in Clement. cit., verbo *Contrahere*, dicens : *Non punit ergo incestum vel coitum, sed contractum.* Per τὸ *scienter* significatur notitia, memoria vel reflexio de voto validè emisso et adhuc durante, adeò ut requiratur mortale sacrilegium contra præsentem obligationem continentiæ ex virtute Religionis. Per *votum* autem *castitatis* intelligitur utrumque, tum simplex, tum solemne sive per professionem religiosam, sive per susceptionem sacri ordinis, in illorum scilicet opinione qui volunt continentiam ex voto sacris ordinibus connexam esse. Nec refert quòd professus solemniter vel sacro ordine insignitus non possit validè contrahere matrimonium : quia sufficit conatus, ut manifestè colligitur, tum exemplo excommunicationis supra nominatæ, tum ex parte secundâ ejusdem casûs.

585. — 2. Reservatur secundò matrimonium *scienter* contractum *in gradibus prohibitis.* Intellige per matrimonium rursùs, ut statim, ipsum contractum transeuntem; per *scientiam* verò non eam solùm quâ noscitur gradus seu distantia secundùm se, sed ipsa insuper circumstantia impedimenti dirimentis. Unde si, v. g., consobrini, quantùm in se est, matrimonium ineant, non est satis quòd noverint se distare secundo gradu consanguinitatis; sed requiritur insuper, ut *sciant* in secundo consanguinitatis gradu matrimonium prohiberi. Ratio, quia matrimonium contractum cum *scientiâ* gradûs et inculpatâ ignorantiâ impedimenti, non est formale peccatum grave.

586. —3. Reservatur eodem casu, matrimonium contractum *priori uxore adhùc vivente.* Requiritur primò, ut matrimonium alterum contrahatur scienter, id est, cum scientiâ de vitâ prioris conjugis. Requiritur secundò verum à parte rei impedimentum ligaminis; adeò ut, si supponas, ex quolibet impedimento dirimente, etiam occultissimo primum matrimonium non esse validum, iterùm non sit futurus casus : ut neque, si matrimonium quidem fuerit validum, sed mortua compars, quanquàm mortis ignara superstes, malâ fide secundas nuptias attentaret.

§ 4. *Corollaria.*

587. — 1. Excusat à peccato reservato ignorantia, etiam vincibilis : quia nec verè est scientia, nec scientiæ æquiparatur. Sed an etiam affectata? Negabit Suarez, lib. 5, de Legibus, cap. 12, num. 15, cum multis aliis. Affirmabit Bonacina, de Censuris, disp. 1, q. 2, num. 11, dicens quando in canone vel sententiâ ferente censuram leguntur hæc aut similia : *Qui scienter hoc vel illud commiserit*, etc., censurâ non ligari ignorantem, etiam ignorantiâ affectatâ, nisi conjuncta sit cum ingenti temeritate. Ex quâ sententiâ, si foret vera, sequeretur inprimis, non incidere in excommunicationem Clementinâ superiùs adductâ latam, qui sic delinqueret; quoniam *scientiam* exigit. Sequeretur 2° propter similitudinem rationis, idem dicendum fore de reservatione, quotiescumque superior eâdem restrictione utitur.

588. — 2. Ad reservationem non requiritur carnalis copula, sed reservatio solum contractum transeuntem afficit, adeò ut, matrimonio semel illicitè contracto, non videantur deinceps delinquentes in reservationem indicere per ipsum præcisè usum seu carnalem concubitum.

3. Non incurrit casum ob eamdem causam, qui matrimonio non attentato, exercet carnalem usum, vel sacrilegum ob votum, vel adulterinum ob ligamen, vel incestuosum ob unitatem carnis aut sanguinis, etc.

4. Idem dicendum de matrimonio in gradibus prohibitis, vel priore uxore vivente, vel post votum simplex aut solemne, si iniretur sub conditione, removente impedimentum cognationis, honestatis, ligaminis, voti, v. g., sub conditione, si uxor sit mortua, aut Pontifex (cùm possit et soleat) dispensaverit.

589. — 5. Idem est de eo, qui contrahit scienter matrimonium cum impedimento impotentiæ, criminis, raptûs vel ejusmodi quod gradibus non mensuratur.

6. Idem de illo qui sola iniret sponsalia cum quolibet impedimento.

7. Idem de illo qui omnibus maturè consideratis hæreret dubius an vovisset, si contrahat matrimonium stante dubio.

8. Idem de illo qui contraheret cum voto non nubendi, suscipiendi sacros ordines, aut ingrediendi religionem.

9. Idem de eo qui solùm initiatus esset sacris ordinibus, in opinione probabili eorum qui nolunt continentiam sacris ordinibus, ex voto connexam esse.

590. — 10. Casum tamen reservatum incurrunt consanguinei in 1, 2, 3, 4, gradu utriusque lineæ, si ineant *scienter* et sine dispensatione matrimonium. Imò idem dicendum de quocumque gradu lineæ rectæ, in probabili opinione eorum qui existimant, in nullo lineæ rectæ gradu valere matrimonium. In lineâ verò transversâ non incurrunt, qui contrahunt in 4 et 5 mixto.

11. Reservatione tenebitur Petrus, qui, cognitâ carnaliter Catharinâ, deinceps contraheret cum ejusdem matre, filiâ, sorore, aviâ, nepte, consobrinâ, amitinâ.

12. Idem, si Petrus ineat matrimonium cum Joannâ, quam antea defloraverat intra vel extra matrimonium, Petri frater, filius, pater, nepos, avus.

591. — 13. Aliud dicendum, si Joannes contraheret cum Elisabethâ: cujus sororem, matrem, filiam duxit vel corrupit frater, filius, pater ejusdem Joannis.

14. Peccatum reservatum committit Anna contrahens sine dispensatione cum defuncti mariti consanguineo usque ad quartum gradum inclusivè.

15. Similiter incurrit casum Andreas, qui initis sponsalibus cum Mariâ, deinceps init nuptias cum ejus matre, filiâ, vel sorore. Secùs si cum aviâ, nepte vel consobrinâ. Secùs item, si supponantur sponsalia ex quolibet capite fuisse nulla.

16. Rursùs incurret Paulus, si primò ineat matrimonium cum Margaritâ, sed invalidè ob impedimentum raptûs, criminis, aut ob defectum solemnitatis Tridentinæ; deinceps verò contrahat cum quâlibet consanguineâ Margaritæ usque ad 4 gradum inclusivè. Secùs foret, si primum matrimonium fuisset nullum propter metum vel errorem.

592. — 17. Si Petrus ineat primò sponsalia valida cum Annâ, secundò matrimonium ratum cum Catharinâ sorore Annæ, tertiò autem matrimonium cum Annâ, non incurrit peccatum reservatum, nisi contrahendo cum Catharinâ.

18. Si Petrus primò ineat sponsalia pura cum unâ sorore, deinceps habeat copulam carnalem cum alterâ, committit peccatum reservatum, utramvis duxerit in uxorem. Si priùs cognoscat carnaliter unam sororum, deinceps ineat sponsalia cum alterâ, non peccabit, si contrahat cum priori.

CAPUT XVII.

DE PECCATO COMPLICIS.

§ 1. Quæstio prælimiaris prima. — *Quid sit peccatum complicis?*

593. Respondeo : Per peccatum complicis intelligitur mortale internum, externum, contra castitatem, commissum à confessario cum pœnitente.

Requiritur primò, ut sit *mortale*. Ita passim episcopi inferiùs nominandi. Ratio est quòd veniale, uti juxta modernam Ecclesiæ disciplinam non est materia reservationis, ita neque *restrictionis*. Requiritur secundò, ut sit *internum;* quâ voculâ significatur non sufficere actum exteriorem, quantumvis turpem, nisi intentione seu voluntate interiori mortaliter peccaminosâ informetur.

594. Quare, si supponatur, actum externum fundamentaliter mortalem, respondere interiori leviter peccaminoso, v. g., ob indeliberationem agentis aut patientis, non habebit locum reservatio.

Requiritur tertiò, ut sit *externum*, quâ particulâ denotatur necessarium esse ad peccatum complicis, ut affectus interior libidinosus in actum sensibilem prodeat; ad quod non sufficit, actum quemlibet exteriorem cum mortali interno conjunctum esse, sed requiritur ut externus sit indicium et manifestatio interioris mortaliter peccaminosa in ratione peccati externi. Vide Sanchez in Decal., l. 2, cap. 8, n. 2; Dicastillo de Censuris, disp. 11, à n. 74; Lugo, disp. 20 de Sacrament. Pœnitent., sect. 2, n. 15; Suarez de Relig., tract. 8, lib. 2, c. 18, n. 12; Castropalao tract. 23, disp. un., puncto 15, § 3, n. 4; Lacroix, lib. 6, part. 2, n. 1649,

Requiritur quartò, ut sit *contra castitatem*, seu in materiâ carnis.

595. Quapropter confessarius absolvere potest pœnitentem, quocum peccavit in materiâ cujusvis virtutis distinctæ à castitate, v. g., justitiæ per furtum, religionis per superstitionem, perjurium, etc.

Quintò, necessarium est, ut sit *commissum à confessario cum pœnitente;* adeò ut requiratur inprimis reciproca quædam communicatio in ipso actu exteriori; deinceps peccatum utrinque mortale ratione actûs interioris. Ratio est quia dici non potest confessarium *cum* pœnitente commisisse seu perpetrâsse peccatum mortale, etc., nisi uterque mortaliter peccaverit : ut dici non potest, Petrum *cum* Paulo ambulâsse vel furatum esse, nisi uterque simul ambulaverit, vel furatus fuerit. Quare, si supponamus, quòd confessarius ex suâ parte mortaliter peccet, pœnitens duntaxat venialiter, rectè dicetur confessarius graviter peccâsse *circa* pœnitentem, non *cum* pœnitente.

Quæstio ii. — *An et quando denuntiandus sit confessarius ad venerem sollicitans?*

596. Prænotandum, cùm grave sit sacrilegium,

pœnitentem sollicitare ad inhonesta prætextu vel occasione confessionis, quòd sic remedium remittendi vertatur in medium committendi peccati, non sine gravi injuriâ Dei et Christi ejus, hinc varios pontifices in ejusmodi abusum varias tulisse pœnas. Pius IV, brevi quod incipit : *Cùm sicut* (et insertum est bullæ Gregorii XV, mox citandæ), 16 aprilis 1561, committit et mandat archiepiscopo Hispalensi ut diligenter inquirat in omnes et singulos regni Hispaniarum confessarios, tum seculares, tum regulares cujuscumque ordinis, qui *sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones* abutuntur, *mulieres pœnitentes ad actus inhonestos.. alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando;* reos autem puniat juxta facultatem sibi concessam in hæreticos vel de hæresi suspectos.

597. Eisdem ferè verbis loquitur Paulus V, bullâ, *Dilecte fili*, datâ Romæ die 16 septemb. 1608, quam referunt Portel, verb. *Sollicitare*, Peyrinis, tom. 2, pag. 346, § 2, n. 1, Bonacina sub finem tom. 1, disp. 6, de Obligat. denunt. confess., puncto 3, n. 1. Extat similiter de eodem objecto constitutio Clementis VIII, 3 dec. 1592, de quâ Molfesius, 1 p. Sum., tract. 7, c. 24, n. 34, apud Peyrinis cit. Castropalaus, 1 p., tract. 4, disp. 9, puncto 1, n. 1; Bonacina cit.

598. Emanavit insuper de eâdem materiâ decretum congregationis illustriss. card. S. Inquisitionis, habitæ coram sanctissimo domino Paulo V, ferià 5, die 10 julii 1614, apud Coriolanum de Cas. res. part. 1, sect. 2, art. 22, n. 4. Cùm autem prædictæ constitutiones ferè tantùm respicerent regnum Hispaniarum, Gregorius XV eumdem abusum per totum orbem catholicum eodem rigore interdixit, constitutione quæ incipit, *Universi*, datâ Romæ 30 augusti 1622. Ex hâc constitutione respondendum est ad utramque partem propositæ quæstionis. Itaque

599. Respondeo primò : Omnes pœnitentes, tam mares quàm feminæ, tenentur per se loquendo sub peccato mortali, denuntiare confessarium à quo prætextu vel occasione confessionis sollicitati vel provocati fuerunt ad libidinem. Castropalao, n. 11; Bonacina, n. 10; Peyrinis, § 9, n. 24; Rodriguez, Sum. c. 207, n. 1, et Quæst. regul., tom. 2, q. 27, art. 1; Henriquez, l. 6, c. 22, n. 6. Ratio est quia confessarii tenentur sub mortali admonere pœnitentes ut denuntient confessarios à quibus fuerunt sollicitati; ergo pœnitentes sub eodem peccato tenentur exequi denuntiationem : esset enim inutilis obligatio gravis admonendi in confessariis, si tantùm foret levis exequendi in pœnitentibus. Antecedens patet ex bullâ Gregorianâ, § 7, ubi dicitur : *Mandantes* (utique sub gravi, quia in gravi materiâ) *omnibus confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes*, etc.

600. Respondeo secundò : Ad istam obligationem denuntiandi satis est quòd confessarius quicumque « personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive « inter se, sive cum aliis, quomodòlibet perpetranda, « in actu sacramentalis confessionis, sive antea vel « post immediatè, seu occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsâ confessione non secutâ, « sive extra occasionem confessionis in confessionario, « aut in loco quocumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulans ibidem confessiones audire, sollicitare « vel provocare tentaverit, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerit. » Sunt verba Pontificis, § 4 bullæ cit., ex quibus nullo negotio plurima corollaria deduci possunt. Vide auctores cit.

Quæstio III. — *Cui et quomodò prædicta denuntiatio facienda?*

601. Respondeo faciendam esse hæreticæ pravitatis inquisitoribus, aut locorum ordinariis. Constat ex eodem bullæ Gregorianæ paragrapho quarto, ubi Pontifex *omnes hæreticæ pravitatis inquisitores, et locorum ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis christiani in suis quemque diœcesibus...* in præsenti causâ *perpetuò judices delegat.* Item § 7, mandat omnibus *confessariis ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes...* INQUISITORIBUS SEU LOCORUM ORDINARIIS *prædictis.* Quid igitur de confessario regulari et exempto?

602. Respondeo: Idem quod de seculari. Denuntiandus est, inquam, non superiori regulari, sed ordinario loci vel inquisitori; Peyrinis, § 6, n. 20, et Rodericus à Chuna, tract. de Confess. sollicit., n. 10. Ratio est inprimis ex bullâ utrâque, et Pii IV et Pauli V, supra cit.; primâ archiepiscopo Hispalensi, alterâ inquisitori generali Portugalliæ mandatur; *quatenùs... contra omnes et singulos sacerdotes dictorum regnorum... tam seculares quàm quorumvis, etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum ordinum regulares, cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis*, etc., *diligenter* inquirat. Porrò auctoritatem à Pio IV commissam archiepiscopo Hispalensi, extendit Gregorius XV ad omnes orbis catholici inquisitores et ordinarios; nam § 4 statuit, severissimè puniendos esse omnes et singulos sacerdotes, *tam seculares, quàm quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares*, qui sollicitare vel provocare tentaverint, etc.

603. Deinceps eodem paragrapho *omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et locorum ordinarios...* ETIAM PRIVATIVÈ QUOAD OMNES ALIOS, *specialiter ac perpetuò judices delegat, ut super his contra* PRÆDICTOS... *diligenter inquirant, et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos... privationis... vocis activæ et passivæ*, SI REGULARES FUERINT... *aliasque pœnas decernant.*

604. Quod autem attinet ad modum quo hæc denuntiatio facienda sit, dubitari inprimis potest, an præmittenda sit correptio fraterna, saltem si speretur fructus seu emendatio sollicitantis. Affirmant Peyrinis § 9, n. 26; Portel, n. 20; Castrop., puncto 10, n. 2

Fagundez, 2 Præc. Eccl., lib. 4, c. 3, n. 31; Sayrus in Clavi regiâ, lib. 11, c. 4, n. 8; Ledesma Summæ, p. 2, t. 4, c. 4, concl. 24; Sylvester, verbo *Correctio*, quæst. 5; Canus de Loc. theol., lib. 12, c. 9, et plures alii, qui eamdem doctrinam extendunt etiam ad peccatum hæresis. Ratio, quia præceptum correptionis, est de jure naturali et divino : præceptum verò hujus denuntiationis est humanum; unde non potest prævalere adversùs præceptum juris naturalis. Ita Fagundez, Peyrinis et alii adducentes S. Thomam, 2-2, q. 33, art. 7. Oppositum docent Diana, p. 1, tr. 4, res. 2; Azorius, p. 1, l. 8, c. 19, q. 9; Sylvius, 2-2, q. 33, art. 7, concl. 2; Bonacina, disp. 6, puncto 3, n. 9, et plures alii. Ratio hujus opinionis est quia duplex est denuntiatio, una evangelica, altera judicialis. Prima tendit præcipuè in emendationem delinquentis; altera in pœnam delicti, exemplum seu terrorem aliorum, atque adeò commune bonum. Hæc potest, illa nequit institui sine prævià monitione privatâ seu fraternâ correptione.

605. Cæterùm, suppositâ obligatione denuntiandi, non est modus securior, quàm si sollicitata, per se et proximè denuntiet episcopo sollicitantem. Si sine incommodo adire non possit, scribat manu propriâ. Si scribere nequeat, scribatur casus per alterum, relicto spatio vacuo pro nomine sollicitantis; ac demùm rogetur tertius qui de contento epistolæ nihil noverit aut videre possit, ut spatio vacuo inscribat nomen sollicitantis, et epistola nomine sollicitatæ subsignata mittatur ordinario. Ita Van Vyve, tract. de Cas. res., § 15. Quòd si sollicitata induci facilè nequeat vel ad personaliter comparendum, vel ad scribendum, poterit ordinarius confessario auctoritatem facere recipiendi denuntiationem in scriptis cum juramento, quam statim debeat transmittere. Ita decretum in sacrâ congregat. die 27 septembr. 1642, per litteras datas omnibus archiepiscopis, subscriptas à cardin. Millino. Testes Peyrinis n. 12, et Sanctarel de Hær., cap. 44, dub. un., n. 12.

606. Porrò denuntiatio omitti vel saltem differri potest, si denuntiator occasione denuntiationis sibi vel suis probabiliter timeat mortem, vulnus, incendium, infamiam juris aut facti, etc. An etiam, si sollicitans resipuerit aut spem probabilem faciat resipiscentiæ? Affirmant Peyrinis § 9, n. 31, Castrop. puncto 10, n. 1, Portel n. 18, et plures alii, quorum ratio est quòd in supposito cesset finis denuntiationis, atque adeò obligatio denuntiandi, sicut cessante causâ cessat effectus; finis enim denuntiationis est emendatio delinquentis, quæ si præcedat denuntiationem, frustra per hanc intenditur. Contrarium docent Bonacina, n. 9, Azorius, Suarez, Salonius, Paramus et alii, quos citat et sequitur Diana sup., resol. 3. Ratio est quia finis hujus denuntiationis non est sola peccantis correctio vel emendatio, verùm etiam pœna, ut et cæteri timorem habeant.

§ 2. *Tenor casûs.*

607. In Antuerpiensi dicitur : *Advertendum, quòd nullus confessarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit aut valeat à... peccato carnali complicis.*

In Buscoducensi : *Nemo absolvere potest aut valet complicem secum in peccato carnali; quale censeatur omne peccatum contra castitatem, externum, mortale; adeòque etiam oscula, tactus impudici, in quibus utrinque peccetur mortaliter.*

In Cameracensi : *A peccato... complicis in materiâ venereâ, exteriori actu commisso, nemo validè absolvere poterit, quamcumque à casibus reservatis absolvendi facultatem acceperit.*

In Coloniensi in hunc modum ordinaverat synodus 1662, pag. 74 : *Ut animarum periculis, quantùm in Domino possumus, occurramus, sub pœnâ suspensionis, ipso facto incurrendâ prohibemus omnibus confessariis ne quis confessionem mulieris cum quâ in materiâ carnis peccavit, aut complicis aut fautoris peccati, nisi in extremâ necessitate, excipiat.* Testis Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1204. Porrò illo verborum tenore suspenditur confessarius absolvens complicem; sed ipse absolutionis actus non declaratur irritus. Interim casibus Coloniæ reservatis, anno 1715, 26 maii, per decretum additum est *peccatum complicis criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi.* Similiter Agenda impressa anno 20 posterioris seculi, fol. 58, n. 52, sic habet : *His casibus reservatis adjicitur crimen peccati complicis.*

In Gandavensi : *Sciant confessarii quòd etiamsi aliàs habeant facultatem absolvendi à casibus nobis reservatis,* etc., *et quod nullus confessarius extra mortis periculum absolvere possit aut valeat à peccato quolibet mortali externo contra castitatem sibi in eodem peccato complicem, nec ad hoc sit approbatus.*

In Leodiensi : *Noverint autem* (confessarii) *nemini quantumvis potestatem habenti absolvendi à casibus nobis reservatis, veniam esse concessam ut absolvere possit... à casu complicis in materiâ venereâ, id est, à peccato mortali externo in materiâ venereâ cum pœnitente perpetrato.*

In Mechliniensi : *Advertendum...., quòd nullus confessarius extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit aut valeat à peccato quolibet mortali externo contra castitatem, complicem in eodem secum peccato, nec ad hoc sit approbatus.*

In Namurcensi : *Is cui conceditur facultas absolvendi à casibus nobis reservatis, non potest absolvere... à casu complicis in actu peccati mortalis.*

In Ruræmundensi : *Advertendum... quòd nullus confessarius, extra mortis periculum, licèt aliàs habeat potestatem absolvendi à reservatis, absolvere possit à peccato quolibet mortali externo contra castitatem, complicem in eodem secum peccato, nec ad hoc sic approbatus.*

§ 3. *Reflexiones.*

608. — 1. Peccatum complicis quatenùs tale, non est propriè casus reservatus. Ratio manifesta; quia casus reservatus est, à quo confessarius inferior, per se loquendo, non potest absolvere, retractâ vel

reservatâ potestate absolvendi apud solum superiorem, vel ab eodem specialiter deputatum. Ab hoc autem peccato absolvit omnis sacerdos, qui in mortalia potestatem habeat. Solus ille excipitur, qui complex et reus est ejusdem criminis. Quare (ut rectè observat Steyaert, sect. 5, de Sacram. Pœnit., § 14, n. 9, dùm datur alicui potestas absolvendi à reservatis, nullo modo hìc casus comprehenditur. Est ergo potiùs restrictio potestatis, quam facit superior eâdem auctoritate, quâ reservat. Ita Steyaert, sequitur Van Vyve, Tract. de Cas. reserv., § 15. Cæterùm hæc potestatis restrictio olim non erat in usu : et quidem, quod attinet diœcesim Coloniensem, non nisi à paucis annis restricta est potestas confessarii complicis, si vera sint quæ habet eximius Lacroix, vel potiùs auctor indicis locupletissimi in ejus opera, R. P. Leonardus Colendall, verbo *Reservatio casuum*, fol. 785, dicens, anno 15 currentis seculi per decretum casibus reservatis adjectum esse peccatum complicis in re venereâ, et in eodem decreto ademptam confessario complici quoad istum casum jurisdictionem, *licèt hæc illi in approbationibus eò usque expeditis* negata non fuerit.

609. Est igitur valida, per se loquendo et seclusâ lege positivâ Pontificis vel episcoporum, absolutio complicis in quàcumque materiâ. Ut proinde sit infundatum asserere complicis in materiâ carnis absolutionem esse ex naturâ sacramenti aut voluntate Christi instituentis invalidam.

610. Certè aliter opinatur Steyaert citatus dicens : Hæc restrictio potestatis quoad peccatum complicis in re venereâ olim non erat ; unde ait hìc (videlicet Supplementi q. 20, a. 2, ad 1) S. Thomas, validam fore absolutionem complicis ; improbat tamen illam S. doctor, et quidem ex Augustino principaliter nempe in peccatis carnis, sed et generatim ad congruitatem quod attinet. Vide S. Thomam cit.; Sylvestrum, p. 2, v. *Confessio*, casu 2 ; Lugo, d. 16, n. 162; Dicastillo disp. 9, n. 610; Gobat., tr. 7, à n. 481, apud Lacroix l. 6, p. 2, n. 1204. Porrò licèt peccatum complicis, ut prædiximus, propriè non sit casus reservatus, placuit tamen huic materiæ inserere, tum quòd aliquam saltem imperfectam cum eodem similitudinem habeat, tum quòd eodem episcoporum instrumento, id est, litteris approbatoriis, aut decretis synodalibus exprimatur.

611. — 2. Quamvis non sit eadem in omnibus diœcesibus expressio litteralis, idem tamen ubique sensus est. Itaque per peccatum complicis ubilibet intelligitur tum ipse usus carnalis, tum tactus impudici, utrinque liberi et voluntarii cum aliis immunditiis externis mortaliter peccaminosis. Sed dubitatur, an sub peccato complicis contineantur oscula, amplexus, tactus vel aspectus partium honestarum, sistendo in delectatione illinc resultante, sine animo copulæ vel mollitiei. Ratio dubitandi est; quia (ut in omnibus diœcesibus tacitè, in nonnullis etiam expressè dicitur) peccatum complicis est *omne* seu *quodlibet* peccatum mortale externum et internum contra castitatem : sub *omni* autem et *quolibet* peccato per distributionem comprehenditur et hoc et illud, dummodò sit mortale externum, etc.

612. Sententia negativa suadetur; quia oscula, amplexus, tactus, aspectus partium honestarum, puta, vultûs, brachiorum, manuum, etc., non sunt mortalia ex objecto seu secundùm speciem, ut expressè docet S. Thomas, 2-2, q. 154, art. 4, O, dicens : *Quòd aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter : uno modo secundùm speciem suam : et hoc modo osculum, amplexus, vel tactus, secundùm suam rationem non nominant peccatum mortale : possunt enim hæc absque libidine fieri vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem aut rationabilem causam.* Igitur si sint peccata mortalia, id debet esse *ex suâ causâ*, ut ibidem S. Thomas loquitur, sive *propter intentionem corruptam*, aut consensum in delectationem fornicationis aut alterius luxuriæ. Atqui ut peccatum censeatur *mortale externum*, non sufficit, quòd per mortalem intentionem imperetur.

613. Probatur ex iis quæ diximus Prologomeno 1, n. 22, ubi juxta communem opinionem ad peccatum mortale externum requisivimus, ut ipse actus exterior sit *de se* sufficiens materia peccati mortalis, et non per solum respectum ad actum interiorem. Ex quo deduximus 1° quòd esus modicæ carnis, die jejunii, animo hæretico factus, non sit hæresis externa reservata. 2° Quòd in hæresim reservatam non incideret, qui animo credens, Christum non esse hominem, in hæc sola verba erumperet; *verè non est homo ;* 3° quòd, si supponamus, reservari peccatum mortale contra castitatem, peccatum reservatum non incurreret, qui animo fornicandi proferret verbum turpe, secundùm se leve. Quorum omnium ratio est; quòd solus actus internus mortalis sit secundùm se ; externus autem non nisi per relationem seu participationem. Hanc sententiam sequatur et practicet, qui volet.

614. Opposita nobis est probabilior, pro quâ notandum primò, ex osculis, amplexibus, tactu et visu duplicem delectationem resultare posse, unam sensualem, alteram carnalem, veneream, libidinosam. *Sensualis* consistit in proportione et conformitate rei tactæ vel visæ cum organo tactûs vel visûs, ut non sit aliud, quàm oblectatio de re blandâ, leni ac molli, quæ contingitur, aut pulchrâ, quæ videtur, absque aliâ cujuscumque rei turpis delectatione. Exemplum est in illo tenero affectu, quo matres, nutrices, ancillæ osculantur parvulos, magnâ quidem delectatione sensuali, sed nullâ libidine. Delectatio *carnalis, venerea* et *libidinosa* est, quæ conjunctam habet commotionem carnis et spirituum seminalium generationi servientium.

615. Hanc divisionem docent Sanchez, l. 5 Moral., cap. 6, num. 13; Sylvius, 2-2, q. 154, art. 4, concl. 4; Lacroix, lib. 3, p. 1, n. 894; Bonacina, de Matrimonio, quæst. 6, puncto 9, n. 4; Filliucius, tract. 30, c. 9, n. 176 et seq.; Herincx, p. 3, tr. 2, q. 3, n. 55, et plures alii. Porrò de osculo, amplexu, tactu, aspectu

cum delectatione venereâ seu libidinosâ, atque adeò spirituum genitalium commotione, in præsenti controversiâ loquimur: quæ enim fiunt cum solâ delectatione sensuali (nisi forsitan nimium crebra, morosa et diuturna essent) à peccato mortali excusant plerique nominati cum multis aliis.

616. Notandum secundò, juxta sententiam hodiè communissimam, extra matrimonium in delectatione *carnali venereâ* et *libidinosâ*, directè quæsitâ vel intentâ non dari peccatum veniale ex parvitate materiæ. Sylvius, 2-2, q. 154, art. 4, concl. 4; Sanchez, cit. num. 12, corrigens priorem opinionem suam, quam tenuerat, l. 9, de Matrim. disp. 46, n. 7; Rebellus, de Justitiâ, p. 2, l. 3, q. 19, sect. 3, ubi hanc veritatem solidè et fusè probat. Sporer in Decal., tract. 1, procem. c. 5, num. 18; Layman, l. 4, tr. 5, c. 8, n. 2; Lessius, l. 4, c. 3, dub. 8, n. 59; Lacroix, l. 3, p. 1, n. 910, et l. 5, n. 98; Diana, p. 3, tr. 5, res. 1, et p. 4, tr. 4, res. 136; Bonacina n. 11, cum innumeris aliis, et tenere debent omnes patres societatis Jesu ex decreto reverend. P Claudii Aquaviva Præpositi Generalis, 24 aprilis 1612.

617. Ratio communis doctrinæ est quòd materia carnis seu veneris sit præ cæteris lubrica, et in eam singulariter propendeat natura corrupta, quæ in motibus concupiscentiæ nequit sibi certò constituere terminum, ultra quem non sit progressura; eò quòd motus quilibet etiam levior sit periculum proximum gravioris, et, hoc mediante, ipsius actûs principalis, id est, fornicationis vel pollutionis.

618. Quapropter qui delectationem venéream directè intendit, convincitur, exercitè et quantùm est ex parte operis velle ipsum actum finalem aut saltem verum illius periculum: quemadmodùm qui pulveris pirii unum granum incendit, convincitur velle incendium totius cumuli. Itaque omnis delectatio venerea, cùm (teste Galeno l. 14, de Usu partium, c. 9 et 10) fiat ex motu spermatis, per spiritus vitales generationi servientes incalescentis, est initium pollutionis. Ex hâc doctrinâ, memorati supra doctores inferunt, oscula, tactus, amplexus, aspectus, si fiant cum delectatione *venereâ*, esse peccata mortalia, non propter solum actum *interiorem* (nota benè) sed propter *externum* et reale periculum motuum graviorum et finalis actûs. Porrò inter osculum, et tactum vel aspectum partium honestarum nulla est differentia, quæ ad rem faciat, si supponantur æqualiter libidinosa esse. Quid enim interest inprimis inter osculum, et tactum manuum, v. g., vel brachiorum? Utrumque tactus est, quanquàm in diversis materialiter partibus integralibus corporis. Rursùs quid interest inter osculum vel tactum, et aspectum, nisi quòd fiant per diversam potentiam organicam, tactûs videlicet et visûs? Quare si utrobique sit libido seu venus æqualis, erit pariter peccatum æquale. His præmissis,

619. Probatur opinio affirmativa; quia osculum, amplexus, tactus vel aspectus partium honestarum, si sint *carnalia*, *venerea* et *libidinosa*, sunt peccata mortalia non solùm interna, sed etiam *externa*; quod ultimum ostenditur ex jam dictis: nam licèt secundùm speciem seu objectum non sint mortalia, fiunt tamen mortalia eaque *externa*, tum per *externam* spirituum seminalium commotionem, tum per periculum graviorum motuum et ipsius actûs principalis, utique *exterioris*: certum est enim, actum externum ex objecto venialiter malum vel indifferentem, fieri peccatum mortale externum ratione gravis periculi externi simul et interni. Explosio sclopeti ex objecto est indifferens: si fiat deliberatè in circumstantiis periculosis, puta, si indè alicui immineat verum et reale periculum mortis vel mutilationis, nonne est peccatum mortale externum?

620. Confirmatur ex motu proprio Clementis VIII et Pauli V, apud Sanchez et alios, quo statuitur, inquisitoribus fidei denuntiandos esse, qui asseruerint, et amplexus et oscula libidinosa, quamvis sola venerea delectatio, illinc resultans intendatur sine ordine ulteriori ad copulam, non esse mortalia: ubi observa, de osculis ipsis sermonem esse, non de solâ intentione vel actu interiori osculantis. Eòdem spectat propositio quadragesima per Alexandrum VII condemnata, 18 martii 1666: *Est probabilis opinio, quæ dicit, tantùm esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris et pollutionis.* Igitur à sensu contradictorio non est probabilis opinio, negans tale osculum mortale esse. Nec dicas esse mortale propter actum internum: quia potiùs è converso actus internus seu consensus et intentio mortalis est propter externum, id est, propter motum *carnalem*, qui à periculo consensûs ulterioris et pollutionis separari non potest, ut falsò supponebat propositio condemnata. Vide Steyaert et Du Bois in hanc propositionem.

621. Confirmatur secundò ex Instructione pro confessariis dari solita in diœcesi Buscoducensi, quam reverendiss. Steyaert ejusdem diœcesis vicarius apostolicus exhibet ad calcem sexti tomuli, ubi, n. 15, leguntur sequentia: *Nemo absolvere potest aut valet complicem secum in peccato carnali; quale censeatur omne peccatum contra castitatem, externum, mortale;* ADEOQUE *etiam oscula, tactus impudici, in quibus utrinque peccetur mortaliter.* Quocirca observandum est, non statui, sed deduci, *oscula in quibus utrinque peccetur mortaliter*, esse peccatum complicis. Quasi dicatur: Peccatum complicis est omne peccatum mortale externum contra castitatem, etc.; *adeòque*, cùm oscula, *in quibus utrinque peccetur mortaliter*, sint peccatums mortale externum contra castitatem, sequitur quòd hæc etiam constituant peccatum complicis, à quo non possit absolvere confessarius complex.

622. Hinc colligitur responsio ad fundamentum negativæ opinionis. Admittimus cum S. Thomâ, oscula, tactus, et amplexus, non esse mortalia secundùm speciem; sed cum eodem S. doctore addimus esse *mortalia*, si sint *libidinosa*: esse autem libidinosa, si fiant propter delectationem peccati mortalis. Colligitur

item disparitas inter exempla superiùs adducta et præsentem casum. In exemplis nihil est rei vel periculi, quod actum externum mortalem faciat, præter actum interiorem imperantem.

623. Itaque (salvo semper judicio meliori) opinio affirmativa nobis est probabilior. Addenda solummodò restrictio superiùs indicata, videlicet necessariam esse inter confessarium et pœnitentem libidinis mutuæ communicationem, ut possit censeri peccatum unum, quod confessarius commiserit cum pœnitente. Quare motio, quantumvis *carnalis* et utrinque orta, si tamen utrique sit personalis et respectivè incognita, non erit peccatum complicis; quia ut confessarius peccet *cum* pœnitente, non sufficit unitas temporis, quo uterque peccet, sed requiritur unitas moralis actionis, seu communicatio in unâ moraliter actione : requiritur, inquam, ut ipse osculandi, amplexandi, tangendi, aspiciendi modus aut reliqua corporis constitutio, v. g., inflammatio vultûs aut oculorum, libidinem utrinque prodat, quod practicè non potest fieri sine mutâ sollicitatione ad venerem graviorem.

§ 4. *Corollaria.*

624. — 1. Non est peccatum complicis, de quo decreta episcoporum, osculum obeunter datum aut tactus momentaneus manuum vel honestarum partium ex joco, levitate vel *solâ* delectatione sensuali.

2. Idem est, si confessarius puellam manu, brachio vel collo prehendat, atque ipse quidem patiatur delectationem veneream ex suâ parte, quantumvis etiam exteriùs declaratam, si aut nullam aut *solam* sensualem excitet in pœnitente.

3. Idem si confessarius puellam omninò invitam inhonestè tangeret vel opprimeret. Idem iterùm à contrario, si puella idem faceret de confessario, vel potu tacto vel dormiente.

625. — 4. Perinde est ad casum complicis, sive persona, quâcum peccavit confessarius, eidem confiteri soleat, sive non : quia non statuitur, ut confessarius absolvere non possit complicem, cujus confessionem solet excipere; sed generatim secum complicem, etsi nunquàm antecedenter eidem confessa fuisset. Quare dùm nomine *pœnitentis* in reflectionibus usi sumus, id non intelligimus de pœnitente habitualiter seu confiteri consuetâ, sed actualiter, seu confessurâ, quam dicimus non posse absolvi à confessario, quocum peccavit in materiâ carnis.

5. Non requiritur, ut confessarius peccet cum puellâ in confessione vel occasione confessionis; sed sufficit qualiscumque occasio vel eventus.

6. Confessarius potest absolvere personam, quâcum antehàc peccavit in materiâ carnis, si eadem persona à priori peccato sacramentaliter absoluta, deinceps in simile peccatum relapsa sit cum confessario altero. Ratio est quia peccatum, à quo absolvenda est, non habet complicem confessarium priorem; Arsdekin.

626. — 7. Confessarius non solùm nequit absolvere personam sexûs feminei, sed ne masculini quàcum commisisset peccatum mortale externum contra castitatem, v. g., per tactus inhonestos, procuratam pollutionem, inchoatam vel consummatam Sodomiam, etc.

8. Non potest absolvi pœnitens à confessario, quocum sic peccavit, etiam ante approbationem, seu cùm nondùm confessarius esset; quia simpliciter statuitur, ut ille, qui est confessarius, absolvere nequeat qualemcumque personam à peccato carnali, quod cum eâdem commisit.

9. Etiamsi alicui fiat facultas in omnes casus, tum pontifici, etiam in Bullâ *Cœnæ*, tum episcopo reservatos, nondùm poterit absolvere in diœcesibus nostris à peccato complicis. Ratio superiùs data est; quia non computatur inter casus. Alia forsitan esset quæstio, si daretur facultas non in quoslibet solùm casus pontificios et episcopales, sed insuper in qualescumque excessus, quantumvis graves et enormes.

CAPUT XVIII.

DE PECCATIS CUM EXCOMMUNICATIONE MAJORI.

§ 1. Quæstio præliminaris prima. — *Quid excommunicatio et quotuplex?*

627. Respondeo : Excommunicatio, quod attinet ad vocem, variis nominibus in jure appellatur; primò, *anathema;* secundò, *maranatha;* tertiò, *mucro episcopi;* quartò, *virga ferrea;* quintò, *mors;* sextò, *nervus ecclesiasticæ disciplinæ.* Quod autem spectat ad rem ipsam, est censura ecclesiastica, privans directè communione fidelium. *Censura* seu pœna in delinquentium correctionem; *ecclesiastica*, quia non competit laicæ potestati; *privans directè*, ut excludantur suspensio et interdictum; *communione fidelium*, saltem aliquâ.

628. Dividitur variè; primò, in majorem et minorem. *Major* privat passivo et activo sacramentorum usu, suffragiis Ecclesiæ et cæterâ fidelium communione. Hanc intelligunt canones et judices, quando simpliciter excommunicationem exprimunt, ut passim DD. tradunt. *Minor* privat solo usu passivo seu receptione sacramentorum. *Major* dicitur comparatione *minoris;* quia privat communione plurium bonorum spiritualium, et *majus* delictum exigit. *Minor* vocatur comparatione *majoris;* quia contenta est *minori* pœnâ et delicto, ut rectè Sotus et cæteri. *Majori* affectus est iterùm duplex, vitandus et toleratus : hic est, quem fideles vitare non debent; ille, quem debent, idque post concilium Constantiense in duobus casibus, videlicet cùm notoriè percussit clericum, vel nominatim excommunicatus est.

629. Dividitur secundò, in *hominis*, et *canonis*, seu in illam, quæ fertur *ab homine*, et quæ *à jure*. Hæc fertur per legem, statutum, canonem : illa per præceptum, mandatum, sententiam judicis vel superioris. Differentia inter utramque varia. Primò : quæ est *à jure*, instar juris aut legis est durabilis et perpetua, donec revocetur; quæ *ab homine*, ut in mandatis seu præceptis, moritur, moriente homine. Id tamen intellige quoad eos solùm, qui censuram hactenùs non incurrerunt. Alioquin, qui per sententiam sunt ex-

communicati, secundùm communem doctorum opinionem non absolvuntur per solam prælati vel superioris mortem, civilem aut naturalem. Secundò, excommunicatio à jure ferri solummodò potest in delictum futurum, non in præteritum; altera in utrumque. Tertiò, quæ per canonem aut legem fertur, afficit delinquentes intra territorium legislatoris, tametsi tempore latæ legis vel delicti, non essent ejusdem subditi quoad originem vel domicilium.

630. Quæ verò per sententiam seu hominem fertur, eos solummodò comprehendit, qui erant sub judicis pronuntiantis jurisdictione. Vide Toletum, l. 1, c. 5, n. 9, et Bassæum, verb. *Excommunicatio*, n. 5. Quartò, excommunicatio, quæ fertur per statutum archiepiscopi metropolitani, non solùm afficit subditos diœcesis propriæ, verùm etiam suffraganeorum et totius provinciæ : lata verò per solam sententiam, non respicit nisi solos metropolitani diœcesanos. Restringitur à nonnullis prima pars hujus resolutionis ad statutum, quod conditum fuerit in concilio provinciali.

Dividitur tertiò, in *generalem*, quæ non respicit singulare factum aut personam determinatam, et *particularem*, quæ versatur circa certas personas aut factum determinatum.

631. Dividitur quartò, *in latæ, et ferendæ sententiæ*. Prior incurritur ipso facto sine denuntiatione vel sententiâ judicis. Posterior non item, quæ ideò *comminatoria* dicitur, quòd non tam ferat censuram, quàm minetur, per judicem inferendam. Utriusque diversitas colligenda est ex diverso tenore canonis vel sententiæ, quo exprimitur.

Dividitur quintò, in communem, et reservatam, cujus absolutio reservatur superiori, vel propriâ et ordinariâ potestate aut voluntate, vel alienâ et extraordinariâ.

Quæstio II. — *Quis possit absolvere à censurâ excommunicationis?*

632. Respondeo : Ab excommunicatione minori absolvit quilibet sacerdos eumdem illum, quem à mortalibus.

Secundò, ab excommunicatione majori, latâ per sententiam hominis *specialem*, per se loquendo absolvunt, qui eam tulit, ejus successor, superior, delegatus, et nullus alius : *Qui eam tulit*, quia per quas causas res aliqua nascitur, per easdem dissolvitur; *per se loquendo*, sunt enim varii casus in jure, quibus auctori censuræ non permittitur absolutio, *successor*, quia censetur una persona cum prædecessore; *superior*, quia omnem inferioris potestatem eminenter possidet. Intellige de superiore absoluto et pleno jure; qui enim certis duntaxat casibus superiores sunt, extra hos nequeunt solvere ligatum per inferiorem.

633. Quare archiepiscopus non potest absolvere excommunicatos à suffraganeis, nisi tempore visitationis, vel causâ per appellationem ad ipsum devolutâ, ut ex juribus constat; *delegatus*, videlicet per auctorem censuræ, successorem, superiorem. Præter hos *nullus alius* ab eâdem excommunicatione, per se loquendo, absolvit. Sayrus, Coninck, Suarez, Layman, Hurtadus, Toletus, Navarrus, Herincx. Ratio est quia nulli alteri legitur concessa hujus vinculi dissolutio; et meritò, ne judicum jurisdictio turbetur, eorumve auctoritas contemnatur : cùm enim hæ censuræ non ferantur, nisi reo nominatim citato, expedit finiri causam, ubi inchoata est. Quapropter, si subditus diœcesis Mechliniensis, ab archiepiscopo propter aliquod crimen per sententiam excommunicatus, mutet domicilium et in aliam abeat diœcesim, non poterit absolvi à novo superiore; quia archiepiscopus ob causam in suo tribunali cœptam et non absolutam, retinet jus in excommunicatum, juxta regulam juris, quâ dicitur, præventum à judice, forum ejus in eâ causâ declinare non posse. Castropalao, de Cens., disp. 1, puncto 11, § 4, n. 9.

634. Tertiò, ab excommunicatione latâ per sententiam hominis *generalem* possunt probabiliùs omnes illi absolvere, qui possent absolvere ab eâdem, si foret *à jure* lata. Covarruvias, Sayrus, Navarrus, Henriquez, Suarez, Coninck, Toletus, Layman, Avila, Hurtadus, quos citat et sequitur Castropalaus, cit. n. 10. Ratio est quia ex absolutione hujus censuræ ab aliis factâ non perturbatur tribunal judicis ferentis.

635. Quartò, ab excommunicatione latâ *à jure*. si non sit reservata, potest absolvere omnis ille, qui censuratum potest absolvere à mortalibus. D. Thomas, D. Bonaventura, Gabriel, Sotus, Sylvester, Armilla, Navarrus, Henriquez, Suarez, Coninck, Vasquez, Hurtadus, Ugolinus, apud Castrop. cit., § 5, n. 3. Colligitur ex c. *Nuper*, de Sentent. Excommun., ubi redditur ratio generalis; *Quia conditor canonis, ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*. Quæ ratio cùm sit generalis, censent consequenter doctores, ab omni censurâ *juris*, specialiter non reservatâ, posse absolvere quemlibet etiam delegatum pro mortalibus.

636. Quintò, ab excommunicatione reservatâ nemo absolvere potest, per se loquendo, præter auctorem censuræ, ejus superiorem, successorem, aut horum delegatum. Colligitur expressè tum ex dicto capite *Nuper*, tum ex naturâ reservationis. Diximus, *per se loquendo* : sunt enim varii casus, in quibus conditor canonis suam potestatem concedit aliis. Itaque

Sextò, cùm in Ecclesiâ Dei custoditum semper fuerit, *ut nulla sit reservatio in articulo mortis,..... omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis censuris* tam juris, quàm hominis *absolvere possunt*. Trid. sess., 14, c. 7. Nihilominùs adhibenda cautio, ut petatur ab absolvendo juramentum comparendi coram superiore, si convalescat. Per censuras autem in Tridentino et jure, secundùm doctores passim, intelliguntur illæ, quæ possunt obesse susceptioni sacramentorum et ecclesiasticæ sepulturæ.

637. Septimò, spectato concilio Tridentino, sess. 24, cap. 6, de Reform., possunt omnes episcopi absolvere ab omnibus censuris et pœnis Sedi Apostolicæ reservatis, dummodò non fuerint publicæ, neque deductæ ad forum contentiosum.

Octavò, conceditur in jure potestas episcopis, absolvendi ab excommunicatione papali quoslibet, qui corporis impotentiâ aut quolibet canonico impedimento non possunt adire Romanum Pontificem, c. *Ea noscitur*, c. *Quamvis*, de Sentent. Excommun. In quibus textibus etsi solummodò sermo sit de percussoribus clericorum, doctores tamen communiter extendunt ad quamlibet censuram pontifici reservatam. Navarrus, Ugolinus, Sayrus, Coninck, Hurtadus apud Castrop., n. 6.

Nonò, Gregorius XIII, bullâ *Nuper*, 25 febr. 1576, concessit Belgicis episcopis amplissimam potestatem absolvendi ab omnibus pœnis et censuris, publicis et occultis, tam *à jure*, quàm *ab homine* latis, pro utroque foro.

§ 2. *Tenor casûs.*

638. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi reservantur *omnia delicta, quæ majorem excommunicationem annexam habent.*

In Cameracensi, Coloniensi et Ruræmundensi similis clausula non exprimitur.

In Leodiensi (juxta schema nostrum) nihil habet instructio pro confessariis; sed parochiale, de sacramento pœnitentiæ, rubricâ de casibus episcopo reservatis affirmat, quòd reserventur præter peccata nominatim expressa, *omnes casus occulti, S. Sedi Apostolicæ reservati. Item excommunicatio, suspensio, irregularitas ex his provenientes; demptâ tamen irregularitate ex homidicio voluntario proveniente: nam hi casus episcopo sunt concessi per S. concil. Trid., sess.* 24, c. 6. LICEAT EPISCOPIS.

In Mechliniensi et Namurcensi reservantur *omnia delicta, quæ excommunicationem ordinario reservatam annexam habent.*

§ 3. *Reflexiones.*

639. Non censura præcisè, sed ipsa potiùs peccata, quibus hæc connectitur, reservata sunt. Est autem perinde, dummodò sit excommunicatio *major*, lata sit *ab homine*, an *à jure*. Quare olim prima synodus Mechliniensis, tit. de Sacramentis, cap. 6, præter nominatos casus reservat *omnia delicta, quæ excommunicationem majorem à canone vel ab homine latam, annexam habent.* In eumdem modum Pastorale Gandense, *per omnia*, inquit, *peccata habentia majorem excommunicationem annexam, intellige, sive sint latæ ab homine, sive à jure.*

640-641. — 2. In Antuerpiensi, Buscoducenci, Gandavensi non requiritur ut excommunicatio sit ordinario reservata. Colligitur manifestè ex tenore verborum, quo simpliciter sermo est de delictis habentibus *annexam majorem excommunicationem;* id quod Pastorale Gandavense luculenter exprimit: *Per omnia*, inquit, *peccata habentia majorem excommunicationem annexam, intellige, sive sint latæ ab homine, sive à jure, etsi illæ eodem jure reservatæ non sint.* Quorum verborum sensus obvius et (quantùm nobis videtur) omninò perspicuus est, reservari omne peccatum, cui major excommunicatio connectitur, sive hæc sit per legem aut statutum, sive per præceptum aut sententiam; et rursùs si per legem aut statutum, sive per eamdem legem sit reservata, sive non. Nec refert quòd in statutis et ordinatis per illust. D. Triest, tit. 5, c. 10, reserventur *omnia delicta quæ excommunicationem* ORDINARIO RESERVATAM *annexam habent*, quia instructio pro confessariis et Pastorale tanquàm vicinior pastorum norma et regula ac episcoporum voluntas ultima derogant in hâc parte decretis istis et ordinatis. Sic a contrario in decretis et statutis synodi provincialis Mechliniensis, celebratæ anno 1570, tit. de Sacram., c. 6, præter casus expressos reservantur episcopis *omnia delicta quæ excommunicationem majorem à canone vel ab homine latam, annexam habent*, nullâ factâ reservationis mentione; cùm verò eadem clausula hodiè sit restricta ad *excommunicationem ordinario reservatam*, nemo in diœcesi Mechliniensi rectè recurret ad illud primæ synodi provincialis decretum et statutum.

642. Itaque (salvo meliori judicio) opinamur, per clausulam præfatam in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi reservari peccata, quibus episcopus vel per statutum vel per mandatum adjungit excommunicationem majorem, sive reservatam sibi, sive communi confessario relictam. Idem videtur esse de casibus pontificiis, dùm fiunt episcopales, ex privilegio, jure communi vel consuetudine: sunt enim *delicta habentia annexam excommunicationem majorem.*

643. — 3. In Leodiensi, spectatâ clausulâ parochialis, reservantur hoc loco episcopo casus papales, in quos potestatem habet per concil. Trident., sess. 24, c. 6. Incurrunt ergo, inquiunt Marchant et Manigart in hunc locum, præsentem casum, qui incidunt in peccata Sedi Apostolicæ reservata, si sint occulta, ut ferè sunt simoniæ, ecclesiarum effractiones, et earumdem spoliationes, falsificationes litterarum apostolicarum et similia. Dixi, *spectatâ præfatâ clausulâ parochialis*, quia instructiones confessariorum, insertæ litteris approbatoriis, peccata episcopo reservata satis articulatim et disertè numerant, omissâ memoratâ clausulâ.

644. — 4. In Mechliniensi et Namurcensi non reservantur hoc loco peccata quæ junctam quidem habent excommunicationem majorem, nisi hæc antecedenter ordinario reservata fuerit. Patet ex tenore verborum, quibus præsens casus in utràque diœcesi exprimitur. Repetendum autem est, quod aliquoties diximus, casum vel censuram episcopo reservari posse duobus modis: primò auctoritate et voluntate propriâ, ordinariâ et activâ. In hunc modum excommunicatio episcopo reservata est, quam ipse motu proprio tulerit et reservaverit vel per legem, vel per sententiam. Secundò, voluntate et auctoritate extraordinariâ et alienâ, videlicet Romani Pontificis.

645. In hunc modum reservatur episcopo excommunicatio papalis, cujus absolutio eidem episcopo committitur sive per privilegium sive per juris dispositionem. Similem censuram pontificiam inter excommunicationes episcopo reservatas doctores simpliciter numerant; Navarrus Manualis, c. 27, n. 112, ubi et

citat Innocentium communiter (ut inquit) receptum, et Panormitanum, Toletus, lib. 1 Summæ, c. 16, n. 6; Binsfeldius, Enchiridii, p. 5, c. 6, de Excommunicationibus reservatis episcopo. Porrò synodus provincialis Mechliniensis, celebrata sub illustrissimo Mathiâ Hovio, anno 1607, tit. 5, de Sacramento Pœnitentiæ, c. 5, monet, « quòd confessarii... lectioni « eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam « hauriant, diligentissimè vacare meritò debeant, ut- « pote directorii Polanci, Manualis Navarri, Summæ « Toleti, Enchiridii Binsfeldii et similium. »

646. Similiter censuram istam inter episcopales numerant Valerius Reginaldus, Praxis fori pœnit., lib. 4, cap. 11, sect. 2, n. 135; Lacroix, lib. 7, de censuris Ecclesiasticis, c. 2, dub. 4, art. 2, n. 296; Angelus, Sylvester et multi alii. Ratio horum doctorum est; quòd à tali censurâ episcopus quidem ipse absolvere possit; sed nullus confessarius episcopo inferior, sine speciali ejus commissione.

647. Ratio altera reddi potest; quia, si res considereturpaulò profundiùs, videtur episcopus similem censuram in actu exercito etiam *activâ potestate* sibi reservare: cùm enim episcopo facultas datur, à casu aliàs pontificio absolvendi, tam per se, quàm per alios; tùm quidem potest episcopus absolvendi auctoritatem non solùm exercere ipse, sed etiam confessariis inferioribus *speciatim* committere; quod ubi non facit, censetur concessam potestatem retinere sibi, atque adeò exercitè reservare, etiam activâ et ordinariâ potestate.

§ 4. *Corollaria.*

648. — 1. Ex doctrinâ proximè allegatâ probabilis est consequentia, quòd in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi excommunicatio reservata incurratur, vel potiùs reservatum peccatum, vi *illius* clausulæ, per *levem* clerici percussionem: quia *levis* clerici vel monachi percussio, et contracta desuper excommunicatio committuntur episcopo, c. *Pervenit*, de Sentent. Excom., ubi dicitur: *De his absolvendis, qui clericis non enormem, sed modicam et levem injuriam irrogârunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Navarrus, Toletus, Binsfeldius, Reginaldus, Lacroix citati. Id unum ex sæpè dictis repetendum, *levitatem* percussionis relativè spectandam.

649. — 2. Excommunicatio episcopo reservata est, non solùm quæ contrahitur ob gravem clerici vel monachi percussionem, verùm etiam ex quolibet probabiliùs capite, quando excommunicatus laborat canonico impedimento, quominùs commodè possit apostolico conspectui præsentari, ratione sexûs, statûs, ætatis, aut valetudinis. Doctores citati.

Dices: Non potest ista episcoporum clausula, *Et omnia delicta*, etc., in tantâ latitudine sumi; quia sacra congregatio cardinalium de mandato Clementis VIII, 1602, prohibuit, ne de cætero episcopi reservarent sibi casus, legi solitos in bullâ *Cœnæ*, nec alios Sedi Apostolicæ specialiter reservatos. Ita Quaranta, Lugo, Lesana et alii. Respondet Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 5, n. 79; quem vide.

3. Vi ejusdem clausulæ annexam habet excommunicationem ordinario reservatam, abortus fœtûs animati, ex constitutione Gregorii XIV, de quâ supra. Doctores citati.

650. — 4. Delictum habens annexam excommunicationem ordinario reservatam, est voluntaria communicatio cum excommunicato vitando, in crimine ob quod est excommunicatus; si enim excommunicatio ipsius principalis erat reservata episcopo, participatio in illius crimine erit delictum habens annexam excommunicationem, episcopo pariter reservatam. Doctores citati.

5. Incidit in excommunicationem ordinario reservatam, qui ob articulum mortis aut justum aliud impedimentum, à reservatâ episcopo excommunicatione absolvitur per illum qui aliàs non potuisset, si, cessante impedimento, quàm primùm commodè potest, se non præsentet superiori, quò ejus mandata recipiat. Doctores citati.

6. Non videtur tamen per hanc clausulam reservari delictum separatum à censurâ ob ignorantiam delinquentis. Ratio est quia reservatur delictum habens *annexam* (ut existimamus in ipso operante) *excommunicationem majorem.*

CAPUT XIX.

DE PECCATIS MANDANTIUM, CONSULENTIUM, etc.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS.—*An et quandonam mandans aut consulens delictum, incurrat censuram aut reservationem?*

651. Revidenda sunt, quæ prolegomeno VI diximus; ex quibus respondeo inprimis: Censura vel reservatio lata in auctorem criminis, non afficit mandantem vel consulentem, nisi contineatur tacitè vel expressè tenore legis, decreti vel sententiæ. Quapropter (ut rectè monet Navarrus c. 27, n. 51) debent accuratè perpendi verba juris vel sententiæ, et diligenter observari, an extendantur ultra executorem seu auctorem principalem criminis. Rursùs, si ultra extendantur, reflectendum, an æquè afficiant mandantem, ac consulentem: est enim differentia considerabilis inter mandatum et consilium. *Consulere*, est hortari aliquem aut incitare in aliquid, præmonstrato commodo vel incommodo ex usu vel neglectu consilii secuturo. *Mandare* autem, est aliquem in aliquid movere et impellere imperio vel auctoritate.

652. Hinc colligit Lacroix, lib. 7, c. 1, dub. 4, n. 58, ad mandantem, non ad consulentem extendi censuram, si canon vel sententia determinet illum, *qui hoc vel illud per se vel per alterum fecerit;* extendi autem ad utrumque, si dicatur, excommunicatum, suspensum, etc., fore, *qui quomodocumque fuerit causa* hujus vel illius criminis aut delicti. Si omnibus consideratis sit dubium, an intentio superioris dirigatur in cooperantes, existimat Dicastillo cum aliis apud Lacroix citatum, faciendam esse interpretationem benigniorem. Quod si sit certum, mandantem aut consulentem, vel

utrumque decreto reservationis aut censuræ affici, iterùm considerandum est, an æquè principaliter, ac ipse executor; an verò magis principaliter hic, minùs principaliter illi. Porrò minùs principaliter, et accessoriè fertur censura vel reservatio in cooperantes, quando superior seu legislator movetur præcipuè ab ipsâ turpitudine actûs vel effectûs, v. g., homicidii, quod quia vult impediri, ideò sub eâdem pœnâ, sed *indirectè* prohibet consuli vel mandari; tùm verò æquè principaliter fertur in cooperantes, quando lex aut legislator movetur à propriâ mandati vel consilii turpitudine, etiam sine ordine ad ipsam executionem; seu quando *directè* et gratiâ suî mandatum vel consilium censurat seu reservat. Hinc

653. Respondeo secundò: Si decretum reservationis aut censuræ respiciat magis principaliter executorem, accessoriè et indirectè cooperantes, non incurrunt censuram aut reservationem mandans aut consulens, nisi sequatur effectus, qualicumque causâ vel occasione impediatur. Navarrus citatus. Glossa, Clement. *Si quis suadente*, verbo *Mandaverit*; Sylvester, Tabiena, Sayrus apud Bassæum, verbo *Censura*, n. 14. Ratio est quia mandatum vel consilium in illo supposito non est completum maleficium. Unde, ut supra diximus ex Navarro, mandans cuipiam etiam centies percutere clericum, non excommunicatur, si non sequatur percussio.

654. Tertiò si censura vel reservatio afficiat æquè principaliter cooperantes, ac executorem, incurritur à mandante et consulente, etsi mandatum vel consilium revocetur, aut non sequatur effectus. Omnes citati cum Lacroix, n. 60. Ratio est quia mandatum et consilium in casu sunt actio consummata, prohibita secundùm se sub peccato reservato vel censurâ. Exemplum superiùs adductum est in mandante interfici aliquem per assassinos; qui statim excommunicatus est, etsi non sequatur effectus mortis.

Quartò, qui determinato ad maleficium hodiè committendum, mandato vel consilio persuadet, ut differat in octiduum, non incurrit reservationem aut censuram decretam in mandantem aut consulentem, sive accessoriè sive principaliter. Ratio est quòd propriè loquendo nec mandet nec consulat, ut fiat maleficium, sed potiùs ut non fiat, saltem infra octiduum; sperans futurum ut interea temporis ad se redeat malefactor, remisso, v. g., aut subsidente furore.

655. Quintò, aliud videtur dicendum si quis mandato vel consilio causa sit ut reipsà anticipetur delictum. Navarrus, Molina, Vasquez, apud Lacroix, n. 65. Oppositum docet Dicastillo cum nonnullis aliis; quia si supponatur malefactorem ad delictum committendum prorsùs determinatum esse, qui mandat vel consulit anticipari, non attingit, inquiunt, substantiam actûs, sed modum seu circumstantiam.

Sextò, sive censura aut reservatio respiciat mandantem aut consulentem accessoriè, sive principaliter, incurritur ab utrovis, si efficaciter influat in effectum, tametsi ejusdem effectûs neuter sit causa sine quâ non, quatenùs aut ipse executor suâ sponte delictum commisisset, aut mandans vel consulens aliter non defuisset.

656. Septimò censura vel reservatio decreta in mandantem, sed accessoriè, non incurritur, si mandatum seriò ac tempestivè revocetur, monito desuper mandatario, quamtùmvis postea sequatur effectus. Ratio est quia hìc jam non sequitur auctoritate mandantis, sed solâ voluntate executoris. An idem est de consulente? — Respondeo: Non semper: est enim (sicut supra diximus) differentia inter mandatum et consilium, quòd mandatum influat in effectum, mandantis imperio, signato vel exercito, quo mandatarius omninò solvitur per revocationem. Consilium vero movet persuasione commodi ex malefacto secuturi, quæ quamdiù immanet animo consiliarii, frustranea et inefficax fuerit consilii revocatio.

§ 2. *Tenor casûs.*

657. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi nihil de hoc casu.

In Cameracensi et Ruræmundensi reservantur *peccata mandantium, consulentium, auxilium et favorem præstantium in hæresi, homicidio, incendio, maleficiis supra dictis.*

§ 3. *Reflexiones.*

658. — 1. Non solùm in Cameracensi et Ruræmundensi, verùm etiam in diœcesibus cæteris incurrunt casum reservatum, qui *auxilium* præstant in ipsam actionem principalem, physicè et personaliter adjuvantes et concurrentes ad committendum incendium, homicidium, maleficium, hæresim. Ratio quia sicuti participans in actione furtivâ, fur est; ita participans in incendio, homicidio, maleficio, hæresi, est propriè incendiarius, homicida, maleficus, hæreticus.

659. — 2. In omni diœcesi incurrunt casum etiam *specialiter* reservatum, *fautores*, receptatores ac defensores hæreticorum, nisi ab excommunicatione excusentur ob ignorantiam, seu defectu pertinaciæ. Ratio, quia *favor*, receptatio, defensio hæreticorum, est casus pontificius, primo loco reservatus in bullâ *Cœnæ*, ubi sic legimus, § 1: *Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis... omnes et singulos hæreticos... eorumque receptatores, fautores et generaliter quoslibet eorum defensores.* Debet autem *favor*, receptatio vel defensio præstari hæretico quatenùs tali, seu in causâ hæresis; quod potest fieri duobus modis: primò omissione, secundò commissione. *Fautore* omissione sunt, qui ex officio obligati connivent, nec contra hæreticos procedunt juxta c. *Ad abolendum*, de Hæreticis. Commissione autem *fautores* sunt, qui favent verbis, litteris, factis, laudando justitiam et innocentiam hæreticorum, prætendendo injustitiam episcoporum vel inquisitorum, suppeditando victum, commeatum, hospitium, arma vel media, quibus declinent manus et pœnas competentis judicis.

660. — 3. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi, Namurcensi, quod attinet incendium (de abortu non loquemur ampliùs) committunt peccatum reservatum mandans, consulens ac demùm

quilibet moraliter influens in effectum consummatum ; quia licèt in iisdem diœcesibus non fiat mentio expressa de mandante, consulente, auxilium vel favorem præstante, ut in duabus diœcesibus memoratis, nihilominùs episcopi utuntur termino, in utrumque sensum æqualiter intelligibili, videlicet tam quod attinet causalitatem principalis seu executoris, quàm cooperantium. Vide Prolegomenon 6 et caput 11.

4. In Leodiensi et Gandavensi casum non incurrit mandans, consulens, consentiens in causâ homicidii, incendii, maleficii. Ratio est : quia neque hìc neque alibi, neque tacitè neque expressè in illius diœcesibus peccatorum illorum reservatio extenditur ad cooperantes. Idem est de Antuerpiensi, Busceducensi, Coloniensi, Mechliniensi, Namurienci, si, ut statim diximus, excipias incendium.

§ 4. *Corollaria.*

661. — 1. In nullâ diœcesi, ne in ipsâ quidem Cameracensi vel Ruræmundensi incurrit casum reservatum, qui mandat, consulit, consentit vel favorem præstat in sodomiâ, simoniâ, apostasiâ, falsitate circa litteras, vel monetam, etc. Ratio, quia tantùm quatuor genera peccatorum specificantur. Excipe juxta primam reflexionem, *auxiliantem* per influxum physicum, personalem et immediatum in actionem reservatam, v. g., falsitatem circa litteras vel monetam, etc.

2. Casu reservato tenetur in Cameracensi et Ruræmundensi, non solùm qui alterum physicè adjuvat ad committendum incendium, homicidium, maleficium, aut moraliter impellit per mandatum vel consilium ; verùm etiam, qui ignem, gladium, philtrum malefactori scienter tribuit, etsi de cætero nullam partem habeat in actu reservato.

3. Aliter loquendum de illo qui favet hæretico, quatenùs amico vel consanguineo extra materiam hæresis ; quòd hoc non sit favere hæretico formaliter considerato.

4. Idem de illo qui hæretico, homicidæ, incendiario, malefico mandat, consulit, consentit, auxilium vel favorem præstat ad distinctum seu disparatum delictum, v. g., sodomiæ, raptûs, stupri, adulterii, perjurii, blasphemiæ, etc.

662. — 5. Mandans, consulens vel consentiens, in nullâ diœcesi videtur committere peccatum reservatum, etiam quod attinet quatuor peccatorum genera sæpiùs memorata, nisi effectus reipsà secutus fuerit, seu nisi mandatum, consilium, consensus, in effectum, realiter secutum et consummatum influat. Quare non erit locus casui reservato, si executor ex suâ parte satis determinatus, non moveatur consilio vel mandato ; item si mandatum vel consilium tempestivè et efficaciter revocetur ; ac denique si principalis ad se reversus, mutato proposito, homicidium, incendium, maleficium non exequatur. Ratio est quia decretum reservationis videtur cooperantes tantùm afficere accessoriè seu indirectè. Quare mandatum, consilium, etc., quæ et quatenùs præsenti reservatione afficiuntur, supponere videntur actionem principalem positam et consummatam ; non enim, ut ita loquar abstractim reservatur mandatum, consilium, etc., sed cum relatione ad actum executoris ; quia in diœcesibus Cameracensi et Ruræmundensi (in cæteris nulla desuper quæstio seu difficultas) reservantur *peccata mandantium, consulentium, auxilium et favorem præstantium in hæresi, homicidio, incendio, maleficiis supra dictis*, id est, supra expressis et reservatis, atque adeò cum effectu positis et consummatis.

CAPUT XX.

DE PERCUSSIONE PARENTUM.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quæ obligatio filiorum in parentes ?*

663. Respondeo : Tenetur filius jure divino et naturali honorare parentes. Constat manifestè ex sacrâ Scripturâ, Exodi 20, v. 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Quod præceptum, formaliter positivum, virtualiter negativum, convenienter (ut observat S. Thomas, 2-2, q. 122, art. 5, O.) numeratur primum secundæ tabulæ, quia Deum proximè sequuntur parentes, tanquàm principium particulare et secundarium existentiæ nostræ. Parentes igitur primariò intelliguntur qui nos carnaliter genuerunt, præter quos multi sunt, inquit Catechismus Romanus, quos loco parentùm colere et venarari debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis vel præstantis alicujus muneris et officii nomine. Honor autem iisdem debitus, secundùm omnes theologos in tribus punctis consistit, amore, obedientiâ, reverentiâ.

664. *Amor* exigit 1° ut filius parentibus nullum malum aut velit aut faciat. 2° Ut actu positivo diligat, non solùm benè volens, sed etiam benè faciens, quantùm vires permittunt, in quâvis eorum necessitate. 3° Ut caveat et propulset omnem eorum injuriam, damnum aut nocumentum. Amoris officio deest filius et mortaliter peccat, suppositâ deliberatione et quantitate materiæ, qui parentibus malè precatur ; de malo eorum gaudet, de bono tristatur ; qui eos corde, ore, vel opere affligit, contemnit, subsannat, irridet ; qui verbis injuriosis, contumeliis, maledictis afficit ; qui negligit succurrere necessitati tùm spirituali, tum corporali, etc. Intellige semper deliberatè et seriò et in materiâ notabili. Vide S. Script., Prov. 20, v. 20 ; item 23, v. 22, item 30, v. 17 ; Exodi 21, v. 17, ubi pœna mortis decernitur in eum *qui maledixerit patri suo vel matri.*

665. *Obedientia* requirit ut filius in omnibus licitis et honestis, ad curam paternam pertinentibus, perfectè impleat voluntatem parentis, idque sub peccato ex genere mortali. Vide S. Scripturam, Ephes. 6, v. 1, 2, 3 ; Coloss. 3, v. 20 ; Ecclesiastici 3, v. 1, 2, 3 ; Proverb. 1, v. 8. Ratio fundamentalis sumitur ex jure divino naturali, quo tenentur parentes educare filios in Dei timore ac disciplinâ, et instruere in iis quæ sunt salutis et honestatis. Vide S. Scripturam, Ephes. 6, v. 4. Hæc autem parentùm obligatio inutilis et nulla fuerit, nisi supponatur in filiis obediendi debitum correlativum. Huic debito repugnat, et est peccatum mortale omnis filiorum inobedientia, rebellio, contu-

macia contra expressa et seria mandata parentûm, nisi excusent materiæ levitas, inadvertentia vel negligentia quædam humanæ fragilitatis. Sumitur ex Scripturis, Roman. 1, v. 30, inter illos quos tradidit Deus in reprobum sensum, numerantur *parentibus non obedientes*. Item 2 ad Timoth. 3, v. 2, inter peccata gravissima, quæ circa mundi finem futura sunt, recensetur inobedientia filiorum. Item Deut. 21, v. 18, decernitur pœna lapidationis in *filium contumacem et protervum, qui non audiat patris aut matris imperium.*

666. *Reverentia* postulat, ut filius juxta regulas honestatis et morem gentis, parentibus debitam et competentem venerationem ac respectum exhibeat. Vide S. Scripturam, Tobiæ 4, v. 4; Ecclesiastici 7, v. 29; Deuteron. 27, v. 16, maledictus dicitur qui non honorat, non veneratur patrem et matrem.

667. Huic obligationi quatuor modis filii deesse possunt, defectu, signo, verbo, facto. *Defectu* censentur irreverentiam facere, qui consueta secundùm patriæ consuetudinem, urbanitatis et submissionis officia non impendunt. *Verbo* irreverentes sunt, qui verbis durioribus, inurbanis, contumeliosis alloquuntur, aut aliorum risui seu ludibrio exponunt. Quare maledictus est Cham in suis filiis, Gen. 9, v. 25, quòd nudata patris verenda non solùm non operuerit, sed nuntiârit fratribus in irrisionem. *Signo* irreverentiam faciunt, qui per cachinnos, subsannationes, gesticulationes, simulatos eorum actus, præsentibus vel absentibus illudunt, de cujusmodi legimus Proverb. 30, v. 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Demùm *facto* irreverentiam irrogat qui parentes percutit, quantumvis levissimè, aut etiam solummodò manum vel instrumentum levat ad percutiendum, peccato semper mortali, nisi excuset inadvertentia, jocus aut moderamen inculpatæ tutelæ. Ita communiter doctores, Filliucius, tract. 28, part. 2, c. 1, n. 17; Reginaldus, Praxis fori pœnit., l. 20, c. 2, n. 24; Sporer, tract. 3, in 4, Præcept. decal. c. 5, sect. 1, n. 32; Toletus, c. 1, l. 5, n. 9; Navar. c. 14, n. 12, et cæteri.

668. Ratio est quia licèt similia sint tantùm venialia contra justitiam respectu cæterorum, sunt tamen mortalia contra pietatem respectu parentûm, et ab ejusmodi actionibus tanquàm graviter peccaminosis abhorret natura rationalis. Quare meritò in sacris litteris Exodi 21, v. 15, statuitur, ut *qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.*

669. Irreverentia autem omnium gravissima committitur per parricidium, scelus tam enorme, ut veteres (teste Cicerone pro Roscio Amerino) nullam pro eodem pœnam decreverint, existimantes, in naturam rationalem non posse cadere. Postea jure civili ordinatum, ut parricidis per virgas sanguineas primùm cæsis; deinceps os et caput obvolvantur; tum culeo insuantur cum gallo gallinaceo, cane, simiâ et viperâ, atque ita in mare vel amnem proximum demittantur: videlicet tanquàm bestiis quàm hominibus similiores, et indigni cœlo, dùm vivunt, terrâ, dùm moriuntur.

§ 2. *Tenor casûs.*

670. In Antuerpiensi dicitur : *Injectio* (manuum) *violenta et gravis in proprios patrem et matrem, avum et aviam facta.*

In Buscoducensi : *Injectio violenta cum læsione in parentes facta.*

In Cameracensi : *Injectio violenta manûs in patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, vitricum, novercam.*

In Coloniensi : *Injectio manuum violenta in parentes cum læsione.*

In Gandavensi : *Injectio manuum violenta et deliberata in parentes cum læsione* : quod ita exponitur in Pastorali : *Per injectionem manuum*, etc., *intellige injuriosam cum læsione in patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, vitricum et novercam.*

In Leodiensi : *Injectio manûs in parentes.*

In Mechliniensi et Namurcensi : *Injectio manuum violenta deliberato proposito cum læsione in parentes facta.*

In Ruræmundensi : *Injectio violenta manûs in patrem, matrem, horum majores, vitricum et novercam.*

§ 3. *Reflexiones.*

671.—1. In omni diœcesi requiritur *Injectio manuum violenta.* Quid autem hoc nomine intelligatur, rectiùs determinari posse non videtur quàm ex communi theologorum et canonistarum opinione, in c. *Si quis suadente* 17, q. 4, ubi Innocentius II anathematis vinculo subjicit qui manus violentas in clericum vel monachum injecerit dicens : *Si quis suadente diabolo... in clericum vel monachum* VIOLENTAS MANUS INJECERIT, *anathematis vinculo subjaceat.* Itaque quod Innocentius II, per violentam manuum injectionem in clericum vel monachum intelligit ad effectum canonis, idem rectè dicetur intelligere episcopus per injectionem manuum violentam in parentes et alios, ad effectum reservationis.

672. Quare dicimus per violentam manuum injectionem intelligi quamlibet injuriosam et mortaliter peccaminosam violentiam respectu personæ parentûm et aliorum superiùs expressorum, factam manu, pede, brachio, genu proximè vel mediante instrumento. Itaque quòd exprimatur *manus*, non est ad excludendum cæteras partes corporis, aut percussionem quæ instrumento fiat; sed quia *manus* sunt ordinarium et magis paratum medium similis violentiæ. Ita passim doctores interpretantes canonem *Si quis suadente.* Toletus, l. 1, c. 31, n. 4; Navarrus, c. 27, n. 77; Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 23, § 2, num. 2; Bassæus, verbo *Excommunicatio* 7, § unico, num. 2; Reginaldus, lib. 1, num. 105; Herincx, de Censuris ecclesiasticis, disp. 6, q. 2, § 14, num. 58· Filliucius, Lesana, Barbosa, Suarez et innumerabiles alii.

673. — 2. In omni diœcesi requiritur ut percussio sit voluntaria, formaliter et materialiter injuriosa et

cum *proposito deliberato*. Quapropter ubilibet à casu reservato excusant agentis ignorantia, impotentia mentis per phrænesim, somnium, ebrietatem, motus, ut vocant, primò primus seu passio subitanea prævertens voluntatem et libertatem, ac demùm necessitas inculpatæ tutelæ aut justæ defensionis.

674. — 3. Sed dubitatur qualis et quanta debeat percussio esse, ut censeatur reservata; an videlicet sufficiat mortalem esse comparativè, id est, spectatà habitudine seu qualitate agentis et patientis; an verò requiratur ut percussio in se considerata sit gravis, adeò ut independenter à conditione seu conjunctione percussi et percutientis, percussio mortalis esset, etiam respectu alterius cujuscumque hominis. Ratio dubitandi est; quia, ut supra dictum, magna videtur esse affinitas inter percussionem parentûm in ordine ad incurrendam reservationem, et inter percussionem clericorum vel monachorum in ordine ad incurrendam censuram. Atqui ad hanc requiritur ut percussio sit secundùm se seu absolutè mortalis, ut omnes doctores tradunt; ergo.

675. — Respondeo: In Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi, ad reservationem sufficit quæcumque violentia etiam absolutè levis, dummodò graviter injuriosa parentibus. Castropalao, de Sacram. Pœnitent., tract. 23, disp. unic., puncto 15, n. 10; Gambarupta, de Cas. res., fol. 211, n. 2; Barbosa, de Officio et Potest. episc., parte 3, alleg. 51, n. 113; Henno, in Reflexionibus ad casus Cameracenses. Ratio redditur ab auctoribus adductis, quia omnis percussio, etiam in se levis et modica, mortalis est respectu parentûm (quidquid sit de vitrico, novercâ, etc.), si fiat cum injuriâ formali ac materiali et sufficienti deliberatione, idque per decalogum, antecedenter ad reservationem episcopi et ullam legem positivam. Vide Navarrum, Filliucium, Richardum, Reginaldum, Herincx, Suarez, Trullench.

676. Itaque adsunt in supposito omnia (ut Castropalaus arguit) ex hâc parte requisita ad casum reservatum; adest enim percussio seu violenta manuum injectio in parentes, mortaliter peccaminosa, cum deliberato proposito, etc. Hinc fluit responsio ad argumentûm principale oppositæ opinionis seu potiùs rationem dubitandi: patet, inquam, disparitas inter percussionem clerici vel monachi in ordine ad incurrendam censuram et percussionem parentûm in ordine ad reservationem: quia quælibet percussio, in se et absolutè levis ac modica, non est mortalis respectu clerici, atque adeò nec materia censuræ; at omnis parentum deliberata percussio est peccatum mortale, idque prorsùs enorme, ac proinde materia reservationis.

677. Excipitur tamen diœcesis Antuerpiensis, quòd illìc reservetur injectio violenta *et gravis*, quo videtur significari, non sufficere percussionem qualemcumque eo ipso quo fuerit deliberata et *violenta*, sed insuper ex mente reservantis seu ad effectum reservationis requiri, ut secundùm se *gravis* fuerit.

678. — 4. In Antuerpiensi, Cameracensi, Leodiensi, Ruræmundensi nulla requiritur læsio corporalis. Secùs est de Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi et Namurcensi. Porrò læsionem continent, 1° mutilatio; 2° fractura membrorum; 3° dislocatio juncturarum; 4° vulneratio vel scissura aut notabilis contusio. Læsio tamen non videtur esse productio sanguinis è naribus vel gingiva per pugnum, v. g., in faciem impactum; tumor nasi vel oculorum aut modica capillorum evulsio.

679. Ratio, quia communi hominum voce et sensu, qui simile aliquid fecit aut passus est, non dicitur læsisse aut læsus esse. Quòd si quæras qualis et quanta requiratur læsio præter percussionem in quinque diœcesibus ultimò nominatis; respondeo sufficere quamlibet veri nominis læsionem, comparativè gravem, quantùmvis aliàs secundùm se levem et modicam.

680. — 5. In Antuerpiensi reservatio non extenditur ultra secundum gradum lineæ rectæ ascendentium, quia debet, ut reservetur, manuum injectio fieri *in patrem, matrem, avum vel aviam*. In Cameracensi et Gandavensi extenditur reservatio usque ad tertium gradum consanguinitatis in lineâ rectâ ascendentium; quia dicitur, reservatam fore injectionem violentam manuum *in patrem, matrem, avum, aviam proavum, proaviam*. In Cameracensi, Gandavensi, Ruræmundensi peccatum reservatum committunt privignus et privigna percutientes *vitricum* vel *novercam*. In Buscoducensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi requiritur, ut injectio manuum fiat simpliciter in parentes, vel, ut paulò explicatiùs addit Ruræmundensis, *in patrem, matrem, horum majores*.

681. Hinc nascitur quæstio, quid in diœcesibus proximè memoratis vocabulo *parentes* simpliciter posito intelligatur, id est, an solus filius vel filia in primo gradu lineæ rectæ descendentium incurrat casum reservatum, si percutiat patrem aut matrem in primo gradu lineæ rectæ ascendentium; an verò etiam nepos et neptis percutientes avum vel aviam, privignus et privigna percutientes vitricum et novercam, gener et nurus percutientes socrum vel socerum; vel tandem generatim quæritur quorum percussio præter patris et matris, in vim istius vocabuli *parentes* censeri debeat reservata.

682. Respondeo primò: Nomine *parentûm* simpliciter posito intelliguntur non solùm pater et mater à quibus proximè generamur, verum etiam *horum majores*, à quibus mediatè descendimus. Omnes de hâc re scribentes. Constat ex l. *Appellatione*, ff. de Verb. significatione, ubi dicitur: *Appellatione parentis non tantùm pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur; sed et mater et avia et proavia.*

683. Respondeo secundò: Nomine *parentûm* non intelliguntur vitricus et noverca. Contrarium sustinet Chapeauville. Steyaert autem ab hâc difficultate præscindit, solummodò dicens: Reservatur etiam in diœcesi Mechliniensi *injectio manuum violenta cum*

læsione in parentes facta, puta, in patrem, matrem, avum, aviam, etc., ubi relinquit ambiguum, an per τὸ, etc., intelligat solos ascendentes consanguineos, avo et aviâ superiores, an insuper affines. Nobiscum tenent amplissimus D. Van Vyve, § 10, de Injectione manuum, n. 1; Arsdekin, Correct. in hunc casum. Marchant, c. 6, n. 4; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1646; Barbosa, part. 3, alleg. 51, n. 114, citans Navar., Ferer., Lælium, Zech., Gambarupt. Ratio nostra et illorum est quòd per *parentes* propriè et strictè loquendo intelligantur soli generantes proximè vel remotè quales non censentur vitricus et noverca respectu privigni et privignæ.

684. Respondeo tertiò : Nomine *parentûm* non intelliguntur socer et socrus. Contrarium docent amplissimus Van Vyve, Chapeauville, Notau. Nobiscum tenent iidem, Marchant, Barbosa, Lacroix, Arsdekin et cæteri, ab illis citati. Ratio est eadem quæ responsionis præcedentis ; ut enim vitricus et noverca non generant privignum vel privignam, ita nec socer aut socrus generum vel nurum. Quare videntur loqui inconsequenter qui comprehendunt sub nomine *parentûm* socrum et socerum, excludentes interim vitricum et novercam : nec enim dabitur inter utrosque differentia, nisi materialis et ad rem impertinens, ut videre poteris, § 5, præsentis capitis.

§ 4. *Corollaria.*

685. — 1. In nullâ diœcesi reservatur injuria formalis tantùm, consistens in affectu, proposito intentione aut irrito conatu percussoris, puta quia pater declinat ictum, aut manus percussoris violenter reprimitur.

2. In nullâ pariter diœcesi sufficit injuria materialis tantùm aut minùs deliberata, v. g., quando filius, nepos, etc., ignoraret, parentem, avum, etc., esse quem percutit, vel quando manus per calorem iracundiæ præcederet voluntatem.

3. Item, si injuria sit tantùm verbalis per improperia, sarcasmos aut scommata paterno respectui graviter repugnantia.

686. — 4. Idem de injuriâ reali per minas intentatâ, vel per timorem, elevatâ manu, incussum sine effectu persecutionis.

5. Similiter nullibi incurrit casum reservatum filius qui patrem, ex phrænesi, ebrietate, furore injustum vitæ aggressorem reprimit seu repellit, quantum satis est et requiritur ad declinandum manus invasoris. Aliter loquendum, si aliter elabi potens, excedat voluntariè et deliberatè moderamen inculpatæ tutelæ.

6. In omni diœcesi incurrit peccatum reservatum qui parentem mutilat, occidit, vulnerat, lædit, etc. Nec excusabit titulus correptionis, ad emendandos mores corruptos parentis.

7. In Antuerpiensi, Cameracensi, Leodiensi, Ruræmundensi reservatione teneretur filius qui spueret in faciem parentûm, aut aquam, pulverem, etc., cum mortali et gravi absolutè injuriâ, in faciem vel caput parentûm injiceret. Vide doctores in canonem *Si quis suadente.*

687. — 8. Item in iisdem diœcesibus, si filius vestimentum, quo parentûm alter induitur, cum impetu et violentiâ, ex affectu vindictæ aut contumeliæ, laceraret. Non tamen qui vestem quâ actu non induuntur, aut rem aliam eisdem non adhærentem, puta, librum, equum, domum, laceraret, auferret, occideret, incenderet ; quemadmodùm qui simile aliquid committeret respectu clerici, non incideret in excommunicationem canonis. Ratio est quia non est percussio, veluti ad quam requiritur, ut realis injuria redundet in personam. Vide doctores in canonem *Si quis suadente.*

9. Item ibidem incurrit casum qui parentes vel eorum alterum graviter et meritò invitum, per physicàm violentiam detinet, aut equum cui insidet eorum alter, freno prehenso, cum pertinaciâ et animo injuriandi, sistit. Vide doctores in citatum canonem.

688. — 10. Item, si quis parentes incarceraret, domui vel cubiculo includeret ad injuriam.

11. Item, si filius rem quampiam cum furore et gravi violentiâ, ex eorum manibus eriperet, etsi nulla sequeretur læsio corporalis.

12. Quantùm attinet ad quinque corollaria præcedentia, aliter loquendum est pro diœcesibus Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, in quibus præter percussionem, requiritur læsio corporalis.

13. In nullâ diœcesi committit peccatum reservatum, percutiens socrum vel socerum ; quia nullibi exprimuntur ac de cætero non sunt *parentes*, nec *vitricus* vel *noverca.*

689. — 14. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Leodiensi, Mechliniensi et Namurcensi non incurrunt casum privignus aut privigna percutiens et lædens vitricum vel novercam. Aliud dicendum de Cameracensi, Gandavensi, Ruræmundensi.

15. In Antuerpiensi non tenetur lege reservationis pronepos vel proneptis, percutiens aut lædens proavum vel proaviam. Aliter loquendum de aliis diœcesibus.

16. In nullâ diœcesi committit actum reservatum, mandans aut consulens percuti et lædi patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, vitricum vel novercam, nisi supponas læsionem vel percussionem occisivam.

§ 5. *Objectiones solutæ*

690. Objicies contra reflexionem ultimam circa finem : differentia inter vitricum et novercam ex unâ, et socerum ac socrum ex alterâ parte est quòd *non eadem utrisque adhibenda sit reverentia : parentes namque uxoris magis solent honorari et honorandi sunt, quàm vitricus et noverca, utpote principium vitæ, saltem uxoris et prolium utriusque ; et sic quodam sensu principium vitæ percutientis ; vir enim et uxor censentur quodammodò unum corpus... vitricus autem et noverca non sunt ullo modo principium vitæ percutientis, nec ita honorandi.*

691. Respondeo. Differentiam, ut supra dictum,

plus quàm materialem non videmus. Negamus autem, non esse utriusque eamdem reverentiam exhibendam. Negamus parentes uxoris seu socerum et socrum magis honorari solere, quàm vitricum et novercam. Sunt excedentia et excessa. Et quamvis verum foret, quòd hi magis, quàm illi honorari solerent, non esset ideò, quòd socrus et socer magis accederent ad rationem *parentûm*, quàm vitricus et noverca; sed quia invito non datur socer aut socrus, quemadmodùm invito et reluctanti dari potest et sæpissimè datur vitricus vel noverca : id est, sicut proprio et libero amore eligitur uxor aut maritus respectivè, sic eâdem libertate assumuntur et agnoscuntur parentes mariti vel uxoris respectivè, id est, socer aut socrus.

692. Atverò vitricus et noverca, suâ, non privigni aut privignæ voluntate matrimonium ineunt, atque ideò sæpè invitis dantur. Quod autem additur, soceruin et socrum reipsà magis honorandos esse, quàm vitricum et novercam, quantumvis verùm foret, ad rem non faceret : non enim hoc quæritur, an socer et socrus venerandi et honorandi sint, neque an magis vel minùs quàm vitricus vel noverca; sed an potiùs parentes sint. Sic malè argueret, qui vellet percussionem avunculi potiùs reservatam esse, quàm nepotis, eò quòd avunculus magis quàm nepos honorandus sit : cùm enim neuter sit *parens* alterius, neutrius percussio reservatur : non obstante debito inæquali respectûs seu venerationis.

693. Dixi, *quantumvis verum esset;* nec enim ex ullo capite nobis constat, socrum et socerum magis honorandos esse quàm vitricum et novercam. Certè id non ostenditur per rationem in objectione allegatam, videlicet quòd socer et socrus sint principium vitæ, respectu generi et nurûs, non autem vitricus et noverca, respectu privigni et privignæ : quod inde probat auctor objectionis; quia juxta Apostolum, uxor et maritus, per matrimonium consummatum fiunt una caro et unum corpus, adeòque parentes uxoris vel mariti respectivè fiunt aliquo sensu parentes utriusque, id est, generi et nurûs.

694. Verùm non advertit auctor objectionis, quòd eadem ratio, eodem modo probet, vitricum et novercam, esse parentes privigni et privignæ : ut enim per matrimonium consummatum, fiunt una caro et unum corpus filius tuus et uxor ejus seu nurus tua, ita per simile matrimonium, fiunt una caro et unum corpus, pater tuus et uxor secunda ejus seu noverca tua : atque adeò, sicut prior carnis et corporis unitas sufficit, ut *quodam sensu* sis *generans* sive pater respectu uxoris filii seu nurûs; sic similis corporis et carnis unitas sufficiet in casu altero, ut sis *genitus* sive *filius* respectu uxoris patris tui seu novercæ tuæ. Clarissimè in exemplis. Catharina est filia legitima Petri et Joannæ. Init Catharina matrimonium cum Paulo. Manifestum est quòd Paulus verè et propriè non sit filius Petri et Joannæ, cùm nunquàm ab iisdem reverà productus sit.

695. Interim cùm fiat, per matrimonium consummatum, Paulus una caro cum Catharinâ, hinc fit, ut sicuti Catharina est propriè filia Petri et Joannæ, sic *quodam sensu* Paulus (quatenùs unus vel una caro cum Catharinâ) censeatur filius eorumdem. Exemplum secundum. Catharina vidua est vera mater Pauli; init eadem Catharina matrimonium cum Petro; manifestum est quòd Petrus verè et propriè non sit pater Pauli, eò quòd Paulum verè et propriè nunquàm produxerit. Interim cùm fiant per matrimonium consummatum una caro Petrus et Catharina, hinc sicuti Catharina est verè et propriè mater ipsius Pauli, sic *quodam sensu* Petrus est pater ipsius Pauli. Atque adeò à primo ad ultimum, eodem modo et fundamento, quo gener et nurus, propter unitatem carnis et corporis, ex matrimonio provenientem, censentur geniti à socero et socru, censentur pariter à vitrico et novercâ geniti privignus et privigna, id est, utrique impropriè.

CAPUT XXI.

DE PERJURIO.

§ 1. QUÆSTIO PRÆLIMINARIS PRIMA. — *Quid juramentum et quotuplex, ac qui ejus comites?*

696. Respondeo : Juramentum est invocatio divini numinis, ad fidem faciendam seu promissionem firmandam, vel generatim, in confirmationem veritatis. Vide S. Thomam, 2-2, q. 89, art. 1. *Invocatio* ponitur loco generis; quia etiam per orationem invocatur Deus. Dicitur autem *invocatio*, non enuntiatio; nam enuntiare, quòd Deus, v. g., sit testis omnium, non est jurare; sed asserere rem evidentem, quæ ad fidem et scientiam pertinet. Similiter dictum aut scriptum aliquod confirmare testimonio aut verbo Dei, non est jurare, quia est tantùm divini testimonii enuntiatio, non invocatio. Dicitur denique, *ad fidem faciendam*, etc., quæ particulæ significant differentiam : nam licèt oratio pariter Deum invocet, non tamen ut testem, sed adjutorem. Hinc sequitur juramentum esse actum Religionis, quo protestamur infallibilem Dei veracitatem, quatenùs in defectum veracitatis humanæ, invocatur divina, tanquàm omnis controversiæ punctum, finis et terminus. Vide S. Thomam cit. O.

697. Porrò juramentum variè dividitur : primò ex parte formæ, in contestatorium, et execratorium. Contestatorium est, quo Deus simpliciter vocatur in testem; execratorium, quo insuper invocatur in vindicem, si contigerit deesse veritatem. Secundò dividitur ratione materiæ, in assertorium, promissorium, comminatorium. Assertorio juxta nomen ejus asseritur, id est, negatur vel affirmatur aliquid præsens vel præteritum. Promissorio promittitur aliquid futurum. Comminatorio juratur pœna alicui inferenda. Tertiò ratione circumstantiarum, aliud est judiciale, aliud extra-judiciale; aliud simplex, aliud solemne. Hoc fit cum certâ quâdam solemnitate, v. g., tactis Evangelio, cruce, altari, pectore sacerdotis, etc., illud sine illâ circumstantiâ. Quartò ratione modi, in tacitum, expressum, absolutum, conditionatum.

698. Denique ad licitè jurandum, tres vulgò comites requiruntur, veritas, justitia, judicium. Veritas in

actu jurantis; justitia in objecto juramenti; judicium in motivo jurandi. Exigit veritas, ut verum sit, quod curatur, si non realiter et objectivè, saltem moraliter fertâ jurantis opinione. Exigit justitia honestatem objecti, ut Dei sanctitas non statuatur testis et medium actûs peccaminosi. Exigit judicium discretionem jurantis, ut nomen Domini non assumatur in vanum.

Quæstio II. — *Quid perjurium et quale peccatum?*

699. Responsio facilis est ex jam dictis : colligitur enim, perjurium impropriè et generaliter sumptum, esse juramentum illicitum, defectu cujuscumque comitis : ut si quis ex levi aut nullâ causâ interponat divinam auctoritatem, aut actum vel propositum peccandi, invocato Dei testimonio firmet. Perjurium autem propriè sumptum, est juramentum, cui deest jurata veritas, sive interim sit contestatorium, execratorium, assertorium, promissorium, comminatorium, simplex, solemne, tacitum, expressum, absolutum, conditionatum.

700. Breviùs, perjurium strictè sumptum describitur, *mendacium juramento firmatum*. S. Thomas, q. 98, art. 1, quia, cùm perjurium propriè sit juramentum cui deest formalis et jurata veritas, seu cui subest falsitas scienter et exteriùs expressa (S. Thomas ad 1), cùmque falsitatem scienter exprimere, sit contra mentem loqui, sequitur quòd perjurium propriè sumptum sit juratum mendacium. Porrò ad mendacium sufficit quòd homo aliud ore exprimat aliud corde judicet, quantùmvis vocalis propositio sit conformis objecto realiter considerato; ita ut ad naturam mendacii sufficiat realis vel existimata falsitas, seu difformitas vocalis propositionis ad objectum, prout substat loquentis judicio. Id autem quatuor potissimùm modis contingit : 1° quando quis scit vel existimat aliquid non esse verum, et nihilominùs dicit esse verum; 2° quando scit vel existimat esse verum et affirmat esse falsum; 3° quando scienter dicit dubium, quod est certum; 4° quando certum, quod dubium.

701. Hinc colligitur malitiam perjurii strictè sumpti in eo consistere quòd Deus statuatur testis mendacii seu falsitatis, quatenùs exercitè affirmatur testari Deum quod noscitur aut putatur esse falsum, cum gravi injuriâ et præjudicio divinæ veracitatis. Imò verò homo faciet injuriam homini, si affirmet hunc scienter testari aut esse paratum ad testandum aliquam falsitatem.

Quæstio III. — *An juramenti promissorii violatio sit peccatum mortale in materiâ levi?*

702. Certum est inprimis committi perjurium semper mortale, si, cùm emittitur juramentum desit jurantis animus et intentio præstandi promissum, quantùmvis exiguum; pro quo doctores passim observant ad juramentum promissorium duplicem requiri veritatem, præsentem scilicet et futuram; qui enim jurat, v. g., se Petro donaturum equum, duo præstat; unum asserit, alterum spondet. Asserit se in præsenti seriò et ex animo procedere; spondet se in futurum ipso effectu præstiturum quod promittit. Defectus veritatis prioris non recipit gradus ex parte materiæ, sed semper mortalis est : juramentum enim promissorium, quâ parte asserit in actu exercito præsentem veritatem, reverà est assertorium cujus proinde regulas et naturam sequitur. Porrò defectus veritatis in assertorio juramento non recipit majus et minus juxta materiæ proportionem, ut omnes docent.

703. Secundò certum est, et apud omnes indubitatum, suppositis aliàs supponendis, veritatem futuram graviter obligatoriam esse, si materia gravis sit; neque ullus est auctor quamcumque sequatur sententiam circa controversiam principalem, qui oppositum teneat. Quapropter solummodò quæritur an semper peccet mortaliter, qui deliberatè non implet materiam levem juramenti promissorii, seriò et ex animo præstiti? Cajetanus, quem sequitur Covarruvias cum nonnullis aliis, materiam levem dividit in totalem et partialem : hæc est pars exigua materiæ juratæ, illa totum objectum juramenti. Omissionem materiæ levis partialis existimat venialem esse, totalis non item.

704. Ratio discriminis est quòd materia partialis et levior sit levioris momenti, quando impletur reliquum materiæ juratæ; totalis verò, licèt pariter secundùm se sumpta sit modica, fiat tamen considerabilis, quatenùs est totum objectum juramenti, quod ejusdem totalis materiæ, quantùmvis exiguæ omissione redditur simpliciter falsum. Verùm hanc differentiam doctores communiter non recipiunt, volentes, eamdem utriusque materiæ levis rationem esse, atque adeò utrobique peccari aut mortaliter, aut tantùm venialiter. Ratio est quia hæc differentia non habet locum in voto, cujus transgressio semper venialis est si omittatur materia undequaque levis, sive totalis sive partialis. Item non habet locum in juramento assertorio, cujus violatio semper est gravis, si desit veritas circa materiam quantùmvis levem, totalem vel partialem. Vide Suarez, Aragonium, Malderum citandos.

705. Tertiò certum est juramentum promissorium posse cadere non solùm in promissionem strictè dictam, Deo vel homini factam; sed etiam in simplicem assertionem de futuro : possum enim futurum aliquid simpliciter asserere sine promissione, ut constat, cùm affirmatur futurum necessarium, pœna alicui inserenda, factum alterius futurum, etc. Ergo etiam potest juramento firmari assertio de futuro, v. g., propositum melioris vitæ, ingrediendi religionem, deserendi, certum lusum vel consortium. Primum est propriè promissorium, ultimum minùs propriè : utrumque exigit (suppositis supponendis) non solùm serium asserentis aut promittentis animum, sed etiam rei juratæ executionem, nisi (quod rarius) jurantis intentio sisteretur circa solam promissionis vel assertionis seu propositi præsentem veritatem. Vide Suarez, l. 2, de Juramento promissorio, c. 1, n. 11; Sanchez l. 3, c. 9, n. 5; Castropalao, tract. 14, disp. 1, puncto 2, n. 9. His notatis,

706. Respondeo, salvo iterùm judicio meliori, juramenti promissorii ritè præstiti transgressionem materiæ proportionari, atque adeò venialem esse, si ma-

teria, quæ omittitur, sit levis, totalis vel partialis. Suarez, de virtute et statu Religionis, tract. 4, de Juramento, lib. 3, c. 16, n. 9; Navarrus, Manualis, c. 12, n. 10, et c. 18, n. 7, revocans sententiam quam ante tenuerat, et dicens hanc esse magis receptam, à quâ non est recedendum, inquit, sine efficaci textu aut ratione, quæ hìc non inveniuntur. Sylvius, 2-2, q. 98, art. 3, concl. 4; Azorius, Instit. moral., tomo 1, l. 11, c. 5, q. 3; S. Antoninus, 2 p., tit. 10, c. 4, § 1; Sanchez, lib. 3 Moral., c. 4, n. 23; Coninck, de Sacram., disp. 22, dub. 7, n. 53; Aragon, 2-2, q. 98, art. 3; Castropalao, tract. 14, disp. 1, puncto 6, n. 8; Malderus, 2-2, tract. 10, c. 6, dub. 5; Tannerus, tomo 3, disp. 5, q. 5, dub. 1, n. 25; Barbosa, de Officio et Potestate episcopi, parte 3, allegat. 51, n. 22; Sylvester, verbo *Juramentum*, 4, q. 1; Layman, lib. 4, tract. 3, c. 14, n. 6; Filliucius, tomo 2, tract. 25, c. 12, n. 356; Sporer, tract. 3, in 2 præcep. Decal., c. 1, n. 137, dicens esse communiorem doctorum : Lacroix, lib. 3, p. 1, n. 305; Emmanuel Rodriguez, Summæ parte 1, c. 191, concl. 5; Sotus, l. 8, q. 1, art. 7; Petrus de Ledesma, tract. 11, c. 3; Diana, parte 4, tract. 4, resol. 70; Angelus, verbo *Juramentum*, 5, n. 41; Graffius, l. 2, c. 8, n. 8, et plurimi alii apud citatos.

707. Probatur primò : Si juramenti promissorii violatio semper mortalis esset, foret ideò quòd adducatur Deus in testem utriusque veritatis, præsentis et futuræ, ut proinde quilibet utriusvis veritatis in quantàlibet materià defectus constituat perjurium strictè sumptum : atqui Deus non adducitur in testem veritatis futuræ, sed potiùs in sponsorem et fidejussorem.

708. Probatur subsumptum : testimonium enim seu testificatio propriè non datur, nisi de veritate præteritâ vel præsenti; veritas autem futura seu propositio de futuro contingenti aut promissio, fidejussione aut pignore, firmari solet, non testimonio, nisi ut constet de contractâ obligatione : sic enim cùm homo hominem vocat in testem cujuscumque propositi sui, cujuscumque promissionis vel contractûs, id aliâ ratione non fit, nisi ut testetur veritatem præsentem, id est, initum contractum, susceptam obligationem, etc., ac demùm, ut suâ gravitate et auctoritate urgeat susceptæ coram se obligationis executionem., v. g., init ali quis promissionem sponsalitiam coram rege aut principe; hic non adducitur in testem matrimonii reipsâ secuturi, sed intentionis et obligationis matrimonium ineundi; interim præsentia et testimonium regis dat robur et firmitatem contractui, quatenùs noverunt contrahentes, injuriam se regi facturos, si sine causâ contractum violent, quem in ipsius, tanquàm testis præsentiâ celebrârunt. Sic item cùm parochus aut testis alius assistit matrimonio, testatur quidem contractum ipsum et inde resultantem obligationem non adulterandi, sed hujus obligationis executionem suo testimonio non attingit. In hunc modum Deus, si per juramentum adducatur in testem propositi, voti, promissionis de adulterio non committendo, donandâ eleemosynâ, etc., testis est propositi, testis est voti, testis est promissionis, testis demùm est obligationis coram se invocato contractæ; ipsam verò ejusdem obligationis adimpletionem futuram, etiam ex mente jurantis testari non videtur.

709. Interim ex intentione jurantis divinum testimonium invocatur in quamdam futuræ executionis assecurationem, quatenùs divini nominis in testem vocati gravitas et majestas est instar pignoris aut fidejussionis, urgens perpetuò et obligans jurantem ad executionem, non quidem sub peccato perjurii stricte sumpti, sed irreverentiæ et infidelitatis, atque adeò sub divinâ indignatione; merito enim indignatur Deus juxta materiæ proportionem, sine causâ non impleri contractum seu obligationem, cujus testis fuit, et in Dei auctoritatem committit jurans, si non impleat quod juravit, quatenùs contemnit fidejussorem suum, et divinum nomen, quod loco pignoris interposuit, suâ inconstantiâ parvipendit. Cum autem diximus respectu veritatis futuræ Deum invocari per juramentum tanquam fidejussorem, ne ita intelligas, quasi instar fidejussoris strictè dicti in se recipiat obligationem præstandi rem juratam in defectum jurantis; sed per quamdam analogiam, quatenùs per suam providentiam in se recipit, punire jurantem, si desit juramento suo, non solùm tanquàm desertorem promissi, sed etiam tanquàm reum irreverentiæ et violatæ religionis. Vide, quæso, Suarez, Castropalao, Sanchez, Aragon, Malderum citatos.

710. Dices aliud esse de Deo, aliud de homine vocato in testem futuræ veritatis : homo enim cùm certam præscientiam futuri contingentis non habeat, non potest invocari tanquàm de facto testis et præscius futuræ executionis. — Respondeo cum Suarez, Deum in juramento promissorio non invocari tanquàm præscium, sed tanquàm testem. Jurantes non invocant Deum, tanquàm prævidentem ea quæ futura sunt, sed tanquàm videntem ea quæ fiunt, et vindicem injuriæ suo nomini inferendæ per transgressorem juramenti. Quare præscientia in hoc proposito se habet merè materialiter, nec necessaria est ex naturâ juramenti, sed ex Dei infinitate : fac enim per mentis abstractionem, Deum non esse infallibiliter præscium futurorum contingentium, poterit nihilominùs per juramentum promissorium invocari ratione majestatis ac dignitatis suæ, ad cujus honorem pertinet, ut quod in ejus præsentiâ concluditur, impleatur. Suarez.

711. Dices 2° : Disparitas facienda est inter juratam assertionem de futuro, et juratam promissionem. — Respondeo, disparitatem variam esse, sed quæ in rem præsentem faciat, nullam aliam, nisi quòd in primo casu juramentum proximè incidat in assertionem, propositum, intentionem; in altero autem casu in promissionem.

712. Probatur secundo : si semper mortalis esset juramenti promissorii violatio, deberet hæc esse perjurium propriè sumptum, quod ex parte materiæ non recipit gradus mortalis et venialis malitiæ. Atqui non est strictè dictum perjurium. Probatur subsumptum : quia secundùm S. Hieronymum in cap. 4 Hierem., et

D. Thomam, q. 98, art. 1, pejerare est mentiendo jurare, seu strictè dictum *perjurium diffinitur esse mendacium juramento firmatum.* Atqui qui juramentum promissorium ritè et cum debitâ intentione præstitum, deinceps non adimplet, non mentitur. Probatur subsumptum; non mentitur, cùm jurat, ut certum est et supponitur. Non etiam, cùm juramentum non implet : nihil enim dicit, nihil facit vel omittit contrarium menti vel opinioni suæ. Omittit juratam materiam aut potiùs ipsius adimpletionem : verùm hæc ipsa omissio conformis est potiùs, quàm difformis intentioni, quâ statuit et proponit, juramentum transgredi.

713. Dices : quanquàm non mentiatur linguâ seu verbis, mentitur opere et facto; quia omittit aut facit contra obligationem suam, contra mentem et intentionem, quam habere deberet : reddit falsam propositionem, quam enuntiavit, cùm juramentum præstitit; ergo mentitur opere et facto. — Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dico, nihil adferri, quod vel probabiliter suadeat intentum principale : quia qui votum, aut promissionem homini factam et injuratam violat, facit contra mentem et intentionem, quam habere deberet : reddit falsam propositionem, quâ votum vel promissionem expressit; atqui interim non mentitur verbo vel facto. Probatur subsumptum ex S. Thomâ, 2-2, q. 110, art. 3, ad 5, ubi dicit : *Qui aliquid promittit, si habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur; quia non loquitur contra id quod gerit in mente : si verò non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quòd animum mutat.* Adversativa *verò* continet manifestam antithesim, quâ significatur, mentiri quidem, *qui aliquid promittit*, nisi *habeat animum faciendi quod promittit;* non mentiri, sed reum esse infidelitatis, seu *infideliter agere*, qui non facit *quod promisit..., per hoc, quòd animum mutat.*

714. Probatur tertiò; quia Deus in proposito nec adducitur nec adductus est in testem propositionis, (ut loquar cum Suarez et aliis) formaliter falsæ, sed tantùm materialiter : quo casu sicuti non mentitur homo, sic nec mendacii testis statuitur vel invocatur Deus. Propositionem *materialiter* falsam intelligimus, quæ repugnat objecto; *formaliter*, quæ insuper intentioni vel judicio proferentis.

Probatur assumptum : inprimis non adducitur Deus in testem falsitatis *formaliter*, (ad sensum datum) cùm juratur : non etiam, quando non impletur juramentum; quia licèt jurans non implendo juramentum peccet formaliter et materialiter contra fidelitatem aut reverentiam divino nomini debitam; non enuntiat tamen, nec facit propriè et formaliter falsam juratam propositionem suam.

715. Probatur : hæc enim propositio, v. g., *juro me infra triduum vel trimestre soluturum debitum pecuniarium*, est vera vel falsa, dùm profertur; non verò, dùm deinceps solvitur aut negligitur debitum : quia propositio de futuro contingenti, est vera, vel falsa, dùm profertur, antequàm ejus objectum in ipsâ executione ponatur vel omittatur; alioquin propositio de futuro contingenti, quoad veritatem et falsitatem manebit suspensa, donec sequatur executio, quod ridiculum est. Infertur; ergo quando jurans cum debitâ intentione, mutato postea proposito non præstat rem juratam, tum non facit formaliter falsum suum juramentum, sed propositionis antea materialiter falsæ ponit terminum. Itaque si jurans non impleat in executione juramentum, indè sequitur, cùm juravit, propositionem ejus fuisse falsam, sed materialiter, eò quòd non esset secutura executio juramenti : adeòque Deum fuisse adductum ad testandum propositionem materialiter falsam, et formaliter veram; quod non magis repugnat ejus veracitati, quàm si juretur propositio de præsenti vel præterito, materialiter falsa, formaliter vera. Confirmatur : qui juramentum promissorium præstat, non solùm in actu exercito jurat se habere animum exequendi rem promissam, verùm etiam se esse executurum. Ergo propositio jurantis tunc est vera, si sit executurus, vel falsa, si non sit executurus. Porrò tum non est falsa formaliter, id est, spectatâ jurantis intentione; ergo tantùm materialiter, id est, spectato objecto. Igitur à primo ad ultimum propriè non redditur falsa postea, quando non impletur juramentum. Ita Suarez.

716. Probatur quartò : quia in juramento promissorio duplex quidem juratur veritas, præsens et futura, sed una dependenter ab aliâ, id est, veritas futura non juratur absolutè, secundùm et se quatenùs realiter futura; sed relativè ad intentionem præsentem jurantis, quod optimè declarat Tannerus cit., n. 25, dicens : Promissorium juramentum præstans, aliud non videtur facere, quàm velle, quantùm in se est, pro eo quidem tempore, quo jurat, ut Deus testimonium præbeat, tum præsenti ipsius proposito, quod de re faciendâ concepit, tum ipsi rei futuræ, non absolutè, sed quatenùs eam pro tempore planè et sub ipsius divini nominis reverentiâ faciendam decernit. Quod dùm quis facit, obstringit se quidem eo ipso pro rei gravitate, ut, quantùm in se est, rem promissam faciat, ob interpositam scilicet divini nominis invocationem, ne irreverenter et frustra Deum testem fecerit; attamen secùs faciens, non propterea præstat, ut, quantùm in se est, Deus sit falsum testatus, quia non absolutè, ut dixi, sed pro eo quidem tempore, quatenùs quod promisit, omninò futurum putabat, divinum testimonium ad persuadendam promissæ rei futuritionem invocavit. Unde jam secùs quàm constituerat, faciens, peccat ille quidem, dùm à voluntate Deum testem sui promissi constituendi quasi recedit, nec implendo rem juratam, honorem divini nominis tuetur; sed hoc ipso tamen, quo ab eâ voluntate recedit, Deum falsi testem non constituit. Ita Tannerus.

717. Confirmatur hoc argumentum 1° statuendo paritatem inter juramentum promissorium, et assertorium de præterito. Qui jurat assertoriè veritatem præteritam, non jurat eamdem tanquàm ipso effectu existentem pro prætertio, sed jurat veritatem præteritam, seu pro tempore præterito existentem, quatenùs substat præsenti judicio moraliter certo ipsius

jurantis. Petrus, v. g., jurat, quòd solverit debitum suum pecuniarium abhinc mense, juramentum non supponit verè et reipsà factam esse solutionem, neque cadit supra solutionem quatenùs ipso effectu datam vel præstitam, sed cadit supra solutionem præteritam, quatenùs hæc substat præsenti judicio et fidei jurantis. Ergo pariter cùm aliquis promissoriè jurat veritatem futuram : non jurat eamdem tanquàm futuram realiter et absolutè, sed jurat futuram cum relatione, quatenùs substat præsenti intentioni jurantis. Petrus, v. g., jurat se post mensem soluturum debitum pecuniarium, juramentum non supponit in ipso effectu secuturam solutionem finito mense, neque cadit supra solutionem, quatenùs sic futuram, sed cadit supra solutionem futuram, quatenùs hæc substat præsenti judicio et intentioni jurantis. In utroque casu habetur præsens judicium vel intentio ; in utroque objectum æqualiter remotum, in uno quidem pro tempore præterito, in altero pro futuro.

718. Confirmatur 2° : Si rectè consideretur, in illo assertorio juramento duplex invenitur veritas, de præsenti et de præterito ; sicut invenitur duplex in promissorio, de præsenti et de futuro : ut enim in juramento promissorio tacitè invocatur Deus in testem præsentis intentionis et voluntatis, adeò ut committatur perjurium, si desit præsens intentio seu voluntas jurantis, ita in illo assertorio tacitè invocatur Deus in testem præsentis judicii moraliter certi, adeò ut committatur perjurium, si desit simile judicium jurantis. Rursùs sicut in juramento promissorio invocatur Deus in testem veritatis futuræ, sic in illo assertorio, præteritæ. Atqui veritas præterita in assertorio non juratur, nisi dependenter et cum relatione ad veritatem præsentem ; ergo veritas futura in promissorio non juratur, nisi dependenter et cum relatione ad præsentem.

719. Dices 1° disparitatem esse, quòd ille, qui jurat veritatem præteritam, nihil circa eamdem possit, casu quo non subsistat, cùm in præteritum non detur potentia ; qui autem juravit promissoriè rem futuram, potest efficere ut subsistat quod juravit. — Respondeo quòd assignata disparitas se teneat ex parte materiæ ; alioquin nullo modo inde efficitur ut mentiatur potiùs aut falsum dicat vel pejeret, qui juramentum promissorium non implet, cùm possit, quàm qui assertorium implere non potest.

720. Ostenditur manifesto exemplo in assertione non juratâ de præterito, et promissione similiter non juratâ de futuro. Suppono, inquam, quòd Petrus sine juramento asserat se solvisse debitum suum abhinc mense ; suppono quòd Paulus sine juramento promittat se soluturum suum debitum post mensem. Non mentitur Petrus, si certò existimet quod affirmat, tametsi reipsà suum debitum non persolverit. Non mentitur Paulus, si seriò intendat quod promittit, tametsi reipsà suum debitum non persolvat, ut sanctus Thomas supra citatus docet. Atqui tamen Petrus non potest factum reddere quod infectum est : Paulus verò præstare potest quod promisit. Ergo hæc disparitas est insufficiens ad evincendum mendacium unius potiùs quàm alterius. Hoc solum sequitur ex allegatâ disparitate, Paulum peccare et *infideliter agere*, si non impleat quod potest ac debet ; ubi interim Petrus, cùm nihil possit in præteritum, nullatenùs peccat ; at unum potiùs mentiri quàm alterum nullatenùs sequitur. Idem dico in casu juramenti assertorii et promissorii, videlicet ex allegatâ disparitate nihil ampliùs consequi quàm (quod à nemine in dubium revocatur) jurantem promissoriè obligatum esse ad implendum juramentum ; aliàs peccaturum, infidelem fore et injurium divino nomini invocato ubi assertoriè jurans similem obligationem non incurrit : mendacio autem peccaturum unum potiùs quàm alterum, nullo modo evincitur.

721. Deinceps, etsi ille qui falsum de præterito bonâ fide juravit, posset per impossibile efficere ut subsistat pro præterito quod juravit, non erit ad hoc obligatus sub peccato perjurii ; dummodò supponatur quòd seriò et ex animo existimaverit quod et quando juravit : quia etsi non efficeret in supposito ut subsistat quod juravit ; nihilominùs habuisset et retineret omnem veritatem, quam habere deberet præstitum ab eo juramentum, quatenùs substabat ejus judicio ; quod satis foret ut juramentum perpetuò maneat ritè et legitimè præstitum. Igitur quòd jurans promissoriè teneatur implere quod juravit, non est ad evadendum perjurium strictè dictum, sed quia adimpletionem urget divini nominis invocati majestas sub peccato infidelitatis et irreverentiæ.

722. Dices 2°. Ut ritè instituatur paritas inter juramentum assertorium de præterito, et promissorium de futuro, debet materia juramenti assertorii considerari pro tempore juramentum antecedente, sicut materia promissorii consideratur pro tempore juramentum subsequente. Supponamus itaque Petrum, hominem labilis aut pertusæ memoriæ, debitorem 100 florenorum. Si hodiè non solvat, prævidet progressu temporis facilè futurum ut debitum memoriâ elabatur, atquè adeò fortè etiam juret (quanquàm bonâ fide, id enim supponendum est, ut sit paritas) falsò solutionem. In hoc supposito videtur Petrus obligari ad solutionem anticipatam sub peccato perjurii. Respondeo negando quòd obligetur : si enim (nisi solutione anticipatâ) perjurium committeret, id foret quia ejus periculo se exponeret ; atqui periculo perjurii non exponitur, qui animo sic constitutus est, ut omninò nollet deliberatè jurare falsum, tametsi prævideat posse aliquando fieri ut per errorem invincibilem juret quod non est verum. Probo, quia si propositum expressum facerem jurandi (suppositis aliàs supponendis), promissoriè etiam illud, quod à parte rei futurum est falsum, dummodò (dùm juro) per bonam fidem et invincibilem ignorantiam judicavero esse verum, nemo me justè arguet perjurii, etiam in sole affectu.

723. Probatur quintò, quia alioquin pleraque juramenta promissoria, etiam cùm emittuntur, erunt perjuria, idque sive postea impleantur, sive non impleau

tur. Probatur : Nam committit perjurium, non solùm qui scienter jurat quod falsum est, verùm etiam qui jurat tanquàm certum quod tantùm probabile est et incertum. Atqui juramenti promissorii executio realis et in effectu plerùmque incerta est; ergo in hanc ipsam objectivè consideratam juramentum promissorium proximè non potest cadere. Minor probatur: certa potest esse præsens jurantis intentio; certa pariter executio juramenti pro supposito quo duraverit jurantis intentio; certa iterùm executio secutura, in quantum substat jurantis intentioni et voluntati; ipsa verò adimpletio juramenti secundùm se spectata, nullo modo; novit enim jurans se hominem et instabilem esse, habere libertatem postquàm juravit, peccare posse, à priori proposito recedere posse, id est, posse facere quod mille alii fecerunt et faciunt, seu liberè omittere quod juravit, quantumvis firmissimam adimplendi voluntatem habuisset. Jurat aliquis, supponamus, Rosarium quotidianum in honorem Deiparæ, vel jurat, se anno integro mortaliter non peccaturum. Estne certus peccatum nullum mortale totius anni spatio reipsà committendum esse? Estne certus nullo totius anni die Rosarium intermittendum esse? Non loquor de intermissione inculpatâ propter oblivionem, dispensationem aut impedimentum jurantis, sed de mortaliter peccaminosâ.

Dices : Satis est quòd jurans firmiter statuat juramentum exequi et certus sit de executione vi præsentis moraliter certæ dispositionis animi. — Respondeo : Hoc volo certam duntaxat esse executionem juramenti, quatenùs substat jurantis intentioni, atque adeò sicuti certitudo non cadit in veritatem, nisi quatenùs præsenti jurantis judicio ac voluntati subordinatam, sic neque juramentum. Vide Castrop., n. 7, objectiones autem præcipuas § 5.

§ 2. *Tenor casûs.*

724. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, et Ruræmundensi, nihil de hoc casu.

In Coloniensi, reservatur *perjurium manifestum.*

In Leodiensi, *solemne perjurium.*

§ 3. *Reflexiones.*

725. — 1. Perjurium episcopis de consuetudine reservari, testatur Glossa, c. 2, de Pœnit. et rem. in 6, dicens : « solent episcopis reservari pœnitentiæ omnium publicorum enormium criminum, oppressionis filiorum ex proposito vel ex casu, cujuscumque homicidii, falsi testimonii vel falsi instrumenti, perjurii, incestûs, corruptionis monialium, coeuntis cum brutis, etc. » Nihilominùs consuetudinem non esse universalem, certum est vel ex hoc casu; qui in duabus tantùm ex novem diœcesibus reservatur, et ne hoc quidem secundùm totam suam latitudinem; quia in utràque restringitur : in unâ debet esse perjurium *solemne*, in alterâ *manifestum.*

726. — 2. Cæterùm differentia notabilis est inter perjurium *solemne*, ut dicitur in Leodiensi, et *manifestum*, ut in Coloniensi : sunt enim planè disparata. Potest perjurium *solemne* esse, et non *manifestum* : potest contra *manifestum* simul et *simplex* esse. De perjurio solemni nihil restat dicendum; de manifesto autem dubitari potest, an eòdem sensu accipiatur hoc loco *manifestum*, quo supra, quando de adulterio.

727. Ratio dubitandi est, quòd, licèt communiter accipiatur sensu ibidem explicato, sit nihilominùs ejusdem vocabuli acceptio altera apud Prosperum Fagnanum in 1, part. 3, Decretal., de Cohabit. Cleric. et mul., c. *Vestra.*, ubi n. 64, dividit *manifestum* in illud, quod opponitur notorio ac penè occulto, et in illud, quod opponitur omninò occulto. Est autem *penè occultum* (ut n. 48, Fagnanus loquitur) singularis et privata insinuatio ex scientiâ et certo auctore proveniens. *Omninò occultum* (ut habet n. 45) dicitur, quod nullâ ratione probari potest. *Manifestum*, prout distinguitur ab omninò occulto, est omne probabile, quod duo saltem testes noverunt. — Resp., *manifestum* eodem, quo ante, sensu accipiendum, videlicet prout opponitur *notorio* ac *penè occulto*, seu prout est species *publici.* Ratio est primò, quia hæc acceptio est magis usitata et favorabilis, atque adeò vel hoc titulo in rebus odiosis præferenda.

728. Secundò, quia in Agendâ diœcesis Coloniensis, impressâ anno 1720, fol. 58, n. 51, enumeratis ex ordine casibus reservatis subditur : « Quos casus (exceptis adulterio et perjurio) quantumlibet occultos, dummodò non merè interni fuerint, reservationi episcopali subjacere, recenter in edicto desuper per diœcesim promulgato declaratum fuit. » Ubi cùm dicitur, *casus* cæteros reservari, *quantumlibet occultos, dummodò non merè interni fuerint*, significatur, eosdem casus reservatos esse, etsi solummodò uni vel alteri innotuerint : cùm verò excipiantur adulterium et perjurium, innuitur hoc ipsum non sufficere, quod attinet duo illa peccata statim expressa.

§ 4. *Corollaria.*

729. — 1. In nullâ diœcesi incurrit casum reservatum, qui jurat sine judicio vel justitiâ. Ratio est, quòd defectus solius juratæ veritatis constituat perjurium strictè sumptum.

2. Idem videtur dicendum de perjurio infidelitatis, dùm videlicet juramentum promissorium seriò et ritè præstitum, mutato deinceps proposito non adimpletur, idque sive materia sit gravis sive levis. Ratio est quia non est perjurium propriè et strictè sumptum : quanquàm committatur peccatum grave, si materia gravis sit.

3. Idem videtur esse, si quis pejeret ex metu mortis aut alterius notabilis incommodi, injustè incusso. Vide Aversam, q. 17, sect. 1; Herincx, disp. 6, q. 1, n. 11; Graffium, etc.

730. — 4. In Leodiensi non videtur incurrere casum adulter, quamvis per adulterium graviter delinquat in juramentum promissorium, quo solemniter promisit fidelitatem conjugi, idque cum juramento super baptismo suo, et super jure, quod prætendit ad regnum cœlorum, etc., prout habet forma solemnis præscripta in parochiali Leodiensi. Vide Jacobum Marchant in hunc casum.

5. Idem est pro diœcesi Coloniensi, qualecumque committatur perjurium, quamdiù est *occultum*.

6 Si perjurium (idem est de adulterio et similibus, quorum similis ratio) in uno loco *manifestum*, in alio sit occultum, etiam sine proximo periculo brevi secuturæ divulgationis ulterioris, non potest, (quod diœcesim Coloniensem attinet) in loco ultimo remitti sine potestate in reservata. Suarez, Castropalao, Loth apud Lacroix, l. 6, p. 2, n. 158. Ratio, quia quod uno loco est *manifestum*, simpliciter et absolutè est *manifestum*, et solummodò *occultum* secundùm quid.

731. — 7. Si quis in diœcesi Coloniensi absolvatur à perjurio adhuc *occulto*, per confessarium, qui non habeat potestatem in reservata, et interim perjurium postea *manifestum* fiat, manet directè absolutus, sine onere seu obligatione iterùm confitendi admisso pro reservatis; quia peccatum eo tempore, quo remissum est, non erat reservatum, nec confessario in idem peccatum pro illo statu consideratum adempta jurisdictio. Idem est de adulterio. Idem de homicidio (ut suprà diximus) spectato ante effectum mortis. Henriquez, Fagundez, Diana, Aversa, Dicastillo apud Lacroix citatum, n. 1694. Cùm tamen homicidio annexa sit irregularitas, hæc postea incurretur. Idem plerique dicunt, si censura connexa sit.

732.— 8. Quòd si tale peccatum ante publicationem supponatur remissum esse per solam contritionem, probabilius est quòd, secutâ publicatione seu potiùs manifestatione, sit reservatum : quia, licèt culpa ampliùs non existat, quando jam *manifestum* est, tamen cùm peccatum illud adhuc debeat directè absolvi, hæc potestas absolvendi jam sublata est communi confessario. Quod magis valet, si ante secutum talem effectum culpa esset retractata per solam attritionem, quidquid in contrarium dicant Homobonus, Bordonus, Aversa apud Lacroix cit.

9. In utràque diœcesi committit peccatum reservatum, qui (suppositis aliàs supponendis) jurat aliquid tanquàm certum, verum, probabile, quod putat dubium, falsum, improbabile. Dixi, *suppositis aliàs supponendis*, id est, si tale perjurium in unâ diœcesi *solemne*, in alterâ sit *manifestum*.

733. — 10. Idem in eodem supposito, si quis rem etiam leviorem falsò juret juramento assertorio. Ratio, quia sive materia sit magna sive exigua, æqualiter adducitur Deus in testem indivisibilis falsitatis.

11. Idem in eodem supposito, de juramento promissorio, si destituatur præsenti veritate : id est, si quis juret, v. g., se infrà triduum soluturum debitum pecuniarium 10 assium, sine intentione adimplendi : quia Deum in testem invocat præsentis suæ voluntatis et intentionis, quæ non subsistit.

12. Idem in eodem supposito de juramento *calumniæ*, quod ferè continet sequentia, primò, quòd putes te bonam causam tueri; secundò, te interrogatum à judice veritatem dicturum; tertiò, non adhibiturum scienter falsas probationes; quartò, non prorogaturum fraudulenter litem : quintò, nihil contra legis prohibitionem promisisse vel promissurum alicui causâ litis.

734. — 13. Casum in nullâ diœcesi videtur incurrere, qui jurat exteriùs sine animo jurandi : ut enim non potest consistere votum vel contractus sine animo vovendi vel contrahendi, quidquid exteriùs fuerit perpetratum, ita nec juramentum, atque adeò nec verum et propriè dictum perjurium. Vide Herincx, part. 3, tr. 4, disp. 6, q. 3, n. 22.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

735. — 1. Objicies contra corollarium secundum et resolutionem tertiæ quæstionis : Facienda distinctio est inter juramentum promissorium latè sumptum, id est, à promissione separatum, et juratam promissionem, seu juramentum promissorium strictè sumptum. Jurata promissio non cadit proximè in rem futuram, sicuti juramentum promissorium impropriè sumptum; jurata enim promissio habet aliquid à re futurâ distinctum, in quod possit directè cadere, scilicet promissionem; nihil simile habet juramentum promissorium impropriè sumptum.— Respondeo : Sicut juramentum promissionis, seu promissorium strictè dictum, cadit proximè in promissionem, sic juramentum propositi, seu promissorium latè dictum, cadit proximè in propositum : utrumque eodem modo, in rem futuram. Vide doctores citatos, signanter Suarez et Castropalaum.

736.— 2. Objicies : Quando juratur promissio, nullo modo videtur juramentum cadere in executionem seu rem futuram. Probatur : Promissio tota præsens est, nullo modo futura; ergo juramentum afficiens promissionem, respicit rem præsentem, non futuram. Confirmatur : Promissio est præsens fidei datio de re aliquâ præstandâ; igitur promissio seu donatio fidei distinguitur realiter ab executione, atque adeò in vim juratæ promissionis non potest dici jurata executio. — Respondeo disparitatem nullo modo subsistere. Admittimus juramentum sic posse jungi promissioni, ut hanc non urgeat pro futuro, sed solùm asserat pro præsenti; at in eumdem modum potest proposito vel simplici assertioni de futuro, juramentum jungi. Utroque casu juramentum erit simpliciter assertorium, neutro promissorium, de quo præsens quæstio. Utrumque igitur juramentum, quatenùs est promissorium, cadit proximè in veritatem præsentem, id est, propositum ac promissionem; remotè in futuram, id est, executionem.

737. — 3. Objicies : Facit contra promissionem homini vel Deo factam, qui non adimplet quod Deo vovit vel homini promisit; ergo pariter facit contra juramentum suum, qui non adimplet quod juravit. — Respondeo tam consequens quàm antecedens nemini esse dubium. Votum, promissio, juramentum, apud omnes, nemine excepto, theologos, obligant ad præstandum quod vovetur, promittitur, juratur; obligant autem juxta materiæ promissionem, id est, graviter, si sit gravis, leviter, si duntaxat levis. Sicuti verò votum vel promissio non obligant ad executionem sub peccato mendacii, ut docet S. Thomas cita-

tus, sic neque juramentum. Porrò sine mendacio impossibile est strictè dictum perjurium, ut idem S. Thomas citatus disertè innuit.

4. Objicies S. Thomam, 2-2, q. 89, art. 7, O, ubi dicit : *Sicut... juramentum, quod est de præterito vel de præsenti, debet habere veritatem, ita et iuramentum promissorium de his quæ sunt fienda à nobis in futurum. Et ideò utrumque juramentum habet quamdam obligationem, diversimodè tamen ; quia in juramento, quod est de præterito vel præsenti, obligatio est non respectu rei quæ jam fuit vel est, sed respectu ipsius actûs jurandi, ut scilicet juret id quod jam verum est vel fuit, sed in juramento quod præstatur de his quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit è contrario super rem, quam aliquis juramento firmavit : tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit, alioquin deest veritas juramento.*

738. Respondeo, auctoritatem D. Thomæ, si quid evincat, habere locum non solùm in jurato proposito, verùm etiam in juratâ promissione ; hæc enim propriè est juramentum promissorium. — Respondeo secundò nihil verbis allegatis asserere D. Thomam, quod non ambabus manibus amplectamur ; neque ullus est ex auctoribus superiùs adductis (cùm tamen eorum varii ex professo scribant in Summam D. Thomæ) qui se premi istâ auctoritate existimat. Itaque indubitanter admittimus differentiam esse inter juramentum assertorium de præterito vel præsenti, et promissorium de futuro, quòd ex illo nulla nascitur obligatio respectu veritatis objectivæ, dummodò subsit veritas mentis ; ex hoc verò præter veritatem mentis resultet obligatio respectu veritatis futuræ. Admittimus, quòd jurans promissoriè teneatur, *ut faciat verum esse id quod juravit*, id est, ut faciat reipsà existere seu impleri quod jurando promisit. Admittimus, quòd *alioquin deest veritas juramento*, sed veritas futura, veritas mediata, veritas terminativa, cujus defectus sufficit quidem ad peccatum mortale in materiâ proportionatâ, non tamen ad mendacium aut strictè dictum perjurium. Vide Petrum Marchant, Tribun. sacram., tomo 2, tract. 3, tit. 3, q. 2.

739. — 5. Objicies : Juramentum promissorium de solvendis usuris validum et obligatorium est ; atqui non erit validum, nisi proximè cadat in futuram usurarum solutionem : ergo. Probatur major ex c. *Debitores*, de Jurejurando, ubi dicitur : *Debitores ad solvendas usuras in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.* Idem colligitur ex c. 1, eod. Probatur minor, quia nihil allegabile est distinctum à re futurâ, in quod possit cadere juramentum : promissio enim aut inde resultans obligatio nulla est et omninò irrita, quod verbis initialibus capitis *Debitores*, Alexander III manifestè innuit.

740. Simile argumentum proponi potest de juratâ promissione, extortâ per metum gravem injustè incussum ; cujusmodi juramentum esse validum, tametsi promissio sit invalida, docet S. Thomas, q. 89 art. 7, ad 3. — Respondeo primò : Manifestum est quòd argumentum directè tangat juratam promissionem, quòd illi dignabuntur reflectere, qui in præsenti differentiam faciunt inter juramentum promissorium latè et strictè sumptum. — Respondeo secundò, juramentum utrumque, tam de solvendis usuris quàm metu extortum, proximè cadere in animum, intentionem, propositum jurantis et assertionem de futuro, quod satis est ut sit obligatorium, etsi invalida sit promissio. Ita Herincx, parte 3, tract. 4, disp. 6, q. 4, n. 33 ; Suarez, lib. 2, de Juram., promis., c. 1, n. 11, Sanchez, l. 3, c. 9, n. 5.

CAPUT XXII.

DE PROLIS OPPRESSIONE.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quæ obligatio parentum in filios* (1).

741. Respondeo : Jure divino naturali debent parentes filiis amorem et rectam educationem, tum corporalem, tum spiritualem. Hùc spectant aut revocantur quæ ab aliis adducuntur, alia parentum in proles officia. Conclusio deducitur ex ipsis visceribus naturæ, quæ omnibus animalibus, etiam brutis, singularem affectum imprimit in suos catulos, et eorum debitam educationem, secundùm exigentiam speciei. Homini autem rationis compoti et per Dei beneficium ad finem supernaturalem elevato, duplex debetur educatio, una corporea, quoad bonum naturæ, altera spiritalis quoad bonum gratiæ, in ordine ad ultimum finem Deum seu æternam salutem.

742. Debent ergo parentes filiis, inprimis *amorem*, tum internum, quo eisdem bene velint, tum externum quo benè faciant, ut impleant præceptum dilectionis, non ore solùm aut verbis, sed opere et veritate. Res est tam certa ut, cùm expressum præceptum habeamus de amandis et honorandis parentibus, nullum tamen correlativum de redamandis filiis Decalogo exprimatur : nimirùm quòd ipsa parentûm in filios obligatio dilectionis tam manifestè inscripta sit cordibus singulorum, ut nullo insuper expresso præcepto inculpanda fuerit. Huic amoris debito desunt parentes, et peccant pro ratione materiæ, qui filios gravi et injusto odio persequuntur ; iisdem malè volunt aut faciunt, imprecantur mortem aut aliud infortunium, etc., maximè si seriò fiat, et animi impatientia aut iracundia involuntaria non antevertat rationem ac libertatem.

743. Debent secundò *educationem corporalem*, cujus cura et obligatio incipit ab ipso exordio conceptionis. Itaque circa prolem conceptam ita se debent gerere parentes, præcipuè mater, ut nihil faciant incommodum, nihil omittant necessarium fœtui, quoad vitam, sanitatem, integritatem, nativitatem. Ab exordio nativitatis obligantur 1° ad alimentum, vestitum et cætera vitæ necessaria usque ad debitæ ætatis incrementum ; 2° debent provectioribus providere de arte aut mediis quibus vitam honestè transigant juxta statum et conditionem suam.

(1) Vid. *Curs. compl. Theol.* vol. 14, ad *Decalogum*, auctore Mayol, et vol. 16, de *Obligationibus statuum*, auct. P. Antonio.

744. Huic educationis corporalis officio desunt parentes 1° qui quovis modo aut medio culpabiliter exponunt fœtum periculo abortûs, mortis, infirmitatis; 2° qui prolem jam natam interficiunt, directè et ex proposito, vel indirectè, sive per negligentiam, sive per expositionem, sive per accubitum. *Per negligentiam*, ut qui prolem non satis nutriunt aut non eripiunt casibus et infortuniis elementorum, vel alterius causæ liberæ aut naturalis. *Per expositionem*, ut qui infantes ac minores septennio à se dimittunt et abjiciunt, ut vel inedià moriantur vel vivant alterius commiseratione. Vide can. *Expositus*, dist. 87, et l. *Necare*, ff. de agnosc. et alend. Liberis. Demùm *per accubitum*, ut qui tenellis imprudenter condormiunt. Quòd si infans in eodem lecto cum parentibus inter dormiendum suffocatus fuerit, licèt per ignorantiam, factum tamen pœnitentiâ triennali delendum, nisi omninò sit extra culpam, c. fin. de His qui filios occiderunt.

745. Debent tertiò parentes filiis educationem spiritualem, per doctrinam, exempla, correptionem. *Per doctrinam*, nimirùm ut eos instruant per se vel alios inprimis in omnibus necessariis ad salutem, in rebus fidei et sacramentorum; mandatis Dei et Ecclesiæ; demùm in exercitio virtutum, honestate morum et iis omnibus quæ in humanâ societate et consuetudine necessaria sunt juxta morem patriæ et conditionem statûs. *Per exempla*, ut præeant parentes bonis moribus et operibus, quatenùs (ut loquitur S. Hieronymus, epist. ad *Lætam*) nihil filius videat in parente, quòd, si fecerit, peccet. *Per correptionem* videlicet discretam, ut neque nimius rigor puerorum animos frangat, nec nimia conniventia solvat. Vide sacram Scripturam, Prov. 13 et 23; Eccles. 7 et 30; ad Ephes. 6; ad Coloss. 3. Vide etiam, si lubet, pro reliquis parentûm in filios officiis et eorum defectibus, Petrum Marchant, Filliucium, Sporer, Henno, in quartum Decalogi præceptum.

§ 2. *Tenor casûs.*

746. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Mechliniensi, Ruræmundensi nihil exprimitur de hoc casu.

In Leodiensi reservatur, *prolis oppressio.*

In Namurcensi, *oppressio tenellorum.*

§ 3. *Reflexiones.*

747. — 1. Quod attinet diœcesim Namurcensem, non fuit eadem semper casûs præsentis expressio. Reverendiss. Engelbertus Desbois, in suâ superiùs nominatâ synodo de anno 1659, in hunc modum loquitur: Reservamus nobis *oppressionem tenellorum*, *negligentiâ quâlibet provenientе factam*, id est, ex negligentiâ quâlibet provenientem. Synodus autem celebrata sub illustrissimo Buisseret, tit. 6, cap. 13, reservat *oppressionem prolis*, *etiam ignoranter à parentibus factam*. At litteræ approbatoriæ, etiam novissimæ, in confessariorum Instructionibus, n. 28, habent, ut prædiximus, *oppressio tenellorum*.

748. Quidquid dicatur, eò res revocanda est, ut tum dicatur oppressio prolis vel tenellorum reservata esse, cùm voluntaria fuerit, saltem in causâ proximâ vel remotâ, per se vel per accidens connexâ cum effectu adeò ut nulla diligentia vel circumspectio, nulla ignorantia vel oblivio excuset à casu reservato, nisi quæ pariter excusat à peccato mortali, seu quæ reddit omninò involuntariam prolis oppressionem. Quæ, ut rectè intelligantur, debet hùc transferri quod de homicidio diximus, videlicet oppressionem prolis, aliam esse voluntariam, vel in se vel in causâ propinquâ; aliam casualem, vel citra culpam operantis, vel ejus voluntate indirectâ per negligentiam, imprudentiam, aut vincibilem ignorantiam. Nullus nobis sermo futurus est de oppressione prolis directè voluntariâ, quia pertinet ad homicidium voluntarium. Nullus etiam de merè casuali et separatâ ab omni peccato operantis.

749. Nihil etiam dicturi sumus de qualitate causæ, sitne secundùm se licita, an prohibita: quamvis enim doctores plurimi differentiam faciant inter homicidium fortuitum seu casuale, quod committitur dando operam rei licitæ, et illicitæ, adeò ut opinentur, quamlibet hominis oppressionem mortalem esse, quando operans dabat operam rei seu causæ illicitæ et ob periculum homicidii interdictæ, etiam supposità qualicumque diligentiâ et cautione; nihilominùs secundùm communem recentiorum sententiam, quam tenent Herincx, disp. 6, de censuris, q. 7, § 6, num. 149, Lessius, lib. 2, c. 9, d. 5, n. 103; Malderus, tract. 3, c. 2, d. 3; Paradis, part. 2, c. 17, n. 4, et multi alii, indifferens est qualitas causæ casualis, ut effectus censeatur culpabilis et voluntarius, quando nihil diligentiæ debitæ vel circumspectionis omissum fuit. Hoc præstat qualitas causæ, quòd auctorem suum teneat reum ac debitorem peccati, cujus malitiam in se continet, sed nihil ampliùs.

750. — 2. Quare de eâ solummodò prolis oppressione locuturi sumus, quæ culpæ, negligentiæ aut ignorantiæ vincibili ipsius operantis tribuenda est. Pro quo notandum, negligentiam aliam esse simplicem, aliam supinam; uti et ignorantiam aliam esse vincibilem, aliam invincibilem. Dicitur invincibilis, dùm quis adhibuit omnem diligentiam, quam prudentes et circumspecti homines, consideratis personarum, locorum, temporum circumstantiis, passim adhibent. Vocatur vincibilis, cùm aliquid omittitur diligentiæ, quæ adhiberi posset et deberet. Porrò certum est, debitum diligentiæ minui et crescere juxta proportionem periculi, adeò ut in actionibus vel omissionibus minùs periculosis minor etiam diligentia sit necessaria. Contra in actionibus naturâ periculosis citiùs contingit, negligentiam mortalem esse. In harum serie computari debet concubitus adultorum cum tenellis: est enim res plena periculi, quia hominis dormientis actio, impeditâ libertate, est naturalis; quo facilè fit, ut corporis et membrorum volutatio, per solam phantasiam gubernata, tenerrimæ complexionis parvulum aut lecto emoveat aut incubando opprimat, ut frequentissima experientia testis est.

751. Quapropter magna cautela et circumspectio necessaria est in illo concubitu (idque sub peccato mortali) tum quod attinet lecti conditionem, tum quod dormientis qualitatem, et reliquas circumstantias. Vide cap. fin. de His qui filios occiderunt, et Panormit., in idem capitulum, Cajetanum, q. 64, art. 8, Chapeauville, Marchant, Manigart, Notau in præsentem casum. Hinc intelligitur, quomodò reservari possit oppressio prolis, etiam *ignoranter* facta aut *ex quâlibet negligentiâ*, simplici vel supinâ proveniens; quia solet utraque in actu adeò periculoso graviter culpabilis esse. Chapeauville, Manigart, Marchant, Notau, Henno.

752. — 3. Cæterùm per oppressionem intelligitur suffocatio. Constat ex usu et vulgari modo loquendi: sic enim mater aut nutrix dicitur, infantem in suo lecto aut cubili *oppressisse*, si incubando manibus, pedibus, brachiis suffocaverit. Idem est de *oppressione* passivè sumptâ; qui enim, v. g., sub ruinis alicujus ædificii aut catarrho suffocatur, dicitur *oppressus* esse. Necessarium est autem, mortem ipso effectu secutam esse. Unde si proles oppressa sit tantùm ad aliquam infirmitatem et interim supervivat, non incurritur peccatum reservatum. Ratio, quia debet peccatum consummatum esse. Ratio altera, quia usus et sensus communis tum demùm aliquem oppressum aut suffocatum sive ex ruinis, sive ex catarrho vocat, cùm inde mortuus fuerit. Vide Notau et Marchant.

753. — 4. In diœcesi Leodiensi ad reservationem requiritur, ut opprimatur *proles*, quo vocabulo intelligitur soboles aut progenies in lineâ rectâ descendentium; unde nomen *proles* relativum est, importans respectum ad alterutrum parentem, adeòque hæc vocula significat, non sufficere qualemcumque cujusvis infantis oppressionem, sed eam solùm, cujus parentum alter vel uterque auctor est. Debet proinde *proles* formaliter sumi, non pro parvulo, qui genitus est, sed quatenùs genitus est seu potiùs quatenùs parentem aut genitorem respicit.

754. Ratio, quia relationes, in materiâ præsertim odiosâ, debent formaliter intelligi et cum respectu ad suum terminum, quod multis exemplis facillimè ostendi potest: sic enim cùm reservatur *injectio violenta manuum in parentes*, manifestum est, non sufficere ad reservationem, quòd percutiatur ille, qui pater est seu prolem habet: sed necessariam esse relationem generationis activæ et passivæ inter percussum et percussorem. Rursùs dùm reservatur *machinatio in mortem conjugis*, non est satis ad casum reservatum, quòd aliquis machinetur in mortem illius, quæ conjux seu matrimonio juncta est, sed requiritur mutua relatio, fundata in ipso matrimonio. Iterùm cùm dicitur incestus esse *concubitus consanguineorum*, etc., id debet necessariò intelligi de consanguineis formaliter sumptis et ad se mutuò comparatis; alioqui quilibet concubitus incestuosus est, cùm quilibet passim suos consanguineos habeat.

755. Dices: qualitas seu circumstantia parentis videtur planè indifferens; sive enim proles occidatur culpâ vel negligentiâ parentum, sive alterius, perinde est; idem habetur incommodum, idem infanticidium et oppressio prolis. Ergo inutilis et nulla videtur restrictio ista de relatione agentis et passi. — Respondeo 1° omninò non esse idem: quia potest episcopus reservâsse unum et non alterum, eò quòd frequentiùs eveniret unum, quàm alterum: cùm enim frequentiùs à parentibus, quàm extraneis educentur proles; illi sæpiùs, quàm hi, condormiant, etc., si proles accubitu quandoque opprimantur, natum est id fieri frequentiùs per parentes, quàm nutrices, etc. — Respondeo 2°, quanquàm sit in utroque eventu idem effectus, idem infanticidium, non tamen idem producendi modus aut potiùs eadem agentis circumstantia: est enim certum, peccatum parentis, per negligentiam culpabilem opprimentis suam prolem, gravius esse quàm, v. g., nutricis: cùm enim majori charitatis vinculo erga prolem teneatur pater, quàm nutrix, debet hujus, quàm illius, negligentia minor esse.

756. Pone, parricidium reservatum esse, rectè non argues; sive filius occidat patrem, sive pater occidatur ab alio, idem habebitur effectus, etc.

757. — 5. In Namurcensi satis est, oppressionem fieri *tenellorum*. Est autem notabilis differentia inter *prolem* et *tenellum*, quòd *proles*, ut jam diximus, importet respectum seu relationem ad parentes, *tenellus* verò consistat in absolute, solummodò connotans initium vitæ vel ætatis. Vide Paradis cit.

6. Ad reservationem in utrâvis diœcesi incurrendam non videtur exigi, ut oppressio prolis directè vel in causâ proximâ sit voluntaria. Sufficit culpabilis causalitas etiam indirecta, et in causâ omninò remotâ. Ita quidem omnes affirmant, sed nullus probat. Quare oppono sequens argumentum: nomine homicidii voluntarii in utràque diœcesi reservati, non intelligitur quodlibet homicidium; ergo nomine *oppressionis* non venit quælibet oppressio. Nulla videtur esse differentia, nisi quòd casus prior sit oppressio hominis etiam adulti, posterior solius parvuli. Atqui secundùm ea quæ ante dicta sunt, ad homicidium in utràque diœcesi reservatum non sufficit, quòd sit voluntarium in causâ remotâ, vel per accidens connexâ cum effectu, sed requiritur, ut sit voluntarium in se vel in causâ mortis propinquâ. Ergo idem videtur dicendum de oppressione parvuli.

758. Hoc argumentum nullus auctor attingit. Respondeo oppressionem parvuli, etiam indirectè volitam et in causâ remotâ, idcircò reservatam esse quòd oppressio parvuli directa et in se intenta, continetur sub homicidio voluntario antea reservato; ergo dum deinceps reservatur distincto termino oppressio prolis vel tenelli, debet hæc alio sensu accipi, ne sit notoriè ridicula repetitio: alioquin enim præsens casus hunc sensum dabit: *Homicidium voluntarium prolis*; quod perinde ridiculum foret, ac si, reservato priùs homicidio voluntario, deinceps per distinctum reservaretur *Homicidium voluntarium adulti, sacerdo-*

tis, virginis, etc., aut si, reservato semel incestu cum consanguineis aut sanctimonialibus, deinceps per distinctum casum reservaretur incestus cum consanguineis in secundo gradu, et cum sanctimonialibus solemniter professis.

759. Sed quid si in utràque diœcesi reservaretur solummodò oppressio prolis vel tenelli, non autem homicidium voluntarium? — Respondeo, ne tunc quidem necessarium fore ut oppressio sit voluntaria directè vel in causâ propinquâ. Ratio, quia talis videtur fore intentio reservantis, apparens seu manifestata per reales circumstantias : casûs enim præsentis reservatio originem vel occasionem sumpsisse videtur ex oppressis hìc et nunc parvulis, præcipuè per accubitum, atque adeò per causam occasionalem et remotam.

760. — 7. Interim observandum, ut parvulus censeatur oppressus, non sufficere quòd aliquis qualitercumque dederit initium vel occasionem morti, v. g., per vulnus leviusculum, ex imprudentiâ parvulo inflictum, ex quo deinceps per accessum incommodi accidentarii moriatur; id enim non est verè opprimere. Quare sic sufficit effectum mortis in causâ remotâ voluntarium esse, ut tamen simul censearis verè et propriè opprimere; vel saltem in illis circumstantiis constituas parvulum in quibus necessariò ac naturaliter moriatur. Sic, v. g., qui, prævisо mortis periculo, accubat parvulo, eumque incubando opprimit, verè, propriè ac personaliter suffocat, quanquàm actio proximè occisiva separetur per somnum à præsenti libertate operantis.

§ 4. *Corollaria.*

761. — 1. In neutrâ diœcesi ætas definita requiritur ad reservationem, dummodò in unâ *proles*, in alterâ *tenellus* fuerit qui opprimitur; secùs atque statuitur in diœcesi Atrebatensi, in quâ juxta synodum 1687, 12 decembris, reservatur oppressio parvulorum, per quasvis personas cum iisdem in eodem lecto recumbentes, *ante primum ætatis annum completum.*

2. In neutrâ diœcesi casum incurrit reservatum pater aut quivis alius, si non sequatur effectus mortis, quanquàm per imprudentiam aut negligentiam mortalem causa mortis sufficiens fuisset data. Secùs iterùm de diœcesi Audomarensi, ubi, referente Henno, reservationem incurrit qui infantem, primo ætatis anno necdùm expleto, in uno secum et eodem lecto collocat.

762. —3. Idem dicendum si parens aut quilibet alius prolem aut tenellum opprimat per imprudentiam aut negligentiam, tantùm venialiter peccaminosam. Marchant. Multò minùs si supponamus fieri ex ignorantiâ inculpatâ et omninò invincibili, aut infortunio naturali penitùs improviso.

4. Quare casum reservatum in neutrâ diœcesi incurrisset meretrix (3 Reg. 3) quæ dormiens oppressit prolem suam et oppressam cum vivâ meretricis alterius commutavit.

5. Idem est de parentibus de quibus agitur c. fin. de Iliis qui filios occiderunt. Est autem casus in illo capite, *de infantibus qui mortui reperiuntur cum patre et matre, et non apparet utrùm à patre vel à matre oppressus sit ipse vel suffocatus, vel propriâ morte defunctus;* quamvis enim (ut monet Pontifex) non debeant inde securi esse parentes, quatenùs vide icet periculo opprimendi exposuerunt prolem, nihilominùs cùm supponatur esse dubium an morte naturali, an violentâ obiisset parvulus, sicuti non potest affirmari quòd reverà oppressus sit, sic neque quòd peccatum consummatum oppressionis commisissent parentes.

763.—6. Secùs dicendum de parentibus de quibus agitur cap. *Veniens*, et cap. *Intelleximus*, eod. Utroque capite agitur de muliere quæ *iracundiæ calore ducta* aut *furore accensa diabolico*, filium aut *filiam parvam* interfecit et jugulavit.

7. In neutrâ diœcesi incurrit casum mandans vel consulens oppressionem prolis aut tenelli.

8. In Leodiensi non committit reservatum nutrix vel obstetrix, per imprudentiam aut negligentiam etiam mortaliter peccaminosam opprimens alienam *prolem*; ut non incurrit casum qui percutit *parentem* alienum. Marchant et Manigart. Secùs dicendum pro diœcesi Namurcensi.

764. — 9. Existimant Chapeauville, Marchant, Manigart, Paradis, Henno, quòd reservatione teneatur mater quæ prolem ex concubitu damnato vel fornicario natam exponit noctu, tempore hyemali, secutâ morte, aut in sylvis vel agris, ubi à frigore, inediâ, bestiis moriatur.

Dices : Hoc non est verè opprimere, sed solummodò occasionem esse oppressionis aliunde secuturæ, puta per inclementiam aeris, defectum debiti alimenti aut incursum bestiarum. Jam verò, ut supra diximus, requiritur ad reservationem ut verè et personaliter opprimas, uti contingit quando aliquis prolem in eodem secum lecto collocatam incubando suffocat. Confirmatur quia ob hanc causam non incurrit casum mandans aut consulens oppressionem prolis, videlicet quòd executio per alterum fiat seu facienda sit. — Responderi fortassè poterit matrem in exemplis à nobis allegatis, esse propriè dictam causam mortis, non quidem proximam et omninò immediatam, sed remotam et mediatam, quatenùs impotentem parvulum illis objicit vel exponit circumstantiis in quibus per influxum causæ naturalis et necessariò operantis infallibiliter sequatur mors.

765. Sic verus reputabitur homicida qui inimicum suum carceri inclusum inediâ conficit, negato vel non concesso debito alimento. Item qui eumdem cubiculo incensæ domûs violenter detinet, si contingat aut ruinis opprimi, aut flammâ comburi. Aliud est de mandante et consulente : in hoc enim casu mors inferenda est per causam liberam, cui propriè tribuenda est actio occisiva.

CAP. XXIII.

DE RAPTU.

§ 1. Quæstio præliminaris prima. — *Quid, quotuplex, et quale peccatum raptus?*

766. Respondeo : Raptus diversimodè ab aucto-

ribus sumitur. Aliquando pro quâlibet illicitâ virginis defloratione. Ita accipitur ex Isidoro, 36, q. 1, c. 1, et 27, q. 2, c. 48, et citatur à S. Thomâ, 2-2, q. 154, art. 7; aliquando accipitur paulò strictiùs pro libidine violenter intentâ. Ita accipit S. Thomas cit. O, et art. 1 ejusdem quæstionis. Eodem modo sumunt doctores varii, Wiggers de Temperantiâ, cap. 3, dub. 7, num. 40; Hesselius Catech. in Decal., c. 183; Polman Breviar. Theol., 2-2, num. 1125; Huygens de Castit. et vitiis oppos., c. 10, n. 1; Chapeauville, partis posterioris c. 12, q. 1; Damhouderius, Prax. crimin, c. 95. Sanchez de Matrim. l. 7, d. 12, n. 31, et plures alii. Omnes explico de raptu generatim et minùs rigidè sumpto, prout S. Thomam cit. explicant Sylvius ibidem, Lessius l. 4, c. 3, d. 9, n. 66; Vanden Perre in Reflex. vindic. ad art. 5. Hoc solum observa quòd raptus possit esse distincta et propriè dicta species luxuriæ; et interìm species impropria raptûs. Ut sit species propriè dicta luxuriæ et distinguatur à simplici fornicatione, perinde est, qualitercumque adsit violentia, sive quoad abductionem tantùm, sive quoad copulam tantùm, sive quoad utrumque; qualitercumque adsit violentia, habebitur species determinata luxuriæ; quia præter luxuriam committitur injuria; sed non habetur eo ipso raptus, propriè et strictè sumptus.

767. Raptus igitur propriè describi potest : Abductio violenta personæ, causâ ineundi matrimonii vel explendæ libidinis. Dicitur primò, *abductio*, id est, de loco in locum traductio. Localem traductionem non esse necessariam ad committendum peccatum reservatum, censet amplissimus D. Van Vyve pro diœcesi Brugensi, tractatu de Cas. res., art. 1, et in Exam. Reflex. ad art. 5. Item ibidem in Appendice ad § 1. Movetur 1° auctoritate doctorum, quos statim citavimus; 2° ratione theologicâ, *quia corporalis abductio nullam de se includit inordinationem, repugnantem alicui virtuti, sed ipsa violentia; ergo abductio non est de essentiâ raptûs, ut est species luxuriæ.* Est in Append., num. 6 : *Abductionem*, inquit, *localem non esse necessariam ad raptum propriè et strictè sumptum, ipsa ratio evincit; si enim, dùm quispiam violenter pallium aut bursam alicujus rapit, etiam sine locali translatione, verè, strictè et propriè raptor sit, quis dubitare potest quin ille qui violenter virginitatem rapit, seu usum corporis extorquet, verè, strictè et propriè raptor sit?*

768. Interim ad raptum propriè sumptum necessariam esse localem abductionem, tenet communior sententia theologorum, quam sequitur et probat Sanchez de Matrim., l. 7, disp. 12, num. 20. Probat autem ex l. *Mariti lenocinium*, ff. *Ad* l. *Jul.*, de Adulteriis, ibi : *Eum autem qui per vim* STUPRUM *intulerit vel mari vel feminæ.* Item ex c. *Lex illa* (quod est Gelasii Papæ) 36, q. 1, ibi : *Raptum dixit commissum esse, ubi puella de cujus nuptiis nihil antea actum fuerat, videatur abducta.*

769. Citat autem Sanchez pro hâc sententiâ doctores 27, partim theologos, partim canonistas, præter quos ejusdem opinionis sunt Sylvius, q. 154, a. 4; Lessius cit.; Herincx, p. 3, tract. 2, disp. 2, q. 3, num. 20; Bonacina, de Matrimonio, q. 4, puncto 18, prop. 1; Boudart, tract. 6, de Præcept. 2 Tabulæ, q. 5; Henno, in Decal., disp. 6, q. 6, concl. 1; Layman c. 13, de Impedimento raptûs; Jacobus Marchant in hunc casum; Azorius, Instit. moral., p. 3, l. 3, c. 16; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1646; Van Espen, juris Eccles. parte 3, tit. 4, n. 44; Van Roy, c. 4, de Imped. Matrim., q. 13; Zoesius in lib. 5 Decret. tit. 17, num. 1; Vallensis, Canisius et alii ibidem, Bosco disp. 12, de Impèd. matr., sect. 9, n. 36, dicens : « Oppressio violenta in jure nuspiam appellatur raptus, sed stuprum per vim illatum, l. *Mariti lenocinium*, ff. *Ad* l. *Jul.*, de Adult. » Idem præterea docent Julius Clarus, Molina et alii numero infiniti.

770. Ad fundamenta amplissimi D. Van Vyve, quantùm attinet adductas ab eodem auctoritates, jam data responsio est. Quod autem spectat rationem theologicam, respondeo cum Vanden Perre, Reflex. vindic. ad art. 5, abductionem corporalem puellæ secundùm se et abstractim sumptam nulli repugnare virtuti; secùs, si consideretur concretim, seu quatenùs procedit cum violentiâ. Ad secundum respondeo, in resolvendis theologicis conclusionibus non esse semper spectandam grammaticalem nominum vel terminorum significationem, sed potiùs (ubi potest fieri) ex usu theologorum et canonistarum (cui sinè dubio se accommodant reservantes episcopi) staduendum esse. Porrò non sufficit abductio qualiscumque, merè naturalis et physica de loco in locum proximum et contiguum, sed requiritur moralis, ad effectum abducendi instituta; ut doctores supra nominati addunt.

771. Dicitur secundò : *violenta.* Quare ubi nulla coactio, nulla intercedit violentia, ibi nullus raptus. DD. citati ex l. 3, ff. de Incendio, Ruinâ, ubi dicitur; *Aliud autem esse rapi, aliud amoveri, palàm est; siquidem amoveri aliquid etiam sine vi possit : rapi autem sine vi non potest.* Porrò *violentia* secundùm Glossam, l. 1, c. de His quæ vi metûsve, est quintuplex; secundùm theologos duplex, vera scilicet et interpretativa. Violentia *vera*, seu violentum verè, physicè et naturaliter est, cujus principium est extra, non conferente vim passo. Hanc violentiam nequit voluntas pati, etiam per Deum, in actibus elicitis aut facto imperatis. Violentia *interpretativa*, seu violentum interpretativè est, quod metu aut minis gravibus extorquetur. Utralibet violentia sicut sufficit ad rapinam, sic ad raptum propriè sumptum. Ita doctores communiter, quorum plurimi extendunt conclusionem ad casum, quo precibus aut blanditiis importunis victa puella sequitur sollicitantem : quod tamen non videtur verum, nisi sollicitatio sit adeò pertinax et importuna, ut æquivaleat violentiæ. Vide Bosco, disp. 12, sect. 9, concl. 1, n. 26.

772. Dicitur tertiò in descriptione raptûs : *personæ*, cujuscumque tandem, virginis, corruptæ, liberæ, conjugatæ, pauperis, divitis, nobilis, plebeiæ, etc. Sed hoc iterùm, quantùm attinet genericam notionem raptûs. Quare conclusio in istâ latitudine non habet lo-

cum, si pœna vel reservatio circumstantiam determinatam, v. g., virginitatis, etc., in puellâ, quæ rapiatur, exigat.

Dicitur quartò : *causâ ineundi matrimonii vel explendæ libidinis.* Quare duplex est raptus ex parte finis seu intentionis, unus qui libidinem, alter qui matrimonium spectat. Et hoc iterùm, quantùm attinet naturam raptûs, propriè quidem, sed generatim sumptam. Alioquin rursùs pœnalis constitutio aut reservatio per circumstantias reales aut aliunde potest restricta esse ad alterutram speciem.

Quæstio II. — *An ad raptum reservatum, in quantum est species luxuriæ, requiratur libido in effectu ?*

773. Sensus quæstionis est, an raptum propriè dictum atque adeò reservatum committat juvenis, qui violenter abduxit virginem, sed libidinem cum eâdem nullam exercuit, aut quia non potuit, elapsâ virgine, aut quia non voluit, mutato proposito. Quòd si copula sit necessaria, rursùs quæri poterit, an hæc pariter violenta esse debeat, an autem sufficiat abductionem fuisse violentam.

. Libidinem in effectu necessariam esse, existimant ampliss. D. Van Vyve, tract. de Cas. res., art. 5, § 1, et in exam. Reflex. ad art. 5, § 1, n. 29, et in Append. ad § 1, n. 10; Chapeauville, c. 12, part. post., q. 2; Polman Breviar., Theolog., 2-2, n. 1125; Lessius, l. 4, c. 3, dub. 9, n. 67; Brauman in manuscriptis à se dictatis. Ratio hujus opinionis est, quia raptus, prout est species luxuriæ, non erit satis consummatus, si copula non successerit. Secundò, raptus est *illicitus coitus à corrumpendo dictus*, ut docet Isidorus, et habetur 36, q. 1, c. 1, item 27, q. 2, c. 48; item apud S. Thomam, art. 7.

774. Respondeo, raptum, prout est species luxuriæ, consummari per violentam abductionem localem cum libidinosâ intentione raptoris, tametsi non sequatur effectus carnalis copulæ. Lessius eodem num. 67; Sylvius, q. 154, art. 7; Herincx, n. 20, circa finem; Molina, disp. 105, n. 6; Daelman, tom. 9, quæstion. alt., observat. 16, p. 435; Vanden Perre in Reflex. ad tract. de Cas. res., ad art. 5, § 1, et in Reflex. ad vindic.; Boudart., tract. 6 de Præc. 2, Tab. de 6 Præc., q. 5; Wiggers, tract. de Temp., c. 3, dub. 7, n. 41; Arsdekin, correct. p. 3, tr. 2, c. 3; Tamburinus in Dec., l. 7, c. 7, § 2, n. 12; Bertrandus Loth, tr. 16 de Peccat. carn., q. 8, art. 1; Bonacina, de Matrim., q. 4, puncto 18, prop. 1, n. 3; Bassæus, verb. *Raptus*, n. 1; Filliucius, tract. 30, in 6 Præcept. Dec., c. 6, n. 108; Vallensis in Paratit., l. 5, tit. 17, n. 2; Zoesius ibid. n. 5, citans Castrop. dict. loco num. 5; Covarruv. ad Clem. un. p. 2, n. 8.

775. Ratio est quia raptus, secundùm theologos et canonistas communiter, describitur violenta abductio causâ explendæ libidinis, vel matrimonii ineundi, ut proinde (quod attinet raptum luxuriosum) intentio libidinosa raptoris videatur esse prædicatum specificativum et ultimum complementum raptûs, adeò ut, abductâ semel violenter puellâ ex animo libidinoso, sit indifferens, quidquid deinceps fiat vel omittatur. Rapitur puella, dùm violenter abducitur; quando violenter abducta corrumpitur, non rapitur ampliùs, sed defloratur; ita ut copula carnalis subsecuta non sit raptus, sed alia luxuriæ species, puta, stuprum, fornicatio, adulterium, incestus aut sacrilegium, juxta circumstantias seu conditionem agentis aut patientis. Quare copula carnalis seu libido (ut arguunt Herincx, Daelman et plerique alii) est finis raptûs vel raptoris, non raptus ipse.

776. Confirmatur : Raptus, ut est impedimentum dirimens matrimonii, præter violentam abductionem, exigit solam intentionem matrimonium ineundi, non autem matrimonium effectu initum seu attentatum. Nec dicas differentiam esse quòd matrimonium sit impossibile stante raptu, seu quamdiù rapta fuerit in potestate raptoris, atque adeò non esse mirum quòd matrimonium non spectet ad naturam consummatam raptûs; ne id dixeris, inquam, quia inprimis non repugnat conatus matrimonii, qui tamen non requiritur. Deinceps, id volo, raptum illum completum et consummatum esse, etsi non solùm matrimonium non sequatur, sed etiam sequi non possit. Porrò si matrimonii ineundi intentio non compleret raptum, defectum non suppleret impossibilitas. Finge carnalem copulam impossibilem esse, aut impotentiam absolutam ex parte raptoris aut raptæ; si non sufficiat, per se loquendo, ad raptum luxuriosum intentio libidinosa raptoris, naturalis impotentia copulæ non supplebit defectum.

777. Hinc patet responsio ad alterius opinionis fundamentum de actûs imperfectione. Quod attinet descriptionem raptûs ex Isidoro sumptam, jam supra responsum est non convenire raptui rigorosè sumpto quod ostenditur 1° quia ne quidem ulla fit mentio alicujus violentiæ, quam tamen ad raptum propriè dictum necessariam esse docet S. Thomas in corpore ejusdem articuli; 2° juxta hanc descriptionem, nisi virgo, rapi non potest, uti non nisi virgo corrumpi, 3° quia utroque loco juris Canonici confunditur raptus cum stupro, eoque impropriè sumpto; additur enim : *Unde qui raptu potitur, stupro fruitur.* Vide, quæso, Gratianum.

Quæstio III. — *Cui debeat inferri violentia, ut propriè censeatur raptus ?*

778. Notandum ex Gratiano, et S. Thomâ, art. 7, 0, tripliciter violentiam committi posse : primò, respectu solius puellæ, videlicet dùm parentes consentiunt abductioni. Secundò, respectu solius parentis, tutoris, curatoris, sponsi, etc., si videlicet consentiat puella. Tertiò, tum respectu puellæ, tum respectu parentûm etc., nimirùm si utrique repugnent. His notatis,

Respondeo primò, non esse raptum, spectato jure canonico, si, invitis parentibus, tutoribus, etc., puella consentiens abducatur ad ineundum matrimonium, postquàm tractatus aliquis de ineundo matrimonio præcessit. Constat ex cap. penult. de Raptoribus, ubi dicitur: *Respondemus quòd, cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi ni' ante de nuptiis agitur : iste raptor dici*

non debet, cùm habuerit mulieris assensum, et priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit : licèt parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse. In quem textum Glossa, verbo *Dicatur admitti*, in fine : *Raptus non est, ubi puella consentit.* Verùm, ut reflectit abbas ibidem, « loquitur nimis generaliter ; unde intelligo Glossam, « ut procedat, quando de nuptiis habitus fuit prævius « aliquis tractatus... Si autem nullus præcessisset « contractus de nuptiis, quantumcumque puella con- « senserit raptui, si violentia inferatur parentibus, « raptus committitur. »

779. Dixi, *spectato jure canonico*, quia secundùm jus civile committitur raptus, etsi puella consentiat. Vide Zoesium, tit. 17, de Raptoribus, n. 1.

Dixi etiam, *ad ineundum matrimonium ;* si enim puella consentiens abducatur, invitis parentibus, causâ libidinis, erit verus raptus, etiam spectato jure canonico. Zoesius cit. ; Molina, tom. 4, disp. 105, n. 4 ; Panormitanus, communiter receptus apud Azorium, part. 3, l. 3, c. 14, Filliucius et multi alii.

780. Respondeo secundò : Si nihil antea de nuptiis actum fuerit, committitur raptus rigorosè sumptus, sive inferatur violentia parentibus solis, sive puellæ soli, sive utrisque, idque sive abductio fiat causâ matrimonii, sive causâ libidinis. Ita passim theologi explicantes naturam raptûs per alternativam, ut sufficiat vim inferri puellæ *vel* parentibus, tutoribus, etc. ; Sanchez, de Matrim., l. 7, disp. 12, n. 12, et 35, cum integro catalogo tum theologorum, tum jurisperitorum. Navarrus, Consil. lib. 5, tit. de Raptor., consil. 2 ; Perez, de Matrim., disp. 38, sect. 1, n. 2 ; Molina, n. 4, Azorius, c. 14 ; Æstius, 3, dist. 37, § 22, de sexto Decalogi præcepto ; Coninck, de Sacram. et cens., tom. 2, disp. 31, n. 46 ; Reginaldus, l. 22, c. 3, sect. 6 ; Valensis Paratit., l. 5, tit. 17 ; Zoesius ibidem ; Sylvius, q. 154, a. 7, Lessius, Bonacina, Ledesma et alii apud citatos.

781. Ratio est quòd, etsi parentibus solis violentia inferatur, nihilominùs adesse possint omnia ad verum raptum requisita, videlicet violentia, abductio, intentio libidinis vel matrimonii ; nec enim in descriptione raptûs propriè, sed generatim sumpti, dicitur vel significatur, violentiam ipsi puellæ inferendam. Notandum tamen cum Sylvio, Daelman tom. 9, quæst. ult., observ. 16, fol. 401, et aliis, non sufficere ad verum raptum, quòd puella consentiens abducatur, insciis parentibus et solùm habitualiter invitis ; tum enim nulla fit propriè violentia. Quare erit in casu potiùs voluntaria fuga, quàm raptus, ut furtum potiùs est, quàm rapina, si quid rerum auferatur alicui, invito quidem habitualiter, sed nescienti. Notandum pariter, cùm dicimus, ad raptum strictè sumptum sufficere violentiam parentibus, tutoribus, etc., irrogatam, id non intelligi in ordine ad quemlibet effectum : inprimis enim non sufficit ad reservationem, in illis videlicet diœcesibus, in quibus ad hunc effectum requiritur involuntarium virginis vel puellæ. Secundò, juxta sententiam communiorem, non sufficit ad dirimendum matrimonium, eò quòd Ecclesia statuens, ut raptus dirimat matrimonium, respexerit contrahentium libertatem, quam non everti dissensus vel repugnantia parentûm.

§ 2. *Tenor casûs.*

782. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi, Namurcensi reservatur *raptus virginum.*

In Cameracensi et Ruræmundensi nihil de hoc casu.

In Gandavensi *raptus virginum*, de quo Pastorale : *Per raptum virginis intellige, quo vi abducitur contra suam voluntatem, libidinis aut matrimonii contrahendi causâ.*

In Leodiensi simpliciter habetur *raptus.*

§ 3. *Reflexiones.*

783. — 1. Quanquàm ad raptum propriè et generatim sumptum (ut supra diximus) indifferens sit conditio personæ, quæ rapitur, nihilominùs circumstantia virginitatis exigitur ad reservationem in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi. Porrò virginitas duplex est, animi videlicet et corporis. Hæc est integritas virginalis claustri ; illa, perfecta castitas, connotans integritatem et puritatem corporis, hactenùs voluntariè non amissam. Sola prior est hujus loci. Vide Sylvium, q. 154, art. 6. In Leodiensi nulla raptæ personæ qualitas designata est.

784. — 2. Tametsi (iterùm secundùm dicta superiùs) ad raptum rigidè, sed universim sumptum, indifferens sit finis libidinis vel matrimonii, nihilominùs in diœcesibus Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi videtur hoc loco sola illa raptûs species reservari, quæ libidinem tanquàm finem respicit ; Steyaert sæpè citatus, n. 12, Van Vyve, Append. ad § 1, n. 13, Notau de casu 12, n. 25. Contrarium existimat eximius Daelman, tom. 8, q. 6, observ. 18, pag. 633, eò quòd episcopi non distinguant. Ratio nostra est, quia si episcopi in diœcesibus nominatis reservarent raptum, etiam qui fiat causâ matrimonii, id foret sinè dubio ad vendicandum matrimoniis seu contrahentibus libertatem ; tum verò pro hâc parte minùs rectè ad *virgines* restringerent, cùm eadem libertas ad ineundum matrimonium, sit necessaria viduis vel corruptis, quæ virginibus.

785. Certè concilium Tridentinum, intendens eumdem finem, dùm inter impedimenta matrimonium dirimentia numerat raptum, consultò circumstantiam virginitatis in raptâ non exegit ; eòquòd non ignoraret, ut statim diximus, in viduâ, corruptâ, meretrice, etc., eamdem, quæ in virgine, requiri libertatem ad matrimonium. Dixi *hoc loco* solam illam raptûs speciem reservari, quæ libidinem respicit : raptus enim, quo matrimonium intenditur, in præfatis diœcesibus, aut saltem nonnullis earum, reservatur, quatenùs est delictum habens annexam excommunicationem majorem ex concilio Tridentino, sess. 24, de Reform. Matrim., c. 6., ubi dicitur : *Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati.* Eadem restrictio potest fieri circa reflexionem primam de circumstantiâ virginitatis ; quia Tridentinum excommunicationem præfatam vibrat in raptores

etiam corruptarum. Ita eximius D. Daelman, tom. 9, quæst. ult., observ. 16, circa finem.

786. — 3. In Gandavensi et Leodiensi reservatur hoc loco uterque raptus. In Leodiensi quidem ; quia nulla illic restrictio additur vel significatur : in Gandavensi autem, propter interpretationem authenticam Pastoralis, quod utrumque finem nominatim exprimit ; *ibidinis aut matrimonii contrahendi causâ*.

4. In Gandavensi requiritur ad reservationem ut fiat violentia virgini, in cæteris non item.

787. — 5. Licèt (secundùm sæpiùs dicta) mandare, consulere, consentire non sit propriè facere, nihilominùs videtur aliquid singulare in hoc casu esse, cùm prædicatum formale raptûs consistat in intentione rapientis ; ex quo videtur consequens ut verè et propriè rapiat, qui rapi mandat, consulit vel consentit. Priusquàm respondeatur, observandum est duobus modis mandatum, consilium, consensum de rapiendâ virgine vel mulicre dari posse, semel in commodum et usum mandantis aut consulentis, etc., semel in commodum et usum mandatarii aut consiliarii, etc.

788. Quo notato, respondeo 1° si mandatum vel consilium de rapiendâ violenter virgine vel puellâ, cedat in solum usum vel commodum mandatarii, consiliarii seu executoris, tum solus executor, completo raptu, incurrit casum reservatum. Ratio est quia solus executor intendit explere libidinem suam vel contrahere matrimonium ; ergo solus est raptor. Nec refert quòd mandans intendat libidinem, vel matrimonium mandatarii : quia ad raptum non sufficit intentio libidinis alienæ aut matrimonii alieni. Itaque in casu mandans verè et propriè non *rapit*, id est, non *committit* raptum, non *facit* raptum, sive quod attinet abductionem ipsam, sive quod spectat hujus specificationem seu intentionem. Respondeo 2° si mandatum vel consilium detur in usum et commodum ipsius mandantis, et is virgine vel puellâ per alium raptâ abutatur, mandans aut consulens incurrit casum reservatum in sententiâ illorum doctorum qui ad completam rationem raptûs libidinosi exigunt carnalem copulam effectu subsecutam.

789. Ratio, quia licèt mandans aut consulens in casu non ponat propriè raptum, quantùm ad localem abductionem, ponit nihilominùs quoad intentionem explendæ libidinis et ipsum raptûs complementum, scilicet carnalem copulam, quod satis est, ut propriè censeatur rapere ; quia ratio specifica raptûs non tam consistit in ipsâ materiali abductione, quæ secundùm se est indifferens, quàm intentione libidinis, etc., quæ est veluti forma raptûs, et copulâ carnali, quæ juxta illos doctores est complementum et consummatio raptûs.

790. Unde, sicut in artificialibûs verè dicitur fecisse statuam, sedem, picturam, qui quidem materiam non producit, sed formam indit, quòd hæc sit complementum et propria ratio statuæ, sedis, picturæ ; ita in moralibus rectè dicetur commisisse raptum, qui jussit vel consuluit rapi, et interim explendæ libidinis intentionem habuit et explevit. Quo patet disparitas inter

mandatum, consilium, etc., de rapiendâ virgine, et de committendo adulterio, homicidio, etc. ; quia mandans vel consulens homicidium, adulterium vel aliquid ejusmodi, in ipsâ executione nullam propriè partem habet. Totius effectûs etiam consummati est causa solummodò moralis, adeòque impropria. Sed quia sententiam quæ requirit copulam carnalem pro complemento raptûs luxuriosi, supra non admisimus, hinc respondeo 3°, idem sub eâdem conditione dicendum in nostrâ opinione, videlicet mandantem aut consulentem committere peccatum reservatum, si intendat ipse cum abducendâ violenter puellâ suam libidinem exequi.

791. Idem est de intentione ineundi matrimonii : in hoc enim nostra sententia distinguitur à priori, quòd hæc complementum raptûs statuat in executione, nostra in intentione libidinis ; atque adeò paritas est in cæteris. Proinde sicut in illâ sententiâ verè committit raptum mandans vel consulens, dùm exequitur, sic in nostrâ, dùm intendit libidinem, secutâ per mandatarium abductione violentâ.

Dices : Ergo mandans incurrit casum reservatum propter solum actum interiorem. — Respondeo negando consequentiam : incurrit enim propter utrumque actum, internum et externum, hunc moraliter, illum physicè productum ; dico enim quòd producere moraliter abductionem, et physicè intentionem libidinis aut matrimonii, sit verè rapere : est enim raptus, ut supra diximus, quoddam morale compositum. Materiale, est ipsa localis abductio, secundùm se indifferens et per varios fines determinabilis. Formale, est intentio libidinis aut matrimonii, per quam abductio alioqui indifferens restringitur, determinatur, completur et constituitur in specie raptûs. Qui hujus compositi materiale ponit moraliter, formale insuper propriè et per physicam causalitatem, nonne meritò censetur auctor compositi? Vide Herincx, p. 4, tr. 5, disp. 6, q. 9, n. 81.

§ 4. *Corollaria*

792. — 1. In nullâ diœcesi casum reservatum committit juvenis qui virginem vel viduam sine locali abductione violenter opprimit.

2. Idem est, etsi eamdem de uno cubiculo paternæ aut propriæ domûs in aliud, de agro aut viâ communi in locum secretum contiguum seu viciniorem violenter tractam, carnaliter cognoscat ; quia non fit ad effectum abductionis, sed gratiâ commodioris concubitûs. Ita doctores supra citati.

3. Idem est, si quis viduam vel virginem, sine violentiâ abductam, violenter cognoscat.

4. In nullâ diœcesi requiritur ut libidinis aliquid in effectu sequatur, tum quia id non est necessarium ad speciem completam raptûs luxuriosi, ut supra ostensum est, tum quia nulla diœcesis istius effectûs seu complementi mentionem facit.

793. — 5. Nullibi peccatum reservatum committitur, si puella sine vi, pretio vel blanditiis leniter et leviter inducta sequitur sollicitantem, ignorantibus et insciis parentibus, tutoribus, curatoribus, sponso, etc.

6. Idem, si dolo abducatur, quia dolus propriè non est violentia; ut enim ob hanc causam non dicitur rapinam committere, qui rem alterius dolo obtinet, ita neque qui virginem.

7. Si, parentibus invitis, abducatur puella consentiens (suppositis aliàs supponendis), raptus erit reservatus. Excipitur diœcesis Gandensis propter Pastorale. Excipitur et casus supra specificatus, quo raperetur puella pro matrimonio de quo tractatus aliquis præcessisset. Usui id esse poterit præsertim pro diœcesi Leodiensi.

794. — 8. In Leodiensi perinde est, sive persona quæ rapitur sit virgo, corrupta, vidua, conjugata, meretrix, imò etiam mascula vel feminea.

9. In Gandavensi et Leodiensi indifferens est, suppositis supponendis, sive puella abducatur causâ libidinis sive matrimonii.

10. In nullâ diœcesi reservatur abductio violenta virginis in alium quemcumque finem, v. g., ad occidendum, spoliandum, etc.

11. Raptum reservatum committit qui puellam reluctantem, fine sæpiùs specificato, ad spatium morale abduxit, quantùmvis ad locum à se intentum pervenire nequeat, v. g., quòd parentes vel curatores raptorem insecuti, reducant puellam in itinere deprehensam.

12. Casum non incurrit qui puellam violenter domo paternâ eduxit, ad finem sæpiùs expressum, sed ulteriùs non ausus progredi, tempestivè remittit.

795. — 13. Aliud est de illo qui virginem consentientem (saltem quod raptum luxuriosum attinet) abducit, obtento patris, matris vel tutoris consensu per metum mortis aut alterius notabilis incommodi.

14. Idem est à contrario, si ex simili metu consentiat puella in abductionem, qualitercumque parentes, curatores, etc., respectu discessûs vel abductionis se habuerint.

15. Confessarius in hoc peccati genere, præter cætera quæ ex dictis facilè colliguntur, attendet ad circumstantias, *quis*, *quid*, *ubi*, *quomodò*, *cur* : si enim abductio violenta fiat ex intentione concubitûs, præter injuriam committitur luxuria, saltem in affectu raptoris, qui si sit voto castitatis vel sacro ordine ligatus, circumstantia *quis* addet speciem sacrilegii; si matrimonio junctus, erit raptus adulterinus; si consanguineus vel affinis in gradibus prohibitis, incestuosus. Idem est de circumstantiâ *quid*, si rapta sit matrimonio vel voto castitatis obligata, etc. Circumstantia loci addet excommunicationem pontificiam, si abducatur monialis è monasterio. Demùm prædictis omnibus jungetur species stupri, realis quidem, si raptor raptâ violenter utatur, mentalis autem, si intendat.

§ 5. *Objectiones solutæ.*

796. — 1. Objicies contra corollarium primum : S. Thom., q. 154, art. 7, O, manifestè docet salvari rationem raptûs, prout est species luxuriæ, *qualitercumque violentia adsit*, sive dùm puella carnaliter cognoscitur, sive dùm causâ concubitûs abducitur. Ergo localis abductio necessaria non est ad raptum, prout est species luxuriæ, quamvis requiratur ad speciem raptûs alteram, quæ sit impedimentum matrimonii.

797. Respondeo cum Sylvio, Lessio, Vanden Perre, quòd loquatur S. doctor de raptu luxurioso generatim sumpto. Pro quo adverte raptum luxuriosum seu qui est species luxuriæ, duobus modis committi posse, primò per violentam oppressionem, secundò per violentam abductionem causâ carnalis usûs. Utroque casu habetur vera species luxuriæ, sed utroque non habetur verus et propriè dictus raptus. Primum vult S. Thomas, de secundo non loquitur. Vult, inquam, S. Thomas, qualitercumque adsit violentia, sive dùm abducitur, sive dùm opprimitur puella, haberi veram speciem luxuriæ; quia præter luxuriam habetur in utroque casu violentia seu injuria, quod sufficit ut habeatur species luxuriæ, ab aliis luxuriæ speciebus diversa.

798. Similiter affirmat S. Thomas, utroque casu committi raptum, sed nullo modo affirmat, utroque casu esse raptum propriè sumptum; nec enim repugnat (N. B.) esse raptum impropriè sumptum, et esse speciem luxuriæ propriè sumptam; ad hoc ultimum sufficit quòd præter luxuriam, quæ est genus, involvat malitiam specificam, quæ erit differentia; ut autem habeatur non solùm propriè dicta species luxuriæ, verùm etiam propriè dicta species raptûs, requiritur abductio violenta.

799. Instabis : Violenta virginis oppressio eo modo quo raptus, punitur pœnâ non solùm simpliciter capitali, verùm etiam quoad modum acerbiori, ex tabulis legum Brabantiæ. — Respondeo : Etsi violenta oppressio et violenta abductio iisdem pœnis punirentur, non inde sequeretur utramque esse raptum rigorosè sumptum, quia identitas pœnæ non infert identitatem criminis, cùm crimina dissimilia eâdem pœnâ castigari possint.

800. — 2. Objicies contra corollarium quartum : Doctores passim apud Sanchez, n. 18, et Zoesium, n. 5, docent non esse locum pœnis ordinariis raptûs, copulâ non secutâ, saltem in casu quo potuit et noluit raptor cognoscere raptam. — Respondeo primò doctores divisos esse, et eorum plurimos (apud Sanchez et Zoesium) pro oppositâ sententiâ stare, videlicet pœnis ordinariis esse locum, etiam copulâ qualitercumque non secutâ; id quod certum esse dicit Molina cit. n. 12, de pœnis spiritualibus. — Respondeo secundò : Qui oppositum docent, fundantur in l. *Unica*, c. de Raptu virginum, ubi prætendunt ad sententiam capitalem exigi carnalem copulam in effectu, per verba, *maximè cùm virginitas vel castitas corrupta restitui non possit.* Quibus verbis si requiratur ad pœnam capitalem ut castitas vel virginitas effectu ipso corrumpatur, non erit ideò quòd species vel natura raptûs aliàs consummata non sit, sed quòd nolit imperator raptum aliàs consummatum pœnâ capitis plectere sine stupro. Covarruvias.

801. — 3. Objicies contra corollarium septimum : Nulla fit injuria parentibus, dùm puella defloratur; ergo nec dùm abducitur. — Respondeo negando con

sequentiam ; disparitas est quòd per abductionem puellæ, non per usum, inferatur præjudicium patriæ potestati ; per abductionem enim constituitur extra domum, oculos seu custodiam et potestatem parentum, non per usum.

802. Ad hoc jus habent parentes à Deo et naturâ, ut filiæ invigilent, eamdem sub oculis suis habeant, apud se retineant, doceant et instruant moribus christianis, etc., quibus omnibus repugnat localis ejusdem puellæ abductio, præsertim per amasium, qui insidiatur ejus virginitati. Aliud est de solo usu, quo quidem dolor aliquis, infamia, inobedientia parentibus irrogari possunt, nulla tamen vera injuria ; habet enim puella dominium et liberam potestatem corporis et membrorum suorum, quod ad usum præcisè attinet. Liberam, inquam, non à peccato contra castitatem, obedientiam, etc., sed à peccato contra justitiam. Alioqui peccabit contra justitiam puella, non solùm per usum sui corporis quoad actum venereum, verùm etiam quoad actum furti, perjurii, etc., parentibus dissentientibus. Ita nobiscum respondet doctissimus Sanchez, n. 35, dicens : *Quamvis femina, etiam virgo, injuriam non inferat patri consentiens suæ defloratione ; at extractio fœminæ consentientis à domo parentùm vel tutorum, sub quorum custodiâ est, manifestam injuriam illis extractioni renitentibus infert, atque proinde est nova culpa justitiæ adversa.* Idem iisdem verbis docet Perez sup.

803. Instabis : Raptus non dirimit matrimonium, si soli parentes dissentiant ; ergo etiam si soli parentes repugnent, non constituit peccatum reservatum. — Respondeo negando consequentiam : ratio enim antecedentis est, non quasi raptus propriè et strictè sumptus non sit, si soli contradicant parentes, sed quòd non sit illa species raptûs, de quâ loquitur concilium Tridentinum : cùm enim concilium statuens hoc impedimentum intendat matrimonii seu contrahentium libertatem, hinc doctores communiter censent, de illo duntaxat raptu sermonem esse, quo impediri possit libertas contrahentium : atque adeò, si contracturi utrinque liberè consentiant, parentum vel tutorum repugnantiam non obesse.

804. Instabis iterùm : Doctores plurimi apud Sanchez cit. censent non esse locum pœnæ ordinariæ raptûs, sed extraordinariæ tantùm, si puella abducta sit, solis parentibus invitis. — Respond. primò, plures apud eumdem censere contrarium. Respondeo secundò, quòd aliter nonnulli judicent, rationem esse, non quòd putent alioqui raptum non esse consummatum, sed quòd raptus sic commissus, multò minus delictum contineat : ex quo inferunt, cùm pœna debeat respondere delicto, æquitati conformius esse ut pœnâ minori puniatur raptus qui solis parentibus invitis commissus fuerit, quàm qui insuper repugnante puellâ.

CAPUT XXIV.

DE STUPRO.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid stuprum et quale peccatum* (1).

805. Respondeo : Stuprum tribus modis accipitur, latè strictè, strictissimè. *Latè* pro omni concubitu legibus prohibitio ; unde passim apud auctores, adulterium, incestus et venus præpostera vocantur stuprum, ut ex Plauto, Cicerone, aliisque constat. *Strictè* pro illicitâ defloratione virginum, sub curâ parentùm existentium. Ita accipiunt S. Thomas, art. 6 et 7, S. Bonaventura, 4, dist. 41, et Gratianus supra citatus : aut pro illicitâ copulâ cum virginibus aut viduis honestè viventibus, l. *Inter liberos*, ff. Ad Leg. Jul. de Adulteriis, ubi dicitur : *Lex stuprum et adulterium promiscuè et abusivè appellat ; sed proprièadulterium in nuptâ committitur... Stuprum verò in virginem viduamve.*

806. Demùm *strictissimè* sumitur pro violentâ virginis corruptione. Est peccatum omninò grave, involvens non solùm malitiam fornicationis, sed insuper enormem injuriam. Punitur ex tabulis legum Brabantiæ 1312, pœnâ non simpliciter capitali, sed insuper quoad modum acerbiori, ut scilicet ei, qui invitam virginem aut feminam stupraverit, assere cervix amputetur. Hodiè ferè ubique (ait Zypæus in Notit. juris Belg., de Adulteriis et Stupris, et ex illo Van Espen, juris Eccles., part. 3, tit. 4, c. 4, n. 44) gladio punitur tam ipse reus, quàm qui opem præstant, et conniventes parentes exilio.

807. Itaque ad stuprum strictissimè sumptum requiruntur tria, violentia, virginitas, defloratio. Requiritur primò *violentia*. Porrò (ut ex supra dictis repetimus) duobus modis violentia seu violentum sumitur, videlicet pro physico seu naturali, et pro morali seu interpretativo. Violentum physicè et naturaliter est, definiente Philosopho, 3, ethic. 1, *cujus principium est extra, non conferente vim passo ;* id est, contranitente passo seu contra inclinationem passi, ut rectè explicat Scotus, 2, dist. 18, quæst. unic., n. 6. Differt à coactione tanquàm magis à minùs communi ; quòd coactum propriè dicatur solùm illud quod repugnat inclinationi elicitæ appetitûs, adeòque solummodò conveniat rebus appetitu rationali vel sensitivo præditis : violentum autem vocetur, etiam quod repugnat appetitui innato seu ponderi et inclinationi naturæ.

808. Violentia naturalis, sensu jam explicato intellecta, in subjecto capaci causat simpliciter involuntarium, quemadmodùm causat contra naturale in rebus appetitu destitutis. Violentia moralis et interpretativa consistit in metu et minis alicujus notabilis incommodi. Relinquit simpliciter voluntarium, quanquàm ordinariè conjunctum habeat involuntarium conditionatum, tum videlicet, quando affectus conditionatus non causat incommodum quod timetur. Requiritur secundò ad stuprum rigidissimè sumptum *virginitas* patientis. Agitur autem hoc loco iterùm de virginitate, non mentis, sed corporis. Stuprum (inquit Sylvius, quæst. 154, art. 6, concl. 2) est, quando puella, quæ erat virgo, defloratur, seu quando per copulam corrumpitur ejus integritas, sive ipsa fuerit antea per mollitiem polluta, et sive in turpes delectationes priùs consenserit, sive non : cùm enim stuprum describitur esse illicita (aliàs violenta) defloratio virginis, illud *virginis*, ita est intelligendum, ut designet statum et

(1) Vide Mayol, ad 6 præcept. *Decal.*, vol. 14 *Theol.*

integritatem virginalem ; et ideò quamvis aureola virginitatis perdatur per voluntariam pollutionem, per quam etiam amittitur virtus virginitatis, non tamen committitur stuprum ; quia non perditur virginitas, prout dicit integritatem signaculi virginalis. Ita ferè Sylvius, cujus auctoritas eo solùm fine adducta est, ut constet, de quâ virginitate sit sermo, quando de stupro loquimur. Requiritur tertiò *defloratio*, id est, floris virginalis corruptio per actum copulæ consummatæ, ex quâ sequi generatio possit.

§ 2. *Tenor casûs.*

809. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, Gandavensi, Mechliniensi, Namurcensi, Ruræmundensi nihil de hoc casu.

In Leodiensi reservatur *stuprum seu violenta virginis defloratio.*

§ 3. *Reflexiones.*

810. — 1. Non reservatur in diœcesi Leodiensi stuprum *latè* sumptum pro omni concubitu legibus prohibito. Non etiam *strictè* acceptum pro concubitu qualicumque cum virgine vel viduâ honestâ, sed solùm *strictissimum*, ut constat manifestè ex tenore casûs.

2. Non est dubium quin violentia physica et naturalis sufficiat ad propriè dictum et reservatum stuprum. Sed non est adeò certum sufficere pariter alteram, quòd hæc relinquat locum mortali peccato seu libero et voluntario : adeò ut videatur dicendum puellam, quæ tali violentiâ subigitur, fornicatam potiùs quàm stupratam.

811. Nihilominùs existimamus, violentiam etiam moralem sufficere ad stuprum reservatum, primò, quia sic docent et tanquàm citra controversiam supponunt omnes qui scripserunt de casu præsenti, diœcesis Leodiensis, videlicet Jacobus Marchant, Chapeauville, Notau, Manigart. Vide insuper Petrum Marchant, Trib. Sacram., tom. 2, tract. 7, q. 2, § 3, d. 1; Wiggers de Jure et Just., tr. 2, c. 4, d. 1, e. 8; Henno, in Decal., disp. 6, q. 5, c. 1. Secundò, quia fornicatio cum virgine, obtenta vel commissa per metum gravem seu moralem violentiam, est species distincta luxuriæ, continens præter malitiam fornicationis, peccatum etiam injustitiæ et illati damni : ergo pertinere videtur ad stuprum. Ita nonnulli. Tertiò, quia in rebus aliis, quæ per violentiam describuntur, sufficit violentia moralis seu interpretativa, v. g., in rapinâ, quæ solet describi, violenta acceptio et usurpatio alienæ rei, invito rationabiliter domino.

812. Qui autem metu mortis incusso bursam viatoris extorquet, rapere, non furari dicitur. Similiter in raptu, qui, ut supra diximus, describitur pariter per violentiam. Sicut raptus est violenta puellæ abductio, sic stuprum violenta virginis defloratio. Ad raptum strictè sumptum sufficit moralis violentia, ut docent Sanchez, Bosco, Bonacina, Herincx cum cæteris communiter. Ergo eadem violentia sufficit ad stuprum rigorosè sumptum. Rursùs ut similis violentia (communi doctorum judicio) sufficit in raptu ad dirimendum matrimonium et incurrendum pœnas canonicas, sic debet sufficere in stupro ad reservationem.

813. Dices : Violentia moralis, non est propriè sumpta : casus autem reservati debent strictè et rigorosè intelligi. Respondeo 1° retorquendo argumentum in raptum, qui censurâ excommunicationis afficitur, etiamsi violentia solummodò moralis fuerit. Respondeo 2° : Ut raptum, sic stuprum propriè sumptum theologi per violentiam moralem seu impropriè sumptam explicant.

§ 4. *Corollaria.*

814. — 1. Itaque casum Leodii reservatum committit, qui opprimit virginem omninò repugnantem : *omninò*, inquam ; si enim repugnet tam flaccidè, ut ex modo agendi pateat quòd malit vinci, quàm vincere, censebitur fornicata, non stuprata.

2. Idem dicendum pro casu quo quis obtineat usum virginis per metum mortis aut alterius notabilis incommodi.

3. Hinc deducunt Chapeauville, Marchant, Manigart, hunc casum incurrere, qui sponsam de futuro in carnale commercium flectit, hoc eidem incusso timore, quòd, nisi consentiat, matrimonium cum alterâ sit initurus contra fidem priorum sponsalium.

815. — 4. Inferunt ulteriùs Chapeauville et Notau, idem dicendum, si consentiat puella, precibus importunis, repetitis instantiis aut promissionibus, v. g., futuri matrimonii, fatigata ; pro quibus adduci potest l. 1, § *Persuadere*, ff. de Servo corrupto, ubi dicitur ; *Persuadere autem est plus quàm compelli, atque cogi sibi parere.*

5. Idem de timore reverentiali docent Jacobus Marchant, Henno cit., Bassæus, verb. *Stuprum*, n. 3.

6. Idem docent Chapeauville et Notau, si dolo aut falsâ persuasione decepta puella consensum dederit. Pro quâ opinione facit quòd dolus et metus in jure æquiparentur, l. 5, C. *de inutil. Stipul.*, ubi dicitur : *Dolo vel metu adhibito, actio quidem nascitur, si subdita stipulatio sit : per doli mali tamen vel metûs exceptionem summoveri petitio debet.* Similiter vis et dolus æquiparantur c. *Cùm contingat*, de Jurejurando, ubi dicitur : *Mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta sine vi et dolo spontè præstita.* Interim opponi potest quòd dolus non videatur sufficere ad raptum aut rapinam ; ergo neque ad stuprum rigidè sumptum.

816. — 7. Non incurrit casum, qui opprimit conjugatam consummato matrimonio, viduam, meretricem, aut simpliciter corruptam, etsi corruptio ita esset occulta, ut pro virgine passim haberetur ; Chapeauville et Manigart.

8. Idem dicendum, etsi antea corrupta fuerit per copulam involuntariam. Imò Manigart à stupro reservato eximit qui opprimeret puellam, cujus integritas ob mensium acrimoniam erosa, vel ob uteri procidentiam abrupta vel etiam petulantibus digitis aut instrumento lacerata, aut potiùs, ut mavult communior medicina, separata esset.

9. Secùs est dicendum, si, salvâ carnis integritate, animo corrupta sit virgo, per obscœna desideria,

tactus impudicos aut voluntariam pollutionem.

817. — 10. Non committit consummatum stuprum, qui virginem vi aggressus, aut ejus resistentiâ aut suo impetu semen extra uterum fundit.

11. Idem, si copula solummodò inchoata fuerit : multò magis, si tantùm intercesserint tactus impudici, quantùmvis cum utriusque pollutione.

12. Idem, si, v. g., timore prolis seu ad infamiam præcavendam, aut ex libidine singulari exerceatur turpitudo præpostera.

13. Idem si integritas virginalis tollatur per instrumentum diversum à membro genitali, de quo vide S. Augustinum, l. 1, de Civ., c. 18.

818. — 14. Advertat iterùm confessarius, in hoc genere peccati, primò qualitatem agentis, sitne liber, conjugatus, affinis, consanguineus, clericus, religiosus. Secundò qualitatem patientis, rursùs an conjugata, libera, monialis, aut simplicem castitatem professa fuerit; inde enim fiet ut stuprum vel sit simplex vel qualificatum, puta, incestuosum, adulterinum, sacrilegum.

CAPUT XXV.

DE SIMONIA.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid, quotuplex et quale peccatum simonia* (1).

819. Respondeo : Simonia est rei sacræ emptio vel venditio, vel (paulò explicatiùs) studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum. Ita passim theologi cum S. Thomâ, q. 100, art. 1. Dicitur primò, *studiosa voluntas;* quia *justitia et omnes partes ejus, et per consequens omnia vitia opposita, sunt in voluntate, sicut in subjecto; et ideò convenienter simonia per voluntatem diffinitur. Additur autem, studiosa, ad designandum electionem.* S. Th. ad 2. Dicitur secundò, *emendi vel vendendi*, quo nomine, *intelligitur omnis contractus non gratuitus.* S. Thom. ad 5. Dicitur tertiò, *spirituale vel spirituali annexum :* nam *sicut anima vivit secundùm seipsam, corpus autem vivit ex unione animæ, ita etiam quædam sunt spiritualia secundùm seipsa, sicut sacramenta et alia hujusmodi*; *quædam autem dicuntur spiritualia ex hoc, quòd talibus annexa sunt;* ad 6. Itaque spirituale hoc loco non vocatur quod incorporeum est, sed quod Deum respicit vel tanquàm auctorem vel tanquàm finem gratiæ. Spirituali autem annexum dicitur, quod, etsi secundùm se sit temporale, ratione tamen rei spiritualis, cui conjungitur, censetur spirituale.

820. Hinc colligitur primò malitiam et gravitatem actûs simoniaci consistere in impiâ et sacrilegâ rei sacræ tractatione, quatenùs res altioris ordinis, pecuniâ æstimatur et profanis contractibus submittitur. Est autem indignissima æstimatio illa, quâ temporale et transitorium, nullius aut exigui momenti, per intolerabilem Dei injuriam confertur rebus sacris et spiritualibus, supra omne pretium collocatis : estque similis nundinandi modus per se ordinatus ad minuendum etiam ipsius vulgi judicium de rebus sacratissimis. Colligitur secundò ad peccatum simoniæ tria potissimùm concurrere, materiam, pretium, pactum, de quibus breviter.

821. *Materia* simoniæ sunt 1° omnis gratia gratum faciens, et gratis data. 2° Omnia sacramenta et sacramentalia, seu sacræ cæremoniæ in administratione sacramentorum et sacrificio missæ, ex institutione Ecclesiæ exercenda. 3° Omnia divina officia et orationes publicæ ac privatæ. 4° Omnis actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ut absolutio à peccatis et censuris, collatio indulgentiarum, beneficii, officii, aut dignitatis ecclesiasticæ. 5° Omnia beneficia ecclesiastica et ipsis connexa, ut jus patronatûs, reditus beneficiorum qui dantur propter titulum vel officium spirituale. 6° Omnia vasa et paramenta sacra, quatenùs talia, omnia per Ecclesiam benedicta, ut agni Dei, sacræ reliquiæ, etc.

822. *Pretium* simoniæ debet esse aliquid temporale, vel pecunia ipsa vel quod pecuniâ æstimabile est, et in contractum deduci solet aut potest. Hinc sequitur 1° non esse simoniam (supposità legitimâ auctoritate) dare rem spiritualem pro spirituali, Reliquias pro Reliquiis, calicem pro ciborio aut unum beneficium pro alio. Vide S. Thomam ad 5. Sequitur 2° non esse simoniam, dare temporale pro spirituali materialiter, seu secundùm materiam considerato, v. g., pecuniam pro calice, considerato tantùm secundùm artem et argentum. Sequitur 3° non esse simoniam, dare temporale pro spirituali officio, sacris, orationibus, sacramentis, non ut pretium rei, sed ut stipendium ministri, conformiter ad Apostolum, 1 Cor. 9, et Matth. 10.

823. *Pactum* ad simoniam necessarium, est omnis contractus non gratuitus, sive sit permutatio sive locatio, sive emptio-venditio, aut qualiscumque conventio, dummodò includat pactum obligatorium, nominatum vel innominatum, tacitum vel expressum, directum vel indirectum, sùb quovis titulo, amicitiæ, gratitudinis, justitiæ, etc. Vide Sporer, in 1 præcept. Decal., c. 10.

Porrò secundùm hæc tria ad simoniam necessariò requisita, triplex est ejusdem simoniæ divisio, prima, ex parte materiæ; secunda, ex parte pretii; tertia, ex parte pacti.

824. *Ex parte materiæ* dividitur in simoniam juris divini et humani. Simonia juris divini, ideò prohibita, quia mala, committitur emptione et venditione rei purè spiritualis quatenùs talis, v. g., sacramentorum, sacrarum reliquiarum, beneficii quoad titulum, calicis consecrati quoad consecrationem, etc. Simonia juris ecclesiastici, ideò mala, quia prohibita, committitur emptione et venditione rei quæ non est propriè spiritualis, sed spirituali connexa vel ad eamdem ordinata. Locum habet primò in venditione beneficiorum secundùm partem temporalem. 2° In venditione officiorum Ecclesiæ, remotè tantùm et extrinsecè ad res sacras pertinentium; cujusmodi sunt officium sacristæ, œco-

(1) Vid. de simoniâ doctissimum Mayol, *Curs. Compl. Theol.* vol. 14, ad *Decalogum*, et clariss. Suarez, vol. 17, longè explicatiùs de eâdem materiâ disserentem.

nomi, advocati Ecclesiæ et similium. 3° In permutatione beneficiorum factâ sine auctoritate superioris, in renuntiatione reciprocâ, in renuntiatione confidentiali, etc.

825. *Ex parte pretii*, simonia dividitur in eam quæ fit per munus à manu, à linguâ, et ab obsequio. *Munus à manu*, sunt pecunia, aurum, argentum, vestes, equus et similia, emi et vendi solita, seu mobilia seu immobilia, remissio debiti, promissio remittendi, mutuatio pecuniæ, dilatio debiti hìc et nunc solvendi, aut contra anticipata solutio debiti, nondùm finito termino, et his similia. *Munus à linguâ* vocatur, quod officio linguæ præstari solet, ut laus, commendatio, sollicitatio, patrocinium, advocatio, intercessio, etc. *Munus ab obsequio*, est ministerium quodlibet in rebus temporalibus, ut famuli, secretarii, œconomi, scribæ, etc. Unde qui similia in pactum vel quasi pactum deducunt, et inde sibi beneficia comparant, incurrunt vitium simoniæ. Nec evadunt, etiamsi addant, per modum gratitudinis tantùm, dummodò intercedat pactum obligatorium : cujusmodi pactum tacitum vel expressum supponitur utique, inquit Sporer, in propositionibus 45 et 46, damnatis ab Innocentio XI.

826. *Ex parte pacti* dividitur simonia in mentalem, conventionalem, realem, et his immixtam confidentialem. *Mentalis* duobus modis committitur, 1° per solum propositum internum et merè mentale, quo quis statuit, proponit, intendit, desiderat contractum simoniacum inire. Vocatur *mentalis*, quòd solâ mente absolvatur, ut mentalis fornicatio vocari posset, interior et efficax voluntas fornicandi. 2° Committitur simonia *mentalis* per internum propositum quo conferens alicui spirituale, intendit alterum obligare ad reddendum temporale, vel contra, sine ullo tamen pacto, tacito vel expresso, puta, quia recipiens non advertit vel non intelligit donatoris intentionem. *Conventionalis* involvit conventionem, pactum, contractum, tacitum vel expressum, id est, reciprocam intentionem sensibilem et exteriorem, utrinque significatam et receptam : atque adeò committitur, quando non solùm est internum propositum obligandi, sed realiter et externè habetur duorum vel plurium consensus in idem placitum simoniacum. Committitur autem non solùm verbis formalibus, expressis et directis, sed etiam obliquis, obscuris et æquivocis ; interdùm nutibus vel solâ pretii oblatione in speciem donationis, quæ tamen ex circumstantiis à donatario satis intelligatur quem finem habeat.

827. Dividitur simonia *conventionalis* in puram et mixtam. *Pura* est quæ ex neutrâ parte completa est, nec dato temporali nec reddito spirituali, atque adeò sistit hactenùs in merâ partium conventione. *Mixta* est quæ ex alterutrâ parte, videlicet emptoris vel venditoris; completa est, aut dato pretio pro parte vel in totum, aut dato seu ministrato pro parte vel in totum spirituali. Demùm simonia *realis* est, quando pactum ex utràque parte impletum est, saltem inchoatè, ut si collatio beneficii facta sit, et pretii saltem pars soluta. Triplex hæc species simoniæ exemplificari potest in emptione et venditione vulgari, v. g., equi, bovis ac similium.

828. Emptio aut venditio est merè *mentalis*, quamdiù mentem vel interiorem voluntatem emptoris aut venditoris non egreditur. *Conventionalis* est statim atque convenerit inter emptorem et venditorem, sive hactenùs solus venditor tradiderit mercem, sive solus emptor tradiderit pretium, idque vel in solidum vel in partem, sive nulla ex utràlibet parte traditio hactenùs secuta fuerit. Tandem *realis* erit, si reipsà mutua conventio impleta fuerit per traditionem rei venditæ ex unâ, et pretii ex alterâ parte. Simonia *confidentialis* non differt essentialiter à speciebus jam memoratis, sed ad earum quamlibet reduci potest ; committitur enim, cùm quis alteri dat, confert vel resignat beneficium, aut ad illud præsentat, eligit vel instituit, cum certâ confidentiâ et obligatione, ut illud sibi vel alteri certo ac determinato tempore tribuat, aut ex eodem pensionem vel certam fructuum partem refundat. Hæc autem simonia erit *mentalis* tantùm, si quis alteri resignat beneficium cum merâ interiori voluntate obligandi resignatarium ad effectus nominatos. Erit *conventionalis*, si de iisdem ineatur contractus, vel fiat mutua conventio, completa vel ex unâ vel ex neutrâ parte. Demùm erit *realis*, si beneficium ex unâ parte traditum, et ex alterâ parte obligatio impleta fuerit.

§ 2. *Tenor casûs.*

829. In Antuerpiensi, Cameracensi et Rurœmundensi reservatur *simonia realis*.

In Coloniensi nulla fit mentio simoniæ, spectatâ synodo sæpiùs memoratâ ; at juxta Agendam recentiorem, simplici vocabulo reservatur *simonia*.

In Gandavensi legitur simonia ; sed Pastorale sic exponit, *per simoniam, intellige realem*.

In Leodiensi nihil de hoc casu.

In Buscoducensi, Mechliniensi, Namurcensi simpliciter dicitur *simonia*.

§ 3. *Reflexiones.*

830. — 1. In diœcesibus Antuerpiensi, Cameracens , Gandavensi, Rurœmundensi non reservatur simonia mentalis, utrovis modo considerata. Secundò non etiam conventionalis pura. Tertiò neque conventionalis mixta, completa ex parte solius rei spiritualis. Quartò neque quæ consummata est ex parte solius pretii. Ratio est quia in quatuor præfatis diœcesibus reservatur expresso termino *simonia realis*. Realis autem, ut supra diximus, requirit pactum utrinque completum.

831. — 2. Sed difficultas est pro diœcesib .s Buscoducensi, Coloniensi, Mechliniensi, Namurcensi, in quibus *simonia* simpliciter reservata est, quid hoc nomine intelligatur. Et quidem certum inprimis est, non intelligi mentalem ; vel enim loquimur de merè internâ, quæ cùm consistat in proposito seu actu simoniaco merè interiori, non est materia hodiernæ reservationis ; vel loquimur de voluntatis interioris externo effectu, sed insufficiente ad contractum, et hic non est *emptio vel venditio*, seu pactum tacitum vel expressum, ut supponitur. Itaque solummodò quæstio

esse potest de simoniâ conventionali, de quâ quadruplex est sententia.

832. Prima docet reservatam esse omnem simoniam conventionalem, sive puram, sive mixtam. Hanc docet amplissimus D. Van Vyve, tractat. de Cas. res., § 5, fol. 25, et Exam. Reflex. ad § 5, n. 2, excipiens tamen simoniam confidentiæ et realem Pontifici reservatam. Ratio hujus opinionis est quòd simonia, etiam purè conventionalis, sit materia sufficiens, uti censuræ ecclesiasticæ, sic reservationis. Patet quia est actus externus et grave peccatum simoniæ; ergo de facto punitur aut reservatur per eas leges vel statuta quæ puniunt aut reservant simoniam. Probatur consequentia : nam verba legis vel statuti, in omni proprietate seu rigore sumpta, comprehendunt talem actionem et personas eamdem committentes; quod rursùs probatur, quia supponitur peccatum simoniacum puniri aut reservari, in hâc vel illâ materiâ perfectum et consummatum : jam autem simonia conventionalis, etiam pura, est peccatum perfectum et consummatum in illo genere : contractus enim emptionis-venditionis conventione ipsâ essentialiter consummatur, Instit. de emptione et venditione, princip., ubi dicitur : *Emptio et venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondùm pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit.* Item Instit. de Obligationibus ex consensu, dicitur : Consensu fiunt *obligationes in emptionibus-venditionibus.*

833. Secunda sententia, paulò strictior priori, est, requiri et sufficere ad reservatam simoniam, quòd sit impleta ex parte emptoris aut venditoris, seu quòd traditum sit spirituale, vel pretium numeratum : utrumque enim ad complementum emptionis venditionis requiri non videtur; id quod saltem ex juribus videtur colligi; l. 2, ff. de Contrahendâ emptione, dicitur : *Sine pretio nulla venditio est ; non autem pretii numeratio, sed conventio perficit sine scriptis habitam emptionem, et* l. 1, eod. *Emptio..... consensu peragitur.*

834. Tertia sententia pro pœnis juris et reservatione exigit contractum simoniacum completum ex parte venditoris per traditionem rei spiritualis, etiamsi pretium non sit numeratum. Ratio esse potest, quia propria materia emptionis ac venditionis, est res venalis, et quod in illo contractu per se intenditur, est rei venalis de uno in alterum transitus seu traductio : pretium autem est velut instrumentum illius translationis, et ideò quamdiù hæc non est facta, contractus est incompletus : eo autem ipso, quo res, quæ venditur, tradita est, censetur plenè consummata venditio, etsi pretium nondùm sit persolutum, dummodò de eodem sufficiens promissio facta sit. Confirmatur : nam S. Thomas apud Navarrum, cap. 23, n. 104, docet, esse simoniam, conferre beneficium propter obsequia futura. Denique creditò vendere, est verè vendere.

835. Quarta sententia, eaque verior ac proinde nostro judicio retinenda, tenet per *simoniam* simpliciter positam, in pœnalibus et odiosis, cujusmodi sunt reservatio et censura, intelligi solummodò realem seu utrinque impletam. Vanden Perre, Reflex. ad § 5, de Simoniâ, et Reflex. vindic.; Lacroix, l. 3, p. 1, 212; Lessius, l. 2, cap. 35, n. 149, Navarrus sup. citatus; Bonacina, de Simoniâ, disp. 1, q. 2, prop. 1, num. 5, et quæst. 7, puncto 1, § 2, n. 6; Covarruvias, Filliucius, Layman, Suarez, Azorius, Ledesma, Castropalao, Lesana, Garcias, Binsfeldius, Sylvius et innumerabiles alii, excipientes simoniam confidentialem. Ratio est quòd sola realis sit perfectè completa et consummata. Quare sic etiam observat stylus curiæ Romanæ, ut plerique auctores testantur.

836. — 3. Varias juris pœnas ipso facto inducit simonia perfecta, sed (juxta doctorum communem opinionem) in triplici duntaxat materiâ, nimirùm beneficiis, collatione ordinum, et religionis ingressu. *In Beneficiis*, excommunicationem latæ sententiæ Pontifici reservatam incurrit tam recipiens quàm conferens beneficium per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando. Patet ex Extravag. *Cùm detestabile*, de Simoniâ. Nomine beneficii intelliguntur etiam regularium prælaturæ quæ non consistunt in nudâ commissione ad nutum revocabili, sed in munere ordinario. Lessius, l. 2, cap. 35, dub. 25, num. 137; Herincx, part. 3, tract. 4, disp. 9, q. 4, num. 34, et alii. Deinde omnis collatio vel provisio ejusmodi, est nulla seu invalida, ut, Extrav. cit., manifestè dicitur.

837. Simonia verò confidentiæ (inter alias pœnas, quas videre poteris in constitutionibus Pii IV et V, apud Navarrum, c. 23, n. 111, et alios) inducit ipso facto excommunicationem Pontifici reservatam, respectu utriusque contrahentis. *In collatione ordinum*, committentes simoniam realem sive conferendo, sive recipiendo ordinem, sunt ipso facto excommunicati, per Extrav. *Cùm detestabile*. Varias insuper pœnas addidit Sixtus V, bullâ *Sanctum et salutare*, 91, apud Cherubinum, datâ 5 januarii 1588, quæ bulla tametsi in punctis cæteris per Clementem VIII, reducta sit ad terminos juris communis, relicta est nihilominùs in vigore quoad attinet simoniacè promotos et promoventes. Eâdem Sixti bullâ statuitur tales extra mortis articulum absolvi non posse, nisi per Pontificem, etiamsi delictum sit occultum, revocato privilegio episcopis concesso, etiam per Tridentinum. *In Religionis ingressu*, committentes simoniam realem, nimirùm pro ipso ingressu dantes aliquid vel recipientes, si sint singulares personæ, incurrunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam; si verò capitulum vel conventus fuerit, incidit in sententiam suspensionis pariter reservatæ, Extrav. *Sanè ne in vineâ*, de Simoniâ. Vide etiam, c. *de Regularibus*, de Simoniâ.

§ 4. *Corollaria.*

838.—1. In nullâ diœcesi incurrit peccatum reservatum simoniacus mentalis, utrolibet modo simoniam mentalem explices, idque sive in collatione aut rece-

ptione ordinum, sive in administratione sacramentorum, sive in religionis ingressu aut professione, sive in permutatione aut resignatione beneficiorum, vel cæteris rebus spiritualibus.

2. Idem in iisdem et similibus materiis, si simonia fuerit purè conventionalis, seu utrinque incompleta.

3. Idem, si fuerit incompleta ex parte venditoris, nondùm tradito spirituali, etsi temporale supponatur datum ac receptum esse, et à contrario. Nota tamen ex supradictis, à materiâ reservationis ad materiam censurarum non fieri legitimam consequentiam, quantùm attinet simoniam confidentiæ : hæc enim juxta satis expressam Pontificis voluntatem subjicitur pœnis et censuris, tametsi ex utràque parte non sit completa.

839.—4. Ubilibet reservatur simonia realis et utrinque completa, etsi tantùm inchoatè seu pro aliquâ parte; quia ad simoniam strictè realem non est necesse ut ex toto traditum sit temporale et spirituale. Quare si concessum sit beneficium sub pacto 1000 florenorum, sufficiet ad simoniam realem, perfectam et consummatam, numeratos esse ex parte emptoris florenos 50. Imò sufficiet solvi pretium secundùm partem quantumcùmque exiguam. Ratio, quia ad actionem completè simoniacam satis est quòd fiat pro pretio magno vel parvo : quòd enim res spiritualis cariùs vendatur aut viliùs, non variat formaliter rationem simoniæ, maximè in ordine ad censuras vel reservationem. Quando autem pretium solvitur, etiam pro minimâ parte, et res spiritualis pro eodem traditur, jam venditur pro aliquo reali pretio accepto et numerato; ergo est consummata ex utràque parte simonia, non minùs quàm si à principio conventum esset de solâ illâ minimâ quantitate pecuniæ, et soluta esset tanquàm integrum pretium. Similiter à contrario, si initum fuisset pactum de conferendis septem ordinibus pro centum aureis, et his solutis, inchoaretur ordinatio, statim atque primus ordo collatus esset, foret simonia completa, et pœnas eo ipso incurreret ordinans, non secùs ac si pro solo illo ordine ab initio totum pretium fuisset datum vel receptum. Ita Suarez cum omnibus doctoribus.

840.—5. In quâlibet diœcesi videtur casu reservato teneri, qui committit realem simoniam, etiam juris duntaxat ecclesiastici : est enim vera simonia et peccatum religioni oppositum.

841. Ratio, quia Ecclesia solâ suâ lege et ordinatione potest efficere ut illud quod, v. g., secundùm se est vendibile, permutabile, aut in civiles contractus deduci potest, ob ordinem vel respectum quem habet ad spirituale, reddatur invendibile aut impermutabile, in reverentiam rei spiritualis connexæ : ferè quemadmodum locum secundùm se profanum potest Ecclesia per suum decretum reddere immunem à potestate fori secularis, adeò ut judex non possit reum indè per violentiam extrahere, peccaturus alioquin non solùm contra obedientiam, verùm etiam contra virtutem religionis et sanctitatem loci. Rursùs ut potest per tonsuram vel ordinem eximere aliquem à judicio seculari, adeò ut peccet contra religionem judex, si eumdem ad suum tribunal traxerit, cur ita non possit, rem profanam reddere immunem à venditione, etc., adeò ut, si vendatur, peccetur non solùm contra obedientiam, verùm etiam contra religionem et sanctitatem rei? Ob has et similes rationes Suarez aliique communiùs, apud Lacroix, l. 3, p. 1, n. 123, censent incurri pœnas juris per simoniam completam solius juris ecclesiastici. Interim oppositum (quod ad pœnas attinet) apud Lacroix citatum tradunt Navarrus, Lessius, Sanchez, Diana, Castropalaus.

842.—6. Ad reservationem in nullâ diœcesi videtur necessarium ut simoniacus incurrerit pœnas juris canonici. Ratio est quia simpliciter reservatur *simonia* vel *simonia realis*, nec ullo apice significatur, reservationem restringi ad illam tantùm simoniæ realis speciem quæ habet annexas pœnas juris. Atque adeò, licèt nulla pœna connexa sit, dummodò sit stricti nominis simonia, realiter perfecta et utrinque completa, sine dubitatione tenendum est reservatam esse. Pœnæ canonicæ simoniam non faciunt, sed supponunt. Itaque reservatur episcopis simonia, etiam quæ separata est ab omni censurâ, sive ob ignorantiam delinquentis, sive quòd committatur in illâ materiâ, quam censuræ pontificiæ non respiciunt.

CAPUT XXVI.

DE SODOMIA.

§ 1. Quæstio præliminaris.— *Quid sodomia, et quale peccatum* (1).

843. Respondeo : Quod ad vocem attinet, peccatum, de quo loquimur appellatur sodomia à Sodomitis (ut S. Scriptura, Gen. 13, v. 13, eos nominat) pessimis, et peccatoribus coram Domino, qui inter cætera flagitia huic vitio erant impensè dediti. Quare sic vocatur c. *Quod ait*, dist., 14, et c. *Flagitia*, 32, q. 7. Aliàs vocatur nefandum crimen c. *In eo*, 32, q. 4. Nefanda libido, Instit., de Public. judic., § *Item lex Julia*. Luxuria gravissima, authent. *Ut non luxurientur*, 77, et aliis nominibus. Quod autem ad rem ipsam spectat, sodomia est peccatum vel, ut dicitur c. *Clerici*, de Excess. prælat., incontinentia contra naturam. Pro quo notandum ex S. Thomâ, q. 154, art. 11, 0, peccatum contra naturam duobus modis vocari posse; *uno quidem, quia repugnat rationi rectæ* seu dictamini naturæ rationalis, *quod est commune in omni vitio luxuriæ*, imò quolibet peccati genere. *Alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actûs, qui convenit humanæ speciei; quod dicitur vitium contra naturam.* Itaque peccatum contra naturam propriè vocatur quod repugnat ordini per naturam requisito, etiam in animantibus cæteris, ut possit sequi conceptio et generatio.

844. Ad hunc effectum requirit natura quinque conditiones. Prima, est conjunctio duorum. Secunda, identitas specifica naturæ. Tertia, diversitas sexûs. Quarta, organorum proportio. Quinta, situs ordina-

(1) Vid. Mayol, vol. 14 *Theol.*, ad 6 præcept.

rius. Hinc fit ut quinies peccari possit contra naturam in hâc materiâ pro defectu quinariæ conditionis memoratæ. Defectu conditionis primæ peccat contra naturam, qui voluptatem carnalem quærit per suî vel alterius corruptionem sine conjunctione. Defectu conditionis secundæ, qui eamdem voluptatem quærit vel exercet cum re alterius naturæ. Defectu tertiæ, committitur peccatum contra naturam per conjunctionem duorum ejusdem sexûs et naturæ. Defectu quartæ, per conjunctionem duorum ejusdem naturæ et diversi sexûs, sed non servato debito organo. Defectu quintæ, per conjunctionem duorum ejusdem naturæ et diversi sexûs, servatâ quidem organorum proportione, sed situ ita inordinato, ut genitura non possit attrahi vel sequi conceptio aut generatio. Horum peccatorum primum, vocatur pollutio seu mollities. Secundum, bestialitas. Tertium, sodomia simpliciter. Quartum, sodomia reductivè. Quintum, innaturalitas.

845. Porrò certum est peccatum contra naturam defectu primæ, secundæ et quintæ conditionis, ad hanc materiam non spectare, quando et quamdiù agitur de solâ sodomiâ. Sed dubitari potest an peccatum contra naturam defectu quartæ conditionis (quod appellavimus sodomiam reductivè) ad veram et reservatam sodomiam non spectet, perinde atque illud quod laborat defectu conditionis tertiæ. — Respondeo ad sodomiam rigidè sumptam requiri duplicem improportionem, et sexûs et organi. Constat ex S. Thomâ citato, qui docet inprimis, secundùm ea quæ nos præmisimus, peccatum contra naturam contingere posse diversis modis. Deinceps, enumeratis mollitie et bestialitate, subdit: *Tertiò* (contingere peccatum contra naturam) *si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta, masculi ad masculum, vel feminæ ad feminam, ut Apostolus dicit ad Roman. 1, quod dicitur* SODOMITICUM *vitium.*

846. Igitur, juxta S. Thomam, *sodomiticum vitium*, simpliciter intellectum, est concubitus ad non debitum sexum, puta, masculi ad masculum vel feminæ ad feminam. Atque adeò, si loco verbi, *sodomia*, uterentur episcopi vocabulo, *sodomiticum vitium*, S. Thomas sodomiam sic reservatam intelligeret de concubitu duorum ejusdem sexûs. Confirmatur: S. Thomas eodem loco concubitum duorum diversi sexûs, non servatâ organorum proportione, manifestè distinguit à sodomiâ vel *sodomitico vitio*, propriè nimirùm sumpto; quia docet talem concubitum esse modum à sodomiâ diversum, quo possit peccari contra naturam: cùm enim dixisset, tertiò peccari contra naturam per concubitum ad indebitum sexum, *quod dicitur sodomiticum vitium*, pergit et addit: quartò (peccari contra naturam) *si non servetur naturalis modus concumbendi, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm*, etc.

847. Eodem modo distinguit S. doctor sodomiam simpliciter et rigidè sumptam ab imperfectâ, articulo 12, ad 4, ubi enumerans peccata contra naturam juxta gradum et ordinem malitiæ suæ, dicit: *Post hoc autem* (peccatum bestialitatis) *est vitium sodomiticum, cùm ibi non servetur debitus sexus.* Deinceps loquens de gradu malitiæ omninò diverso addit: *Post hoc autem est peccatum ex eo, quòd non servatur debitus modus concumbendi, magis autem, si non sit debitum vas*, etc., ubi rursùs planum est, distingui vitium sodomiticum à concubitu inordinato ratione solius vasis, suppositâ alioqui sexûs diversitate. Eodem sensu doctores passim intelligunt sodomiam simpliciter positam, saltem dùm punitur aut reservatur, apud Herincx, part. 3, tract. 2, disp. 2, quæst. 3, n. 26. Vide insuper Sylvestrum, Azorium, Filliucium, Bassæum, hoc loco.

848. Nec urgent in oppositum capitula, *Omnes causationes*, et, *Usus*, 32, q. 7, quibus fundatur oppositæ sententiæ Covarruvias apud Azorium part. 3, lib. 3, c. 20; quia citatis capitulis nihil dicitur ad propositum. Priori id solum habetur, virum, *licèt adulter sit, licèt sodomita, licèt flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus*, maritum nihilominùs ejus reputandum esse; quibus verbis solummodò insinuatur, *maritum* posse esse verum sodomitam, quod certissimum est, nempe si misceatur masculo. Alterum verò capitulum confirmat potiùs nostram opinionem: *Usus*, inquit, *naturalis et licitus est in conjugio, sicut illicitus in adulterio. Contra naturam verò semper illicitus et procul dubio flagitiosior atque turpior, quem S. Apostolus et in feminis et in masculis arguebat.* Ubi copula grammaticalis non jungit masculos feminis, sed significat sodomiam committi posse perinde inter duas feminas, ac inter duos masculos. Apostolus enim illic citatus, *feminæ*, ait *eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, derelicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Ex quo Apostoli testimonio probat S. Thomas supra, sodomiticum vitium, esse concubitum ad non debitum sexum.

849. Non urget etiam Petrus Damianus Gomorrhæani, c. 22, quo sodomiam simpliciter appellat quemlibet concubitum innaturalem, etiam ex defectu solius quartæ conditionis. Non urget; quia eodem capite appellat *sodomiticum scelus, sive semetipsum quis polluat, sive alium quocumque modo, licet discretione servatâ.* Neque aliquid evincit ratio ab eodem sancto allegata in verbis: *Neque enim legitur, quòd illi Sodomorum incolæ, solummodò alios consummato actu corruperint, sed potiùs credendum est quòd, juxta effrenatæ libidinis impetum diversis modis sint in se et in alios turpitudinem operati.* Nihil, inquam, hæc verba olim prolata pro rei occasione ad detestandum pollutionis peccatum, evincunt adversùs præsentem conclusionem. Admittimus, à sodomitis præter concubitum duorum ejusdem sexûs plura alia contra castitatem flagitia admissa esse. Admittimus iterùm, hæc eadem flagitia à sodomitis vel inchoata vel repetita, hoc sensu *sodomitica* vocari posse. Hoc negamus, usum vocabuli *Sodomia* in scholis theologicis hodiè invaluisse pro quolibet peccato mortali contra castitatem, commisso olim à Sodomitis.

850. Porrò peccati sodomitici gravitas colligitur

inprimis ex sacrâ Scriptura, Levit. 18 et 20, ubi pœna mortis decernitur in delinquentes. Apostolus etiam ad Roman. 1, magnoperè elevat gravitatem delicti, docens, permisisse Deum, ut sapientes gentilium ob idololatriam, in tantam turpitudinem et ignorantiam ruerent. Ad Galatas 5, idem delictum inter cætera carnis opera numerat sub *immunditiâ*, quam qui fecerint, spondet, regnum Dei non possessuros. Genesis 29, Deus peccatum Sodomiticum vindicat igne sulphureo, in Pentapolim cœlitùs immisso, destruens momento illa oppida cum suis incolis. Imò ipsi etiam gentiles, solo naturæ abominantis horrore in ejusmodi flagitiosos pœnas capitis decreverunt. Laius rex Thebarum (inquit Plato apud Cœlium, lib. 15, c. 16) tametsi gentilis, ignis supplicio in emasculatores, tanquàm naturæ jura pervertentes, animadvertendum censuit.

§ 2. *Tenor casûs.*

851. In Antuerpiensi reservantur *sodomia*, *bestialitas*, *aut alia ejusmodi graviora contra naturam scelera.*

In Buscoducensi et Coloniensi, spectando synodum, *sodomia.*

In Cameracensi, *sodomia cum eodem sexu*, *bestialitas.*

In Gandavensi, *sodomia, sub quâ comprehenditur bestialitas*, et *in eodem genere graviora crimina.* Pastorale autem : *Per sodomiam*, inquit, intellige *reipsà consummatam cum eodem sexu*, *aut bestialitatem et ejusmodi graviora.*

In Leodiensi, *concubitus contra naturam*, *puta*, *sodomia*, *et ejus generis graviora crimina.*

In Mechliniensi, *sodomia cum aliis delictis ejusdem generis gravioribus.*

In Namurcensi, *sodomia*, *etiam imperfecta*, *hoc est*, *coitus maris cum personâ alterius sexûs in vase indebito*, *cum aliis delictis gravioribus ejusdem generis.*

In Rurœmundensi, *sodomia cum eodem sexu*, *bestialitas et alia ejusmodi nefanda contra naturam scelera*, *reipsà consummata.*

§ 3. *Reflexiones.*

852. — 1. In solà Namurcensi reservatur sodomia imperfecta ob diversitatem sexûs, id est, concubitus præposterus masculi et puellæ. Ratio est, quòd in solà Namurcensi fiat mentio sodomiæ sic imperfectæ, cùm reservetur ibidem *sodomia*, *etiam imperfecta*, *hoc est*, *coitus maris cum personâ alterius sexûs in vase indebito.*

853. — 2. In Antuerpiensi, Cameracensi, Gandavensi, Rurœmundensi præter sodomiam perfectam, expresso termino reservatur bestialitas, quæ est concubitus utique completus et consummatus, cum naturâ irrationali. Non habet species subalternas penès brutorum diversitatem in ordine ad forum sacramentale, quòd brutorum distinctio accidentalis sit, et materialiter se habeat respectu peccati contranaturalis, cujus malitia et gravitas consistit in commixtione ubivis univocà diversarum specie naturarum. Sed quæri potest an hùc pertineat, an autem aliò reducenda sit copula cum cadavere defunctæ feminæ. De quâ re Diana, part. 9, tr. 9, res. 1 : Non est scelus, inquit, quod humana malitia non committit. Plures confessarii testati sunt mihi sæpiùs in praxi tale delictum accidisse. Aliqui volunt hoc flagitium reducendum esse ad fornicationem : alii contradicunt, volentes ad fornicationem necessarium esse concubitum viventis cum vivente. Pellizarius autem, tom. 1, tract. 4, c. 3, n. 70, reducit talem copulam ad peccatum bestialitatis; quia bestialitas est conjunctio carnalis cum re alterius naturæ seu speciei : femina autem mortua non censetur ampliùs humanæ speciei. At hoc rursùs rejiciunt alii, definientes vitium bestialitatis per concubitum cum re animatâ seu vivente, alterius speciei quàm humanæ. Quare respondeo cum Dianâ sup., n. 5, veriorem nobis esse opinionem (salvo judicio meliori) quæ casum propositum reducit ad mollitiem qualificatam.

854. — 3. In Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi non quidem exprimitur formali termino bestialitas, sed in iisdem diœcesibus, uti et in Antuerpiensi, Gandavensi, Rurœmundensi, adjicitur generalis clausula, his vel similibus terminis : *et alia delicta ejusdem generis graviora;* cujus periodi sensus obvius et genuinus est, præter sodomiam, etc., reservari *delicta* quælibet consummata, *ejusdem generis* peccati contra naturam, *graviora* sodomiâ, etc.

855. — 4. In Buscoducensi, Cameracensi, Coloniensi, præfata clausula præsenti casui non adjungitur. Nihilominùs in Buscoducensi Instructio pro confessariis, cùm ex ordine enumeravit casus ibidem reservatos, ad finem addit : *Omnia delicta quæ majorem excommunicationem annexam habent*, *et prædictis graviora.* Eodem loco (ut in prolegomenis dictum), id est, ad calcem casuum reservatorum, solebat olim eadem periodus exprimi in multis aliis diœcesibus. Sed successores episcopi (excepto Buscoducensi) in hodiernis pastoralibus aut saltem instructionibus præfatam clausulam, suâ sede emotam, soli sodomiæ jungunt. Quanta verò sit differentia inter eamdem clausulam in fine positam, et uni duntaxat casui conjunctam, nemo non videt

§ 4. *Corollaria.*

856. — 1. In nullâ diœcesi reservatur sodomia incompleta propter imperfectionem actûs : idque sive loquamur de actu interiori voluntatis, v. g., impeditæ per somnium, ebrietatem, phrenesim, etc.; sive de actu exteriori sensibiiis commixtionis, ob impotentiam aut retractum agentis, etc.

2. In nullâ pariter diœcesi reservari videtur mollities, quantùmlibet qualificata, sive ex parte objecti, ut si jungatur delectationi interiori in conjugatam, consanguineam, affinem, monialem; sive ex parte subjecti, ut si delinquens voto, ordine vel matrimonio obligatus sit; sive ex parte loci, ut si contingat in ecclesiâ; sive ex parte modi, ut si per alternos, mutuos aut violentos tactus procurata sit.

3. In nullâ iterùm diœcesi reservata est bestialitas incompleta seu imperfecta, utrolibet rursùs modo,

sive defectu actûs duntaxat interioris, sive defectu actûs exterioris.

4. Bestialitas tamen completa in omnibus diœcesibus (exceptâ solâ Coloniensi) reservata est.

5. In omnibus pariter (exceptis Cameracensi et Coloniensi) reservatur concubitus consummatus cum dæmone incubo vel succubo; cujusmodi peccatum magis et sagis familiare est.

857. — 6. In nullâ diœcesi reservatur resolutio carnis fervore libidinis accelerata, quantùmvis processerit ex affectu efficaci perfectæ sodomiæ.

7. Ubivis est indifferens ad reservationem conditio agentis aut patientis; id quod pariter habet locum in incestu, adulterio et similibus.

8. Idem est pariter de annis vel ætate agentium, dummodò supponantur doli et malitiæ seu actûs perfectè consummati capaces esse.

9. In Buscoducensi reservantur insuper peccata quælibet, quolibet peccato reservato in eodem genere graviora.

10. Consideranda iterùm confessario qualitas operantium; quòd indè sodomia fieri possit incestuosa, sacrilega, adulterina, etc.

CAPUT XXVII.

DE VIOLATIONE LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ.

§ 1. Quæstio præliminaris. — *Quid immunitas ecclesiastica?*

858. Respondeo: Immunitas ecclesiastica generatim nihil est aliud quàm libertas et exemptio ab oneribus, subjectione vel coactione potestatis laicæ seu temporalis. Ex quâ descriptione colligitur primò distingui ecclesiasticam immunitatem à libertate, quòd hæc propriè et directè respiciat personas ecclesiasticas, illa non item. Vide Bonacinam in primum Dec. præc., disp. 3, q. 7, p. 1, n. 2. Interim sæpiùs à doctoribus confunduntur, et in bullâ Gregorii XIV *Cùm aliàs nonnulli*, pro eodem frequenter sumuntur immunitas et libertas. Colligitur secundò immunitatem ex parte subjecti dividi in localem, realem et personalem. Personalis personas, realis res, localis afficit loca ecclesiastica. *Localis*, est privilegium ecclesiæ et loci sacri, ratione cujus eò confugientes, per laicam potestatem nequeunt violenter extrahi. Introducta est non jure naturæ; aliàs ne ipse Pontifex dispensaret; non etiam jure divino positivo, cujus pro lege evangelicâ nullum testimonium exstat, sed ecclesiastico. Constat ex c. *Miror*, c. *Diffinivit*, 17, q. 2, et c. *Inter alia*, de Immunit. eccles., et ex constit. Gregorii XIV *Cùm aliàs*.

859. Nomine loci sacri, quod ad effectum hujus immunitatis attinet, intelliguntur primò ecclesiæ, auctoritate episcopi fundatæ, consecratæ aut benedictæ; tametsi interdictæ, dirutæ, vel pollutæ: interdictum enim et pollutio non operantur ultra quàm jure statutum est; nullibi autem juris exprimitur inter effectus eorum, privatio immunitatis. Similiter ecclesia, tametsi diruta, non desinit esse locus sacer, nisi auctoritate episcopi diruta sit vel dejecta sine spe et apparentiâ reædificandi. Secundò, cœmeterium, campanile, sacristia ecclesiæ contigua et similia. Tertiò, oratoria publica, episcopi auctoritate constructa, tametsi (juxta doctores communiùs) nondùm in eis cœperint divina celebrari. Quartò, monasteria religiosorum, quoad totum claustrum seu habitationem. Quintò, hospitalia et seminaria, per episcopum erecta et instituta. Sextò domus episcopalis, saltem si habeat annexam capellam, vel constructa sit intra quadraginta passus ab ecclesiâ cathedrali.

860. Porrò immunitas ecclesiastica locum habet non solùm in causis criminalibus, verùm etiam in civilibus. Dantur interim nonnulla crimina graviora, quæ tum jure antiquo, tum bullâ Gregorii XIV *Cùm aliàs*, quæ est septima in Bullario Romano inter Gregorianas, excipiuntur. Itaque carent immunitate primò latrones publici. Constat ex c. *Inter alia*, de Immun. Eccles., et statim citatâ Bullâ Gregorianâ. Publici autem latrones vocantur qui palàm seu in viis publicis, terrâ marive prædantur, vel qui publicas vias obsident, ut transeuntes invadant aut spolient, vel ob frequentia latrocinia passim pro latronibus reputantur. Secundò, ecclesiasticâ immunitate privantur grassatores viarum; tum quia id expressè statuitur non solùm bullâ Gregorianâ, verùm etiam c. *Inter alia*, cit., tum quia ferè conveniunt cum latronibus publicis, quanquàm in eo differant, quòd latrones dicantur qui viam extra urbem obsident; grassatores, qui in urbe, l. *Capitalium*, § *Grassatores*, ff. de Pœnis. Tertiò depopulatores agrorum, sive nocturni, sive diurni; quamvis enim c. *Inter alia*, solummodò fiat mentio de nocturnis, nihilominùs Gregorius XIV loquitur indefinitè. Vocantur autem depopulatores agrorum qui diripiunt alienos agros, id est, qui segetes vel fructus surripiunt, agros sive vineas vastant vel incendunt. Quartò, committentes homicidia vel mutilationes in ecclesiis aut earum cœmeteriis, c. fin. de Immun. eccles., cui insistere videtur Gregorius XIV. Quintò, qui proditoriè occidunt proximum suum, ferro, veneno, vel aliâ ratione. Constat ex bullæ Gregorianæ sequentibus verbis: *Aut qui proditoriè suum proximum occiderint*.

861. Proditoriè censetur occidere, qui interficit nil minùs cogitantem, vel, quem simulat amicum, vel, quem dolo seducit ad occidendum. Sextò, assassini seu rei assassinii. Constat ex constitutione Gregorii XIV, in quâ dicuntur immunitate ecclesiasticâ privari *assassinii rei*. Assassini sunt, qui pecuniâ aut alio pretio accepto vel promisso conducti, per mandatum prævium occidunt homines incautos et nihil simile cogitantes. Sed et illi privantur immunitate qui mediâ pecuniâ mandant, aliquem interfici per assassinos; quia *assassinii rei* sunt. Septimò hæresis rei, quales censentur non solùm ipsi pertinaciter discredentes, verùm etiam qui auxilium, favorem aut refugium præbent hæreticis. Octavò, reus criminis læsæ majestatis in personam proprii principis. His accessit pro Belgio, anno 1732, casus militum desertorum, quibus immunitas ecclesiastica non suffragatur

ex decreto Clementis XII, ad instantiam imperatoris Caroli VI.

862. Cæterùm qui violat ecclesiasticam immunitatem, peccat inprimis peccato sacrilegii contra reverentiam loci sacri, ob quam extractio rei et similes actus, sunt ab Ecclesiâ prohibiti. Deinde juxta doctores communiùs, peccat contra justitiam respectu refugi, qui suâ libertate privatur per injuriam et violentiam, et in quem, eatenùs à jurisdictione exemptum, exercetur indebitè jurisdictio, veluti si in personam ecclesiasticam. Denique est ipso facto excommunicatus per bullam Gregorii XIV, sæpiùs citatam.

863. Immunitas *realis* concernit res et bona clericorum et ecclesiarum, quibus tributa, vectigalia, census non rectè imperantur per laicam potestatem : semel enim Deo dicatum, non est ampliùs transferendum ad usus humanos, c. *Quòd semel*, de R. J., in 6. Colligitur hæc immunitas ex c. *Quanquàm*, de Censib., in 6, c. *Non minùs*, c. *Adversùs*, de Immunit. eccles., ubi vinculo anathematis innodantur transgressores. Idem constat ex jure civili, l. *Presbyteros*, c. de Episcop., et ex bullæ *Cœnæ*, § 18, quo excommunicatio latæ sententiæ, summo Pontifici reservata, decernitur in omnes et singulos, *qui collectas, decimas, taleas, præstantias et alia onera clericis, prælatis et aliis personis ecclesiasticis.... absque Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ imponunt.*

864. Dantur tamen nonnulli casus quibus clerici non sunt exempti. Primus est si exerceant negotiationem : tum enim pro rebus, quas causâ negotiationis advehunt, possunt vectigalia exigi. Patet ex c. *Quanquàm*, de Censibus, in 6 ; id quod Ecclesia statuit in odium negotiationis, quæ maximè clericos dedecet et eisdem severè interdicitur. Secundus est si certa possessio, priusquàm in jus Ecclesiæ vel clericorum venerit, habuerit annexam perpetuam obligationem, v. g., censûs, servitutis, etc. ; res enim transit cum suo onere, ut significatur c. *Pastoralis*, de decimis. Tertius, si exactio, vel contributio facienda, cedat æquè primariò in bonum clericorum ac laicorum, v. g., si agger sit reparandus propter commune inundationis periculum. Quartus, quando laicorum facultates non sufficiunt ad occurrendum publicæ necessitati, tum enim pariter tributum poterit exigere princeps etiam ab ecclesiasticis, c. *Non minùs*, de Immunit. eccles.; et quidem ad hoc olim requirebatur consensus episcopi et cleri, ut patet ex capite citato ; nunc verò, summi Pontificis, ut constat non solùm ex bullâ *Cœnæ*, sed etiam ex c. *Adversùs*, de Immun. eccles., quod est Innocentii III, in concilio Lateranensi.

865. Denique immunitas *personalis* est, quâ eximuntur clerici à tribunali et judicio secularis potestatis : de quâ re præter varias juris constitutiones, attendi debet § 15 bullæ *Cœnæ*, quo fertur excommunicatio, ipso facto incurrenda et summo Pontifici reservata, in omnes et singulos, *qui ex prætenso officio vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, concilium vel parlamentum, præter juris canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt vel procurant, directè vel indirectè, quovis quæsito colore.* Vide, si lubet, de hâc materiâ fusè et solidè disserentes Navarrum, Filliucium, Toletum, Bonacinam, Sayrum, Reginaldum, Castropalaum, Vivaldum, omnes in bullæ *Cœnæ Domini* § 15.

§. 2. *Tenor casûs.*

866. In Antuerpiensi, Buscoducensi, Coloniensi, Gandavensi, Leodiensi, Mechliniensi, Namurcensi nihil legitur de hoc casu expressum.

In Cameracensi reservatur *violatio ecclesiasticæ libertatis et immunitatis. Scilicet* (incurrit hunc casum) *edicta illi contraria faciens, servans, servari faciens, aut scribens prohibensque subditis, ne personis ecclesiasticis vendant, aut ab iis emant ; delinquentem extrahens ab ecclesiâ, monasterio seu conventu, capellâ ab episcopo ad inibi celebrandum deputatâ, cœmeterio, domo episcopi, hospitali, aliove loco privilegiato.*

In Ruræmundensi legimus : *Violentia ecclesiasticæ libertatis et immunitatis.*

§ 3. *Reflexiones.*

867. — 1. Dudùm *rationabilis consuetudo præscripta canonicè in episcopatibus aliquibus* (approbante Pontifice) *reservavit episcopis... ecclesiarum immunitatis et libertatis ecclesiasticæ* violationem ; *Extrav.* 1, *de Privilegiis*, § *Incendiarios*. Constat nihilominùs, consuetudinem non esse universalem aut ubique receptam, cùm in duabus tantùm ex novem diœcesibus locum habeat.

868. — 2. Expositio Ritualis seu Pastoralis Cameracensis videtur non solùm authentica, sed etiam doctrinalis, atque adeò accommodabilis etiam diœcesi Ruræmundensi. Itaque in utrâque diœcesi violat ecclesiasticam immunitatem seu libertatem, inprimis *edicta illi contraria faciens*, id est, condens statutum, ordinationem, constitutionem, decretum in genere vel in specie, quibus libertas ecclesiastica tollitur, læditur, deprimitur, restringitur, aut juribus ecclesiarum vel clericorum, tacitè vel expressè præjudicatur. Sed dubitatur primò an faciens edictum vel statutum contra libertatem ecclesiasticam, incidat in reservationem, etiamsi statutum vel edictum nondùm sit promulgatum.

869. Respondeo non incidere, tum quia leges et statuta non habent virtutem obligandi in actu secundo, atque adeò nec adæquatam legum vel statutorum rationem, nisi cùm promulgantur ; tum quia Rituale utitur verbo, *faciens*, quòd rem perfectam indicare videtur, l. 3, § *Hæc verba*, ff. de Negot. gest. Hinc patet à fortiori illum qui cœpit statutum facere et postea destitit, mutato proposito, non incidere in reservationem. Vide Alterium, Filliucium, Ugolinum, Duardum apud Bonacinam, de Censuris in bullâ Cœnæ contentis, disp. 1, q. 16. sect, 2, puncto 1, n. 3, ubi simile dubium proponitur et in eumdem modum resolvitur circa censuram excommunicationis, eodem ferè termino expressam. Dubitatur secundò, an, secutâ promulgatione, auctor legis, statuti, vel decreti,

incidat in reservationem, etsi lex vel statutum, non detur effectui seu executioni. Respondeo, incidere. Ita Alterius et Bonacina citati : quia est actio seu materia, sub reservatione prohibita : verè enim facit edictum libertati ecclesiasticæ contrarium, etiam ille qui idem edictum nequit perducere in observantiam seu effectum. Dubitatur tertiò, an princeps vel magistratus, qui non facit edictum, sed ab alio factum, iterùm promulgat, incurrat casum reservatum. Respondeo incurrere. Ita Alterius et Bonacina, num. 7. Ratio, quia princeps vel magistratus edictum alienum suo nomine promulgans, adoptat et suum facit.

870. — 3. Violat immunitatem ecclesiasticam et reus est peccati reservati, similia edicta *servans* aut *servari faciens*, id est, qui ea observat, adimplet vel reducit in usum et effectum. Quamobrem qui judicat secundùm hujusmodi edicta, aut eadem exequitur, v. g., exhibendo gabellam clericis immeritò et frustra impositam, incidit in reservationem. Sayrus, Filliucius, Alterius, Duardus apud Bonacinam, n. 9. Hinc sequitur, non solùm judicem, verùm etiam notarios, aliosque Curiæ officiales prædictâ reservatione stringi, si ejusmodi decretis utantur vel cooperentur *scribendo*, vel aliàs urgendo et procurando executionem. Sed quæres, quandonam edictum aliquod libertati vel immunitati ecclesiasticæ contradicat.

871. Respondeo id satis colligi ex antedictis; nimirùm quando lædit, tollit, vel diminuit privilegium à Deo, jure communi canonico vel civili, Ecclesiæ vel personis ecclesiasticis concessum, vel consuetudine acquisitum. Hujusmodi privilegia, sunt jus decimarum, exemptio à foro vel legibus laicorum, libera rerum ecclesiasticarum gubernatio, facultas exercendæ jurisdictionis ecclesiasticæ, immunitas sacrorum locorum et similia. Quare judex laicus, qui suo decreto vel edicto lædit restringit aut impedit liberam rerum ecclesiasticarum administrationem, decimarum exactionem, exemptionem clericorum à laicâ potestate, in hunc casum incidit. Idem est de statuto quo caveretur ne admittantur litteræ apostolicæ, quibus derogatur juri patronatûs laicorum, vel ne solvantur pensiones externis, vel ne externi ad beneficia ecclesiastica admittantur, vel ut causæ beneficiorum, juris patronatûs, decimarum et similium coram laico judice tractentur. Sylvester, Archidiaconus, Alterius, Duardus, Graffius et alii communiter apud Barbosam, puncto 2, n. 2.

872. — 4. Violat immunitatem et tenetur decreto reservationis, *prohibens subditis, ne personis ecclesiasticis vendant aut ab iis emant;* tale enim edictum vel præceptum manifestè repugnat ecclesiasticæ libertati, c. fin. de Immun. eccles., in 6, ubi sententiâ excommunicationis ipso facto afficiuntur *qui temporale dominium obtinentes, suis subditis, ne prælatis aut clericis seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem.. interdicunt, cùm talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumuntur.* Imò, secundùm Bartolum, quem omnes ferè canonistæ sequuntur in c. *Noverit*, de Sent. excomm., quodlibet statutum repugnat libertati ecclesiasticæ, per quod ecclesiastici timidiores fiunt. Fiunt autem timidiores, quoties privantur iis rebus quæ jure naturali, gentium et civili, sunt communes civibus, aut quoties prohibentur frui rebus, quibus fruuntur cives reliqui, et quæ statui ecclesiastico non repugnant. His et similibus modis fiunt clerici timidiores, quatenùs vilipenditur status ecclesiasticus, et ab eodem retrahuntur homines, advertentes in hunc modum agi cum clericis seu ecclesiasticis. Vide Reginaldum, Filliucium, Suarez, Duardum, citatos apud Bonacinam, puncto 2, n. 4.

873. — 5. Ecclesiasticam libertatem violat et casum reservatum committit *delinquentem extrahens ab ecclesiâ, monasterio seu conventu, capellâ ab episcopo ad inibi celebrandum deputatâ, cœmeterio, domo episcopi, hospitali, aliove loco privilegiato.* Ita Rituale Cameracense sup. Porrò de hâc re plura diximus supra, nonnulla etiam dicturi infra in corollariis

§ 4. *Corollaria.*

874. — 1. Immunitatem ecclesiasticam non violat et proinde casum non incurrit reservatum, qui è loco sacro extrahit reum criminis per bullam Gregorianam excepti. Notandum tamen refugum ad sacrum locum et reum excepti criminis, non posse illicò extrahi per potestatem laicam, sed juxta bullam Gregorii XIV, necessariam esse expressam facultatem episcopi vel officialis, neque id solùm, verùm etiam, ut intersit persona ecclesiastica, habens facultatem ab episcopo vel officiali. Quæ dùm adsunt, obligantur superiores, etiam exempti, tradere seu consignare, sive curare tradi aut consignari reum in manus petentium, idque absque ullâ notâ irregularitatis, ut bulla citata expressè statuit.

875. — 2. Quamvis pro Belgio concesserit Clemens XII, ad instantiam Caroli VI, ut desertores milites careant immunitate ecclesiasticâ, nihilominùs graviter delinquunt, peccato etiam reservato, principes vel præfecti militiæ qui, propter quodlibet delictum contra regulas militares commissum, volunt reum violenter extrahi, v. g., pro malè servatis excubiis, pro duello, etc.

876. — 3. Ex ante dictis infert Bonacina, disp. 5, de Immunit. eccles., q. 7, § 2, num. 10, committi sacrilegium contra loci sacri reverentiam et immunitatem, atque adeò peccatum in nostris diœcesibus reservatum, dùm à satellitibus fori secularis capitur delinquens qui, fracto carcere, recipit se intra ecclesiam, vel oratorium, vel hospitale auctoritate episcopi constructum, vel in monasterium religiosorum, vel in palatium episcopi, vel in domum parochi aut canonicorum, aliorumve ecclesiasticorum, non distantem triginta passibus ab ecclesiâ. Ita Bonacina cum doctoribus communiter. Idem dicendum est, si ad hæc loca confugerit, postquàm seipsum à manibus satellitum exemit, tametsi ad mortis supplicium duceretur : gaudet enim privilegio loci, in quo existit, sine respectu ad similes circumstantias.

877. — 4. Citra peccatum reservatum capi non potest reus, nisi criminum exceptorum, qui clausas ecclesiæ januas, cancellos, vel quid simile apprehendit. Idem est de illo qui tecto vel tegulis in-

tidet; sunt enim in loco sacro et intrà cœtum vel confinia ecclesiæ. Ita Covarruvias, Suarez, Bonacina.

5. Non etiam violatur immunitas ecclesiastica, dùm reus extra ecclesiam vel locum sacrum comprehensus, deducitur ad carcerem per cœmeterium, tametsi inde per violentiam extrahatur; non enim in illis circumstantiis capitur vel apprehenditur in loco sacro, cùm liberè ad ecclesiam vel cœmeterium non refugerit; Ecclesia verò tuetur eos qui ad ecclesiam confugiunt. Farinacius, Decianus, Ambrosinus, Covarruvias, Graffius et alii communiter apud Bonacinam citatum.

6. Idem dicendum est dùm capitur reus, se ipsum voluntariè seu spontè offerens, nolens frui privilegio vel immunitate loci. Ratio, quia tum non dicitur violenter extrahi. Denique localis immunitas respicit immediatè locum, mediatè personam, quæ huic privilegio renuntiare potest. Graffius, Suarez, Navarrus, Bonacina.

878.—7. Idem, si reus blanditiis, promissionibus, fraude provocetur extra locum sacrum, et deinceps existens in loco profano apprehendatur per satellitem. Suarez, Navarrus, Bonacina et alii.

8. Idem, si judex secularis aut ejus ministri in loco profano observent reum ut illic apprehendant ecclesiâ vel cœmeterio incautè egressum. Quare potest ecclesia extra locum sacrum deforis obsideri, ut, si reum spontè contingat discedere, mox capiatur.

9. Immunitatem tamen violat, qui reo in ecclesiam aut locum sacrum refugo, per violentiam denegat alimenta, vestitum vel similia; id enim est reum cogere ad egressum, atque adeò illudere privilegio ecclesiasticæ libertatis. Ita doctores passim.

JOSEPHI PAUWELS
TRACTATUS THEOLOGICI
DE CASIBUS RESERVATIS.

TOMUS SECUNDUS.

Præfatio.

Triplicis potissimùm generis sunt casus reservati, juxta triplicem distinctionem reservantium superiorum, videlicet episcopales, regulares, papales. Episcopales episcopo, regulares prælatis ordinum, papales summo reservantur Pontifici. Papales orbem catholicum, episcopales diœcesim, regulares respiciunt religionem vel totalem vel partialem, prout totali vel partiali superiori reservantur. De casibus episcopalibus actum satis est priori tomulo; de reliquis hoc secundo; et quidem primâ parte de reservatis regularium, idque juxta decretum Clementis VIII quod incipit, *Sanctissimus Dominus*, datum 26 novemb., anno 1593, cujus tenorem, inferiùs allegandum, donabimus commentario litterali, nihil præteriturі eorum quæ nobis videntur conferre aliquid posse ad rectam ejus intelligentiam.

Nemo autem, cùm legerit excessus decreto Clementino expressos, quorum expositionem daturi sumus, inde infamiam aliquam religiosis afflare possit, quasi peccata similia in religionibus committi soleant, aliàs non reservanda : nam qui ex reservatione casuum Clementinorum infert eorumdem casuum in religionibus consuetudinem, profectò ineptissimam consequentiam faciet : nam inprimis Clemens VIII, ad hoc suum decretum efformandum, non est motus excessibus religiosorum, sed rigore nimio superiorum, antea pro suo arbitrio peccata quælibet reservantium, non sine periculo animarum. Huic rigori superiorum, simul et periculo subditorum (ut infra pluribus) remedium voluit prudentissimus Pontifex per hoc decretum, statuens ut superior regularis, si quid pro bono Religionis aut puritate conscientiarum reservandum existimaverit, id in futurum sine delectu nequeat, sed vel uti debeat consensu capituli generalis aut provincialis, vel ea duntaxat reservare peccata quæ decretum exprimit. Quapropter non tulit Pontifex præceptum reservandi affirmativum sive pro omnibus sive pro aliquibus religionibus, sed mere negativum, ut videlicet superiores, si reservare aliquid voluerint, non possint nisi ex designatis : adeò ut superior regularis non obligetur ad reservandum ullum ex casibus Clementinis, nisi reservationem exigant subditorum mores aut bonum religionis.

Deinde si valida ista consequentia foret, quâ proceditur ab aliquorum peccatorum reservatione ad eorumdem praxim et consuetudinem, oporteret omnes totius Belgii confessarios, regulares et seculares, ordinarios ac delegatos, de peccato carnis suspectos

esse; nam omnibus et singulis jurisdictio denegatur in peccatum carnale complicis, ut ex omnium totius Belgii episcoporum instructionibus seu litteris admissorialibus constat. Si, inquam, casuum Clementinorum reservatio supponat eorumdem usum et praxim in religionibus, consequens erit ut pariter substractio jurisdictionis in peccatum carnale complicis, supponat ejusdem peccati usum et consuetudinem in confessariis.

Quòd si contingat aliquandò, multiplicatis adeò religionibus, religiosorum aliquem in excessum quempiam eorum qui decreto Clementino exprimuntur, labi aut lapsum esse, id equidem in totius religionis opprobrium sine grandi injuriâ non potest verti. Nullum triticum tam defæcatum est, quod non aliquid paleæ commixtum habeat: nullus hominum viatorum status tam sublimis aut sanctus, qui non in aliquo membrorum suorum, humani aliquid quandoque patiatur, id quod de ipsâ Christi Domini societate seu collegio Apostolorum manifestissima Scriptura loquitur, testimonium perhibens de turpissimo excessu Apostoli proditoris, qui tamen suo scelere et sacrilegio inquinare non potuit collegii reliqui sanctitatem.

PARS PRIMA.

DE RESERVATIS REGULARIUM.

QUÆSTIO PRÆLIMINARIS.

AN ET QUOS CASUS RESERVARE POSSINT REGULARIUM SUPERIORES?

1. Prænotandum, regularium superiorem seù prælatum esse triplicem, infimum, medium, summum. Infimus, est localis seu conventualis, qui uni duntaxat monasterio præest, in quo immediatè exercet jurisdictionem, nullum habens prælatum subordinatum. Tales sunt priores, rectores, guardiani, etc. Hos esse verè prælatos docet Glossa Clement. 1, de Elect., verb. *Prælatum;* quam sequuntur Sylvester, Angelus, Bassæus, verb. *Prælatus*; Suarez, de Religione, lib. 2, c. 1, n. 6, et c. 2, n. 2; Panormitanus, c. *Cùm ab ecclesiarum*, de Offic. ordin., Herincx p. 2, disp. 2, q. 1, § 2, n. 5; Tamburinus de Jure Abbatum, tomo 1, disp. 1, quæsito 1, n. 7 et 8. Ratio est quia, ut auctores statim nominati tradunt, ad veram prælaturam sufficit jurisdictio spiritualis et ordinaria in foro contentioso, quâ gaudent superiores etiam conventuales; sunt igitur veri prælati.

Prælatus medius est, qui supra et infra se alium prælatum habet, præsidens mediatè pluribus monasteriis unius provinciæ vel nationis. Tales sunt provinciales. Prælatus supremus est, qui toti ordini seu religioni præest, nulli alteri superiori subordinatus, nisi summo Pontifici. Talis est generalis. His ita notatis,

2. Respondeo primò: Prælati infimi nostræ religionis seu guardiani (idem est de cæterorum ordinum prælatis conventualibus per communicationem) potuerunt olim sibi reservare casus occultos quoad suos subditos. Patet ex privilegio guardianis facto per Alexandrum VI, constitutione *Intelleximus*, quam referunt Casarubius et A. Sorbo Compend. privil., verb.: *Absolutio ordinaria quoad fratres*, n. 17; Suarez, de Relig. l. 2, c. 18, n. 14; Peyrinis, tom. 2 de Prælato quæst. 3, c. 2, n. 11; Lezana, Summâ, verb.: *Casus reservati regularium*, n. 15; Coriolanus, de Cas. res., p. 1, sect. 1, art. 4, n. 1; Bassæus, verb. *Casus reservatus*, n. 10; Kerkhove in Stat. gen., c. 6, § 22, n. 2; Rodericus, Quæst. regul., tom. 1, q. 21, art. 2; Miranda, Manualis præl. regul. tom. 2, q. 34, art. 1; Tamburinus, de Jure abbatum, tom. 2, disp. 15, quæsit. 1, n. 4 et 7. Nihilominùs præfata facultas, quod ad nostram religionem attinet, non mansit in suo vigore, cùm in capitulo generali Assisiensi, anno 1526 editum sit decretum tenoris sequentis: *Ordinatur et mandatur auctoritate apostolicâ et totius capituli generalis quòd nullus guardianus possit sibi aliquem casum reservare; sed solus minister provincialis id poterit.*

3. Respondeo secundò: Possunt sibi reservare casus prælati regulares, tum medii, tum supremi, id est, tam provinciales quàm generales; illi pro suâ provinciâ; hi pro totâ religione. Conclusio certa et indubitata. Ratio est quia prælati generales et provinciales ordinum exemptorum habent jurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos. Proinde sicut episcopi pro suis diœcesibus, ita provinciales pro suis provinciis, generales pro religionibus, atrociora quædam et graviora peccata, prout in Domino judicaverint expedire ob majorem subditorum suorum fructum et disciplinam, reservare possunt. Fagundez, de secundo Ecclesiæ præcepto l. 8, c. 4, n. 1, Toletus l. 1, c. 89, n. 9; Herincx p. 4, tr. 4, disp. 7, q. 3, n. 14; Suarez, tomo 4, de Rel. l. 2, c. 2, n. 9; Lezana, Rodericus, Tamburinus, Miranda citati, et omnes doctores in Clement. 1, de Rebus ecclesiæ non alienandis; et sumitur ex c. *Abbates*, de Privilegiis, in 6; ibi: *In quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent;* in quem locum observat Glossa, vocari *quasi episcopalem*, quia se non extendit ad illos actus ad quos requiritur potestas ordinis seu consecratio episcoporum

4. Eamdem veritatem manifestè confirmat decretum Clementis VIII, quo statuitur ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quæ illic recensentur. Supponit igitur et approbat Pontifex reservationes aliquorum casuum, factas et faciendas à regularium superioribus

de quo infra. Quin et ipse patriarcha Franciscus hanc reservandi potestatem agnovit Seraphicæ suæ regulæ cap. 7, dicens : *Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis pro quibus ordinatum fuerit inter fratres ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere.*

5. Respondeo tertiò : Spectato jure communi, indefinita est generalium et provincialium potestas reservandi, adeò ut se extendat ad casum quemlibet cujusvis materiæ, suppositis regulis prudentiæ et discretionis. Colligitur manifestè ex statim dictis. Interim Clemens VIII, constitutione *Sanctissimus Dominus*, editâ 26 maii 1593, regularium superiorum in hâc parte potestatem notabiliter restrinxit et quoad numerum reservatorum, et quoad modum reservationis. Scopus ac finis erat (ut ex proœmio decreti constat) occurrere rigori superiorum et accedere fragilitati subditorum. Didicerat prudentissimus Pontifex experientiâ, prælatorum zelum aliquando excedere, in subditorum periculum vel ruinam. Huic malo remedium voluit; quare selegit graviora crimina, quæ alioqui nec solent passim committere subditi nec reservare superiores. Neque (ut pluribus dicetur infra) mandatum dedit reservandi aliquid eorum quæ expressit. Solummodò præcipit superioribus, ut, si qui fortè pro rerum, temporum aut locorum circumstantiis reservandum aliquid judicaverint, eligant ex designatis, nec ultra pergant.

6. Porrò Clementinam constitutionem ex integro referunt Coriolanus, initio tractatûs de Casibus reservatis; Bassæus, Verbo *Casus reservatus*, n. 40; Croesers, Lect. Parænet. 15, ad 7 cap. Reg. S. P. F. Ascanius Tamburinus, supra citatus, quæsito 2, n. 5, et Cherubinus, in suo Bullario, constitutione 28 Urbani VIII. Cùm verò in hoc decretum collineet totus conatus noster, placuit decretum idem ad longum transcribere :

Sanctissimus dominus noster, qui jam pridem accuratè perpendit, ac reipsà comperit, quòd reservatio facultatis absolvendi religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi superiores admodùm prudenter ac moderatè illâ utantur, nonnullos infirmiores, qui interdùm superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum et spiritualis remedii desperationem.

§ 1. *Ideò, ut huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decrevit ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quæ sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire, prudenter in Domino judicaverint.*

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2. *Apostasia à religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventûs fiat egressio. Nocturna ac furtiva è monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

3. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.*

4. *Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

5. *Falsificatio manûs, aut sigilli officialium monasterii aut conventûs. Furtum de rebus monasterii seu conventûs in eâ quantitate quæ sit peccatum mortale.*

6. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.*

7. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ.*

8. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores.*

9. *Si quod aliud præterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat quàm generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu.*

§ 2. *Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.*

§ 3. *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero majori vel minori, iique sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse inprimis confessarius judicaverit.*

§ 4. *Tam superiores pro tempore existentes, quàm confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè ne eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

§ 5. *Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graves, quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à confessariis imponendas, quæ subditos ab iisdem perpetrandis cohibere possint.*

§ 6. *Atque ita per quoscumque regularium superiores, quicumque illi sint, observari mandavit; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac cujusvis concilii, etiam generalis decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulis in generalibus seu provincialibus capitulis, editis, statutis et constitutionibus etiàm apostolicâ auctoritate confirmatis, privilegiis, indultis et concessionibus quorumcumque, quorum tenores hìc pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.*

Dat. Romæ apud S. Petrum die 26 mensis maii, anno Domini 1593.

Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si hujusmodi regularium confessariis casûs alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominùs confessarii illâ vice pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate, absolvere.

7. In hunc modum exprimitur constitutio Clemen-

tina in Bullario Cherubini supra. Dividitur, ut videri potest, in proœmium et sex paragraphos. De proœmio nihil dicendum superest; neque enim aliquid continet præter scopum ac finem Pontificis, de quo statim. Nihil pariter dicturi sumus de paragrapho decreti ultimo, cùm non sit nisi clausula repetens et inculcans Pontificis voluntatem et præceptum. Paragraphis decreti reliquis dabuntur totidem paragraphi expositionis nostræ, eo duntaxat motivo, ut intelligatur casuum Clementinorum sensus et natura, si fortè contingat eorumdem aliquos alicubi reservari. Coronidem imponet appendix; respondens appendici Pontificis seu constitutionis, prout illa legitur in Romano Bullario sæpiùs memorato.

§ I.

DE PRIMO DECRETI PARAGRAPHO.

Textus. — § 1... *Sanctitas sua... decrevit, ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quæ sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino judicaverint.*

8. Ita Pontifex; deinceps per octo numeros recensens octo casus, quorum secundus, tertius et quintus sunt compositi, adeò ut, si dividantur, exsurgant casus omninò undecim, quos totidem articulis complectemur, addituri articulum duodecimum pro peccatis reliquis, quæ (juxta nonum ejusdem paragraphi primi numerum) post consensum ac discussionem capituli generalis pro toto ordine, provincialis pro provinciâ, à superioribus reservari possunt. Sed præmittenda sunt nonnulla dubia tanquàm præludia subsequentium.

Dubium primum. — *An illos undecim casus superior regularis reservare possit sine consensu ac discussione capituli?*

9. Respondeo, posse, *si subditorum utilitati expedire, prudenter in Domino judicaverit.* Aversa, de sacram. Pœnit. quæst. 17, sect. 2; Diana, parte 8 tract. Miscel. 7, resol. 69, contra Bordonum, Consil. Regul. resol. 37, q. 30, n. 42. Ratio est quia consensus ac discussio capituli generalis aut provincialis non exigitur nisi ad reservandum casum distinctum ab enumeratis. *Si quod aliud* (ait Pontifex) *præterea* (id est, præter ea quæ jam recensita sunt) *peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id* (illius distincti peccati reservatio) *non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu.* Igitur perspicuum est ex decreto Pontificis posse generalem pro ordine, provincialem pro provinciâ sine discussione vel consensu capituli reservare casus in eodem decreto antea enumeratos. Ratio Bordoni supra citati est quòd sensus et intentio legum ac decretorum ex causâ finali potissimùm repetenda sint.

10. Causa verò quæ Clementem VIII impulit ad hoc decretum (ut ex proœmio colligitur) fuit quies et bonum subditorum de suâ salute forsitan periclitantium occasione nimii rigoris aut minus prudentis reservationis. Hæc autem causa communis est utrique generi peccatorum, et quæ exprimuntur, et quæ tacentur in constitutione Clementinâ; adeòque forma per Pontificem præscripta, debet pariter utrique generi peccatorum communis esse, ut nequeat superior sine consensu ac discussione capituli utralibet peccata reservare. Ita ferè Bordonus. Sed respondeo ad causam finalem tanquàm legis interpretem non inutiliter recurri, quando aliàs incerta est intentio legislatoris. Si verò voluntas legislatoris ex ipso corpore seu tenore decreti sit certa et explorata, frustra urgebitur motivum extrinsecum seu causa finalis superioris pro legis vel decreti extensione: identitas enim rationis seu motivi non infert identitatem obligationis in distinctis aut disparatis casibus seu materiis, ut multis exemplis facillimè ostendi potest, et liquidò colligitur ex vulgato axiomate: *Finis extrinsecus legis non cadit sub legem.* Deinceps nego quòd causa decreti sit eadem pro peccatis decreto expressis. Contrarium opinatur Pontifex, consideratis tum magnitudine, tum numero casuum expressorum, quos idcircò cunctis superioribus reservabiles facit, quòd inde non videat aliquod conscientiæ vel salutis periculum subditis impendere.

Dubium ii. — *An casus Clementinos non solùm possit; verùm etiam debeat reservare superior?*

11. Respondeo: Superior regularis vi constitutionis Clementinæ nullum casum reservare debet. Castropalao part. 4, tract. 23, disp. unic., puncto 15, § 1, n. 5; Suarez, tomo 4, de Relig., l. 2, c. 18, n. 14. Portel, verbo *Casus reservati*, n. 12; Fagundez l. 8, c. 4, n. 2. Ratio est quòd nullum præceptum reservandi affirmativum contineatur decreto pontificio, sed solummodò negativum, quo cavetur ne superiores, si quid reservandum judicaverint, excedant numerum aut materiam designatorum. Sic si prælatus regularis statueret, ut exeuntium subditorum nullus retrò septimam vespertinam emaneat, non præciperet ut eorum aliquis exeat aut ad septimam emaneat; sed prohiberet, ne quis seriùs redeat.

Dubium iii. — *Quinam ex regularium superioribus prædictos casus reservare possint?*

12. Respondeo: Illi soli qui ante decretum Clementinum habebant potestatem reservandi, jure, consuetudine vel privilegio. Suarez citatus cum omnibus aliis Ratio est quia Pontifex hoc suo decreto nulli facit potentiam reservandi, qui antea non habebat; nulli tollit, qui habebat; sed eorum qui antea reservare poterant, potestatem limitat tum quoad numerum reservatorum, tum quoad modum reservationis. *Nemo*, inquit, *ex regularium superioribus* (iis utique qui reservandi potestate sunt præditi) *peccatorum absolutiones* (ut alioqui possent et hactenùs potuerunt) *sibi reservent, exceptis iis quæ sequuntur*, etc. Et infra: *Si quod aliud præterea peccatum grave.... reservandum videbitur* (illis videlicet quorum interest, prælatis reservandi potentibus) *id non aliter fiat.* etc.

15. Hinc colligitur per superiores, de quibus Pontifex, intelligi generales et provinciales ordinum, tum quia nulli reservare poterunt, si non illi, tum quia præsens constitutio id manifestè supponit, permittens ut alios ab expressis casus reservent in capitulis, generali et provinciali, quorum capitulorum respectivè sunt capita prælati generalis et provincialis. Quod spectat prælatos conventuales, existimant Suarez citatus, Cotonius, lib. 4, de Religiosis, controv. 10, c. 1, n. 6, et nonnulli alii. Idem de iisdem dicendum, videlicet reservare illos posse, etiam post Clementinam constitutionem, nisi regulâ, statutis, vel altioris potestatis præcepto impediantur. Interim, prout supra diximus, prælatis localibus nostræ religionis seu guardianis negata est omnis potestas in reservata per capitulum generale Assisiense, apostolicâ auctoritate confirmatum. Imò Croesers, Lect. parænet. 13, ad c. 7 Reg. nost., et ex eo Bassæus, verbo *Casus reservatus*, n. 40, referunt, eminentissimum Toletum ex mente summi Pontificis respondisse quòd omnis reservandi potestas adempta sit prælatis inferioribus provinciali. Vide Bassæum et Croesers citatos. Item Coriolanum de Cas. res. part. 1, sect. 1, art. 4, et A. Sorbo, Annotat. in Comp. Privil., 5. *Absolutio ordinaria quoad fratres.*

Dubium iv. — *An Clemens VIII præsenti decreto casset ac revocet casus antiquos per regulam aut constitutiones in religionibus antea reservatos?*

14. Affirmant Peyrinis, tomo 2, Priv. Min. constit. 10 Urbani VIII, n. 12, et tomo 2, de Prælato, quæst. 3, c. 2, § 1, n. 34. A. Sorbo Compend. Privil. sup. Portel in addit. ad dubia Regul., verbo *Casus reservatus*, principio. Ratio eorum, quòd ita videatur colligi ex tenore et scopo decreti; movetur enim pontifex (ut in procœmio significat) nimiâ et minùs discretâ reservatione casuum, à nonnullis superioribus usitatâ, vi cujus infirmiores subditi, formidantes accedere superiorem, incurrere possent spiritualem ruinam animæ. Ut huic incommodo occurrat Pontifex, casus superioribus reservabiles ad definitum numerum revocat; atque adeò videtur, quamlibet aliorum casuum reservationem, in quâvis religione per regulam vel regulares constitutiones factam, unde infirmis periculum esse posset, cassare et revocare. Accedit quòd testetur oculatus testis Ludovicus Beja, 3 parte Respons. Moral. casu 16, fol. 326, se Romæ fuisse, quando decretum Clementinum est editum; Pontificem verò petiisse inprimis à procuratoribus ordinum, ut in scriptis sibi præsentarent casus in suâ religione reservatos; deinde receptâ et lectâ scripturâ statuisse solos casus infra scriptos (id est, undecim enumeratos) et non alios cunctis regularium superioribus reservabiles fore. Demùm A. Sorbo supra citatus addit, idem ab eodem Pontifice superioribus suæ religionis fuisse declaratum.

15. Interim respondeo, spectato præcisè Clementinæ constitutionis tenore, non revocari casus alios antea reservatos per regulam aut statuta religionum. Ita Lezana, Summâ, verbo *Casus reservati regularium*, n. 6. Joannes à Trinitate, Exposit. cas. reserv., dubio secundo præliminari. Portel, supra, se revocans, et insinuans ita à nostris superioribus fuisse declaratum.

Ratio est quia, ut rectè Lezana, nullum verbum est in prædicto decreto, quo denotatur talis revocatio, quin contra ex ipso decreto videtur colligi, mentem Pontificis duntaxat esse ut cessent et abrogentur reservationes, veluti ab homine factæ ac faciendæ, non quæ sunt veluti à jure regulæ vel constitutionum; sic enim § 1 legimus: *Sanctitas sua decrevit, ut* nemo ex regularium superioribus, *peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quæ sequuntur*, etc., ubi clarum videtur cassari et revocari reservationes à solis superioribus extra casus enumeratos factas et faciendas; non verò reservationes capitulariter factas et expressas in regulâ vel constitutionibus ordinum. Id quod clariùs fiet, si advertatur contextus; cùm enim Pontifex per octo numeros recensuisset casus, extra quos *nemo ex regularium superioribus* reservare sibi aliquid possit, numero nono addit: *Si quod aliud præterea peccatum grave... reservandum videbitur, id non aliter fiat quàm generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu.* Igitur manifestum est anteriùs sermonem esse de reservatione factâ et faciendâ sine consensu ac discussione capituli.

16. Addit Joannes à Trinitate, citatus n. 2, non velle Pontificem restringere auctoritatem capituli generalis vel provincialis; sed superioris extra capitulum reservantis aut reservaturi. Hinc queritur, non illinc, impendere periculum animabus: movetur enim nimiâ et minùs discretâ peccatorum reservatione alicubi usitatâ, atque adeò reservantium quorumdam imprudentiâ et levitate, quæ in personam facilè, difficiliùs in integrum capitulum cadunt. Et alioquin, si voluisset Pontifex cassare casus alios reservatos per regulam aut statuta in capitulis generalibus aut provincialibus condita, non permisisset iisdem capitulis potestatem reservandi quodlibet *aliud peccatum grave*, quia non poterat majorem prudentiam supponere in capitulis futuris quàm præteritis; aut si corrigere voluit abusum capitulorum præteritorum, nonne eumdem timere debebat in capitulis secuturis?

Dubium v. — *An facultas competens provinciali in casus Clementinos sine consensu capituli, et* aliud peccatum grave *de consensu capituli, restringi seu limitari possit per generalem?*

17. Respondeo, si loquamur de jure communi, antecedenter ad præsens decretum, generalem potuisse hanc provincialis facultatem tollere aut limitare ex justâ causâ, propter votum obedientiæ, quo hic illi cum suis subditis est obnoxius, præsertim in illis religionibus, in quibus potestas generalis est indefinita. Stante autem decreto Clementis VIII, quo limitatur tum numerus casuum, tum modus reservationis, cùm nequeat ullus intervenire abusus, non video justam causam, quâ possit hæc potestas vel auferri vel limitari. Solùm itaque videtur generalis auferre posse potestatem provincialis indirectè, nempe prævenendo, id est, reservando aliquos casus sibi, alios illi; hoc enim permittit

subordinatio, ut in causis judicialibus particularium subditorum videtur clariùs. Adhuc tamen tunc ille poterit supernumerarios reservare de consensu capituli, si non antevertat ipse generalis præsens, aut ejus commissarius, cui capitulum juxta constitutiones ordinis in omnibus parere teneatur.

DUBIUM VI. — *An eosdem undecim casus prælati regulares reservare pariter possint respectu monialium sibi subjectarum?*

18. Respondeo affirmativè cum Pelizzario, de Monialib., c. 10, n. 46, et Cotonio, l. 2 de Sacram., controv. 7, c. 5, n. 87. Ratio est quòd prælatus exemptus, sit verus ac legitimus superior suarum monialium, designans et instituens earum confessarium, cujus proinde auctoritatem stringere et ampliare potest. Sed restat ulterior dubitatio an quod ad moniales attinet, pro reservatione casûs supernumerarii, id est, decreto Clementino non expressi, teneatur superior regularis ad formam Clementinam, seu an egeat pariter consensu et maturâ discussione capituli. Negant Pelizzarius citatus, et Cotonius n. 87, et lib. 4 de Religiosis, controv. 10, de Reservatis Regul., c. 1, n. 10.

DUBIUM VII. — *An reservatio prælati regularis cesset cum reservantis officio?*

19. Respondeo distinguendam esse reservationem. Alia est personalis, per mandatum, vel præceptum superioris; alia legalis, per legem vel statutum. Differunt, quòd personalis comitetur personam et eâ moriente civiliter vel naturaliter, moriatur; legalis verò de se sit perpetua, nisi in desuetudinem abeat. Indicium reservationis personalis, atque adeò reservantis morte morientis est, si superior utatur terminis personam vel officium connotantibus: *personam*, ut cùm dicit: *Reservo mihi*, aut: *Reservamus nobis*. Item: *Non absolvatur qui hoc illudve commiserit, nisi per nos*, vel, *quoadusque nobis placuerit*, seu *visum fuerit*: hæc enim et similia non significant dignitatem, quæ sit perpetua, sed personam, quæ temporanea est. *Officium* verò connotant ac supponunt sequentes vel similes termini: *Officio nostro durante*, etc. Indicium reservationis legalis, atque adeò de se perpetuæ, est, si fiat in capitulo vel aliàs verbis indicantibus durationem perpetuam aut normam legis vel statuti, ut, v. g., si dicatur: *Præsenti lege vel statuto reservamus in perpetuum; hâc perpetuò valiturâ constitutione decernimus*, etc. Vide Cotonium, l. 4 Controv. 10, c. 1, n. 9; Bordonum, tom. 1, Conf., res. 37, n. 62; Diana, p. 3, tract. 2, res. 23; Fagundez in 2 Ecclesiæ præc., l. 8, c. 1, n. 30; Suarez, tom. 4, de Pœnit., disp. 27, sect. 4, n. 9; Sanchez, de Matrimonio, lib. 8, disp. 28, n. 65; Fumus, verbo *Gratia*, n. 9; Tabiena eodem verbo, circa finem.

DUBIUM VIII. — *An novitii teneantur reservatione superiorum regularium?*

20. Affirmant Corduba, l. 1, Quæst. Theol., q. 30; Peregrinus, Comment. ad Constit., p. 2, c. 5; Megala, 1 p., l. 1, c. 8, n. 20; Vecchius in praxi Novitiorum, disp. 10, dub. 3, n. 3; Tamburinus, de jure Abbatum, tom. 2, disp. 6, quæst. 6, n. 11; Laymann, l. 4, tract. 5, c. 4, n. 4; Peyrinis, tom. 2, Priv. Min.; Constit. 10 Urbani VIII, § 61, n. 9; Bosco, disp. 8 sect. 4, n. 56, et probabile existimat Lezana, tom. 1 c. 15, n. 19.

Probatur hæc opinio primò: quia Paulus V declaravit superiores regulares posse sibi reservare casus, etiam quoad novitios, per vivæ vocis oraculum, die 7 augusti 1609, pro congregatione S. Mariæ Fuliensis; de quo testatus est cardinalis Bandinus, ut habet Compend. privil. illius congregationis, tit. *Casuum reservatio*, § 4. Vide Lezanan et Peyrinis citatos. item Kerckhove in statut. General., c. 1, § 7, n. 5. Verùm ad hanc probationem responderi posset, 1° non quæri hoc loco, quid absolutè loquendo superiores regulares possent facere, sed quid hodiè censeantur facere. Responderi posset 2° omnia vivæ vocis oracula, gratiam aut privilegium continentia, revocata esse ab Urbano VIII, motu proprio, 20 decembris, anno 1631. Ita Lezana, tom. 1, de Regularium Immunitatibus et Privilegiis, c. 3, n. 21, et c. 15, n. 19.

21. Probatur secundò: Clemens VIII, constit. *Cùm ad regularem* (et refertur in Bullario Cherubini post constitutionem Clementinam 83 editâ die 19 martii, 1605, § 28, statuit ut *magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori, etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno, eorumdem novitiorum confessiones audire.* In his Clementis VIII verbis existimat Peregrinus citatus contineri præceptum reservationis, primò, quia dicitur, *committatur magistro soli novitiorum.* Secundò, quia Pontifex in dicto decreto præscribit formam educationi novitiorum circa administrationem sacramenti Pœnitentiæ; sed forma non servata facit actum nullum; ergo. Sed ad hoc fundamentum respondent Kerckhove cit. n. 5; Diana, parte 3, tract. 2, resol. 4, et parte 4, tract. 4, resol. 5; Molfesius, Summâ, tomo 1, tract. 7, c. 14, n. 81. Alphonsus de Leone, tract. de Offic. et Potest. confess., tomo 2, recol. 11, n. 151 et 152, et alii. Decretum illud non esse latum à Pontifice per modum præcepti irritantis confessionem aliter factam, sed per modum regulæ et consilii: neque illùc præscribi formam, educationi novitiorum absolutè necessariam, sed judicio Pontificis, convenientem. Et verò plurima sunt in eodem decreto, quæ omnium judicio præceptum non involvunt, ut, quod statuitur n. 25: *Statim atque novitii ad habitum recepti, et in locum novitiatûs introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem, totius anteactæ vitæ conscientiam* discutiendam et expurgandam esse. Item quod præscribitur § 29. *Quotidiè missæ sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque divinis officiis assistant.* Imò ipso etiam paragrapho 28, ordinatur ut *quilibet novitius bis quotidiè orationi mentali et vocali incumbat.... Pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat.* In his et similibus nemo

agnoscit præceptum rigidum et in conscientiâ obligans. Deinde ut advertit Diana cit., si verbis in prohibitione adductis contineatur præceptum irritans confessionem novitiorum alteri, quàm magistro factam, jam nequidem validè novitii confiteri poterunt cæteris religiosis, etiam in reservata admissis, atque adeò in re tam gravi essent pejoris conditionis novitii quàm professi : hi enim confiteri possunt duobus, tribus aut pluribus confessariis, à superiore designatis, juxta decretum alterum ejusdem Pontificis Clementis VIII.

23. Probatur tertiò : Novitius, quamvis non sit propriè et irrevocabiliter religiosus, nihilominùs, quamdiù manet voluntariè in novitiatu, videtur esse subditus prælati regularis, præcipuè quoad sacramentum Pœnitentiæ et legem reservationis, 1° quia alioquin novitii, quod attinet casuum reservationem, sub nullius jurisdictione erunt, nisi solius Pontificis, adeòque melioris conditionis quàm professi, quod non est credibile. 2° Novitius exemptæ religionis, exemptus est à jurisdictione episcoporum, quamdiù manet novitius, ita ut puniri possit ac debeat à prælato, et non ab episcopo vel alio judice seculari, ut docent Navarrus, l. 3 Consil. de Regul., consil. 58, n. 4 ; Corduba, Quæst. l. 1, q. 30 ; Azorius, Instit. moral. l. 12, c. 2, q. 11 ; Molina tomo 3, de Justitiâ, disp. 671, n. 2 ; Sanchez, l. 6 Summæ, c. 10, n. 10 et 11 ; Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 4, n. 58. Igitur novitius per novitiatum est verus subditus prælati regularis. 3° Quia certum est quòd novitius possit sacramentaliter absolvi per prælatum regularem ; quare ergo similiter non possit legari per reservationem casuum ? 4° Vagus et peregrinus subjacent reservationi episcopi, in cujus diœcesi confitentur, in ordine ad confessarium illius loci ; quantò magis novitius, qui non vagus aut peregrinus, sed quasi domesticus religionis est quam profiteri intendit, subjacebit reservationi prælati illius religionis, in ordine ad confessarium regularem, eidem prælato subjectum ? Non apparet ratio disparitatis ; imò major videtur ratio pro novitio, quàm pro peregrino, cùm omninò certum sit unumquemque subjacere reservationi episcopi illius loci, in quo domicilium vel quasi domicilium habet.

24. Confirmatur ex cap. 1, de Privil. in 6, ibi : *Nisi forsàn ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus, ordinariis eisdem subjectos.... fuerint destinati : tunc enim, etsi liberè possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum quàm ipsorum prioratuum monachi reputentur....., ratione tamen eorumdem prioratuum, dicti ordinarii suâ jurisdictione in ipsis, etiam quoad præmissa, quamdiù morantur in illis, licitè uti possint.* Ergo similiter prælati regularium, in novitios, quamdiù morantur in monasteriis, suâ jurisdictione uti poterunt ; quia dignum est, ut loquitur Alexander III, cap. *Recolentes*, 3, *de Statu monach.*, ut, qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Et infra : *Sic se in omnibus* (inquit Pontifex) *religioni vestræ coavtent, ut quemadmodùm gaudent, se in societatem ordinis et habitûs identitatem assumptas, sic etiam in paupertate secularium rerum, se lætentur, vestris institutionibus conformatas.* Loquitur Pontifex de aliquibus domibus religiosis quæ se transtulerant ad ordinem Cisterciensem. Idem autem dicendum videtur de novitiis qui se transtulerunt ad aliquam religionem, neque solùm de paupertate, sed et de aliis monasticis disciplinis. Ita Bosco citatus, n. 59 et 60.

25. Interim ad hæc et similia respondet Rodericus tom. 1 Quæst. regul., q. 21, art. 11. Dico, inquit, quòd novitii subduntur prælatis, non ut religiosi professi, sed ut novitii, qui obligati sunt ad religionis asperitates supportandas, non sub pœnâ peccati mortalis, ita ut peccent in eis deficiendo, sed sub pœnâ expulsionis à religione, ita ut ad professionem minimè admittantur. Et sic possunt prælati à religione expellere novitium quem cognoverunt incontinentem, inobedientem, et subreptitiè eligentem confessarium, præter nominatum ad confessiones novitiorum audiendas. Ita Rodericus, nonnullis interjectis addens novitios posse incarcerari, si velint in religione tempore novitiatûs perseverare : at ipse carcer, inquit, non eis tunc dabitur, ut pœna judicialis ; sed ut pœnitentia illis data et ab ipsis acceptata. Et similiter in proposito dicimus quòd minimè poterunt absolvi à confessoribus per ipsos electis, nec ab aliis casibus non reservatis. At hoc non procedit ab obligatione coactivâ, impositâ à suis prælatis.... sed procedit ab obligatione novitiali : quia novitii volentes perseverare in religione, obligantur ad confessiones faciendas cum confessoribus, pro ipsis deputatis. Et obligantur, etiam sub pœnâ expulsionis à religione, ad non eligendum alios confessores extraordinarios, qui eos à reservatis et aliis absolvant. Hactenùs Rodericus.

26. Hæc sunt fundamenta affirmantis opinionis. Negativa communior est, quam docent Miranda, Manual. prælat. regul., tom. 2, q. 34, art. 16 ; Rodericus, Quæst. reg., tom. 1, q. 21, art. 11 ; Portel, verbo *Novitii absolutio*, n. 36 ; Sà, verbo *Casus*, n. 8 ; Villalobos, tom. 1 Summæ, tract. 9, diffic. 56, n. 6 ; Diana, part. 3, tract. 2, resol. 4, et part. 4, tract. 4, resol. 5 ; Molfesius Summæ, tom. 1, tract. 7, c. 14, n. 81 ; Homobonus, Exam. eccles., part. 1, tract. 5, c. 2, q. 13 ; Petrus Faii, addit in 3 part. D. Thomæ, quæst. 8, art. 5, disp. 6 ; Riccius, in Praxi, tom. 4, resol. 241, n. 3 ; Azorius, tom. 1 Instit. Moral., l. 12, c. 2, q. 10 ; Vega, Summæ, tom. 2, c. 50, casu 6 ; Bellochius, de Cas. reserv., p. 1, q. 2, n. 109 ; Coriolanus, part. 1, sect, 3, art. 18, n. 3 et 4 ; Floronus de Cas. res., part. 1, c. 3, n. 7 ; Naldus, Sum., verbo *Novitius*, n. 7 ; Graffus, Append., l. 1, c. 7, n. 69 ; Novarius, de Elect. fori., sect. 2, quæst. 63, n. 13 ; Henriquez, lib. 6, c. 16, n. 3 ; Faustus. Theol. moral, part. 2, lib. 8, quæst. 53 ; Aloysius Bariola, Aphorism., verbo *Novitii*, § 15 ; Lezana, tom. 2, eodem verbo, n. 40 ; Herinck, part. 4, tract. 4, disp. 6, q. 1, n. 12 ; Kerckhove in Statut. General., c. 1, § 7, n. 4 ; Sanchez l. 6 Summæ, c. 10, n. 7.

27. Probatur hæc sententia primò, quia novitii ante professionem non sunt verè et realiter religiosi, licèt utantur favoribus religionis. Secundò, quia non ligantur aliis statutis ut punctis regulæ. Tertiò, quia novitii sunt tanquàm catechumeni. Ut hi non ligantur Ecclesiæ legibus vel præceptis, quamdiù Ecclesiam non sunt ingressi per baptismum; ita illi non ligantur legibus vel præceptis religionis, quamdiù religionem non sunt ingressi per professionem. Utrique in viâ sunt, non in termino; novitii quod attinet religionem, catechumeni quod spectat Ecclesiam.

His ita præmissis, tractamus sigillatim per diversos articulos de casibus Clementinis, primo decreti paragrapho expressis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRIMO CASU CLEMENTINO.

Textus. — *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

28. Ita primum casum Clemens VIII exprimit. Et quanquàm veneficium, incantatio ac sortilegium, per se loquendo, diversa sint, quia tamen ad unum genus superstitionis reducuntur, ideò sub eâdem classe collocantur in constitutione Clementinâ.

Dubium primum. — *An sub his tribus speciebus nominatim expressis contineatur omnis actus superstitionis?*

29. Contineri existimat Marchant, in cap. 7 Reg. textu 1, tit. 2, q. 1, dub. 1, dicens: Sub *veneficio* intelligitur omne maleficium quo per adhibitionem rerum naturalium, signorum, ligaminum et similium aliquis inficitur, intoxicatur, occiditur, alteratur; sive quo alicui quovis modo, arte dæmonis nocetur, ut venenis, radicibus, poculis amatoriis, cibis, signaturis, characteribus, et id genus, quibus sagæ seu venefici utuntur. Sub *incantationibus* intelliguntur omnes deceptiones, quæ arte magicâ fiunt, per sensuum et rerum varias immutationes, per morborum superstitiosas curationes, sive veras, sive apparentes; omnia denique præstigia, quæ ex pacto implicito vel expresso cum dæmone oriuntur. Sub *sortilegiis* omnis species divinationis magicæ, omnisque superstitio comprehenditur. Ita Marchant, addens deinceps hanc regulam generalem: Omnis actus maleficii, magiæ aut cujusvis superstitionis, per quævis signa sive sacra sive naturalia fiat, si ex advertentiâ et deliberatione sufficiente fiat, et in materiâ quæ sit peccatum mortale, est casus inter regulares reservatus. Idem docent Notau, de Sacram. Pœnit., p. 2, disp. 3, q. 1, art 5, n. 58; Bassæus, verbo *Casus reservatus*, n. 40, § 1; Portel, verbo *Veneficia*, n. 1 et 23; Longus, p. 2, cas. 1, n. 4; Peyrinis, tom. 2 de Prælat., quæst. 5, cap. 2, § 1, n. 38; Molfesius, tom. 1 Sum., tr. 7, c. 20, n. 25; Graffius, de Cas. reserv., l. 3, c. 1, n. 1; Quaranta, Sum. Bul., verbo *Casus reservatus*, n. 3; Sylvius, Suppl., q. 20, art. 2, quæsit. 2; Bernardinus Gandensis, c. 7 Reg., § 1, n. 9; Tamburinus, de Jure abbat., tom. 2, disp. 13, q. 2, n. 10. Moventur, quia debet fieri extensio juris etiam pœnalis, dùm agitur de salute animarum et evitando peccato, cùm id potiùs sit inclusio similium peccatorum, quàm extensio, juxta doctrinam Jasonis, in authentic. *Quas actiones*, n. 25, cod. de Sacrosanct. Eccles.

30. Interim videtur veriùs, per *veneficia*, *incantationes*, *sortilegia* non intelligi, nisi species subalternas, quæ prædictis nominibus designantur. Cotonius, l. 4, de Religiosis, controv. 10, de Reservatis regularium, c. 2, n. 15; Lezana, verb. *Veneficia*, n. 4; Bordonus, resol. 40, n. 1; Croesers Lect., paræn. 13, fol. 609; Kerckhove in Stat. Gen., c. 6, § 22, n. 8 et 9. Ratio est quòd juxta regulam ab omnibus admissam, et à nobis sæpissimè inculcatam, materia reservationis sit odiosa, atque adeò juxta vulgatam juris regulam rigidè intelligenda, id est, restringenda potiùs quàm extendenda ac casus similes vel majores, nisi de voluntate superioris constiterit per reales circumstantias. Sic dùm reservantur incestus, adulterium, vel sodomia, non eo ipso reservata censeri debent peccata quælibet, graviter repugnantia castitati. Nec ullo modo audiendus erit, qui id voluerit eo prætextu, quòd debeat fieri extensio juris etiam in pœnalibus, quando agitur de salute animarum et vitando peccato. Unde miramur, à viris doctis hìc allegari similem rationem quam alibi rejiciunt aut saltem rejicere debent. Fundamento eorum rectè occurrit Bordonus, resol. 38, n. 103, apud Kerckhove cit., n. 9, quòd, licèt id fortè locum habere possit, quando legislator non potuit omnes casus prævidere, et justè præsumitur, quòd talis fuerit legislatoris intentio, non tamen habeat locum in reservatione casuum; quia prævidit reservans omnes casus quos reservat, eosque idcircò exprimit et reservat, adeòque non reservat quos non expressit, etiamsi fortè graviora peccata sint: quia in hoc stat voluntas superioris pro ratione. Ita ferè Bordonus apud Kerckhove cit.

Itaque juxta hanc sententiam omninò tenendam, sub casu primo Clementino non continetur idololatria, nec cultus indebitus Deo vero exhibitus; quia nec est *veneficium*, nec *incantatio*, nec *sortilegium*. Similiter non continetur divinatio, nisi fiat per sortes, nec vana observantia, nisi involvat incantationem, nec magia, nisi involvat *veneficium* vel *incantationem*. Kerckhove cit.

Dubium II. — *An* veneficium, incantatio, sortilegium *specie distinguantur?*

31. Portel, supra, n. 1; Kerckove, n. 3; Lezana, n. 2; Bordonus, n. 11, 22 et 24; Graffius citatus existimant distingui tantùm ex parte materiæ, seu modi quo fiunt: conveniunt enim (inquiunt) in formali malitiâ, quæ est, fieri instigante et contrahente diabolo, et solùm differunt quòd *veneficium* fiat applicando res naturales inefficaces ad aliquem effectum, non utendo aliquibus verbis vel cæremoniis. *Incantatio*, dicendo verba inutilia vel inefficacia ad talem effectum, non apponendo res naturales, sed sola verba. *Sortilegium* verò, mittendo sortes vel aliquid æquivalens, ad cognoscendum secretum, præteritum vel futurum, ita ut semper in his tribus concurrat diabolus. Sic illi.

Nihilominùs dicendum videtur, prædictas species distingui, non solùm materiâ, sed etiam fine et effectu; *veneficium* enim ordinatur ad inferendum alteri nocumentum; *incantatio* ad actionem simpliciter præternaturalem; *sortilegium* ad cognoscendum secretum.

Dubium III. — *Quid sit* veneficium?

32. Respondeo *veneficium* esse duplex, naturale et superstitiosum : naturale est, cùm alicui per venenum sine dæmonis interventu sanitas aut vita tollitur. Superstitiosum exigit concursum dæmonis et involvit omne maleficium, quo per adhibitionem rerum naturalium, signorum, ligaminum et similium aliquis inficitur, intoxicatur, occiditur, alteratur; sive quo alicui in vitâ, sanitate, famâ, formâ, fortunâ, per auxilium dæmonis tacitè vel expressè invocati nocumentum infertur, venenis, radicibus, potu, cibo, signaturis, imaginibus, characteribus. Ita omnes conformiter ad Calepinum, verb. *Veneficium*, ubi ait : *Duo significat...; aliquando enim accipitur pro crimine illo quo quis alterum veneno necat...; aliquando pro maleficis artibus et vetito magiæ genere.*

Et quidem, quod attinet *veneficium* superstitiosum, non est dubium quin contineatur primo casu Clementino. Solummodò dubitari potest an etiam veneficium naturale. Affirmat Notau, disp. 3, art. 3, n. 18, inferens peccati reservati reum fore qui alicui cicutam, salamandram, aconitum, pityocampas, buprestim, mandragoram aut cantharidas (de quibus mentio, l. 3, ff. ad l. *Corneliam*, de Sicariis et Veneficis, et apud Plinium, l. 24. Historiæ naturalis, c. 17) temerè proposuerit.

33. Imò ex eâdem opinione idem auctor deducit, teneri peccato reservato, qui ægroto rem aliquam præbet, quam scit notabiliter nociturum, si talis læsio sequatur, etiamsi ob misericordiam, aut ut ægro placeat, illam præbeat. Ita Notau. Idem indicant Bassæus, verb. *Casus reservatus*, n. 40, § 1, et Croesers, Lect. paræn. 13, in cap. 7 Reg.; Chapeauville, part. post. c. 6, q. 1 et 2. Cæteri insinuant oppositum, quod nobis videtur probabilius, primò quia Pontifex sub uno et eodem casu et numero tanquàm unius ejusdemque generis species conjungit *veneficium*, *incantationem*, *sortilegium*. Igitur ut incantatio et sortilegium ad superstitionem pertinent, sic etiam veneficium ex Pontificis intentione. Secundò, quia veneficium naturale, saltem quo alicui vita tollitur, spectat ad *occisionem;* quid enim interest gladio an veneno alicui vitam eripias? *occisio* autem constituit casum decimùm; igitur ne fiat inutilis repetitio vel divisio ejusdem casûs, videtur dicendum quòd hoc loco sermo sit de solo veneficio superstitioso.

Hinc colligitur 1° *veneficium* cum maleficio non coincidere; respiciunt enim se tanquàm minùs et magis commune, seu tanquàm species et genus. Bassæus, verb. *Maleficium*, n. 1; Delrio Disquis. mag. l. 3, p. 1; Toletus, l. 4, c. 16, n. 3; Filliucius in Decal. tract. 24, cap. 8, n. 182; Lacroix, l. 3, p. 1, n. 41; Henno in Dec. disp. 1, q. 4 a. 4, c. 2.

34. Colligitur 2° dari posse casum *veneficii* reservati sine veneno; dummodò enim ope dæmonis alicui inferatur nocumentum, videtur accidentalis esse qualitas medii seu instrumenti. Lezana, verb *Veneficium*, Portel., Lacroix, Peyrinis.

Colligitur 3° non esse casum, si non sequatur effectu ipso alterius nocumentum, ex quocumque capite. Jacobus Marchant, Resol. Pastor., tr. 5 de sacram. Pœnit, cap. 6, n. 6; Chapeauville, cit. contra Bassæum, Croesers, Bernardinum Gandensem, sup. Ratio est quòd delictum veneficii aliàs non videatur satis consummatum esse. Exemplo sit homicidium, quod nisi secutâ morte non consummatur. Porrò sicut veneficium describitur, quo alicui infertur nocumentum, etc., sic homicidium, quo alicui infertur mors.

35. Colligitur 4° non esse satis certum quòd præsenti casu contineatur curatio superstitiosa alicujus morbi vel infirmitatis. Cotonius, de Reservatis regularium cap. 2, n. 15. Ratio ejus est quòd non sit veneficium rigorosè sumptum, veluti quo nocumentum inferri, non auferri debeat. Contrarium docent Lezana, cit. n. 6, Fagundez in 2 præc. Eccles. l. 8, c. 4, n. 7, et 8; Peyrinis, quæst. 3, c. 2, § 1, n. 38; Kerckhove, n. 4; Pellizzarius, tract. 6, c. 1, n. 21; Tamburinus, de Jure abbat., tomo 2, disp. 13, q. 2, volentes ad rigorosum *veneficium* perinde esse, sive inferatur, sive auferatur alterius nocumentum per operam invocati dæmonis.

Colligitur 5° non incurrere casum, qui alicui suadet vel imperat, ut injuriam sibi illatam *veneficio* vindicet, aut qui sagas consulit vel consulere suadet. Fagundez, Peyrinis, Lezana, Portel, Tamburinus, Kerckhove.

Dubium IV. — *Quid* incantatio?

36. Respondeo breviter ex alibi dictis : Incantatio est invocatio dæmonis tacita vel expressa, per verba, ad agendum aliquid supra naturam; sive incantare, est aliquid supra naturam agere per verba ope vel auxilio dæmonis. Ita omnes. Dicitur 1° *dæmonis invocatio*. Unde vocatur incantatio, quòd invocetur et incantetur dæmon. Quòd autem invocati dæmonis opera intervenire debeat, indè patet, quòd verba incantatoris sint inutilia seu nullam virtutem habeant ad producendum effectum à mago vel incantatore intentum. Et in eo convenit *incantatio* cum veneficio et sortilegio. Dicitur 2° *tacita vel expressa*. Invocatio dæmonis *expressa* est, quando verba incantatoris directè in dæmonem diriguntur seu significant invocationem dæmonis ad ei loquendum, imperandum, etc. Invocatio *tacita* est quâ aliud quidpiam intendit incantator per verba, quæ ex Dei vel Ecclesiæ ordinatione efficaciam nullam habent ad effectum intentum producendum.

37. Dicitur 3°, *per verba*, videlicet formalia vel virtualia : unde non debet incantatio necessariò fieri per voces propriè dictas seu sonum ore prolatum;

fieri potest per litteras, figuras, signa, characteres, nomina etiam angelorum aut aliarum rerum. Perinde est sive verba sint sacra sive profana, puta, quod ad ipsam præcisè superstitionem attinet. Alioqui si verba sint sacra, jungitur superstitioni sacrilegium. Possunt autem et sæpè solent desumi verba ex Evangeliis aut aliâ Scripturâ; quibus vana quædam et inutilis circumstantia, tanquàm necessaria jungitur, v. g., quoad horam, diem aut situm corporis, quibus proferuntur, etc. Vide Kerckhove, Portel, Lezana, Peyrinis, Fagundez, Tamburinum. Per hanc particulam differt *incantatio* à *veneficio* et *sortilegio;* quia, ut supra diximus, *veneficium* peragitur rebus, *sortilegium* sortibus. Dicitur 4° *ad agendum aliquid supra naturam:* sive cedat in proprium vel alienum commodum vel incommodum, aut alium qualemcumque finem. Lezana, Croesers, Bassæus.

Dubium v. — *Quid* sortilegium?

38. Respondeo cum Croesers: Inprimis non putamus per *sortilegia* intelligi quemlibet usum sortium; quia aliquis sortium usus est bonus et nullibi reprehensus, v. g., in electionibus, controversiis, etc. Secundò non putamus intelligi quemlibet usum sortium etiam peccaminosum; quia datur aliquis, qui nihil aliud mali habeat quàm quòd sit temerarius, repugnans justitiæ vel obedientiæ. Quare existimamus, illum tantummodò usum sortium reservari, cui præest diabolus ex pacto tacito vel expresso, sive interim sortes sint divisoriæ, quæ scilicet ordinantur ut cognoscatur, quid cuilibet dandum sit vel negandum sive sint consultoriæ, ut sciatur, quid in negotio occurrente agendum vel omittendum; sive divinatoriæ, ordinatæ ad aliquid occultum cognoscendum.

ARTICULUS II.

DE CASU CLEMENTINO SECUNDO.

Textus. — *Apostasia à religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventûs fiat egressio.*

39. De hoc casu plura diximus tum in tractatu nostro de Casibus reservatis, cap. 4, § 1, tum alibi quæ videri possunt. Addo et repeto nonnulla dubia, paulò explicatiùs hìc proposita et oppositis argumentis extricata.

Dubium primum. — *An animus, in perpetuum deserendi statum religiosum, sit essentialis apostasiæ rigorosè sumptæ?*

40. Negant D. Antoninus, 2 p., tit. 12, c. 6, et 3 p., tit. 16, § 4, Tabiena, v. *Apostasia*, q. 14, n. 17, et ibidem Armilla, n. 6; Suarez, tom. 4, de Relig. l. 3, c. 1, n. 24, et c. 2, n. 14, cujus sententiam probabilem existimat Lezana, tomo 1, c. 16, n. 7, volentes eum solùm censeri fugitivum, qui deserit religionem animo redeundi post breve tempus; apostatam verò rigorosè sumptum esse non tantùm qui dimittit religionem in perpetuum, verùm etiam qui animo per tempus notabile, v. g., trium, quatuor, aut plurium annorum emanendi. Probat Suarez sententiam suam 1° quia multi ex antiquioribus ita judicant, ut Innocentius, Panormitanus et alii, in cap. ult. de Renuntiat. et in cap. *Intelleximus*, de Ætate et Qualitate.

41. 2° Quia ex oppositâ opinione sequeretur monachum qui dimittit habitum animo vagandi vel militandi per aliquot annos cum intentione revertendi ad religionem, non esse apostatam, neque incurrere infamiam et pœnas apostatarum; consequens est falsum; ergo. Minor patet ex communi modo loquendi et sentiendi omnium jurium et prælatorum Ecclesiæ: omnes enim hos vocant apostatas, et ut tales puniunt. 3° Clericus in sacris qui dimisso habitu seculariter vivit, verè et propriè censetur apostata ab ordine, tametsi animum habeat clericalem habitum resumendi; ergo idem est in præsenti. Probatur consequentia: quia utraque apostasia consistit in retrocessione à perfectiori statu. Ergo si in ordine sit vera retrocessio sine animo perpetuitatis, erit pariter in religione. 4° Quia ad veram retrocessionem necessarius non est animus nunquàm redeundi ad priorem statum; sed eo ipso, quo quis velit cadere à statu priori et in alium converti, censetur retrocedere, tametsi animum habeat postea redeundi; ut qui recedit à fide, absolutè est apostata, esto animum habeat, ad fidem iterùm redeundi; et qui peccat mortaliter atque adeò statu gratiæ excidit, simpliciter retrocedit à Deo et viâ salutis, quamvis animum habeat, postea pœnitendi.

42. Ergo intentio nunquàm redeundi ad priorem statum, non est de ratione apostasiæ, et proinde in fugâ diuturnâ, præcipuè cum habitûs dimissione, videtur consistere vera apostasia. Ita Suarez, à quo si quæras quanta requiratur temporis mora, ut apostata censearis, respondet, c. 1, n. 25, prudentis arbitrio æstimandum esse, neque id novum videri debere, siquidem in excommunicatione incurrendà propter habitûs dimissionem, ad prudentis arbitrium recurrendum est. Quoties igitur tanto tempore extra potestatem prælati commoraris, ut meritò censeri possis permanenter et stabiliter extra religionem vivere, verè eris apostata. Unde si à principio extra septa monasterii egrediaris animo diù vagandi aut emanendi, quousque tibi visum fuerit, censeberis apostata, et incurres pœnas apostatarum.

43. Nihilominùs retinenda est receptissima doctorum sententia, negans, pro foro conscientiæ esse verùm apostatam, qui deserit religionem animo redeundi. Cotonius, l. 4, controv. 5, n. 132 et 158; Peyrinis, tom. 2 de Prælato, q. 3, c. 2, § 1, n. 39, et tom. 1, q. 1, c. 26; Navarrus, lib. 5 Consil., tit. de Apost., consil 11, n. 8; Petrus Marchant, sup. dub. 1; Kerckhove, in Stat., cap. 6, § 20, num. 2, et § 22, n. 10; Tamburinus, n. 17; Lezana, tom. 1, cap. 16, n. 7 et 12; Fagundez, cap. 5, n. 3 et 15; Lessius, l. 2, c. 41, dub. 15, n. 109; Bassæus, verb. *Apostata*, n. 4; Cajetanus, 2-2, q. 12, art. 1; Miranda, Man. præl., tom. 1, q. 51, concl. 1; Sanchez, L. 6, c. 8, n. 2; Coriolanus, part. 2, cas. 2, n. 23; Croesers, lect. præn. 13, in c. 7 Reg.; Portel, verb. *Apostata;* Castropalao, tract. 16, disp. 4, punct. 16, n. 2; Angelus, Sylvester, Arragon, Bannez, Valentia, Azorius apud

Sanchez citatum. Omnes distinguunt apostatam à fugitivo, quòd ille perpetuò, hic ad tempus statuat deserere religionem.

44. Nec dicas sufficere discrimen initio insinuatum, quòd fugitivus citiùs, apostata vel nunquàm vel seriùs meditetur reditum, quia differentia brevis et longi temporis non fundat solidam disparitatem, si attendamus fundamenta proximè allegata; si enim, qui deserit statum monachalem animo redeundi quidem, sed diutiùs emanendi, ideò sit apostata et à religione simpliciter retrocedat, quia sic retrocedit à clericatu, qui ita deserit habitum clericalem; à statu gratiæ, qui mortaliter peccat; à fide, qui in hæresim labitur: nonne manifestè sequitur apostatam rigorosum esse qui septa monasterii deserit, intentione etiam intra horam redeundi? Nonne infidelis et peccator retrocedunt simpliciter à fide et statu gratiæ, etsi post horam redeant, aut redire proponant? Igitur vel dicendum est illum solum esse verum apostatam, qui sic deserit religionem ut nunquàm reverti intendat, vel admittendum utrumque fugitivum esse verum apostatam, et qui post longum, et qui post breve tempus meditatur reditum; quod ultimum nullus unquàm eruditus dixit, teste Navarro, consil. de Apostatis, n. 6.

45. Ad primum oppositæ opinionis fundamentum respondeo cum Castropalao, sup. n. 4: Admittimus quòd doctores aliquando confundant apostatam cum fugitivo, sed debent intelligi de apostasiâ largè et impropriè sumptâ; id quod ex eo convincitur, quia negant pœnis apostatarum fugitivos affici.

Ad secundum respondeo cum eodem: Admittimus item, religionis per tempus considerabile desertorem, reputari apostatam, et ut talem puniri, non quia verus et strictè dictus apostata est, si animum redeundi habeat, sed quia is animus passim occultus est, atque adeò præsumitur in foro externo fugitivus velle perpetuò deserere institutum suum, aut demùm quia pro utrisque, videlicet et apostatis et fugitivis in nonnullis religionibus eadem pœna constituta est. Vide Lezanam et Kerckhove cit.

46. Ad tertium respondet Castropalao, concedendo apostatam ab ordine esse, si constitutus in sacris habitum clericalem dimittis et secularem induis tempore sufficienti, ut laicus communiter reputeris: nam cùm habitus in signum clericalis ordinis deportari præcipiatur, si eo te ita denudas absque causâ, ut ex communi modo procedendi clericus non reputeris, apostata ab ordine judicaberis, tametsi animum habeas, postmodùm clericalem habitum assumendi. Non sic in apostasiâ à religioso statu: hæc enim consistit in recessu ab obedientiâ, secundùm quòd promissa est; cùm autem sit promissa in perpetuum et per totam vitam, non es censendus ab eâ apostatare simpliciter et absolutè, si animum habeas, limitato tantùm tempore recedendi; sed solùm apostatare ex parte ob dimissionem habitûs; nam cùm hujusmodi habitus in signum ordinis deferatur, eo dimisso, cessat signum absolutè et simpliciter, ut non sit opus in perpetuum dimitti. Ita Castropalao. Verùm hæc responsio videtur obscurior, et instantiam patitur difficulter solubilem. Quare potest negari antecedens cum Chapeauville, cap. 2, de 2 cas. res. q. 1, videlicet perfectum et consummatum apostatam ab ordine esse qui ad tempus deserit habitum clericalem, animo resumendi et redeundi.

47. Ad quartum respondeo: Concedimus quòd à gratiâ et fide simpliciter retrocedant peccator et infidelis, etsi animum habeant redeundi, unus ad fidem, alter ad statum gratiæ. Negamus inde consequens esse, ut, qui recedit à statu religioso, simpliciter et absolutè eumdem deserere censeatur. Ratio disparitatis est quòd fides et gratia sanctificans aut charitas, sint qualitates accidentariæ, quæ sicuti momentis singulis in solidum acquiri seu infundi, sic et amitti seu auferri possunt. Hinc fit ut quicumque ab iisdem recedit per peccatum mortale, vel infidelitatem, recedat adæquatè, atque adeò simpliciter, qualemcumque redeundi vel non redeundi animum habeat; status autem monachalis seu religiosus, naturâ suâ durabilis ac perpetuus est, non consistens in singulis obedientiæ vel religionis actibus; sed in omnibus simul, et in observantiâ regulari, in finem vitæ continuandâ. Proinde statum religiosum adæquatè et simpliciter non dimittit, nisi qui jugum observantiæ regularis pro toto vitæ tempore, saltem animo seu voluntate excutit; atque adeò non est apostata simpliciter et absolutè religiosus, qui vitæ restantis partem unam sub seculo, alteram rursùs sub regulari disciplinâ transigere statuit.

Dubium II. *Quousque septa monasterii deseruisse debeat religiosus, ut censeatur apostata?*

48. Ad hoc dubium aliquando respondimus, et etiamnùm dicimus determinandum id potiùs prudenti judicio quàm generali regulâ. Hoc certum non sufficere qualemcumque exitum vel egressum, v. g., per paucos pedes aut passus, præsertim si exigua sit pariter mora temporis, quâ conventu vel monasterio abest religiosus. Kerckhove n. 12; Bonacina, de Clausurâ, q. 2, puncto 11, n. 1, Bassæus, sup., § 1; Navarrus l. 5 Consil. de Apost., consil. 1, n. 8; Peyrinis, tomo 1, q. 1, cap. 26. Graffius sup. n. 46 et alii. Ratio, quam ex auctoribus allegatis aliquoties dedimus, est quòd ad completam et consummatam apostasiam requiri videatur egressio moralis quæ aliqualem temporis et loci quantitatem exigit.

49. Interim doctrinæ huic, quamvis passim receptæ, difficultatem faciunt exempla quæ sequuntur. 1° Ad incurrendam excommunicationem, decretam in motu proprio Pii V, qui incipit: *Decori et honestati*, sufficit egressio extra septa monasterii vel potiùs clausuræ, etiam physica et ad paucos pedes. Ergo ad incurrendam reservationem expressam decreto Clementis VIII sufficere videtur similis egressio. Probatur consequentia: Sicuti Pius V decernit excommunicationem in moniales illicitè egredientes terminis clausuræ, sic Clemens VIII reservationem

in monachos egredientes terminis seu septis monasterii, animo deserendi, etc.; atqui (ut prædiximus) egreditur monialis clausurâ ad mentem Pontificis et incurrit prædictam excommunicationem, dummodò extra terminos clausuræ constiterit, quantumvis per paucos pedes aut passus; ergo pariter egreditur monachus monasterio ad mentem Pontificis et incurrit prædictam reservationem, dummodò extra septa monasterii cum animo non redeundi constiterit, tametsi per paucos passus aut pedes.

50. Quantùm ad minorem, videlicet quòd monialis incurrat censuram Pianam, quantolibet spatio se receperit extra finem clausuræ, communis sententia est. Bonacina de clausurâ, q. 1, punct. 4, n. 2: Infertur, inquit, monialem, quæ extra januam, clausuræ limites terminantem, ambobus pedibus se transtulit, ream esse prædictarum pœnarum, etiam si receperit se ad illud spatium quod jacet inter clausam monasterii portam, et inter aliam quæ secularibus inservit, idque etsi uno tantùm vel altero palmo, dummodò ambobus pedibus recipiat se extra clausuræ januam et statim redeat; hoc enim pacto clausura violatur, et honestatis ac puritatis periculum incurritur. Ita Bonacina, idem repetens puncto 8, n. 7. In eumdem modum loquuntur Rodericus, Quæst. regul., tom. 1, q. 49, art. 5; Sanchez, l. 6, c. 15, n. 68, et c. 16, n. 70; Lezana, verb. *Clausura*, n. 7; Bassæus, eodem verbo et numero; Castrop., tract. 16, disp. 4, de Voto religiosæ obedientiæ, puncto 9, n. 24; Homobonus, Consult. moral., tom. 1, part. 4, res. 61; Zecchius, de Cas. res., casu 10, n. 1; Lopez, Controv. tom. 1, l. 2, tract. 1, controv. 14, dub. 1, n. 9.

51. Neque ad rem facit differentia quæ allegari posset, nimirùm quòd ad incurrendam reservationem ob peccatum apostasiæ requiratur animus deserendæ religionis, cùm interim ad incurrendam excommunicationem ob violatam clausuram, similis animus necessarius non sit; hæc, inquam, differentia ad rem non facit, quia non afficit egressionem ipsam, sed egredientis intentionem, atque adeò id unum ostendit, quòd ad violandam clausuram indifferens sit qualitas intentionis, non item ad apostasiam.

2. Ad incurrendam excommunicationem à concilio Tridentino, sess. 25, c. 5, latam adversùs ingredientes monasteria monialium, sufficit ingressus qualiscumque, etiam ad unum vel alterum passum aut pedem, ut per similitudinem ex statim dictis doctores nominati inferunt. Cur ergo similiter ad reservatam apostasiam non sufficiat qualiscumque è Monasterio egressus cum animo dimittendi religionem?

52. — 3. Excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt ipso facto mulieres ingredientes virorum monasteria extra casus exceptos, sine distinctione inter ingressum brevem aut longiorem, prout rursùs à simili auctores allegati tradunt.

4. Committunt casum nocturnæ ac furtivæ è monasterio egressionis, qui nocte et clam superiore finibus conventûs exeunt, quantovis spatio tum loci, tum temporis; ergo etiam committunt casum apostasiæ, cum hoc discrimine quòd hæc secùs atque illa connotet animum deserendæ religionis. Antecedens docent Bordonus, Suarez, Lezana et alii communiter apud Kerckhove, cap. 6, § 22, n. 17.

53. Nihilominùs ob hæc aut similia fundamenta non est dimittenda communis doctrina, quæ ad completam et reservatam apostasiam exigit egressionem per spatium morale loci et temporis. Ad objecta respondeo primò: Quod attinet violationem clausuræ monialium per egressum et censuram Pianam desuper incurrendam, non est una omnium theologorum opinio: sunt enim auctorum plurimi qui admittunt in hoc egressu peccatum duntaxat venìale ex parvitate materiæ, adeò ut monialis, per unum, v. g., aut alterum pedem clausurâ egrediens, non incidat in excommunicationem. Barbosa, de Officio et Potest. episc., parte 3, alleg. 102, n. 29; Naldus, Summâ, v. *Clausura*, n. 1; Diana, parte 5, tract. 5, resol. 22, et parte 3, tract. 2, resol. 52; Graffius, decis. p. 1, l. 4, c. 23, n. 25; Merolla, tomo 1, disp. 1, c. 2, diffic. 7, n. 502; Lacroix, l. 1, n. 673, et l. 4, n. 85; Cotonius, l. 4, contr. 7, c. 1, n. 29; saltem si egressus occultus esset, et sine scandalo ac suspicione contempûs, Kerckhove, c. 5, § 8, n. 64; saltem si supponatur parvitas non solùm ex parte loci, verùm etiam temporis Peyrinis, in constit. 6 Pii V, n. 40. Quod autem de egressu monialium è clausurâ, idem de ingressu exterorum in eamdem, et de feminarum in monasteria virorum ingressu tradunt doctores nominati, videlicet ubivis excusare à peccato mortali et censurâ parvitatem materiæ. Vide inter cæteros Peyrinis et Cotonium citatos. Similiter quod attinet casum nocturnæ ac furtivæ è monasterio egressionis, negant auctores varii sufficere egressum qualemcumque per quodvis temporis et loci spatium ad reservationem, ut potest videri apud Kerckhove, c. 6, § 22, n. 17, sed de hoc infra.

54. Respondeo secundò disparitatem esse, quòd in violatione clausuræ prohibeatur et censuretur egressus aut ingressus, qui possit esse occasio ad violandum votum castitatis, seu quo possit periculum fieri pudori et honestati, ut ex pontificum decretis abundè constat. Porrò periculum pudoris et honestatis non exigit admodùm magnam loci aut temporis quantitatem. At in apostasiâ attenditur egressus quo censeatur apostata deserere monasterium et Religionem; ad quod requiritur aliqualis tum mora temporis, tum quantitas progressûs.

ARTICULUS III.

DE CASU TERTIO CLEMENTINO.

Textus. — *Nocturna ac furtiva è monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

55. Hic casus in decreto Pontificis, casui priori jungitur sub n. 2, per modum unius; sed doctores communiter ad vitandam confusionem separatim ponunt. Cæterùm tria potissimùm ad hunc casum requiruntur, ut per se patet: primum, ut egressio sit *nocturna*; secundum, ut sit *furtiva*; tertium, ut fiat *è monaste-*

rio seu conventu, de quibus ordine. Itaque,

DUBIUM PRIMUM. — *An reservetur egressio nocturna et furtiva copulatim, an copulativè?*

56. Sensus dubii est an conjunctio grammaticalis, *et*, connectat implicitè plures orationes perfectas, quemadmodùm in hâc propositione contingit : *Petrus* et *Paulus ambulant;* an verò plures unius extremi partes, ut fit in hâc : *Petrus* et *Paulus sunt duo.* — Respondeo, reservari egressionem nocturnam et furtivam copulatim, non copulativè. Ita omnes casuum expositores, et est certissimum. Aliàs reservata censebitur inprimis quælibet egressio è monasterio nocturna, cùm interim quælibet non solùm non sit graviter peccaminosa, sed aliqua etiam licita, imò obligatoria, puta, quæ ex consensu vel præcepto superioris fieret ad assistendum infirmo aut aliud religionis vel obedientiæ officium. Similiter si conjunctio grammaticalis sumatur copulativè, reservata erit quælibet egressio furtiva, cùm tamen egressio furtiva, sed diurna, sæpissimè venialem culpam non excedat, ut communiter doctores tradunt.

DUBIUM II. — *An reservetur hoc loco egressio nocturna et furtiva, etiam non animo apostatandi facta?*

57. Negat Bordonus apud Kerckhove, n. 20, existimans, sicubi præsens casus reservaretur, et non præcedens, quòd peccatum reservatum non haberet, qui noctu et furtim monasterio egressus esset animo apostatandi; sed manifestè errat : quia illa clausula, *etiam non animo apostatandi facta*, non restringit egressionem, sed ampliat, neque excludit egressionem animo apostatandi factam, sed includit : hæc enim natura est vocis illius *etiam*, ut non solùm in materiâ favorabili, verùm etiam odiosâ, sit amplicativa, id est, significet explicitè quidem casum minùs certum seu dubitabilem, implicitè verò certum et indubitatum. Sic quando l. *Conventicula*, c. de Episc. et Cleric. dicitur : *Conventicula illicita etiam extra ecclesiam in privatis ædibus celebrari prohibemus*, significatur, certò prohiberi conventicula ejusmodi in ecclesiâ, deinde (de quo aliàs dubitari potuisset) etiam extra ecclesiam in privatis ædibus. Simile exemplum habetur l. *Etiam*, ff. de verbor. Signif., et l. *Etiam*, c. *Si tutor vel curator.* Vide, si placeat, Barbosam, de Off. et Pot. episc., part. 3, allegat. 92, n. 12, et de Dictionibus usu freq., dict. 112; Peyrinis, tom. 1 Privileg., in constit. 14 Leonis X; Kerckhove cit.

DUBIUM III. — *Quænam censeatur egressio* nocturna?

58. Respondeo, physicè et strictè loquendo, omnem et solam illam nocturnam esse, quæ contingit nocte, id est, illo diei naturalis spatio, quod inter occasum et ortum solis interjacet : noctem enim constituunt tenebræ, privatio lucis sive umbra terræ, sole obversum nobis hemisphærium decurrente, ut tradit Cicero, 2, de Naturâ Deorum, et constat ex S. Scripturâ, Gen. 1, vers. 4 et 5, ubi dicitur : *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona, et divisit lucem à tenebris; appellavitque lucem diem et tenebras noctem.* Nihilominùs cùm versemur in odiosis, videtur nox paulò strictiùs accipienda, pro eo videlicet tenebrarum spatio, quod inter occasum solis moraliter præteritum, et inter ejusdem ortum moraliter futurum intercedit, sive (ut Cotonius loquitur ex Bordono) quod interest inter serotinum et matutinum crepusculum exclusivè : adeò ut illa non censeatur egressio nocturna, quæ minùs quàm spatio unius, v. g., horæ, vel circiter, solis occasum sequitur, vel minùs quàm eodem circiter spatio, ejusdem ortum antecedit. Ita Petrus Marchant, sup., dub. 3; Kerckhove, n. 14; Notau, n. 65.

59. Hinc sequitur primò, quod egressus furtivus in crepusculo noctis vel diei ad hunc casum non pertineat. Kerchkove, Lezana, Peyrinis, Bassæus, Coriolanus citati cum Bernardino Gandensi in cap. 7, Reg., n. 15.

Sequitur secundò, idem dicendum, si post maturam deliberationem dubitetur, essetne nox, an diluculum, cùm egressio inchoata est. Ratio, quia est dubium facti reservati, nec, stante tali dubio, affirmari potest egressionem fuisse nocturnam, quod requiritur ad reservationem. Imò pro foro exteriori interpretatio benignior præferenda est, tanquàm si talis exitus diurnus fuerit, seu in crepusculo, juxta l. *Si præses*, ff. de Pœnis, l. *Interpretatione*, ff. eod. et regulam juris 49, in 6. Vide Coriolanum et Bassæum citatos.

Sequitur tertiò, splendorem lunæ ad præsentem casum impertinentem esse, quia luna vel splendor ejus nec diem nec noctem facit.

60. Sed difficultas est an reus sit egressionis nocturnæ et casûs reservati, qui vesperi egressus, furtim regreditur nocte. Affirmant Croesers et Bernardinus Gandavensis citati. Ratio eorum est quòd (ut loquuntur) licèt talis egressio non sit nocturna in fieri, sit tamen nocturna in facto esse. Probari potest eadem opinio secundò : Licèt in casu non fiat egressio nocturna formaliter, videtur tamen fieri virtualiter : qui enim vesperi egressus, noctu emanet aut domum redit præter vel contra licentiam superioris, videtur perinde facere, ac si nocte ipsâ egrederetur, atque adeò videtur virtualiter egredi. Confirmatur per similitudinem præcedentis casûs seu apostasiæ, quæ præter animum deserendi institutum Religiosum, exigit pariter egressionem è septis monasterii seu conventûs. Porrò qui cum licentiâ superioris foràs egressus, elapso termino obedientiæ foris manet cum animo non redeundi, est verus apostata, ut docent Kerckhove, Bordonus et alii communiter; atqui tamen non est formaliter egressus monasterio cum animo apostatandi, ut supponitur, sed virtualiter tantùm, quatenùs æquiparantur, contra obedientiam exire monasterio, et non redire.

61. Nihilominùs videtur verior sententia negativa, quam sequuntur Notau, Kerckhove et alii. Primò, quia aliàs sequeretur quòd qui pleno die egressus, rediret nocte vel mane, committeret pariter peccatum reservatum; id tamen, testante Kerckhove, rejiciunt omnes; secundò, si quis vesperi ante noctem vel tenebras egressus, nocte regreditur, rectiùs dicitur, regressionem nocturnam esse, quàm egressionem. Jam verò sola egressio nocturna reservata est. Confirmatur à

simili. Monialis quæ justâ de causâ et cum licentiâ superiorum egreditur clausurâ, v. g., ob magnum incendium, infirmitatem lepræ vel epidemiæ, etc., si, causâ transactâ, statim non redeat, quantumvis peccet indebitè emanendo, non incidit tamen in censuram excommunicationis pontificiæ. Bonacina, de Clausurâ, q. 1, puncto 4, n. 3; Sanchez, 6, cap. 15, n. 70, et plures alii. Ratio autem est quòd censura Pontificis dirigatur in solas illicitè egredientes et earum fautores; porrò inter illicitè egredientes non veniunt, quæ cum licentiâ et justâ causâ egrediuntur, diutiùs, quàm par est, emanentes. Idem est de puellis seu feminis justâ de causâ et licentiâ ingressis monasteria virorum, et tam de viris quàm feminis eodem modo ingressis clausuram monialium, si, finitâ causâ, non exeant. Non videntur, inquam, incurrere censuram latam in indebitè ingredientes, quia propriè loquendo distinguuntur, ingredi et non exire.

62. Ad primum alterius opinionis fundamentum respondeo negando assumptum, videlicet quòd, licèt in casu non sit egressio nocturna in fieri, sit tamen in facto esse, quia (ut insistam iisdem terminis) in fieri non est nocturna, et in facto esse non est egressio; ergo nunquàm egressio nocturna, ut facilè intelligitur exemplo egressûs et ingressûs in clausuram superiùs allegato.

63. Ad secundum respondeo: nego sufficere identitatem virtualem in re pœnali et odiosâ, id quod eodem rursùs exemplo ostendi potest. Deinde quanquàm legere et audire hæresim formaliter distinguantur, videntur nihilominùs coincidere virtualiter, quatenùs hæresis excepta auribus, et conspecta oculis eamdem habet virtutem ad pervertendam fidelium mentem et fidem. Interim juxta sententiam communiorem censura in legentes lata, non afficit legentium auditores.

64. Ad confirmationem respondeo disparitatem esse, quòd apostasia in ipsâ è monasterio egressione essentialiter non consistat, sed in ipsâ monasterii et statûs religiosi desertione; deserere autem aliquid tam absens quàm præsens potest. Consistit itaque apostasia primariò in voluntate et intentione deserendæ religionis; requiritur deinceps per modum conditionis et complementi existentia desertoris extra septa monasterii, per egressum sive præsentem, sive præteritum. Nec refert quòd mentionem egressionis faciat Clemens VIII, in suo decreto: id enim non facit, quasi nulla detur vera apostasia sine præsentaneo egressu, sed quòd passim contingat, ut exeat monasterio, qui deserit religionem; eò quòd monachi soleant in monasteriis esse. Aliud est de casu altero: hic enim principaliter in ipsâ egressione nocturnâ et furtivâ situs est; per hanc specificatur, et à cæteris reservatis distinguitur.

Dubium IV. — *Quænam censeatur egressio* furtiva?

65. Petrus Marchant in c. 7, Reg. tit. 2, q. 1, dub. 3; Bernardinus Gandensis, n. 16; Notau, n. 66; Coriolanus, n. 6; Cotonius, n. 18, confundunt furtivum cum occulto. Vocant autem egressionem occultam, quæ per duos testes probari non potest; adeò ut egressio, quæ fieret pluribus scientibus aut videntibus, non esset furtiva, nisi forsitan essent complices, simul videlicet exeuntes vel egressum alterius suadentes et approbantes, tum enim, inquiunt, censentur una moraliter persona cum egrediente.

Sed rectiùs Suarez, Bassæus, Croesers, Bordonus, Kerckhove, Castropalao, Ascanius Tamburinus, Pevrinis, Lezana, existimant egressionem furtivam esse quæ fit prælato invito et ignorante, seu sine ejus licentiâ, tacitâ vel expressâ. Ratio est quia sicut ad hoc, ut ablatio rei alienæ censeatur furtiva, satis est quòd fiat inscio vel invito domino, etiamsi alii, etiam nullatenùs complices, sint conscii furti; ita censebitur furtiva egressio, quæ fieret inscio vel invito superiore, quantùmvis aliàs non esset occulta.

Hinc sequitur egressionem furtivam fore quæ fieret inscio vel invito superiore, tametsi totâ de cætero vidente communitate; et è converso, non fore furtivam, si superior tacitè vel expressè consentiat, reliquâ communitate ignorante.

66. Petes primò quid dicendum si egressio fieret superiore præsente et reclamante. Respondeo fore peccatum reservatum; ut enim non minuat gravitatem furti præsentia reclamantis domini, quin potiùs de furto facit rapinam; ita præsentia reclamantis superioris augebit potiùs quàm diminuet malitiam furtivæ egressionis. Idem dicendum est, si consensus superioris per vim aut metum extortus sit. Patet in eodem exemplo: consensus domini seu proprietarii per vim aut metum extortus, in suæ rei traditionem, non minuit gravitatem injuriæ, quin potiùs addit circumstantiam violentiæ; ergo consensus superioris in egressionem, eodem modo obtentus non minuet, sed gravabit delictum egredientis. Suarez, Kerckhove, Tamburinus.

67. Dices: In pœnalibus et odiosis non potest fieri extensio de casu in casum ob solam similitudinem seu identitatem rationis, ut sæpissimè diximus et multis exemplis facillimè ostendi potest. Atqui sine simili extensione dici non potest, reservatâ egressione furtivâ, reservari pariter egressionem violentam, seu quæ invito et repugnante superiore fieret: differunt enim egressio furtiva et violenta, sicut furtum et rapina. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dico, egressionem furtivam, non esse casum diversum à violentâ, quod attinet ad malitiam: quia tota egressionis furtivæ malitia continetur formaliter in egressione violentâ; quòd enim furtiva debeat clanculò et inscio superiore fieri, id non tribuit ei malitiam et gravitatem singularem, quam non involvat formaliter egressio violenta. Idem dictum sit de furto et rapinâ: tota, inquam, malitia furti involvitur formaliter in rapinâ; quòd autem furtum fiat inscio, rapina repugnante Domino, nihil facit præterea, quàm quòd rapina præter malitiam furti involvat aliam specialem. Ob hanc causam, quando Clemens VIII, inter casus reservabiles, num. 8, recenset *furtum de rebus monasterii*, reservatur pariter earumdem rerum rapina, ut dicemus infra. Ob eamdem causam si reservaretur

alicubi fornicatio, seu liberorum liber concubitus, non dubitamus, quin pariter reservaretur stuprum, seu liberorum concubitus, ex unâ parte violentus. Aliud est de peccatis malitiæ utrinque disparatæ.

68. Petes secundò, quid si superior spontè quidem consentiat, sed iniquè et contra suum officium, honorem Dei aut religionem? Existimant Suarez, Pellizzarius, Castropalao, egressionem reservatam esse, eò quòd talis licentia sit injusta et nulla, adeòque habenda sit pro non concessâ, et nihil operetur. Sed rectè contradicunt Peyrinis, Kerckhove, Tamburinus, Cotonius, Lezana, et cæteri: quamvis enim talis licentia sit iniqua, nihilominùs licentia est, qualiscumque tandem, sufficiens, ut subditum liberet ab egressu furtivo. In hunc modum, si proprietarius alicui faciat usum vel dominium rei suæ in malum finem, concessio iniqua est; nihilominùs liberat dominum vel usuarium à peccato furti et injustitiæ. Rursùs, ut arguit Peyrinis, si superior pleno die concederet subdito licentiam excundi, v. g., ad furandum, pejerandum aut fornicandum, licentia illa esset quidem iniqua, sed subditus eâdem usus non incurreret culpam aut pœnam apostatæ vel fugitivi.

69. Petes tertiò, quid si superior ipse egrediatur noctu sine justâ causâ, nemine, nisi complice, sciente? Ascanius Tamburinus, n. 20, ait quòd, licèt grave committat facinus, tamen non incidat in casum reservatum, dummodò à superiore majori, talis casus non esset in monasterio, cui præest supradictus prælatus, reservatus, quamvis sit contra regulam et mentem superioris prælati ac totius religionis, contra quorum mentem sunt etiam omnia alia peccata et transgressiones, defectus, inobedientiæ, scandala, peccata cætera, quæ à religiosis committi possunt. Hactenùs Tamburinus. Interim egressionem in casu furtivam, atque adeò reservatam esse, volunt Suarez, Peyrinis, Pellizzarius, Bassæus, Croesers, Notau, Kerckhove: quia licèt superior, v. g., localis, non habeat superiorem præsentem, cujus voluntati egressio ejus repugnet, habet tamen voluntatem prælati altioris vel totius religionis vel provinciæ, in statutis expressam, respectu cujus talis egressio furtiva sit.

Dubium v. — *Quid intelligatur nomine* Monasterii seu Conventûs?

70. Respondeo: Quanquàm monasterium et conventus in ipsis etiam pontificum Bullis sæpissimè confundantur, differunt tamen in rigore loquendo, quòd monasterium sit habitatio monachorum, id est, eorum qui à solitudine claustri, cui se adstrinxerunt, nomen sortiti, et à vitâ et moribus secularium separati, soli insistunt vitæ contemplativæ; conventus verò est habitatio regularium cæterorum. Ita Graffius de Cas. res., casu 2, n. 16 et 17. Nihilominùs, ut prædiximus, confunduntur tum alibi sæpè, tum hoc loco, adeò ut vocula *seu* in decreto Pontificis, juxta naturam suam non disjungat sensum, sed sola verba.

71. Itaque monasterium seu conventus, est domicilium vel habitatio religiosorum regulariter viventium. Tria potissimùm ad ejus naturam requiruntur, clausura, oratorium vel ecclesia, monachorum seu religiosorum regulariter viventium inhabitatio. *Clausura* ea necessaria seu arbitraria superiori. *Oratorium vel ecclesia.* Ita communissimè doctores censent, nullum posse monasterium dari vel extrui, nisi vel intra septa, vel saltem extra, habeat oratorium, id est, parvum sacellum, in quo divinæ preces à regularibus persolvantur. Oratorium autem dicitur ab orando, et in eo distinguitur ab ecclesiâ, quòd sit minus sacellum sive in urbe, sive foris constructum, ad solam orationem, non autem ad docendum populum et sacramenta plebi administranda. Ratio autem est quia, cùm monasteria extruantur ut Deo laudes diù noctuque dentur, hæc autem congruè in oratorio tantùm persolvi queant, hìnc oratorium exigunt. *Religiosorum regulariter viventium inhabitatio;* nam sicuti religiosi non faciunt monasterium sine habitatione, sic nec habitatio sine religiosis regulariter viventibus. Quare Hugo de Dinâ, in cap. 11 Reg. S. Francisci rectè ait: *Monasterium non facit* (sola) *domorum ambitio, sed continua regularium habitatio personarum, ecclesiasticis maximè seu divinis officiis deditarum.* Vide Marchant in c. 11 Reg., et notab. Resol., cas. 21.

72. Hinc colligitur primò, pertinere ad monasterium seu conventum omnia loca quæ monasterii septis sive extremo ambitu continentur; hæc enim omnia religiosi incolunt, accedunt, inhabitant. Castropalao, de Voto relig. obed., disp. 4, punct. 8, n. 7; Rodericus, Quæst. reg., tom. 1, quæst. 46, art. 1; Sanchez, in Præcept. Decal., tom. 2, lib. 6, cap. 17, n. 12; Bonacina, de Claus., q. 5, punct. 1; Barbosa de Off. et Pot. episc., part. 3, alleg., 102, n. 85, et manifestè tradit Nicolaus III, extrav. *Exiit qui seminat*, de verborum Significatione, in 6, dicens, art. 12: *Nomine monasterii volumus, claustrum, domos, officinas interiores intelligi.*

Colligitur secundò, monasterii nomine non venire hortos conventui extrinsecos, sylvas aut rustica religiosorum prædia, ad quæ recreandi animi gratiâ per intervalla accedunt. Sanchez.

73. Colligitur tertiò, eodem nomine non intelligi conventum, qui, et quamdiù ædificatur, et in quo hactenùs non tam habitant fratres causâ monasticæ et regularis vitæ quàm laborifii; tamdiù enim conventus solummodò futurus est. Ita resolvisse congregationem cardinalium anno 1584, testatur Sorbus, verb. *Ingredi monasteria fratrum vel monialium*, in Annot., n. 13, quem citant et sequuntur Coriolanus casu 3, n. 17; Portel, verb. *Monastèrium*, in Addit.; Sanchez, l. 6, c. 17, n. 19; Bonacina citat., quæst. 6, punct. 1, n. 1, et alii; illinc inferentes, quòd, si in tale ædificium introducatur persona sequioris sexûs, non sit locus censuris à Pio V decretis; neque qui eò confugerit, gaudeat azylo seu immunitate Ecclesiæ. Quare si laicus, v. g., faber ferrarius, cæmentarius, etc., ibidem degens pro ejusdem monasterii seu conventûs fabricâ, furtim de nocte exeat, non incidit in casum Clementinum, quia non est egressio *è monasterio seu conventu*

Colligitur quartò monasterium vel conventum non censeri, hospitium recipiendis et reficiendis fratribus

transeuntibus destinatum. Bordonus, Consil. Reg., tom. 1, res. 41, n. 6; Tamburinus, de Jure abb., tom. 3, disp. 5, q. 1, n. 10; Neusser Polyant., disp. 173, n. 29, cum Graffio, Naldo, Riccio, Bariolâ et aliis.

74. Colligitur quartò, nomine monasterii vel conventûs intelligi collegia et residentias, in quibus pauciores quàm duodecim fratres regulariter vivunt, cum clausurâ, oratorio publico et superiore, quem vocant Vicarium in capite. Portel, v. *Monasterium*. Addit., n. 1, Kerckhove, c. 7, § 8, n. 10. Idem docet Sanchez, sup., n. 20, de Residentiis societatis, nimirùm si sint perpetuæ, in quibus omninò in collegii formâ vivitur et habetur ecclesia cum Eucharistiâ. Idem existimat Portel citatus, de domicilio trium vel duorum fratrum cum confessario monialium, qui sit illorum superior, idque etiamsi oratorium vel particularem ecclesiam fratres non habeant; sed utantur ecclesiâ monialium. Interim aliud videtur dicendum si quæ ex supra dictis conditionibus defuerit, nimirùm aut clausura, aut ecclesia propria vel aliena, aut superior.

Dubium VI. — *Quousque debeat processisse religiosus, ut censeatur egressus* è monasterio seu conventu?

75. Laurentius de Peyrinis, tomo 2, de Præl., q. 3, c. 2, § 1, n. 40; Ascanius Tamburinus, de Jure abbat., tomo 2, disp. 13, quæsito 2, n. 21; Franciscus Bonæspei, tomo 6, tract. 5, disp. 10, dub. 6, resol. 2, n. 56, censent satis esse ad reservatam egressionem quòd religiosus transgressus sit januas quibus fratrum dormitoria, etc., claudi solent, nec esse necessarium, ut exeat monasterii seu conventûs septis. Debet egressio, inquit Peyrinis cit., esse extra monasterium, id est, extra portas claudentes dormitoria fratrum; nec est necesse, ut sit extra septa monasterii, ut declaratum est in præcedenti casu; nam Papa facit differentiam in egressu facto animo apostatandi, et in hoc nocturno absque tali animo; nam ibi dicit: *Quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii fiat egressio*: septa autem includunt hortos, etc. At in istâ nocturnâ egressione non dicit: *Extra septa monasterii;* sed solùm: furtiva egressio *è monasterio*. Cùm ergo quis egreditur extra portas claudentes monasterium de nocte, dicitur egredi de monasterio. Ita Peyrinis, deinceps inferens juvenes casui reservato implicari, qui per similes portas nocte pergunt in hortum ad decutiendum poma vel nuces. Videntur, inquit, incidere in hunc casum juvenes qui de nocte descendunt per scalas in hortum vel etiam per portam ad furandum fructus.

76. In eumdem ferè modum loquitur Tamburinus cit. dicens: Advertendum est circa hujusmodi egressionem quòd debeat esse extra monasterium, id est, extra portas claudentes dormitoria religiosorum; neque necessarium est, ut sit extra septa monasterii; quia constitutio supradicta Clementis VIII, distinguit inter egressum factum animo apostatandi, et inter nocturnam egressionem absque tali animo apostatandi: in hâc autem egressione nocturnâ non dicit: *Extra septa monasterii*, sed, *è monasterio*: ex quo sequitur, quòd cùm quis egreditur extra portas claudentes monasterium tempore nocturno, dicitur egredi de monasterio; quia magis videtur restricta talis egressio nocturna, in hoc tertio casu prohibenda et reservanda, quàm superior egressio reservanda in secundo casu. Hactenùs Tamburinus, approbans deinceps et adducens illud superiùs expressum corollarium de juvenibus. Bonæspei autem: « Secundus, « inquit, casus nocturnæ egressionis, etc., incurritur, « quotiescumque religiosus deliberato animo furtivè... « extra monasterium (id est, extra portas claudentes « monasterium, prout à septis suis distinguitur, uti « ex eo patet, quòd Pontifex in hoc casu distinguat « monasterium à septis ejus, de quibus primo casu) « egreditur. » Ita ille.

77. Aliter loquuntur Fagundez in secundum Ecclesiæ præceptum, lib. 8, c. 5, n. 23; Petrus Marchant, cap. 7 Reg., tit. 2, dub. 3; Bernardinus Gandensis, sup. n. 15; Bassæus, cit. § 3; Kerckove, cap. 6, § 22, n. 19; Notau, n. 65, volentes per monasterium, quo debeat religiosus furtim et nocte egressus esse ad incurrendum casum reservatum, intelligi ipsa monasterii septa seu ultimum ambitum; quidquid enim intra septa continetur, monasterii seu conventûs nomine appellatur; nec monasterio rectè dicitur exivisse, qui è dormitorio vel aliâ domûs aut ædificii parte descendit in hortum vel quemlibet quovis nomine appellatum locum, conventui incorporatum, maximè si in eumdem liceat religiosis sine expressâ superioris licentiâ, diurna deambulatio. Imò etsi hæc aut uni aut omnibus religiosis ob rationabilem causam interdicta foret, quamdiù locus est monasterii, tamdiù in eodem loco deambulatio non potest esse egressio è monasterio, quanquàm in supposito statim facto peccari possit contra obedientiam. Exemplum: Secularis non dicitur, non esse domi aut domo exivisse, si solo ædificio egressus, perrexerit in hortum suum, domui connexum et contiguum.

78. Ad fundamentum principale oppositum respondeo: Fateor quòd Pontifex ad casum præcedentem exigat ut fiat egressio *extra septa monasterii*, ad modernum solummodò, ut fiat *è monasterio;* sed quis nesciat rem eamdem diversis nominibus appellari posse, sive dicam: *Petrus suâ domo egressus est*, sive dicam: *Exivit januâ suæ domûs?* idem dico diversis terminis. Sic Pontifex monasterii septa (de quibus casu præcedenti) confundit cum monasterio, de quo hìc.

Dices: Sed equidem in rigore loquendo monasterium non complectitur, nisi ædificium, id est, ecclesiam, dormitorium et ambitum, non verò hortos adjacentes, etc. — Respondeo negando assumptum. Monasterium propriè est totus ille locus in quo monachi degunt ac vivunt separati à secularibus. Constat (ut interim taceamus cætera) ex iis quæ passim expositores tradunt in cap. 11 Regulæ nostræ, ad hæc verba: *Et ne ingrediantur monasteria monacharum;* ubi *nomine monasterii* (ait Nicolaus III, cap

Exiit, de verb. Significat., in 6) *volumus claustrum, domos et officinas interiores intelligi*. In quem locum Petrus Marchant, in omni praxi versatissimus, quærit quæ censeri debeant officinæ interiores ; respondet autem, apud religiosas seu moniales inclusas illa omnia loca pertinere ad officinas interiores, quæ sorores communiter accedere possunt, sive in quibus communiter solent conversari. Unde horti, oratorium, pistrina, braxatoria et alia loca ad officinas interiores pertinent.

79. Coriolanus, quem varii sequuntur, parte 2, casu 3, n. 7, mediam init viam, aitque egressionem è septis monasterii ad reservationem non requiri in illis religionibus et monasteriis in quibus ante septa monasterii finitur clausura. Apud aliquos religiosos, inquit, maximè apud nos capucinos, receptum est, ut clausura se extendat per totum hortum clausum ; unde sepes hortorum apud nos faciunt clausuram. Ubi ergo muri conventûs tantùm recepti sunt pro clausurâ, extra tales muros egrediens furtivè de nocte, incidit in hunc casum. Ubi verò sepes hortorum faciunt clausuram, non sufficit egressio à muris conventûs; sed necesse est, ut egressio fiat etiam extra sepes : alioquin si quis exiret muros conventûs de nocte, et quando esset in horto, nollet ampliùs egredi foràs, existimo, quòd non incideret in hunc casum. Hactenùs Coriolanus.

Dubium vii. — *An egressus furtivus et nocturnus possit venialis esse ex parvitate materiæ?*

80. Casus est, v. g., si religiosus tempore æstatis ad refrigerationem nocte descendat in fluvium, septis monasterii contiguum ; quæritur, an similis egressus per horam vel dimidiam durans, à peccato mortali et reservato excusari possit ob parvitatem materiæ. Aliqui, apud Kerckhove n. 17, respondent affirmativè ex illâ communi regulâ, quòd materiæ parvitas à mortali excuset. Aliter loquitur Bordonus, Consil. Regul., resol. 42, n. 7 et 10, quem citant Kerckhove et Bassæus, § 3. In religionibus reformatis, inquit, ubi clausura strictè servatur, egressio furtiva nocturna ordinariè est peccatum mortale, sic ut neque semihora, neque quadrans à mortali excuset. Et ratio est, addit Kerckhove, tum quia talis exitus de nocte variis scandalis subjectus est in grave præjudicium statûs religiosi ; tum quia delicta de nocte committentes, graviùs puniuntur quàm qui de die delinquunt. Non tamen est omninò certum talem modicum egressum esse casum reservatum. Ita Kerckhove.

81. Suarez autem, tom. 4, de Relig., lib. 1, cap. 6, n. 7 : Censeo, inquit, esse gravem materiam hujus transgressionis (loquitur de obligatione clausuræ) quemcumque nocturnum exitum furtivum et sine licentiâ, etiamsi aliàs ex fine non sit ad peccandum mortaliter ; quia reverà est nimis contrarius decentiæ et custodiæ religiosæ, et eosdem effectus scandali et infamiæ per se loquendo secum trahit. Et hoc clarè supponit Clemens VIII, in Decreto de Casibus reservatis religiosorum : nam tertius est, *nocturna ac furtiva è Monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta ;* cùm enim non reservetur, nisi peccata mortalia, supponit manifestè talem esse illum egressum, non tantùm ex fine extrinseco, hic enim accidentarius est, sed ex objecto. Hactenùs Suarez.

Dubium viii. — *An in casum præsentem incidat religiosus, qui titulo iniqui gravaminis fugit è monasterio, inscio vel invito superiore?*

82. Non loquimur de illis religionibus in quibus aliter provisum est incommodo gravaminis injusti. De cæteris censet Navarrus, Comment. 3, de Regular., num. 51, posse religiosum id tutâ conscientiâ facere nec reputari desertorem religionis, dummodò id faciat, alium superiorem adeundi gratiâ, cujus auctoritate ab iniquâ oppressione liberetur, ex Bald. c. *Ad nostram*, de Appellat. Ratio, quia jus habet se defendendi : et eo ipso, quo egreditur, ut causâ profugii alium superiorem adeat, hunc tacitè appellare censetur. Idem docent Aragon, 2-2., q. 69, art. 3 ; Rodericus, Quæst. Regul., tom. 1, quæst. 30, art. 3 et 4 ; Azorius, tom. 1, lib. 12, quæst. 7 et 8 ; Sayrus in clavi regiâ, lib. 12, cap. 17, n. 40 ; Coriolanus de Cas. reserv., part. 2, cas. 3, n. 19, et cas. 5, de Jud. reg., § 10, n. 27 ; Bonacina, de Clausurâ, quæst. 2, puncto 11, § 1, n. 9 ; Sanchez, in præcepta Decalogi, tom. 2, lib. 6, cap. 8, n. 102 ; Fagundez in quinque Ecclesiæ præcepta, præc. 2, lib. 8, cap. 5, n. 12 ; Peyrinis, de Subdito religioso, t. 1, q. 1, c. 20 ; Barbosa, in Collectan. ad concil. Trid., sess. 25, de Regular., cap. 4, n. 10.

83. Quòd si objicias concilium Trid. cit., respondet Navarrus sup. et comment. 2, de Regular., num. 61, solummodò præcipere concilium, ne religiosus exeat è monasterio sine justâ causâ ; præsertim cùm juxta Glossam in cap. *Cùm Pastoris*, 2, q. 7, consensus ab eo petendus non sit, qui iniquè vexat, vel cujus culpam corrigendam et emendandam curamus, eò quòd contra leges et jura vexet. Item Aragon cum multis aliis asserit, concilium Tridentinum in præsenti intelligi de illo, qui superiorem adit non ex aliquâ gravi, sed levi aut levissimâ causâ, explicans opinionem Bannez contrarium sentientis, in 2-2, q. 12, art. 1, quando ex tali fugâ ad superiorem sequeretur scandalum et magna perturbatio religionis propter ignorantiam causæ, quâ similis religiosus movetur ad talem fugam seu discessum.

84. Cæterùm Azorius et Coriolanus supra citati monent, reflectenda esse verba concilii Tridentini sup. dicentis : *Nec liceat Regularibus à suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinario locorum tanquàm desertor sui instituti puniatur.* Ita concil. Trid. Sixtus autem V, constitutione, quæ incipit, *Cùm de omnibus ecclesiasticis ordinibus*, editâ 1587, districtè præcipit ut regulares de unâ provinciâ ad aliam sui ordinis transeuntes, superiorum licentiam secum deferant ; alioqui hospitio recipi nequeant, et possint ab ordinariis locorum, ut suspecti desertores sui instituti, capi et in carcerem mitti.

Unde prædicta Navarri et aliorum opinio non videtur habere locum, nisi quando certò et evidenter constaret, religiosum à suo superiore iniquè contra fas et jus omne vexari, nec aliud habere remedium, nisi à monasterio recedendo, superiorem altiorem adierit, ut se apud illum tueri possit, quatenùs jure naturali permissum est. Ita ferè Azorius et Coriolanus citati.

ARTICULUS IV.

DE CASU QUARTO CLEMENTINO.

Textus. — *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

85. Dicitur primò : *Proprietas*, id est, actus aut exercitium juris vel dominii. Unde proprietarius est, qui rem quampiam tanquàm sibi jure debitam, seu more domini accipit, retinet vel usurpat. Quare non reservatur omne peccatum mortale contra paupertatem, sed illud solùm, quod proprietatem continet. Pro quo notandum, peccari posse, etiam graviter contra religiosam paupertatem per usum excessivum rerum pretiosarum, ut ex communi docet Kerckhove, n. 27, quo casu, si habeat licentiam superioris, non peccat subditus peccato proprietatis.

Dicitur secundò : *Contra votum paupertatis :* non enim omnis proprietas peccatum est, uti nec omnis libido ; sed illa solùm quæ alicui per votum aut per legem interdicta est. Porrò votum paupertatis religiosæ obligat, non solùm ut nullâ re utatur religiosus, inscio vel invito superiore ; verùm etiam, ut rebus per superiorem concessis utatur moderatè et sine notabili excessu.

Dicitur tertiò : *Quæ sit peccatum mortale :* non enim omnis proprietas mortalis est ; cur namque, ut in voto jejunii, obedientiæ, recitandi rosarii, imò in ipso Decalogi præcepto : *Non furtum facies*, dari potest peccatum veniale ex levitate materiæ, sic pariter nequeat in voto religiosæ paupertatis? Sed restant de præsenti casu dubia plurima, suo ordine resolvenda.

Dubium primum. — *Quale peccatum sit proprietas religiosi?*

86. Respondeo primò : Proprietas est peccatum sacrilegii ratione violati voti paupertatis ; secundò, ordinariè proprietas est insuper peccatum injustitiæ, utpote usus rei alienæ, invito rationabiliter domino, vel Romano Pontifice, ut in nostrâ religione, vel monasterio, ut in religionibus cæteris, dominium in communi possidentibus. Diximus : *Ordinariè ;* si enim religiosus clam superiore aliquid ab extraneo accipiat et abscondat, cujus interim dominium idem extraneus à se non abdicet, peccabit sacrilegio, non injustitiâ. Lessius, l. 2, c. 41, dub. 9, n. 8 ; Herincx, tract. 4, disp. 5, q. 9, n. 85 ; Corduba, Summâ, q. 109 ; Navar., lib. de Restit., cap. 4, punct. 3, dub. 3, n. 182 ; Sayrus, Clav. reg., l. 9, c. 16, n. 21 ; Sanchez, l. 7 Summæ, cap. 19, n. 55, et c. 20, n. 7 et seq.

È contrario affirmat Sanchez cit. c. 20, n. 10, et accedit Suarez, de Religione, l. 8, c. 11, n. 15, religiosum peccare posse contra justitiam, absque eo quòd peccet contra paupertatem, ut si à secularibus furetur aliquid, non sibi retinendum, sed tradendum monasterio, aut si alienum contra domini voluntatem destruat : quia in similibus actionibus nihil sibi usurpat. Idem erit, si ex voluntate seu consensu superioris rem furto ablatam retineret. Peccaret (inquiunt Sanchez et Suarez) contra justitiam, non contra paupertatem, quia non proprio, sed alieno nomine rem usurparet.

87. At hæc opinio difficilis est intellectu, quia paupertatis violationem constituit rei temporalis usus et administratio absque licentiâ legitimâ superioris ; sed auferens rem alienam, ut monasterio tradat, cui non potest tradere, usurpat alienum, eoque utitur sine vero ac legitimo consensu superioris ; ergo peccat contra votum paupertatis. Nec excusatur si monasterio tradat, quia traditio invalida est, sicut foret, si taliter seculari fieret. Sed neque à peccato proprietatis eximitur per consensum superioris ; hic enim invalidus et iniquus est, atque adeò nullius roboris, quia non potest validè consentire superior, ut usurpet subditus quod ipse nequit administrare. Deinde rei alienæ dissipatio contra domini rationabiliter inviti voluntatem, repugnat pariter paupertati : potissimùm enim veræ proprietatis seu dominii exercitium consistit in rei consumptione. Ita Valentia, 2-2, disp. 10, q. 4, puncto 3 ; Lessius, lib. 2, c. 41, dub. 9, n. 79 ; Castropalao, tract. 16, disp. 3, puncto 20, n. 4.

Dubium ii. — *In quibus potissimùm actionibus consistat vitium proprietatis?*

88. Respondeo, in acceptione, retentione aut usu alicujus rei, sine licentiâ superioris. Suarez, tomo 3, de Rel., lib. 8, cap. 10, n. 4. Castropalao, puncto 21 ; Cotonius, n. 21 ; Bassæus, § 4 ; Fagundez, c. 6, n. 1, Peyrinis, tomo 1, de Subdito, quæst. 2, c. 2 ; Sylvius, Supplem., q. 20, art. 2, quæsito 2 ; Coriolanus, parte 2, casu 4, n. 5 ; Croesers, lect. paræn. 14, in c. 7 Reg., initio ; Kerckhove, n. 21 ; Marchant, dub. 4 ; Notau, n. 71.

Ratio est quia (ut Suarez citatus innuit) triplex est genus actionum in quo quis se gerere potest tanquàm dominus aut proprietarius bonorum temporalium, videlicet primò in acquisitione seu acceptione eorum : hoc enim est primum quod ad dominium requiritur, quatenùs traditione et acceptione dominia rerum transferri de uno in alterum solent. Secundò, in retentione seu conservatione : hæc enim dominii proprietas est. Tertiò, in dispensatione, consumptione seu usu ; nam in illis consistit dominii seu proprietatis exercitium. Sed explicanda est paulò ampliùs responsio à nobis data.

89. Itaque dicitur primò vitium seu peccatum proprietatis consistere in *acceptione ;* hæc enim (ut statim ex Suarezio diximus) est initium dominii, seu modus et medium acquirendi dominii vel proprietatis, atque adeò (si quidem fiat contra vel citra consensum superioris) repugnans paupertati religiosæ, quæ est omnium temporalium à voluntate superioris independentium voluntaria abdicatio ; quemadmodùm enim per votum obedientiæ religiosus omnes actiones suas vo-

luntati superioris subjicit, ita per votum paupertatis omnem temporalium usum arbitrio superioris submittit. Navarrus, Comment. 2, de Reg.; Sanchez, l. 7, in Decal., c. 18, n. 25; Lezana, tomo 1, cap. 6, n. 3. Quamobrem Innocentius III, c. *Cùm ad monasterium*, de Statu Monachorum, cùm statuisset *ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat*, statim concludit: *Unde si alicui fuerit aliquid specialiter destinatum, non præsumat, illud accipere, sed abbati, vel priori, vel cellario assignetur;* quasi diceret quòd accipere aliquid sine facultate abbatis, sit actus proprietatis, monachis interdictus. Ob eamdem causam primi illi ordinum religiosorum fundatores Basilius, Augustinus, Benedictus, etc., cùm aiunt, proprietatem non esse licitam monacho, statim declarant, prohibitam esse cujusvis rei acceptionem, contra prælati voluntatem. *Certum est* (ait S. Augustinus in primâ regulâ, c. 4, et habetur c. *Non dicatis*, 12, q. 1,) *eos* (monachos) *nihil habere, possidere, dare et accipere debere sine superioris licentiâ.*

90. Hinc sequitur primò quòd religiosus nullam donationem sive ab extraneo, sive à domestico acceptare possit, invito prælato. Sequitur secundò sine vitio proprietatis non posse sibi usurpare quidpiam eorum quæ ad monasterium pertinent, citra consensum superioris: cùm enim nihil illorum sit ipsius, sed communitatis, cujus loco superior omnia administrat, non potest invito superiore quidquam sibi usurpare quin committat furtum, usurpans rem alienam invito administratore qui est loco domini, et consequenter peccet contra votum paupertatis: omne enim furtum in religioso, est contra votum, et prout est mortale vel veniale in ratione furti, ita etiam in ratione sacrilegii, cùm eadem sit utriusque materia, ut dicetur infra. Deindè usurpat rem tanquàm proprietarius, quia absquè dependentiâ à superiore.

91. Dicitur secundò *retentione* seu possessione: hæc enim si extra consensum superioris fiat, sine dubio est actus affectatæ proprietatis: nam qui rei alicui insistit, qui aliquid retinet aut possidet independenter ab alterius voluntate, non alieno, sed proprio nomine possidere convincitur, quod est agere proprietarium. Quare Alexander III, in concilio Lateranensi, cap. 10, (et refertur c. *Monachi*, de Statu Monachorum) districtè prohibet ne Monachi peculium habeant seu possideant, *nisi ab abbate fuerit pro injunctâ administratione permissum*, et in transgressores decernit gravissimam pœnam, ut nimirùm, si non resipiscant, arceantur à communione altaris, et, si in eo statu moriantur, careant suffragiis et ecclesiasticâ sepulturâ. Item Innocentius III, c. *Cùm ad Monasterium*, eod., statuit ut monachus, qui proprium habet, è monasterio expellatur; si in eodem statu decesserit, *extra monasterium in sterquiliniò subterretur.* Item c. *Non dicatis*, cit., eodem modo prohibentur *habere, possidere, dare* et *accipere* sine venià superioris.

92. Similiter concilium Tridentinum, sess. 25, c. 2: *Nemini regularium* (inquit) *tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquàm propria, aut etiam nomine conventûs possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.* Hinc sequitur primò, proprietarium esse saltem in affectu, religiosum, qui rem aliquam de consensu superioris habet aut retinet eâ animi affectione, ut non sit paratus exui possessione et usu ejusdem rei, si ita videretur superiori. Sequitur secundò non posse religiosum quidquam abscondere, ut illud subducat liberæ dispositioni superiorum, nec disponenti resistere aut contradicere: hæc enim et similia jus ac dominium seu proprietatem supponunt, saltem in affectu operantis. Quare (ut loquitur Lessius, l. 2, c. 41, dub. 9, n. 78) semper judicatum fuit, in his aut similibus involvi culpam proprietatis. Colligitur ex cap. *Cùm ad Monasterium*; et cap. *Super quodam*, de Statu monachorum, ubi Joannes Andreas, archidiaconus, et alii doctores notant, *proprium* dici, quidquid monachus prælatum celat aut contra ejus voluntatem facit. Nihilominùs ut in hoc puncto distinctiùs procedatur, observandum est, variis modis aut rationibus contingere posse, ut subditus rem aliquam superiori occultam teneat seu possideat.

93. Primò potest fieri quòd res aliqua sive ad monasterium, sive ad extraneum pertinens accipiatur ab initio sine ullo superioris consensu, et in eumdem modum clam superiore deinceps detineatur. Hoc casu certum est, committi vitium proprietatis, grave vel leve juxta materiæ proportionem, non solùm accipiendo, sed etiam retinendo. Secundò, potest contingere, ut à principio res sit accepta sine licentiâ expressâ, sed nihilominùs licentiâ tacitâ vel præsumptâ, atque adeò sine gravi peccato. Hoc casu si res accepta occultetur superiori, ne illam auferat vel auferre possit, iterùm sine dubio committetur proprietas; quia religiosus in casu affectat independentiam à nutu superioris, nec præsumpta illius licentia jam aliquid operabitur, cùm religiosus ita sit affectus animo, ut rem retinere velit, etiam nolente forsitan vel auferre volente superiore.

94. Si verò rem dè præsumptâ superioris licentiâ acceptam, idcircò subditus occultet superiori, ne de modo acceptionis increpetur, paratus eamdem deserere, si prælatus juberet, non est adeò manifestum, committi proprietatem; nihilominùs etiam istâ occultatione, tanquàm periculosâ abstinendum esse monet Suarez, tom. 3, de Relig., l. 8, c. 12, n. 5. Tertiò potest fieri, ut initio res quæpiam accepta et possessa fuerit cum expressâ licentiâ superioris; progressu autem temporis occultetur, ne possit et contingat auferri. In hoc casu dubitari potest, an id sufficiat ad proprietatem. Ratio autem dubitandi est, quia religiosus in casu nunquàm possidet rem illam ut propriam seu nomine proprio, sed semper alieno: licentia enim priùs data semper durat, et in vim illius continuatur rei possessio. Nec videtur sufficere timor vel præsumptio religiosi, suspicantis, rem suam probabiliùs auferendam, si eam prælatus viderit vel invenerit: nam illa præsumptio non est sufficiens, ut revocata censeatur

licentia priùs data; nec paupertati repugnare videtur occultatio alicujus rei, eo duntaxat fine instituta, ne rei ejusdem visus occasionalis excitet superioris voluntatem ad variandam priorem intentionem.

95. Interim respondeo cum sententiâ communi doctorum apud Suarez cit., si occultatio sit absoluta, ita ut res possessa omninò lateat, paupertati religiosæ contrariam esse, et retentionem antea licitam, istâ occultatione proprietariam effici. Ratio est, quia per occultationem illam fit, ut cesset effectus licentiæ priùs datæ : jam enim non retinetur res in vim illius licentiæ, sed ex proprio arbitrio, 1° quia illa licentia non fuit concessa ad rem tenendam vel conservandam proprietario modo, qualis in proposito futurus est, in quantum superior privabitur potestate, de re eâdem disponendi per ablationem; 2° quia per illam occultationem religiosus, quantùm in se est, licentiam priorem facit irrevocabilem : licentia verò irrevocabilis in hâc materiâ est iniqua et nulla, quia repugnans paupertati : quod enim ita habetur, ut ab alio non possit repeti, habetur tanquàm proprium etiamsi ex alterius voluntate à principio possessum fuerit. Vide Suarez citatum.

96. Dicitur tertiò, vitium proprietatis consistere in *usu*, consumptione, dispositione, alienatione, etc. Ratio autem superiùs indicata, est manifesta; quia hæc omnia, si fiant citra vel contra prælati consensum, continent dominii vel proprietatis exercitium : principalius enim dominii exercitium consistit in rei usu, consumptione, destructione, alienatione. Jam verò paupertas religiosa excludit dominium; ergo multò magis ejusdem exercitium; habent enim se dominium, et ejus exercitium, tanquàm actus primus, et secundus : cui autem actus primus dominii, seu ipsa disponendi proprio nomine facultas interdicta est, non potest permissa esse ipsa in actu secundo dispositio. Fieri absolutè potest, ut alicui interdicatur usus, permisso dominio; sed prohibito dominio, licere ejus exercitium, involvit speciem repugnantiæ. Hinc sequitur primò, non posse religiosum, quidquam alienare per donationem, venditionem, commutationem, nisi de consensu superioris : si contra fecerit, erit proprietarius. Sequitur secundò, non posse absque facultate superioris, mutuò vel commodatò donare quidpiam eorum, quæ ad suum usum concessa sunt. Ratio est, quia solummodò est usuarius, habens simplicem usum facti (ut ait Nicolaus III, Extravagante, *Exiit qui seminat*), idque precariò, quamdiù videbitur superiori.

97. Jam verò usuarius non potest alteri concedere usum rei : hoc enim est usufructuarii, ut habetur Institut. *de Usu et habitat.*, § 1 et 2. In rebus tamen parvis et crebrò occurrentibus censetur esse facultas tacita vel generalis, saltem ad breve tempus. Sequitur tertiò, monachum, qui rerum aliquarum est dispensator, non posse eas distribuere pro arbitrio suo, sed solummodò juxta præceptum et mentem superioris, ita ut neque alia, neque plura vel pauciora, neque peiora vel meliora concedere possit, quàm novit velle superiorem : quâ parte enim recedit à mente superioris, incurrit vitium proprietatis; nam ita dispensat, quasi esset dominus et ab alterius arbitrio non penderet. Sequitur quartò, non posse expendere in res illicitas aut vanas. Ratio est, quia jura et canones non concedunt administrationem regularibus, nisi ad res necessarias, utiles aut honestas : prohibent autem ad vanas et illicitas : atqui non habent majorem facultatem, quàm jura eis concedant, nec superior potest ali quid contra jura concedere.

98. Unde peccat regularis contra votum paupertatis, si in hujusmodi expendat, v. g., si in turpia, in vestes sericas, in sumptuosa convivia, canes venaticos, falcones, equos generosos, vanas picturas, lectisternia, etc. Vide *Clement.* 1, *de Statu monachorum.* Sequitur quintò, religiosum in rerum sibi permissarum usu teneri ad eam diligentiam, ad quam tenetur usuarius, qui precariò utitur; unde tenetur vitare culpam latam, quam quilibet cavere debet, qui quidquam precariò possidet, l. *Quæsitum est*, § *Eum quoque*, ff. de Precario. Itaque si res in usum concessa, ipsius negligentiâ pereat vel deterior fiat, peccat contra justitiam et consequenter contra obligationem voti. Confirmatur : quia, si dolo illam destrueret vel deteriorem redderet, peccaret contra votum; ergo etiam si ex culpâ latâ : nam hæc ad eamdem speciem pertinent, et culpa lata dolo æquiparatur.

99. Dicitur quartò, *alicujus rei*, temporaneæ scilicet et pretio seu pecuniâ æstimabilis. Ita omnes doctores. Hinc deducitur primò, ad peccatum proprietatis perinde esse, sive res, quam suo nomine accipit, possidet vel alienat religiosus, sit pecunia numerata, sive aliud à pecuniâ diversum, et hoc rursùs sive mobile, sive immobile, sive permanens, sive uno actu consumibile, sive pertinens ad monasterium sive ad extraneum. Deducitur secundò, religiosum vi suæ professionis non privari dominio vel proprietate bonorum ac jurium spiritualium. Quare habet dominium juris ad famam et honorem, potestque nomine proprio postulare eorum reparationem, si injustè lædantur. Item non peccabit contra paupertatem, si sine licentiâ recipiat dignitatem ecclesiasticam, v. g., jus excommunicandi, absolvendi, eligendi, præsentandi, confirmandi, instituendi; quia hæc non sunt pecuniâ æstimabilia.

100. Item regulares beneficiarii habent dominium aut quasi dominium et possessionem suorum beneficiorum, et possunt agere nomine proprio ad eorum dominium retinendum aut recuperandum. Item religiosus agere potest nomine proprio super jure eligendi, sibi competente, super jure alimentorum, etc., quorum omnium ratio allegata est, quia religiosus per suam professionem ejusmodi bonis aut juribus non renuntiat, sed tantùm bonis temporanеis, externis, pretio seu pecuniâ æstimatis, ut tradunt S. Thomas, 2-2, q. 186, art. 7, ad 4; Navarrus, Comment. 2, n. 2, de Regularibus; Miranda, tom. 1; Manualis, q. 28, art. 1; Cajetanus in S. Thom. sup.; Lessius, l. 2, c. 4, dub. 5, num. 26; Sanchez, in Decal. l. 7,

c. 18, n. 25, et c. 19, n. 58; Bassæus, verb. *Paupertas religiosa*, n. 1; Lezana, tom. 1, c. 6, n. 4; Rodriguez, tom. 3, q. 29, art. 4. Deducitur tertiò, religiosum esse dominum partuum intellectûs, ut sunt lectiones, conciones, aut alia ejusmodi propriæ manûs scripta : hæc, inquam, censentur esse religiosi, quamdiù vivit, nec transeunt in bona monasterii, atque adeò possunt à religioso possessore distribui, donari, alienari, de loco in locum tranferri sine vitio proprietatis.

101. Sic declaravit Clemens VIII, dicens constitutionem suam *De largitione munerum*, religiosis interdictâ, ad similia non extendi. Coriolanus, part. 2, casu 8, n. 19; Petrus Marchant, Tribunal. Sacram., tom. 3, part. 2, tract. 11, tit. 1, digr. quæst. 3; Diana, p. 1, tract. 4, resol. 25; Homobonus, Exam. eccles., p. 1, tract. 7, c. 22, q. 100; Joannes Valerus, verb. *Munera*, n. 106, et verb. *Regul.* dif. 8, n. 2. Quare etsi justâ de causâ possit talis religiosus virtute obedientiæ prohiberi ne sua scripta alienet vel tradat alteri, si tamen tradiderit, in casum proprietatis non incurret, sed, supposito ex parte superioris motivo rationabili prohibendi, peccabit contra obedientiam. Dixi, *quamdiù vivit* : si enim ante mortem ea non distribuerit, incorporata censentur monasterio seu conventui, nec licet jam alteri eadem usurpare, dare vel alienare sine legitimâ potestate. Quod notandum est ob libros manuscriptos, continentes tractatus insignes theologicos, concionum, historiarum, multo pretio ob sapientiam et industriam æstimabiles, qui post auctorum mortem censentur relicti et incorporati religioni vel conventibus, et eorum dispositio penes religionem manet; unde nec à particularibus absque licentiâ usurpari possunt, nec absque furto distrahi. Ita Marchant citatus.

102. Dicitur quintò, *sine licentiâ superioris*, mediati scilicet vel immediati, quia in eo consistit ratio paupertatis religiosæ, quòd quis rebus temporaneis moderatè et precariò utatur. Quare religiosus, qui re quâpiam independenter à voluntate superioris mediati vel immediati utitur, convincitur id facere arrogato quodam ac prætenso jure, quod est agere proprietarium. Et vel hinc patet inutilem esse reflexionem Joannis à Trinitate, expos. Cas. reserv. fol. 111, videlicet quòd, quamvis actus detentionis vel consumptionis, sine licentiâ superioris facti, communiter vocentur proprietarii, non sint tamen reverà tales, sed per similitudinem tantùm, eò quòd religiosus per suam professionem sit incapax proprietatis ac dominii, atque adeò reverà nullius rei proprietarius esse possit; hæc, inquam, reflexio non est moralis, sed philosophica, atque adeò inutilis in hâc materiâ : in eo enim ipso consistit ratio et malitia reservatæ proprietatis, quòd religiosus, qui ex voto suo proprietatem habere non potest, eamdem nihilominùs affectet opere, et agat facto proprietarium, qui jure non potest. Porrò qualis licentia superioris requiratur ad eximendum religiosum à peccato proprietatis, dicetur dubio quarto.

DUBIUM III. — *An ad veram proprietatem requiratur, ut exerceatur occultè?*

103. Joannes Andreas, in c. *Cùm ad monasterium*, de Statu monachorum; Navarrus, l. 3 Consil. de Regul., consil. 75, n. 49; Bassæus, sup., § 4; Coriolanus, cas. 4, n. 5; Ambrosius Peuplus, Breviarii theologiæ practicæ titulo posteriori, seu de proprio Regularium, part. 1, tract. 3, c. 3, ad proprietatem duas exigunt conditiones, nimirùm et ut res aliqua teneatur contra superioris voluntatem, et ut teneatur occultè. Duo (inquit Coriolanus, et ex eo Peuplus) concurrere debent simul, scilicet ut religiosus teneat aliquid occultè, et contra voluntatem superioris, ad hoc ut sit proprietarius : nam si alterum deficit, simpliciter non dicitur proprietarius, ut puta si occultè tenetur, sed cum voluntate superioris ; vel si palam teneat res, ut non solùm superior, verùm et alii fratres eas videant, dùm superior tolerat, non est dicendus proprietarius; si verò contradicat superior, debet puniri, non tanquàm proprietarius, sed tanquàm inobediens. Ita illi.

104. Sed contrarium dicendum est, nimirùm ad veram et reservatam proprietatem sufficere solum primum, seu involuntarium superioris, nec hujus vel aliorum scientiam aut præsentiam satis esse ad variandum delictum proprietatis, nisi in eo duntaxat casu, quo superioris præsentis aut scientis taciturnitas, est indicium consensûs taciti, eò quòd supponatur, si non consentiat, debere et sine incommodo posse obloqui. Ita Petrus Marchant, c. 7 Reg., tit. 2, dub. 4; Kerckhove, n. 21; Notau, n. 72, et passim reliqui. Si quis, ait Marchant, et ex eo Kerckhove, detineat quidquam contra voluntatem superioris, tantùm abest ut peccatum proprietatis diminuatur ex eo quòd in manifesto detineat, quin et ultra proprietatis delictum, sæpè inobedientiæ et rebellionis delictum adjungat.

105. Ratio manifesta est ex naturâ proprietatis, quæ abstrahit à publico et occulto, et prorsùs absolvitur per involuntarium superioris : eo enim ipso quo sine superioris sive scientis sive ignorantis consensu quidquam usurpas, facis id tuo nomine et instar domini, quod satis est ad proprietatem. Profectò secularis facit se proprietarium alieni, si eodem utatur contra consensum domini; nec hujus reclamantis ac resistentis præsentia delictum minuit, sed gravat, faciens de furto rapinam, graviùs injuriosam. Deinde c. *Super quodam*, de Statu monachorum, pœnâ proprietarii castigandus dicitur canonicus regularis, qui quidem proprium *contra regulam latenter habuerat*, deinceps tamen *à priore suo commonitus, noluit resignare*, atque ita proprietati immortuus fuisse dicitur, cùm tamen occultè seu inscio prælato proprium non retineret.

DUBIUM IV. — *Qualis requiratur licentia superioris ad eximendum religiosum à peccato proprietatis?*

106. Respondeo : Licentia debet inprimis esse voluntaria. Ita omnes. Ratio est, quia sicuti consensus coactus domini non excusat furem à peccato rapinæ, sic consensus coactus superioris non excusat mona-

chum à vitio proprietatis. Quare non sufficit primò consensus per vim aut metum extortus; quò pertinet licentia per superiorem concessa ex verecundiâ et rubore, quo non audet superior contradicere aut denegare ob arrogantiam subditi, prævisum illius scandalum, obloquium aut murmurationem. Carthusianus, de Profess. monast., l. 1, art. 11; Corduba, Summ., q. 54, fol. 139; Navarra, lib. 3, de Restit., cap. 1, p. 3, dub. 1, n. 161; Rodriguez, tomo 3, q. 29, art. 12; Sanchez, l. 7, c. 19, n. 16, et seq.; Suarez, tomo 3, de Relig., l. 8, c. 11, n. 14; Castropalao, de Obligatione religiosi statûs, disp. 3, puncto 23, n. 1; Herincx, p. 3, tract. 4, disp. 5, q. 9, n. 92. Secundò, non sufficit obtenta per dolum, videlicet tacendo verum vel exprimendo falsum; ut enim taciturnitas veri aut expressio falsi sæpiùs reddunt subreptitiam vel obreptitiam dispensationem, ita etiam vitiant licentiam. Omnes citati. Tertiò non sufficit obtenta precibus importunis, quando superior consentit tantùm, ut se liberet ab instantiis et vexâ subditi, aliàs repugnaturus: quia preces sic importunæ faciunt involuntarium mixtum, seu nolitionem conditionalem. Vide S. Bernardum, de Considerat. ad Eugen. Secùs dicendum foret, si superior importunè rogatus, precibus deinceps fractus, liberè et spontè consentiret.

107. Secundò, requiritur ut licentia sit legitima, tum ex parte concedentis, tum ex parte finis et materiæ. Ex parte concedentis, ut sit verus et legitimus superior, non impeditus per constitutiones regulares licentiam vel potestatem facere. Ex parte materiæ, ut non donetur in materiam dispositioni superioris non subjectam, nimis pretiosam aut excessivam, statui religiosæ paupertatis repugnantem. Ex parte finis, ut non detur, nisi ex justâ et rationabili causâ, idque in usum moderatum et honestum. Sed difficultas est an licentia iniqua et contra superioris officium præstita, liberare subditum possit à peccato proprietatis. Observandum est quod statim significavimus, licentiam superioris duobus modis posse esse iniquam, primò ex parte materiæ, videlicet si respiciat materiam dispositioni superioris non subjectam, ut si superior subdito licentiam faceret ad furandum, aut recipiendum aliquid ab eo qui non potest dare. Secundò potest licentia superioris iniqua esse ex parte modi et finis, ut si quidem præstetur in materiâ dispositioni superioris subjectâ, sed in ordine ad modum aut finem vanum, superfluum, turpem, puta, fornicationis vel ebrietatis. His notatis,

108. Dicendum videtur licentiam primo modo inustam non sufficere ad eximendum religiosum à peccato proprietatis. Navarrus, Comment. 2, de Reg., n. 21; Petrus Navarra, lib. 3, de Restit., c. 1, p. 3, dub. 1, n. 168; Castropalao, puncto 22, n. 2; et aliis relatis, Sanchez, l. 7, c. 19, n. 21, contra Suarez, c. 11, n. 15.

Ratio est, quia licentia ejusmodi non solùm est illicita, sed etiam invalida et prorsùs nulla etiam secluso voto paupertatis, tum superioris, tum subditi; ergo perinde est ac si data non foret: atque adeò non magis excusat subditum à peccato proprietatis, quàm si suâ sponte, nullâ licentiâ datâ vel postulatâ, alienum tolleret. Antecedens est clarum: nemo enim privatus validè disponere potest de alieno contra rationabilem domini voluntatem. Confirmatur primò: ipse superior, si alienum furto auferret, peccaret contra paupertatem et esset proprietarius; ergo idem dicendum de subdito committente furtum de consensu superioris: non enim habet prælatus majorem potestatem in hâc materiâ circa subditos, quàm circa seipsum. Confirmatur secundò: si superior religioso sibi non subjecto licentiam furtim et noctu exeundi faceret, talis licentia religiosum non eximeret à casu reservato furtivæ et nocturnæ egressionis; quia licentia nulla est et irrita, ac prorsùs extra potestatem concedentis. Ergo etiam licentia in materiam superiori non subjectam, non eximit religiosum à casu reservato proprietatis, quia nulla est et extra potestatem concedentis.

109. Dices: Religiosus voto paupertatis non ligatur ad vitandam injustitiam, sed proprietatem, in eo sitam, quòd rebus temporaneis proprio utatur nomine; at qui aliena ex consensu sui superioris surripit et de iisdem disponit, non proprio, sed alieno nomine operatur; ergo vitat proprietatem, atque adeò necessaria non videtur licentiæ justitia ad vitandam paupertatis transgressionem. Confirmatur: si pro iniquo suffragio vel opere servili faciendo in die festo, reciperes aliquid et expenderes de consensu superioris, valida foret acceptio et distributio; ergo licentia pariter valida est, quantûmvis iniqua, atque adeò ad vitandam proprietatem sufficit qualiscumque licentia, sive justa, sive injusta. Ita ferè Suarez.

110. Respondeo cum Castropalao: Fatemur religiosum voto paupertatis non obligari ad vitandam injustitiam, sed solam proprietatem. Sed hanc non vitat, utens alieno contra voluntatem domini, non ideò præcisè, quia utitur alieno, sed quia sine legitimâ et juridicâ licentiâ superioris: licentia enim in casu nulla est et irrita: licentia est de facto, non de jure, et ideò insufficiens. Ad confirmationem dico dupliciter alicui licentiam concedi posse ad recipiendum aliquid ob turpem actionem. Primò absolutè et antecedenter ad actum turpem; secundò, illo supposito. Si absolutè et antecedenter ad actum turpem detur licentia, nulla est; quia est facultas ad faciendam iniquitatem: nam recipere pretium sub onere et obligatione faciendi peccatum, iniquitas est. At si detur licentia ad recipiendum pretium, casu quo actionem inhonestam præstiteris, valida est talis licentia; quia est de actu licito, nimirùm de solâ pretii receptione, et à fortiori valet licentia ad sic acceptum expendendum.

111. Quantùm ad licentiam secundo modo iniquam, multi doctores sustinent, eamdem pariter non sufficere ad declinandum vitium proprietatis. Navarrus, lib. 3 Consil., tit. de Regular., consil. 75, et Comment. 2, de Regul., num. 21, Comment. 3, n. 27. Sanchez, n. 21, Castropalao, n. 4, et multi alii apud Sanchez. Ratio hujus opinionis est primò, quòd prælatus religionis non sit dominus bonorum monasterii,

nec eorum quæ dantur religioso, sed administrator; jus autem non concedit illi administrare ad usus vanos, turpes vel superfluos. Ergo in eâ facultate excedit limites potestatis suæ, ac proinde licentia est irrita et nulla et extra vires concedentis. Ita Navarrus, Sanchez, Castropalao citati; Molina, tomo 2, de Just., disp. 276. Secundò, juxta præscriptum religionis, prælatus sibi et subditis potestatem facit in rerum usum; at non est præsumendum religionem velle ut in actus turpes, vanos et superfluos, ejus bona dispensentur; ergo quoad ejusmodi usum, nullâ prælatus gaudet auctoritate.

112. Tertiò, accipiens à religioso quidpiam in usum turpem aut vanum, secundùm varios doctores tenetur ad restitutionem; ergo similis licentia non præstat religioso potestatem alienandi; aliàs non esset locus obligationi restitutionis in recipiente. Quartò, religiosus in casu, re sibi per superiorem permissâ utitur contra voluntatem summi Pontificis, qui est supremus omnium religiosorum prælatus: nam concilium Tridentinum, sess. 25, c. 2, de Regul., statuit ut supellex religiosorum, statui paupertatis quam professi sunt sit conveniens, nihilque in eâ superfluum sit. Denique quintò, licentia ex parte materiæ iniqua, ut n. 108 diximus, non abstergit vitium proprietatis, quia nulla; ergo licentia ex parte modi aut finis iniqua, pariter non abstergit; quia pariter nulla est.

113. Interim opposita sententia videtur verior, quam sequuntur Suarez cit. n. 15; Joannes Andreas, cap. *Cum ad Monasterium*, de Statu monachorum; Tabiena, Sum., v. *Religio*, q. 44, n. 45; Turrecrem., c. *Non dicatis*, 12, q. 1, art. 2, n. 4 et 5; D. Antoninus, 3 p., tit. 16, c. 1, § 11; Sylvester, v. *Religio*, 6, q. 7; Graffius, 2 p., Decis. l. 3, c. 19, n. 30, et 1 p., l. 3, c. 5, n. 48; Azorius, tomo 1, Instit. moral., l. 12, c. 12, q. 5; Lessius l. 2, c. 41, dub. 9, n. 79; Lugo, de Justitiâ et Jure, tomo 1, disp. 3, sect. 7, n. 132, et alii apud Sanchez, cit., n. 20; Herincx, cit., n. 94.

114. Ratio hujus sententiæ est quòd ejusmodi licentia, quamvis illicita, non tamen sit invalida, quod satis est, non quidem ad eximendum religiosum ab omni peccato contra votum paupertatis, sed ad eximendum à peccato proprietatis. Itaque fatemur religiosum, non obstante prælati licentiâ, ut plurimùm peccaturum contra paupertatem religiosam per usum rerum vanum, superfluum, turpem; quia votum paupertatis non solùm excludit vitium proprietatis, verùm etiam ea quæ statui et conditioni pauperum repugnant, cujusmodi sunt usus rerum vanus, inutilis et excessivus; nec potest vanitatem aut superfluitatem tollere licentia superioris; fatendum est igitur quòd similis usus, non obstante licentiâ superioris, repugnet ut plurimùm voto paupertatis. Ut plurimùm, inquam; quia ne hoc quidem concedendum est, tanquàm universaliter verum usum turpem aut vanum voto paupertatis opponi: si quis enim de licentiâ superioris cibum emeret noxium sanitati suæ, et eo uteretur, esset usus turpis, tanquàm repugnans temperantiæ; interim non repugnaret paupertati, si pretium ejus modicum aut moderatum esset, quia non dedecet pauperem, ejusmodi cibo uti, sed sobrium et temperantem.

115. Hoc saltem absolutè negamus, ejusmodi usum proprietarium esse; quia ad proprietatem non sufficit repugnantia cum paupertate, sed requiritur rei temporaneæ usus sine licentiâ superioris; in casu autem adest licentia superioris, eaque valida, quamvis illicita, quod multis ostenditur. Primò ex communi sensu: non enim judicatur emptio rei pretiosæ aut curiosæ, facta de consensu prælati, invalida, nec venditor obligari ad restitutionem pretii, quidquid aliqui contradicant, tametsi religiosus emptor delinquat in paupertatem, per excessum. Secundò, si religiosus de licentiâ superioris emeret cibum vel potum, absolutè bonum, sed suæ complexioni et sanitati contrarium, tenebit emptio, nec dici ullâ ratione poterit, eamdem aut nullam aut proprietariam esse; ergo turpitudo vel superfluitas usûs, non tollit semper valorem facultatis concessæ.

116. Tertiò, si superior, quod non repugnat, alicui faceret potestatem omninò generalem et indefinitam, erit hæc valida, etiam quoad usum turpem, non quasi usus turpis vi licentiæ censeri possit licitus vel permissus; sed quatenùs non est futurus proprietarius aut repugnans voluntati superioris. Nec dicas voluntatem superioris in casu ad usum turpem non extendi: respondeo enim, si licentia supponatur omninò indefinita, extendi ad eumdem, non tanquàm licitè exercendum, sed validè et sine vitio proprietatis. Sic Sacerdos legitimè ordinatus, à Deo et Ecclesiâ potestatem habet consecrandi in malo statu, validè sed illicitè. Sic minister baptismi, extra necessitatem validè, sed sacrilegè, baptizat in parte obscœnâ, ex libidine aut vanitate. Quartò, dispensatio pontificia (ut alibi probavimus) consanguineorum intrà gradus prohibitos, ad ineundum matrimonium, valida est etiam quoad copulam extra conjugalem, non quasi hæc non sit futura fornicatio, sed quatenùs non erit incestus. Ita eminentissimus Lugo, n. 133.

117. Quintò, dispensatio ad comedendum carnes tempore quadragesimæ, extenditur ad esum aliàs peccaminosum; adeò ut dispensatus non peccet contra præceptum Ecclesiæ, etsi comedat furtivas, sanitati noxias aut immoderatè, quamvis peccet contra justitiam, charitatem aut temperantiam. Ergo valida est dispensatio, etiam quatenùs extenditur ad hunc casum, aliunde prohibitum. Sextò, dispensatus ad celebrandum tempore interdicti, non peccat contra legem Ecclesiæ, etsi celebret in malo statu. Septimò, dominus vel proprietarius alicujus rei potest validè ejusdem rei dominium vel usum tradere in finem turpem, v. g., libidinis seu fornicationis; ita ut usuarius non sit ullatenùs peccaturus contra justitiam, si re utatur ad præfatum finem, etsi delinquat contra castitatem. Itaque quòd rei alicujus usus repugnet castitati, charitati, temperantiæ vel paupertati, non infert, eumdem usum pro-

prietarium esse, aut nullam et invalidam esse licentiam superioris.

118. Ad primum oppositæ opinionis fundamentum respondeo cum Lugo, inprimis non habere locum, nisi quoad solum prælatum; non enim quoad conventus ipsos dominii capaces in communi: hi enim (non obstante argumento illo) jam poterunt licentiam controversam dare, quatenùs bonorum suorum dominium possident. Respondeo secundò verum esse, quòd jura vel religio non tribuant prælato facultatem dispensandi bona monasterii in usus vanos, turpes aut superfluos, hoc videlicet sensu, quasi licitè et sine piaculo id ipsum possit. Quare peccat et contra officium suum facit superior, licentiam concedens subdito in ejusmodi usum; actum autem irritum esse, unde constat? Nec jura nec religio potestatem faciunt prælato, permittendi subditis egressum etiam diurnum è monasterio causâ fornicationis, præstandi perjurii aut committendi furti : critne irritus actus, si quando fiat, quasi subditus cum simili potestate egressus, reus sit violatæ clausuræ? Non putamus. Deinde argumentum præsens in exempla cætera num. præcedenti allegata facilè retorqueri potest, ut vel leviter consideranti patet. Idem respondendum ad argumentum secundum.

119. Ad tertium respondeo negando, accipientem quidpiam à religioso pro usu turpi, obligari ad restitutionem, quasi contractus sit irritus ob turpitudinem aut superfluitatem usûs : id enim sensui communi repugnare videtur, ut supra, ex Lugo, n. 137; Herincx, n. 94, ostensum est. Ad quartum respondet Lugo, in concil. Tridentino, sess. 25, c. 2, nec sermonem esse de nullitate actûs, nec de usu turpi; sed solummodò præcipi, ut supellex religiosorum, statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nec aliquid in eâdem superfluat. Unde retorqueri potiùs potest : nam iis verbis certè non annullatur acceptio, quâ religiosus ab amico similia superflua accipit, nec possessio quâ eadem detinet.

120. Nec refert quod additur in argumento, usum ejusmodi esse contra mentem summi Pontificis, qui omnium religiosorum supremus prælatus est : id enim si verum foret ad sensum adversariorum, jam acceptio et usus rerum superfluarum, ut statim diximus, non valerent, atque adeò bona superflua religioso donata etiam de consensu superioris, manerent in dominio donantis, quod nemo concedit. Igitur dicendum est Pontificem non irritâsse donationes aut emptiones, sed prohibuisse usum earum rerum superfluarum. Quamvis autem prælatus superior ea prohibeat, dummodò non tollat potestatem inferioris, non irritat contractus, ab inferiore prælato faciendos : sicut etsi prohibeat esum carnium, non reddit irritam carnium emptionem, quam facit inferior prælatus. Ad quintum facilis est responsio, videlicet disparitatem manifestam esse, quòd in casu antecedentis, licentia sit non solùm prohibita, sed etiam nulla; in casu consequentis, illicita quidem, sed tamen valida, ut jam satis ostensum est.

121. Denique ut redeamus ad punctum principale quæstionis, qualis requiratur licentiâ superioris ad eximendum religiosum à peccato proprietatis, observandum finaliter est, licentiam quadruplicem distingui posse, videlicet, debitam, expressam, tacitam, præsumptam. Licentia debita est, quæ neque exercitè neque signatè data est, sed secundùm rectam rationem debuisset dari. Expressa est, quæ verbo, scripto, nutu expressè seu explicitè declaratur. Tacita est, quæ tacendo conceditur et in alio involvitur. Exempla. Superior expressam licentiam facit subdito, comparandi et retinendi ea, quorum usum novit consistere in distributione extraneis faciendâ, ut sunt crepundia rosariorum, imaginum et ejusmodi; censetur tacitè consentire in ipsam distributionem. Item superior facit subdito licentiam peregrinandi, consentit tacitè in usum et receptionem eorum quæ aliàs prudenter et cum decentiâ religiosâ recipi et consumi solent. Suarez, c. 11, n. 7; Castropalao, puncto 23, n. 7, et alii.

122. Item si consuetudine receptum et introductum sit, ut religiosi, inagnito prælato, possint aliqua recipere, expendere, retinere, et superior cùm facilè possit, non corrigat consuetudinem, censetur per hanc ipsam voluntariè permissam, tacitè consentire in actus singulos. Suarez, Sanchez, Castropalao, omnes, n. 7. Item si religiosus aliquid recipiat, retineat vel consumat, vidente aut præsente superiore, qui sine incommodo obloqui aut contradicere posset, hæc hujus taciturnitas, est consensus tacitus, et in istâ dissimulatione involvitur virtualiter voluntas approbativa, secundum c. *Error.* et c. *Consentire*, dist. 83. Secùs dicendum foret si superior non posset sine incommodo contradicere, puta, quia timet obloquium aut indignationem subditi et scandalum inde proventurum. Navarrus, Consil. 2, de Regular., num. 22; Mendoza, Quodlib., q. 8, Consil. 7; Rodriguez, tomo 3, quæst. 29, art. 11; Suarez, n. 8; Sanchez, n. 12; Castrop., n. 7.

123. Demùm licentia *præsumpta*, est, quando ex circumstantiis prudenter concluditur, consensurum superiorem, si rogaretur. Circumstantiæ quibus ista conclusio nititur, sunt variæ, 1° qualitas superioris et subditi. 2° Conditio materiæ, utpote levis et exiguæ, pro quâ indignaretur superior, continuò ad se recurri. 3° Factum ipsum, v. g., cedens in usum et commodum monasterii. Herincx, n. 88; Kerckhove, n. 21, et alii. Potest autem quandoque voluntas superioris prudenter præsumi quoad rei alicujus receptionem, licèt simili præsumptioni locus non sit quoad rei ejusdem retentionem, usum vel consumptionem, quod maximè verum est, quando præsumptio quoad rei receptionem fundabatur in difficultate adeundi superiorem et periculo in morâ. His ita notatis, quæritur quænam ex enumeratis licentiæ speciebus sufficiat et requiratur ad vitandum peccatum proprietatis.

124. Quantùm inprimis attinet licentiam *debitam*, aliqui existimant hanc sufficere, nec requiri expressam, tacitam vel præsumptam. Ita tenet Mendoza,

Quodlib., q. 8, in fine. Ratio ejus quia voto paupertatis nemo se obligat ad indiscretam et irrationabilem paupertatem. Sed in hâc re dicendum videtur, licentiam, si liquidò debita sit, præsumi posse; quia semper præsumi potest, superiorem cæterà non imprudentem, procedere secundùm regulas rectæ rationis. Quare prædicta quæstio solummodò locum habet, quando superior expressè licentiam denegaret, quam deberet concedere : quod non est facilè præsumendum de superiore, qui plures rationes subdito occultas habere potest, quibus negata licentia honestetur. Dato autem quòd superior imprudenter et præter consuetudinem aut morem religionis, licentiam denegaret, non posses propterea, eo invito, re denegatâ uti.

125. Ratio est quia licentia, etiam imprudenter negata, non est vera licentia, quæ religioso est necessaria ad declinandum vitium proprietatis. In hunc modum non posset obstrictus voto castitatis, inire matrimonium ob denegatam imprudenter dispensationem; nec posset transgredi religiosus terminos obedientiæ, egrediendo è monasterio, ob negatam imprudenter egrediendi licentiam. Cæterùm non displicet distinctio quam adfert Castropalao, n. 10, et insinuat Herincx, n. 93. Dupliciter ait Palaus licentiam posse debitam esse, vel debito se tenente ex parte prælati tantùm, vel etiam ex parte subditi. Si debita sit licentia ex parte prælati tantùm, et denegetur, subditus contra faciens non excusabitur à voti transgressione. At si licentia sit debita ex parte subditi, qui nimirùm ab ipsâ religione jus habet, ut hujus aut illius rei usus sibi concedatur, credit præfatus auctor licentiam debitam et postulatam sufficere; quia esto negetur à superiore, conceditur ipso jure à religione. Quapropter si prælatus non largiatur subdito necessaria ad victum vel vestitum, juxta morem receptum religionis, negatâ insuper facultate ab extraneis accipiendi; hæc facultatis negatio nullius momenti esset, utpote iniqua. Aliàs prælatus posset te obligare ad paupertatem, promissâ rigidiorem.

Secundò, certum est et extra controversiam, quòd sufficiat licentia expressa, quæ, ut monent passim doctores, requiritur, ut securiùs et magis sincerè procedatur, quando superior commodè adiri potest.

126. Tertiò, tenendum pariter tanquàm certum, quòd sufficiat licentia tacita, Lessius, Castropalao, Suarez, Sanchez, Mendoza, Navarrus, Rodriguez, Molina, Ledesma, Valentia, Azorius, Herincx, Coriolanus, Bassæus, et omnes supra citati cum pluribus aliis, quos citat Sanchez, n. 4. Ratio est, quia ad proprietatem (prout sæpè dictum est) requiritur, ut nomine proprio, independenter ab alienâ voluntate, seu ad instar domini aliquid accipias, retineas vel consumas; jam verò non proprio, sed alieno nomine facis, quidquid facis de consensu, tametsi tacito, legitimi superioris. Satis est ad serenandam conscientiam subditi et declinandum vitium proprietatis, quòd voluntatem et consensum suum declaret superior qualicumque modo, signatè, exercitè, explicitè, implicitè, verbo vel scripto, ac demùm quovis signo et medio. Si verum et liberum superioris consensum habeat subditus, quid refert, quo medio vel signo habeat? Consensus superioris est actus animi seu voluntatis, qui nullo modo variatur signi sensibilis diversitate. Idem manifestum est in contractibus, ut cætera exempla taceamus. Itaque (ut passim doctores observant) expressi et taciti eadem est virtus, c. 2, de Rescriptis; et l. *Cùm quid*, ff. de Rebus creditis.

127. Quartò, certum rursùs et indubitatum est, sufficere licentiam prudenter præsumptam, quando abest superior aut commodè adiri non potest, et interim res moram non patitur. Suarez cum omnibus aliis. Ratio est, quia voluntas superioris nec potest, nec supponitur irrationabilis esse, qualis foret, si rei alicujus receptionem in illis circumstantiis nollet. Ut tamen meliùs fiat (ait Suarez n. 3) oportet, ut receptio sit cum habitudine ad ordinatam retentionem ac dispensationem, et consequenter, ut fiat cum intentione manifestandi rem superiori, cùm primùm opportunitas occurrerit, ut ipse expressè ratam habeat acceptionem vel irritet, si voluerit : nam hoc etiam exigit religiosa regula et debitus ordo. Item quia sicut nihil potest recipi sine licentiâ, ita nec retineri; ergo eo saltem modo, quo est necessaria expressa licentia ad recipiendum, si potest commodè haberi, ita etiam ad retinendum.

128. Ergo quando illa expressa licentia non præcessit propter impedimentum, illo ablato relinquitur eadem obligatio petendi expressam licentiam, saltem propter retentionem. Unde obiter colligo, hoc solùm habere locum, quando res accepta consumpta non est, priusquàm expressa licentia potuerit à superiore postulari : tunc enim procedit ratio facta; at verò si res jam sit consumpta, cessat necessitas, quæ per se pertineat etiam ad perfectionem paupertatis; quia ad rem omninò præteritam, et quæ jam in futurum non pendet, impertinens est licentia vel consensus superioris : nam licèt illum non præbeat, res non potest esse infecta. Dico autem, *per se et ratione paupertatis;* nam in ordine ad alios fines posset id aliquando expedire, vel ut superior dijudicet, an aliquid culpæ vel imperfectionis fuerit commissum : vel ad meliùs cognoscendam in futurum voluntatem superioris pro similibus occasionibus, etc. Ita Suarez.

129. Quintò, dicendum videtur, ad eximendum religiosum à peccato proprietatis, sufficere licentiam fundatè et prudenter præsumptam, etiam quando superior commodè adiri potest vel res differri; sed ob aliquem humanum respectum, pudorem vel difficultatem non postulatur à subdito, qui firmiter sibi persuadet licentiam à superiore donandam, si peteretur. Ita Suarez, cap. 11, n. 4, dicens esse communem sententiam; Navarrus, comment. 2, de Regul. num. 20; Petrus Navarra, lib. de Restit., cap. 1, p. 3, dub. 1, n. 160; Valentia, 2-2, disp. 10, q. 4,

punct. 3; Azorius, tom. 1 Instit. Moral., lib. 12, cap. 12, q. 2, 3, et 4; Sanchez, lib. 7, c. 19, n. 13; Molina, tom. 1, de Just., disp. 276; Petrus de Ledesma, tom. 2 Sum., tract. 8, cap. 21, diffic. 7; Lessius, lib. 2, c. 41, dub. 9, n. 79; Mendoza in Quodlib., q. 8, concl. 8; Castropalao, punct. 23, n. 8, dicens, esse communem sententiam; Turrecremata, c. *Non dicatis*, art. 7; D. Antoninus, 3 p., tit. 6, c. 1, § 11; Angelus, verb. *Eleemosyna*, n. 6; Corduba, Sum., q. 109; Lopez, 1 p. Instruct., cap. 156, concl. 3; Toletus, Summâ, tract. de Peccat. mort., c. 28; Petrus Marchant, in 7 Reg., tit. 2, q. 1, dub. 4; Bassæus, verb. *Paupertas religiosa*, n. 2; Tamburinus, de Jure abbat., tomo 2, disp. 22, quæsito 8, n. 2; Sylvester, num. 7, q. 5; Graffius, 2 p. Decis., l. 3. c. 5, n. 54; Rodriguez, tom. 2, q. 52, art. 2; Miranda, tom. 1 Manual., quæst. 28, art. 14; Herincx cit., q. 9, n. 85; Cotonius, lib. 4, controv. 6, quæst. 3, n. 59; Bonæspei, tom. 6, tract. 5, disp. 10, dub. 6, n. 58, vocans communem sententiam; Diana, p. 1, tract. 6, resol. 31, et p. 6, tr. 6, resol. 58, vocans communem sententiam; Bannez et Aragon, 2-2, q. 32, art. 8; Fagundez, tract. 2, l. 8, c. 6, n. 3; Tannerus, 2-2, disp. 6, q. 3, dub. 4, n. 165; Cenedus, de Paupert. relig., dub. 18, n. 14, et plures alii apud Sanchez cit., n. 4.

130. Pro eâdem sententiâ adducitur S. Thomas, 2 2, q. 38, art. 8, ad 1, ubi ait: *Dicendum quòd monachus, si habet dispensationem à prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus monasterii, secundùm quod sibi est commissum; si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentiâ abbatis, vel expressè habitâ, vel probabiliter præsumptâ.* Ubi, cùm S. Thomas doceat, religioso sufficere licentiam probabiliter præsumptam ad donandum eleemosynam, idque ex rebus seu bonis monasterii; sumitur à fortiori argumentum (inquit Suarez) prædictam licentiam sufficere, ad aliquid accipiendum ab amico vel extraneo: quanquàm enim beatius sit, magis dare quàm accipere, solent tamen superiores ad recipiendum, quàm dandum faciliores esse, et ideò eorum consensus in rei alicujus receptionem præsumitur citiùs quàm in donationem, etiam per modum eleemosynæ. Item, 4, dist. 15, q. 2, art. 5, quæstiunculâ 4, corp.

131. Probatur hæc sententia primò; quia: dùm similis præsumptio adest, non dicitur res accipi, detineri, consumi proprio agentis nomine, prout necesse est ad proprietatem; sed alieno, seu cum respectu, habitudine seu relatione ad voluntatem et licentiam superioris, quæ etiam expressè daretur, si peteretur; et quanquàm superiores in casu possint inviti esse quoad similem clancularium rerum acceptionem seu retentionem, dummodò inviti sint quoad modum solum, non quoad ipsam substantiam receptionis vel detentionis, id non evertet veritatem hujus opinionis involuntarium enim quoad solum modum non videtur sufficere ad peccatum proprietatis.

132. Probatur secundò: consensus domini, in hunc modum præsumptus, sufficit ad cavendum peccatum furti in rei ablatione; ergo consensus superioris eodem modo præsumptus, ad cavendum peccatum proprietatis in rei acceptione: sunt enim in multis analoga furtum et proprietas. Antecedens probatur ex l. *Inter omnes*, 47, § *Rectè*, ff. de Furtis, ubi dicitur: *Rectè dictum est, qui putavit, se domini voluntate rem attingere, non esse furem: quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Quo loco manifestè dicitur, non esse reum furti, qui credens dominum consensurum, rem clanculò seu furtim accipit. Quare similem rei alienæ ablationem vel ab omni, vel saltem à mortali peccato excusant D. Antoninus, 2 p., tit. 1, c. 14; Rosella, verb. *Furtum*, initio; Angelus, ibidem, n. 7; Sylvester, ante quæst. 1, n. 1; Tabiena, n. 1; Aragon, 2-2, q. 66, art. 5; Sayrus, Clavi regiâ, l. 9, c. 12, n. 2; Cajetan., sum., verb. *furtum*, not. 2; Armilla, 16, num. 2; Navarrus, Comment. 2, n. 20, de Regular.; Mendoza, Quodlib., q. 8, conclus. 8; Lessius, lib. 2, c. 12, dub. 8, n. 49; Graffius, p. 1, decis., lib. 3, c. 5, n. 54; Emmanuel Sâ, Correct. verb. *Furtum*, n. 3; Rebellus, de Just., p. 1, l. 3, q. 15, sect. 3, n. 14; Petrus de Ledesma, tom. 2, Sum., tract. 8, c. 21, diffic. 7; Sanchez, n. 17; Castropalao, n. 8, et plures alii.

133. Contra sententiam communem varia sunt argumenta: 1° Suppositâ veritate illius opinionis generatim sumptæ sequitur, enervandam omninò ac dissolvendam disciplinam religiosam, ac votum paupertatis fore observantiam de solo titulo: pauca enim occurrunt religiosis, ad quæ si petant facultatem à prælato, non credant probabiliter concessurum: si ergo hæc licentia conditionata sufficeret, nunquàm petenda esset licentia; nam vel creditur concedenda, vel non creditur. Si non creditur, stultè petitur, quod negandum scitur; si verò creditur concedenda, jam hæc ipsa credulitas sufficit absque aliâ licentiæ petitione. Adde, licèt prælatus immediatus credatur licentiam negaturus, sæpè tamen probabiliter credi, quòd si à prælato mediato, v. g., provinciali, commissario, generali, nuntio vel Pontifice peteretur concedenda esset. Ita Lugo, de Just. et Jure, tom. 1, disp. 3, lect. 7, n. 124; Lessius, sup. n. 79, et pauci alii. Atque hæc deductio videtur satis legitima et naturalis, suppositâ alterius opinionis veritate, quòd ad licentiam rationabiliter præsumendam sufficiat cognitio *probabilis* de futurâ voluntate superioris, si rogaretur: quam opinionem docent Navarrus, Comment. 2, de Regular., n. 20, et Sum., c. 17, n. 5; Mendoza in Quodlib., q. 8, concl. 8; Lessius, l. 2, c. 41, dub. 9, n. 8; Suarez, c. 11, n. 11; Gerson Navarra, D. Antoninus, Rosella, Angelus, Sylvester, Lopez, Aragon, Rodriguez, quos citant et sequuntur Sanchez, n. 13, et Castropalao, n. 8.

134. Secundò, ut religiosus licitè rem aliquam reci-

piat, retineat, dispenset, necesse est ut consentiat superior, sive ut in præsenti subditus licentiam habeat superioris. Jam verò licentia præsumpta, in quantum differt à tacitâ, non respicit præsentem superioris voluntatem, sed solùm conditionatè futuram, si rogaretur : hæc enim inter tacitam et præsumptam licentiam differentia est, quòd tacita contineat præsentem superioris consensum, quanquàm implicitum et in alio involutum; præsumpta verò connotet vel supponat voluntatem superioris conditionatè futuram, si rogaretur. Proinde si quidem in casu licentia peteretur, daretur consensus seu voluntas superioris, sufficiens ad licitè operandum; at quamdiù conditio non purificatur, id est, quamdiù licentia non petitur, tamdiù voluntas superioris manet suspensa et merè sub conditione futura, quæ in præsenti non sufficit ad licitè operandum vel de re aliquâ disponendum nomine superioris.

135. Tertiò, non cessat vinculum legis propter dispensationem conditionatè futuram, si rogaretur; quare nemo evadit obligationem jejunii, v. g., per præsumptionem, quâ sibi persuadet, legislatorem, si allegatis motivis rogaretur, dispensaturum : id enim si semel verum foret, actum erit de quibuslibet legibus et præceptis positivis : nam eò usque crescet sensim præsumentium numerus et imprudentia, ut negligenda sit voluntas superioris. Quare dicendum est, ad tollendam legis vel præcepti obligationem non sufficere præsumptionem dispensationis conditionatæ, si rogaretur superior : per hoc enim reipsà non dispensat. Quartò, in causâ matrimoniali, non sufficit ad nullitatem matrimonii dissensus conditionatè futurus, v. g., si scirem, non esse nobilem, divitem, sobrium; idque ideò, quia dissensus non est præsens, sed futurus conditionatè. Ergo à contrario non sufficit consensus superioris, conditionatè futurus, si rogaretur; idque ideò, quia consensus non est præsens, sed futurus conditionatè.

136. Quintò, consensus ille conditionalis non sufficit in sacramentis pœnitentiæ et matrimonii. Quare juxta communem sententiam simplex sacerdos non potest absolvere sacramentaliter ob præsumptum consensum de futuro, id est, qui poneretur, si rogaretur superior : quia, ut loquitur Bosco, disp. 8, sect. 2, concl. 6, n. 161, futurum ut sic nihil operatur, quamdiù conditio posita non est. Unde non valet matrimonium sub conditione, *si Papa dispenset*, quamdiù dispensatio non est posita, esto papa certò certiùs dispensaret, si sciret, matrimonium sub tali conditione contractum. Ita Bosco. Similiter communis sententia est, ad assistendum matrimonio non sufficere consensum parochi præsumptum, aut verosimiliter concedendum, si parochus rogaretur; quia, cùm assistendi licentia ad matrimonii valorem requiratur, debet adesse, dùm matrimonium celebratur; at cùm est tantùm ratihabitio de futuro, seu præsumptio, non est licentia de præsenti, quando celebratur matrimonium, ergo non sufficit. Bosco, disp. 11, sect. 9, concl. 16, n. 650, ex Sanchez.

137. Ob hæc et similia fundamenta, dicendum quòd pro acceptione, detentione aut usu alicujus rei, nunquàm sufficiat præsumptio, etiam fundata, vel certitudo de solâ (NB.) voluntate conditionatâ superioris, si rogaretur. Ratio in exemplis data est; quia hæc sola nunquàm continet præsentem superioris consensum. Imò potest superior simul cum voluntate illâ conditionatâ habere in præsenti voluntatem absolutam, actualem, virtualem, vel habitualem, quâ nolit subditum rem quampiam accipere aut retinere propter solam præsumptionem de consensu conditionali, atque ita invitus esse vel quoad substantiam vel quoad modum, et rursùs quoad modum vel graviter vel leviter, suppositâ materiæ capacitate; quod ostenditur. Inprimis potest superior cum voluntate conditionatâ dandi licentiam, si peteretur, habere voluntatem actualem, virtualem vel habitualem, quâ in præsenti sit invitus, etiam quoad substantiam, quominùs subditus aliquid recipiat vel dispenset ante obtentam à se licentiam, tacitam vel expressam : quia non est repugnantia inter utramque illam voluntatem seu volitionem, conditionatam ac futuram, quâ daret licentiam, si peteretur, et absolutam ac præsentem, quâ neget licentiam, quamdiù non petitur.

138. Sicuti nulla est repugnantia inter voluntatem conditionalem, quâ volo Petro dare florenum, si per diem vineam meam colat, et absolutam, quâ nolo ei obolum dare, quamdiù non colit. Similiter nulla est species repugnantiæ inter voluntatem Dei antecedentem et conditionatam, quâ velit Petro conferre beatitudinem, si in finem usque perseveraverit, et absolutam ac consequentem, quâ nolit ejus beatitudinem, quia charitatem deserit et peccato mortali immoritur. Cujus quidem rei facilis et prompta est ratio, quòd utraque quidem voluntas respiciat eumdem terminum, sed non secundùm idem, seu sub diverso respectu. Confirmatur clarissimè. Posset superior expresso decreto sic statuere, se cuilibet religioso, qui rogaverit, donaturum esse licentiam utendi rebus sibi oblatis, infra terminos religiosæ paupertatis : interim nolle, sed absolutè ac penitùs invitum esse, quominùs aliquis aliquâ re utatur sine licentiâ expressâ.

139. Manifestum est, inter has superioris voluntates nullam pugnam aut contradictionem esse. Nihilominùs superior talis esset invitus quoad substantiam, quominùs subditus re quâpiam uteretur sine prævio consensu suo, quantùmvis in casu quilibet religiosus non solùm posset probabiliter præsumere, sed etiam certus esset de voluntate superioris et licentiâ conditionatè futurâ, si peteretur. Quare in hoc vel simili casu religiosus ex præsumptâ superioris conditionatâ licentiâ, rem aliquam accipiens, retinens, vel consumens, sine dubio proprietarius esset. Porrò signum, quo dignoscatur, superiorem invitum esse quoad substantiam, quominùs subditus rem aliquam recipiat vel dispenset in vim solius voluntatis conditionalis, erit primò, si, ut statim diximus, hanc suam mentem et intentionem superior publicè seu coram commu-

nitate declaret. Secundò, si idem constaret ex colloquio privato, quo superior intimâsset, nulli quidem religioso se licentiam rationabilem negaturum, nolle tamen absolutè, ut aliquis procedat in rerum usu sine præcedente suo consensu, expressè postulato. Tertiò, si ex præteritis actibus eadem superioris intentio innotescat, ut quia subditorum aliquos sine suo consensu rebus quibusdam usos, graviter reprehendit aut reos egit proprietatis. Quartò demùm, colligi id quandoque poterit ex conditione et qualitate rei, monasterii, superioris et subditi.

140. Similiter potest superior in casu invitus esse quoad modum, quatenùs eidem displicet non tam substantia, quàm circumstantia, nec tam ipsa actio receptionis vel possessionis, quàm modus recipientis et possidentis, seu quatenùs displicet non tam quòd subditus rem sibi oblatam receperit et consumat, quàm quòd sic consumat, id est, non postulato consensu. Sic plerùmque aut saltem sæpiùs parentes sunt inviti quoad modum potiùs, quàm quoad substantiam circa clancularias recularum comestibilium surreptiones, à filiis vel domesticis committi solitas. In eumdem modum superior animo sic constitutus, ut licentiam concederet, si peteretur, quamdiù non petitur, potest invitus esse quoad modum, quatenùs (ut loquitur Lugo) mallet prælatus, ut ostenderem debitam subordinationem, et differrem acceptionem vel donationem, donec peterem licentiam; quia tamen sine rubore aut alio incommodo differre non potui, præsumitur prælatus compati meæ infirmitati atque ideò nolle toto sui juris rigore uti, ut obliget me graviter, etiam quoad substantiam.

141. Imò posset aliquandò difficultas ex propriâ infirmitate proveniens, sufficere ad talem præsumptionem, ut si subditus prælato charus sentiat magnam difficultatem in petendâ aliquâ licentiâ, quam petere non potest, nisi manifestatâ occultâ aliquâ necessitate, cui vult consulere; præsumere aliquando poterit, quòd prælatus in iis circumstantiis non velit eum graviter obligare ad petendam licentiam, licèt id aliqualiter displiceat. Ita Lugo, n. 126. Itaque superior, non obstante voluntate conditionali, potest invitus esse quoad modum graviter vel leviter. Si leviter, erit peccatum leve, tali modo quidquam recipere aut possidere; si graviter, erit peccatum grave; an inobedientiæ tantùm, an potiùs proprietatis, dubitari potest. Fore peccatum proprietatis, insinuant Sanchez, n. 15; Lugo, sup., et Herincx, n. 89, eò quòd gravis displicentia quoad modum, videatur recidere seu redundare in substantiam: si enim prælatus foret notabiliter invitus quoad modum, (ut arguit Lugo ex Sanchez) esset pariter quoad substantiam, quam graviter prohibere censeretur propter modum, qui ei notabiliter displiceret.

142. Restat proinde explicandum, quo pacto intelligi debeat communis sententia, videlicet licentiam prudenter præsumptam sufficere religioso ad licitè operandum in materiâ paupertatis. Eminentissimus Lugo, n. 123, existimat communem sententiam esse veram, dummodò prælatus in præsenti non sit invitus negativè etsi positivâ voluntate non consentiat. Quando prælatus, inquit, non est invitus quoad substantiam, non fit graviter contra paupertatem: nam licèt non adsit voluntas positiva concedendi licentiam, sufficit tamen quòd non adsit voluntas formalis vel virtualis prohibendi graviter talem usum et retinendi jus suum: sicut enim ad vitandum furtum sufficit, quòd non usurpetur res contra voluntatem domini, sic etiam ad vitandum peccatum grave contra votum paupertatis, videtur sufficere, quòd non usurpetur res contra prælati voluntatem.

143. Ita Lugo, solvens, n. 127, eâdem ratione argumenta in contrarium superiùs allegata. Quidquid, inquit, sit de aliis effectibus, ut de collatione jurisdictionis, de licentiâ administrandi Sacramenta, de dispensationibus et aliis similibus, ad quæ requiritur voluntas positiva prælati; quia non sufficit effectum non esse involuntarium, sed requiritur, ut sit positivè voluntarius; in nostro tamen casu sufficit quòd usus non sit involuntarius prælato; quia eo ipso habet dependentiam à prælato, qualem pauper habet à divite in usu rerum temporalium, quam solam dependentiam promittimus per votum paupertatis. Unde voluntas sufficiens ad impediendam rationem furti et injuriæ, sufficit ad impediendam violationem voti paupertatis. Hactenùs eminentissimus.

144. Similiter Bosco, sup., n. 168, cùm dixisset, ut aliquis habeat jurisdictionem in foro sacramentali, non sufficere consensum præsumptum seu ratihabitionem de futuro, hanc sibi format objectionem: Dices, inquit, ut religiosus non peccet contra votum paupertatis, vel ut aliquis excusetur à peccato furti accipiendo rem alienam, sufficit consensus præsumptus, id est, quòd prudenter judicem, superiori vel domino gratum esse, quòd accipiam talem rem. Ergo similiter in casu nostro, ut licitè et validè absolvam, sufficit, quòd præsumam, ordinario gratum esse, quòd absolvam subditum suum in his vel illis circumstantiis.

145. Respondet negando consequentiam. Do, inquit, disparitatem: quia voluntas illa præsumpta in casu antecedentis sufficit, ut religiosus illam rem non accipiat nomine proprio et tanquàm propriam, sed nomine alterius seu prælati, cui statim subordinetur, tanquàm res communis. Quocirca illa licentia præsumpta, non est vera dispensatio in voto paupertatis, ut planum est; sed solùm moralis mutatio ex parte materiæ: nam res, quæ sine tali licentiâ accipitur ut propria, exuit cum illâ hoc vitium; quia jam sumitur nomine prælati; ad hoc autem non requiritur positiva voluntas superioris, quâ acceptet illam rem, sed sufficit, ut positivè non sit invitus. Et idem dicendum est de illo, qui accipit rem alienam de licentiâ præsumptâ veri domini; argum. l. 46, ff. de Furtis, § 7: *Rectè dictum est, qui putavit, se domini voluntate rem attingere, non esse furem; quid enim dolo facit, qui putat, dominum consensurum fuisse, sive falsò id, sive verè putet? Is ergo solus fur*

est, qui attrectavit, quod invito domino se facere scivit. Hactenùs Bosco.

146. Cotonius, lib. 4, de Religiosis, controv. 6, c. 3, n. 97 : Non omninò acquiesco, inquit, doctrinæ emin. cardinalis (atque adeò nec doctrinæ Bosconis) exponentis hanc conditionem purè negativè, ne prælatus sit invitus quoad substantiam. Meliùs Sanchez sup. n. 15, requirit aliquam voluntatem positivam virtualem vel habitualem. Siquidem licentia requiritur tanquàm forma ad legitimandum actum, utpote non aliter factibilem, quàm nomine et auctoritate superioris, sive ut sit validus, sive ut sit licitus : nam subditus per votum solemne privatur omni facultate acquirendi, utendi, vel distrahendi validè, et promittit nihil se contracturum sine licentiâ. Ergo non satis est, prælatum non esse invitum, hoc est, non habere voluntatem contrariam, etiam quoad rem, sed oportet ut habeat voluntatem positivam, quâ actum illum formaliter aut virtualiter approbet. Censetur autem adesse virtualis vel habitualis voluntas prælati, quando is formaliter vult aliquid necessariò antecedens eum actum, vel cum illo realiter identificatum, vel solitus est velle, etc. Hactenùs Cotonius.

147. Sanchez autem, n. 15, paulò explicatiùs docet communem sententiam de sufficientiâ voluntatis conditionatæ sufficere, quando concurrit præsens consensus superioris, saltem implicitus, virtualis vel habitualis : concurrere verò, quotiescumque præsumptio de voluntate conditionali nititur conditionibus, quas num. 123, ex Homobono, Bartholomæo à S. Fausto, Dianâ, Herincx, Kerckhove et multis aliis retulimus, videlicet : 1° gravitate et æstimatione subditi ; 2° discretione, prudentiâ et amicitiâ superioris ; 3° ejusdem superioris consuetudine, quâ non solet similem rerum acceptionem vel usum graviter reprehendere, cùm alioqui posset ; 4° rei utpote levis et exiguæ qualitate ; 5° facto ipsò, v. g., cedente in usum et commodum monasterii. Rectè : quia suppositis ejusmodi conditionibus non solùm licentia expressa superioris conditionatè futura est, si peteretur ; verùm etiam absolutè est præsens, non quidem formalis aut expressa, sed virtualis, habitualis, interpretativa.

148. Reddo autem propria verba Sanchez : ut illa sententia de sufficientiâ voluntatis conditionalis, vera sit, debet explicari, quando de præsenti est actus in voluntate saltem virtuali aut habituali superioris aut domini rei, quo velit id à subdito fieri, quamvis aliquantulum sit invitus quoad modum ; nollet enim id fieri non petitâ licentiâ : secùs, si esset notabiliter invitus quoad modum. Itaque requiritur, credi probabiliter, dominum illius rei aut superiorem per virtualem voluntatem actu velle, etsi mallet, licentiam peti : at non est notabiliter, sed aliquantulum invitus, eò quòd non petatur : tunc enim erit sola culpa venialis, carebitque omni culpâ, si nec quoad modum creditur, eos fore invitos... hæc autem voluntas quasi actualis, deducta ex habituali seu virtuali, tunc aderit, quando experientiâ compertum est, libenter solitum esse superiorem, licentiam eam concedere nec notabiliter ægrè ferre, ut non petatur. Hactenùs Sanchez, et rectè.

149. Suarez verò, c. 11, n. 9, tribus modis conatur ostendere sufficientiam facultatis præsumptæ, præsertim ob supra citatam et adductam auctoritatem S. Thomæ, docentis eamdem facultatem sufficere ad faciendam eleemosynam de rebus monasterii. Horum autem modorum primus convenit cum sententiâ Sanchez, atque adeò nostrâ. Talis præsumptio (inquit Suarez citatus) semper reduci potest ad aliquam præsentem voluntatem prælati, quæ virtute contineat tacitam facultatem, ut, v. g., quia solet similis receptio esse grata superiori, et quia experimento constat, in similibus casibus solere facultatem dare sine acceptione personarum ; sic enim in voluntate unius particularis propter rationem universalem, virtute continetur voluntas aliorum. Hactenùs Suarez, conveniens, inquam, cum Sanchez, vel parùm distans ab ejusdem opinione : quanquàm deinceps addat, hanc explicationem sibi videri scrupulosam et minùs certam.

150. Herincx, n. 89, ex iis quæ præmiserat, infert à quibusvis religiosis et in utrâque religione non eamdem posse prudenter præsumi licentiam, uti nec in unoquoque monasterio et respectu superiorum quorumcumque ; sed attendendam qualitatem religionis, superioris et monasterii, etc. Porrò hæc præsumpta licentia (addit) est securior, quando non tantùm superior præsumitur fore contentus, si veniam peterem, sed etiam præsumitur non ægrè laturus istam veniæ præsumptionem. Hactenùs Herincx.

151. Porrò hoc dubium præter morem prolixius est, quanquàm, ut opinamur, non præter exigentiam materiæ. Restat brevis, eaque facilis, circa necessitatem licentiæ reflexio : videlicet obtinendam esse à vero superiore vel sic communiter reputato. Si autem plures dentur superiores subordinati, non est necesse, ut ab omnibus licentiam habeat subditus ; sufficit ut ab aliquo illorum habeat, cujus potestas per altiorem superiorem non sit vinculata. Solummodò est dubium de monialibus, an abbatissa sit vera illarum superior, potens eis concedere facultatem accipiendi, retinendi et dispensandi. Dicendum est posse, quia verè habet administrationem bonorum conventûs, et eidem promittitur obedientia, Ludovicus Lopez, 2 p., Instruct. Conscient. cap. 155, et lib. 2 de Contr. cap. 48 ; Corduba, Sum., quæst. 54, dub. ult. ; Layman, l. 4, tr. 5, cap. 7, n. 15, et alii, quos refert et sequitur Sanchez, lib. 7 Sum., cap. 19, n. 44.

DUBIUM V. — *Deturne proprietas venialis ex parvitate materiæ ?*

152. Negant D. Antoninus, 3 p., tit. 16, cap. 1, § 2 ; Gers., 2 parte, in resp. ad quasdam quæstiones, quæst. pen. Alphab. 34 ; Carthusianus, de Reform. claust., c. 14 ; Hugo, super Reg. B. Francisc. serenâ Conscientiâ, quæst. 81 ; Petrus Damian., Apol. de Contemptu mundi ; Corduba, super Reg. S. P. N. F., quæst. 6 ; Cajetanus, 2-2, quæst. 89, art. 7 ; Vivald. Candelab Sacram., 3 p., c. 14, n. 68 et nonnulli alii.

qui strictissimè in hâc materiâ loquuntur, censentes, cujuscumque rei, quantùmvis exiguæ, usurpationem sine prælati consensu factam, esse peccatum mortale, atque adeò graviter proprietarium esse religiosum, qui sine veniâ superioris, acum, filum, calamum vel aliquid ejusmodi possidet vel usurpat. Ratio esse potest quam Gerson, D. Antoninus, Vivaldus afferunt, quòd proprietas sit contra votum, maximè conducens ad statûs religiosi conservationem.

153. Eamdem opinionem videntur tenuisse sancti Patres, qui severioribus verbis, etiam minimas surreptiones aut usurpationes clancularias inhibent et reprehendunt. D. Benedictus in suâ Regulâ, cap. 33, statuit religiosum sine licentiâ superioris neque codicem, neque tabulas, neque graphium habere posse. D. Hieronymus Regul. Monach., cap. 3 : *Non retineatur*, inquit, *quantumcumque minimum temporale.* Et paulò inferiùs : *Nulla omninò tangere aut aliqualiter retinere audeat per horam, censum aut obolum aut aliquid quantùmcumque minimum.* D. Bonav., 1 p., Speculi discip. c. 4 : *Nullatenùs sine licentiâ... rem aliquam, sive tabulas, sive acum... accipere aut dare attentent.* Cassianus, l. 4, de Instit. renunt. cap. 13, de Religiosis sui temporis loquens : *Nulli*, inquit, *cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod ut proprium retinens, suo debeat communire signaculo.*

154. Cæterùm communis et verissima sententia est posse peccatum proprietatis, quod ex suo genere gravissimum mortale est contra votum paupertatis, veniale fieri ex parvitate materiæ : nam sive illud consideremus, quatenùs furtum est, eò quòd usurpetur alienum sine licentiâ domini, sive quatenùs sacrilegium est contra votum paupertatis, datur materiæ parvitas excusans à mortali : hæc enim et in furto, et in sacrilegio datur. De furto res est certissima, materiæ parvitatem à mortali excusare, ut cum omnibus theologis docet S. Thomas, 2-2, q. 59, art. 4, et q. 66, art. 9. Nec minùs certum de sacrilegio, et constat inprimis in violatione voti obedientiæ, quod religiosum non minùs obligat, quàm votum paupertatis. Idem est de voto simplici : qui enim exiguum aliquid, quod Deo promisit, culpabiliter non adimplet, venialiter peccat, sive exiguum illud sit partialis, sive totalis materia voti. Quare hanc sententiam docent Navarrus, lib. 3 Consil. de Regular., consil. 75, n. 18; Mendosa, Quodlib. quæst. 8, conc. ult.; Lopez, 1 p. Instruct. conscient., cap. 156, concl. 5; Graffius, 1 p., decis. lib. 3, c. 5, n. 49; Rodriguez tomo 3, q. 29 (39), art. 10, concl. 8; Azorius, tomo 1, Instit. moral. l. 12, c. 12, q. 9 : Rebellus, tract. de Justitiâ, p. 1, l. 3, q. 15, sect. 3, n. 22; Sanchez, lib. 7, cap. 20, n. 2; Bassæus, v. *Paupertas religiosa*, n. 3; Bartholomæus à S. Fausto, Thesauri l. 8, c. 187, n. 2.

155. Nec obstant quæ ex sanctis Patribus allegata sunt : hæc enim eo rigore non debent intelligi, quasi religiosus, qui rem quampiam minoris considerationis usurpat vel dispensat sine consensu superioris, statim committat peccatum mortale, sed solummodò quòd committat mortale ex genere proprietatis, tametsi in individuo veniale ob materiæ parvitatem. Dici etiam potest Patres, cujusvis minutissimæ rei possessionem arguentes tanquàm contrariam paupertati, respicere hujus perfectionem, non prætendere mortalem obligationem ; id quod de doctore seraphico superiùs allegato indubitatum est, cùm illic novitios instruat, paupertatis obligatione hactenùs non ligatos.

Dubium VI. — *Quænam requiratur quantitas ad mortalem proprietatem?*

156. Communis iterùm et verissima sententia est, eam quantitatem necessariam esse et sufficere, quæ necessaria est et sufficit in hominibus secularibus ad constituendam materiam mortalis furti ; proprietas enim religiosi imitatur furtum seculare : ut enim in furto usurpatur res, invito domino, ita in proprietate, invito superiore, cui per votum paupertatis omnes suas actiones quoad receptionem, detentionem, distributionem cujusvis rei, pretio pecuniario æstimabilis, religiosus subjecit. Navarrus, Rebellus, Azorius, Graffius, Rodriguez, Corduba, Bonacina, Tamburinus, Crousers, Herincx, Kerckhove, et omnes de materiâ tractantes ; et R. P. Claudium Aquaviva, re cum peritissimis consultatâ, decrevisse, anno 1594, ita in societate Jesu observandum esse, testantur Molina, de Just., tomo 3, tr. 2, disp. 687, num. 2, et Sanchez cap. 20, n 3.

157. Verùm eò jam recidit tota quæstio seu difficultas, quænam requiratur quantitas vel materia ad mortale furtum ? Vide, quæso, si tantùm patientiæ habeas, Bannez, 2-2, q. 66, art. 6 ; Toletum, l. 5, cap. 6, num. 3 ; Cordub., Summ., quæst. 109 ; Navarr., Manual., cap. 17, num. 3 ; Medina, parte 2, quæst. 88, art. 8 ; Covarruviam, l. 1 Variar., cap. 3, n. 12 ; Turrianum, 2-2, q., tomo 2, disp. 33, dub. 2 ; Valentia, tomo 3, disp. 5, quæst. 10, puncto 6 ; Sylvestrum, v. *Furtum*, q. 2, n. 4 ; Vega, Sum., tomo 1, c. 129, cas. 12 ; Navar., de Restit., l. 3, c. 1, dub. 3, n 32 ; Reginald., in Praxi, tomo 2, l. 22, cap. 1, n. 18 ; Bonacin., de Contract., disp. 2, quæst. 8, puncto 1, num. 7 ; Malderum, 2-2, tract. 4, c. 1, dub. 3 ; Megala, 2-2, lib. 2, cap. 1, q. 3 ; Azorium, parte 3, lib. 5, cap. 13, q. 2 ; Sayrum, Clav. Reg. lib. 9, c. 12, num. 9 ; Lessium de Just. et Jure lib. 2, c. 12, dub. 6, n. 26. Lege, inquam, omnes citatos, videbis diversimodè loqui de materiâ ad furtum mortale requisitâ.

158. Verosimilior nobis videtur opinio, quæ materiam mortalis furti considerat, non penès inopiam vel divitias domini aut extrinsecum illius damnum vel incommodum, sed penès intrinsecam furto damnificationem. Materia verò sufficiens ad mortale furtum auferri videtur, dùm tollitur ea quantitas tota simul ab eodem, quæ sufficit et necessaria est ad honestam sustentationem diurnam personæ honestæ nec nimiùm splendidæ, nec nimiùm abjectæ. Hæc autem quantitas in his partibus, spectatâ pecuniæ raritate et copiâ mercium, videtur coincidere cum floreno Brabantico. Ego, inquit Marchant, vir in

omni praxi versatissimus, non condemnarem ullum proprietatis mortalis, nisi res appropriata tres saltem Julios (id est, argenteos, regales vel solidos) excedat et ad florenum perveniat in re aliquâ permanenti. In quâ tamen qualitate omni determinationi præpono judicium singulare boni et prudentis viri; fieri enim potest ut ex circumstantiis loci, monasterii, abundantiæ religionis, consuetudinis, usûs inter timoratos et probos, major etiam quantitas mortalem proprietatem non faciat.

159. Ita Marchant, qui notanter dicit, *in re aliquâ permanenti*: ut enim statim adjungit, habenda est ratio rerum usu consumptibilium, ut potûs et cibariorum, in quibus occultè et contra voluntatem superioris consumendis, quandoque plus displicet modus superiori, quàm voluntas contrarietur; et si voluntas contrarietur, quantitas et pretium aliter attenduntur, eò quòd sint objecta frequenter liberalis donationis et oblationis, aut quòd in quotidiano victu aut potu vix æstimentur aut appretientur. Hactenùs Marchantius. Imò Sanchez, cap. 21, n. 33; Suarez, cap. 11, n. 41, et ex eo Caramuel, in Regulam S. Benedicti, disp. 60, n. 888, et seq., existimant in potûs et cibariorum usu non tam facilè peccari graviter quàm in rebus cæteris, non solùm si ab extraneis recipiantur et absumantur sine superioris licentiâ, verùm etiam, si furtim è bonis monasterii auferantur.

160. Si simul, inquit Sanchez, magnam horum esculentorum quantitatem in proprios usus acciperet, aut haberet animum sic accipiendi, peccaret mortaliter contra votum paupertatis. At credo exigi multò majorem horum comestibilium quantitatem, ut sit mortale, quàm in aliis rebus. Ita ille. Suarez autem, in aliis bonis, ait, usu consumptibilibus, pertinentibus scilicet ad cibum et potum, si tantùm ad proprium usum actualem, ut sic dicam, et transitorium, aliquid sumatur, regulariter non videtur peccatum mortale, nisi damnificatio religionis esset nimia et in re extraordinariâ ac pretiosiore: extra hujusmodi enim casum res hujusmodi reputantur levioris conditionis; et quamvis prælatis hoc displiceat, non tamen ita sunt involuntarii ut illam reputent materiam gravem in ordine ad paupertatem, sed solùm in ordine ad decentiam et perfectionem religionis. Accedit quòd religiosi quoad usum hujusmodi rerum tractentur ut filii; inter parentem autem et filium non censetur similis actio gravis. Hactenùs Suarez. Caramuel verò: « Clandestina, inquit, ciborum sumptio, non est prælato involuntaria, quà « surreptio est, sed quà clandestina est. » Imò Tannerus, 2-2, disp. 7, q. 3, dub. 4, n. 106: « Nulla, « ait, prælati severitas ejusmodi acceptiones, quoad « substantiam rei acceptæ, iniquas reddere potest. » Sic illi. Interim

161. Dicendum videtur primò cum Bassæo, verb. *Paupertas religiosa*, n. 3, Lessio l. 2, c. 41, dub. 8, n. 70, Navarr., l. 3 de Restit., c. 1, p. 3, n. 180 et 181, Sayro, Clavis regiæ l. 9, c. 16, n. 20 et 21, Kerckhove, n. 28, præmissam doctrinam locum habere posse in monasteriis divitibus et opulentis, in quibus paupertas nonnihil luxata est, seu non tam rigidè observatur. Aliter verò loquendum, si superiores ordinum seu monasteriorum, in quibus viget altissimæ paupertatis usus, ejusmodi furtivas aut clandestinas acceptiones seu receptiones potûs et cibariorum expressè prohiberent sub pœnâ proprietatis; tum enim cùm ipsis displiceant, non solùm quoad modum, verùm etiam quoad substantiam, esset peccatum mortale furti vel proprietatis, si materia esset gravis.

162. Dicendum secundò cum auctoribus præcitatis, quemadmodùm ad furtum mortale filiorum seu domesticorum, quod attinet comestibilia, major desideratur quantitas seu materia, quàm ad furtum mortale cæterarum rerum, ita ad mortalem proprietatem religiosi, quod attinet furtivas aut clancularias rerum similium acceptiones, vel consumptiones, majorem materiam desiderari, tum quia (inquit Kerckhove) talium rerum acceptio et absumptio propter naturæ necessitatem faciliùs dissimulatur; tum quia earum dominium non vendicatur aut retinetur; sed merus intenditur usus, per quem consumuntur.

163. Quænam verò quantitas in similibus sit necessaria ad mortale, non satis est certum. Kerckhove loco sup. citato, putat requiri duplò majorem, conformiter, inquit, ad ea, quæ doctores communiter dicunt de furtis filiorumfamiliâs, quibus religiosi in hâc parte æquiparari solent. Sanchez autem, Suarez, Diana, Caramuel, Bassæus nil determinant, et meritò, quia non potest in rebus aut eventibus omnibus eadem quantitas præscribi: oportet enim respicere ad circumstantias valoris, finis et qualitatis; nam si res sit, quæ occludi et accuratè custodiri solet in particulares necessitates, minor quantitas sufficit ad mortale quàm in cæteris esculentis, ad usum communem destinatis. Insuper in communibus esculentis major requiritur quantitas, quando eorum est abundantia, ut si fundo conventûs largè percipiantur, quàm si esset penuria, et emerentur. Similiter si religiosus accipiat comestibilia ab extraneo sine consensu superioris sui, major requiritur quantitas quàm si clepat ex bonis monasterii; quæ omnia debent conscientiæ directores sedulò examinare, et neminem peccati mortalis arguere sine manifestâ ratione. Verùm de his et similibus plura inferiùs, circa casum 6.

164. Dicendum tertiò ex Kerckhove, n. 27, quòd quamvis voto religiosæ paupertatis repugnet usus rerum non consumptibilium, sine veniâ superioris, v. g., librorum, ordinariè tamen excusari religiosum à mortali ob materiæ parvitatem, quia usus libri, v. g., non perpetuus, sed temporalis, non æstimatur tanti ut peccatum mortale censeatur.

Dicendum quartò communem sententiam de æqualitate materiæ inter furtum mortale et mortalem proprietatem, intelligendam esse de furto mortali propter intrinsecam domini damnificationem: fallit enim, si loquamur de furto mortali ob circumstantias patientis, aut damnificationem furto extrinsecam: sic enim acus ablata furto, à sartore graviter indigente, est materia

mortalis furti, non tamen mortalis proprietatis ; furti, inquam, mortalis, sed propter extrinsecam furto jacturam et lucrum cessans.

DUBIUM VII.—*An pluries repetitæ minutæ acceptiones crescant in mortalem proprietatem?*

165. Affirmant doctores communiter, sustinentes per furta minuta sæpiùs repetita tandem peccari graviter, dùm gravis completur materia. Sanchez, tomo 1, l. 1, c. 4, num. 9 ; Salas, de Legibus, parte 2, tomo 1, quæst. 88, tract. 13, disp. 16, sect. 27; Valentia, tomo 3, disp. 5, q. 1, puncto 1 ; Reginald., in Praxi, tomo 2, l. 23, cap. 1, q. 4; Azorius, tomo 1 Instit., lib. 4, c. 9, q. 12, Rebellus, parte 1, l. 3, q. 15, sect. 15; Vasquez, parte 2, tomo 2, disp. 146, c. 2, num. 5; Filliucius, tomo 2, tract. 31, cap. 10, num. 245; Navar., de Restit. l. 3, c. 1 num. 40; Sayrios, Clav. Reg. lib. 9, c. 15, n. 22; Medina, p. 2, q. 88, art. 4, part. 2, tomo 1, tract. 2, c. 1, q. 1, n. 4; Sotus de Justitiâ, lib. 5, q. 3, art. 3; Ledesma, Sum., tomo 2, tract. 1, c. 20; Megala, 2-2, l. 2, c. 1, q. 3, n. 28; Bartholomæus à S. Fausto, Thesaur. Relig. l. 8, q. 189, n. 3; Sanchez, tomo 2, l. 7, cap. 31, cum aliis. Contrarium tenent Filliucius, 40, 21, tract. 31, c. 10, n. 243; Rodriguez, Sum. tomo 4, cap. 118, n. 29; Sales, Pract. 2, quæst. 88, tract. 13, disp. 16, rect. 27, num. 88; Navarrus, cap. 17, n. 140; Toletus, lib. 5, cap. 16, n. 4, et alii.

166. Ratio primæ opinionis est, quòd in ultimo minuto furto, suppositis nimirùm cæteris, compleatur materia gravis, atque adeò fiat religiosus usurpator alienæ rei in notabili quantitate, invito domino. Quamvis autem furta singula sint exigua, si spectentur seorsim, omnia nihilominùs simul sumpta sunt gravia et coalescunt tandem in notabilem quantitatem, quæ quando completur, tum demùm mortale peccatum committitur.

Verùm auctores allegati et eorum argumentum loquuntur de proprietate, quæ non solùm est sacrilegium, sed etiam injustitia. In quo supposito non est difficilis quæstio : ut enim furta minuta (nisi nimirùm interpolata sint, etc. de quibus infra) pluries repetita crescunt in mortalem injuriam, ita non est difficile intellectu, quo pacto respectu religiosi crescant in grave sacrilegium. Sacrilegium enim injustitiam sequitur tanquàm pedisequum, adeò ut ubi illa gravis est, pariter hoc sit grave; ubi levis, leve. Simile est 1° in furtis minutis rei sacræ, aut etiam profanæ de loco sacro : si enim pluries repetantur, constituent tandem peccatum grave non solùm contra justitiam, sed etiam contra religionem. 2° In voto, quo quis se obligâsset ad non furandum : videtur nim peccatum grave sacrilegii commissurus, quando complet materiam notabilem sensim ablatam. Jam verò religiosus vovit non furari, non quidem formaliter, sed virtualiter, quatenùs vovit non habere proprium aut non exercere actus proprietatis; quod votum, furando, violat.

167. Major videtur esse difficultas de proprietate, consideratâ præcisè quatenùs est sacrilegium ; quamvis enim proprietas religiosi (secundùm ea quæ diximus n. 85), plerùmque duplicem malitiam habeat, alteram furti, alteram sacrilegii ; nihilominùs absolutè loquendo (ut itidem illic dictum) prior à posteriori separari potest; v. g., si secularis donet aliquid religioso eâ lege, ne monasterio acquiratur, est proprietas, eò quòd res usurpetur absque licentiâ superioris, non autem furtum, quia usurpatur de licentiâ domini. Similiter continget reperiri solam proprietatis malitiam, quando religioso datur aliquid à vero domino, cujus acquirendi monasterium est incapax : ut si religioso minorum dentur annui redditus, erit proprietas, sed non furtum, quia accepit ex voluntate domini, nec monasterio aliquid acquisitum est; quare ejus contradictio non sufficit ad rationem furti. Ita Sanchez, cap. 20, n. 8.

168. Hoc itaque potissimùm quæritur, an si religiosus sine licentiâ superioris recipiat per intervalla ab extraneo rem aliquam levioris momenti, cujus dominium donator retineat, an, inquam, illo casu repetitæ acceptiones mortalem proprietatem constituant? Herincx, n. 96, respondet affirmativè, si priora nondùm sint consumpta; sic enim detinet et possidet religiosus rem notabilem sine licentiâ superioris. Si verò sint usu consumptibilia et de facto consumpta, sine ordine ad inferendum communitati notabile detrimentum aut ad consumendum rem notabilem, non videtur fieri mortale : nam superiores non solent similibus parvis consumptionibus graviter offendi, nec confessarii tales arguere gravis peccati, etsi confiteantur se sæpiùs venialiter peccâsse contra votum paupertatis, potiùs quàm si confiteantur se sæpiùs leves transgressiones obedientiæ aut continentiæ admisisse. Aliud est de furtis : nam supponuntur domini esse notabiliter inviti, etiamsi priùs ablata sint consumpta, quando tandem gravis exurgit quantitas, etsi necessariò major, dùm tempus, præsertim notabile, interjacet inter unum et aliud leve furtum ; non supponuntur autem ita inviti superiores circa subditos, utpote qui sunt in monasterio velut filiifamiliâs in domo patris.

169. Præterea talis religiosus, factâ consumptione nihil retinet aut possidet, sicut fur etiam post consumptionem retinet moraliter seu virtualiter, cum potestate restituendi alienum notabile, etsi paulatim acceptum. Ita Herincx, ex cujus finali reflexione colligitur probabile esse quòd ejusmodi modicæ acceptiones et consumptiones non constituant mortale, etsi prælatus invitus esse supponatur : singulæ enim seorsim consideratæ sunt exiguæ, nec videntur coalescere sive formaliter, sive virtualiter, seu moraliter; quemadmodùm ex hoc capite non constituunt mortale sacrilegium plura venialia contra obedientiam vel castitatem, nec mortale sacrilegium constituunt plures modicæ clerici percussiones. Aliud est de furtis minutis sensim consumptis, quia, ut supra docet illustrissimus Herincx, coalescunt, quatenùs fur rerum minutarum, post consumptionem notabilis quantitatis,

incipit moraliter et virtualiter retinere notabile alienum.

Dubium VIII. — *Quæ sit pœna proprietatis ?*

170. Respondeo esse triplicem : prima, religiosus qui inventus fuerit nequidem in morte proprium dimisisse, in loco sacro sepeliri nequit, c. *Monachi*, de Statu monachorum ; sed sepeliendus est in sterquilinio cum pecuniâ sive re proprietariâ, per eum possessâ, c. *Cùm ad monasterium*, eodem. Imò, si in loco sacro sepultus fuerit, extrahendus est, nisi sine magno scandalo non posset fieri, c. *Super quodam*, ubi exemplum de canonico regulari sumptum statuitur in perpetuam sequelam pro similibus ; *hoc autem*, inquit Clemens III, *cùm fortè contigerit, in similibus est agendum.* Quamvis autem, spectato rigore textûs, c. *Cùm ad monasterium*, citat., et exemplo Gregorii, quod illic adducitur, debeat tota rei proprietariæ summa cum eodem sepeliri, ut advertit Graffius, Decis. p. 2, l. 3, c. 19, n. 5, nihilominùs æquitas solam pecuniæ partem sepeliendam suadet, ne fieret aliquando profusio nimia et inutilis perditio, ut observat idem Graffius cum iisdem. Hanc autem partem cum proprietario sepeliendam, volunt Joannes Andreas, Hostiensis, Ancharanus et Lopez, debere esse triginta nummorum, quòd Joseph et Christus Dominus Salvator noster totidem argenteis sint venumdati. Gratis, quia nullibi legitur illius proportionis vel determinationis solidum fundamentum. Observandum autem est primò, materiam omninò notabilem ad hanc pœnam requiriri ; secundò, necessarium esse ut constet evidenter de impœnitentiâ et malâ morte proprietarii ; tertiò, non posse pœnam extendi ad solos donantes aliquid sine veniâ superioris, quia de possessoribus tantùm loquuntur canones.

171. Secunda pœna est, ut monachus habens proprium à monasterio expellatur, eodem c. *Cùm ad monasterium.* Sed rectè advertit Panormitanus in dictum locum, num. 13, textum illum (quod attinet expulsionem è monasterio) correctum esse per c. *Finale*, de Regularibus, ubi decernitur proprietarium recludendum esse ad agendam pœnitentiam.

172. Tertia pœna est, ut si religiosus proprium possidere deprehensus fuerit vel convictus, privetur biennio voce activâ et passivâ, juxta sui ordinis constitutiones insuper puniendus. Ita concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 2, de Regularibus, statuens ut, *si quis aliter* (ac supra expressum est) *quidquam tenere deprehensus ac convictus fuerit, is biennio activâ et passivâ voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ et ordinis constitutiones puniatur.* Porrò hæc pœna manifestè postulat sententiam judicis, ut colligitur ex illis verbis : *Tenere deprehensus aut convictus fuerit.* Neque pœna iterùm incurritur à dantibus aliquid absque licentiâ superioris, quamvis et hi peccent in paupertatis votum, sed à retinentibus, quia Tridentinum propriè intellectum de solis habentibus seu tenentibus loquitur.

Turrecremata, c. *Non dicatis*, art. 3, n. 6, vers. 12, q. 1, cum Felino, Gomez et nonnullis aliis, quartam adjicit pœnam, nempe excommunicationis. Ratio autem ejus est, quòd bona sua aliis non communicans, indignus sit aliorum communione. Sed gratis, quia excommunicatio vel alia censura ecclesiastica non potest pro arbitrio extendi ad casum jure non expressum. Porrò nullibi in jure legitur similis ex communicatio.

ARTICULUS V.

DE CASU QUINTO.

Textus. — *Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.*

173. Hic casus iterùm priori jungitur in Clementino decreto, sub numero tertio ; at quoniam omninò disparata sunt *proprietas* et *juramentum falsum*, ideò à se mutuò tanquàm in duos distinctos casus separantur. Quocirca instituitur

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit juramentum falsum ?

Respondeo : Ut cognoscatur quid sit juramentum falsum, oportet priùs cognoscere quid sit verum. Itaque juramentum verum, est invocatio divini nominis ad firmandam aliquam veritatem, cum requisitis conditionibus. Conditiones requisitæ, quæ vulgò *comites* appellantur, sunt justitia, judicium, veritas. Hæ si adsint, juramentum erit non solùm absolutè verum, sed etiam licitum et legitimum. Contra si aliqua earum desit, peccaminosum est ; non tamen propriè loquendo falsum, si solâ justitiâ vel judicio destitutum. Vide theologos desuper disputantes, et si placeat, tractatum nostrum præcedentem, cap. 21, quæst. 1, n. 696, et seq. Itaque *juramentum falsum* est, cui deest jurata veritas ; sive juramentum falsum (quoniam coincidit cum perjurio rigorosè sumpto) juxta S. Thomam, 2-2, q. 98, art. 1, est *mendacium juramento firmatum.* Mendacium autem (inquit Kerckhove num. 46,) est falsa significatio vocis cum intentione dicendi falsum. Sed juxta hanc descriptionem non mentietur, qui dicit verum, existimatum falsum, seu cum intentione dicendi falsum : cùm enim quis dicit, v. g., Petrum esse domi, Petro reverâ domo non egresso, non est falsa illius vox, atque adeò nec falsa significatio vocis, nisi dicamus, ad falsam vocis significationem sufficere quòd hæc repugnet loquentis judicio. Interim clarior videtur cæterorum theologorum descriptio, quâ mendacium dicitur, *locutio contra mentem.* Porrò sub locutione comprehenditur quælibet externa significatio, sive fiat verbis, sive scripto, sive gestu, sive aliâ ratione.

174. Hinc colligitur primò non reservari juramentum, cui solummodo deesset justitia vel judicium. Ratio, quia horum defectus non reddit propriè juramentum falsum aut strictè dictum perjurium, ut supra dictum.

Colligitur secundò, indifferens esse, an sit juramentum solemne, quod nimirùm præstatur tactis evangelio, cruce, altari, pectore sacerdotis, etc., an verò simplex, quod emittitur sine istis solemnitatibus. Ratio manifesta est, quia reservatur simpliciter

juramentum falsum : falsitas autem utrique communis est, et simplici, et solemni.

Colligitur tertiò, perinde esse sitne juramentum assertorium, an promissorium, dummodò desit jurata veritas, seu committatur perjurium rigorosè sumptum. Quare, cum in juramento promissorio (ut nos putamus cum gravissimis et plerisque theologis) sola veritas de præsenti, proximè ac secundùm se jurata sit, requiritur ut hæc ipsa desit ad incurrendum casum. Vide tract. nost. cit.

175. Colligitur quartò, si quis initio litis aut judicii juramentum præstet de dicendâ veritate circa interrogatoria proponenda, non incurrere casum, etsi postea veritatem non dicat, dummodò dicendæ veritatis intentionem habuerit, cùm juravit : est enim juramentum promissorium, cujus executio vel adimpletio etiam culpabiliter omissa, quamvis constituat peccatum grave in gravi materiâ, non facit tamen perjurium strictè sumptum, juxta præmissam doctrinam. Vide tract. nost. cit.

Colligitur quintò, idem dicendum esse de juramento *calumniæ*, quâ parte est promissorium; pro quo notandum quòd juramentum *calumniæ*, litigantibus deferri solitum, contineat sequentia. Primò, quòd putent, se bonam causam tueri. Secundò, se interrogatos à judice veritatem dicturos. Tertiò, non adhibituros scienter falsas probationes. Quartò, non prorogaturos litem fraudulenter. Quintò, nihil contra legis prohibitionem promisisse vel promissuros alicui causâ litis. Hoc juramentum est assertorium, quod attinet ad primum punctum. Idem est de puncti ultimi parte primâ; de reliquo est promissorium; et eatenùs dicimus, ejusdem violationem non sufficere ad casum reservatum; quia juramenti promissorii, ritè et cum debitâ intentione præstiti, violatio, etsi peccatum sit grave vel leve juxta materiæ quantitatem, non est falsum juramentum. Vide tract. nost. cit.

176. Colligitur sextò non incurrere præsentem casum qui erroneè juraret falsum, quia est tantùm perjurium materiale; imò propriè loquendo, ne materiale quidem : ut enim non admittimus mendacium materiale, eò quòd mendacium ex suâ ratione genericâ ita debeat esse contra loquentis mentem, ut si contra hanc non sit, mendacium non sit, sic nec admittimus materiale perjurium seu juratum mendacium. Nec dicas dari posse materiale homicidium, furtum, adulterium, etc.; disparitas enim jam insinuata est, quòd nihil horum generatim sumptum describatur per ordinem ad intentionem operantis.

177. Colligitur septimò secùs dicendum si quis juraret verum quod putaret falsum; est enim in casu verum et reale mendacium, ad quod non requiritur difformitas significationis cum objecto, sed cum loquentis intentione, quia mendacium non describitur locutio, ut ita dicam, contra objectum, id est, difformis objecto, sed contra mentem, id est, difformis menti seu opinioni loquentis; atque adeò ad mendacium sufficit falsitas vera vel existimata. Nec dicas cum Bassæo, verb. *Casus reservatus*, § 5, et aliis ab eodem citatis, actum externum in casu non esse perjurum, atque adeò nec reservatum, cùm reservatio non afficiat nisi delictum internum simul et externum; respondeo enim actum externum in casu seu externam et sensibilem locutionem eo modo perjuram esse, quo modo esse potest, id est, per ordinem ad actum interiorem : nam actus externus abstractim, fundamentaliter et sine illo ordine consideratus, potest falsus esse, id est, objecto difformis; perjurus esse non potest, etiam materialiter, ut supra dictum; perjurium enim est mendacium : mendacium autem dari aut fingi non potest sine relatione ad judicium vel opinionem loquentis, ita ut difformitas locutionis cum objecto nihil faciat sive ad naturam sive ad malitiam mendacii, in eo sitam quòd quis velit alterum inducere in errorem, atque adeò, quantùm in se est, evertere veracitatem et sinceritatem, totius humanæ societatis et commercii fundamentum. Hanc sententiam docent Fagundez, de secundo Ecclesiæ præcepto, l. 8, c. 7, n. 1; Graffius de Cas. reserv., l. 3, c. 5, et alii.

178. Colligitur octavò, casu reservato non teneri qui jurat falsum exteriùs sine interiori intentione jurandi. Ratio est quia sine jurandi intentione non fit juramentum : quemadmodùm sine animo vovendi non est votum vel professio; sine animo contrahendi seu se obligandi non fit contractus. Ita Bordonus resolut. 44, n. 18, et multi alii. Interim jurare exteriùs sine animo jurandi, est peccatum ex genere mortale contra religionem. Ita Suarez, lib. 3, c. 17, n. 2, et alii communiter. Probatur tum quia per talem jurandi modum in re gravi et perniciosâ nomen Dei assumitur in vanum, utpote quod potiùs ad deceptionem, quàm veritatis confirmationem adhibetur; tum quia modus ille jurandi repugnat fini principali juramenti : nisi enim homines teneantur sub gravi obligatione conformare suam intentionem expressioni exteriori, omnis utilitas et efficacia juramenti evertetur. Hinc patet quàm insulsa sit hæc inter proscriptas ab Innocentio XI propositio 25 : *Cum causâ licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit gravis, sive levis.* Ita Herincx, p. 3, tract. 4.

179. Colligitur nonò, similiter reservatione non ligari, qui falsò præstaret juramentum seu assertorium, seu promissorium ex metu gravi injustè incusso. Peyrinis, n. 45, Kerckhove, n. 49, Herincx p. 4, tract. 4, disp. 6, quæst. 1, n. 11, dicens : Si quis gravi metu adigatur ad committendum aliquod peccatum reservatum, metus facit cessare reservationem tali casu, uti et obligationem aliarum legum ecclesiasticarum. Quemadmodùm etiam talis metus excusat à censurâ, tali peccato annexâ. Ita notat Aversa, q. 17, sect. 1, ex Jacobo de Graffiis, et aliis. Hactenùs illustrissimus Herincx.

Colligitur decimò idem dicendum esse si juramentum non exigatur, sed ejus loco (ut alicubi solet) imponatur solummodò præceptum obedientiæ : tum enim falsum dicens, licèt peccet peccato inobedientiæ pro

quantitate materiæ, non tamen committit crimen perjurii.

Colligitur undecimò indifferentem esse ad incurrendam reservationem, qualitatem personæ, quæ pejerat, id est, nihil referre, seu reus, seu actor, seu testis sit, qui præstat perjurium, dummodò *in judicio regulari seu legitimo*, idque sive affirmando falsum, sive negando verum.

Colligitur duodecimò, mandantem vel consulentem perjurium in judicio regulari seu legitimo, in casum reservatum non incidere. Ratio est ex alibi dictis, quia verè non præstant falsum juramentum.

Dubium II. — *Quid* Judicium?

180. Omissis variis judiciorum in jure acceptionibus, quas tradunt Maranta, 1 p. Speculi, et Glossa c. *In judiciis*, 12, de Regulis juris, in 6, in præsenti sumitur judicium pro causæ discussione, quæ coram judice pro tribunali sedente exercetur; quare describi potest: legitima rei controversæ inter litigantes coram judice disceptatio. Unde judicium est quasi jurisdictio, quòd in eodem jus dicatur vel reddatur à judice, c. *Forus*, de V. S.

Porrò ad judicium (loquimur de contentioso: quæ enim voluntariæ sunt jurisdictionis, veluti emancipatio, et id genus alia, sine ullâ judicii formâ, nulloque conflictu partium expediuntur) tres personæ requiruntur, judex, actor, reus: quæ etiam in judicio inquisitionis verè vel fictè interveniunt; quia fama, v. g., præcedens, repræsentat actorem c. *Qualiter*, 17, de Accusat. c. Heli, 31, de Simoniâ, his verbis, *sed quasi famâ deferente vel denuntiante clamore.*

181. *Judex*, quasi jus dicens, c. *Forus*, de V. S., est, qui publicam habet de causis et criminibus cognoscendi et statuendi potestatem seu jurisdictionem. Publicam, inquam, ut excludatur arbiter, qui non est judex nec potestatem judicandi publicam habet, sed solummodò privatam, nempe ex consensu privatorum qui judicem constituere nequeunt, l. *Privatorum*, c. de jurisdic. omn. Jud. Judex, alius est ordinarius, alius delegatus. Ordinarius est qui propriam exercet jurisdictionem competentem sibi ratione officii, per legem, canonem, principem, populum, consuetudinem, c. *Duo*, 9, de Offic. Jud. Ord., can. *A. Jud.*, 2, q. 6, c. ult. de offic. Jud. Ord., in 6, c. *Cùm contingat*, de Foro compet. Delegatus est qui jurisdictionem exercet nomine alieno, et vice delegantis. Jurisdictionem ordinariam ecclesiasticam habent primò, Romanus Pontifex per universum orbem, can. *Aliorum*, et multis aliis, 9, q. 3. Secundò, patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, in suâ quisque provinciâ vel diœcesi, c. 1, de Offic. Jud. Ord., c. *Non minùs*, de Immun. eccles. Tertiò, ecclesiæ collegiatæ præfectus, ut præpositus, decanus, plebanus, aliique prælati episcopo inferiores, in suos subditos. Quartò, abbates et priores in suos monachos, c. *Illorum*, de Sent. excom., c. *Ea quæ*, de Statu monach. Quintò, abbatissa in moniales et clericos sibi subjectos, c. *Dilecta*, 12, de Majorit. et Obed. Potestatem tamen judicis non habet, nec forum contentiosum; quare non excommunicat.

182. Cæterùm judex, quoniam judicii potissima persona est, exigit pariter potissimas conditiones, quas ad numerum quinarium reducit Berti, Praxis criminalis, tit. 2, cap. 6, n. 9, videlicet potestatem, veritatem, formam juris, scientiam et puritatem animæ, quarum tres priores adeò judici sunt necessariæ, ut sine iis judicium sit prorsùs nullum et irritum. S. Thomas, 2-2, q. 60, art. 2. Omnes illas conditiones exhibet Scriptura sacra. Sapient. 6: *Cùm essetis ministri regni illius* (ecce potestatem), *non rectè judicâstis* (ecce veritatem), *nec custodistis legem justitiæ* (ecce formam juris), *neque secundùm veritatem Dei ambulâstis* (ecce animæ puritatem); *ad vos ergo hi sermones mei, ut discatis sapientiam rectè judicandi, e non excidatis* (ecce scientiam ad faciendum judicium). Illis verò qui eas conditiones non possident, quid eventurum sit, eodem capite subditur: *Horrendè et citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet.* Nec ideò sine metu sint, quia vindictam non statim sentiunt; sequitur enim: *Exiguo* quidem *conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.*

183. Requiritur 1° *potestas* seu auctoritas in judicante: qui enim auctoritate caret sive in personas judicandas, sive in causam (v. g., si sit exempta), injuriam facit tum partibus, quatenùs earum causæ se ingerit, tum legitimo judici, in cujus potestatem et officium involat. Hujus defectu judicium dicitur *usurpatum*, et graviter prohibetur can. *Scriptum*. 6, q. 3. Imò non solùm graviter peccant, qui judicem agunt super causâ vel personâ sibi non subjectâ, sed etiam sententia est irrita. Ratio est quia huic judicio deest potestas, ad valorem sententiæ omninò necessaria; judex enim debet habere auctoritatem et obligandi conscientiam et cogendi ad executionem sententiæ, quæ aliàs inefficax futura est. Vide S. Thomam, 2-2, q. 60, art. 2 et 6. Item q. 67, art. 1; Sylvestrum, verb. *Judicium*, n. 6; Navarrum, tom. 1, consil. 1, de Foro compet., n. 2; Panormit. in c. *Ad nostram*, de Jurejurando; Toletum, lib. 5, c. 56, n. 4; Lessium, lib. 2, c. 29, dub. 6, n. 49.

184. Requiritur 2° *veritas*, secundùm illud Zachariæ 7: *Hæc dicit Dominus: Judicium verum judicate.* Veritas autem (quod ad præsens institutum attinet) est duplex, una videlicet rei, altera conscientiæ. Veritas rei dicitur, quæ convenit cum re ipsâ seu objecto, adeò ut, quod asseritur, reipsà existat, quemadmodùm asseritur. Veritas conscientiæ nuncupatur, dùm, quod asseritur, convenit menti seu judicio loquentis; sive objecto, id est, rei, secundùm se consideratæ conveniat sive repugnet. Hanc tribus modis aliquis habere potest, primò tanquàm Dei minister per sacramentalem confessionem. Secundò tanquàm persona privata per sensum visûs vel auditûs. Tertiò tanquàm persona publica in judicio, videlicet per legitimas testificationes, per sufficientia indicia vel per acta et probata in processu judiciali. Ita Berti, Praxis crim.

tit. 2, c. 8, n. 6; Toletus, sup., n. 7, et alii.

185. — 3. Servanda est judici *forma juris* : nisi enim una omnibus norma aut forma præscripta sit, quam sequantur, abusus maximi sunt necessarii pro variorum judicum diversâ opinione. Porrò hæc juris forma videtur consistere in punctis quatuor : in modo procedendi, in præparatoriis, in ferendâ sententiâ, et in pœnâ imponendâ. *Modus procedendi* in criminalibus est triplex, per accusationem, denuntiationem, inquisitionem, de quibus infra. *Præparatoria*, sunt citationes, delatio juramenti, termini, dilationes, exceptiones, appellationes, tortura, defensiones et reliqua in fabricando processu, tam pro habendâ veritate delictorum, quàm pro rei defensione contingentia : quæ omnia judex peragere, deferre, concedere, recipere, acceptare, inferre, procurare, tribuere et exequi debet secundùm statuta, leges et constitutiones. *Sententia* proferri debet non ex proprio judicio aut privato capite judicis, sed secundùm juris, statutorum aut constitutionum dispositiones, c. 1, de Sentent. et Re judic. Neque præcipitanda est, sed maturo judicio ponderanda, priusquàm proferatur, secundùm illud Sapient. 12 : *Cum tranquillitate judica.* Denique pœna debet esse delicto conformis, etiamsi sit arbitraria; quia *pro mensurâ delicti, erit et plagarum modus*, Deuteron. 25. Neque ulla unquàm pœna eo sensu est arbitraria, quasi sit penes arbitrium judicis decernere pœnam ultra demeritum seu gravitatem culpæ.

186. — 4. Requiritur in judice *scientia* seu jurisprudentia, ad ritè judicandum : lex enim tam naturalis, quàm humana prohibet, ne quis exerceat artem quam ignorat : si ergo unusquisque ea scire teneatur, sine quorum cognitione actum sibi debitum nequit exercere, singulique illa quæ ad statum et officium suum spectant, necessariò novisse debeant, quemadmodùm cum S. Thomâ, 1-2, q. 27, art. 2, docent omnes theologi; certè id in judice non est negandum, cujus imperitia tam reo, quàm innocenti, atque adeò bono communi plurimùm obesse potest. Quod si superior aut judex peritus ipse aut idoneus non sit, ne jungat ignorantiæ præsumptionem, id est, utatur saltem prudenti et jurisconsulto assessore. Imperitia judicis, ait S. Augustinus, lib. 19, de Civ. Dei, cap. 6, plerùmque est calamitas innocentis. Hinc Laurentius de Peyrinis, tom. 2, de Prælato, q. 4, deplorat quòd, licèt materia quæ ad bonum et rectum judicem spectat, maximè sit prælatis regularium necessaria, parùm tamen sit ab ipsis practicata : cùm enim, inquit, multos videamus, in theologicis quæstionibus valdè versatos, in Scripturis sacris maximè practicos, alios orationi et contemplationi multùm intentos, alios negotiis secularibus implicatos, alios historiis, alios aliis professionibus delectari, paucos videmus doctos in hâc materiâ judiciorum, plus prælatis necessaria pro religionis conservatione et subditorum quiete, quàm ipse panis. Ita Peyrinis.

187. — 5. Necessaria est in judice *puritas vitæ;* quod enim scelus damnet, indulgens sibi, aut quo pacto exerceat justitiæ munus, ipse iniquitatis famulus? *Judicet ille* (inquit S. Augustinus super Psalm. 118, et refertur c. *Judicet*, 3, q. 7) *de alterius errore, qui non habet quòd in seipso condemnet. Judicet ille qui non agit eadem quæ in alio putaverit esse punienda : ne cùm de alio judicat, in se ferat ipse sententiam.* Et Christus Dominus, Joannis 8, v. 7, non aliâ lege consensit scribis et Pharisæis in mulieris adulteræ lapidationem, quàm ut, qui eorum sine peccato esset, primus in eam lapidem mitteret. Hæc de judice. Nunc de reliquis judicii personis.

188. Secunda persona concurrens ad judicium, est *actor*, nimirùm in civilibus. Actor dicitur, quia actionem intentat, et prior ad judicium provocat, l. *In tribus*, 13, et l. *Inter*, 62, ff. de Judiciis. Ejus loco in criminalibus est *accusator.* Incumbit actori, postquàm reus citatus comparuit, libellum intentionis suæ ante omnia judici offerre, et per judicem ipsi reo, ut is deliberare possit, cedere, an litigare malit. Quod si actione personali agatur, causa obligationis in libello exprimenda erit, v. g. : *Peto centum ex mutuo, ex vendito*, etc. Sin verò actione reali, dominium necessariò inserendum est libello, v. g. : *Peto hanc rem, quia mea est.* Quare dicunt nonnulli quòd libellus actoris, syllogismum juridicum continere debeat, cujus propositio major sit principium juris, minor contineat speciem facti, conclusio petitionem, v. g., in hunc modum : Emptor rei obligatus est ad solvendum pretium, traditâ ipsi mercè; Titius à me emit equum, quem eidem tradidi vel tradere paratus sum : ergo peto, ut Titius emptor equi mihi pretium solvat. *Accusator* verò in criminalibus est, qui alterum de crimine defert judici, per scripturam, causâ vindictæ publicæ.

189. Unde accusatio, est criminis alicujus apud judicem competentem, vindictæ publicæ causâ, interveniente inscriptione, legitimè facta delatio. Ad eam jure communi requiruntur sex conditiones : primò, ut fiat in scriptis; secundò, ut exprimatur dies et annus, quibus intentatur; tertiò, nomen accusatoris et accusati; quartò, species delicti; quintò, locus et tempus, nempe annus et mensis, quo delictum commissum est; sextò, inscriptio accusantis. Colligitur ex l. *Libellorum*, ff. de Accusationibus. Harum tamen conditionum aliquæ à foro recesserunt, et desuetudine abrogatæ sunt. Differt accusatio à denuntiatione, non solùm evangelicâ, verùm etiam judiciali; quòd denuntiator obligationem probandi in se non recipiat, quemadmodùm accusator.

190. Tertia persona, est *reus*, juxta S. Isidorum, Ethimolog., l. 18, c. 15, et habetur, c. *Forus*, sup. cit., *à re, quæ petitur, nuncupatus : quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiù in judicium pro re aliquâ petitur.* Itaque reus vocatur generaliter, qui à quovis in quàlibet controversiâ ad judicem provocatur. Plerùmque debitorem significat, interdùm etiam creditorem, Instit. de Duobus reis. Debet à legitimo judice, legitimè interrogatus fateri veritatem : eo enim ipso, quo judex legitimus habet legitimam auctoritatem interrogandi, debet in reo esse obligatio correlativa respondendi.

191. Quarta persona, est *testis*, ille scilicet, qui ad fidem alicui veritati faciendam accersitur. Inter cæteras autem probationis species eminet, quæ fit per testes, estque dignior et efficacior illâ quæ fit per instrumenta, cùm falsitas instrumenti, vel quod instrumento deest, per testes probari possit, c. *Cùm Joannes*, de Fide Instrum., habeatque locum in omnibus omninò judiciis, tam criminalibus, quàm civilibus, c. *In omni*, c. *Super eo*, et aliis, de Testibus et attestat, tam in ecclesiasticis et spiritualibus, quàm profanis, c. *Cùm mutuis*, c. *In causis*, eod., tam in primâ, quàm in secundâ instantiâ, c. *Fraternitatis*, eod. Oportet verò ut testes sint habiles et idonei, ætate, moribus, conditione; extra suspicionem, quòd gratiam et potestatem prælaturi sint suæ fidei; pretio non conducti, c. 1, eod., l. 5, c. eodem.

192. Quinta persona, est *advocatus* seu patronus. Dicitur *advocatus*, quia in forensibus negotiis proponendis ac discutiendis parti patrocinium præstat verbo vel scripto. Vocatur *patronus*, quia patrocinatur causæ actoris aut rei. Vocatur orator et rhetor causidicus, quia rectè scribendo et discurrendo, veritatem et justitiam causæ coram judice exponit. Nomen autem advocati indicat, quòd non propriâ sponte, sed alterius voluntate in patrocinium causæ vocari debeat, vel etiam justitiâ et æquitate periclitante ad patrocinandum invitari. Justum patrocinium justè vendit. Ad restitutionem tenetur tam parti, quàm clienti, si scienter defendat, aut in defensione prosequatur causam injustam. In causâ dubiâ rectè petit declarationem judicis : probabili, tanquàm probabili licitè subscribit. Causam minùs probabilem minùs rectè inchoat, saltem non monito cliente, nisi hic esset reus vel possessor. Hæc de naturâ judicii ac personis ejus sufficiant instituto nostro : restat breviter dicendum aliquid de ejus membris dividentibus.

193. Itaque judicii variæ sunt divisiones, videlicet ex parte judicis, ex parte materiæ, ex parte formæ, et ex parte finis. Ex parte judicis, aliud est Ecclesiasticum, aliud seculare. Illud coram Judice Ecclesiastico inter personas ecclesiasticas de rebus ecclesiasticis agitatur, v. g., de matrimonio, beneficiis, decimis, jure patronatûs, hæresi, simoniâ et similibus. Hoc coram judice laico inter seculares de re seculari exercetur. *Ex parte materiæ* aliud est judicium *petitorium*, in quo de rei proprietate aliove jure agitur : aliud *possessorium*, in quo de solâ rei possessione vel quasi possessione contenditur. *Ex parte formæ*, aliud est judicium *ordinarium*, aliud *extraordinarium*. *Ordinarium* seu *solemne* vocatur, in quo solemniter, servato judicii ordine, proceditur, videlicet cùm reo, in jus vocato libellus, hoc est, actoris intentio scripto ceditur; fit contestatio litis; præstatur juramentum calumniæ; proferuntur probationes; demùm sententia à Judice sedente profertur scripto. Judicium verò *extraordinarium* seu *summarium* dicimus, in quo, omisso solemni judicii ordine, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ judicii proceditur. Denique *ex parte finis*, aliud est judicium *civile*, in quo actor suum vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causâ ex contractu sive ex delicto descendat. Aliud est *criminale*, in quo agitur de causâ criminis ad vindictam publicam.

Dubium III. — *Quid judicium* regulare?

194. Suarez, de Virt. et Statu Religionis, tom. 4, l. 2, cap. 18, n. 7; Fagundez, de Secundo Ecclesiæ præcepto, l. 3, c. 7, n. 1; Sylvius, Supplem., q. 20, art. 2, quæst. 2; Tamburinus, de Jure abbat., tom 2, q. 2, n. 23; Bassæus, sup. § 5; Peuplus, sup., c 3; Castropalao, de Sacram. Pœnit., tract. 23, disp. unic., puncto 15, § 2, n. 18; Crousers, Lect. paræn., 15; Cotonius, l. 4, controv. 10, cap. 2, n. 23, non videntur distinguere inter judicium *regulare, et legitimum*, volentes *regulare* hoc loco non sumi pro religioso, seu eò quòd exercetur inter religiosos; sed pro eo, quòd juxta regulas seu ordinem juris instituitur. Hoc nomine, inquit Cotonius ex Pellizzario, intelligi non solùm perjurium, quod religiosus committeret in judicio sui ordinis, sed in quolibet : nam adjunctum illud *regulari* explicatur per alterum *seu legitimo*.

195. Quare, si falsum juret religiosus, sive in foro religioso, sive in episcopali, sive laicali, in casibus permissis, hunc casum incurrit. Minimè verò in privatis conventionibus et arbitriis, nec in judiciis, quando non servatâ viâ juris interrogaretur; quòd hoc judicium non esset regulare et legitimum. Aliter verbum *regulari*, nempe pro religioso, accipit noster Bordonus; sed nostra interpretatio est conformior verbis et rationi. Ita Cotonius. Et quidem quod attinet finalia, videlicet istam acceptionem verbis conformiorem esse, ratio hæc reddi potest, quòd Pontifex non utatur copulativâ *et*, sed disjunctivâ et alternativâ *seu*, dicens *regulari seu legitimo;* hæc autem propria illius vocula alternativæ energia est, ut disjungat verba, non autem sensum : est enim differentia inter vocem *seu* et vocem *vel*, quòd posterior disjungat verba et mentem; prior verò verba, non mentem. Vide Barbosam, de Diction. usu freq. dict. 363, n. 17.

196. Nihilominùs judicium regulare à legitimo distingui, censent Peyrinis, tom. 2, de Prælato, quæst. 3, c. 2, § 1, n. 42; Coriolanus, casu 5, n. 3; Marchant, dub. 8; Kerckhove, cap. 6, § 22, num. 47, Bordonus, resol. 44, n. 5; Notau de casu quinto, dicentes, judicium regulare esse, cui præsidet regularis vel habens jurisdictionem in regulares, estque de causis regularibus, seu personas regulares concernentibus. Quod si hoc sensu regulare sumas, manifestè distingues à legitimo : respiciunt enim se regulare hoc sensu sumptum, et legitimum tanquàm excedentia et excessa : dari potest judicium legitimum, quòd non sit eo sensu regulare, puta, quod coram judice seculari inter personas seculares et de rebus profanis instituitur. Dari contra poterit regulare, quod non sit legitimum, puta, contra ordinem juris. Et inde ulteriùs deducere poteris cum Peyrinis citato, quòd, si regularis præstaret juramentum falsum in judicio seculari, etiam dato, quòd judex secularis

eo casu esset competens, tamen non incurreret hunc casum reservatum. Ad argumentum ex verbis Pontificis sumptum responderi potest, illam quidem esse magis propriam illius vocalæ *seu* acceptionem, nihilominùs posse aliquando minùs propriè sumi, ita ut non importet identitatem extremorum, inter quæ intercedit. Vide Barbosam citatum n. 5.

197. Itaque juxta hanc posteriorem sententiam ad judicium regulare requiruntur duo. Primum est, ut præsideat regularis vel habens jurisdictionem in regulares. *Regularis*, puta, generalis, provincialis, eorum commissarii, etc. Sed dubitari potest de superiore locali, eò quòd jurisdictionem ordinariam habeat cum potestate ferendi censuras. Respondeo, in causis gravioribus superiores locales apud nos non esse judices competentes, nec posse processus formare in scriptis. Kerckhove, c. 6, § 2, n. 18, et § 22, n. 47; Spatharius, Method. corrig. regul., tr. 2, c. 5, n. 6; Bonagratia, Summul. quæst. regul., verb. *Judex*, n. 266; Sanctorus de Melfi, Pract. crim., § *Delictorum discrimina*, apud Kerckhove cit. *vel habens jurisdictionem in regulares*, et si regularis ipse non sit, v. g., Pontifex, nuntius, sacra congregatio, inquisitor fidei, ordinarius loci vel episcopus, in causâ ad eumdem pertinente. Vide Barbosam, de Officio et Potest. episcopi, allegat. 105; Tamburinum, de Jure abbat., tom. 1, disp. 15, q. 7; Bassæum, verb. *Episcopus*, n. 24, et seq.

Alterum requisitum ad judicium regulare, est, ut tractet *de causis regularibus seu personas regulares concernentibus :* ut enim judicium seculare de secularibus, ita regulare et ecclesiasticum de regularibus et ecclesiasticis tractare debet.

Dubium iv. — *Quid judicium* legitimum?

198. Respondeo : Ut judicium censeatur justum et legitimum, tria potissimùm desiderantur, certitudo in cognitione causæ, auctoritas in judicante, justitia in actu judicii, de quibus nonnulla diximus superioribus dubiis; cætera in locum præsentem reservantes.

Requiritur primò, *certitudo in cognitione causæ.* Fundatur in eo quòd alioquin judex non possit prudenter sententiam ferre, sed necessariò debeat temerariè judicare, imò exponere se periculo condemnandi innocentem et absolvendi reum, contra finem et naturam judicii, ac sui muneris debitum.

199. Requiritur secundò *auctoritas in judicante.* Fundatur in eo, quòd judici (prout dubio tertio dictum est) competere debeat vis obligandi seu cogendi ad executionem sententiæ proferendæ, quæ est instar legis particularis, continens proinde vim obligativam et coactivam, adeòque suppositens potestatem, non solùm in personam, verùm etiam in causam seu materiam judicandam. Imò (quemadmodùm supra etiam dictum) qui secùs agit, procedit invalidè et committit peccatum ex suo genere mortale usurpati judicii, tanquàm injustus invasor alienæ auctoritatis, faciens injuriam, communi opinione gravem, tum personæ, quæ judicatur, tum ejus superiori.

200. Porrò quinque modis potest quispiam alteri subjectus esse, sic ut ab eo judicari possit; primò, ratione potestatis ordinariæ; secundò, ratione potestatis delegatæ; tertiò, ex consensu partium, ut quando partes ex compromisso se alicui subjiciunt, sive ut judici (quando nimirùm aliàs potestatem judicandi habebat, etsi non in illos), sive ut arbitro; quartò, ratione delicti in alieno loco perpetrati : nam ratione delicti sortitur aliquis forum, c. *Postulâsti*, et cap. fin., de Foro competenti. Eodem modo sortitur aliquis forum ratione contractûs, domicilii, et rei, de quâ contra possessorem movetur causa, ut eodem capite dicitur. Quintò, ratione injuriæ, subdito alterius principis irrogatæ : si enim superior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus, nolit illam vindicare, poterit id facere princeps illius, qui injuriam passus est.

201. Requiritur tertiò, *justitia in actu judicii.* Ad hanc pertinet, ut servetur æqualitas in reddendo cuique, quod suum est. Quod ut præstetur, procedendum secundùm leges, et observanda forma vel ordo juris. Porrò secundùm doctores communiter in tribunalibus triplex est via procedendi juridicè seu juxta ordinem juris, nimirùm *accusationis*, *denuntiationis*, *inquisitionis*. Habetur expressè c. *Qualiter et quando*, de Accusationibus. Proceditur viâ *accusationis*, quando aliquis est actor, qui spondet, se objecta probaturum. *Denuntiationis* verò, quando aliquis detulit crimen, qui non assumit onus probationis : hoc enim differunt (ut supra diximus) accusator et denuntiator, quòd accusatori incumbat onus probandi; denuntiatori non item. Est autem duplex denuntiatio. Una dicitur *evangelica*, tendens ad emendationem fratris, et fit superiori tanquàm patri. Alia *judicialis*, quæ spectat vel criminum vindictam ob bonum commune, vel certè terrorem malefactorum, et fit superiori tanquàm judici. Proceditur viâ *inquisitionis*, quando judex ex officio procedit ad purgandum provinciam, vel ad locum aliquem suæ jurisdictioni subjectum reformandum, vel ad investigandum criminis commissi auctorem.

202. Dices : Judex neminem condemnare potest sine accusatore, ut docet S. Thomas, q. 67, art. 3, ex S. Ambrosio; ergo tantùm potest procedere viâ accusationis.— Respondeo, judicem non posse condemnare sine accusatore generatim sumpto : nam semper requiritur accusator vel actor formalis aut virtualis. Virtualis est quidquid supplet vices accusatoris. Vices autem ejus in criminibus contra bonum publicum supplet denuntiatio : in privatis, si sint notoria, ipsa facti evidentia. Imò hæc in omnibus delictis supplet vices accusatoris, testis et totius processûs, si judicii insuper persona notoria sit. Sic docet Cajetanus, q. 67, art. 3. Si autem non sint notoria, et per denuntiationem evangelicam procedatur, tunc ante contumaciam reus puniri non potest : unde non est opus accusatore. Post contumaciam, potest juridicè contra illum procedi : et tunc ipsa contumacia judici et aliis quibusdam nota, est loco accusatoris. Si autem procedatur per inquisitionem, tunc infamia vel indicia locum illius supplent. Ita Sotus, de Secreto, memb. 2, q. 6, et ex illo Lessius,

libro 2, capite 29, dub. 12, numero 104.

203. Interim rectiùs dicitur, duos solummodò modos esse criminalis processûs, unum *ex officio*, alterum *ad instantiam partis* : denuntiatio enim non est per se distinctus modus procedendi; quia denuntiator nihil aliud facit, quàm judici præbere indicia, quibus ex officio ad inquirendum moveatur. Cæterùm *ex officio* procedit, quando præcedente aliquâ infamiâ, vel denuntiatione capit informationes et format inquisitionem contra auctorem, ut sic ad plenam probationem et sententiam perveniat. Ad *instantiam partis*, quando pars offensa vel alius, ad quem id jure spectare potest, accusationem porrigit, et judex, eâ admissâ, secundùm ejus probationes procedit. Quando igitur judex agit ex officio, procedit per inquisitionem : dùm ad instantiam partis, per accusationem. Hinc tandem

204. Colligitur 1° quòd casum reservatum committat regularis, pejerans coram judice incompetente, seu qui in reum non habeat potestatem ordinariam vel delegatam. Idem est si quidem potestatem habeat in personam, causa verò ad ejus tribunal non spectet. Ratio est quia utroque casu judicium est usurpatum, atque adeò illegitimum. Quinam verò sint regularium judices competentes, dubio præcedenti dictum est. Nimirùm judex regularium competens est primò, summus Pontifex; secundò, nuntius; tertiò, sacra congregatio præfecta negotiis episcoporum et regularium; quartò, inquisitio fidei; quintò, episcopus in casibus jure communi vel concilio Tridentino specificatis; sextò, generalis pro toto ordine; septimò, provincialis pro suâ provinciâ; octavò, visitator generalis aut specialis, dùm actu visitat, etc.

205. Colligitur 2° multò minùs reservatum fore perjurium, quod fieret judice quidem legitimo interrogante, sed extra judicium : vel coram arbitrio (qui judex non sit) ex consensu partium delecto : vel in privatâ contentione.

Colligitur 3° idem dicendum, si regularis exemptus, rogatur ab episcopo in causâ exemptâ, et multò magis, si à judice seculari, ad testandum vel respondendum sub juramento : quia non sunt in casu judices competentes.

206. Colligitur 4° idem dicendum, si reus pejeret in casu, quo per legitimum judicem interrogatur sine præcedenti infamiâ, semiplenâ probatione aut indiciis sufficientibus : horum enim aliquid præcedere debet, ut legitimè interrogetur. Imò debet priùs constare reo (idem est de teste cum proportione) de probatione vel indiciis contra se, ostensis ei meritis causæ. Si ergo judex interroget sive testem de crimine occulto, de quo neque est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena, non interrogat juridicè seu secundùm ordinem juris, atque adeò non potest reum obligare in conscientiâ ad respondendum. Colligitur ex c. *Qualiter et quando*; c. *Cùm oporteat*; c. *Inquisitionis*, de Accusationibus. Estque communis sententia doctorum, quam etiam expressè tradit S. Thomas, q. 10, q. 99, a. 2 : *Non tenetur*, inquit, *aliquis omnem veritatem fateri, sed illam solùm, quam ab eo potest et debet requirere judex secundùm ordinem juris*. Ratio est, quia ut reo imponi possit obligatio ad agnoscendum crimen, requiritur, ut hoc aliquo modo deductum sit ad notitiam publicam, ita ut reo non suppetat probabilis ratio celandi, et se defendendi : quamdiù enim delictum est ita occultum et incertum, ut ipse possit se probabiliter tueri et depellere objecta, contra omnem rationem atque adeò contra jus naturæ est, ut ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suam perniciem aperiendum.

ARTICULUS VI.

DE CASU SEXTO.

Textus. — *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

Dubium primum. — *Qui, et quandonam hunc casum incurrant?*

207. Respondeo tria esse genera personarum, præsentem casum incurrentium. Primum, est procurantium; secundum, auxiliantium; tertium, consulentium. *Procurare*, est de industriâ, ex proposito seu intentione efficere physicè vel moraliter, per se vel per alterum, ut fœtus animatus præmaturè seu ante ordinarium naturæ cursum emittatur in lucem. Jacobus Marchant, Resol. past., de Sacram., tract. 5, c. 6, n. 9; Diana, part. 7, tract. 5, resolut. 2; Kerckhove, n. 52; Bassæus, § 6; Bordonus, consil. Regul., resol. 45, quæst. 10. Potest autem procuratio fieri diversis mediis, puta, potionibus, percussionibus, oneribus, itineribus, maleficiis, ut alibi diximus. *Auxiliari*, est opem et adjutorium conferre prægnanti ad eumdem finem, ut si quis prægnantem doceat modum abortiendi, vel potionem medicam faciat, emat, mittat, adferat, aut ad emendum vel adferendum pretium vel industriam tribuat. *Consulere*, est hortari, suadere aut incitare, præmonstrato commodo vel incommodo, ex usu vel neglectu consilii secuturo. Per hoc distinguitur consilium à mandato, quod nititur principaliter mandantis auctoritate. Hinc

208. Sequitur 1° quòd casum præsentem non incurrat, qui certo medio seu naturali seu superstitioso procurat feminæ sterilitatem, eamve inhabilem reddit ad procreandam prolem; quamvis enim id sine peccato mortali non possit fieri et in bullâ Sixti V, quæ incipit, *Effrenatam*, iisdem pœnis et censuris afficiantur procurantes sterilitatem et abortum, nihilominùs sterilem reddere, non est proprièabortum facere. Sterilitas præcedit fœtum, abortus sequitur.

Sequitur 2° idem dicendum de eo, qui proximè ab usu carnali procuraret recepti seminis abactionem, priusquàm in embryonem transivit : non enim est hactenùs ejectio fœtûs : multò minùs animati.

209. Sequitur 3° idem dicendum de præparante potionem medicam vel aliud medium abortivum, si non detur usui, etsi utendi consilium præcessisset, Pevri-

nis, n. 46; Tamburinus, n. 35: Portel, verb. *Abortus*, n. 7; Graffius, de Casibus reser., l. 3, c. 5; Kerckhove, n. 52. Ratio est quòd in casu delictum non sit consummatum; consummatur enim per usum seu applicationem medii abortivi: nam sine applicatione ne quidem casum reservatum incurrit agens principalis, quantumvis supponatur, potionem vel quodvis tandem medium præparâsse; quia sola medii præparatio non facit actum consummatum; ergo multò minùs incurret reservationem cooperans per consilium, si nullus medii sequatur usus.

Sequitur 4° idem esse, si quis auxilio, consilio vel procuratione causa esset abortûs fœtûs inanimati, quem putavisset animatum. Bordonus, q. 7; Bassæus, § 6; Kerckhove, n. 54. Ratio est quia ad reservationem exigitur procuratio, auxilium vel consilium ad abortum fœtûs reipsà animati, non autem secundùm opinionem erroneam operantis.

210. Sequitur 5° idem dicendum, siquidem fœtus reipsà sit animatus, sed secùs opinetur operans: tum enim abortus, quatenùs est animati fœtûs, voluntarius non est, cùm tamen delictum reservatum debeat voluntarium esse secundùm suam specificam malitiam. Sic (ut alibi diximus) adulterium reservatum non committit liber, concumbens cum alienâ, quam putat liberam; quia actus voluntarius quidem est in ratione fornicationis, non tamen secundùm circumstantiam injustitiæ vel adulterii. Idem exemplo incestûs facilè intelligitur.

Sequitur 6° idem esse à fortiori, si mulier, cui medicamen abortivum datur, ignoretur gravida; etsi sequatur abortus; quia deest propositum et intentio antecedens operantis: debent autem (ut loquuntur Coriolanus, n. 6; Tamburinus, n. 29; Bassæus, § 6) omnia copulatim concurrere, scilicet, quòd mulier verè sit gravida, quòd fœtus sit animatus animâ rationali, quòd detur potio, et quòd detur tali fine et intentione. Ita illi.

211. Sequitur 7° quid dicendum sit de mandante: quamvis enim videri alicui possit, reservatione non comprehendi, eò quòd in decreto reservantis, mentio fiat quidem procurationis, auxilii et consilii, sed nulla mandati; tenendum nihilominùs, comprehendi sub verbo *Procuratio*: qui enim mandat abortum, reverà dicitur, eumdem procurare, quatenùs efficit, quantùm in se est, ut abortus sequatur, alterius operâ et ministerio. Bordonus, q. 10; Kerckhove, n. 52; Bassæus, § 6, addens id magis esse conforme bullæ Sixti V.

Sequitur 8° locum esse casui reservato, si applicetur medium abortivum, nullum prorsùs effectum habens, dummodò fœtus sit animatus; quia Pontifex expressè reservat seu reservabilem facit abortum, *etiam effectu non secuto*. Quare opponi non potest, delictum debere esse consummatum, ut reservatum sit: consummatur enim per causam. Consummatio ulterior per effectum non requiritur hoc loco, secundùm expressam intentionem reservantis.

Sequitur 9° non committi casum, si fœtus in utero quidem animatus, sed naturaliter mortuus, ejiciatur cum effectu. Ratio quia est tantùm ejectio fœtûs inanimati, imò jam inutilis et corruptæ materiæ. Fœtus est inanimatus, tam qui vitam non habuit, quàm qui amisit.

Dubium II. — *An consulens abortum, nondùm animato fœtu, incurrat reservationem, si abortus procuretur fœtu jam animato?*

212. Status dubii, per se satis plani, est: Petrus Catharinæ à se imprægnatæ proponit infamiam, indignationem parentûm, etc., ex partu secutura. Proponit, offert, aut suadet medium abortiendi, priusquàm fœtus sit animatus. Catharina horrore sceleris hactenùs tergiversata, tandem re suâ vergente ad finem vel saltem fœtu jam animato, recogitat Petri consilium, eoque utitur. Quæritur an Petrus incurrat casum reservatum?

Portel, dubior. Regul., verb. *Aborsus*, Addit., n. 4, et ex eo Bassæus eodem verbo, tomo 2, sic loquuntur: Qui consuluit feminæ abortum, tempore, quo nondùm erat fœtus animatus, intendens ut abortiret ante fœtum animatum: illa verò non adhibuit medicamenta ad id faciendum, nisi post fœtum animatum, et tandem abortus secutus est, incurrit irregularitatem et cæteras pœnas: quia tenebatur suum consilium explicare, vel mandatum revocare efficaciter, ne fieret talis abortus post animatum fœtum. Ita illi, quod attinet irregularitatem, idem sine dubio responsuri, quod spectat ad reservationem: videtur enim esse eadem ratio: utrobique materia pœnalis est et odiosa, utrobique requiritur, ut de industriâ procuretur abortus fœtûs animati, cum hoc solo discrimine, quòd irregularitas et pœnæ cæteræ utrâque bullâ Sixti V, et Gregorii XIV, expressæ non incurrantur, nisi *abortus re ipsâ secutus fuerit*; reservatio verò incurratur, *etiam effectu non secuto*.

213. Confirmatur hæc doctrina per c. fin. de Homicidio, in 6, ubi casus resolvitur omninò similis. *Is*, inquit Bonifacius VIII, *qui mandat aliquem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenùs vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens mutilet vel occidat: cùm mandando in culpâ fuerit, et hoc evenire posse, debuerit cogitare.* Ubi resolvitur, irregularem fore mandantem, etiam qui expressè caverit, ne mandatarius occideret vel mutilaret, dummodò, mandatario fines mandati excedente, sequatur occisio vel mutilatio. Igitur à fortiori incurret reservationem, consulens abortum, saltem si non excipiat casum animati fœtûs, eo ipso, quo fœtûs animati ejectio per abusum consilii secuta fuerit. Quòd si objicias, deesse in casu intentionem et propositum, quæ ad casum reservatum requiruntur, responderi poterit, deesse quidem intentionem signatam et ex parte agentis seu consulentis; adesse verò exercitam et ex parte operis seu consilii.

214. Si tamen consulens, expressè et efficaciter

excipiat casum fœtûs animati, existimat Fulgentius Notau, eumdem reservatione non teneri : eò quòd jam abortus fœtûs animati non sequatur influxu morali consulentis, sed merâ prægnantis malitiâ. Petes, inquit, n. 82, an qui dedit puellæ potum ad abortum faciendum ante fœtûs animationem, si puella illum sumat post illius animationem et abortum patiatur, incurrat ille hunc casum reservatum? Respondet autem : si satis efficacibus rationibus conatus sit persuadere puellæ, potum datum nihil profuturum pro abortu fœtûs animati, sed tantùm pro inanimati; illa verò nihilominùs sumat post animationem et fiat abortus, ille non incurrit hunc casum reservatum. Ratio est quia non influxit efficaciter in abortum fœtûs quatenùs animati; secùs autem, si non satis efficaciter id præstiterit; quia tunc censebitur influxisse. Ita Notau.

Dubium III. — *An sufficiat abortus casualis?*

215. Sensus dubii est, an ad reservationem sufficiat procuratio abortûs voluntaria indirectè et in causâ remotâ, per accidens conjuncta cum effectu. Respondeo negativè. Ita Bordonus, Consil. Regul., tom. 1, resol. 45, q. 3, n. 3; Diana, part. 7, tr. 5, resol. 20, Mazuchellus, tr. de Cas. res., disp. 2, c. 3, q. 3; Chapeauville, cas. 9, de Procurat. abort., q. 2; Bellochius, de Cas. res., part. 2, q. 8, n. 100; Floronus, part. 2, cas. 5, de Procurat. abort., n. 13. Requiritur itaque ad reservationem, ut intendatur abortus vel tanquàm finis vel tanquàm medium, saltem quantùm est ex parte et naturâ actionis : requiritur, inquam, ut intendatur abortus formaliter, proximè et in se vel saltem in causâ proximâ seu æquivalenter. Exemplum habemus manifestum in homicidio et incendio, quæ juxta communem doctorum sententiam nemo dicitur procurâsse, si casu eveniant, tametsi intercesserit mortalis imprudentia vel negligentia. Similiter non dicitur aliquis dare *auxilium seu consilium ad abortum faciendum*, nisi ejus intentio in abortum, tanquàm medium vel finem dirigatur.

216. Sequitur 1° casum reservatum fore, si quis auxilium, consilium vel mandatum ferat pro abortu animati fœtûs ad conservandam famam aut vitam prægnantis. Ratio est quia eligitur abortus ad famam vel ad vitam, tanquàm finem. Finis autem, malitiam medii non abstergit : quicumque enim fœtum immaturum, non corruptum, quantumvis inanimem directè abigit, quocumque abigat fine, semper horrendo scelere.

Sequitur 2° idem dicendum, si quis prægnantem gravi et deliberatâ injuriâ percuteret circa uterum, quamvis signato proposito abactionem animati fœtûs non intenderet. Ratio est quia convincitur, abortum velle in causâ ejusdem proximâ et per se efficaci. Vide Molinam, de Justit., tom. 4, tract. 3, disp. 3, num. 6.

217. Sequitur 3° secùs fore, si quis prægnantem maledictis aut imprecationibus in furorem ageret, quo præter directam intentionem abortiret.

Sequitur 4° idem dicendum, si quis gravidæ, in satisfactionem curiositatis exponat modum aut medium, quo possit procurari abortus, quamvis inde citra illius consensum vel consilium per meram mulieris audientis nequitiam sequeretur abortus. Ita Mazuchellus sup.

Sequitur 5° idem fore de eo, qui gravidæ difficilis partûs, potionem medicam daret, tendentem naturâ suâ ad partum facilitandum, si præter opinionem et ordinariam causalitatem suam abigeret fœtum.

218. Sequitur 6° idem dicendum, si quis præparet, mandet aut consulat usum potionis, quæ directè tendat in sanitatem matris aliàs moriturræ, quantumvis timeatur ejectio fœtûs indirectè secutura.

Sequitur 7° non incidere in casum reservatum, qui medicinam abortivam ex fine procurandi abortûs mitteret Catharinæ ingravidatæ, si per errorem aut imprudentiam emissarii destinaretur Joannæ pariter gravidæ, indè abortienti. Ratio quia est abortus casualis, cujus ne causa quidem est applicata per consilium vel mandatum mittentis. Ita se olim consultum respondisse, asserit Diana, part. 7, tract. 5, resol. 20.

Sequitur 8° idem fore, si quis ingravidatam aut libidine, aut animi gratiâ provocaret ad saltum, præviso quidem, sed non intento directè abortu.

Dubium IV.—*An mandans vel consulens incurrat casum, mandato vel consilio inefficaci?*

219. Sensus dubii est, an locus sit reservationi, si consilium vel mandatum sit inefficax, non solùm ad causandum abortum, verùm etiam ad ponendam causam, è quâ sequi posset, eo quòd prægnans, v. g., nullatenùs virtute consilii vel mandati moveatur; vel quia per se satis determinata ad facinus, vel quia abhorret à scelere, non auscultans mandantem vel consulentem : quare quæstio nulla esse potest, an casus committatur reservatus, si consilium vel mandatum sit inefficax quoad ipsum abortum : est enim certum, committi ex verbis Pontificis sæpiùs allegatis, *etiam effectu non secuto*.

Opinio affirmativa probatur; quia videtur in casu esse consilium vel mandatum ad faciendum abortum post animatum fœtum, atque adeò nihil præterea ad reservationem videtur desiderari : quòd enim supponatur mulier non moveri consilio vel mandato, nihil facit; nec enim ad completam rationem consilii vel mandati spectat influxus vel causalitas in voluntatem mandatarii seu consiliarii : nam si superior subdito ferat mandatum obedientiæ; si confessarius peccatori suadeat pœnitentiam; rectè dicetur, priori quidem datum fuisse mandatum, posteriori consilium, etsi nulla sequatur obedientia vel emendatio. Deinde ad reservationem satis est, causam abortûs poni, *etiam effectu non secuto*, quæ verba finalia Pontificis repetenda videntur ad omnia præcedentia.

220. Opinio negativa est verior, videlicet non reservari consilium vel mandatum sine influxu in voluntatem consiliarii vel mandatarii, in voluntatem, inquam, non in abortum ipsum; quod iterùm repeto, ne fiat con

fusio rerum et terminorum. Advertendum est igitur, consilii vel mandati in casu duplicem posse esse influxum, duplicem causalitatem, effectum duplicem. Primus effectus, isque proximus et immediatus, est motio, excitatio, inclinatio consiliarii vel mandatarii ad eligendum et adhibendum medium abortivum. Secundus effectus, isque remotus, mediatus et finalis, est abortus re ipsâ secutus. Hic secundus effectus consilio vel mandato reservato deesse potest, ut iteratò diximus, et ex decreto pontificio manifestum est : primus autem ad reservationem videtur esse necessarius : quia videtur Pontifex considerare consilium, auxilium, atque adeò etiam mandatum, tanquàm accessorium, cujus principale est ipsa causæ abortivæ positio sufficiens ad abortum, sive interim hic sequatur, sive non sequatur.

221. Quare ante omnia videtur Pontifex exigere aut supponere, quòd ponatur causa seu medium sufficiens ad abortum, et in hujus medii detestationem statuere ut reservationem incurrant, qui in ejusdem medii usum, procurando, consulendo, auxiliando influxerint; neque enim intelligi facilè potest, quo pacto possit aliquis *auxilium* ferre, vel procuratione concurrere, si ne quidem causa sufficiens adhibeatur. Quippe *auxilium ad faciendum abortum* necessariò connotat abortum, saltem in suâ causâ. Ita Castropalao, de sacram. Pœnit., tract. 23, disp., num. puncto 15, § 2, n. 19, cujus verba sufficio : Sed quid, si tuum consilium vel mandatum inefficax fuit, non solùm ad causandum aborsum, sed etiam ad ponendam causam, ex quâ inferri posset, eò quòd consultus vel mandatarius nullatenùs virtute consilii vel mandati moveatur; eritne casus reservatus?

222. Videtur esse; quia verba reservationis prædicto consilio et mandato aptantur; siquidem est verum consilium, effectu non secuto. Sed oppositum verius censeo, quia consilium seu mandatum, quod consiliarium et mandatarium ad executionem non movet, nullatenùs influere potest in aborsum. At prædictâ reservatione, causæ sive physicè, sive moraliter influentes in aborsum reservantur. Non igitur reservatur prædictum consilium seu mandatum, cùm moraliter non influat. Et confirmari potest; quia procuratio et auxilium reservatum ad causandum aborsum necessariò exigunt causam aborsûs apponi; aliàs intelligi non potest, qualiter procuratio et auxilium sit. Ergo neque censendum est adesse perfectum consilium et mandatum, quousque consiliarius et mandatarius ad causandum aborsum moveantur. Ita Castropalao.

Ad rationem affirmativæ opinionis respondeo : Fateor, si superior subdito ferat mandatum obedientiæ; si confessarius peccatori suadeat pœnitentiam, rectè dici, quòd priori mandatum, posteriori datum sit consilium, tametsi nulla sequatur obedientia vel emendatio; sed tum consideratur consilium vel præceptum abstractim et tanquàm per se stans, sine ordine ad ullum effectum : hic autem spectatur tanquàm adjacens et accessorium, connotans effectivam positionem medii sufficientis ad finalem effectum. Porrò verba Pontificis, *etiam effectu non secuto*, non intelliguntur de quolibet consilii, auxilii vel mandati effectu, sed de solo ultimo, ut satis dictum est. Illa verba, inquit Castropalao sup., *effectu non secuto*, non ad efficaciam intrinsecam consilii, sed ad efficaciam extrinsecam, et effectum intentum referenda sunt. Ita ille.

DUBIUM V. — *Quid si sit dubium de influxu?*

223. Quæritur de influxu morali mandantis vel consulentis, an si ille sit dubius et incertus, locus sit reservationi. Idem dubium proponi potest de consulente et mandante in materiâ furti in ordine ad restitutionem, et in materiâ homicidii, percussionis clerici, etc., ad irregularitatem. — Respondeo : Si dubium sit, an sit datum consilium vel mandatum, satis constat, nullam esse obligationem restituendi, reservationem nullam vel irregularitatem. Si verò constet de dato consilio vel mandato, et simul de corpore delicti subsecuti, dubium autem sit de influxu, inprimis quod materiam furti attinet, in ordine ad restitutionem, censent plurimi non obligari mandantem vel consulentem, tanquàm possessorem contra dubiam damnificationem. Joannes Medina, Petrus Navarra, Dicastillo et alii apud Bardi, discept. 6, de Conscient. dub. c. 9, § 13. Interim plures tum theologi, tum canonistæ, signanter Covarruvias, Sanchez, Lessius, et alii apud eumdem Franciscum Bardi, sup., valdè probabiliter oppositum tradunt : cùm enim de delicto et sufficientiâ causæ constet, præsumptio est contra mandantem vel consulentem, cui incumbit onus probandi contrarium; neque etiam præsumitur alter (nisi intentio malefaciendi aliunde constet) malum facturus, secluso consilio vel mandato.

224. Dùm autem latet veritas, recurrendum est, etiam in foro conscientiæ, ad præsumptionem fori externi, quæ communiter supponit, quod communiter supponit, quod benignius est, argum. l. *Meritò*, 51, ff. *Pro socio*. Ob quam etiam delictum videtur moraliter esse in possessione contra mandantem vel consulentem. Ita Herincx, parte 3, tract. 2, disp. 8, quæst. 3, § 3, n. 43. Similiter quod attinet homicidium, abortum fœtûs animati, percussionem clerici, in ordine ad irregularitatem vel reservationem, in dubio de influxu, præsumptionem esse contra mandantem vel consulentem, opinantur Herincx, cit. Sanchez, lib. 1, c. 10, num. 44; Farinacius, quæst. 129, n. 140; Sayrus, lib. 7, c. 3, n. 2; Diana, parte 7, tract. 5, resol. 26. Imò etiamsi executor dicat se aliàs fuisse facturum, non est ei facilè credendum, ut Farinacius, n. 152, nisi adsint aliæ conjecturæ infringentes talem præsumptionem; cui in hoc puncto contradicunt Henriquez, Sayrus, Sanchez, Avila apud Dianam citatum, si persona affirmans, se non fuisse motam consilio vel mandato, sit fide digna.

DUBIUM VI. — *An mandans vel consulens, reservatione teneatur, si non sit causa sine quâ non?*

225. Sensus dubii est an mandans vel consulens abortum fœtûs animati incurrat casum reservatum in illis circumstantiis, in quibus crimen abortûs equidem

fuisset commissum, secluso hujus mandantis aut consulentis influxu, quatenùs non defuisset alius mandans aut consulens.

Respondeo affirmativè, quando interim consilium vel mandatum est efficax, movens et perducens consiliarium aut mandatarium ad usum vel applicationem medii abortivi : est enim vera causa illius influxûs, etsi causa similis aliàs non defuisset. Sic consulens aut mandans furtum cum effectu, non excusatur ab obligatione restitutionis, per eamdem hypothesim, quâ supponatur mandantem vel consultorem aliàs non defuturum. Sic domum incendens alienam, et graviter peccat, et ad restitutionem obligatus est, etsi in ejus defectum idem flagitium commisisset alter : ut enim alterum prævenit incendio, sic et peccato et onere restitutionis.

226. Si verò sine tuo consilio vel mandato alter jam aliunde erat determinatus ad abortum efficiendum idem cum proportione est in materiâ furti, etc., quem equidem et eodem modo procurâsset, est communis et certa sententia, te casum non incurrere, eò quòd tunc mandatum vel consilium tuum inefficax sit, et solùm concomitanter se habeat. Vide Lessium, c. 13, dub. 2, et ea quæ diximus dub. 4.

Secùs censent plurimi, præsertim recentiores cum Cajetano, Medinâ, Soto, Navarro, si consilium vel mandatum tuum moverit, ut citiùs vel animosiùs sequeretur abortus, vel sufficiens ejusdem causa poneretur. Oppositum censent multi gravissimi doctores; quia tunc non tam censeris causa abortûs quoad substantiam, quàm quoad modum et circumstantiam. Vide Herincx, n. 46.

Dubium vii. — *Quid si mandatum aut consilium revocetur?*

227. Respondeo : Quod mandatum attinet, si revocetur seriò et tempestivè, ac revocatio tanquàm seria mandatario innotescat, non incurrit mandans casum reservatum, etsi sequatur abortus. Sic juxta doctores communiter, mandans furtum non obligatur ad restitutionem, si mandatum revocet, revocatione mandatario tempestivè et seriò indicatâ, argum. l. *Si mandatum*, 15, ff. *Mandati*. Sic rursùs revocato mandato non incurrit excommunicationem vel irregularitatem, mandans abortum fœtûs animati. Ratio est quòd mandatum non moveat, non influat, nisi quatenùs ligat et quasi stringit mandatarium; quod totum tollitur per revocationem : mandatum enim solummodò stringit mandantis gravitate, imperio vel auctoritate, quæ nullum ampliùs locum vel influxum habent, cùm revocatur. Si tamen revocatio mandatario non innotescat : aut innotescat quidem, sed seriùs, aut detur oblivioni, aut hic existimet non esse seriam, manebit vera causa abortûs cum suo onere.

228. Quantùm spectat consilium, Baunius, Theol. mor. tomo 2, tract. 11, q. 27, Machabus, de perfecto Confessario, tomo 1, l. 2, parte 3, tract. 17, docum. 10, n. 2; Diana, parte 4, tr. 2, resol. 15, et parte 7, tract. 5, resol. 29; Caspensis, Cursûs Theolog. tomo 2, disp. 1, sect. 6, num. 71; Mazuchellus, de Cas. res., disp. 2, c. 18, q. 2, n. 42; Tannerus, 2-2, disp. 4, q. 6, dub. 4, num. 394, existimant non incurrere censuram vel irregularitatem, qui consuluit abortum, si deinceps consilium suum revocet, quantùmvis prægnantem à dato consilio removere non possit. Quod autem hoc loco resolvitur de abortu quoad irregularitatem vel excommunicationem, idem de eodem videtur dicendum quoad reservationem. Ratio verò illius sententiæ est quòd quando consulens operam dedit, ut consilium prius datum revocando evertat, et ut non impleatur, pro viribus suis egit, jam executor consilio ampliùs moveri non videatur, sed solâ suâ improbitate et nequitiâ. Ita ferè Baunius. Similiter quod attinet materiam furti in ordine ad restitutionem, censent Petrus Navarra et plures alii idem dicendum de revocato tempestivè consilio, quod de mandato.

229. Quæ sententia, etsi Lessio, c. 13, dub. 3, non improbabilis videatur, et locum habere possit, quando consilium fuit falsum, seu falso fundamento, solive auctoritati extrinsecæ consulentis innixum, ac sinceritas revocantis et ipsa veritas sufficienter innotuit, nihilominùs ex communi doctorum sententiâ, quando datum est consilium verum, ostendendo, v. g., utilitatem consequentem, etc., non sufficit deinceps ostendi malitiam operis; sed debet consiliario persuaderi, ne, non obstante consilio, pergat. Aliàs videtur manere influxus prioris consilii, tanquàm motivum operandi id quod per consilium fuit suggestum, adeòque opus subsequi ex vi prioris consilii : debetque consultor prævidere periculum, ne causa damni semel data, postea sit extra suam potestatem. Ita Herincx, § 3, num. 42, quocum dicimus revocationem consilii seriam ac tempestivam non sufficere eo ipso in materiâ justitiæ ad excusandam obligationem restitutionis. Idem de consilio abortûs quoad censuram et irregularitatem docent Lugo, de Just., tomo 2, disp. 19, sect. 2, § 2, n. 39; Navarrus, cap. 27, Summæ; Comitolus, Respons. lib. 4, q. 10; Navarra, lib. 3, c. 4, n. 27; Portel, dub. Reg., v. *Homicidium*, n. 12. Tandem idem ob eamdem causam dicimus de consilio abortûs, quod attinet ad reservationem.

Dubium viii. — *Quid si sit dubia animatio fœtûs.*

230. Respondeo, non fore casum, si procurans, consulens vel auxilians, bonâ fide existimaverit, non esse fœtum animatum, quamvis postea dubitetur aut etiam certum fiat fuisse animatum; quia dubium aut etiam certitudo posterior de vitâ fœtûs, non potest evertere bonam fidem antecedentem, nec efficere, ut abortus fuerit voluntarius, quatenùs est fœtûs animati. Si autem dubium de animatione fœtûs præcedat procurationem, auxilium vel consilium, distinguendum est : vel enim postea fit certum fœtum fuisse inanimatum, vel fit certum fuisse animatum, vel manet dubium et incertum. Si primum, nec incurritur reservatio nec irregularitas; quia reipsà non est abortus fœtûs animati, nec ad eumdem quatenùs talem revera consilium vel auxilium datum est, quamvis consulens

vel auxilians reus sit ejusdem abortûs in affectu, quatenùs non obstante dubio de animatione fœtûs consuluit vel auxiliatus est.

231. Si secundum, videtur esse locus tum reservationi, tum irregularitati; quia abortus fœtûs animati certò commissus est, idque cum libertate sufficienti, quatenùs de animatione præcessit dubium, quo non obstante datum est mandatum, auxilium vel consilium de committendo flagitio. Si tertium, existimant plures gravissimi doctores, locum fore irregularitati. Sanchez, tomo 1, lib. 1, cap. 10, n. 43 et 48; Barbosa, de Potest. episc., parte 3, alleg. 51, n. 138; Farinacius, quæst. 122, num. 138; Navarrus, Man., c. 27, n. 223, et l. 5 Consiliorum, tit. de Homicidio, consil. 49, n. 2; Toletus, lib. 1, c. 85, n. 21; Sayrus, lib. 6, cap. 15, n. 9; Diana, parte 7, tract. 5, resol. 25, et plures alii apud Barbosam cit. Ratio est quòd, qui cum simili dubio procuravit abortum, sit dubius homicida, qui irregularitatem incurrit, juxta cap. *Ad audientiam* et c. *Significâsti*, 2, de Homicidio.

232. Imò si dubitetur an fœtus ejectus sit masculus an femella, præsumitur masculus, atque adeò animatus post diem quadragesimum, in ordine ad irregularitatem. Navarrus et Barbosa citati, Covarruvias Clem. *Si furiosus*, p. 1, n. 3; Peyrinis, n. 46. Oppositum censent Præpositus, 3 p.; D. Th., q. 4, de Irregularitate, dub. 8, n. 58; Herincx p. 2, tract. 3, disp. 6, q. 7, n. 122; Franciscus Bardi, de Conscient., discept. 6, c. 7, § 4, estque hodiè magis communis. Incurritur irregularitas, inquit Præpositus, si quis post fœtum et animationem procuret abortum. Peti verò potest quid sit censendum, si dubitetur de animatione fœtûs. Resp. — si adhibitâ diligentiâ verè remaneat dubium, non videri irregularem; quia nec est censendus irregularis, ex eo quòd irregularitas homicidio sit apposita, cùm dubitetur, num hìc et nunc commissum sit homicidium; neque etiam ex eo, quòd in dubio homicidii aliquis debeat se habere tanquàm irregularem; quia si benè perpendantur jura id statuentia, advertetur ea non comprehendere præsentem casum, cùm omnia supponant subjectum capax mortis : nam agunt, quando constat de morte alicui illatâ, et dubium est à quo ex variis concurrentibus sit iliata; quo casu decernitur, eos de quibus dubitatur habendos irregulares. In præsenti verò casu dubium versatur circa conditionem subjecti, an scilicet vivat, necne; unde dispositio juris non intelligitur de nostro dubio, et proinde non satis constat an in præsenti casu irregularitas jure sit illata, et per consequens non est dicenda incurri. Ita Præpositus, quem sequitur Gomez, de Delict., c. 3; Rub., de Hom., n. 3. Vide quæ diximus opusculi anterioris c. 1, n. 186.

233. Quantùm attinet ad reservationem, existimant Coriolanus, casu 6, num. 3; Tamburinus, num. 35, Crousers, fol. 624, et nonnulli alii, in eodem supposito casum pariter reservatum esse. Oppositum censent Bassæus, § 6; Bordonus, Consil. Reg., resol. 45, q. 6; Kerckhove, n. 54. Ratio est primò, quia verè affirmari non potest procurationem, auxilium vel consilium fuisse data ad faciendum abortum fœtûs animati; nec enim dici potest fœtum fuisse animatum, de cujus animâ vel vitâ etiamnùm dubitatur. Secundò, quia ad reservationem requiritur ut procuratio, auxilium, consilium, mandatum fiant ex proposito, intentione et studiosâ voluntate, quæ locum non videntur habere quoad abortum quatenùs animati fœtûs, quando cum prædicto dubio committuntur. Ita Bordonus, Bassæus, Kerckhove citati, Notau, n. 83.

Dubium IX. — *An facultas absolvendi à casibus et censuris, concedi solita in jubilæis, extendatur ad abortum?*

234. Negat Lavorius, de Jub., parte 2, c. 28, n. 23, nisi specificetur; quod, ait, constare ex bullâ Gregorii XIV, quæ incipit : *Sedes Apostolica*, edita pridiè kalend. Junii 1591. Sed responsio affirmativa est certa; quia licèt Sixtus V, bullâ *Effrænatam*, editâ 16 novembris 1586, afficiat abortum fœtûs animati, excommunicatione ipso facto incurrendâ, illamque Sedi Apostolicæ reservet, ac statuat non cadere in potestatem generalem absolvendi à censuris, per jubilæum concessam; nihilominùs Gregorius XIV prædictâ constitutione temperavit rigorem bullæ Sixtinæ, maximè quoad illam reservationem, et fecit ordinariis locorum potestatem absolvendi à præfatâ excommunicatione per se vel alium confessarium, ad id specialiter deputatum, ut tradunt Rodriguez, in bullam *Cruciatæ*, § 9, num. 88; Quaranta, v. *Abortus;* Gavantus, Manual. episc., eodem verbo, n. 4, et alii. Proinde abortus non est amplius casus papalis, sed episcopalis. Casus autem episcopales in jubilæo censentur omnes concessi.

235. Quare opinio Lavorii solummodò habet locum, quandò episcopus seu ordinarius concedit alicui confessario potestatem generalem seu indefinitam in casus et censuras sibi reservatas : tùm, inquam, facultas in abortum et ejus censuram concessa non censetur, ut alibi diximus. Vide Bossium, de Jubilæo, sect. 1, casu 6, n. 1, et 2.

Dubium X. — *Quis possit absolvere à delicto et censurâ abortûs?*

236. Respondeo ex dictis tum alibi, tum dubio præcedenti, posse solùm Pontificem in terminis bullæ Sixti V, *Effrænatam*. Post moderationem Gregorianam potest pro foro conscientiæ ordinarius et quilibet per eum specialiter deputatus. Monet autem Mazuchellus, tract. de Cas. res., disp. 2, c. 3, q. 1, n. 2, pro absolutione in foro exteriori obtinendâ, seclusis privilegiis, recurrendum ad summum Pontificem. Et licèt Thesaurus, in Praxi, part. 2, c. 1, n. 1, asserat prædictum recursum ad Sedem Apostolicam non requiri, cùm hodiè casus et censura reserventur locorum ordinariis, id tamen pro solo foro conscientiæ intelligendum est. Diana, part. 7, tract. 5, resol. 15. Quandonam verò censeatur confessarius specialiter deputari ab ordinario ad absolvendum à peccato et censurâ, diximus alterius opusculi cap. 1, num. 161.

237, 238, 239. Præter ordinarium loci et ab eodem

specialiter deputatum, possunt ab eâdem culpâ et pœnâ suos subditos absolvere prælati regulares, habentes jurisdictionem quasi episcopalem. Rodriguez, Quæst. regul., tom. 2, quæst. 33, art. 4; Coriolanus, de Cas. reserv., tit. de Abortu, num. 10; Thesaurus, cap. 1, n. 1; Diana, tom. 2, tract. 2, resol. 13, et tom. 7, tract. 5, resol. 16; Lezana, Summâ, verb. *Abortus*, n. 8, ubi sic inquit : « Regulares utriusque « sexûs prædicta crimina perpetrantes, absolvi possunt « ab hâc excommunicatione à suis prælatis, primò « quidem quasi jure communi (ex doctrinâ traditâ « tract. præced., c. 18, num. 30, quam etiam affert « Suarez, de Relig. tract. 8, lib. 2, c. 8 et 9), quòd « scilicet prælati regulares, eò quòd habeant jurisdi- « ctionem quasi episcopalem, possint absolvere suos « subditos à censuris Papæ reservatis, quæ in jure sunt « commissæ episcopis. Hæc enim censura hujuscemodi « esse videtur; reservata enim erat Papæ à Sixto V, « sed commissa episcopis à Gregorio XIV, eo ipso quo « absolutionem ipsius committit confessario ab ipsis « ad hos casus specialiter deputato. Secundò, ex mente « ipsius Gregorii : cùm enim in constitutione Sixti « sæpiùs mentio facta fuisset specialiter de regularibus, « dùm postea Gregorius committit absolutionem hu- « jus censuræ confessario per ordinarium loci spe- « cialiter approbato, per ordinarium loci benignè in- « terpretandus venit superior regularis : etsi enim « ordinarii loci nomine regulariter non veniat præla- « tus regularis (juxta dicta tr. præc., c. 19, num. 19), « in casu tamen præsenti oppositum dici debere vi- « detur, eò præsertim, quòd mens summorum Ponti- « ficum semper esse creditur, ut religiosi quoad forum « conscientiæ subjiciantur suis superioribus. » Hactenùs Lezana doctissimus et S. Congreg. Indicis consultor. Certè religiosos quoad forum conscientiæ subjici suis superioribus, vel ex ipso quod præ manibus habemus et explicamus, Clementis VIII decreto manifestum est : hoc enim decreto inter cætera statuitur reservabilem esse superioribus regularibus abortum fœtûs animati; frustra verò et ridiculè prælatus regularis peccatum reservaverit, à quo ipse non possit absolvere : quid enim est aliud, reservare aliquod delictum quàm sibi retinere potestatem absolvendi, cæteris denegatam?

ARTICULUS VII.

DE CASU SEPTIMO.

Textus. — *Falsificatio manûs aut sigilli officialium monasterii aut conventûs.*

Dubium primum. — *Quid* falsificatio manûs?

240. Respondeo ex sæpè dictis : Falsificatio est immutatio veritatis, cum dolo et jacturâ alterius. Ita omnes. Tria igitur, ut itidem alibi dictum est, requiruntur ad falsitatem seu falsificationem. Primum est immutatio veritatis : qui enim nomine alicujus officialis, et ab eo requisitus signaret vel sigillaret, fingendo manum vel sigillum, non committeret peccatum reservatum. Petrus Marchant, dub. 8. Secundum est dolus malus seu animus decipiendi : si enim solummodò fiat ad exercitium artis vel ingenii, non erit iterùm falsitas reservata. Tertium est animus nocendi; si enim solummodò fiat ad jocum vel recreationem sine intentione vel periculo nocendi, sicut peccatum vix esse potest, sic neque casus reservatus. Debet autem nocumentum notabile esse.

241. Nomine *manûs* existimant Fagundez, n. 21, et Castropalao, n. 20, intelligi solam subscriptionem vel sigillum. Si hæc verba, *manûs vel sigilli*, inquit Fagundez, in reservatione apponantur, non sufficiet falsificare litteram, nisi falsificetur sigillum seu subscriptio; manus enim, seu sigillum atque subscriptio, secundùm aliquos idem videntur significare; sed reverà per *manum* intelligenda est ipsa subscriptio; et quia falsificatio litteræ, nisi subscribatur, nihil valet, ideò existimo per *manum* solùm intelligi posse subscriptionem; licèt enim in rigore grammaticali per *manum*, non solùm subscriptio, sed etiam littera sine subscriptione intelligi possit, tamen cùm litteræ sine subscriptione nihil valeant, profectò ut peccatum reservatum sit, opus erit, ut subscribantur. Ita Fagundez.

242. Castropalao autem : Adverte, inquit, falsitatem committi debere in subscriptione officialis. Unde, si litteras officialis falsificâsses, deniptâ illarum subscriptione vel proprio sigillo, in peccatum reservatum non incideres; quia de facto non falsificas manum vel sigillum : nomine enim manûs, subscriptio communiter intelligitur, præterquàm quòd litteræ non subscriptæ, nec sigillo signatæ, authenticæ non sint, nec fidem faciant. Ita Castrop. Et quidem verissimum est, si litteræ neque sint obsignatæ neque subsignatæ per superiorem, necessarium esse ad reservationem ut committatur falsitas et fictio vel circa sigillum, vel circa subscriptionem; quia scriptura etiam per officialem exarata, si neque verè, neque falsò sit subsignata vel sigillata, non reputatur formaliter et authenticè manus superioris. Verùm si supponamus, scripturam à superiore vel officiali sigillatam et subsignatam esse, non videtur requiri, ut falsitas præcisè committatur circa sigillum vel subsignationem, sed satis videtur esse quòd committatur falsitas circa litterarum tenorem vel contentum, addendo, v. g., aliquid, tollendo vel variando; quia nomine manûs intelligitur quidquid refert vel exhibet scripturam alienam.

243. Per manum, inquit Kerckhove n. 56, cum plerisque aliis, intelligitur, non solùm subscriptio, quæ scripturam authenticat, sed etiam tota scriptura, cùm et hæc dicatur manus scribentis. Ita ille et meritò : quia usitato sermone vocamus manum Petri vel Pauli, quidquid imitatur ordinarium illius characterem. Quanquàm, ut statim diximus, manus hoc loco nonnihil restringenda sit, ad illam videlicet scripturam, quæ alterius nomine vel sigillo, verè aut falsò firmata est : cujus ratio insinuata fuit, quòd Pontifex hâc constitutione intendat cavere damnum, dolum et fraudem, quæ circa litteras officialium inferri seu committi possent; nullum autem fraudis vel damni periculum videtur esse, quamdiù scriptura non præfert nomen officialis, eò quòd sit inutilis et inauthentica. Alioquin

non solam subscriptionem vel signaturam, sed quemlibet alterius characterem sive verum sive apparentem, vocari illius manum, docet Cicero ad Atticum, cap. 4, dicens : *Alexidis manum amabam, quòd tam propè accedebat ad similitudinem tuæ litteræ.* Et Quintilianus, lib. 1, de Ortographiâ : *Cassus*, inquit, *Cicero et Virgilius scripserunt : sic manus eorum docent.* Item S. Augustinus lib. 1, de Nuptiis et Concupisc., cap. 23, manum vocat universim scripturam, quam facit manus. *Vocatur*, ait, *lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus.*

244. Potest autem manus officialis, quatuor potissimùm modis falsificari; primò supponendo officiali totam scripturam cum ipsâ subsignatione seu signaturâ. Nec refert quòd in casu non videatur esse manus alterius, atque adeò nec commissa falsitas circa manum alterius : est enim falsa alterius manus, seu scriptura falsa, alteri, tanquàm si foret ipsius, per fraudem supposita. Unde ad falsificationem non requiritur transitus à veris ad falsas litteras, seu verarum litterarum præexistentia; sed satis est, quòd scripturam facias falsam, supponendo per fraudem illi qui ejusdem nec scriptor, nec auctor est. Secundò manus officialis falsari potest, exarando solùm litterarum tenorem, quod fieri potest rursùs duobus modis, vel præmittendo per dolum et fraudem nomini officialis, in chartâ, ut vocant, blancâ scripturam tuo commodo aut fini servientem; vel efficiendo ut scriptum à te exaratum, per errorem et præter mentem subsignet officialis. Tertiò, exarando solam subscriptionem, ut si tenorem seu corpus epistolæ ipse quidem officialis expressit, sed mutato proposito subsignare aut destinare non intendit; tu verò subsignato per fraudem, illius nomine authentices. Quartò, veram officialis scripturam immutando vel additione vel deletione vel transpositione propositionis, vocis, syllabæ, litteræ, accentûs, punctationis.

Dubium II. — *Quid intelligatur per* sigillum?

245. Respondeo, sigillum officialis nihil esse aliud quàm signum vel instrumentum, muneri vel officio proprium, quo utuntur officiales ad claudendum vel authenticandum suas litteras vel scripturas. Dixi : *Muneri vel officio proprium;* si enim aliquis officialis vel nullum habeat sigillum particulare, officio proprium aut annexum, vel habeat quidem, sed utatur communi; in hoc supposito falsificatio sigilli communis per officialem usitati, non erit peccatum reservatum, quantùmvis intercedant dolus et præjudicium tertii; interim in eodem casu reservatio incurri posset, si simul falsificaretur manus vel scriptura; quia reservatio disjunctiva est. Similiter si officialis utatur quidem sigillo particulari et proprio, vel potiùs in suum usum permisso, dummodò sit sigillum personæ, non officii, id est, spectans ad eumdem, non quatenùs officialis, sed quatenùs usuarius est; dicendum est rursùs peccatum reservatum non committi. Vide Suarez, n. 8.

246. Porrò sigillum, prout alibi iteratò diximus, tribus modis falsari seu adulterari potest; primò, utendo legitimo et verò sigillo superioris sine ejus auctoritate. Secundò, utendo sigillo per dolum vel fraudem fabricato ad modum illius quo utitur officialis. Tertiò, transponendo sigillum, seu potiùs, sigillatum (puta, ceram Hispanicam aut sigillatum azymum) de unâ scripturâ in aliam. Vide Portel, dub. Reg., verb. *Falsarius*, n. 2, Kerckhove, c. 6, § 16, n. 3.

Hinc sequitur primò, ad reservationem non requiri utrumque, et ut manus et ut sigillum officialis falsificentur, sed sufficere alterutrum, ut manifestum est ex terminis decreti pontificii, *manûs aut sigilli.*

Sequitur secundò, necessarium non esse ad incurrendum casum, ut scriptura vel manus officialis sit clausa; id enim nullo apice significatur, et de cætero solent officiales sigillo suo non solùm claudere litteras, sed etiam authenticare scripturam apertam, v. g., litteras encyclicas, obedientiales, præsentatorias, syngrapham, acceptilationem, seu apocham.

247. Sequitur tertiò, Pontificem tacitè approbare usum religionis, quòd officiales ejus propria habeant sigilla, distincta ab his quibus privati religiosi uti possunt : non enim falsificatio cujuscumque sigilli, sed propria talis muneris reservata est. Quare, licèt privatus religiosus utatur aliquando proprio sigillo, et alius illud falsificet, non incurret in hunc casum reservatum. Ita Suarez, n. 8.

Dubium III. — *Quinam censeantur* monasterii officiales?

248. Respondeo : Censetur officialis monasterii vel conventûs, cui ex officio incumbit regere, gubernare, administrare res vel personas communitatis. Sunt autem officiales hujusmodi varii pro varietate monasteriorum. Apud monachos sunt abbas, prior, cellarius, provisor, etc.; apud moniales abbatissa, priorissa, vicaria; apud cæteros religiosos sunt generalis, provincialis, prior, guardianus, rector, corrector, subprior, vicarius, minister, procurator, etc. Sed quæstio est an omnes et singuli jam enumerati conventuum vel monasteriorum officiales, et eorum similes, dummodò aliquod in monasterio officium habeant, pertineant ad decretum Clementinum.

249. Inprimis certum est quòd professores, lectores, concionatores, instructores, magistri studentium vel novitiorum, non sint officiales, de quibus Pontifex : non enim sunt officiales conventûs vel communitatis, id est, quanquàm aliquod in conventu munus seu officium habeant, nihilominùs ad eorum curam non spectat monasterium ipsum seu communitas, sed aliqua tantùm illius pars. Officialis monasterii (prout supra diximus) videtur esse, cui ex officio incumbit regere et gubernare communitatem vel ipsius bona.

Secundò, idem videtur dicendum de illis qui certæ alicui conventûs officinæ præsunt, v. g., sacristiæ, etc., quia præterquàm quòd ad nutum sint amovibiles, nec stabile officium ex constitutione provinciæ habeant, non regunt simpliciter res vel personas communitatis, sed suis tantùm officinis præsunt, extra quas cæteris pares sunt.

250. Tertiò, quantùm ad generales ac provinciales,

existimat Portel, verb. *Falsarius*, n. 3, pariter non spectare ad præsentem casum, quia, inquit, non sunt officiales conventûs, sed provinciæ vel familiæ totius ordinis, et lex pœnalis restringenda est ad propriam verborum significationem. Ita ille, cui doctores cæteri in hoc puncto repugnant. Addo, inquit Suarez sup., etiam comprehendi à fortiori provincialem et generalem, juxta mentem Pontificis; quia eò falsificatio gravior esset et magis perniciosa religioni. Item quia quilibet eorum dici potest officialis monasterii vel conventûs : nam licèt magis propriè appelletur totius provinciæ vel religionis, tamen ibi à fortiori singuli conventus includuntur; quæ extensio maximè locum habet in his quæ ipsi prælato favorabilia sunt, et quæ pertinent ad reverentiam et fidelitatem ejus officio debitam, quale est hoc de quo agimus. Ita Suarez. Proinde cùm ordo vel provincia non distinguatur à monasteriis vel conventibus, quâ ratione generalis et provincialis sunt officiales ordinis vel provinciæ, sunt etiam monasteriorum.

251. Quartò, nomine officialium veniunt priores, guardiani, rectores, correctores et quovis nomine appellati superiores locales. Est certum apud omnes. Imò Suarez citatus putat idem dicendum esse de vicario, subpriore, ministro et procuratore; quia verè sunt religionis officiales. Sed ista extensio, inquit Castropalao, n. 20, non caret difficultate; quia vicarius et subprior, præsente prælato, limitatam, et quasi politicam ac domesticam habent jurisdictionem, nec solent sigillo ordinationes obsignare. Quod à fortiori procedit in procuratore conventûs, qui non solet sigillum speciale habere, neque, inconsulto prælato, contractus alicujus momenti celebrare. Ergo non de iis officialibus reservatio intelligitur. Ita Castropalao.

252. Quintò, quod ad syndicum nostrum attinet, putat Portel citatus, falsificationem circa manum vel sigillum ejus reservatam esse, quia officialis est monasterii; sed meritò contradicit Kerckhove, eò quòd per officialem monasterii vel conventûs videatur intelligi, qui de monasterio, conventu, provinciâ, vel saltem eodem ordine est, seu qui religioni intraneus est.

Demùm pro fine observandum est quòd, licèt officiales in decreto Clementis VIII, numero plurali exprimantur, nihilominùs certum sit sufficere unum. Solet autem pluralis aliquando loco singularis exprimi, ut constat, Jacobi 5, v. 14 : *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ;* cùm certum sit, sufficere unicum.

Dubium iv. — *An censeatur* falsificare manum vel sigillum *qui intercipit, detinet, lacerat, comburit litteras vel manum officialis?*

253. Affirmat Notau, de 17 casu reserv., scilicet falsitate circa litteras prælati, n. 36. Hoc, inquit, crimen committit qui dolosè veritatem litterarum immutat cum alterius injuriâ, idque, addendo, demendo, mutando, radendo, lacerando, comburendo, celando, novas effingendo, sigillum adulterando, etc. Ita ille. Similiter Bassæus, v. *Falsarius*, n. 2 : Falsi crimen committit, inquit, qui testamentum, codicillum, aliudve instrumentum vel scripturam immutat, supprimit. Ita Bassæus cum nonnullis aliis.

Interim hæc opinio difficultatem habet, primò quia licèt graviter delinquat, qui litteras vel scripturam alienam supprimit, lacerat, comburit vel retardat, ac dupliciter peccare possit contra justitiam qui id facit, et respectu scriptoris et respectu illius cujus causa illis litteris continetur, non videtur tamen propriè falsificare; quia non immutat, non tollit veritatem, sed potiùs existentiam litterarum. Secundò, quia destruens, supprimens, liquefaciens monetam, à principe ad alterum directam, quamvis graviter peccet contra justitiam, non tamen dicitur falsificare monetam. Tertiò, quia litterarum retardatio distincto numero reservatur in decreto Clementis VIII.

Dubium v. — *An requiratur physicus et personalis influxus in falsitatem?*

254, 255. Respondeo affirmativè. Ratio est quia requiritur falsificatio propriè sumpta. Jàm verò solus ille falsificat propriè, qui physicè, immediatè et personaliter. Quare casum non incurrit primò, qui utitur litteris per alterum falsificatis, quantùmvis malâ intentione et ad malum finem; usus enim falsarum litterarum non est falsificatio, nec potest falsificatio fieri quovis utentis fine, quâvis intentione. Secundò, idem ob eamdem causam dicendum de eo qui falsificationis est auctor per mandatum, consilium, consensum. Castropalao, n. 20, Fagundez, n. 21. « Videnda sunt « (inquit ultimus) verba reservatoria : nam si dicant : « *Qui falsificant manum seu sigillum*, tunc solùm com- « prehendunt auctores, non verò consulentes, auxi- « liantes vel adjuvantes, quia pœnæ restringendæ « sunt et non ampliandæ ultra verborum proprieta- « tem. Neque etiam comprehendunt illum qui jubet, « rogat et malitiosè pecuniam dedit, ut falsificaretur; « licèt enim, quæ per alios facimus, per nos ipsos « faciamus, tamen pœnæ solùm intelligendæ sunt de « ipsis falsificantibus, non autem de jubentibus falsi- « ficationem fieri. Sic quoties excommunicatio sive « à jure, sive ab homine fertur, contra aliquid fa- « cientes, non comprehenduntur in illâ mandantes, « consulentes, cooperantes, favorem aut auxilium « præstantes, ut docent Toletus, lib. 1 Sum., c. 8, « num. 7; Julius Clarus, Prax. crim., quæst. 88, « art. 2; Sanchez, l. 3 de Matrim., disp. 49, n. 1 « et 2. » Hactenùs Fagundez. Vide, si placeat, opusculi nostri prioris n. 89. Tertiò, quanquàm non committat peccatum reservatum, qui litteris per alterum falsificatis utitur, committit tamen, qui utitur sigillo falsificato per alterum. Ratio discriminis manifesta est : qui enim falsis litteris utitur, ut supra diximus, nullam ipse falsitatem committit. Atverò qui officialis sigillo per alterius dolum fabrefacto utitur, falsam scripturam efficit, eamque tanquàm legitimam supponit officiali. Exemplum manifestum est in monetâ; qui enim monetâ per alterum falsificatâ utitur, eamque tanquàm genuinam scienter expendit, quanquàm peccet contra justitiam, nihilominùs non est falsarius.

Verùm qui instrumento per alterum fabricato, privata auctoritate, monetam cudit, omninò falsi crimine tenetur. Quartò, non incurrit casum, qui postquàm veras ab officiali litteras recepit, falsò refert earum tenorem; aut qui veras ab aliquo officiali litteras obtinet, assumpto alieno nomine : nihil enim facit circa litteras ipsas in se spectatas, quod falsitatem redoleat.

Dubium VI. — *An sufficiat* falsificatio *sine usu ?*

256. Dubio præcedenti inter cætera diximus, non sufficere usum sine falsificatione ; nunc è contrario quæritur, an sufficiat falsificatio sine usu, id est, an casum reservatum incurrat, qui falsitatem commisit circa manum vel sigillum officialis, sed pœnitentiâ ductus scripturam falsificatam lacerat vel comburit, aut saltem apud se servat sine usu.

Sententia negativa non est improbabilis : non enim videtur falsitas satis esse consummata sine usu : nam, ut sæpissimè diximus ex communi sententiâ theologorum et jurisconsultorum, tria requiruntur ad consummatam falsitatem, immutatio veritatis, dolus malus, præjudicium tertii. Ad falsitatem *tria requiruntur* (inquit Lexicon juridicum) *scilicet mutatio veritatis, dolus, et quòd alteri sit nocivum. Quorum si alterum deficit, falsitas non est punibilis, juxta Hostiensem, Azorium, Tannerum in suis summis.*

257. Quare alibi diximus falsi crimine non teneri, nec reum esse peccati reservati, qui deletam vel erasam è superioris scripturâ aliquam dictionem, pœnitentiâ ductus tempestivè restituit. Similiter quod ad monetam spectat, videtur falsitas per usum consummari ; quamdiù enim pecunia seu moneta non datur usui aut non expenditur, nulla videtur in effectu sequi damnificatio ; quod inprimis manifestum est, si supponatur pecuniam seu monetam falsam fuisse cusam ad artem, exercitium, jocum, etc. ; tunc enim neque dolus neque damnum intervenit.

258. Idem dicendum videtur, etsi moneta dolo malo sit cusa, si nondùm expensa sit, sed maneat apud ipsum falsarium ; hic enim tametsi peccaverit in affectu contra voluntatem et jura principis ; item quamvis commiserit dolum, et ratione intentionis damnum intulerit in affectu, nihilominùs in effectu neminem hactenùs damnificavit, non privatum, ut manifestum est, non etiam principem, cui quidem injuria facta est, sed nulla damnificatio. Vide Jacobum Marchant, Resol. Past. tract. 5, de Sacram. Pœnit., cap. 6, n. 17, Peyrinis, n. 50, Tamburin., n. 42.

Sententia affirmativa pariter est probabilis. Hanc docet Petrus Marchant ad cap. 7 Reg., dub. 10, ubi quærit quæ requirantur ad incurrendum casum reservatum de falsificatione manûs vel sigilli officialium monasterii. — Respondet autem, requiri primò, falsitatem sive mutationem veritatis. Secundò, dolum seu animum decipiendi. Tertiò, ut fiat cum intentione nocendi : si enim ad recreationem et jocum sine ullâ intentione aut periculo nocendi vel detrimentum inferendi fiat, sicut peccatum vix esse potest, sic casus reservatus non erit.

259. Dixi, *sine periculo nocendi*, ne nimirùm alius tam signaturâ vel falsitate ab altero factâ utatur ; tunc namque ex tali falsitate, detrimento et dolo futuro causam dat, et casum incurrit. Ita Marchant. Similiter solum damni periculum sufficere tradunt Kerckhove, in Reg. ad casum. 10 ; Notan, num. 87 ; Portel, v. *Falsarius*, n. 7, citatis pluribus ; Crousers, lect. paræn. 15 ; Bassæus, § 7 ; Sylvius, quæsito 2 ; Coriolanus ad cas. septimum, n. 1, qui tamen, n. 2, quasi se corrigens, si nullum, inquit, sequatur damnum, nempe quia noluit uti falsâ scripturâ seu sigillo, sed combussit vel laceravit, non video quomodò incidat in casum reservatum ; nam ex notatis per Antonium de Butr., in cap. penult., n. 3, de Crimine falsi, sola falsificatio litterarum sine usu non obligat quemquam ad pœnam falsi ; ergo neque incidit in casum reservatum. Ita Coriolanus.

Dubium VII. — *An quarumlibet litterarum falsitas reservationi subjaceat ?*

260. Sensus dubii est an perinde sit ad reservationem sive falsificetur manus aut sigillum superioris vel officialis, quatenùs officialis est, sive quatenùs persona est, id est, an sufficiat falsitas vel falsificatio litterarum familiarium, quas ad amicos aut consanguineos mittit officialis, an verò requiratur scriptura concernens ejus munus vel officium.

Respondeo non esse casum, si falsificetur scriptura prælati materialiter sumpti, seu quatenùs persona est. Quare requiritur scriptura concernens munus vel officium. Ita Castropalao, n. 20, sic interrogans : Sed quæ litteræ falsificandæ sunt, an necessariò spectantes ad regimen personarum vel bonorum conventûs, an etiam pertinentes ad singularem ipsius officialis personam ? Suarez existimat, et satis probabiliter, utrarumque litterarum falsificationem reservari : nam falsificatio litterarum spectantium propriam officialis personam, simpliciter est contra reverentiam debitam tali personæ, ratione talis muneris, ejusque muneri injuriosa.

261. Contrarium probabilitate non caret, sicut ipse Suarez affirmat ; quia in eâ falsificatione non videtur spectata persona, sed officium : non enim absque causâ dictum est : *Falsificatio manûs vel sigilli officialium*, ut tacitè excluderetur quælibet alia falsificatio, quæ non esset illorum quà talium : quippe verba in constitutione odiosa non materialiter, sed formaliter intelligenda sunt. Neque obstat eam falsificationem non solùm injuriosam esse officiali, quà singularis persona est, sed etiam ejus officio et muneri ; quia solùm est injuriosa indirectè et per accidens, sed non directè. Reservatio ergo falsificationis illius, utpote restringenda, de falsificatione injuriosâ officiali, quæ talis est, ac proinde de falsificatione in ejus munere et officio intelligi debet. Hactenùs Castropalao, cujus verba prolixiora idcircò expressimus, quia continent utriusque opinionis rationes. Addo quòd juxta superiùs dicta et communem sententiam, sigillum, de quo Pontifex, debeat esse officialis formaliter sumpti, seu quatenùs officialis est ; ergo etiam manus (de quâ idem Pontifex) seu scriptura debet esse officialis for-

maliter sumpti, seu quatenùs talis. Per sigillum, inquit ex communi opinione Fagundez, n. 22, intelligitur signaculum illud quo litteræ patentes muniuntur ut fidem faciant; unde si in aliquâ religione sint duo sigilla, alterum commune, quo omnes religiosi indiscriminatim, alterum particulare, quo solùm superiores et officiales utantur ad firmandas vel infirmandas communes ordinationes religionis, de hoc intelligetur reservatio, non de illo communi; quod videtur explicare limitatio illa, *officialis*. Ita Fagundez.

Dubium VIII. — *An sufficiat quælibet minutissima immutatio?*

262. Respondeo ex ante dictis affirmativè, si variet sensum litteralem notabiliter cum gravi præjudicio tertii. Porrò unius vocalæ, litteræ, commatis, puncti, accentûs additione, deletione, transpositione, sensum notabiliter variari posse, constat tum ex alibi dictis, tum exemplis, quæ unusquisque facilè formare potest. Aliàs materiæ levitas, ut à mortali, sic à reservato excusare potest; v. g., si quis punctum aut comma inordinatè appositum delet, vel omissum addit pro clariori sensûs intelligentiâ, vel malè positam distinctionem corrigit, falsare non censetur. Ita Jacobus Marchant, n. 17; Chapeauville, et Manigart, p. 1, c. 10, f. 313: Excusat, inquit Zoesius, lib. 5 Decret., tit. 20, n. 7, materiæ levitas, ubi et quando non est immutatus sensus litterarum; quia gravitas hujus delicti non consistit in atramento et litteris, sed in sensu, quo integro permanente, nihil potest videri peccatum. Ita ille. Loquitur autem de falsitate circa sententiam, rescripta et litteras apostolicas, ubi si excuset materiæ levitas, cur non etiam circa manum vel sigillum officialium?

263. Dices: Plures equidem doctores asserunt, ad incurrendam excommunicationem, bullâ *Cœnæ* expressam, quoad litteras apostolicas expeditas sufficere unius puncti aut litteræ mutationem, etiam sensu alioquin immutato. Hostiensis, Sum., tit. *de Crimine falsi*, § *Porrò;* Panormitanus, c. *Ex litteris*, n. 3, de Instr.; Sylvest., v. *Excommunicatio*, 7, § 10; Cajetanus, v. *Excommunicatio*, c. 26. Fundamentum eorum est quòd olim inter privilegia summo pœnitentiario competentia unum esset, ut absolvere posset à censurâ excommunicationis, contractæ ob similem in litteris apostolicis puncti vel litteræ mutationem, immutato sensu. — Respondeo doctores nominatos sic judicâsse, quia bulla *Cœnæ* continere solebat clausulam: *Mutantes punctum vel litteram in litteris apostolicis*, ut loco citato tradit Hostiensis. Quare si clausulam eamdem contineret hodiè Bulla *Cœnæ*, idem de rescriptorum et litterarum apostolicarum falsitate hodiè censendum foret. Verùm à pluribus jam annis nihil simile in bullâ prædictâ legitur, et ideò nihil etiam simile in privilegiis pœnitentiarii. Ita Toletus, lib. 1 Summæ, cap. 22, n. 10.

Dubium IX. — *An subditus litteras præsentatorias, obedientiales et similes, omissas vel amissas reformare possit sine crimine falsi?*

264. Sensus dubii est: Religiosus mittitur cum litteris præsentatoriis per superiorem signatis et sigillatis pro sacris ordinibus vel curâ animarum, aut cum obedientialibus pro loci mutatione; per oblivionem aut imprudentiam conferre omisit, vel in viâ perdidit; sensus, inquam, dubii est an privatâ auctoritate novas efformare possit ad normam priorum, additis nomine et sigillo superioris. — Respondeo non posse, sed committere falsitatem reservatam, nisi excusetur per ignorantiam seu bonam fidem. Notau, n. 88; Portel, tomo 2 Respons. moral., cap. 22; Kerckhove, n. 58. Ratio est quia per talem falsificationem mutatur veritas cum animo decipiendi et religionis pernicie: gravis enim pernicies est, publicorum officialium et instrumentorum conficiendorum, etiam secluso alio quocumque damno, jus sibi vendicare. Nec dicas consensum superioris præsumi posse, præsertim si bonus et honestus sit finis quo movetur subditus, puta cùm reformat præsentatorias, ne domum redire debeat sine ordine vel approbatione, aut cùm renovat obedientiales, ut sine incommodo vel molestiis viam suam possit perficere ad implendum præceptum obedientiæ. Ne, inquam, id dixeris: quia nullus superior consentire potest, nec ullus prudens consentiet in similem præsumptionem: repugnat enim muneri vel officio suo. Nec bonitas finis purgat malitiam falsitatis, cùm non sint facienda mala ut eveniant bona; quemadmodùm finis donandæ eleemosynæ non purgat malitiam furti aut percussionem monetæ adulterinæ, in quibus casibus consensus domini vel principis non nisi stultè præsumitur.

265. Confirmatur: nam juxta sententiam communiorem graviter peccat et falsi crimen committit, qui amissam scripturam legitimam, v. g., de hæreditate, legato, donatione, nobilitate, etc., propriâ auctoritate reformat. Covarruvias, var. Resol. l. 1, c. 2, n. 2; Tannerus, 2-2, disp. 4, q. 6, dub. 12, n. 332; Emmanuel Sâ, correct. v. *Falsarius;* Bassæus, eodem verbo, n. 4; Diana, tract. 8, Misc. resol. 56, parte 3, Layman, lib. 3, sect. 5, tract. 3, parte 1, c. 4, n. 4 et alii. Ratio est quia hujusmodi falsationes sunt reipublicæ perniciosæ; quamobrem à legibus severè prohibentur. Unde, quamvis per tales falsificationes non violetur justitia particularis nec oriatur obligatio restitutionis, quia nemini jus suum læditur, peccatur tamen contra virtutem veritatis cum pernicie, atque adeò gravi præjudicio reipublicæ seu communitatis.

Dubium X. — *Quid si quis falsaret manum vel sigillum officialis alterius monasterii?*

266. Falsitatem in casu subjacere reservationi, negat Portel, dub. Reg., v. *Falsarius*, n. 3, dicens non incurrere istum casum religiosum qui in hoc conventu degens falsificavit litteram vel sigillum alicujus officialis alterius conventûs, in quo non existit de facto neque degit: quia talis propriè non falsificat manum vel sigillum conventûs, id est, sui conventûs, in quo scilicet existit et vivit. Ita Portel. Verùm, teste Kerckhove, n. 56, id ab aliis meritò rejicitur; quia licèt sint diversorum conventuum, tamen verè est falsifi-

catio manûs vel sigilli officialium monasterii; et sic verificantur verba casûs; ergo et ipse casus. Ita Kerckhove.

267. Sed quid si falsificans et officialis, cujus manus aut sigillum falsificatur, sint diversi ordinis, aut ejusdem quidem ordinis, sed diversæ provinciæ? Negabit Kerckhove, si velit loqui conformiter iis quæ tradit n. 42, circa casum Clementinum sequentem : *Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad superiores;* quocirca citato numero in hunc modum loquitur : Per litteras, inquit, à superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad superiores intelligitur quòd, ut quis hunc casum incurrat, debeant esse litteræ proprii sui prælati ad suum subditum, aut è contra; unde qui impediret, retardaret aut aperiret litteras alicujus prælati alterius ordinis vel alterius provinciæ ejusdem ordinis ad suum subditum vel è contra, v. g., si frater minor impediret, etc., litteras alicujus abbatis ordinis S. Benedicti, scriptas ad suum subditum ejusdem ordinis, non incurreret hunc casum, etsi graviter peccare posset; sic enim propriè hæc verba id innuunt, et communiter ab omnibus intelliguntur. Ita Kerckhove. Porrò an et quomodò hæc cohæreant cum præmissis, et an diversitas provinciarum potiùs quàm monasteriorum impedire possit reservationem, videbimus infra, cùm ad eum casum pervenerimus.

ARTICULUS VIII.

DE CASU OCTAVO.

Textus. — *Furtum de rebus monasterii seu conventûs, in eâ quantitate quæ sit peccatum mortale.*

268. Hic casus in decreto Clementis VIII rursùs componitur cum proximè præcedenti sub uno et eodem numero, sed à doctoribus tractari solet separatim ad majorem distinctionem.

Dubium primum. — *An et quomodò casus Clementinus octavus distinguatur à quarto?*

Quartus, est *proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.* Quæritur quid intersit inter proprietatem mortalem et mortale furtum? Et quidem certum est magnam inter utrumque affinitatem esse, adeò ut sint similia, si non identica; inprimis enim furtum (saltem quod est de bonis monasterii) commissum à religioso, est proprietas : nam est acceptio, detentio, usus alicujus rei temporalis, invito domino, atque adeò etiam invito superiore seu sine ejus licentiâ : si enim consentire supponatur superior, simul consentiet dominus; atque ita non erit furtum, si non sit proprietas, saltem quod attinet bona monasterii. Contra proprietas plerùmque furtum est : quia proprietas est acceptio, detentio, usus alicujus rei temporalis, sine veniâ superioris. Involvit autem plerùmque (quemadmodùm diximus ad casum quartum) præter malitiam sacrilegii contra votum paupertatis, peccatum injustitiæ : est enim usurpatio rei alienæ invito domino, quia vel monasterium vel pontifex dominium habet rerum fratribus concessarum. Jam verò nec monasterium nec Pontifex consentit, ut aliquâ re utatur religiosus sine licentiâ superioris.

269. Interim inter furtum et proprietatem aliqualis est differentia. Primò, datur proprietas quæ non sit furtum : religiosus enim qui sine licentiâ superioris re ab extraneo donatâ utitur, manente apud donatorem dominio, non peccat peccato furti, sed solius sacrilegii seu proprietatis; quare in quartum, non in octavum casum incidit. Idem est (ut exemplificat Castropalao, n. 21) in scholaribus societatis Jesu, post biennalia vota, re quàpiam utentibus, invito superiore. Dicendum est, inquit doctissimus Palaus, contingere posse aliquem, facto voto paupertatis, proprietatem suorum bonorum retinere contra prælati voluntatem, ut in religiosis societatis Jesu, qui votis biennii non privantur bonorum suorum dominio : ii enim, si contra prælati voluntatem, bonorum suorum proprietatem retineant, in casum reservatum incidunt. Reliqui verò religiosi, cùm jure ecclesiastico, proprietate seu dominio bonorum suorum, voto paupertatis priventur nequaquàm possunt attentare, proprietatem retinere, quin simul furtum committant. Ita Castropalao.

270. Secundò, potest religiosus committere furtum, absque eo quòd committat proprietatem, in illorum opinione qui volunt sufficere qualemcumque superioris licentiam ad declinandum vitium proprietatis. De quâ opinione egimus circa casum quartum. Porrò in eâdem, religiosus, qui de licentiâ superioris rebus extraneis ad secularem pertinentibus contra ejusdem secularis voluntatem uteretur, peccaret furto, non sacrilegio.

271. Tertiò, furtum sine proprietate agnoscit Kerckhove, in casu quo quis bona monasterii perderet, incenderet, abjiceret. Citat autem pro eâdem opinione Sanchez, Decal. lib. 7, c. 20, n. 8, 9 et 10. Verùm idem auctor meritò subdit hanc sibi opinionem non probari. Meritò, inquam; quia duo supponit quæ non subsistunt, et in casu committi furtum rigorosè sumptum, et non committi rigorosam proprietatem. Primum non videtur verum : quamvis enim quælibet injuriosa alterius damnificatio reducatur ad furtum, quatenùs per præceptum Decalogi : *Non furtum facies*, interdicta est; nihilominùs propriè loquendo furtum consistit in solâ rei alienæ acceptione seu retentione. Vide Herincx, parte 3, tract. 2, disp. 8, n. 1. Secundum pariter falsum est : nec enim potest se quisquam magis gerere tanquàm proprietarium, quàm cùm aliquid perdit, incendit, destruit vel abjicit.

272. Quartò, Petrus Marchant dub. 11 : Hoc solum, inquit, distinctionis excogitari posse videtur, quòd si quis res jam vel communi officinæ, vel officio, aut particulari fratri assignatas, furtim surripiat, invitis Superioribus, furtum committat : sin autem rem necdùm applicatam, aut alicui communi vel particulari usui assignatam, sibi, contradicente superiore, applicet, tunc demùm proprietatis vitium incurrat. Ita Petrus Marchant. Ut autem veram faciat antithesim, necessarium est ut in uno membro habeatur furtum sine proprietate, in altero proprietas sine furto; quæ facilè non invenies; inprimis enim quod attinet mem-

brum primum, furtum simul et proprietatem committit qui rem communi officinæ, vel officio vel fratri particulari assignatam, invito superiore, surripit. Similiter quod spectat ad membrum secundum, non facilè ostenditur non committi furtum; de proprietate certum est et agnoscit Marchantius. Certum putem (inquit Kerckhove, n. 64, nec video ego rationem dubitandi), si res relicta foret dispositioni superiorum, quòd illam surripere sit furtum, etsi necdùm certo usui sit assignata; nam eo ipso quo res illa relinquitur liberæ dispositioni superiorum, censetur res monasterii, adeòque eam invito superiore surripere, erit furtum de rebus monasterii. Ita Kerckhove.

273. Cæterùm, omnibus maturè consideratis, existimamus furtum de rebus monasterii, et proprietatem differre, tanquàm magis et minùs communia. Omne quidem furtum de rebus monasterii, proprietas est; sed non omnis proprietas est furtum de rebus monasterii. Credo, inquit Castropalao, casum quartum et octavum, præcipuè distingui in eo, quòd quartus casus reservet attentatam religiosi proprietatem quorumcumque bonorum, sive monasterii, sive alicujus personæ secularis : nam, si religiosus bona secularia contra voluntatem suorum dominorum usurpâsset expendenda, sine dubio vitium proprietatis reservatum committeret, et in quartum casum incideret, et non in octavum, cùm ea proprietas non esset furtum de rebus monasterii. Quare ut in octavum casum incidat, debet ex rebus monasterii esse furtum et proprietas. Hactenùs Castropalao.

Dubium II. — *Quid* furtum *et quale peccatum?*

274. Respondeo : Apud jurisperitos *furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei vel etiam usûs, possessionisve.* Ita describitur l. 1, § *Furtum*, ff. de Furtis. Et Institut. *De obligationibus quæ ex delicto*, § 1. Hanc descriptionem supplet et explicat Navarrus, cap. 17, n. 1.

Apud theologos dupliciter sumitur, generatim et speciatim. Generatim et minùs propriè sumptum, significat omnem injuriam proximo illatam circa bona temporalia seu fortunæ. Hoc sensu cap. *Si quid*, 14, q. 5, ex S. Augustino dicitur : *Si quid invenisti et non reddidisti, rapuisti.* Eodem sensu accipiendum est furtum, cùm per Decalogum prohibetur, Exodi 20, ut docet S. Augustinus, lib. 2, quæst. 72, in Exodum. Speciatim et propriè sumptum, est *occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Dicitur primò, *occulta*, id est, clancularia et quæ committitur domino nesciente, saltem juxta opinionem auferentis. Quare fur esse non desinit, qui rem alienam aufert, domino præter suam opinionem inspectancte. Per hanc particulam differt furtum à rapinâ, quæ fit domino repugnante. Per eamdem differt ab injustis acceptionibus, quæ fiunt per iniquos contractus, vidente et sciente domino.

275. Dicitur secundò, *rei alienæ*, id est, ad alterum jure aliquo, quocumque tandem pertinentis, sive dominii pleni directi, sive utilis tantùm, sive quoad solum usum vel detentionem legitimam. Quare res aliena dicitur, quæ nec dominio, nec usu fructuum, nec usu juris, nec concessione simplicis usûs facta est nostra. Hinc sequitur 1° committere furtum, non solùm qui rem suam aufert proprietario, sed etiam qui usuarium, commodatarium, conductorem, depositarium, etc., invitum privat usu vel possessione rei sibi concessæ. Vide l. *Cujus interfuit*, ff. de Furtis. Sequitur 2° furti reum esse ipsum etiam dominum directum, si rem suam auferat ab illo qui jus eâdem fruendi, utendi vel detinendi habet, commodato, locato, pignore, deposito. Sequitur 3° quasi furtum committere commodatarium, conductorem, depositarium, si contra rationem conventionis sine expresso vel præsumpto consensu domini retineant commodatum, locatum, depositum. Vide l. *Qui furtum*, ff. de Condictione furt. Addunt nonnulli materiam furti debere esse rem externam, ut excludantur bona corporis, animæ, famæ et honoris, quæ aliis injustitiæ speciebus violantur. Addunt deinde alii debere esse mobilem et corpoream; sed hoc ultimum rectiùs omittitur : nam potest quis etiam furari jura, ut census et servitutes ac res immobiles, occupando domum vel agrum alienum, absente domino.

276. Dicitur tertiò, *acceptio*, sub quâ comprehenditur et detentio, quæ est instar acceptionis; quia acceptio et accepti detentio moraliter sunt una actio; imò detentio ab acceptione solo connotato distingui videtur, quemadmodùm conservatio, à productione. Per hanc particulam excludi potest damnificatio, quam quis alteri facit sine suo commodo, ut cùm alterius domum incendit, segetes vastat, pecunias aut merces in mare projicit : quia non tam accipit aut retinet quàm perdit et destruit alienum : ob quam causam hujusmodi malefactor non solet furis nomine appellari.

Dicitur quartò, *invito domino*, id est, minimè consentiente, quin potiùs repugnante, saltem habitualiter et actualiter contradicturo, si sciret rem suam sibi tolli. Non igitur erit furtum, si scias aut tibi persuadeas, dominum consentire aut non esse invitum. Quâ ratione sæpissimè à furto excusantur filiifamiliàs, uxores, famuli, religiosi, amici et familiares, aliquid non valdè grave invicem accipientes.

Dicitur quintò, *rationabiliter :* non enim erit furtum, si dominus consentire deberet in rei suæ ablationem, v. g., primò, si quis auferat rem alterius in extremâ sui necessitate. Secundò, si ad justam compensationem. Tertiò, si gladium furioso, etc.

277. Porrò furtum est peccatum mortale ex suo genere; omnia enim præcepta Decalogi, quippe quorum observantia necessaria est ad salutem æternam, sine dubio obligant sub mortali ex suo genere. Deinde omne peccatum est mortale ex genere suo, quod repugnat justitiæ et charitati; furtum autem directè repugnat utrique; charitati quidem, quatenùs per furtum proximo infertur malum; justitiæ verò, quatenùs violat jus alterius. Potest veniale esse, tum ex parte furis, tum ex parte domini, tum ex parte rei seu materiæ. *Ex parte furis*, tam ob imperfectionem actûs, ut si fiat absque sufficienti deliberatione, ex aliquâ præcipitantiâ vel metu

minuente voluntarium, quàm ob ignorantiam vel errorem juris, etsi non inculpabilem, ut si absque sufficienti inquisitione tibi persuadeas licere tibi auferre vel usurpare alienum, vel ob necessitatem non sufficientem, vel ob compensationem non satis debitam, etc. *Ex parte domini;* quippe qui scitur aut certò creditur, vel non esse vel parùm esse invitus circa hujus vel illius rei ablationem : nam gravitas et levitas furti præcipuè consideranda sunt penes involuntarium domini. *Ex parte materiæ*, utpote levis et exiguæ : cùm enim furtum versetur circa bonum infimi ordinis, et maximè divisibile, seu recipiens magis et minùs, adeò minorari seu decrescere poterit, ut ampliùs peccati mortalis et reatûs æternæ damnationis capax censeri rectà ratione non possit.

Dubium III. — *Quid intelligatur per res* monasterii seu conventûs?

278. Ex ipso casûs præsentis tenore litterali manifestum est non quodlibet religiosi furtum, quantùmvis mortale, reservatum esse : si enim fiat de rebus secularibus, id est, ad monasterium non spectantibus, non spectabit etiam ad casum Clementinum, quatenùs præcisè furtum est : quod addo quia (ut advertit Cotonius, n. 29, et res ipsa loquitur) poterit aliunde reservatum esse quatenùs mortalis proprietas est. Aliàs debet esse *de rebus monasterii seu conventûs*, quarum nomine, quæritur, quid veniat intelligendum.

279. Respondeo : Per res monasterii vel conventûs intelliguntur primò, quæ donatione, testamento, emptione vel alio acquirendi modo, pauperum statui non repugnante, ad monasterium pervenerunt, et eidem vel quoad dominium, vel quoad simplicem usum incorporata sunt, v. g., pecunia, lana, vestis, linum, vinum, oleum, cibaria, utensilia, libri. Diximus, *quoad dominium vel quoad simplicem usum*, ut illa monasteria includantur, quæ jura vel dominium habere nequeunt. Ita omnes. Secundò, per res monasterii intelliguntur, quæ in usum fratrum particularium seu in particulari, legitimâ auctoritate et potestate assignata seu distributa sunt, v. g., vestes, libri, conciones, etc. Ita Suarez, n. 11; Castropalao, n. 21; Coriolanus, casu 8, dub. 5, n. 43; Kerckhove, n. 61; Crousers, Lect. paræn. 15, fol. 626; Peyrinis, n. 51; Pellizzarius, n. 33; Cotonius, n. 29; Graffius, lib. 3, c. 7, n. 26; Tamburinus, n. 45; Bassæus, § 8; Sorbus Compendii Privil., v. *Absolutio ordinario quoad fratres*, ubi testatur Clementem VIII sic declarâsse.

280. Contrarium, sed minùs probabiliter, docent Ledesma et Cenedus apud Dianam, parte 1, tract. 6, resolut. 44. Ratio nostra est, quòd res ejusmodi, quantùmvis distributæ vel designatæ in usum fratrum particularium, nihilominùs sint bona monasterii, vel quoad dominium, si capax sit monasterium, vel quoad administrationem, si incapax. Tertiò, secundùm Crousers, Bassæum, Peyrinis, Tamburinum citatos, per res monasterii intelliguntur manuscripta religiosorum, quæ si frater auferret fratri invito, existimant peccatum reservatum fore, si videlicet (quod semper in hàc materiâ supponendum est) notabilis momenti essent. Quartò, eodem nomine veniunt res alicui religioso concessæ ad donandum extraneis. Ita supra citati.

281. Ratio est, inquit Suarez cit., quia quando illa res non est consumpta, vel alienata extra religionem, semper est monasterii quoad proprietatem et dominium, vel quoad principalem administrationem et dispensationem (ut monasteria comprehendamus, quæ dominium in communi non habent), et hoc satis est, ut comprehendantur sub verbis pontificiis in omni proprietate. Ita Suarez. Quintò, per res monasterii intelliguntur bona provinciæ, v. g., pecunia quæ in occurrentes monasteriorum necessitates reservatur; item lana, pannus, utensilia textorum toti provinciæ laborantium. Ita Suarez, Tamburinus et Castropalao locis sup. citatis. Ratio est quòd sub illo singulari *monasterii seu conventûs*, à fortiori comprehendatur plurale conventuum et monasteriorum; bona verò prædicta, tametsi non sint alicujus monasterii in particulari, sunt tamen omnium monasteriorum simul sumptorum. Itaque sicut falsificare censetur sigillum officialis monasterii vel conventûs qui falsificat sigillum provinciæ, juxta communem doctrinam superiùs allegatam; ita furari res monasterii, qui provinciæ.

Dubium IV. — *Quid de rapinâ rerum monasticarum seu conventualium?*

282. Secundùm ea quæ dubio secundo num. 274 diximus, distinguuntur furtum et rapina, quòd illud sit occultum, dolosum et clancularium, hæc violenta, in faciem, repugnante domino : quæ quidem differentia tanta est, ut judicio doctoris Angelici, Cajetani, Lessii et aliorum ad diversam injuriæ speciem pertineant. Ratio est quia rapina continet novam rationem injuriæ, quatenùs novam rationem involuntarii : aliter enim est involuntarium quod quis ignorans patitur; aliter quod sciens et renitens : nam quamvis utrumque sit absolutè involuntarium, nihilominùs alterum magis altero, et sunt diversæ rationis.

283. *Furtum*, ait S. Thomas, 2-2, q. 6, art. 4, O, *et rapina ex hoc habent rationem peccati quòd acceptio est involuntaria ex parte ejus cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam et violentiam...; et ideò aliam rationem peccati habet rapina, et aliam furtum. Ergo propter hoc differunt specie.* Et art. 9, O. *Magis*, ait, *est aliquid involuntarium per violentiam quàm per ignorantiam : quia violentia directiùs opponitur voluntati quàm ignorantia, et ideò rapina est gravius peccatum quàm furtum. Et est alia ratio, quia per rapinam non solùm infertur alicui damnum in rebus, sed etiam vergit in quamdam personæ ignominiam sive injuriam, et hoc præponderat fraudi vel dolo, quæ pertinent ad furtum.* Hactenùs doctor angelicus.

284. Hinc nascitur dubium an, reservato furto gravi de rebus monasterii, reservata pariter censeri debeat gravis earumdem rapina. Ratio autem dubitandi est, quia reservatio tanquàm materia pœnalis et odiosa non potest extendi de casu in casum ob solam identitatem vel similitudinem rationis. Ob hanc causam existimat Peuplus Brev., Theol. pract., tit. poster., seu

propr. Regular., part. 1, tract. 3, c. 3, non reservari rapinam. Ad reservationem, ait, requiritur ut quis auferat rem notabilem monasterii occultè; unde qui auferret uno aut duobus videntibus non complicibus, non incurreret hunc casum : non enim tunc esset furtum, sed potiùs rapina. Nec obstat quòd rapina sit deterior furto, et sic videatur magis reservari : quia rapina simpliciter non intelligitur per furtum; cùm ergo de pœnis non arguamus ad similia; quia pœnæ non excedunt proprium casum; et (ut habetur de Pœnit., dist. 1, § *Pœnæ*) furti reservatio sit pœna, non excedit hunc casum, nisi aliter exprimatur. Ita Peuplus.

285. Sed inprimis, ut rectè observat Kerckhove, n. 63, non est verum quod hic auctor ait, committi rapinam et non furtum, si res alterius auferatur videntibus uno vel pluribus non complicibus; id, inquam, universim sumptum manifestè falsum est; ad veram enim rationem furti sufficit ablationem domino, usuario, superiori occultam esse, sive aliis complicibus vel non complicibus nota sit sive ignota. Imò, ipso etiam domino præter furantis opinionem præsente, verum committitur furtum, ut ex communi sententiâ superiùs diximus. Deinde esto casus Peupli veram contineret rapinam, nihilominùs frustra exciperetur : certum enim videtur nobis, reservato furto, reservari rapinam, cùm tota furti malitia involvatur formaliter in rapinâ. Aliud foret si reservaretur rapina : tunc enim non censeretur reservari furtum; nam in furto tota rapinæ malitia non continetur. Sic reservato furto, certum est sacrilegium reservari : quanquàm, reservato sacrilegio, non reservetur furtum. Itaque in præcepto *non furtum facies*, comprehenduntur omnes species furti, rapina, sacrilegium, etc. Hinc S. Augustinus, quæst. 71, in Exodum : *Furti nomine*, inquit, *benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ; non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed utique à parte totum intelligi voluit quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Ita Kerckhove. Vide etiam quæ diximus ad casum 3, num. 67.

Dubium v. — *An rei notabilis furtim ablatæ detentor peccet continuo peccato reservato, donec restituat.*

286. Præsentis dubii resolutio pendet à resolutione alterius quæstionis, videlicet an fur aut raptor, vel quilibet rei alienæ aut alteri debitæ detentor peccet, quamdiù non restituit : si enim hic peccet continuo furto secundùm quantitatem materiæ, necesse est ut peccet continuo peccato reservato religiosus qui rem notabilem conventualem, furto ablatam, negligit restituere : reservatio enim furtum mortale de rebus monasterii pertinaciter et indivulsè sequitur. Quare ad quæstionem illam alteram,

Respondeo peccare continuò rei alienæ injustum detentorem, quamdiù restituere negligit. Probatur primò, quia non restituendo lædit continenter proximum, ipsum impediens à possessione rei suæ vel sibi debitæ, quæ læsio, quò durat diutiùs, eò evadit gravior, interim assiduè pendens vel à liberâ voluntate non resumendi, vel à liberâ omissione voluntatis; ergo peccatum est, illudque continuum et actuale, nisi interrumpatur per actionem vel occupationem disparatam aut incompossibilem; de quo statim.

287. Probatur secundò : Qui non restituit, cùm possit, voluntariè detinet alienum. Atqui alieni detentio voluntaria et injuriosa est furtum : quid enim interest inter detentionem et acceptionem, nisi quòd hæc, non illa connotet primum instans iniquæ possessionis. Igitur ut prima rei alienæ injuriosa acceptio est, ita ejusdem acceptionis voluntaria continuatio seu detentio. Atque adeò tamdiù committitur peccatum actuale furti, quamdiù voluntariè non redditur alienum.

Probatur tertiò : Qui per injuriam proximum carcere vel vinculis detinet, peccat continuò contra justitiam, donec dimittat. Ergo qui proximi bona cum ejus injuriâ et incommodo voluntariè non restituit, peccat continuò contra justitiam, donec reddat.

288. Dices : Qui semel alteri inflixit vulnus non peccat deinceps, crescente vel continuato nocumento; ergo qui semel abstulit alienum non peccat deinceps crescente vel continuato nocumento. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est quòd in casu antecedentis, nocumentum in solâ causâ sit voluntarium, continuatio autem ejus et incrementum sint naturalia, deinceps independentia ab arbitrio vulnerantis. In casu verò consequentis, non solùm prima rei acceptio, verùm etiam illius continuatio, id est, detentio, perpetuò pendent, ut supponitur, à liberâ voluntate furis.

289. Interim peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpitur tribus modis. Primò, ratione propositi, quo quis seriò statuit restituere datâ occasione vel opportunitate. Secundò, per impotentiam, ut si debitor prematur penuriâ, vel procul absit, atque adeò nequeat quamprimùm restituere; tum enim detentio externa non est peccatum, sed nec interna, quousque impotentia duraverit. Tertiò, per somnum vel aliam distractionem, quâ fiat ut homo non habeat in suâ potestate de illius rei detentione cogitare. Vide Gabrielem, 4, dist. 15, q. 1, art. 2, concl. 2; Sotum, l. 4, q. 7, art. 2; Lessium, l. 2, cap. 12, dub. 3; Wiggers, cap. 1, dub. 7; Herincx, de Actibus hum., disp. 5, de Peccat. in com., quæst. 7, et de Justit. et Jure, disp. 8, quæst. 1, n. 19.

Dubium vi. — *Quæ requiratur quantitas, ut furtum sit mortale peccatum?*

290. Quæstionis hujus occasione plura breviter resolvenda sunt, quæ furti naturam, materiam et malitiam spectant, ac, si non possint casui Clementino applicari singula, saltem confessarius servire poterunt pro suo munere.

Respondeo magnitudinem aut parvitatem furti spectandam non esse penès inopiam aut opulentiam domini, sed penès rei ablatæ quantitatem seu valorem. Ratio est quia furtum, propriè et strictè loquendo, consistit in rei alienæ acceptione. Ergo quantùm rei alienæ accipitur, tantùm furti committitur, et ampliùs. Igitur ad magnitudinem vel parvitatem furti nihil videntur facere opulentia vel inopia domini; hæc enim

sunt qualitates personæ, non quantitates rei; atque adeò possunt quidem furto tollere vel adjicere extrinsecam aliquam gravitatem, justitiæ et charitati repugnantem; propriam furti rationem augere vel minuere nequeunt.

291. Confirmatur : Sicut furtum consistit in rei alienæ ablatione, sic homicidium in ablatione vitæ alienæ; atqui homicidii quà talis rationem nec auget nec minuit inopia vel opulentia defuncti aut hæredum ejus vel consanguineorum. Fateor : defuncti qualitas efficere potest ut homicidium habeat circumstantiam sacrilegii, parricidii, etc.; fateor item qualitatem hæredum vel consanguineorum efficere posse ut major sit extrinseca damnificatio et violatio charitatis; sed nihil horum facit homicidium in ratione homicidii gravius. Sic fateor pariter qualitatem domini concurrere ad augendam vel minuendam damnificationem furto extrinsecam et violationem charitatis; fateor item, quòd ipsa rei qualitas adjicere possit furto circumstantiam sacrilegii, etc., sed nihil horum faciet quidquam ad gravitatem vel levitatem furti, in quantum talis.

292. Hinc sequitur primò, furti mortalis non esse reum qui acum sartori maximè necessariam, aut frustum panis extremè indigenti aufert, quanquàm utroque casu graviter peccet tum contra charitatem, tum contra justitiam. Acum furatur in casu primo, frustum panis in altero, sed rectè non dicitur furatus esse vel lucrum cessans in casu primo, vel damnum emergens in secundo.

Sequitur secundò, furti mortalis quantitatem non in respectivo, sed in absoluto collocandam, id est, non recurrendum ad habitudinem, qualitatem vel conditionem personæ quæ læditur, sed ad valorem absolutum rei quæ aufertur.

293. Respondeo 2°: Materia sufficiens ad peccatum mortale furti auferri videtur, dùm tollitur ea quantitas tota simul ab eodem, quæ necessaria est et sufficiens ad honestam sustentationem diurnam personæ honestæ. Ratio est quia meritò ab omnibus reputatur notabile, quo vir honestus per diem naturalem honestè sustentari potest, tum quoad victum, tum quoad vestitum et habitationem, juxta modum communem quem servant homines mediocres, nec nimiùm splendidi, nec nimiùm abjecti. Hæc autem quantitas in his partibus, spectatâ pecuniæ raritate et copiâ rerum, videtur coincidere cum floreno Brabantico. Vide sup. n. 158.

Dubium VII. — *An, si unus uno actu, vel ab uno vel à pluribus auferat notabilem quantitatem, peccet semel, an pluries?*

294. Respondeo 1° : Si unus actu moraliter uno, tum interno, tum externo auferat ab uno et eodem summam vel quantitatem notabilem et in plures florenos divisibilem, committit tantùm unum peccatum mortale, quanquàm virtualiter ex parte objecti multiplex juxta materiæ proportionem. Probatur : Unus tantummodò actus est, objectum unum, una moraliter materia, una unius damnificatio, unum unius jus quod violatur. Ex quo capite resultabit pluralitas peccatorum vel distinctio numerica injuriarum?

Dices, materiam divisibilem esse in plures partes, quarum singulæ sufficiant ad mortale furtum. — Respondeo, physicè divisibilem esse, non moraliter; physica verò divisibilitas sufficit quidem ad peccatorum distinctionem virtualem, et ex parte objecti, nullo modo ad formalem, et ex parte subjecti. Aliàs sequitur plurima formaliter distincta venialia involvi in actu furti, quo quis florenum Brabanticum seu materiam ad furtum mortale requisitam, ab uno et eodem, simul et semel aufert. Imò jam nullum dabitur furtum, quod non involvat plura peccata formaliter diversa, nisi fingas materiam valoris omninò infimi et penitùs indivisibilis. Vide Steyaert, de Pecc. disp. 30, n. 4.

295. Respondeo 2° : Idem videtur dicendum, si unus uno moraliter actu summam, quantumvis notabilem, à pluribus auferat. Vide Steyaert, sup. n. 5; Herincx, de Pec. n. 55; Lacroix, tom. 5, n. 152. Probatur : Si plura in casu committerentur peccata, esset vel ob pluralitatem actuum vel objectorum; atqui inprimis unus tantummodò actus est, ut supponitur; deinde unum duntaxat moraliter objectum, una materia; si enim objectum seu materia esset moraliter multiplex, id foret quia secundùm diversas suî partes ad diversos pertinet, atque adeò per ejusdem ablationem, diversorum jura læduntur; atqui propterea dici non potest materiam moraliter diversam esse. Probatur, quia diversitas tum personarum, tum jurium tota materialis est; id est, sunt quidem diversæ personæ, quæ partem in toto furtivo habent; sunt diversa plurium jura quæ furto violantur; sed diversa materialiter tantùm et terminativè; quod non sufficit ad multitudinem peccatorum vel pluralitatem injuriarum.

296. Probo 1° exemplo rei furtivæ, ab uno et eodem homine ablatæ. Qui 100 florenos uno actu aufert ab eodem, juxta communiorem sententiam et statim dicta, committit unum peccatum; atqui tamen, si res inspiciatur, læduntur diversa jura. Probatur subsumptum : Singulis rei furtivæ partibus singula respondent jura, et quidem realiter diversa; præcipuum enim realis distinctionis indicium est realis separabilitas : manifestum est autem, singularum partium jura seu dominia in uno etiam supposito separari posse, quatenùs unum sine altero accedere vel decedere potest. Interim, ut diximus, et certum est, non ideò erit in casu peccatum formaliter multiplex, nimirùm quia plura quidem sunt jura, quæ læduntur, sed plura materialiter tantùm et ex parte termini. Idem judicamus dicendum, si 100 floreni auferantur à diversis. Nulla nobis videtur differentia esse, nisi quòd in hoc ultimo casu sint personæ plures, in priori una tantùm, quæ læduntur. Jam verò quid ad rem facit materialis illa distinctio personarum seu suppositorum?

297. Probo 2° exemplo ejusdem rei per diversos legislatores prohibitæ vel præceptæ : quamvis enim diversorum legislatorum jura præcepti transgressione violentur, interim cùm idem objectum, eamdem moraliter materiam respiciant, non sunt formaliter diversa, atque ideò non sufficiunt ad diversitatem peccatorum.

Probo 3° exemplo furti impropriè sumpti, seu gravis damnificationis sine commodo malefactoris. Qui domum vel segetem, ad plures pertinentem incenderet vel devastaret, plurium violaret jura, nec tamen propterea plura committeret peccata, quàm si ad unum tantùm hominem domus vel segetes pertinerent, id quod negari posse non videtur; nec enim vel confessarii vel pœnitentes, in occurrentiâ casûs sunt solliciti quoad numerum personarum, saltem in ordine ad cognoscendam vel explicandam gravitatem delicti. Probo 4° exemplo floreni vel potiùs mortalis materiæ à diversis hominibus furto ablatæ. Non committuntur in casu plura venialia, plures injuriæ leves, quamvis plurium lædantur jura, materialiter seu terminativè diversa.

298. Dices primò : Qui uno actu occidit decem homines, committit decem homicidia; ergo qui uno actu decem hominibus aufert decem imperiales committit decem furta. — Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est quòd in primo casu injuria sit personalis, id est, personam respiciens; in altero realis, id est, afficiens rem externam, a personâ distinctam. Porrò res quidem coalescunt, sed non personæ; quod ostenditur : nam qui vulnus omninò leve vel diversis personis simul, vel eidem successivè infert, nunquàm mortaliter peccat, idque ideò quia veniales injuriæ nullatenùs coalescunt. Interim idem dici non potest in casu quo quis notabile aliquid vel diversis simul, vel uni successivè per furtum tollit.

299. Dices secundò : Qui simul duas filias impudicè tangit, duo committit peccata contra castitatem; ergo qui simul duobus aufert summam notabilem, duo committit peccata contra justitiam. — Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est quòd virginitas, pudicitia, corpora diversarum puellarum, non possint moraliter coalescere, quemadmodùm coalescere possunt bona fortunæ ad eumdem dominum pertinentia; quòd iterùm ostenditur : nam qui vel unam decies vel decem semel impudicè tangit, nunquàm faciet aut multitudine actuum aut objectorum, unum moraliter peccatum gravius, quemadmodùm contingit in materiâ furti.

Dubium VIII. — *An idem dicendum si furtum totale contineat plures partes specie diversas?*

300. Sunt qui existimant futura multiplicari, si eodem morali tempore, ab uno, v. g., lanam, ab altero pecuniam, à tertio vestem auferas, præsertim si unâ manu unum, alterâ rapiatur alterum. Sed minùs rectè : nam licèt lana, pecunia, vestis distinguantur specie physicâ et quatenùs ad se mutuò referuntur, non tamen moraliter et in ratione objecti, quando unâ moraliter actione auferuntur. Manifestum id erit, si supponamus diversos specie nummos eâdem actione auferri. Certè major est differentia inter aurum et argentum, quàm inter lanam et vestem. Nemo tamen dixerit furta multiplicari propter specificam distinctionem nummorum aureorum et argenteorum, quando unâ vice, uno tempore, unâ morali actione, præsertim per unum ab uno auferuntur.

301. Dices tria committi peccata, si quis eodem moraliter tempore unum lædat in bonis fortunæ, alterum in bonis famæ, tertium in bonis corporis aut animi. — Respondeo diversos moraliter materias esse, nec coalescere, etsi unum et eumdem seu simul seu successivè in triplici illo bonorum genere lædere.

Porrò nihil ad rem facit dualitas vel unitas manûs, quâ quis utitur ad furandum. Aliàs, si duplici peccato peccet, qui rem divisibilem duabus manibus tollit, cur non peccet quinies, qui unâ quidem manu, sed quinque digitis idem facit? Similiter si consideranda sit unitas vel dualitas manuum in materiâ justitiæ, cur non etiam in materiâ castitatis vel tactuum impudicorum? Deinde nullus unquàm confessarius, cùm audit bursam pecuniariam furto ablatam esse, interrogat, an id unâ an utrâque manu peractum sit.

Dubium IX. — *Quid dicendum, si unus ab uno furtis minutis successivè auferat notabilem quantitatem rei permanentis.*

302. Inprimis, si supponatur et constet, proprietarium invitum esse quoad modum, non quoad substantiam, furtum propriè non committitur. Ratio est quia, ut S. Thomas supra citatus ait, *furtum et rapina ex hoc habent rationem peccati, quòd ejus acceptio est involuntaria ex parte ejus, cui aliud subtrahitur.* Ergo furtum propriè non committitur, quando acceptio quoad substantiam domino est voluntaria, quanquàm modus acceptionis non nihil displiceat.

Secundò, si dominus sit invitus quoad substantiam, certum est, furta minuta coalescere, et tandem committi peccatum mortale, quando completur gravis materia cum reflexione ad præcedentia. Ita communis doctorum sententia. An autem peccatum mortale consistat in partis ultimæ acceptione (ut multi censent); an potiùs in totius summæ morali detentione, quemadmodùm alii, quæstio est, vix aliquid ad praxim faciens, ut rectè observat Herincx, n. 14.

303. Tertiò, si fur nec advertat, nec suspicetur, etiam confusè, compleri notabilem quantitatem, per accidens excusabitur à mortali, obligatus postea sub gravi restituere, ubi cognoverit notabilem quantitatem à se ablatam esse, idque sive extet sive consumpta sit. Dices : Sola injuria materialis, est gravis; ergo non potest esse gravis obligatio restituendi : debet enim esse proportio inter obligationem restituendi, et utramque injuriam formalem et materialem.

304. Quare obligatio restituendi, non nisi levis esse potest, 1° si utraque injuria, formalis et materialis fuerit levis; 2° si materialis sit levis, formalis gravis; 3° si materialis gravis, formalis levis, quemadmodùm contingit in casu, quo quis alterius domum incenderet per negligentiam aut imprudentiam venialem. — Respondeo, hoc ultimum duntaxat verum esse, quando formalis injuria levis est ob imperfectionem actûs aut voluntarii quemadmodùm contingit in exemplo adducto, ubi materia gravis, culpa verò seu injuria formalis levis est ob imperfectionem actûs, et defectu

libertatis. In hoc casu, cùm injuria formalis sit imperfecta, judicamus, perfectam et gravem obligationem restituendi non resultare. Verùm quando furta minuta repetuntur usque ad notabilem quantitatem, etsi sine advertentiâ vel reflexione ad præcedentia, nihilominùs tota summa perfectâ libertate et voluntarietate, perfectâ injuriâ formali ablata est : singulæ enim injuriæ formales partiales, sunt perfectæ ac deliberatæ respectu objecti sui partialis, atque adeò omnes simul sumptæ perfectè adæquant totam materiæ quantitatem.

305. Quartò, qui furatur modica ex intentione ditescendi vel sensim perveniendi ad notabilem quantitatem, mortaliter peccat ab initio, non tam furti effectu, quàm furantis intentione : imò quodlibet ejus minutum furtum, etsi intrinsecè veniale, redditur mortale denominatione extrinsecâ, quatenùs procedit à mortali intentione, estque ejus executio partialis.

Quintò, materia tamen major pro furto mortali necessaria est, successivè, quàm si simul et semel notabile aliquid auferatur : atque adeò requiritur tantò major, quantò majus est temporis spatium, quod inter furta minuta intercedit. Navarrus, c. 17, n. 139; Graffius, 1 part. decis., l. 2, 93, n, 19; Rebellus, de Just., part. 1, lib. 3, quæst. 15, sect. 4, n. 37, Sanchez, l. 7, cap. 21, n. 10, Herincx, n. 15, et alii, quorum plurimi censent, quantitatem duplo majorem necessariam esse pro furtis minutis successivis. Ratio autem est quia damnum in casu, non est adeò sensibile, nec dominus passim ita invitus.

306. Sextò, probabile est quod docet Sanchez statim citatus cum viris doctis à se consultis, tantam posse esse interpolationem, ut non videatur conjungi furtum unum cum altero, ut si spatium unius aut alterius anni inter quælibet minuta furta intercederet : quis enim diceret, inquit, puerum accipientem ex vineis hoc anno parvam quantitatem, et alio anno aliam modicam, et sic toto vitæ curriculo, peccâsse mortaliter furtis minutis adeò interpolatè commissis? Ita Sanchez. Etverò, si nulla temporis intercapedo impedire possit unitatem materiæ, sequitur furtum hodiè inchoatum, post 20, 30, aut 60 annos consummari posse, quod repugnare videtur communi judicio tum pœnitentium, tum confessariorum.

Septimò, major requiritur quantitas (secundùm doctores communiter) si furta minuta committantur fortuitò, per infirmitatem vel occasionem, quàm si deditâ operâ, per malitiam vel industriam.

307. Octavò, peccati mortalis non manet reus, qui totius summæ, furto ablatæ eam partem restituit, ut restans desinat notabile esse. Ratio est 1° quia talis ampliùs nec effectu nec affectu detinet notabile alienum. Ergo nihil est, quod eum vel peccati mortalis reum faciat vel ad gravem obligationem ulterioris restitutionis obliget. 2° Qui aufert materiam levem non peccat graviter; ergo neque qui ablatam detinet, redditâ videlicet eâ parte, quæ cum priori notabilem faciebat quantitatem. Unde Steyaert, Aphorism., part. 3, de Just., disp. 18, n. 10, res, inquit, satis mira videtur, si restitutione unius assis aut quadrantis peccatum mortale evadam : nec tamen aliunde apparet, cur peccabo mortaliter *retinendo*, quod *accipiendo* non item sic peccarem. Hanc sententiam tenent Navarra, Rebellus, Sayrus, Aragon, Sanchez, Lessius, Herincx et plures alii.

308. Oppositam tradunt Medina, Corduba et alii, quorum ratio est, 1° quòd quilibet sub mortali teneatur notabile damnum proximi resarcire : jam verò damnum notabile totâ summâ, non autem unicâ illius parte illatum est. 2° Quia simul auferens totam illam quantitatem, tenetur sub mortali restituere totam, ergo etiam auferens successivè. 3° Quia aliàs oportebit admittere, quòd aliquis obligari possit sub gravi ad restituendum aliquid leve. Verùm respondeo ad primum, distinguendo minorem. Totâ summâ copulativè sumptâ illatum est grave damnum, nego. Copulatim sumptâ, concedo. Ad secundum respondeo, idem dicendum, sive simul, sive successivè notabilis quantitas sit ablata. Ad tertium respondeo, non esse in casu obligationem gravem ad restituendum leve secundùm se spectatum, sed quatenùs pars est et complementum materiæ gravis.

309. Nonò, qui semel complevit gravem materiam, et hactenùs non restituit sive in solidum, sive in partem, peccat deinceps mortaliter, quoties furatur aliquid quantumvis leve. Lugo, Dicastillo, Amicus, Sporer apud Lacroix, l. 3, p. 1, n. 1007. Probatur 1° qui enim completâ furti mortalis materiâ, deinceps furatur aliquid sive grave sive leve, semper complet materiam graviorem; atque adeò, ut ille peccat mortaliter, qui primò complet materiam gravem, ita à fortiori, qui deinceps graviorem : nec enim dici potest, completâ semel materiâ gravi inchoari novum mortale; aliàs dicam pariter, ablatâ semel materiâ levi, inchoari novum veniale, atque ita nunquàm in furtis minutis peccari graviter.

DUBIUM X. — *Quid, si unus rem notabilem permanentem, furtis minutis successivè auferat à diversis?*

310. Respondeo cum communi doctorum sententiâ, tandem peccare graviter, et obligari sub mortali ad restitutionem : etsi enim per ejusmodi minuta furta, nemo in particulari, tamen omnes in communi seu ipsa communitas, læduntur graviter. Alioqui patebit aditus ditescendi ex alieno sine scrupulo vel reatu peccati mortalis, quod et rationi valdè videtur dissonum, et humano generi nimis perniciosum.

Exigitur autem major quantitas ad mortale, quando quis plura furatur à pluribus, quàm si ab uno, et quidem eò major, quò plures sunt domini; quia, ut rectè ait Rebellus, sect. 1, n. 43, quo in plures damnum dividitur, eò minùs, cæteris paribus, sunt inviti. Unde verosimile, inquit, est, non committi mortale, nec sub mortali ad restitutionem obligari simplicem furem, qui minorem quantitatem, quam unius aurei, à totâ communitate civitatis Eborensis,

vel Conimbricensis, vel alterius non minùs populosæ furaretur.

Dubium xi. — *Quid, si plures, seu simul seu successivè, auferant ab eodem materiam, singuli quidem pro suâ parte levem, at omnes simul gravem.*

311. Respondeo inprimis, singulos peccare graviter, et obligari ad restitutionem in solidum, deficientibus cæteris, si per modum unius causæ, communi consilio vel conspiratione influxerint. Ratio est quia singuli sunt causa moralis totius damni, proinde in defectu aliorum, ad totius damni reparationem obligati. Secundò, idem dicendum de illo, qui non quidem consulit vel conspirat, sed malo exemplo præit, atque adeò provocat et inducit cæteros ad sequelam. Ratio est quia sufficit, quòd sit causa totius damni, sive verbo, sive facto sit, id est, sive consilio et conspiratione, sive exemplo et malefacto suo cæteros moraliter excitet ad injustitiam.

312. Quare Innocentius XI, inter 65, damnat 39 sequentis tenoris: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Frustra verò distinctionem feceris inter moventem consilio vel conspiratione, et exemplo. Tertiò, nullus graviter peccat, quando sine iufluxu mutuo, consilio, conspiratione, exemplo damnum inferunt singuli leve, sive alter alterius furti sit conscius, sive ignarus. Ratio, quia nullus in casu est causa sive physica sive moralis totius damni: non quidem physica, ut manifestum est; non etiam moralis; quia deesse supponitur causalitas moralis per conspirationem, exemplum, consilium. Neque quidquam facit scientia vel ignorantia furtorum reliquorum: hæc enim est actus intellectûs vel ejus privatio, non potens connexionem moralem facere inter hujus et illius furtum.

Dubium xii. — *Quid de esculentis et potulentis?*

313. Inprimis, si furtum esculentorum vel potulentorum ab extraneis committatur, videtur, perinde peccari, ac furtis cæterarum rerum.

Secundò, si committatur à domesticis in quantitate minori, et ad usum proprium non immoderatum, ut plurimùm non sunt furta; non quia materia est furti incapax, sed quia proprietarius plerùmque invitus est quoad modum potiùs quàm quoad substantiam.

Tertiò, similium furta à similibus aliquoties repetita in minori quantitate et ad proprium moderatum usum, ut plurimùm non coalescunt, quasi tandem peccetur graviter. Ratio est ex supposito, quòd proprietarius sit ad summum invitus quoad modum: cujus rei indicium repetendum est à proprietarii genio et consuetudine, ut quia expertus aliquando similia, de solo modo, non de substantiâ queritur, consensurus omninò, si rogaretur. Ex alterâ verò parte verecundia potiùs quædam vel timiditas obstat, quo minùs rogetur, quàm diffidentia de obtinendo consensu.

314. Quartò, si tamen constet aut supponatur, dominum quoad substantiam invitum esse, peccari poterit similibus, sicut cæteris. Hujus rei indicium repetendum est ex oppositis seu contradictoriis circumstantiis.

Quintò, supponitur passim proprietarius et quidem graviter quoad substantiam invitus esse, ne magna simul esculentorum aut potulentorum quantitas auferatur, v. g., petaso, armus vervecinus, caseus Hollandicus, quartale vini, etc., tametsi in usum proprium et moderatum.

Sextò, idem dicendum, si minuta sensim ablata in unum quodammodò cumulum congerantur inconsumpta, v. g., si notabilis quantitas olei, butyri, tritici, vini, cerevisiæ per furta minuta congregetur.

315. Septimò, idem dicendum, si rerum similium furta committerentur ad faciendum quæstum venditione, permutatione, etc., vel ad donandum amicis aut consanguineis.

Octavò, idem est de rebus carioribus et occlusis, aut quarum usus domesticis non est communis.

Nonò, idem dicendum, si filius, famulus, ancilla surripiant ad eum usum, ad quem pater vel dominus rogatus, nullo modo concederet, v. g., ad compotationes, ludos, ebrietates, impudicitias, etc.

ARTICULUS IX.

DE CASU NONO.

Textus. — *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.*

Dubium primum. — *Quid* lapsus carnis?

316. Respondeo: Est peccatum libidinis. Aliud internum, aliud externum. Internum complectitur concupiscentiam et morosam delectationem. Externum vel fit in propriâ personâ vel extra. Si in propriâ personâ, erit pollutio, quæ dùm est voluntaria, appellatur mollities; dùm non est voluntaria seu procurata, retinet nomen generis, et vocatur simpliciter pollutio, quæ quandoque diurna, quandoque nocturna est. Quod si peccatum carnis committatur extra personam propriam, tum vel est naturale, vel contra naturam: si naturale, varia sortitur nomina, juxta varietatem circumstantiarum; si enim liberè committatur à liberis, vocatur fornicatio; si cum virgine et violentiâ, appellatur stuprum; si interveniat abductio localis, raptus; si committatur cum conjugatâ, adulterium; si cum consanguineâ vel affine, incestus; si cum personâ Deo sacratâ, sacrilegium. Si verò sit contra naturam, tum vel committitur cum creaturâ rationali, et dicitur sodomia, perfecta vel imperfecta pro sexûs conditione, vel cum irrationali, et dicitur bestialitas.

Dubium ii. — *Quando* voluntarius?

317. Respondeo breviter in re notissimâ: Voluntarium est quod procedit à voluntate, ex prævià cognitione intellectivâ. Aliud est directum, aliud indirectum: directum est quod proximè et secundùm se procedit à voluntate; indirectum, quod mediante alio. Et quanquàm voluntarium, propriè loquendo, distinguatur à libero (potest enim dari voluntarium necessarium, ut patet in amore, quo producitur Spiritus sanctus), hìc tamen cum libero confunditur; adeò ut

lapsus carnis reservatus debeat esse liber libertate indifferentiæ.

Dubium III. — *Quando* opere consummatus ?

318. Respondeo per hæc ultima verba restringi priora; potest autem (ut notat Suarez, n. 12. et ex eo Castropalao, n. 22) restrictio intelligi duobus modis : primò, quasi significetur, præter actum libidinosum interiorem, requiri actum externum seu opus carnale exterius; quo sensu excludetur solummodò lapsus carnis merè internus; reservabitur autem eo ipso quo in actum externum qualemcumque, dummodò mortaliter peccaminosum prodit. Atque ita continebuntur hoc casu, non solùm fornicatio, adulterium, etc., verùm etiam actus inchoati, tactus impudici, etc., sine progressu ulteriori. Secundò potest restrictio sic intelligi, ut lapsus carnis tum solummodò censeatur reservatus, quando opere, secundùm suam speciem completo, consummatus est. Hic sensus magis est genuinus, quem omnes doctores sequuntur.

Dubium IV. — *An* lapsu carnis *contineatur pollutio*?

319. Plura nobis de hoc dubio dicenda sunt, quæ, si non concernant religiosos, quatenùs pœnitentes, concernunt sine dubio, quatenùs confessarios et directores animarum, cùm nihil ferè hisce corruptæ juventutis temporibus sit frequentius peccato isto. Cæterùm rogatur lector (utor verbis cancellarii Parisiensis Gerson, de eâdem materiâ loquentis) ut *obscœnitatem materiæ ac verborum excusatam habeat, et præparet se, audire aut legere castè, quod pro castitatis cognitione necessitas cogit aperire.*

320. Itaque notandum primò quòd pollutio sit seminis seu spermatis emissio extra concubitum. Semen autem à medicis describi solet : *Humor albicans, è sanguine purissimo et spiritu copioso in vasis spermaticis commixtus et perfectiùs elaboratus, ad animalium generationem.* Quæ descriptio consideranda est propter humores varios, qui homini alioquin effluunt, de quibus sic loquitur piissimus et doctissimus Gerson part. secundâ, tract. de Pollut. prop. 1, notab. 1 : *Multiplicem*, ait, *humorem à corpore humano permeatus membrorum, quæ generationi deputata sunt, defluere. Unus est verè seminalis; alius verè urinalis; alius quodammodò medius, qui potest vocari salivalis vel sputalis. Alius additur humor præsertim in mulieribus, qui vocatur menstrualis. Et huic similis quandoque masculo accidit ex infirmitate.* Cæterùm humorem propriè seminalem, et humorem medium, dicit non ita facilè secerni, propter similitudinem in albedine et viscositate seu tenacitate et quâdam spissitudine.

321. Idem Gerson paulò postea notat humorem illum medium in suo fluxu vix aut nunquàm causare talem modum delectationis et concussionis totius corporis, specialiter in pudendis, nec ita perstringere aut obnubilare in suo exitu judicium rationis, quemadmodùm contingit in humore verè seminali; *quia ille humor seminalis magis digestus est, et ad causationem libidinosæ delectationis proportionaliter invenitur.* Hinc sequitur 1°, fluxum illius medii humoris non esse veram pollutionem. Sequitur 2° humorem illum medium à seminali distinguendum esse penès effectum, quòd ille videlicet oriatur et fluat cum dolore, mordacitate seu acrimoniâ, necessitate urinandi et quâdam velut stranguriâ; hic verò conjunctam vel progressam habeat delectationem veneream seu libidinosam.

322. Notandum secundò pollutionem aliam esse diurnam, aliam nocturnam, et utramque vel esse involuntariam vel voluntariam saltem indirectè. Nocturna tribus modis potest accidere, 1° ut tota committatur in somnio; 2° ut inchoetur in somnio, et perficiatur in vigiliâ; 3° ut quidem in somnio excitentur imaginatio et commotio spirituum seminalium; sed ipsa seminis emissio inchoetur et perficiatur in vigiliâ. Pollutio primo modo contingens, *secundùm se* est involuntaria, quia tam quoad finem quàm quoad initium absolvitur in somno, impeditis interea voluntate et libertate. Contingens secundo modo, est pariter involuntaria, si in somnio inchoata, perficiatur in vigiliâ naturaliter sine ullo hominis evigilantis conatu.

323. Nec refert quòd homo jam evigilans possit reprimere semen, atque ita sistere vel impedire progressum pollutionis; non refert, inquam, 1° quia illa seminis repressio sæpissimè non est in hominis potestate propter fortitudinem virtutis expultricis; 2° quia conatus corporeus, ad semen reprimendum adhibitus, sæpiùs intendet potiùs quàm remittet impetum; 3° quia etsi posset physicè, non potest tamen moraliter seu sinè incommodo; nam semen in suo exitu violenter repressum, naturæ incommodat potestque occasio esse morbi vel infirmitatis. Demùm pollutio contingens tertio modo, rursùs voluntaria non est *secundùm se*, si merè naturaliter eveniat, vi præcedentis involuntariæ motionis, sine libero influxu hominis jam vigilantis.

324. Dixi semper, similem nocturnam pollutionem, non esse *secundùm se*, id est, directè voluntariam; potest enim esse voluntaria in causâ, seu indirectè. Porrò causa nocturnæ pollutionis est duplex, una proxima, altera remota : causa remota est 1° venus antecedens, sive per actus exteriores et sensibiles, sive per desideria interna et morosas delectationes : ut enim experientiâ notum est, phantasiam seu imaginationem nocte occupari circa objecta cætera, quæ die præcedenti obversabantur animo, sic idem sæpissimè evenit de libidinosis. 2° Sanguinis et bonorum succorum in toto redundantia, membrorum proba nutritio, tranquillitas vitæ, dùm interim sive ex voto, sive ex virtute naturali continentiæ seu castitatis non exercetur venus per carnalem concubitum : hinc enim necessariò augetur sperma, præsertim in ætate juvenili, crescente et bulliente sanguine; atque ita contingit ut semen sensim increscens, sua receptacula gravet plus quàm oportet, ac proinde urgeat et stimulet, dormiente homine, ad expulsionem. 3° Ciborum præsertim calidorum ac potûs generosi copiosa ingestio. 4° Modus cubandi, v. g., decubitus supra dorsum, hinc enim incalescunt renes et vasa spermatica, atque ita semen liquitur et effluit.

325. Causæ autem proximæ sunt 1° somnium seu operatio imaginationis, etiam sæpissimè nullâ prægressâ libidine diurnâ; fiunt enim dormienti homini diversa somnia secundùm diversitatem imaginationum, et humoris dominium : sic enim ventre vacui facilè somniant, quòd alas habeant et volent; repleti, quòd magnum pondus sustineant; biliosi, quòd fugiant ignem; pituitosi, quòd versentur in paludibus; melancholici, quòd cadavera vel immundos spiritus videant, ac demùm sanguinei, quòd in hilari consortio versentur. 2° Causa proxima est illusio dæmonis; unde Ecclesia in completorio Deum orat ut hostem nostrum comprimat, ne polluantur corpora.

326. Medium quo id facit diabolus, est alteratio humorum, aut excitatio imaginationis, immitendo phantasmata, etc. Finis verò est, quòd ex vehementiâ illius passionis, ut plurimùm sequatur per diem quædam gravedo corporis cum hebetudine mentis et indevotione vi cujus homo redditur tardus seu minùs vivus ad intelligendum ac exercendum spiritualia et divina. Accedit quòd præterita pollutio nocturna facilè recurrat animo, et suâ delectatione objectivâ, voluntatis complacentiam seu consensum aliquando obtineat.

327. Porrò, ut nocturna pollutio sit voluntaria indirectè non sufficit illius causam qualitercumque præcessisse; sed triplex requiritur conditio, quæ alibi generatim ad voluntarium indirectum. Prima est, ut effectus in causâ prævisus sit, vel saltem prævideri potuerit ac debuerit. Secunda, ut possis causam omittere. Tertia, ut debeas : si enim nulla sit obligatio omittendi causam, effectus pollutionis, per accidens secutus, censebitur permissus, non intentus. Hinc varia corollaria suâ sponte fluunt. Hæc quoad pollutionem nocturnam.

328. Quantùm ad diurnam, quæ nimirùm contingit homini vigilanti, hæc aliquando est involuntaria, aliquando voluntaria directè vel indirectè. Involuntaria est 1° quæ provenit ex incommodo naturali, ut accidit seminifluis, seu laborantibus gonorrhœâ, id est, profluvio seminis; gonorrhœa enim (ut describunt medici) est invita ac præter voluntatem excretio seminis, membro pudendo flaccido remanente; seu, est quædam seminis distillatio sine rigore ac tentigine pudendi. Originem hæc infirmitas habet, primò ex nimiâ abundantiâ seminis, vasa spermatica obligante ad emissionem; secundò, ex acrimoniâ vel seminis tenuitate; tertiò, ex imbecillitate potentiæ retentricis; quartò, ex nimiâ fortitudine potentiæ expulsoriæ; quintò, ex convulsione.

329. Accidere potissimùm solet iis qui vitam notabiliter intemperantem agunt, ratione cujus intemperantiæ flaccessit virtus seminis retentiva. Accidere solet etiam nepotibus veneris, qui concubitum, quo antea utebantur, jam intermittunt; 2° pollutio diurna involuntaria est, quam quis per violentiam pateretur alienâ manu. Certum porrò est, homini penitùs invito posse educi semen, quia consensus voluntatis ad hunc effectum nullatenùs est necessarius, ut satis constat pollutionibus dormientium. 3° Pollutio involuntaria evenire potest ex vehementiâ concupiscentiæ, continuo et nimis diuturno recursu phantasmatum obscœnorum, contra consensum voluntatis. 4° Involuntaria censetur, quæ mediante effectu notabiliter bono, per accidens et remotè sequitur actionem secundùm se non malam, cujus omittendæ nulla sit obligatio. Ratio est quia si actio secundùm se non mala, habeat proximè effectum bonum, remotè verò et per accidens malum, solus intenditur bonus, et permittitur malus. Hinc varia corollaria.

330. Pollutio diurna directè voluntaria est, quæ intenditur ab operante, tanquàm finis aut medium. Intenditur *tanquàm finis*, quando causâ voluptatis vel delectationis adhibetur medium quo procuretur. Medium potest esse manus propria vel aliena, id est, actus vel tactus quilibet libidinosus proprii vel alieni corporis. Item delectatio pertinax interior de objecto obscœno. Intenditur *tanquàm medium*, quando usurpatur et dirigitur ab operante ad certum aliquem effectum obtinendum; v. g., si quis se vel alterum polluat causâ sanitatis conservandæ vel recuperandæ. Eòdem pertinet sumptio medicinæ directè tendentis in abactionem seminis ad restituendam sanitatem.

331. Pollutio diurna indirectè voluntaria est, quando in se quidem pollutio ipsa non intenditur, sed interim deliberatus præstatur consensus in actionem vel passionem, ex quâ scitur vel formidatur, pollutionem sine medio effectu bono secuturam. Ita voluntariè et indirectè polluitur, qui intendit et admittit osculum, tactum activum vel passivum aut delectationem obscœnam merè interiorem, ex fine voluptatis, iisdem actibus propriæ, sed cum periculo prævisо pollutionis subsequentis.

Notandum tertiò distingui notabiliter pollutionem volitam à voluntariâ; hæc debet procedere à voluntate, illa debet solummodò objectum voluntatis esse. Volita, non voluntaria, sive objectum, non effectus voluntatis, est pollutio nocturna, quæ desideratur vespere et in vigiliâ, sive ob naturæ alleviationem et sanitatem, sive ob concupiscentiam diminuendam. Idem est si de nocturnâ pollutione præteritâ gaudeat expergefactus. An autem hoc gaudium vel illud desiderium liceat, quæstio est alterius loci. His ita præmissis,

332. Respondeo ad propositum dubium, primò, non reservari nec reservabilem esse pollutionem nocturnam, quatenùs secundùm se involuntariam. Est evidens. Secundò, neque quatenùs voluntariam in solâ causâ. Patet ex ante dictis, quia peccatum reservatum debet cum perfectâ libertate et voluntarietate non solùm inchoari, sed etiam consummari; ob quam causam suo loco diximus, homicidium, blasphemiam, perjurium, adulterium, etc., in solâ causâ, v. g., ebrietate voluntariâ, non reservari. Tertiò, idem dicendum de gaudio pollutionis præteritæ et desiderio futuræ, præsertim si ipsum desiderium non sit causa vel dispositio pollutionis nocturnæ subsequentis. Quartò, non etiam contineri diurnam, sive quæ est

noluntaria, ut contingit in gonorrhœâ et violentiam passis, sive quæ est involuntaria negativè, ut in exemplis equitis, confessarii, chirurgi, à doctoribus ostendi solet in materiâ de voluntario indirecto.

333 - 334. Demùm respondetur quintò, probabiliùs contineri voluntariam et diurnam, tum quæ intenditur tanquàm finis, tum quæ adinstar medii. Ratio est quia est *lapsus carnis*, seu peccatum libidinis; *voluntarius*, ut supponitur; *opere consummatus*, seu est completa luxuriæ species. Ita docet S. Thomas, 2 2, q. 154, art. 11, in corpore, cui articulo hic titulus præfigitur : *Utrùm vitium contra naturam sit species luxuriæ?* Respondet S. doctor, dicendum quòd, sicut supra dictum est, ibi est determinata luxuriæ species, ubi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum verum. Quod quidem potest esse dupliciter : uno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ, quod est commune in omni vitio luxuriæ; alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actûs, qui convenit humanæ speciei; quod dicitur vitium contra naturam : quod quidem potest pluribus modis contingere. Uno quidem modo, si absque omni concubitu causâ delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Ita S. Thomas, satis insinuans, pollutionem esse consummatam libidinis speciem. Idem communiter doctores censent, Suarez, n. 12; Castropalao, n. 22; Sylvester, p. 1, verb. *Casu reserv.*, cas. 1; Gobat, tract. 7, n. 677; Lacroix, tom. 7, n. 1670; Crousers ad cap. 7 Reg. lect., paræn. 15, fol. 627; Peyrinis, n. 56; Lezana, tom. 1, c. 5, n. 10; quanquàm dubitent Herincx, p. 4, disp. 6, q. 1, n. 5; Henno, de Pœnit., disp. 8, quæst. 8, art. 2, concl. 2; Kerckhove, n. 29.

Dubium v. — *An requiratur pollutionem actu exteriori procuratam esse, an autem sufficiat, quòd per intensam cogitationem venereorùm accidat?*

335. Requiri, ut procuretur per actum exteriorem, docent Sporer, Tyrocin., Sacram. part. 4, num. 329 et 332; Coriolanus, de Cas. res., part. 2, cas. 9, § 10, n. 15, et Georgius Kienne, tract. de Cas. res., part. 3, c. 6, n. 4, ubi in hunc modum loquitur : Quæres primò, utrùm religiosus cogitando turpia, iisque morosè delectando in pollutionem prolapsus, sine proprii corporis aspectu vel contactu libidinoso, ullâque motione instrumentali casum reservatum incurrat? Respondet Suarez affirmativè, sed non improbabiliter alii negant : putant enim, quòd ad hujusmodi reservationem, non solùm externa actio in suâ specie consummata, sed etiam externa respectu mediorum requiratur, et procuretur, non tantùm per interiorem delectationem, tanquàm causam adæquatam, sed potissimùm per opus externum, v. g., libidinosum contactum. Ita Kienne. Similia habet Coriolanus; dubitatur, inquit, an religiosus cogitans turpia advertenter, et se delectans in illis in pollutionem lapsus, absque tamen contactu manuum vel alterius instrumenti, propterea incidat in hunc casum? Pars negativa est vera per ea, quæ pluries diximus, nempe quòd ad hoc, ut sit casus reservatus, requiratur actio externa, non solùm in ultimo effectu, sed etiam respectu mediorum, scilicet ut cum aliquo opere externo id procuret.

336. Atverò in casu proposito, licèt et cogitando turpia et se polluendo committat quis peccatum mortale, non tamen incidit in casum reservatum; quia talis pollutio habet originem et est causata à cognitione internâ, de quâ non ponitur casus. Ita Coriolanus. Idem docent Bassæus, § 9; Crousers, lect. 15; Kerckhove, n. 70, et alii, quorum ratio, ut rectè intelligatur, oportet advertere, pollutionem duplici modo sumi posse, videlicet activè et passivè. Pollutio activè sumpta, est ipsa actio seminis eductiva : passivè considerata, est passiva seminis emissio. Quando causa pollutionis adæquata, est merè interior, tum sola pollutio passiva seu passio pollutionis externa est. Jam verò reservatio non ita cadit in passionem, sicuti in actionem. Ergo cùm actio, quam afficit reservatio, debeat sensibilis et externa esse, sequitur solum actum interiorem non sufficere. Exemplum in homicidio. Suppone hominem ab homine per solam voluntatem interiorem occidi posse. Occisio in hunc modum peracta, non esset reservata; quia homicidium passivè sumptum, esset quidem sensibile; at sumptum activè, internum esset.

337. Contrariam sententiam tenent Suarez, n. 12; Sylvester, sup.; Gobat, n. 678, et tanquàm absolutè tenendam Lacroix citatus, quorum ratio videtur esse primò, quòd sit *lapsus carnis voluntarius*, *opere consummatus*. *Lapsus* quidem *carnis*, seu peccatum libidinis, ut manifestum est; *voluntarius* pariter, ut supponitur : demùm *opere consummatus* : est enim ipsa seminis emissio opus externum et sensibile. Secundò, quia quoties interna libido prodit in pollutionem, actus externus censetur in suâ specie consummatus, ut sup. S. Thomas docet. Verùm respondeo ad primum, sensum propositionis papalis esse, reservari lapsum carnis voluntarium, opere externo activè sumpto et in genere luxuriæ graviter peccaminoso consummatum. Ad S. Thomam respondeo 1° : Non dicit pollutionem ex actu merè interiori provenientem, esse consummatam speciem luxuriæ, sed pollutionem absque concubitu, causâ delectationis venereæ *procuratam* : quod potiùs significat medium sensibile et externum. Respondeo 2° esse in casu pollutionem, perfectam et consummatam speciem luxuriæ, quantùm est ex parte finis et effectûs, non verò quantùm est ex parte medii.

Dubium vi. — *Quid, si pollutio voluntaria quidem sit, sed in causâ exteriori, mortaliter non peccaminosâ in genere luxuriæ?*

338. Censent Bassæus, Crousers, Kerckhove, Kienne citati, non esse locum reservationi; quia existimant, lapsum carnis debere esse consummatum opere externo, in genere luxuriæ mortaliter peccaminoso. Hinc

Deducunt iidem, 1° non incurrere casum, qui polluitur ex nimio potu aut crapulâ.

2° Qui ex lectione non necessariâ rerum venerearum, idque etsi fieret illo fine, ut sequeretur pollutio, aut etsi aliquis in pollutionem inde ortam consentiret; quia media ista per se non sunt libidinosa.

3° Idem putant iidem, si actus externus, licèt utcumque libidinosus, ex naturâ suâ leviter ad libidinem provocet, quantumvis supponatur, per eumdem actum pollutionem ipsam intentam esse. Rationem reddunt; quia illi actus, quamvis exteriores et libidinosi, non habent talem ordinem aut connexionem ad pollutionem, ut per voluntarium illorum exercitium dici possit voluntariè procurata. Cætera corollaria apud eosdem auctores legi possunt.

Dubium VII. — *Quid de pollutione alteri procuratâ?*

339. Respondeo 1° certum esse si pollutio alteri consentienti vel non invito per tactum inhonestum procuretur, patientem teneri casu reservato : est enim pollutio directè voluntaria, per medium externum in genere luxuriæ graviter peccaminosum procurata, id est, per manum alienam voluntariè admissam vel non impeditam.

Respondeo 2° quod attinet agentem, si ille pariter polluatur, pariter incurret casum reservatum. De cætero vide Gobat, n. 677; Diana, part. 11, tr. 2, resol. 61; Andream Mendo in bullam *Cruciatæ*, disp. 24, c. 4, n. 47.

Dubium VIII. — *An casu Clementino contineatur voluntaria distillatio?*

340. Prænotandum, distillationem esse fluxum humoris seminalis imperfecti, in minori copiâ seu quantitate, quasi per guttas aut stillas : unde distillatio dicitur, quòd stillando contingat. Dixi, *humoris seminalis imperfecti :* habet enim quamdam cum vero semine similitudinem, quamdam etiam dissimilitudinem. Similis est in colore; item in viscositate seu spissitudine. Dissimilis est, quòd nihilominùs magis accedat ad naturam aquæ. Unde excedit nonnihil aquam et urinam in spissitudine, et in eâdem exceditur à semine. Proinde est humor medius inter semen, et aquam seu urinam. Denique non effluit cum tanto impetu, copiâ et voluptate, sicut verum semen.

Potest autem prædicta distillatio accidere homini duobus modis, naturaliter, et voluntariè. *Naturaliter* quidem, dùm contingit sine delectatione libidinosâ aut carnis rebellione. *Voluntariè* verò, dùm sequitur aut comitatur concupiscentiam et voluntariam obscœnam delectationem. His notatis,

341. Respondeo 1° certum esse, quòd distillatio naturaliter eveniens, reservari non possit; quòd non sit peccaminosa. Quapropter timoratus animus de talis humoris stillicidio naturaliter eveniente non magis debet esse sollicitus, quàm de fluxu sudoris, ut notat Cajetanus apud Henno in Decal., disp. 6, quæst. 7, art. 1, concl. 1. De hâc loquitur Gerson supra citatus in hunc modum : *Immiscet se talis humor medius aliquando cum urinatione, aliquando per se diffluit sine cogitatione et sensu... ex levioribus causis, ac majori facilitate movetur ad exitum, quàm seminalis humor, præsertim in mulieribus; adeò quòd ex levissimo motu corporis absque aliquâ cogitatione et absque sensu proveniat*, licèt quandoque cum aliquo pruritu et titillatione carnis.

342. Respondeo 2° distillationem ex concupiscentiâ interiori seu voluntariâ delectatione venereâ provenientem, mortaliter peccaminosam esse, non tamen reservatam. Prima pars est certa; quia supponitur, ex delectatione libidinosâ mortaliter peccaminosâ provenire. Deinceps distillatio voluntariè procurata, non potest separari à periculo pollutionis : nam humor ille medius voluntariè provocatus, à medicis vocari solet vehiculum seminis, eò quòd prænuntiet instantem seminis sequelam ac soleat præcedere pollutionem. Quare est quædam illius inchoatio. Probatur secunda pars : quia supponitur medium, quo contingat distillatio, non esse externum, sed interiorem duntaxat delectationem : jam verò, ut supra diximus, ne ipsa quidem pollutio reservata est, nisi eveniat per medium externum, in genere luxuriæ graviter peccaminosum. Vide Dianam, Gobat, Lacroix, sup. cit.

ARTICULUS X.

DE CASU DECIMO.

Textus. — *Occisio aut vulneratio seu gravis percussio cujuscumque personæ.*

Dubium primum. — *Quid* occisio, *et quando reservabilis?*

343. Respondeo primò : Occisio est corporis et animæ separatio violenta : addit Kerckhove, num. 32, *hominis ex utero nati*, ut excludatur abortus fœtûs animati, quasi distinctio alioqui sufficiens non sit futura inter unum et alterum casum. At non est necessarium, istam restrictionem addere; quia abortus fœtûs animati, et occisio habent se ut excedentia et excessa. Non omnis occisio, est abortus, ut per se patet. Neque omnis abortus fœtûs animati, est occisio; primò, quia non repugnat, fœtum animatum abortui supervivere. Secundò, quia crimen abortûs reservati committitur, etiam effectu non secuto, occisionis non item.

344. Respondeo secundò non esse reservabilem occisionem casualem aut penitùs involuntariam. Idem est de eâ quæ tantùm voluntaria est in causâ remotâ, per accidens connexa cum effectu. Itaque solummodò reservari potest occisio voluntaria in se, formaliter et expressè vel æquivalenter et in causâ propinquâ. Nec refert quòd non dicatur occisio *voluntaria*, quemadmodùm quando episcopi reservant homicidium, solent addere *voluntarium;* non refert : nam homicidium simpliciter positum stat pro voluntario. Ita ex communi doctorum. Herincx, part. 2, tract. 3, disp. 6, quæst. 7, § 5. « Nomine, inquit, « homicidii voluntarii intelligitur non omne quod est « peccaminosum etiam mortaliter, sed quod est voli« tum vel in se directè, vel in causâ ita propinquâ ut « sit moraliter impossibile talem causam velle et non « velle mortem, v. g., si quis alteri venenum pro« pinet vel tali loco vulneret, ex quo moraliter certò « debeat mors sequi, licèt eam expressè non inten« dat. Idem est cum proportione de voluntariâ muti-

« latione. Hujusmodi autem mutilatio vel homicidium, « duntaxat dicitur propriè mutilatio vel homicidium, « ac de eo intelliguntur canones, infligentes pœnas « homicidio (idem est de mutilatione) voluntario, « vel simpliciter posito. » Hactenùs Herincx.

Respondeo tertiò : Indifferens est quicumque occidatur, superior, subditus, professus, novitius, clericus, laicus, regularis, secularis, masculus, femina, senex, puer, fidelis, infidelis. Hinc varia deduci corollaria possunt; varia item adjungi insuper dubia, v. g., qualiter debeat occisio consummata esse, an reservatione teneantur mandans, consulens, consentiens, etc., quibus brevitatis gratiâ supersedemus, remittentes lectorem ad ea quæ in simili materiâ aliBi scripsimus.

Dubium II.—*Quid* vulneratio, *et quando reservabilis?*

345. Vulneratio, inquit Kerckhove, n. 35, est iniuriosa humanæ carnis incisio; vel (ut ex Ambrosio Calepino describunt Castropalao, n. 23, et Gobat, n. 680) est apertura corporis, ictu inflicta; vel (ut loquitur Cotonius, n. 32) vulneratio propriè est, quæ fit armis pungentibus vel scindentibus. Ut autem sit reservabilis, debet esse voluntaria, injusta et gravis. *Voluntaria*, id est, in se intenta vel in causâ proximâ. Unde casum reservatum non incurreret qui vulneraret aliquem in vitæ propriæ defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ; neque qui per imprudentiam, negligentiam, levitatem, jactu vel casu præter directam intentionem alicui præberet occasionem, periculum vel effectum vulneris. *Injuriosa*, seu injusta; unde scissura seu partium separatio necessaria ad curam alicujus apostematis aut alterius incommodi corporalis, sicut nequit peccaminosa esse, ita nec reservata. *Gravis*, quia levioris vulnusculi inflictio non censetur vulneratio, argum. l. 1, § *Proinde*, ff. de Ædilit. edict., ubi dicitur quòd levis febricula non sit febris.

346. Porrò pro considerandâ vulneris gravitate non oportet universim ac semper attendere longitudinem scissuræ vel copiam effluentis sanguinis; sed spectanda natura partis affectæ; erit enim citiùs vulnus grave et mortale in unâ corporis parte quàm in aliâ, v. g., in capite, facie, oculo, quàm in manu, natibus, tibiis, etc.; quia partes priores magis sunt delicatæ, neque tam citò et facilè recipiunt curationem; demùm retinent perspicuam cicatricem, vi cujus facies deformatur, etc. Itaque vulnerationem constituunt scissura per scalpellum in facie aut genis, partis integralis mutilatio, ictus per cultrum aut gladium aliquousque profundus, non tamen sanguis è naribus vel gingivâ per pugnum eductus, vel contusio, etc.

Dubium III. —*Quid* percussio, *et quando reservabilis?*

347. Respondeo primò cum Bordono, resolut. 49, n. 5, nomine percussionis, prout à vulneratione distinguitur, intelligi verberationem cum insigni dolore sine sanguinis effusione, intellige, in illis partibus quæ sine continui divisione sanguinem non emittunt. Alioquin, ut advertit Cotonius, n. 32, potest esse percussio cum sanguinis emissione, quæ non sit vulneratio, ut manu in faciem impactâ.

Respondeo secundò cum Crousers, lect. paræn. 16, esse diversa genera percussionum : est enim 1° percussio jocosa, quæ ludi aut joci gratiâ fiat; 2° datur percussio religiosa, quæ fiat ad castigationem peccatorum coram Deo. Hæc hominibus religiosis et sanctis familiaris est. Per hanc castigant corpus suum et in servitutem redigunt. 3° Datur percussio juridica, quæ juridicè infligitur delinquentibus, in vindictam delicti et terrorem aliorum; 4° datur percussio injuriosa, publica et privata, violenta et voluntaria. Violenta est, quam patitur invitus; voluntaria, in quam consentit seu quam permittit percussus. De hâc loquebatur, qui dicebat : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* De eâdem agitur c. *Contingit*, de Sentent. excommun.

348. Respondeo tertiò per reservatam percussionem non intelligi omnem illam quæ injusta et mortaliter peccaminosa est. Contrarium docent Crousers citatus et Bassæus, § 10. Per gravem percussionem, inquiunt, non intelligi injustam seu injuriosam enormem tantùm, sed quamlibet injustam seu injuriosam, quæ sit peccatum mortale, quæque cùm in clericum cadit, habet annexam excommunicationem canonis, *Si quis suadente.* Nostram sententiam docent cæteri, Kerckhove, n. 36; Coriolanus, cas. 10, n. 9; Lezana; verb. *Clericus*, n. 11, dicens esse communiorem; Peyrinis, n. 58; Fagundez, c. 7, n. 24; Tamburinus, n. 58; Gobat, n. 681, distinctionem faciens inter percussionem gravem, et mortalem. Ratio est quia nomine percussionis *gravis* communissimè doctores intelligunt *enormem*, seu quæ est *gravis*, non absolutè et in se, sed comparativè ad *mediocrem* et *levem*.

349.-350. Fundatur illa distinctio in quâdam Extrav., quæ Joanni XXII à nonnullis tribuitur, quamque ex Navarro, Man., c. 27, n. 91, adducunt doctores citati. In eâ sic loquitur Pontifex : « Respondemus « percussionem levem esse pugni, palmæ, manûs, « pedis, digiti, lapidis, quæ nullam maculam neque « sigillationem carnium relinquit, neque abscindit « membrum, sine effractione dentium, sine evulsione « multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere quòd hujusmodi levis « percussio, ut pugni aut unguis, fiat atrox, ob multi « sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen, quæ « læsio sit levis, mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solùm factum, sed etiam « qualitatem ejus et modum percutiendi et lædendi « cum omnibus circumstantiis loci, personæ et aliis : « personæ, si est magister, judex, prælatus, pater, « patronus, aut dignitas, percussus injustè à subdito « aut alio se viliori, quia ex hoc interdùm censentur « graves injuriæ, quæ ex se sunt leves aut mediocres, « et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut « declares, quæ sit levis et quæ enormis injuria, ad- « monentes ut potiùs declares in dubio esse percus-

« sionem gravem et ab eâ non posse absolvere, quàm « declarando levem esse, occasionem præbeas læ- « dendi statum ecclesiasticum. »

351. Hinc Navarrus cum doctoribus cæteris colligit 1° percussionem dari triplicem, levem, mediocrem, et enormem sive gravem. Colligit 2° percussionem levem hìc non vocari quæ tantùm venialiter peccaminosa est; sed quæ est levis comparativè ad enormem et mediocrem. Colligit 3° levem percussionem consistere in actibus eâdem Extravagante enumeratis Colligit 4° prudentis arbitrio relictum esse, quæ sit enormis atque adeò mediocris. Ipse verò Navarrus instar prudentis viri existimat, enormem percussionem esse, quâ quis interficitur, sciditur membrum, aut redditur inutile ad suum munus seu officium. Hinc.

Respondeo quartò gravem percussionem, prout ab occisione et vulneratione distinguitur, esse debilitationem violentam membri, dislocationem juncturarum, ingentem contusionem, depilationem notabilem seu capillorum in notabili quantitate evulsionem, dentifragium seu violentam dentium effractionem.

352. Respondeo quintò, in considerandâ gravitate percussionis non solùm attendendam esse verberationem secundùm se, verùm etiam circumstantias personæ, loci, scandali, etc. Ita tradunt communiter doctores, et constat ex allegatâ Extravagante : *Personæ*, ut si quis etiam leviter percutiat episcopum, generalem, provincialem ; *loci*, ut si fieret in ecclesiâ, altari, præsentiâ superioris aut congregatæ communitatis ; *scandali*, ut si in præsentiâ multorum, maximè secularium, novitiorum, etc.

Dubium iv. — *An* occidens, vulnerans *aut* percutiens *semetipsum, incurrat casum reservatum?*

353. Certum est 1° non posse incurrere occidentem, quia non potest supervivere delicto consummato. Certum est 2° non incurrere vulnerantem aut percutientem semetipsum, si sine injuriâ, id est, ex justâ et rationabili causâ faciat, ut si se flagellet in vindictam peccatorum suorum et mortificationem carnis. Certum est 3° vulnerationem vel percussionem suî involuntariam aut etiam voluntariam, sed in causâ duntaxat remotâ, non reservari.

Quòd si quis igitur se vulneret aut percutiat deliberatè, ex intentione et cum peccato mortali graviori contra præceptum, *Non occides*, v. g., ex impatientiâ, desolatione, etc., communis sententia docet quòd incurrat peccatum reservatum. Kerckhove, n. 37 ; Coriolanus, n. 8, etc. Ratio est 1° ex generalitate termini, *cujuscumque personæ*, sub quâ comprehendi etiam videtur, qui se percuteret aut vulneraret ; 2° à simili, quia religiosus se vulnerans vel percutiens incidit in excommunicationem canonis, *Si quis suadente*, 17, q. 4, ut habet sententia communior apud Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 23, § 2, n. 4, tametsi contraria non improbabiliter sustineri posset, teste Suarez disp. 22, sect. 1, n. 59, et Bonacinâ, tom. 3 de Censuris, in particulari disp. 2, q. 3, puncto 6, sect. 2

Dubium v. — *Quibus potissimùm casibus percussor monachi aut clerici censuram canonis non incurrat :*

354. Respondeo inprimis, ut à casu reservato Clementino, sic à sententiâ canonis excusari, si percussio sit *levis*, non solùm comparativè ad enormem et mediocrem, verùm etiam absolutè. Ratio clara est, quia sicuti reservatio Clementina, sic sententia canonis supponit mortaliter injuriosam percussionem : loquitur enim canon de violentâ manuum injectione, quæ fiat instigante diabolo, adeòque supponit mortale peccatum seu grave sacrilegium ; quapropter quoties ex circumstantiâ personæ percussæ, vel ex modo percussionis, injuria statui clericali graviter non repugnat, non erit locus huic censuræ. Sic ob circumstantiam personæ, levis absolutè videtur esse percussio, si clerici juvenes inter rixandum, secluso scandalo, etc., sibi alapam impingant aut unus alteri det pedem sub natibus, aut manu vel brachio protrudat, idque etsi alter inde sine alio incommodo in terram decidat. Ratio est quia inter juvenes similia non censentur gravia, ut satis inde colligitur, quòd si juvenis secularis simile quid fecerit seculari, nullus confessarius eumdem peccati mortalis damnaturus sit. Imò ob circumstantiam personæ excusat Sotus 1, dist. 22, quæst. 1, art. 2, pueros clericos rixantes et se invicem percutientes pugno, etiam in templo, ita ut sanguis è naribus eliciatur, quia plerùmque hæc injuria inter ipsos levis censetur, tametsi aliquando gravis esse soleat, argum. c. ult. de Sentent. excommun., quod ex circumstantiis colligendum est, ut benè advertunt Castropalao, § 3, n. 1 ; Coninck, disp. 14, dub 15, n. 190 ; Layman, lib. 1 Sum., tract. 5, part. 2, cap. 5, n. 8 ; Molina, tract. 3, sic enim percussio erit gravis, si ictu sæpiùs repetito et cum impetu graviori, atque adeò notabili patientis dolore contingat. Item ex circumstantiâ personæ, percussio mortalis erit alapa, quam juvenis viro gravi, seniori aut superiori impingeret.

355-356. Secundò, ex modo percussionis, uti a casu Clementino, sic à censurâ excusatur, qui ex subitâ passione, animo non plenè advertente, vel à fortiori causâ joci et ludi clericum percutit : nam esto percussio aliàs gravis esset, modus quo contingit, gravitatem tollit aut minuit, sic ut ad culpam saltem mortalem non perveniat, argum., c. 1, de Sentent. excommun., ubi dicitur : *Respondemus, quòd si clerici infra puberes annos se ad invicem aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi ; quia eos ætas excusat. Nec clerici, si sunt plenæ ætatis, et non odio vel invidiâ vel indignatione, sed levitate jocosâ se ad invicem percutere contingat.* Suarez, Molina, Coninck, Bonacina, Layman, Castropalao citati.

357. Tertiò, religiosus graviter percutiens clericum aut monachum, quem probabiliter ignoraret, esse clericum vel monachum, excusaretur à sententiâ canonis, non tamen à casu Clementino. Ratio primæ partis est, quia hæc excommunicatio non propter injustam, sed propter sacrilegam et statui clericali injuriosam percussionem statuitur. Atqui stante probabili ignorantiâ clericatûs, cessat ejusdem clericatûs injuria.

Constat ex c. *Si verò*, 2, de Sentent. excommun.; ubi à censurâ excusatur percussor clerici nutrientis comam; quia percussor probabiliter putare poterat, non esse clericum, ut citatis multis docet Sanchez, lib. 9, de Matrim., disp. 32, n. 41, *Si verò* (ait Pontifex) *aliquis in clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet apostolico præsentari conspectui, dummodò ipsum esse clericum ignoraverit.* Ratio secundæ partis est; quia ad incurrendum casum Clementinum sufficit percussio *cujuscumque personæ.*

358. Quartò, excusatur à casu et censurâ, qui in suî vel alterius defensionem clericum vel monachum percuteret vel detineret; quia hæc non est vis vel violentia, sed defensio. Ita statuitur c. *Si verò*, de Sent. excommun., ubi dicitur: *Si verò clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat, cùm vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant.* Item c. *Ex tenore*, eod. *Ex tenore litterarum tuarum innotuit, quòd B. canonicus in quemdam subdiaconum manus injecit violentas*, etc. *Mandamus, quatenùs... eidem in virtute juramenti præcipias, ne de cætero in clericum, monachum vel alicujus religionis conversum manus injiciat violentas, nisi se defendendo.*

359. Quintò, à casu et censurâ excusatur superior puniens clericum suum subditum castigatione moderatâ, prout ratio culpæ et qualitas personæ exigit ac consuetudine receptum est. Ita dicitur c. *Ex tenore*, sup. *Nisi se defendendo aut de mandato suorum fecerit prælatorum, vel nisi super eum prælationis ministerium aut magisterium habeat.* Item c. *Cùm voluntate*, eod. *Si qui obtentu prælationis vel magisterii, subditos et scholares correctionis causâ leviter fortè percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt.* Imò quod de prælato respectu subditi dicitur, idem dicendum de magistro respectu scholaris, c. *Cùm voluntate*, sup. Item c. *Si verò*, 1, ubi dicitur, *non esse mittendum ad Sedem Apostolicam magistrum, si scholarem clericum intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit; quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari.* Quinimò idem dicendum est de clericis senioribus, si leviter puniant et percutiant in minoribus ordinibus constitutos, turbantes divinum officium, c. *Cùm voluntate*, § ult., ubi dicitur: *Si qui verò ratione officii, quod in ecclesiâ obtinent, aut etiam alii clerici seniores zelo devotionis, pueros vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos, turbantes divinum officium... leviter fortè percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt.*

ARTICULUS XI.

DE CASU UNDECIMO.

Textus. — *Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.*

Dubium primum. — *Quid sit* malitiosum impedimentum?

360. Respondeo: *Malitiosum* est, quod malâ intentione præstatur et ad malum tendit, sive superiorum, sive inferiorum, sive malum illud sit positivum sive negativum. Unde ut impedimentum censeatur malitiosum, non sufficit peccari graviter, sed necesse est, ut fiat ex malitiâ seu directâ intentione impediendi effectum litterarum. Suarez, n. 13; Bassæus, § 11, Kerckhove, n. 41; Coriolanus, cas. 11; Crousers, lect. præen. 16; Castropalao, n. 24; Peyrinis, n. 61; Gobat, n. 683. Hinc deducitur, non incurrere casum, qui impediret effectum litterarum, per ignorantiam, inadvertentiam, imprudentiam, negligentiam, etiam crassam, ut qui destinandas superioris litteras, per imprudentiam culpabilem amitteret, combureret, laceraret, abjiceret, sine dolo aut malitiâ.

Impedimentum autem est retentio aut interceptio litterarum, quâ fiat, ut non perveniant in manus illius, ad quem diriguntur. Itaque censebitur impedire, qui easdem litteras, clausas vel apertas, apud se servat sine animo transmittendi, lacerat, in ignem aut aquam projicit, etc.

Dubium ii. — *Quid* retardatio?

361. Respondeo esse actionem fraudulentam, quâ fiat, ut litteræ suo tempore aut non recipiatur aut non destinentur. Differt ab *impedimento;* quia supponit, litteras, quanquàm tardiùs, pervenire tamen in manus eorum, ad quos diriguntur: *Impedimentum* verò supponit, litteras non destinari; impedire enim est efficere, ut litteræ non solùm nunc non perveniant ad manus alterius, verùm etiam ut non perveniant postea. *Retardatio* variis modis potest fieri, 1° destinandas aut interceptas litteras per tempus detinendo; 2° corrumpendo aut decipiendo tabellarium; 3° efficiendo per fraudem, ut aut tabellarius non inveniatur, aut non discedat aut saltem discedat tardiùs. DD. citati.

362. Observandum autem est primò, repetendam esse primam particulam, adeò ut *retardatio* debeat esse *malitiosa*, id est, per dolum et malitiam fieri, ut supra dictum. Quare rursùs, si retardatio fiat ex ignorantiâ, negligentiâ, imprudentiâ, bonâ fide, quanquàm peccatum aliquod intervenire possit, non erit tamen reservatum. Vide Marchant, dub. 7, et Kerckhove, num. 44.

Observandum secundò cum Fagundez, n. 25, retardationem intelligi positivam. Quare peccatum reservatum non committet, qui litteras superioris ad inferiorem, vel contra suis litteris præveniret, ut qui cursorem quæreret velociorem aut eum majori donaret stipendio aut conduceret veredarium, ut suam epistolam præferat.

Observandum tertiò retardationem (idem est de impedimento) debere fieri in materiâ gravi et sufficiente ad peccatum mortale, quæ scilicet aut mittenti, aut recipienti existimatur illatura damnum et nocumentum: in materiâ enim levi non incurritur. Exempli gratiâ, Joannes Petri litteras congratulatorias ad superiorem nonnihil detinet, ut suæ perveniant priùs ob aliquam levem et vanam auram sine alio detrimento, hujusmodi detentio, sicuti non est pec-

catum mortale, sic nec casus reservatus. Ita Marchant et Kerckhove citati.

Dubium III. — *Quid* apertio litterarum?

363. Respondeo : Est fractio sigilli aut ligaturæ, quâ epistola clauditur, ne legatur. Ubi reflecte primò Pontificis disjunctionem quam interponit inter impedimentum, retardationem, apertionem ; ex quâ colligitur reservari 1° impedimentum sine apertione ; 2° retardationem rursùs sine apertione ; 3° retardationem sine impedimento ; 4° apertionem sine retardatione vel impedimento.

364. Reflecte secundò, rursùs repetendam aut subaudiendam esse particulam primam, ita ut apertio non reservetur, nisi sit malitiosa. Ex quo sequitur 1° non incurrere casum, qui bonâ fide aperiret, existimans esse suas seu ad se missas, nisi forsitan lectas aut apertas retardaret aut impediret. 2° Qui aperiret ex fundatè præsumpto consensu mittentis aut recipientis. 3° Deducit Fagundez, uti non erit mortale, sic neque reservatum fore, si aperias ob curiositatem merè naturalem sine malitiâ et sine animo vel periculo nocendi, v. g., ut ex barbaro vel eleganti stylo voluptatem capias, vel merâ curiositate et solâ causâ sciendi nova nuntia : erit enim tantùm veniale ex objecto, ut docet Navarrus, Man., c. 18, n. 53. Hactenùs Fagundez, de cujus doctrinâ lector judicet. 4° Idem est de illo, qui litteras superioris ad subditum, quas per errorem putat, subditi ad subditum esse, impedit, retardat, aperit, quamvis etiam malitiosè. Ratio est quia nulla equidem committitur malitia in subditum aut superiorem, quatenùs tales. 5° Idem est, si impediens, retardans, aperiens, sit superior scribentis et recipientis.

Dubium IV. — *Quid intelligatur per* superiores et inferiores?

365. Respondeo *superiores* et *inferiores* formaliter intelligendos esse, et cum mutuâ relatione. Quare requiritur ut superior ad proprium suum subditum scribat, vel contra. Secundò, debent superior et subditus esse ejusdem ordinis et religionis, cujus est impediens, retardans, aperiens eorumdem litteras. Kerckhove, n. 42, dicens Pontificem ab omnibus sic intelligi. Tertiò, per *superiores* intelliguntur prælati generales, provinciales, locales ; per *inferiores*, eorumdem subditi. Itaque inprimis non reservatur impedimentum, retardatio vel operatio litterarum, quas mittit superior ad secularem ; 2° quas ad secularem mittit inferior ; 3° quas subditus ad subditum ; 4° quas superior ad superiorem disparatum, id est, sine relatione subordinationis, v. g., superior Lovaniensis ad Antuerpiensem ; 5° quas scribit superior ad subditum non suum, v. g., superior monasterii Mechliniensis ad subditum monasterii Bruxellensis ; 6° quas subditus ad superiorem non suum.

Dubium V. — *An sufficiat* impedire, retardare, aperire *quaslibet litteras superioris ad inferiorem et è converso?*

366. Status dubii est an requiratur, ut litteræ, quæ impediuntur, vel aperiuntur, concernant superioris officium, an verò sufficiat, cujuscumque tenoris sint litteræ, v. g., familiares, gratulatoriæ, de rebus privatis tractantes, etc. — Respondeo probabiliùs requiri primum. Vide quæ diximus ad casum septimum. Vide item Pellizzarium, tract. 6, c. 1, n. 39 ; Bordonum, resol. 50, n. 4, et Cotonium, n. 25.

Dubium VI. — *An sufficiat fraudulenter legere?*

367. Respondeo negativè, si legens neque impediat, neque retardet, neque aperiat. Ratio est quia reservatio solummodò meminit impedimenti, retardationis, apertionis. Quare casum reservatum non incurret, 1° qui similes litteras apertas, v. g., in cubiculo superioris aut subditi legeret aut inspiceret, quantâvis malâ intentione ; 2° qui litteras manu complicatas, per latus inspiceret aut per industriam evolveret sine fracturâ sigilli ; 3° qui litteras injuriosè apertas per alterum sine mutuâ conventione inspiceret ; 4° juxta Pellizzarium, tract. 6, c. 1, n. 4, neuter incurrit peccatum reservatum, si unus aperiat et alter legat, ex condicto seu pacto antecedente ad eludendam legem reservationis. Verùm Bordonus et Kerckhove existimant incurrere utrumque ; quia uterque propriè dicitur aperire, nec licet legi fraudem facere. Ego existimo, ad summum incurrere solum aperientem : quia legens, propriè non aperit, quanquàm in ipsam apertionem influat moraliter vi conspirationis : influxus autem moralis non sufficit, ut toties diximus. 5° Casum non incurret, qui sine apertione legeret, chartâ lumini admotâ, eò quòd bibula sit seu litteras transmittat.

Dubium VII. — *An sufficiat apertio sine lecturâ?*

368-369. Respondet Petrus Marchant, si nullum detrimentum ex simplici apertione oriatur aut oriri possit absque lecturâ, tum si non legantur, casum reservatum non incurri. Ratio est quòd cesset finis reservationis, qui est evertere hujusmodi nocumentum. Adverte tamen, inquit Marchant, si ex apertione tuâ des alteri occasionem vel causam legendi, aut periculo lectionis nocivæ illas exponas, tunc casum reservatum committi. Ita Marchant, dub. 7. Similiter Stephanus Quaranta, in suo Commentario Bullarii, sub tit. *Casus reservati*, num 12, non incidit, inquit, in casum reservatum religiosus, malitiosè frangens illam chartulam, quâ litteræ clauduntur, vel sigillum auferens, non tamen illas legens ; quia litteræ non dicuntur apertæ, si sola ligatura sit soluta, nisi etiam fuerint lectæ. Hactenùs Quaranta satis probabiliter ; neque reverâ morali judicio censetur litteras alterius aperuisse, qui non legerit : ita enim, si pœnitens se accuset, quòd per injuriam aperuerit litteras alienas, id omnis confessarius intelliget de lecturâ seu lectione. Ergo quamvis aperire et legere distinguantur physicè et grammaticaliter, moraliter tamen identificantur. Interim contrarium docent Fagundez, n. 26, Castropalao, n. 24. Kerckhove, n. 43, ubi dicit similiter incurrere casum, qui litteras subtiliter aperit et iterùm claudit, licèt nec impediat nec retardet : sufficit enim, inquit, quòd unum ex his tribus concurrat. Imò, juxta Bordonum, sup., n. 7., malitiosa interceptio litterarum sine actuali præjudicio tertii, quia nimirùm litteræ

non obstante retardatione aut apertione earum, postea suum effectum habuerunt tempore debito, quem tamen impedire quis conatus est, est casus reservatus; quia sub verbis casûs non exprimitur hujusmodi actualis damnificatio. Ergo nec nos eam subintelligere debemus, præsertim cùm hujusmodi actiones superiores et inferiores ægrè ferant, et sint contra commune bonum Religionis, regimen superiorum, et fraternam charitatem inter religiosos. Ita Bordonus. Vide etiam Rodriguez tomo 2, quæst. 36, art. 2, et ex eo Lezanam, tomo 1, cap. 8, n. 30.

Dubium VIII. — *An casum incurreret, qui litteras superioris* impediret, etc., *quando ex iisdem probabiliter sibi timeret injustum gravamen?*

370. Responsio negativa est communis, quam docent Kerckhove, n. 44; Bassæus § 11; Fagundez, n. 26, citans Sylvestrum, Navarrum et S. Antoninum. Ratio est quia non est impedimentum, retardatio, apertio malitiosa, sive ex intentione nocendi, sed sibi providendi. Hinc deducit Kerckhove, non peccare subditum, retinentem litteras prælati, quem novit moraliter certò de quodam casu malè informatum esse.

371. Similiter deducunt Portel, v. *Litteræ prælatorum*, n. 10, et Bordonus, resol. 50, n. 9, apud Bassæum et Kerckhove, quòd subditus sciens moraliter certò, in quâdam epistolâ ad prælatum, contineri falsam et injustam querelam contra se, possit absque peccato etiam non reservato, talem epistolam retardare, impedire vel aperire; quia utitur defensione naturali: si enim hæc defensio, inquit Portel, vel obviatio mei damni, injustè inferendi à prælato, me excusat à peccato mortali, etiam me liberat à reservatione quæ non ponitur, nisi pro peccato mortali. Si verò damnum vel punitio in litteris mandata, sit justa et mihi debita, vel informatio subditi sit vera, erit mortale reservatum, aliquid ex illis facere circa litteras; jam enim facio animo injusto et malitioso, impediendo actum justitiæ. Ita Portel, addens ex Molinâ, tract. 4, de Just., disp. 36, n. 6, idem posse quemvis efficere circa litteras, ex quibus scit damnum alteri proximo parari. Monet autem Kerckhove, id omninò prudenter practicari debere et non nisi adsit moralis certitudo, et damnum aliter evitari non possit. Ita ille. Nos autem ab ejusmodi praxi abhorremus.

ARTICULUS XII.

DE CÆTERIS PECCATIS, QUÆ RESERVARI POSSUNT.

Textus. — *Si quod aliud præterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu.*

Dubium primum. — *An facultas reservandi* aliud peccatum grave, *mediante consensu ac discussione capituli, non sit deinceps revocata?*

372. Ratio dubitandi est; quia monent Crousers Lect. paræn. 17, et ex eo Bassæus, § 11, anno Domini 1608, declarâsse, reverendum Admodum patrem generalem capucinorum, in capitulo generali tunc congregato, voluntatem sanctissimi domini Papæ Pauli V esse ut nulli alii casus reserventur, nisi qui expressè specificantur in decreto Clementis VIII.

Interim respondeo facultatem prædictam non esse revocatam, atque ita (exceptis duobus nominatis) docent vel supponunt auctores cæteri. Quantùm ad declarationem Pauli V, respondeo, vel non esse authenticam, vel non esse usu receptam: constat enim in pluribus religionibus, auctoritate apostolicâ reservari plurima, à Clementinis diversa. Sic in variis reservatur inobedientia contumax. In societate Jesu, auctoritate quintæ congregationis generalis decret. 40 et 46, aliàs 67 et 73, reservantur plura quæ ne quidem similitudinem habent cum Clementinis.

Dubium II. — *Quid intelligatur per* discussionem et consensum capituli?

373. Respondeo per capitulum intelligi congregationem vocalium seu capitularium, vocem activam habentium ad eligendum generalem vel provincialem respectivè. Unde nec minister generalis cum definitoribus generalibus, nec minister provincialis cum definitoribus provincialibus facit *capitulum*, de quo Pontifex, et proinde cum solo consensu et consilio definitorum nequit minister generalis aut provincialis aliquid reservare distinctum à Clementinis.

374. Porrò requiritur ut vocales circa casuum reservationem non procedant leviter, sed *maturâ discussione*, prout expediens vel necessarium judicaverint *pro religionis conservatione vel conscientiæ puritate*. Quare nequeunt pro arbitrio sine causâ legitimâ, in peccati reservationem consentire: potestas enim reservandi (ut ex Apostolo, 2 Cor. 13, versu 10, concilium Tridentinum, sess. 14, c. 7) datur in ædificationem, non in destructionem. Quis autem dubitet quin reservatio leviter et imprudenter facta, sit in destructionem? Nempe usum sacramenti confessionis, ex se satis difficilem, reddit difficiliorem, atque adeò nata est avertere peccatores ab usu sacramenti, tam necessarii ad salutem, quod repugnat bono communi et saluti animarum, quam ex officio prælati curare tenentur. Dubitari autem posset an reservatio inconsideratè aut imprudenter facta, sit valida. Peyrinis, n. 7, cum variis, quos adducit, existimat, invalidam esse.

375. Suarez autem, tomo 4, in 3 parte, disp. 29, sect. 4, n. 280, rectiùs censet, quamvis illicitam validam tamen esse; ad valorem enim reservationis sufficit, quòd subditi careant potestate in casum reservatum; ut autem hâc potestate careant, satis est quòd eamdem ab altiori superiore sive licitè sive illicitè non recipiant: quia ad effectum privativum, qualis est carentia jurisdictionis, sufficit, quòd causa non influat. Patet in lege, quæ non ponitur vel posita non perdurat, deficiente voluntate legislatoris licitè vel illicitè; quoniam voluntas legislatoris est anima legis seu causa essentialis. Ergo similiter deficiente voluntate superioris, à quâ dependet jurisdictio inferioris, necessarium est, hanc deficere, id est, vel non dari, vel datam auferri.

376. Et vice versâ, quamdiù manet voluntas superioris, tamdiù manet jurisdictio; esto jure merito deberet auferri, nisi aliunde subjectum reddatur incapax : sicuti manet obligatio legis, si verè superior non dispenset, esto dispensare debeat et illicitè neget dispensationem, nisi aliunde lex fiat injusta. Et hæc quidem videntur verissima per se loquendo; sed non est tam clarum, pariter habere locum, stante decreto Clementino, quo regularium superiorum potestas restringitur, ut aliorum peccatorum reservatio aliter non possit fieri, quàm capituli *maturâ discussione*. Vide Peyrinis citatum, quocum adverte, in dubio de prudentiâ ac deliberatione sufficienti, pro parte superioris resolvendum esse.

377. Præter maturam discussionem, requiritur capituli seu vocalium *consensus* : utrumque enim copulatim requirit Pontifex, ut perspicuum est ex illis verbis : *maturâ discussione et consensu*. Est autem inter utrumque notabilis differentia. *Discussio* præcedit, *consensus* sequitur. *Discussio* est actus intellectûs, *consensus* voluntatis. *Discussio* est consultatio, deliberatio, inquisitio, judicium de reservationis æquitate, *consensus* est vocalium permissio et voluntas, ut reservatio subsequatur. Interim non est necesse ut omnes consentiant. Sufficit major eorum pars, quemadmodùm pro aliis legibus vel statutis.

Dubium iii. — *An potestas reservandi casum supernumerarium (propriè loquendo) pertineat ad capitulum ?*

378. Respondeo negativè. Ad capitulum pertinent discussio et consensus; potestas autem reservandi manet penes generalem vel provincialem, requisito duntaxat consensu capituli per modum conditionis, sine quâ non; quia Pontifex in præfato decreto non dat capitulis potestatem reservandi peccata; sed tantùm prohibet, ne superiores, qui alioquin sine consensu et discussione capituli possent peccata reservare, ne, inquam, in posterum aliquod peccatum præter enumerata sine discussione et consensu capituli reservent.

379. Quare non aufertur potestas reservandi prælatis, et conceditur capitulis, sed solùm restringitur potestas prælatorum respectu aliquorum peccatorum, ad consensum capituli, quo obtento vel præstito, adhùc est liberum superiori (per se loquendo) reservare et non reservare, quantùm est ex vi illius decreti. Patet ex verbis Pontificis : *Si quod aliud præterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur* (scilicet superioribus, quibus ante prohibuit reservare peccata præter enumerata) *id non aliter* (ab ipsis) *fiat, quàm generalis capituli in toto ordine aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu*. Sicut si lege aliquâ decretum esset ut nemo statuatur judex, nisi qui priùs in aliquâ universitate examinatus et approbatus esset, non ideò potestas judiciaria devolveretur ad hujusmodi examinatores vel approbatores.

Dubium iv. — *An capitulum generale vel provinciale possit prælato regulari facere potestatem reservandi casus, non obstante decreto Clementino ?*

380. Respondeo cum Kerckhove, n. 78, primò ; si in aliquo ordine et provinciâ casus illi à Clemente specificati, non sint de facto reservati, possunt prælati locales eos propriâ auctoritate pro suo monasterio, vel omnes vel aliquos reservare, atque adeò potest capitulum eisdem prædictam facultatem facere. Ratio est quia Pontifex in suo decreto indefinitè confert hanc facultatem superioribus, quorum nomine intelliguntur etiam locales. Videndum tamen an prælati locales ante bullam Clementis haberent potestatem reservandi : non enim intendit Pontifex conferre prælatis novam aliquam potestatem, ipsis aliàs non competentem ; sed solùm intendit non auferre eam quam ante habebant. Unde nostri superiores locales, cùm ex statuto capituli generalis præfatam potestatem antea non habuerint, nec modò habent, sed neque possunt recipere sive per provincialem, sive per capitulum provinciale ; possunt per generale, saltem quoad casus decreto expressos. Vide Suarez, tomo 4, de Relig., tract. 8, lib. 2, cap. 18, n. 14, et quæ supra diximus, num. 12.

381. Respondeo secundò non posse capitulum etiam generale concedere prælatis generalibus, provincialibus aut localibus facultatem, per modum habitûs, reservandi casus supernumerarios, sine ulteriori in posterum consensu ac discussione capituli. Ratio est quia, licèt Papa indulserit capitulo, ut possit alios casus reservare mediante prælato ; nullatenùs tamen indulsit ut potestatem habitualem reservandi, soli deinceps prælato possit committere. Alioqui res rediret in statum pristinum, et recurrere possent eâdem prorsùs inconvenientiâ, quibus præsenti decreto occurrere intendit Pontifex. Ita ferè ex Lugone Pellizzarius, tract. 6, c. 1, n. 12.

Dubium v. — *An casûs supernumerarii reservatio possit fieri ex consensu capituli generalis pro unâ provinciâ, aut provincialis pro uno conventu ?*

382. Ratio dubitandi est quòd Pontifex supra dicat : *Id non aliter fiat quàm generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provinciâ*, etc. Ex quibus verbis inferri videtur generalem non posse reservare *aliud* peccatum, nisi pro toto ordine, aut provincialem, nisi pro totâ provinciâ.

Respondeo posse. Ità communiter doctores, signanter Bosco, n. 55 ; Suarez, n. 16 ; Lugo, de sacramento Pœnit., disp. 20, sect. 4, n. 14. Ratio est quia fieri potest, ut pro unâ provinciâ vel pro uno conventu expediat vel necessaria sit reservatio peccati alicujus particularis propter certas circumstantias, et non pro aliâ provinciâ vel pro alio conventu ; v. g., posse fieri, quòd certi alicujus monasterii religiosi frequentarent passim domum suspectam, seu quæ malè audit, quòd in cæterorum monasteriorium subditis non haberet locum. Quis credat, rebus sic constitutis, voluisse Pontificem, auferre superioribus jurisdictionem, reservandi peccatum aliquod pro uno loco et non pro alio ? Non est verisimile.

383. Itaque verba Pontificis allegata non inducunt necessitatem reservandi collectivè in toto ordine vel

in totâ provinciâ, sed necessitatem duntaxat non reservandi alia peccata in toto ordine vel in totâ provinciâ, hoc est, in aliquâ ejus parte, sine consensu capituli generalis vel provincialis respectivè. Vel, ut clariùs dicam, sensus prædictorum verborum est, ut si pro toto ordine vel provinciâ videatur reservandum peccatum aliud, id non fiat, nisi de consensu et discussione capituli; non verò, ut, si capitulum generale vel provinciale discusserit et consenserit in peccati alius reservationem, debeat hæc ipsa fieri pro toto ordine vel provinciâ.

Confirmatur : Posset provincialis de consensu capituli reservare casum pro totâ provinciâ, et postea ob certas rationes dare facultatem absolvendi ab eodem in omnibus locis seu monasteriis, excepto uno. Ergo etiam pro uno isto ab initio reservare, cùm sit par ratio.

Dubium vi. — *An de* consensu capituli *reservari possint casus alii, non solùm à Clementinis omninò disparati, verùm etiam pertinentes ad materiam casuum decreto expressorum?*

384. Verbi gratiâ, reservatur aut reservabilis decernitur in decreto *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.* Sub hoc casu, ut supra diximus, non comprehenditur actus duntaxat inchoatus, v. g., tactus impudicus, etc Quæritur an de consensu et discussione capituli, idem actus vel tactus reservari possit?

385. Ratio dubitandi est quia Pontifex solummodò permittit ut superiores possint de consensu capituli reservare peccatum *aliud*, si et quatenùs in Domino judicaverint expedire. Jam verò actus inchoatus non censetur peccatum *aliud* à consummato. Quare in hanc sententiam propendet Peyrinis, n. 37, dicens : Cùm Papa determinet materiam præcisè, lapsum scilicet carnis voluntarium, non possunt reservari casus isto minores, nimirùm tactus et oscula, etiam per capitula; quia licèt isti actus, malâ intentione facti, ex se sint peccata mortalia, in ordine tamen ad actûs venerei consummationem, sunt solùm initiativè. Unde est omninò contra mentem Papæ illos reservare. Nec refert quòd Papa concedat dictis capitulis, ut possint reservare casus, quos pro puritate conscientiæ et religionis conservatione judicaverint esse reservandos : nam loquitur ibi Pontifex de aliis casibus specificè distinctis à taxatis, ut indicat illa clausula, *Si quod aliud præterea peccatum grave*, etc. Dictio enim, *aliud*, specificam diversitatem importat apud logicos. Hactenùs Peyrinis.

Interim respondeo sententiam oppositam veriorem esse quam passim doctores tradunt; Longus, sect. 1, art. 4, n. 4; Molfesius, tomo 1, Sum. tract. 7, c. 20, n. 15; Graffius, de Cas. res., lib. 3, c. 10, n. 27, et multi alii. Imò Sorbus, Compend. Privil. fratr. Min., v. *Absolutio ordinaria quoad fratres*, pag. 22, testatur ita suis declaratum à Pontifice. *Et tunc*, inquit, *prout ab eodem Pontifice fuit nobis facta declaratio, in prædictis capitulis poterunt reservari alii casus à supra dictis, etiam ejusdem materiæ supra dictorum casuum, ut puta, in materiâ lapsûs carnis, reservare etiam tactus impudicos*, etc. Ita Sorbus.

Ad rationem præcipuam Peyrinis, videlicet quòd casus ad materiam Clementinam pertinentes, non sint peccatum *aliud*, respondeo philosophicam, non moralem reflexionem esse. Si Pontifex concedat ut per capitulum reservari possit peccatum, genere et specie diversum ab enumeratis, dicendum est à fortiori, concedere potestatem ad reservandum illud quod ad expressa reducitur, vel ab iisdem solâ actûs imperfectione distinguitur.

Dubium vii. — *An si capitulum consentiat in reservationem peccati certi, possit prælatus reservare dubium?*

386. Ratio dubitandi est quòd peccatum certum et dubium sint ejusdem speciei. — Respondeo non posse. Videtur manifestè sequi ex decreto Clementis VIII; licèt enim peccatum dubium non sit aliud à peccato certo, sed ejusdem planè speciei, equidem reservatio peccati dubii, alia est à reservatione peccati certi, ut patebit ex infra dicendis, et ostendo breviter; quia dùm Pontifex reservat aliquod peccatum, intelligitur de peccato certo, et non de dubio; quia dubium peccatum non est simpliciter peccatum, sed cum illo addito, *dubium;* ergo in odiosis non venit nomine peccati. Jam autem Pontifex noluit, ut fieret aliqua reservatio extra casus à se propositos, sine consensu capituli. Cùm ergo, ut supponitur, capitulum solùm consenserit in reservationem peccati certi, nequit prælatus reservare peccatum dubium, et per consequens peccata expressa à Pontifice, non potest prælatus extendere ad peccata dubia sine consensu capituli; quia Pontifex non censetur dare licentiam reservandi illa peccata, nisi eo modo quo ipse solet reservare peccata; sed ipse non solet peccata dubia reservare. Ergo, etc.

387. Atque hinc ulteriùs sequitur, si ex consensu capituli generalis vel provincialis aliquod peccatum præter enumerata à Pontifice, fuerit reservatum, ita tamen ut capitulum absolutionem illius commiserit prælatis localibus, non posse prælatos superiores, sine consensu capituli illam commissionem auferre : hoc enim esset ex parte, de novo reservare seu magis restringere reservationem illius peccati; tantò siquidem magis est reservatum aliquod peccatum, quantò inferiores minorem habent potestatem, illud absolvendi. Ita Bosco, num. 53, ex Lugone, num. 43.

Dubium viii.— *An prælati religiosorum, etsi non possint alios casus præter consensum capituli generalis aut provincialis reservare, saltem possint aliquibus confessariis negare facultatem absolvendi ab aliis certis peccatis, modò unum aut alterum confessarium deputent cui dent absolvendi potestatem?*

388. Hoc dubium proponit Sylvius, Supplem., q. 20, art. 2, quæsito 2. — Respondeo cum eodem non posse fieri; quia denegare aliquibus confessariis facultatem absolvendi à certis quibusdam peccatis, præter recensita in decreto Clementis, est reservare alia peccata quàm Pontifex permittit. Nec refert quòd unum aut alterum confessarium constituerent, cui da-

rent facultatem ab eis absolvendi; quamvis enim episcopus committat decano rurali, aliisque quibusdam sacerdotibus facultatem absolvendi ab homicidio, nefandâ libidine et similibus; illa peccata non idcircò desinunt esse reservata episcopis, quia episcopi sibi seu eis quos deputaverunt, reservant potestatem, ab eis absolvendi; simile autem est in proposito. Ita Sylvius.

Hactenùs de primo decreti Clementini paragrapho. Restat dicendum aliquid de paragraphis reliquis.

§ II.

DE SECUNDO DECRETI PARAGRAPHO.

Textus. — § 2. *Non licea: superioribus regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab iis petierint.*

Dubium primum. — *Quid intelligatur per* superiores?

389. Respondeo cum Suarez, c. 15, n. 5; Crousers, Lect. paræn. 17, Pontificem de superioribus loqui indefinitè, atque adeò complecti generalem provincialem, conventualem, quorum nullus confessionem sui subditi audire potest, nisi vel casum habuerit reservatum, vel si non habuerit, spontè ac proprio motu rogaverit superiorem, ut suam velit confessionem excipere.

Hinc infertur (ait cardinalis de Lugo, de sacram. Pœnit., disp. 20, sect. 4, n. 41) sine fundamento dixisse P. Fagundez, lib. 3, de 3 Eccles. præcepto, cap. 9, n. 17, ante medium, Clementem prohibuisse, ne superior unquàm audiat confessionem subditi, etiam habentis casum reservatum. Quod quidem expressè est contra verba decreti supra relata, ubi excipitur : *Nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab iis petierint.* Quibus verbis duæ exceptiones continentur distinctæ, altera quando subditus spontè vult; altera quando habet peccatum reservatum, in quâ non exigitur, ut spontè velit; alioquin sufficeret unica exceptio, nempe quando subditus spontè vellet. Non est ergo negandum quin possit superior aliquando, justis de causis, negare facultatem et cogere subditum, ut veniat ad ipsum superiorem. Ita eminentissimus.

Dubium ii. — *An superior absolvere possit à solis reservatis, remisso pro reliquis subdito ad confessarium inferiorem?*

390. Respondeo, per se loquendo, non posse. Sententia magis communis, quam docent Adrianus, Sylvester, Victoria, Canus, Viguerius, apud Suarez, disp. 31, sect. 1; Vasquez, quæst. 91, art. 3, dub. 10; Herincx, parte 4, tract. 4, disp. 6, quæst. 3, num. 22; Bosco, disp. 8, sect. 5, concl. 4; Lugo sup. sect. 6, et alii contra Cajetanum, Antoninum, Paludanum, Henricum, Navarrum, utrumque Sotum, quos Suarez supra citatus adfert.

Probatur, quia integritas confessionis (ut alibi ostenditur, et admittunt omnes) est juris divini, atque adeò violari nequit sine urgenti necessitate. Jam verò, regulariter et per se loquendo, non est urgens necessitas dimidiandi absolutionem sacramentalem, seu audiendi et absolvendi sola reservata. Ergo. Probatur minor : nam si aliqua esset necessitas, foret officium et occupatio superioris; atqui hoc non : videmus enim religionum superiores non rarò excipere confessiones secularium, principum confessarios esse, concionari et ejusmodi alia obire munia sine præjudicio prælaturæ. Cur ergo credendum est, propter solam officii occupationem sufficienter impediri prælatum, quominùs possit integram subditi confessionem audire, et ab omnibus simul peccatis, tam reservatis quàm non reservatis absolvere?

391. Præterea, etsi tanta foret occupatio superioris, ut integram subditi confessionem audire non posset, nulla est, per se loquendo, necessitas absolvendi, atque adeò nec dimidiandi confessionem vel absolutionem : poterit enim absolutionem sacramentalem committere confessario inferiori, auferendo solummodò reservationem; aut certè poterit à principio in totum committere causam alicui inferiori, de cujus prudentiâ et scientiâ confidat. Ita Bosco.

392. Fundamentum oppositæ sententiæ, quod ex praxi Romanæ curiæ sumitur, non videtur subsistere; primò, quia Sylvester (qui fuit pœnitentiarius in basilicâ S. Petri et magister sacri palatii) testatur oppositum practicari. Secundò, quia, juxta cardinalem de Lugo, n. 76, nunc non est vestigium talis consuetudinis. Tertiò, quia reservata, pro quibus ad Romanam curiam venitur, sunt reservata Pontifici : hæc autem reservantur ratione excommunicationis, quâ sublatâ, tollitur reservatio. Ad quid ergo oportebat absolvere sacramentaliter à peccato, cùm sufficeret absolvere ab excommunicatione, quâ sublatâ auferebatur reservatio peccati? Quare suspicor, ait Lugo cit., hanc fuisse consuetudinem illam quam Cajetanus testatur, nempe absolvendi ab excommunicatione reservatâ, et remittendi ad inferiorem pro confessione et absolutione sacramentali. Ita Lugo.

393. Sed quid, si superior sequatur oppositam opinionem et à solis reservatis absolvat subditum? Eritne absolutio valida? Eritne subditus deinceps obligatus ad confitendum etiam reservata confessario inferiori?

Respondeo cum Bosco, num. 65, ad primum : Si pœnitens bonâ fide procedat, ita ut mortaliter non peccet confitendo, absolutio erit valida; sicut si bonâ fide confiteretur aliqua tantùm peccata, non reservata, existimans propter certas circumstantias, id sibi licitum, et confessarius sive bonâ sive malâ fide ab illis absolveret, indubiè valeret absolutio; quia nec deest materia, nec forma, nec intentio, nec jurisdictio. Ergo similiter in casu proposito : neque enim jurisdictio confessarii limitata est ad integram confessionem, ut patet in multis casibus, in quibus validè, imò et licitè absolvit ab aliquibus tantùm peccatis, de quibus alibi. Et quamvis extra necessitatem illicitè faciat, non sequitur tamen quòd etiam invalidè : *multa enim fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur cap. *Ad apostolicam*, de Regul. Dixi autem, *si pœnitens proce-*

dat bonâ fide; quia si peccet mortaliter, dimidiando suam confessionem absque sufficienti causâ, jam absolutio est invalida defectu materiæ, id est, debitæ contritionis, quæ includit propositum non peccandi de cætero mortaliter, adeòque excludit omne peccatum mortale actuale. Ita Bosco.

394. Ad secundùm respondeo nullam manere obligationem iterùm confitendi peccata reservata inferiori, eo semper supposito, quòd superior sacramentaliter ab iis absolverit, quidquid Cajetanus, sup., contrarium dicat. Ratio est, quia in omni alio casu in quo pœnitens materialiter dimidiat confessionem vel propter oblivionem, vel sine oblivione propter rationabilem causam, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte ministri ortam, non tenetur ampliùs confiteri illa peccata quæ illo modo confessus est, et à quibus est per se et simpliciter absolutus; ergo idem erit in præsenti: est enim, eadem ratio, nimirùm quia ille pœnitens coram Deo et Ecclesiâ absolutus est directè et per se virtute clavium, et ab habente absolutam jurisdictionem: ergo nulla est ratio imponendi illi hoc onus. Ita Bosco

Dubium III. — *An superior, à subdito spontè et proprio motu requisitus, teneatur audire ejus confessionem?*

395. Respondeo, per se loquendo, affirmativè: est enim proprius ipsius parochus. Ita Coriolanus, parte 1, sect. 1, art. 10, n. 7. Dixi, *per se loquendo:* si enim superior occupetur negotiis monasterii gravioribus, aut regressus subditi sit indiscretus, importunus vel nimiùm frequens, aut demùm aliunde judicet superior expedire, ut sibi non confiteatur subditus, potest eumdem dimittere ad confessarium ordinarium vel alium à se delegatum.

Dubium IV. — *Qualiter peccet superior, audiens confessionem subditi, qui neque peccatum reservatum habeat, neque id spontè aut proprio motu petierit?*

396. Respondeo peccare mortaliter, quia, ut loquitur Suarez, verbum, *non liceat*, præceptivum est, et sufficiens ad inducendam gravem obligationem, si materia sit gravis, cujusmodi esse videtur materia hujus præcepti, cùm pertineat ad debitum usum sacramenti adeò necessarii. Ita Suarez.

Dubium V. — *An absolutio in casu sit invalida?*

397. Respondeo negativè; quia prohibetur id quidem superioribus per verbum, *non liceat;* sed non annullatur actus: neque enim ullum in totius paragraphi textu reperitur verbum, quod indicet nullitatem. Itaque, ut diximus dubio præcedenti, graviter peccabit superior obligans subditum invitum ad sibi confitendum, si non habeat peccatum reservatum, nihilominùs absolutio et confessio erit valida. Fieri tamen posset per accidens ut non valeret, si coactio foret occasio simulatæ contritionis aut minùs integræ confessionis.

Dubium VI. — *Quandonam censeatur subditus* spontè ac proprio motu *rogare superiorem, ut suam confessionem audiat?*

398. Respondeo: *Spontè* censetur aliquid agere qui non cogitur ad agendum physicè vel moraliter, id est, per physicam vel moralem violentiam, consistentem in gravi præcepto, gravibus minis aut metu. Unde spontaneum est etiam quod per alterius inductionem vel consilium fit, dummodò non intercedant minæ, metus, præceptum formale vel virtuale. *Proprio* autem *motu* censetur fieri quod liberâ agentis electione committitur, non solùm citra violentiam, verùm etiam citra inductionem, consilium, petitionem alterius. Ita Suarez, n. 5, dicens: Ponderanda sunt illa duo verba, *spontè aut proprio motu;* nam quod fit *proprio motu* excludit alterius inductionem, petitionem aut consilium, quæ non excludit particula *spontè;* et ideò securius quidem est ut hoc non fiat, nisi *proprio motu* ipsius pœnitentis; si tamen fiat *spontè*, id satis erit, quia verba Pontificis disjunctiva sunt: fiet autem *spontè*, etiamsi consilium aliquod vel inductio antecedat.

399. Cavendum est autem ne timor aliquis reverentialis, aut nimia persuasio, quæ est virtualis quædam præceptio, intercedat; nam tunc moraliter non censetur actus fieri *spontè*, prout Pontifex per illa verba intendit. Ita Suarez. Similiter Barbosa, de Diction. usu frequent., dict. 383, n. 1, dictio: *Spontè*, inquit, apud grammaticos et bonos latinæ linguæ auctores accipitur pro *motu proprio*, ut sic illud dicatur factum *spontè*, quod nullius petitione vel instantiâ factum sit. Tamen aliter secundùm legistas accipitur, quia etiam *spontè* aliquid facere censetur, qui ad instantiam vel requisitionem alterius id facit. Ita Barbosa, similia dicens de Clausulis usu frequent., clausulâ 97, num. 2.

Verùm quod attinet tenorem decreti Clementini, si rectè legerit Suarez, oportet mendosum esse Bullarium Cherubini, quo ego utor: nec enim verba pontificis sunt disjunctiva, *spontè aut proprio motu*, sed copulativa, *spontè ac proprio motu;* quæ verba si retineantur tanquàm authentica, non poterit superior etiam mero consilio inducere subditum ad sibi confitendum.

---

§ III.

DE TERTIO DECRETI PARAGRAPHO.

Textus. — *§ 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios, pro subditorum numero majori vel minori, iisque sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse inprimis confessarius judicaverit*

Dubium primum. — *An constitutio Clementina quoad hunc paragraphum, sit usu recepta in religionibus et provinciis omnibus?*

400. Respondeo non esse receptam in omnibus provinciis: ut enim nihil dicamus de cæteris, in nostrâ manifestum est, 1° quod attinet non reservata, in quæ non duo vel tres aut plures pro majori vel minori subditorum numero deputati potestatem habent; sed omnes per provincialem approbati. 2° Etiam quod

spectat reservata, quia juxta formam decreti, designandi sunt in singulis monasteriis aliqui, *quibus reservatorum absolutio committatur*, non per modum habitûs et sine ulteriori obligatione recursûs ad superiorem, sed singulis vicibus, quibus *casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse inprimis confessarius judicaverit.* Jam verò in nostrâ provinciâ solet provincialis pro monasteriis singulis deputare aliquos, qui sine ullâ obligatione ulterioris recursûs, potestatem stabilem et habitualem habeant absolvendi à reservatis, quando casus occurrerit. Vide Bosco, num. 52.

Dubium II. — *Quinam superiores deputare confessarios possint ad mentem Pontificis?*

401. Respondeo : pro illis ordinibus et provinciis, in quibus recepta et usitata est in hâc parte constitutio Clementina, possunt superiores etiam conventuales, in non reservata deputare confessarios, per provincialem simpliciter approbatos, nisi deputandi facultatem provincia sibi reservaverit. Ratio est quia *superiores* sunt. Ita inter cæteros Crousers, lect. parœn. 17, adducens pro suâ Capucinorum religione responsum datum in capitulo generali, 1608. Responsum, inquit, fuit in capitulo generali, quòd guardiani et in eorum absentiâ vicarii deputare possint in confessarios, Patres quos juxta decretum judicabunt idoneos, modò ad audiendas confessiones admissi sint per provincialem, et non sint suspensi ab administratione sacramenti pœnitentiæ.

Similiter superiores locales deputare possunt confessarios pro reservatis, nisi de jure vel consuetudine reservatio ipsa ad solum generalem vel provincialem spectet : tum enim spectabit ad eumdem deputatio confessariorum pro reservatis.

Dubium III. — *An singulis religiosis liberum sit eligere quemlibet ex deputatis?*

402. Ut sensus dubii rectè intelligatur, notandum ex Suarez, cap. 15, num. 6, æquivocum esse sensum propositionis Clementinæ : *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios*, etc.; potest enim duplicem habere sensum. Primus est, ut duo, tres vel plures confessarii indifferenter pro omnibus religiosis ejusdem monasterii deputentur, ita ut liberum sit unicuique, confiteri, cui libuerit, ex deputatis. Alter sensus est, ut designentur quidem plures, sed qui habeant inter se divisum onus audiendi confessiones omnium, ita ut unicuique definita pars et certæ personæ designatæ sint, neque possint, qui uni commissi sunt, alteri confiteri ; v. g., communitas est 30 religiosorum, pro quibus tres confessarios superior deputat ; quæritur an velit Pontifex, ut singuli possint audire singulos, an verò singuli tantùm audire possint unam partem, v. g., tertiam seu decem determinatos religiosos.

403. Respondet Suarez n. 7, probabiliùs non fuisse mentem Pontificis, obligare superiores religionum ad designandum plures confessores priori modo, scilicet pro singulis religiosis; primò quia id non satis explicat; si autem voluisset hoc onus imponere, cùm sit novum et extraordinarium, ampliùs declarâsset illud. Secundò, id colligit ex illis verbis, *pro numero subditorum majori vel minori;* nam ex eis constat, inquit rationem postulandi plures, non esse, ut singuli religiosi multos habeant confessores; aliàs non pro numero pœnitentium, sed pro uniuscujusque conditione vel indigentiâ essent multiplicandi confessores ; ergo ratio solùm fuit, ut onus divideretur inter plures, si opus esset. Ita Suarez.

404. Deinde, si in hunc modum deputatio fiat, multò potior erit conditio numerosæ communitatis, quàm exiguæ vel mediocris : si enim pro communitate 30 religiosorum deputentur tres confessarii, servatâ proportione debebunt pro communitate religiosorum 100, deputari decem; atque adeò prioris communitatis singuli religiosi habebunt tantùm tres confessarios, alterius autem communitatis singuli habebunt decem.

405. Interim cardinalis Toletus (apud Crousers, fol. 641) respondit ex mente pontificis, quòd deputandi sint confessarii in numero proportionato numero pœnitentium, ita quòd, ubi pauci sunt pœnitentes, possit sufficere unus, et ubi sunt plures, constituantur plures; erit tamen ad libitum pœnitentium, eligere unum ex illis; sed, uno electo, non poterunt mutare sine licentiâ superioris loci. Ita (referente Crousers) eminentissimus Toletus. Ex quâ responsione deducit idem Crousers, quòd cùm superior loci non censeatur unus ex confessariis deputatis, etiamsi subditus eligeret illi confiteri, liberè tamen possit ab illo recedere et ad alium ex deputatis transire, absque ullâ ejusdem superioris licentiâ, præsertim cùm bulla Clementina absolutè velit, non licere superioribus, audire confessiones subditorum, nisi cùm habent reservata, vel quando spontè aut proprio motu id expetunt : ergo quando desinunt id velle proprio motu et spontè, audire subditos nequaquàm possunt, aut ad sibi confitendum cogere, et consequenter subditi ad alium ex deputatis transire possunt. Neque ulla licentia ad hoc necessaria est, quæ necessaria solùm est ad transeundum ab uno deputato confessario ad alium similem, non autem à superiore locali ad unum ex deputatis. Ita Crousers.

Dubium IV. — *An superior, deputato confessario potestatem faciens pro unâ vice in reservata, intelligatur non solùm de præteritis, verùm etiam de futuris?*

406. Verbi gratiâ, Petrus in peccatum reservatum proprietatis lapsus est, pro quo confessarius recurrit ad superiorem, potestatem in reservata petens et obtinens. Petrus, priusquàm absolvatur, labitur in alterum peccatum reservatum; quæritur an possit absolvi ab utroque vi prioris auctoritatis?

Aliqui simpliciter negant, quia ejusmodi licentia daret ansam vel occasionem liberiùs peccandi. Ita Azorius, 1 p., lib. 5, c. 23, quæst. 2. Alii simpliciter affirmant, quia licentia in casu est generalis et indeterminata, ergo restringi à nobis seu determinari non debet. Salaz, de Legib., disp. 17, sect. 8, num.

51; Bonacina, de Legib., disp. 1, q. 3, puncto 7, § 1, n. 11; Præpositus, quæst. 9, de Reservatione casuum, dub. 3, num. 22; Diana, tom. 4, tract. 4 Miscel., resol. 109.

407. Rectiùs videtur dici cum Lugone, sect. 8, n. 122; Bosco, sect. 5, n. 353; Kerckhove, n. 100, pendere totum ab intentione seu voluntate concedentis : idcircò consideranda esse verba tam subditi petentis, quàm prælati concedentis facultatem; princeps enim vel superior solet se accommodare precibus porrectis, cap. *Inter dilectos*, de Fide instrum., § *Cæterùm;* ubi Glossa, verb. *Petitionis*, ait responsum conformandum esse petitioni. Itaque

408. Inprimis, si petatur licentia pro absolutione unius determinati peccati, tanquàm commissi, et superior simpliciter annuat petitioni, certum est confessarium tali casu vi istius licentiæ non posse absolvere pœnitentem à peccato reservato, post obtentam licentiam commisso.

Secundò, si superior simpliciter consentiat ut pœnitens eligat confessarium, per quem pro hâc vice absolvi possit à reservatis, videtur absolvi posse etiam à commissis post obtentam licentiam, idque sive hæc obtenta sit ad instantiam pœnitentis sivè ad instantiam confessarii. Lugo, n. 124; Dicastillo, disp. 11, n. 344; Bosco, n. 354. Ratio est quia intentio concedentis in casu neque restringitur per verba, neque per circumstantias, ad peccatum commissum.

409. Dices : Si vera sit conclusio, qui uno peccato reservato irretitus licentiam superioris postulat, poterit à duodecim reservatis absolvi, si contingat, ut undecies relabatur in idem vel aliud reservatum, priusquàm confiteatur, quod tamen non videtur verum : superioris enim intentio ad undecim illa peccata posteriùs commissa extendi non videtur; nam superior desuper expressè rogatus, verosimiliter licentiam denegâsset : jam autem *in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus*, Reg. 81, de Regulis Juris, in 6.

410. Respondet Bosco, num 355, potuisse superiorem rationabiliter velle, talem confessarium, de cujus prudentiâ et doctrinâ non dubitat, constituere loco suî, ut, auditâ confessione, pro eâ vice faciat quidquid ipse potest facere; et hanc voluntatem sufficienter indicat præfatis verbis, nisi aliud ex aliis circumstantiis colligatur; nam scit aut scire potest, illa verba sic posse intelligi, et à multis de facto sic intelligi. Cùm ergo ipse per se posset absolvere à peccatis commissis post licentiam illam concessam; quidni etiam inferior, cui concessa est absolutio verbis tam generalibus idem possit?

411. Neque hoc est contra regulam juris allegatam; quia suppono, quòd verosimiliter in specie concessisset potestatem absolvendi ab illis peccatis, si fuisset in specie desuper interrogatus. Ita Bosco, quocum ulteriùs dicimus, licentiam superioris adeò generalem, ut præmisimus, extendi etiam ad commissa ob confidentiam : non enim est major ratio, hæc peccata excipiendi ab illâ generali facultate, concessâ pro hâc vice, quàm à facultate quæ conceditur per bullam Cruciatæ aut Jubilæi vel per privilegia Mendicantium. Ab his autem facultatibus non excipi peccata ob confidentiam commissa, certum videtur : nec enim jus inter hæc et alia peccata ullam distinctionem facit.

412. dices 1°, quòd peccata ob confidentiam commissa, in præfatam potestatem non cadant; inde videtur colligi, quòd aliàs daretur occasio faciliùs delinquendi. Respondeo id esse per accidens. Christus Dominus instituit sacramenta, tametsi præviderit, aliquos faciliùs peccaturos spe veniæ per sacramenta obtinendæ Cur ergo pontifices non possint dare ejusmodi facultates, etsi per accidens aliqui faciliùs peccent spe veniæ obtinendæ? Cur non etiam alii superiores? Porrò sic debet intelligi facultas concessa religiosis, in certis festivitatibus, nisi superior oppositum expressè statuat.

413. Dices 2°, per bullam compositionis pro debitis incertis, non potest fieri compositio pro illis debitis, quæ quis contraxit ob spem ejusdem compositionis. — Respondeo : nempe, quia disertis verbis in bullâ sic statuitur : *Item generaliter possunt componere de quibuslibet bonis illicitis, malè obtentis, lucratis et acquisitis... sed qui vult componere, non potest habuisse rem vel quantitatem, de quâ est componendum, ob confidentiam istius compositionis.*

Dubium v.— *Quo pacto intelligenda sit clausula*, pro hâc vice, *quando facultas absolvendi à reservatis cum hâc restrictione conceditur?*

414. Cùm pœnitens, ut supra dictum est, absolvi possit à peccatis reservatis, post obtentam facultatem commissis, hinc dubium est, quamdiù usum ejusdem facultatis *pro hâc vice* concessæ differre possit, an ad duos, tres, quatuor aut plures annos, vel etiam usque ad senectam et senium, ut ita tandem absolvatur ab omnibus eò usque commissis?

Respondeo, facultatem *pro hâc vice* concessam, cum aliquâ temporis limitatione intelligendam esse, ita ut, quando dicimus, absolvi pœnitentem posse à commissis post obtentam licentiam, id equidem non possit accipi cum nimiâ distantiâ seu latitudine temporis. Sed difficile est, hanc ipsam latitudinem per certam regulam determinare.

415. Et quidem quando facultas in reservata datur intuitu cujusdam festivitatis vel solemnitatis, manifestum est, quòd detur pro toto illo tempore et non ultra : nulla enim est ratio extendendi ultra diem illum festum, neque restringendi ad medium diem, ut notat Villalobos, tom. 1 Sum., tract. 9, diffic. 64, n. 5, quia toto die durat illa festivitas. Nec putat Bosco, n. 360. eamdem facultatem in casu limitandam ad unam confessionem; sed posse pœnitentem, toties, quoties occurrerit novus casus intra illum diem, de novo absolvi : quæ enim ratio limitandi, cùm verba sint generalia, puta : *Omnes poterunt, durante hoc festo, eligere confessarium, qui nostrâ auctoritate absolvat illos à reservatis.* Ita Bosco. Tota ergo difficultas est, quando absolutè et nullo tempore designato petitur et obtinetur facultas *pro hâc vice*

416. Respondet cardinalis de Lugo, num. 126 : Quando, inquit, tempus esset præsens, ita ut nondùm censeretur tanta distantia, quæ sufficeret moraliter ad falsificandam illam locutionem, tunc etiamsi alia similia peccata nova commisisset pœnitens, posset eligere confessarium; quia adhuc dicerctur, *hâc* solùm *vice* absolvi. Quantùm autem temporis possit his verbis comprehendi, pendet ex judicio prudentis, et ex circumstantiis : nam quando licentia conceditur ratione alicujus festivitatis vel necessitatis occurrentis, in quâ oportet confiteri, minus tempus videtur includi.

417. Quando verò aliquis petit à sacrâ pœnitentiariâ facultatem, semel eligendi confessarium in ordine ad reservata, et conceditur *pro hâc vice*, videtur ad majus tempus extendi. Quando autem nulla alia peccata nova post licentiam concessam commissa fuissent, videtur quòd, etiamsi duo vel tres anni aut plures elapsi essent, posset adhuc pœnitens uti illo privilegio : tunc enim verificarentur illa verba, *pro hâc vice*, ratione materiæ quæ esset eadem. Itaque ad verificanda illa verba, alterum videtur sufficere, quòd scilicet absolutio sit de his peccatis narratis et non aliis novis; vel quòd fiat hoc tempore, moraliter loquendo, et non alio longè distanti. Ita eminentissimus Lugo.

418. Hanc tamen doctrinam satis difficilem et obscuram esse, judicat Dicastillo, disp. 11, n. 347, quia non satis explicat illud tempus non multùm distans : nam quod ait de duobus aut tribus aut pluribus annis, gratis dictum videtur; iste enim saltem debet, si potest, confiteri et communicare singulis annis. Jam ergo vel illis annis habuit copiam confessarii, vel non. Si non habuit, profectò etiamsi pluribus annis non fuerit absolutus, et interim commiserit plura reservata, adhuc videntur posse habere locum illa verba, *hâc vice;* quia toto tempore, quo non potest confiteri, nullâ vice omisit usum facultatis datæ, atque adeò non est in morâ.

419. Neque dici potest quòd præterierit occasio pro quâ illa verba, *hâc vice*, intelligi possunt aut debent : quando enim conceditur facultas *pro hâc vice*, saltem debet se extendere ad primam occasionem quâ possit confiteri; alioquin concessio nulla esset : quid enim prodesset concedi solùm pro tempore quo non potest confiteri? Ego, si auderem arbitrari de hâc re, pro licentiâ datâ in sacrâ pœnitentiariâ judicarem illam confessionem ad quam Ecclesia obligat, nempe annuam, intelligi verbis, *hâc vice*. Quando autem quis non habet toto anno, aut pluribus annis copiam confessarii, donec illam habeat, meritò censeri potest, manere suspensam eam vicem, vel nondùm venisse eam vicem, quam si quis negligat, cùm possit et debeat, jam non videtur uti privilegio eâ vice pro quâ debet censeri concessum. Idem dixerim de facultate per episcopum datâ pro casibus sibi reservatis. Si autem agamus de facultate datâ in ordine religioso, ubi lege aut regulâ solet præscribi confessionis frequentia major, tunc consequenter verba, *hâc vice*, videntur intelligenda de illâ vice quam lex præscribit aut regula. Ita Dicastillo.

Dubium VI. — *An qui pro uno subdito et unâ vice, superioris auctoritatem petit et acquirit, possit à reservatis absolvi ipse?*

420. Affirmant Graffius, Floronus, Villalobos à Leone, apud Dianam, parte 3, tract. 4, resol. 142. Ratio est quia dùm prælatus alicui concedit suam auctoritatem, videtur concedere utramque, activam scilicet et passivam : quod (licèt aliqui dubitent) est magis conforme stylo religionis, dùm prælatus aliud non declarat. Ita Villalobos, tomo 1 Sum., tract. 9, diffic. 64, n. 4.

421. Alii distinguunt formulam petendi, volentes petentem non comprehendi, si petitio fiat hoc tenore verborum : *Rogo ut mihi concedere digneris tuam auctoritatem pro unâ personâ;* comprehendi verò, si hâc periodo instituatur petitio : *Est quædam persona quæ indiget vestrâ auctoritate, placetne vobis illam mihi dare?* Ratio discriminis est quòd posterior (non item prior) petendi formula sit generalis, ut proinde mirum non sit, si hæc, non illa, extendatur ad petentem ipsum, argum. l. *Paulus respondit*, § fin., ff. *de Pignoribus*, ubi dicitur, quando servus ex consensu domini in aliquo contractu obligat omnia domini bona, comprehendi servum ipsum in bonis sic obligatis; sic enim lege citatâ scribitur : *Si sciente et consentiente domino servus, ut omnia bona domini pignori obligata essent, convenit : ipsum quoque qui cavit obligatum esse pignoris jure.* Ita Diana, 3 p., tract. 4, resol. 142.

422. Verùm ut rectè observat Bosco, num. 350, exigua differentia est inter utramque illam petitionis formulam; sive enim dicatur : *Est quædam persona*, sive dicatur : *Est una persona*, sensus idem est et eadem sermonis generalitas; nimirùm, est Petrus, vel Joannes, etc. Quemadmodùm sive dicam : *Quidam subditus commisit homicidium*, sive dicam : *Unus subditus commisit homicidium*, idem dico et significo diversis nonnihil terminis, et sine dubio verificaretur propositio utraque, tametsi solus ille qui utramlibet propositionem proferret, homicidium commisisset. Quòd si veniam delicti sui aliquis à rege postularet hoc verborum tenore : *Est una persona quæ commisit homicidium, et postulat veniam à suâ majestate;* nonne, si rex annueret, petens ipse includeretur? Sanè nulla est ratio, potiùs alteri indulgendi, quam ipsi petenti : nec dubitandum quin rex, si scivisset hunc ipsum qui petit, esse homicidam, æquè, si non magis, petenti indulsisset quàm alteri. Ita Bosco.

423. Interim Lugo, disp. 20, n. 419, Dicastillo, n. 351, et alii existimant, non posse dari in casu unam regulam generalem, quia pendet omninò (inquit Lugo) ex intentione et consuetudine, quam concedentes talem facultatem habent. Unde in nostrâ Societate superior nunquàm per similem formulam intendit comprehendere petentem, quia semper concedere solet facultatem, determinando personam, cui absolutionem committit; quare, quando concedit fa-

cultatem petenti, concedit illi soli facultatem absolvendi, nec posset virtute illius facultatis alius absolvere, etiamsi ille moreretur; cùm ergo ipse non possit absolvere se ipsum, non intelligitur ipse inclusus in tali facultate. Ita Lugo,

424. Nihilominùs deinceps addens, quando licentia peteretur pro aliquo subdito, ut ipse possit eligere confessarium pro unâ vice, dicendo, v. g.: *Unus subditus indiget facultate vestrâ pro unâ vice, ut ab aliquo confessario absolvatur*, tunc non videretur exclusus ipse petens, nisi ex aliis circumstantiis significaretur exclusus. Unde quando superior non solet determinare personam cui dat jurisdictionem, sed dat pœnitenti facultatem eligendi, non videretur exclusus ipse petens, si verba non significant ejus exclusionem. Atque ita credo quòd, quando quis à sacrâ pœnitentiariâ peteret pro uno indigente facultatem ad faciendum se absolvere pro unâ vice, ex vi horum verborum non esset exclusus ipse petens. Hactenùs cardinalis.

Dubium VII.—*An potestas in reservatum concessa confessario deputato, extendatur pariter ad censuram, eidem peccato connexam?*

425. Respondeo affirmativè cum Suarez, de Censuris, disp. 7, sect. 4, n. 13; Peyrinis, de Prælato, quæst. 3, cap. 2, n. 29; Portel, v. *Casus reservati*, n. 3 et 4; Lezanà, eodem verbo, n. 26; Navarro, Manual. cap. 27, num. 261, et aliis, nisi prælatus se aliter explicet, vel ex circumstantiis antecedentibus aut consequentibus colligatur contrarium.

Probatur primò, quia favores sunt ampliandi, atque adeò quod de casibus statuitur, de censuris etiam intelligitur in favorabilibus, præsertim cùm sub vocabulo *casus* comprehendi possint censuræ: sic enim juxta communem loquendi modum, non solùm in peccatum, sed etiam in censuram excommunicationis dicitur aliquis cecidisse. Ita Lezana.

426. Secundò, quia in concilio Tridentino, sess. 24, cap. 6, sub facultate episcopis factâ in casus pontificios occultos, ex omnium sententiâ intelliguntur tam censuræ quàm peccata. Igitur et facultas absolvendi à reservatis, data à regularium superiore, tam intelligitur, de censuris quàm de peccatis. Ita Lezana.

Tertiò: nam, concesso principali, sive potestate in casum, intelligitur concessum accessorium, sive potestas in censuram. Ita Peyrinis.

427. Quartò, quia aliàs illa facultas esset inutilis: nam si censura maneret reservata, v. g., excommunicatio, vel non posset absolvi pœnitens à peccato, remanente tali excommunicatione, vel non posset communicare aut celebrare, donec superiori se sisteret et à censurâ per eumdem absolveretur; cùm tamen idcircò et petatur et concedatur facultas absolvendi à reservatis, ne pœnitens se teneatur personaliter sistere coram superiore. Ita Kerckhove.

428. Nihilominùs Navarrus, sup.; Graffius, decis. aur. lib. 1, cap. 13, et Lezana, n. 27, notant facultatem ad absolvendum à peccato reservato, non extendi ad irregularitatem, ex eodem peccato resultantem; vel quia irregularitas non est casus, vel quia non absolvitur, sed dispensatur; cùm igitur facultas absolvendi, distinguatur à facultate dispensandi, concessâ priori, non censetur concessa posterior. Idem iidem ob eamdem causam docent de votis et juramentis, videlicet potestatem ad absolvendum à reservatis, non extendi ad dispensationem vel commutationem voti aut juramenti.

Dubium VIII.—*An reservatio particularium prælatorum afficiat peregrinos?*

429. Respondeo: Si peccatum sit reservatum in utroque loco, et domicilii et peregrinationis, admittunt omnes peregrinum non posse absolvi à communi confessario, non habente potestatem in reservata; quia à neutro prælato habet delegatam jurisdictionem, ut constat. Si verò peccatum sit reservatum in loco domicilii, et non in loco peregrinationis, in quo confessio instituitur, remitti poterit à confessario communi; eò quòd sive jure communi sive consuetudine et declaratione Eugenii IV, peregrini sortiantur forum sacramenti Pœnitentiæ, quasi subditi proprii et loci incolæ. Quòd si etiam jurisdictio in tali casu penderet à tacità concessione prælati proprii, hæc non videretur deesse, cùm prælatus censeatur velle ut subditi confiteantur alibi, sicut incolæ. Essetque valdè incommodum, si confessarii interrogare deberent pœnitentes de patriâ vel casibus illic reservatis. Ita Herincx, disp. 6, n. 13; Suarez, disp. 30, sect. 1, n. 4; Portel, v. *Casus reservatus*, n. 16; Fagundez, in 2 Eccles. præc., lib. 8, c. 8, n. 22; Peyrinis, n. 24; Cajetanus, v. *Absolutio*, 2; Paludanus, dist. 17, q. 3; D. Antoninus, 3 p., tit. 7, c. 4; Lugo, disp. 20, n. 72; Arriaga, disp. 40, n. 33; Dicastillo, disp. 11, n. 239; Henriquez, lib. 3, de Pœnit., cap. 14, n. 8; Villalobos, Sum. tomo 1, tract. 2, diffic. 59, n. 4; Diana, parte 3, tract. 4, resol. 103; Bosco, sect. 5, n. 50; Baunius Theol. mor., parte 1, tract. 4, de Minist. pœnit., quæst. 8, dub. 5.

430. Sed quid, si eo fine domicilium dimittat pœnitens, ut absolvatur alibi à confessario communi? Absolvi ab eodem posse, docent Baunius, Fagundez et Cajetanus citati; Peyrinis, n. 25; Medina, Instr. Conf. cap. 10, § 3. Sed communis sententia tenet oppositum. Vide Lezanam, v. *Casus reservati*, n. 17, et v. *Confessarius*, n. 19; Bosco, num. 54; Dianam parte 6, tract. 7, resol. 57, ubi ex Zambello, Repertor. mor., v. *Casus reservati*, n. 26, adducit decretum sacræ congregationis Cardinalium de die 19 mensis novemb. 1616. Vide etiam bullam Clementis X *Superna magni*, § 7, datam 10 kalendas julii 1670.

§ IV.

DE QUARTO DECRETI PARAGRAPHO.

Textus. — § 4. *Tam superiores pro tempore existentes quàm confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Dubium primum.—*Quis usus notitiæ sacramentalis, quibus, quando et qualiter interdicatur?*

431. Respondeo, omnibus regularium superioribus

sub peccato mortali prohiberi quemlibet usum notitiæ sacramentalis, sive sequentis sive præcedentis prælaturam, in ordine ad exteriorem gubernationem.

Dicitur 1° : *Omnibus regularium superioribus*, localibus, provincialibus, generalibus, cujuscumque ordinis, instituti aut societatis. Constat tum ex termino indefinito, *superiores*, quem adhibet hoc loco Pontifex, tum ex termino universali quem inferiùs, § 6, exprimit, dicens : *Atque ita per quoscumque regularium superiores, quicumque illi sint, observari mandavit.* An verò eadem illa circa sigillum sacramentale cautela, quatenùs præcisè est juris Pontificii, afficiat pariter cæteros regularium confessarios, dicetur infra.

432. Dicitur 2° : *Sub peccato mortali prohiberi ;* partim quia materia gravis est, partim quia gravi termino Pontifex utitur, dicens : *Caveant diligentissimè ;* per quam particulam (ait Peyrinis n. 64) nemo dubitat, quin formale obedientiæ præceptum, sub mortali obligans imponatur.

Dicitur 3° *Quemlibet usum*, sive in rebus quæ pertinent ad liberam superiorum potestatem, sive in aliis quæ ab iisdem sine causâ non possunt aut non solent fieri vel mutari ; ac rursùs sive adsit periculum frangendi sigilli, sive desit.

433. Dicitur 4° : *Notitiæ sacramentalis*, id est, ex sacramentali confessione descendentis : censetur autem confessio sacramentalis, quam pœnitens prudenter tanquàm talem intendit, tametsi solùm sit inchoata vel invalida, sive defectu doloris in pœnitente, sive sacerdotii vel jurisdictionis in absolvente.

Dicitur 5° : *Sive sequentis sive præcedentis prælaturam.* Constat ex tenore decreti : monentur enim, ut à scientiæ sacramentalis usu diligentissimè caveant *tam superiores pro tempore existentes* (id est, ad quos tempore prælaturæ peccati cujusdam notitia pervenit viâ confessionis) *quàm confessarii*, qui postquàm peccati notitiam ex confessione habuerunt, *ad superioritatis gradum fuerint promoti.*

434. Constat deinceps ex ipsâ rei naturâ : quid enim ad rem facit, sive prælaturam præcedat, sive sequatur scientia sacramentalis, in ordine ad committendum sacrilegium per ejusdem usum ? Aliud est de scientiâ præcedente vel consequente confessionem : hâc enim confessarius uti potest, dummodò desit periculum scandali, et non adjungatur propter confessionem aliqua certitudo vel circumstantia. Ratio est ; quia in casu confessarius unius ejusdemque delicti duas habet scientias, unam naturalem, alteram sacramentalem, quæ quoad usum à se mutuò non dependent. Itaque non obstante confessione licitus est usus scientiæ quà naturalis, idem ille qui liceret confessione seclusâ.

435. Et alioquin gravissimum onus incumberet confessariis, si propter confessionem exciderent jure utendi scientiâ, ante vel post obtentâ ; possetque pœnitens hâc viâ sacerdoti illudere, non sine gravissimo nocumento boni privati et communis : ponamus enim peccatum aliquod superiori aliunde cognitum ; poterit pœnitens cum præjudicio boni communis declinare pœnam, si idem peccatum confiteatur superiori. Item, qui confessario rem aliquam furtim abstulit et iniquè possidet, confiteatur eidem furtum suum, jam non poterit confessarius, rerum suarum furem aut injustum possessorem persequi vel accusare, quantùmvis auctorem delicti extrasacramentaliter cognovisset. Cavendum solummodò (ut prædiximus) ne detur scandalum ; similiter ne affirmetur certitudo vel circumstantia, per solam confessionem cognita.

436. Dicitur 6° : *In ordine ad exteriorem gubernationem* religiosorum seu communitatis ; idque sive cum, sive sine directâ vel indirectâ fractione sigilli, et rursùs sive cum, sive sine gravamine vel incommodo pœnitentis : quanquàm enim non omnis ejusmodi usus sit interdictus, spectato jure divino vel naturali, ut auctores plerique tradunt, nihilominùs regularium superioribus prohiberi videtur per decretum Pontificis, generaliter et sine distinctione volentis, ut superiores *eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem* non *utantur.*

Hinc variæ resultant quæstiunculæ, quas claritatis gratiâ, in distincta dubia reducemus. Itaque :

Dubium II. — *An sigillo teneantur* superiores pro tempore existentes, *à quibus extra confessionem petitur licentia pro reservatis ?*

437. Respondeo ; inprimis certum est apud omnes, quòd superior in casu teneatur sigillo seu secreto naturali. Ratio est quia secretum naturale exercitè et ex modo petitionis, imò ex ipsâ quasi rei naturâ tum à pœnitente petitur, tum à prælato promittitur.

Secundò, si confessarius ad instantiam vel consensum confitentis subditi accedat superiorem pro facultate ejus in reservatum, videtur prælatus obligari sigillo sacramentali. Lugo, de sacram. Pœnit., disp. 23, sect. 2, num. 34 ; Suarez, in 3 parte D. Thomæ, tomo 4, disp. 33, sect. 4, num. 3 ; Bosco, disp. 8, de Ministro sacram. Pœnit., sect. 6, num. 78, et alii. Ratio est ; quia, dùm licentia pro reservatis à prælato petitur, tunc defertur causa ad ipsum, tanquàm ad judicem superiorem, petendo ejus auctoritatem, cujus concessio est pariter usus clavium, annexam habens sigilli sacramentalis obligationem. Ita Suarez. Deinde notitia quam habet in casu superior de peccato vel ejus auctore, descendit ex confessione sacramentali, apud inferiorem confessarium inchoatâ. Ita Lugo.

438. Dices 1° : Non videtur in casu intervenire confessio sacramentalis ; ergo notitia quam confessarius inferior ingerit superiori, non potest sigillata esse. Antecedens probatur, quia confessio reservatorum apud confessarium inferiorem, pro reservatis non deputatum instituta, fit coram judice incompetente, atque adeò non est sacramentalis : fit enim (ut supponitur) confessio apud confessarium inferiorem, qui ex eâdem intelligens peccatum reservatum, accedit superiorem pro ejusdem in hunc casum auctoritate ; ergo, dùm confessio instituitur, confessarius non est judex competens, tanquàm pro eo tempore non habens jurisdictionem seu potestatem in pœnitentem

439. Respondeo cum Lugo et Bosco citatis quòd, licèt confessio in casu non sit sacramentalis perfectè, sit tamen inchoatè, et in ordine ad absolutionem sacramentalem, ab eodem confessario obtinendam, instituta. Habet similiter confessarius inchoatam jurisdictionem seu potestatem in pœnitentem ; et potest judicare, an sit necessarius recursus ad superiorem. Potest etiam fieri quòd adsit bona fides ex parte pœnitentis, existimantis hunc esse legitimum judicem. Nulla igitur est ratio dubitandi, quin scientia ex simili confessione resultans, sit sigillata tum respectu inferioris confessarii qui recurrit, tum respectu superioris ad quem recurritur. Aliàs malè provisum esset pœnitentibus qui casus reservatos ignorant, vel si noverint, facilè tamen nesciunt, qui confessarii, in eosdem auctoritate vel gaudeant vel careant; atque adeò confessio fieret omninò odiosa, si confessarius in casu proposito non teneretur ad sigillum.

440. Dices 2° : Potest confessarius potestatem pro reservatis petere, non expressâ personâ ; ergo nullo modo obligatur prælatus ad sigillum.

Respondeo sic fieri ordinariè ; sed, ut manifestum est, de eo non loquimur. Conclusio præcipuè intelligitur de casu quo nomen pœnitentis confessarius exprimit aut ex realibus circumstantiis in personæ notitiam deveniri potest. Porrò superior posset non solùm validè, sed etiam aliquando licitè negare licentiam in reservatum, nisi pœnitens vel ipse comparcat, vel per confessarium nominetur. Lugo et Bosco.

441. Tertiò, si pœnitens per semetipsum extra confessionem à prælato petat licentiam pro reservatis, major est difficultas : tum enim notitia quæ sive de peccato sive de illius auctore ingeritur superiori, sigillata non videtur, eò quòd neque proximè, neque remotè originem habeat ex sacramentali confessione. Non proximè, quia ipsa licentiæ petitio per pœnitentem facta, est extrasacramentalis, cùm non intendat pœnitens confiteri prælato vel ab eodem obtinere absolutionem, sed à confessario inferiori, per superiorem delegando. Non etiam remotè, quia supponitur nullam hactenùs confessionem, ne inchoatam quidem, apud confessarium inferiorem institutam. Eadem est difficultas, si pœnitens extra sacramentum confessarium roget ut accedat prælatum pro auctoritate in reservatum.

442. Nec refert quòd talis petitio ordinetur ad confessionem postea instituendam : inde enim non sequitur, jam nunc sacramentalem esse, ne inchoatè quidem; nam, si quis amico cuidam suo referat peccatum aliquod bonâ fide, ut ab eodem discat modum quo idem peccatum postea confiteri debeat, relatio illius peccati præcedit pariter confessionem et ad eamdem ordinatur : interim certum est non esse sacramentalem. Deinceps utraque narratio potest perinde laico ac sacerdoti fieri. Itaque in hoc casu prælatum non teneri sigillo, docent Castropalao, de sacram. Pœnit., tract. 23, disp. un., puncto 19, num. 10 ; Vasquez, quæst. 93, art. 4, dub. 2, n. 10 et 12. Henriquez, lib. 6, de Pœnit., cap. 2, n. 3; Coninck, disp. 9, dub. 3, n. 44 et seq.

443. Interim videtur verius, etiam hoc casu prælatum obligari sigillo sacramentali, saltem quando sine ipsius consensu non potest obtineri directa absolutio. Suarez, sup., n. 3 ; Lugo, n. 35 ; Bosco, n. 80, et alii. Ratio est, quòd, licèt petitio in casu non habeat originem ex confessione sacramentali, nihilominùs ad eamdem tanquàm finem, ad instar medii necessarii, ordinetur, quando aliter directa absolutio obtineri non potest. Quare superior in casu censetur una moraliter persona cum confessario, seu comminister sacramenti, concurrens per clavem potestatis ad illius effectum.

444. Dices petitionem illam non esse necessariam ad finem sacramenti, cùm possit subditus prælato ipsi confiteri. — Respondeo cum Lugo, n. 36, et Bosco n. 86, inprimis subditum aliquando non posse confiteri superiori, quando, v. g., superior non est sacerdos, et interim, nisi petitâ ab eodem licentiâ, absolutio per alterum impertiri non potest. Deinde esto prælatus sacerdos foret, pœnitens tamen potest habere justam causam petendi licentiam ad confitendum alteri ; quo casu, cùm licentia superioris vel per pœnitentem ipsum vel per confessarium postulata, requiratur ad finem sacramenti, videtur superior ad sigillum obligari eodem jure quo confessarius.

445. Hinc facilè respondetur ad rationem alteram, pro contradictoriâ opinione allegatam ; respondetur, inquam, narrationem peccatorum, laico amico factam, eo fine ut discantur modus et ratio quibus eadem peccata confiteri oporteat, nullatenùs necessariam esse ad directam absolutionem : posset enim pœnitens id discere ab ipso confessario intrà sacramentum ; et aliunde nimis remotè hæc narratio ordinatur ad absolutionem sacramentalem, cùm oporteat eadem peccata repetere et narrare pariter confessario. At verò narratio quæ fieret sacerdoti inferiori, tametsi hactenùs supponatur non esse sacramentalis, equidem obtentâ facultate superioris transit in sacramentalem per hoc solum, quòd pœnitens petat absolutionem de peccatis antea narratis : ergo illa narratio non potest æqualiter fieri laico ac sacerdoti.

Dubium III. — *An liceant superiori regularium, occasione confessionis, actiones non ingratæ pœnitenti, secluso revelationis periculo?*

446. Respondeo affirmativè. Bosco, sect. 7, concl. 8 ; Herincx cit., n. 40, et alii passim. Ratio est, quia ejusmodi actiones, regularium superioribus nec sunt prohibitæ spectatâ institutione sacramenti, nec considerato Pontificis præsenti decreto. Non quidem spectatâ institutione sacramenti : nam ex hâc ille solummodò notitiæ sacramentalis usus prohibetur, qui vel continet directam aut indirectam revelationem confessionis, vel onus aut gravamen pœnitentis, ratione cujus confessio posset fieri difficilis aut odiosa. Atqui inprimis supponitur deesse omne periculum revelationis tum directæ, tum indirectæ ; deinceps tantùm abest, ut per actiones de quibus loquimur confessio redderetur odiosa vel onerosa, ut contra potiùs allevianda sit, invitandi, inquam, potiùs sint ad confessionem pœnitentes quàm ab eâdem deterrendi.

447. Similiter non prohibentur eædem actiones decreto Clementino, quod loquitur solummodò de usu notitiæ sacramentalis, *ad exteriorem gubernationem* pertinente; actiones verò de quibus loquimur, ad exteriorem gubernationem seu œconomiam non pertinent, cùm sint communes confessariis inferioribus, nullà gubernandi auctoritate præditis, et superioribus, prout constat exemplis quæ subjungimus.

448.—1. Itaque superior potest orare pro suo pœnitente, ut in virtutibus crescat et in gratiâ sanctificante perseveret: quis enim pœnitens confessarium non libenter habeat et accedat, quem novisset adeò de suâ salute et justificatione sollicitum?

2. Potest superior abstinere dictis et factis quibus per confessionem novit subditum suum moveri in iracundiam vel indignationem.

3. Potest superior ob confidentiam sibi à pœnitente ostensam in confessione gravioris peccati, idque cum magnis pœnitentiæ signis, peculiari affectu et beneficiis eum prosequi.

4. Potest occasione peccati in confessione expressi, secluso sigilli periculo, consulere doctiores aut magis incumbere studio, ut tum hujus, tum aliorum pœnitentium conscientiam rectiùs dirigat.

Dubium iv.—*An occasione confessionis liceant superiori actiones pertinentes ad justitiam vindicativam?*

449. Quæritur an superior extra confessionem possit, saltem privatim, corripere subditum de peccato, per solam confessionem cognito: eumdem punire in corpore, privare officio vel beneficio, ad quod habet jam jus acquisitum. — Respondeo: Certum est apud omnes non posse. Et quidem inprimis, quod attinet correptionem privatam et extrasacramentalem, non solùm confessariis superioribus, verùm etiam inferioribus nullâ jurisdictione gaudentibus, secularibus et regularibus graviter prohibetur, ut communiter doctores censent. Ratio est quia per ejusmodi correptionem refricatur memoria pœnitentis, cui peccatum suum exprobratur, et quidem expressè, cum novo pudore et verecundiâ: quæ omnia non possunt non cedere in odium et detestationem sacramenti. An autem in casu correptionis omninò privatæ, violetur sigillum, doctores dissentiunt Et quidem, si sigillum sumatur strictè, videlicet pro obligatione non revelandi ex confessione aliquid ignoranti, seu ei cui antea non erat cognitum, constat non esse fractionem sigilli; prout non foret violatio secreti naturalis, si quis de eo loqueretur privatim cum personâ quæ secretum commisit. Si autem sigillum sumatur latiùs, pro obligatione, etiam non agendi de rebus in confessione auditis, cum onere vel rubore pœnitentis, erit violatio sigilli.

450. Item quod attinet actiones cæteras ad justitiam vindicativam attinentes, certum est quòd non liceant ex confessione: primò, quia sacramentum summoperè odiosum redderent. Secundò, quia ejusmodi actiones sine legitimâ probatione in foro externo, injustè exercentur; jam verò notitia sacramentalis planè inutilis est in foro externo, idque adeò ut si judex contra subditum interrogâsset testes, processum instituisset vel simile aliquid aggressus esset, eo ipso quo animadverteret similes actiones habuisse initium à concessione vel notitiâ sacramentali sacrilegè revelatâ, deberet illicò omnes actus tanquàm nullos et invalidos rescindere.

Dubium v. — *An occasione confessionis liceant superiori actiones spectantes ad justitiam distributivam?*

451. Sensus dubii est an liceat superiori regularium, per solam notitiam confessionalem directo, negare suffragium subdito ad aliquod officium, vel beneficium; nolle aliquod alicui conferre officium; amovere quempiam à beneficio jam possesso, vel à loco in quo habitat aut negare egressum è conventu seu monasterio, etc., supposito quòd alioquin pro suo libitu superior id possit facere.

Respondeo negativè, etiam dato quòd in ejusmodi casibus non interveniat directa vel indirecta sigilli violatio. Coninck, n. 69; Bosco, concl. 8, n. 157 et 166; Herincx, disp. 8, de sigillo Conf., quæst. 5, n. 46. Suarez, disp. 33, sect. 7, n. 4; Lugo, disp. 25, sect. 5, n. 93; Dicastillo, disp. 12, dub. 7, num. 138. Steyaert Aphorism., parte 4, sect. 4, § 13, n. 7. Ratio est, quia ejusmodi actiones respiciunt gubernationem exteriorem: jam verò Pontifex generatim et indefinitè prohibet, ne superiores eâ notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

452 et 453. Sed restat ulterior dubitatio an actiones præfatæ vel eisdem similes, non solùm regularium superioribus, verùm etiam confessariis cæteris sive regularibus sive secularibus prohibeantur. Affirmant Lugo, n. 94; Dicastillo, num. 141, et plures alii, volentes à Pontifice non tam legem humanam ferri quàm divinam declarari, atque adeò præfatas actiones ex rei naturâ et institutione sacramenti omnibus universim confessariis illicitas esse: nam si usus notitiæ sacramentalis per actiones præfatas aliquando liceret, non apparet quomodò posset à Pontifice universim prælatis regularibus prohiberi: quia in nonnullis casibus, si liceret, foret etiam necessarius ex præcepto naturali, v. g., ne eligatur scienter indignus ad prælaturam, cùm talis electio sit intrinsecè mala et afferat gravissimum nocumentum, quod prælatus, si possit, tenetur impedire. Item, si sciret ex confessione aliquem non esse sacerdotem, deberet illum non designare in confessarium suorum subditorum, ne illi irritas faciant omnes confessiones suas cum tanto animarum et sacramenti præjudicio. Interim etiam in hoc casu prohibet Pontifex usum talis notitiæ ad gubernationem. Supponit ergo antecedenter talem usum fuisse illicitum; alioquin non posset contra naturale præceptum charitatis et religionis, præceptum merè ecclesiasticum obligare. Ita Lugo.

454. Nihilominùs rectiùs videtur dici, ex decreto Pontificis efficaciter non deduci, actiones enumeratas omnibus confessariis semper esse illicitas. Coninck, num. 69; Bosco, num. 158 et 166; Herincx, num. 46; Arriaga, disp. 46, sect. 3, num. 18; Præpositus,

in 3 parte D. Thomæ, de sac. Pœnit., quæst. 11, dub. 7, num. 55; Tannerus, disp. 6, de Pœnit. quæst. 9, dub. 6, num. 143 et alii. Ratio est quia gratis dicitur, Pontificem hoc loco legem non facere, sed declarare; ut enim Pontifex cæteris ejusdem decreti paragraphis legem facit, sic etiam præsenti, maximè cùm utatur terminis qui omnium judicio important præceptum, *Caveant diligentissimè.*

455. Deinde mirum profectò esset, si Pontifex judicâsset, gubernationem illam ex rei naturâ aut Christi sacramentum instituentis voluntate illicitam, quòd eam solis regularium superioribus inhibuisset et non omnibus omninò prælatis etiam secularibus, cùm eadem omnium sit obligatio ad sigillum. Ergo, cùm solùm loquatur de regularium superioribus, supponit, alios ex jure divino aut naturali non obligari. Alioquin egisset minùs prudenter, quatenùs occasionem gravissimi erroris dedisset confessariis cæteris, qui facilè inferre possent decreto in solos regularium superiores directo, se non ligari. Unde non placet, ait Bosco, num. 174, quod dicit Malderus, tract. de Sigillo, cap. 14, Pontificem generaliter declarâsse, non licere scientiam ex confessione acceptam applicare ad externam gubernationem : nam sicut in illo decreto generaliter non statuitur, ut nemo peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quæ sequuntur, etc., sed tantùm declaratur id non licere regularium superioribus ; ita generaliter non statuitur ut nemo notitiâ sacramentali unquàm ad exteriorem gubernationem utatur, sed tantùm ordinatur id non licere regularium superioribus.

456. Quod attinet fundamentum Lugonis, potest cum Bosco et Arriagâ retorqueri in auctorem : nam si rectè sequatur; electio indigni ad prælaturam, designatio non sacerdotis in confessarium, sunt actiones ab intrinseco malæ antecedenter ad decretum Pontificis ; ergo per decretum Pontificis justificari non possunt : si hoc, inquam, argumentum rectè concludat, erit etiam legitimum quod sequitur : electio indigni ad prælaturam, est actio intrinsecè mala antecedenter ad sigilli obligationem ; ergo per obligationem sigilli sacramentalis justificari non potest, quia non magis sigillum sacramentale quàm decretum pontificium potest esse vinculum iniquitatis. Interim hæc dicta sint disputando potiùs quàm asserendo : veneramur enim et omni modo recipimus decretum S. R. et universalis inquisitionis, de 28 novembris 1682, sequentis tenoris : *Scientiâ ex confessione acquisitâ uti licet, modò fiat sine directâ aut indirectâ revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur*, etc. Vide Herincx, n. 47.

Dubium VI. — *An superior notitiâ sacramentali uti possit ad suî directionem ?*

457. Respondeo posse, si neque sit periculum sigilli directè vel indirectè violandi, neque rubore vel damno afficiatur pœnitens, neque interveniat externa gubernatio. Ratio est quia usus ejusmodi est honestus, nec ullibi prohibitus jure divino, naturali vel ecclesiastico. Non jure divino aut naturali : hoc enim jure ille duntaxat usus prohibetur, qui, ut Malderus loquitur, cap. 14, vel pœnitenti est onerosus, vel retrahit à confessione, vel aliquo modo prodit peccatorem, peccatum vel confessionem. Jam verò hæc incommoda expressè secludimus. Proinde usus notitiæ sacramentalis, qui cedit in commodum sacerdotis, et nullo modo redundat in præjudicium pœnitentis vel sacramenti, non est prohibitus jure divino vel naturali.

458. Non etiam ecclesiastico : id enim vel foret cap. *Sacerdos*, dist. 6, de Pœnitentiâ ; vel cap. *Omnis utriusque sexûs*, de Pœnit. et Remiss., vel demùm præsenti decreto Clementis VIII. Non primum : nam illîc prohibetur peccatorum vel confessionis revelatio, atque adeò ille notitiæ sacramentalis usus, qui involvit injuriam sacramenti et pœnitentis. *Sacerdos*, ait Pontifex, *ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo : nam si hoc fecerit deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ, ignominiosus peregrinando pergat.* Non etiam secundum ; quia illîc rursùs solummodò prohibetur, ne sacerdos aliquatenùs peccatorem prodat; tantùm verò abest ut usus notitiæ confessionalis, cedens in confessarii directionem, et non redundans in præjudicium pœnitentis vel Sacramenti prohibeatur, ut potiùs approbetur. *Caveat autem omninò*, inquit Innocentius III, *ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenùs prodat peccatorem : sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ullâ expressione personæ cautè requirat ; quoniam, qui peccatum, in pœnitentiali judicio sibi detectum, præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum :* ubi, si confessarius prudentiori consilio indiguerit, dicitur illud posse requirere, dummodò *cautè* et *absque ullâ expressione personæ.*

459. Non denique tertium : nam Clemens VIII, ut aliquoties diximus, loquitur de actionibus, *ad externam gubernationem* spectantibus, non igitur de illis quæ ad confessarii directionem cedunt. Suarez, Coninck, Bosco, Sanchez, Castropalao, Tannerus citati, quorum ultimus, num. 143, addit hanc expositionem non esse alienam à mente constitutionis Clementinæ, ita etiam expositæ ab ejusdem conditore, ut in quodam peculiari responso anni 1603 in Germaniam misso, se reperisse Tannerus scribit, ubi declaratur mentem ac propositum Pontificis fuisse, usum illius notitiæ duntaxat prohibere in iis quæ pertinent ad regimen et gubernationem superiorum : in cæteris ergo casibus qui incident, ita se gerere unumquemque debere, uti conscientiæ suæ ex doctorum sententiis consultius fore cognoverit.

§ V.

DE QUINTO DECRETI PARAGRAPHO.

Textus. — *Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à confessariis imponendas, quæ subditos ut iisdem perpetrandis cohibere possint.*

Dubium primum. — *Quinam superiores, pœnitentias à confessariis imponendas determinare possint?*

460. Respondeo posse generalem pro ordine, provincialem pro provinciâ, conventualem pro monasterio, nisi lege vel consuetudine aliter sit receptum. Sed majus est dubium an idem iidem possint, secluso decreto Clementino. — Respondeo idem posse quemlibet superiorem, altiori potestate non impeditum. Ratio est quia superior est ordinarius judex in illâ causâ; atque adeò, sicut potest eamdem non committere inferiori, sic potest committere sub modo et restrictione, statuendo pœnitentiam, à confessario inferiori pro hoc vel illo peccato imponendam. Nec dubium quin ejusmodi taxatio pœnitentiæ, pœnitentis bono expedire aliquando possit, maximè si minor sit confessarii inferioris prudentia vel discretio. Confirmatur primò : nam olim in Ecclesiâ primitivâ usitati fuerunt canones pœnitentiales, quibus taxabantur pœnitentiæ, pro gravioribus delictis imponendæ, et quorum nonnulla exstant vestigia apud Gratianum in fine decreti, et in c. *Latorem*, 33, q. 2. Itaque non repugnat foro aut judicio sacramentali quòd sacerdos superior præscribat inferiori normam et regulam, quam in taxandâ satisfactione sequatur.

461. Confirmatur secundò, quia superior, jure vel consuetudine non impeditus, potest restringere potestatem confessarii inferioris quoad culpam seu absolutionem sacramentalem, cur non etiam quoad pœnam aut satisfactionem sacramentalem? itaque sic docent Suarez, disp. 30, sect. 5, n. 3; Castropalao, puncto 15, § 5, n. 11; Coriolanus, parte 1, sect. 1, art. 19, n. 1, Graffius, 1 parte Summæ, lib. 1, cap. 13, num. 76; Vasquez, de Pœnit., quæst. 93, art. 1, dub. 6, num. 11; Villalobos, Sum. tract. 9, diffic. 65; Crousers, Lect. paræn. 17, fol. 647; Lezana, v. *Casus reservati regularium*, n. 8. Tamburinus de jure Abbat., tomo 2, disp. 6, quæstio 5, et disp. 13, quæst. 9, n. 1; Coninck de Sacram. Pœnit. disp. 8, dub. 14, n. 112.

Dubium ii. — *Quibusnam peccatis pœnitentiam superior prædeterminare possit?*

462. Respondeo : Inprimis potest *quibusdam*, *etiam non reservatis*, imò quæ juxta tenorem decreti reservare non potest, saltem sine consensu ac discussione capituli generalis vel provincialis. Secundò, potest pœnitentiam à confessariis imponendam præstituere peccatis seu casibus Clementinis, per semetipsum reservatis. Tertiò, *si quod aliud præterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiæ puritate* de consensu capituli generalis vel provincialis reservatum fuerit, et huic poterit per se solum superior pœnitentiam præfigere. Patet ex illis decreti Clementini verbis, *quibusdam peccatis*, etiam non reservatis : quorum verborum sensus est : Possunt pœnitentiam determinare à confessariis imponendam non reservatis; possunt et reservatis cujuscumque generis, id est, tam reservatis per semetipsos quàm de consensu capituli juxta formam decreti : nam particula *etiam* unum casum exprimit, et alterum includit juxta Gloss. in Clement. 2, *de Hæreticis*, verbo *Ecclesiæ*. Vide Barbosam, de Offic. et Potest. episc., alleg. 92, num. 12.

Dubium iii. — *Cujusmodi pœnitentia esse debeat, quam sic determinet superior?*

463. Respondeo : Debet, quantùm spiritus et prudentia suggesserit, determinare pœnitentiam salutarem et convenientem, spectatâ tum qualitate criminis, tum facultate pœnitentis. Ita concilium Tridentinum, sess. 14, de Pœnitentiâ, c. 8, confessarios universim, atque adeò tam prælatos quàm subditos seu inferiores instruens : *Debent*, inquit, *sacerdotes Domini, quantùm spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere;* etc. *Pro qualitate criminum*, ait, *et pœnitentium facultate;* igitur non pro solâ criminum qualitate, ne alioquin pauperes eleemosynis, infirmi jejuniis, etc., supra vires graventur; non pro solâ pœnitentium facultate, ne delicta maximè inæqualia ob æqualem pœnitentium facultatem, æquali pœnâ castigentur; sed pro utrâque simul, ad instar medicinæ corporalis, quæ parari debet non solùm pro morbi conditione, verùm etiam pro qualitate subjecti.

464. Secundò, debet pœnitentia, quam determinet prælatus, non modò esse vindicativa, seu vergere in castigationem peccati præteriti, sed etiam medicinalis, id est, continere remedium et medelam futuri, nimirùm quâ subditi *ab iisdem perpetrandis* cohiberi *possint*, ut in suo decreto Clemens VIII loquitur. Quare rursùs confessarios superiores æquè ac inferiores respicit concilium Tridentinum loco citato pergens : *Habeant* (sacerdotes Domini) *præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Dubium iv. — *Quo pacto prædicta pœnitentia determinari debeat?*

465. Respondeo, superiorem in hujus potestatis usu debere prudentem et moderatum esse, nec posse confessariis præscribere pœnitentiam, nisi urgente gravi causâ, v. g., si de prudentiâ vel discretione confessarii inferioris non satis confideret. Quo casu poterit non solùm pœnitentiam sacramentalem, verùm etiam quamlibet condignam satisfactionem aut aliam convenientem medicinam determinare. Modus autem, quo pœnitentiam superior in casu determinet, varius esse potest. Aliquando superior potest inquirere speciem delicti, consuetudinem vel alias circumstantias, quantùm salvo confessionis sigillo hæc vel similia declarari possunt : nam cum periculo sigilli nec potest interrogare superior, nec respondere inferior. Aliquando poterit ac debebit eam adhibere cautionem, ut hanc vel illam pœnitentiam aut medicinam statuat sub conditione, si hoc vel illud delictum fuerit, pro quo licentia vel jurisdictio postulatur. Aliquando poterit decreto antecedenti statuere, ut, si contigerit, pro hoc vel illo delicto licentiam postu-

lari, hæc vel illa pœnitentia injungenda sit. Suarez, num. 4 ; Coriolanus, num. 2.

466. Interim omnes doctores monent, non posse superiorem (seclusâ urgentissimâ causâ) per præceptum rigorosum obligare confessarios inferiores ad imponendam pœnitentiam, à se determinatam. Itaque ut plurimùm pœnitentiam determinare debet per modum solius consilii, instructionis, suggestionis. Ratio est 1° quia (ut loquitur Suarez cit.) nunquàm pœna hujus fori tantâ necessitate præscribitur, quin relinquatur aliquod arbitrium judici seu confessario, ut, si juxta vires, dispositionem, aut alias affectiones pœnitentis judicaverit minùs proportionatam, possit eamdem variare aut moderari; 2° quia facilè potest fieri, ut pœnitentia, quam superior determinat, sit improportionata, maximè si non cognoscat speciem, frequentiam aut consuetudinem peccati vel peccatoris conditionem : et multò magis, si pro peccatis futuris in antecessum pœnitentiam præstitueret; pœnitentia enim (ut supra ex concilio Tridentino diximus) proportionem exigit non solùm cum qualitate aut gravitate criminum, sed etiam cum pœnitentium facultate, dispositione, conditione.

467. Quare confessarius, qui duos pœnitentes habet ejusdem criminis reos, non potest eo ipso, quo audit criminis æqualitatem, eamdem utrique pœnitentiam injungere. Unde si confessarius fundatè judicet, pœnitentiam à prælato determinatam, esse minùs convenientem, non potest ad eamdem obligari; nam cùm solus confessarius sit judex in illo foro, et absolvat ac pœnitentiam imponat nomine Christi, non autem superioris, obligari nequit ad imponendam eam quam, omnibus consideratis, minùs convenientem putat. Quapropter (sicut diximus) consultius est, ut pœnitentiæ determinatio per superiorem fiat ad modum consilii vel directionis, quàm ad instar præcepti. Suarez, n. 4; Coriolanus, n. 2; Castropalao, n. 11; Coninck, disp. 8, de Pœnit., dub. 14, n. 112; Crousers, fol. 647.

Dubium v. — *An possit superior auctoritatem suam concedere inferiori sub conditione hujus vel illius pœnitentiæ?*

468. Status quæstionis est, an prælatus confessario inferiori jurisdictionem, v. g., in reservatum concedere possit, eâ lege vel conditione, ut, nisi pœnitentiam à se determinatam imposuerit, irritum sit sacramentum. Neque quæritur, an id passim seu promiscuè possit, sed an in casu rariori et absolutè. Affirmare videntur Suarez, Vasquez, Coninck, Villalobos, quorum ratio esse potest, quòd superior, sicut auctoritatem in reservatum dare et negare potest, sic videatur etiam restringere posse ad certam conditionem, quâ subsistente, valeat; deficiente, nulla sit absolutio inferioris.

469. Nihilominùs, Joannes Sanchez in Selectis, disp. 12, n. 6, acriter pugnat pro sententiâ contrariâ, et adducit pro se Ægidium de Coninck, disp. 8, de Pœnit., dub. 15, num. 117, sed immeritò; nam Coninck id solum ibidem probat et intendit, non posse per superiorem, potestatem dari adeò restrictam, ut pœnitentia, quam confessarius injungit, valida non sit, sed dimidiata tantùm, donec compleatur per superiorem : quod longè diversum est à præsenti quæstione, quâ sermo est de jurisdictione confessario faciendâ sub conditione hujus vel illius pœnitentiæ, per ipsum confessarium imponendæ. Movetur autem Sanchez eâ potissimùm consideratione, quòd potestatem absolvendi et pœnitentiam sacramentalem imponendi quilibet sacerdos habeat à Christo Domino, non à superiore, qui proinde, applicatâ materiâ, se intermittere nequeat in absolutionem vel pœnitentiæ impositionem. Frivola ratio ! nam esto à Christo Domino sit potestas absolvendi, imponendique pœnitentias; nihilominùs applicare materiam, seu designare subditos, circa quos eadem potestas exerceatur, non à Christo immediatè, sed ab Ecclesiæ prælatis provenit. Possunt ergo prælati hanc jurisdictionem sub hujus vel illius pœnitentiæ conditione largiri, sicut possunt eamdem absolutè non dare; aut quid tandem obstare potest huic jurisdictioni conditionali?

470. Interim Castropalao, num. 13, negat auctoritatem in reservatum concedi posse sub conditione pœnitentiæ suspensivâ sacramenti. Movetur hâc ratione, quia confessarius nequit imponere pœnitentiam, nisi auditâ confessione : confessionem autem excipere seu audire nequit, donec habeat jurisdictionem. Ergo nequit ei jurisdictio ad audiendam confessionem concedi sub conditione, confessionem ipsam subsequente; quia ea est vis concessionis conditionalis, ut effectum non habeat, quousque apposita conditio fuerit. Neque Vasquez, Suarez, Coninck, Villalobos et alii nobis contrariantur, dùm affirmant, concedi facultatem posse sub conditione pœnitentiæ imponendæ; quia conditionem latè sumunt, pro modo et onere, quo quidem gravetur conscientia confessarii, non quo periclitetur sacramentum. Ita ferè Castropalao.

471. Sed numquid saltem pœnitentiæ impositio potest præcedere absolutionem ? Nonne igitur absolutio, tanquàm posterior dependere potest à pœnitentiæ, tanquàm anterioris, qualitate et quantitate ?

Dubium vi. — *An superiores, sicut se solis possunt taxare pœnitentias, sic etiam possint ferre censuras, easque sibi reservare?*

472. Negativam sententiam docent Sanchez, lib. 6 Summæ, c. 1, n. 16; Peyrinis, Privil. Minim., tom. 2, constit. 10 Urbani VIII, § 61, num. 10; Megala, 1 part., lib. 1, c. 12, n. 8; Molfesius, Sum., tom. 1, tract. 7, cap. 20, n. 17; Sigismundus à Bononiâ, tract. de Elect., part. 3, cap. 4, dub. 123, n. 9; Diana, part. 3, tract. 2, resolut. 49; Lugo, disp. 20, n. 47, et alii.

473. Probatur primò : nam ita declarâsse sacram cardinalium congregationem, die 7 julii 1617, testatur Alphonsus de Leone, tract. de Offic. et Potest. confess., tom. 2, recoll. 11, n. 5. Declarationem sic re-

fert eminentissimus Lugo citatus : *Cùm à nonnullis regularibus dubitaretur, an in decreto fel. record. Clementis Papæ VIII, anno* 1593, 26 *maii super qualitate casuum, ab eorumdem regularium superioribus reservandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur, ita ut eisdem superioribus absque capituli generalis aut provincialis consensu, aliquibus peccatis, in decreto hujus modi non contentis, excommunicationem annectere, ejusdemque absolutionem sibi reservare liceat; sacra congregatio cardinalium, negotiis regularium præpositorum, illustrissimo Bandino referente, censuras in supra dicto decreto comprehendi censuit. Romæ, 7 julii,* 1617. *A. Mar. episc. Astiensis, card. Gallus.*

V. Theat. Secret.

474. Probatur secundò, quia reservare censuram perinde est ac reservare peccatum, præsertim si sit censura excommunicationis : absolutio enim à censurâ excommunicationis debet præcedere absolutionem à peccatis, atque adeò, stante excommunicatione, superiori reservatâ, nullus inferior absolvere potest à peccatis. Unde apparet (inquit Diana supra) talem modum reservandi per excommunicationem, esse inventum et excogitatum in fraudem legis pontificiæ, nolentis et prohibentis alia peccata reservari, quàm quæ decreto exprimuntur et recensentur. Ita Diana.

475. Probatur tertiò, ex Sanchez : nam licèt Clemens VIII, in hoc decreto loquatur de solius peccati reservatione, id factum est quia frequentiùs solent prælati Pontifice inferiores reservare culpam, quàm censuram. At verba posita in lege, gratiâ frequentioris usûs, non restringunt legem, nec obstant, quominùs ad casus similes extendatur, ut probat idem Sanchez, lib. 9, de Matrim., disp. 14, n. 16, id quod potissimùm habet locum, quando eadem est ratio pro utroque casu, et ex mente legislatoris extensio legis non obscurè colligitur, ut hìc contingit : nam ex proœmio deducitur ratio finalis decisionis, et juxta eamdem rationem tota decisio stringenda vel amplianda est, prout alibi dicitur. Atqui in proœmio præsentis decreti, rationem, quâ movetur ad prohibendum peccati supernumerarii reservationem, Pontifex hanc assignat, ne minùs prudens aut moderata reservatio subditos, superiorem accedere formidantes, *adducere posset in æternæ damnationis periculum et spiritualis remedii desperationem.* Hæc autem ratio locum habet, sive peccatum reservetur directè, sive indirectè et mediante censurâ : in utroque enim casu debebit subditus accedere superiorem pro obtinendâ absolutione. Ita Sanchez.

Interim communior est sententia affirmativa, quam sequuntur Suarez, disp. 29, sect. 3, num. 13; Villalobos, Sum., tom. 1, tract. 9, diffic. 58, n. 5; Tamburinus, de Jure Abbat., tom. 2, disp. 13, q. 3, n. 1; Coriolanus, de Cas. reser., part. 1, sect. 1, art. 6, n. 1; Fagundez, præcept. 2, lib. 8, cap. 4, n. 5; Bosco, disp. 8, sect. 4, concl. 3, n. 46. Ejusdem opinionis sine dubio fuerunt, qui nostra statuta generalia condiderunt, in quibus, cap. 6, § 22, n. 11, legitur : *Insuper decernimus, prælatos prædictos per se solos absque capituli consilio et consensu, posse sibi reservare quaslibet censuras; et hujusmodi reservationem esse validam et tenere; cùm decretum Pontificis tantùm loquatur de peccatis, quæ longè distant à censuris.*

476. Probat affirmativam opinionem Suarez; quia Pontifex expressè loquitur de reservatione culparum seu peccatorum, ut patet ex illis verbis : *Nemo ex regularium superioribus,* PECCATORUM *absolutiones sibi reservet,* etc. In casu autem proposito non reservatur peccati absolutio, sed censuræ, quæ longè diversa est, et ad diversum forum ac jurisdictionem pertinet.

Nec satis est, quòd, per se loquendo, dari nequeat absolutio à peccato, non ablatâ censurâ : hoc enim accidentarium est; sufficit quòd non sint idem censura et peccatum, ut ab hoc ad illam prohibitio extendi nequeat, præsertim cùm respectu superioris sit onerosa et restringens usum jurisdictionis. Ita Suarez.

477. Dices : Equidem decretum à peccatis ad censuras extensum, est favorabile subditis, cùm restringat potestatem superiorum in censuras. Respondeo satis esse, quòd sit onerosum superioribus, ut restringi potiùs, quàm ampliari debeat : nam ante decretum poterant superiores censuras ferre, easque sibi reservare; ergo eâ potestate privari non debent per solam legis extensionem propter similitudinem rationis. Similitudinem dico; quia paritas non est omnimoda : nam excommunicationes in religionibus rariores erant, cùm tamen casus reservati essent satis frequentes. Oportuit itaque adhibere remedium reservationi casuum seu peccatorum, non ita pœnarum seu excommunicationum. Itaque culpas seu peccata respexit Pontifex in suo decreto, non pœnas vel censuras, Argum., l. 3, ff. de Legibus, ubi dicitur : *Jura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his quæ ut plurimùm accidunt, non ex inopinato.* Item, l. 4, eodem dicitur : *Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.* Item, l. 5 : *Nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ et frequenter et facilè, quàm quæ perrarò eveniunt.*

478. Denique certum videtur, quòd per decretum Clementinum superiores non priventur potestate ferendi censuras : potest igitur superior non obstante decreto sententiam excommunicationis statuere in certi cujusdam criminis reos, quæ cùm sit futura sententia *ab homine*, juxta doctrinam canonistarum eo ipso reservabitur auctori suo. Verùm, ut rectè advertit Suarez, erit quidem in casu censura *ab homine*, sed per sententiam generalem, quam probabilius est eò ipso reservatam non esse.

479. Ad primum oppositæ opinionis argumentum ex declaratione cardinalium respondeo, magnum inde fundamentum eidem opinioni accessurum, si declaratio sit authentica et habeat conditiones per decretum Urbani VIII, die 11 augusti, anno 1632, requisitas. Imò propter hanc declarationem amplectitur sententiam negativam Lugo, præferens alioquin affirmativam. Interim vix ullus eorum, qui sequuntur affirmativam, mentionem facit illius declarationis. Quod quidem de Suarezio non est mirandum : hic

enim tomum 4, in 3 part., D. Thomæ edidit anno 1604, nimirùm priusquàm declaratio emanâsset. De reliquis, qui editâ jam declaratione scripserunt, satis mirum est, quòd ejusdem non meminerint, ut proinde (ait Bosco) dubitari posset, an sit authentica; cur enim minùs meminissent præfati auctores declarationis hujus, quàm reliquarum. Id equidem observandum, quòd declaratio de solâ excommunicatione videatur loqui, non de censuris reliquis.

480. Ad secundum, videlicet quòd reservare censuram, sit reservare peccatum, respondeo, reservatâ censurâ reservari peccatum, sed indirectè. Jam verò Pontifex duntaxat prohibet ne superiores directè reservent peccatum supernumerarium extra capitulum; quod ostenditur : quia nemo negabit, ait Lugo, n. 17, quin, decreto Pontificis non obstante, possit capitulum generale reservare omne peccatum mortale inobedientiæ, contra præceptum obedientiæ à prælatis impositum; quâ reservatione factâ sequi possent eadem inconvenientia : quia jam prælatus posset antecedenter prohibere præcepto obedientiæ omnia peccata quæ vellet sibi reservare. Cæterùm hoc per accidens sequeretur, et quia, quæ per accidens sequuntur, rarò sequuntur, non oportuit hunc etiam indirectum modum impedire, cùm possit adhiberi remedium quando urgeret necessitas, per aliud decretum pontificium. Ita Lugo.

481. Et reverà in nostrâ religione per statuta generalia reservatur inobedientia contumax: Prohibeat ergo superior localis peccata omnia quæ (absolutè loquendo) posset ac vellet reservare, per obedientiam; erunt jam eo ipso reservata, quo subditus, trinâ monitione præmissâ, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseveraret : sic enim inobedientiam contumacem explicant statuta, num. 4 : *Dicimus inobedientiam contumacem, quando quis, trinâ monitione præmissâ, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat.* Quàm rarò autem id contingat, notum est omnibus religiosis. Idem autem est de excommunicatione, quâ rarissimè utuntur prælati; ut proinde, sicut dictum est, non videatur Pontifex ad illam attendisse in suo decreto; cùm hæc reservatio, tanquàm rarissima, non præbeat passim occasionem incommodis quibus occurrere intendit Pontifex.

482. Ad illud quod additur ex Dianâ, talem modum reservandi per excommunicationem, esse inventum et excogitatum in fraudem legis pontificiæ, respondeo 1° retorquendo argumentum in præceptum obedientiæ, de quo Lugo sup. Respondeo 2° : *Nullus videtur dolo* (seu per fraudem) *facere, qui jure suo utitur.* Regulâ 56, ff. de Reg. juris. Habet autem superior jus ferendi censuras, easque sibi reservandi : hoc verò jure excedisse per constitutionem Clementinam, hactenùs non probatur. Nec refert quòd reservatio censuræ recidat in peccatum : id enim non sufficit ad directam et propriè dictam peccati reservationem de quâ Pontifex loquitur, ut supra probatum est, et ostenditur iterùm; quia si superior afficiat subditum censurâ excommunicationis sibi reservatæ, non solum non potest subditus absolvi per confessarium inferiorem ab illo peccato ob quod est excommunicatus, sed neque ab ullo alio, per se loquendo : jam verò nemo dixerit excommunicati peccata omnia propriè reservari. Respondeo 3° si fraudem legi dicatur facere, quisquis legislatorem frustrat suo fine extrinseco, per medium lege non prohibitum, jam poterit pluries committi fraus in legem sine peccato, ut multis exemplis jejunii, obedientiæ et similibus nullo negotio demonstrari potest. Si similem fraudem velit legislator prohibitam, præcludat per decretum alterum

483. Ad tertium argumentum, ex Sanchez desumptum, respondeo verba legis, gratiâ frequentioris usûs sic expressa, ut casum similem et minùs frequentem, propriè non comprehendant, reverà restringere legem, nec ad eumdem casum extendi posse, prout sæpè probatum est. Nec refert quòd ex proœmio decreti videatur colligi, eamdem rationem esse pro inhibendâ reservatione excommunicationis, quæ pro peccati. Non refert, inquam, quia inprimis identitas vel similitudo rationis non sufficit pro identitate vel similitudine obligationis in diversis casibus, id quod rursùs exemplis variis facillimè ostendi potest. Deinde ratio reverà non est eadem vel similis pro utroque : cùm enim reservatio peccati in religionibus esset frequens, excommunicationis rarissima, hinc occasio ruinæ spiritualis subditorum ex reservati ne peccatorum potiùs quàm censurarum, practice timeri poterat.

APPENDIX.

DE APPENDICE DECRETI.

Textus. — *Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut, si hujusmodi regularium confessariis, casûs alicujus reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominùs confessarii illâ vice, pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate, absolvere.*

484. Ita statuit declaratio cardinalium, innovando constitutionem Clementis VIII, de consensu Urbani VIII, ad instantiam custodis fratrum reformatorum S. Francisci, provinciæ Romanæ, et habetur in Romano Bullario, tom. 4, inter bullas Urbanianas, post decretum de casuum reservatione. Quocirca instituitur

DUBIUM PRIMUM.—*An, per se loquendo, superior petitam licentiam pro reservatis semper validè negare possit?*

485. Quæritur an id possit superior, *per se loquendo* : quare non instituitur quæstio de solo prælato regulari, sed de omni universim superiore et reservante, depositâ tantisper constitutione Clementinâ; quæritur autem an in omni casu licentiam pro reservatis postulatam confessario inferiori validè negare possit; an verò aliquando sufficiat licentiam fuisse postulatam ut à reservato validè absolvatur subditus per inferiorem : hoc enim in multis casibus videtur necessariò affirmandum, ne aliàs pœnitentes maneant sine remedio ob malam voluntatem aut imprudentiam superioris. Primum exemplum est, si superior nec vellet ipse audire confessionem subditi, nec faculta-

tem audiendi concedere alteri. Secundum exemplum, si superior foret minùs prudens in materiâ sigilli, idque experientiâ didicisset pœnitens, qui nunc licentiam præfatam postulat, et obtinere non potest. Tertium exemplum est, si pœnitens laboret ingenti verecundiâ, quæ interdùm tantam inducit difficultatem, ut moralis impossibilitas judicetur : nec enim pœnitens cogi potest vel ad rem moraliter impossibilem, vel ad privationem sacramenti. Quartò denique idem erit, quotiescumque facultas justè petita, injustè negatur.

486. Itaque tum sufficere licentiam postulatam, etsi non obtentam, docent Henricus Gandav., quodlib. 9, quæst. 24; Richard, 4, dist. 27, art. 3, quæst. 7; Paludan., eâdem dist., quæst. 3, art. 3, casu 1; Adrianus, 4, de Confess., quæst. 5, dub. 3; Major, 4, dist. 17, q. 2; Sylvester, verbo *Confessor*, 1, q. 6; Toletus, lib. 3, cap. 13; Navarrus, cap. *Placuit*, n. 144, dist. 6, de Pœnit.; Henriquez, lib. 6, cap. 13, n. 4, quorum sententiam probabilem existimat Diana, tom. 2, tract. 4, resol. 39.

487. Dicendum tamen quòd licentia petita et injustè negata, per se loquendo, non sufficiat ad valorem sacramenti. Sententia communior, quam tenent Alensis, 4 part., quæst. 78, membro 3, art. 1; Marsil., 4, quæst. 12, art. 1; Sotus, dist. 18, quæst. 4, art. 2; Victoria, Summâ, n. 145; Medina, quæst. 40; Lugo, disp. 20, sect. 8, n. 148; Layman lib. 5, tract. 6, c. 13, n. 3; Bosco, disp. 8, sect. 5, concl. 15, n. 318; Suarez, disp. 27, sect. 4, concl. 2, n. 20, cum multis aliis, quos adducit.

488. Probatur 1° ex S. Thomâ, 4, dist. 17, quæst. 3, art. 3, q. 4, ad 5, et 6, ubi ait, in ejusmodi casibus ita se gerere debere pœnitentem, tanquàm si non haberet copiam confessarii. Item, Opusc. 19, dicit, superiorem negantem injustè hanc facultatem, et sibi et subdito damnationem acquirere; sibi, quia peccat mortaliter; subdito, quia privat illum utilissimo remedio.

Probatur 2° persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit et verissimum esse synodus Tridentina, cap. 7, sessione 17, confirmat : *Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Atqui sacerdos inferior in casu quæstionis neutram habet jurisdictionem; non ordinariam, ut per se patet, non etiam delegatam : hanc enim, nisi dante et delegante superiore, habere non potest; dedisse autem superiorem eam potestatem, quam expressè negavit, sine contradictione affirmari non potest. Nec refert quòd injustè negaverit : injustitia enim superioris non supplet defectum ac jurisdictionem subditi; aliàs concessum censebitur, quidquid in gravi materiâ justè fuerit postulatum.

489. Probatur 3° à simili : dispensatio injustè negata, non censetur concessa; quare subditus repulsam cum injuriâ passus, tenetur lege, nisi talis foret necessitas, quæ citra dispensationem sufficeret ad eximendum eum à legis obligatione; ergo etiam jurisdictio injustè negata, non censetur concessa, atque adeò inferior non potest validè et directè absolvere, nisi in articulo mortis, vel nisi pœnitens sit regularis, ob singularem dispositionem Clementis VIII, de quâ inferiùs.

490. Dices cum Henriquez, lib. 6, cap. 13, licentia sic jure petita, videtur ipso jure concessa, et defectum parochi negantis, supplet ipso jure episcopus; defectum verò inferioris prælati regularis, supplet generalis regularium, aut certè utrumque ipso jure ex præsumptâ voluntate supplet summus Pontifex.

Respondeo negando assumptum, quod gratis dicitur, nec in ullo jure fundatum est, si excipias regulares. Quòd autem de regularibus per Clementem VIII constitutum est, frustra extenditur ad reliquos subditos, prout communiter et meritò doctores tradunt, cùm in positivis, nisi ad declinandum absurdum, argumentari non liceat à paritate rationis.

DUBIUM II. — *Quandonam et qualiter peccet superior, negans subdito licentiam pro reservato?*

491. Respondeo superiorem peccare graviter, non solùm contra charitatem, verùm etiam contra justitiam, si neget auctoritatem suam in reservata, quando subditus prudenter timet grave damnum, confessioni extrinsecum, occasione negatæ auctoritatis eventurum; v. g., si prudenter timeat fractionem sigilli seu usum notitiæ confessionalis extra forum sacramentale, in ordine ad officium aliquod, acquisitum vel acquirendum, aut indignationem, odium et persecutionem superioris. Ita omnes doctores, apud Lugo, sect. 10, n. 235; Dicastillo, disp. 11, dub. 19, n. 325; Bosco, n. 334. Ratio est quia pœnitens in casu jus habet petendi alium confessarium, nec potest citra injuriam obligari ad abstinendum sacramento, vel subeundum incommoda memorata.

492. Item, per se loquendo, graviter, saltem contra charitatem delinquit prælatus, negans præfatam licentiam, si fundatè timeat damnum grave spirituale subditi, etiàm, ex merâ hujus passione vel fragilitate eventurum; v. g, si formidet defectum circa confessionis integritatem, communionem sine prævià confessione, nimiam confessionis et communionis dilationem, aut etiam multò minorem fructum, quàm si confessio apud alterum fieret. Ita rursùs communiter doctores. Ratio est quia reservatio fieri et cedere debet in bonum et ædificationem pœnitentium, non in detrimentum aut destructionem; teneturque superior, quantùm potest, cavere damnum spirituale et ruinam suorum subditorum : quantò magis in eamdem suâ imprudentiâ non inducere? Dixi, *per se loquendo*, quia per accidens potest superior suo jure uti, permisso subditi incommodo seu detrimento, ut dubio sequenti dicitur.

493. Sed dissentiunt doctores, an etiam contra justitiam delinquat prælatus negans licentiam in reservata, quando ex solâ subditi fragilitate periculum seu damnum imminet. Negat Suarez, disp. 30, sect. 4, n. 5, putans in casu superiorem solummodò peccare contra charitatem et debitum sui muneris seu fidelis dispensatoris. Verùm hæc opinio difficilis videtur Lugoni, qui num. 237, ait quòd, licèt privatus, solùm

ex charitate teneatur ad impediendum grave damnum proximi, cùm commodè potest : prælatus tamen in ordine ad subditos videatur, ex justitiâ obligari ratione officii, quod cum eo onere suscepit : nam sicut ratione officii, tenetur ex justitiâ impedire et præcavere detrimentum grave circa fortunas et bona temporalia, ita multò magis videtur ex eodem officio obligari ad impediendum grave detrimentum circa salutem et bona spiritualia subditorum. Sic medicus ex officio et justitiâ tenetur adhibere remedia opportuna, ne pereat ægrotus. Ita Lugo, quem sequuntur Arriaga, disp. 41 ; Dicastillo citatus, et plures alii.

Dubium III. — *An aliquando superior licentiam pro reservatis postulatam, licitè negare possit?*

494. Respondeo posse, inprimis si pœnitens neque ex suâ, neque ex Superioris parte habeat justam causam confitendi alteri. Communis sententia. Ratio est quia in illo supposito superior non peccat vel contra charitatem, vel contra justitiam, vel contra officium suum. Non contra charitatem ; nullum enim ex negatione licentiæ supponitur secuturum damnum sive temporale sive spirituale, quod ex charitate cavere debuisset superior. Non contra justitiam ; quia nullum jus habet subditus confitendi alteri, quando nullam causam, atque adeò nulla committitur juris alicujus violatio per negationem. Non denique contra officium suum : nam judex legitimus, qualis est in hoc casu superior, non peccat in suum officium, si per seipsum velit cognoscere et judicare causam, quando nulla suppetit ratio, quâ debeat eamdem committere alteri. Atqui, ut supponitur, nulla hìc ratio suppetit ob quam superior debeat absolutionem committere inferiori ; ergo nullatenùs committit in suum officium superior, si ipse velit audire et absolvere subditum. Alioquin reservatio penè foret inutilis : vix enim difficile aut onerosum est pœnitenti, per confessarium aut aliam personam interpositam, licentiam postulare.

495. Denique sicut proprius sacerdos non peccat, negans licentiam subdito, confitendi sacerdoti alieno, dùm nulla subest ratio vel justa causa licentiam concedendi ; ita non peccat superior, negans subdito potestatem confitendi reservatum, confessario inferiori, quando concedendi justa non subest ratio. Utuntur in casu jure suo tam sacerdos proprius, quàm superior : jam verò *nemo damnum facit, nisi qui id fecit quod facere jus non habet*, leg. 151, aliàs 193, ff. de divers. Reg. juris.

Secundò, juxta receptam communiter doctrinam, non solùm potest, verùm etiam debet negare licentiam, si ejus usus cedat in majus damnum vel ipsius pœnitentis, qui ex licentiæ facilitate fit magis proclivis ad similia peccata, à quibus aliàs abstineret ; vel communitatis, quatenùs spe ejusdem licentiæ animantur aliqui ad eadem peccata committenda, quæ alioquin non committerent ; aut demùm alicujus tertii, cujus damnum superior posset commodè impedire, si sibi pœnitens confiteretur.

496. Imò si præfata incommoda fundatè timeantur, debet licentiam negare superior, tametsi pœnitens aliquam ex suâ parte rationem habeat confitendi alteri, v. g., ruborem, verecundiam aut singularem aliquam difficultatem in confessione apud superiorem instituendâ. Rursùs doctrina communis. Debet igitur hanc difficultatem superare pœnitens, cujus particulare bonum non potest superior procurare cum gravi aliorum damno et ruinâ spirituali. Nec refert quòd subditus forsitan abusurus sit reservationis medicinâ : hoc enim jam est scandalum Pharisaicum, et ideò quidquid ex eo sequitur, soli subdito imputabitur, obligato in illis circumstantiis conscientiam suam aperire superiori, qui et illi et aliis prodesse potest. Atque adeò, si nolit huic obligationi satisfacere subditus, non poterit esse ad confessionem dispositus, nec fructum recipere ex confessione apud alterum instituendâ. Ita Bosco, n. 337. et alii.

497. Itaque opus est prudentiâ in hoc negotio, ne vel nimia severitas, vel nimia laxitas superioris, sit occasio ruinæ spiritualis subditorum. Regulariter autem loquendo, debet superior esse potiùs facilis quàm difficilis in hâc venià concedendâ : quia moraliter ac per se loquendo, minùs periculi est in ejusdem veniæ concessione quàm negatione.

Dubium IV. — *An ut possit inferior validè absolvere à reservatis, sufficiat licentia superioris præsumpta, seu ratihabitio de futuro?*

498. Respondeo cum sententiâ communi negative. Ratio est, quòd ad validè absolvendum in præsenti, requiratur jurisdictio in præsenti, quam non præstat præsumptio, vel ratihabitio de futuro : nihil enim est aliud præsumptio quàm confidentia seu existimatio de futuro superioris consensu, si peteretur : qui consensus, tanquàm conditionatus, nullo modo est præsens, nisi adimpletâ conditione. Idem est de ratihabitione, quæ pariter consensus futurus est, nullatenùs præsens.

Confirmatur. Ratihabitio seu consensus præsumptus de futuro non sufficit ad valorem dispensationis : quia non valet matrimonium initum sub hâc conditione, *si Pontifex dispenset*, quamdiù dispensatio non est concessa, tametsi contrahentes certo certiùs supponant Pontificem dispensaturum, si sciret conditionem : idque ideò, quia dispensatio, dùm contrahitur matrimonium, non est præsens, sed futura conditionatè, atque adeò pendet, pendente conditione. Ergo etiam ratihabitio seu consensus præsumptus de futuro non sufficit ad valorem absolutionis : quia non minùs ad absolutionem quàm ad dispensationem requiritur præsens consensus superioris.

499. Confirmatur iterùm : Sacramentum Pœnitentiæ, ut alibi docetur, semel invalidum, tractu temporis vel quâvis aliâ ratione validari non potest ; ergo simpliciter suspendi nequit aut dependere à conditione vel consensu de futuro. Igitur ut sit validum, necesse est adesse jurisdictionem in puncto absolutionis, nec sufficit esse dandam post judicium absolutum, vel etiam nunc, sed conditionatè, nimirùm si peteretur.

500. Dices 1° : Adest jurisdictio quando rationabiliter præsumo consensum de futuro. — Respondeo ad-

esse jurisdictionem, sed præsumptam tantùm, id est, existimationem seu confidentiam de obtinendâ jurisdictione, si peteretur : at hæc jurisdictio, quamdiù non petitur, imaginaria tantùm est, nullo modo realis. Quòd si quis prætendat quotiescumque fundatè præsumi potest consensus superioris de futuro, toties reipsà conferri jurisdictionem absolutè ; respondeo id neque juri neque rationi conforme esse. Non juri, quia nullibi in jure statuitur licentia seu jurisdictio ejusmodi generalis quâ gaudeat quisquis præsumere potest consensum conditionalem. Non etiam rationi, quia non expediret, jurisdictionem relinquere judicio vel existimationi sacerdotum, quorum plurimi, nimiùm sibi blandientes, facilè præsumerent licentiam, ubi et quando non deberent. Si autem supponamus, vel jure ipso vel decreto episcopi aut alterius superioris ordinari, ut jurisdictionem in reservatum habeat confessarius inferior, quotiescumque tales occurrent circumstantiæ, quæ solidum fundamentum præbeant, suspicandi consensum conditionalem ; si id, inquam, superiorum decreto aliquo sanciretur, admitto, suppositis iisdem circumstantiis, confessarium inferiorem à reservatis absolvere posse sine recursu ulteriori ad superiorem ; verùm valor absolutionis in casu non fundabitur in consensu præsumpto de futuro, sed in expresso de præterito, per decretum superioris.

501. Dices 2° saltem sufficere videtur ad valorem absolutionis, sperata ratihabitio superioris : nam juxta Reg. 10, de Regulis juris, in 6, *ratihabitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.* — Respondeo cum Canisio in præfatam regulam, id esse intelligendum, quando nomine ratum habentis, negotium gestum est ; alioquin, ut habet Regula 9, eodem, *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.* Jam autem minister delegatus in hoc sacramento non absolvit nomine delegantis ; ergo impertinens est ratihabitio superioris, subsequens absolutionem. Deinceps Regula juris intelligi debet de iis quæ à consensu futuro pendere possunt, cujusmodi sunt contractus, etc., non autem absolutio sacramentalis.

Dubium v. — *Quinam regularium confessarii absolvere possint à reservatis, non obtentâ superioris facultate?*

502. Hactenùs egimus de superiore seu reservante universim, et præscindendo à constitutione Clementinâ ; nunc agitur speciatim de regularium superiore et confessariis, considerato Pontificis decreto. Ac primò quidem quæritur quid intelligatur per confessarios, qui juxta decreti appendicem, superiore, *casùs alicujus reservati facultatem* denegante, *possint nihilominùs... illâ vice pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate, absolvere.*

503. Respondeo intelligi *duos, tres aut plures confessarios, pro subditorum numero majori vel minori*, in singulis domibus seu monasteriis, per superiorem deputatos juxta paragraphum 3 ejusdem decreti. Ratio est satis clara, si verba Pontificis maturè ponderentur : nam § 3, decernit Pontifex, ut *superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios, pro subditorum numero majori vel minori, iique sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse inprimis confessarius judicaverit.* Deinceps in periodo finali seu appendice dicitur : *Sanctitas sua deinceps declaravit et declarat, ut si* hujusmodi *regularium confessariis, casûs alicujus reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominùs confessarii illâ vice, pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate, absolvere.* Manifestum est quòd relativum, *hujusmodi*, respiciat confessarios, juxta paragraphum 3, in singulis domibus per superiorem deputandos, et quibus (juxta eumdem paragraphum) reservatorum absolutio committenda sit, quando casus occurrerit in quo eam debere committi, ipse inprimis confessarius judicaverit. Vide Bosco, sect. 5, concl. 15, num. 326. Quapropter confessarii pro communitate non deputati, non possunt à reservatis absolvere, si facultatem absolvendi, quantùmvis imprudenter, negaret superior, ut rectè observat Dicastillo, tr. 8, disp. 11, dub. 20, n. 339.

504. Sed dubitatur quid dicendum de illis ordinibus aut provinciis, in quibus decretum Clementinum quoad paragraphum illum tertium non est usu receptum. Observandum ex supra dictis, in nonnullis monasteriis et provinciis consuetudine receptum esse ut non deputentur duo vel tres, qui cæterorum audiant confessionem ; sed omnes confessarii approbati validè absolvant patres et fratres ab omnibus peccatis, exceptis reservatis ; pro reservatis autem duo, tres aut plures deputentur, qui sine ulteriori ad superiorem recursu habitualem ac stabilem potestatem habeant absolvendi à reservatis, quando casus occurrerit. Hinc dubitatur, an declaratio Clementis concernat omnes ejusmodi confessarios, pro peccatis non reservatis approbatos, ita ut, si quis ex illis petat licentiam absolvendi aliquem à reservatis, et superior eamdem indiscretè neget, possit nihilominùs absolvere. Affirmat Bosco, num. 327, cujus ratio est quòd omnes illi deputati sint ad absolvendum à peccatis non reservatis, et etiam à reservatis, suppositâ speciali licentiâ seu commissione superioris : nam superior habet potestatem cuilibet eorum committendi illam absolutionem in casu occurrenti. Ergo, si non committat vel neget petenti confessario, quando hic judicat committendam esse, poterit equidem illâ vice vi declarationis Clementinæ absolvere. Ita Bosco.

505. Verùm hæc doctrina videtur difficilis ; nam illi confessarii, de quibus Bosco, non videntur esse *hujusmodi*, de quibus Pontifex. Fateor quòd omnes deputati sint ad absolvendum à peccatis non reservatis, et etiam à reservatis, suppositâ speciali licentiâ seu commissione superioris ; sed non videntur deputati esse secundùm formam decreti : nam decretum loquitur de confessariis duobus, tribus aut pluribus privativè deputatis ad absolvendum à non reservatis, et insuper à reservatis, quando casus occurrerit. Si *hujusmodi* confessariis neget superior potestatem in reservata, concedit Pontifex, et meritò : nam si *hujus*

modi confessariis negetur potestas in reservata, jam pro iisdem reservatis non restabit pœnitentibus confessarius præter superiorem; atque adeò jam poterit redire incommodum cui in procemio decreti sui remedium voluit Pontifex : jam enim nonnulli *infirmiores, qui interdùm superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant*, adduci poterunt *in æternæ damnationis periculum et spiritualis remedii desperationem*. Hoc incommodum non habet locum in casu Bosconis : nam si superior confessariis deputatis ad absolvendum à non reservatis, neget potestatem in reservatum, retinebit pœnitens quoad reservata electionem trium, quatuor vel plurium confessariorum, qui in casu Bosconis supponuntur habere stabilem et habitualem licentiam in reservata respectu omnium religiosorum totius monasterii.

Dubium VI. — *An confessario deputato nunquàm possit superior negare potestatem in reservata, quin sua Sanctitas suppleat?*

506. Ratio dubitandi est quia generatim Sanctitas sua declaravit et declarat ut, si hujusmodi regularium confessariis, casûs alicujus reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominùs confessarii illâ vice, pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à superiore facultate, absolvere. Ergo quotiescumque et ob quamcumque causam superior præfatam potestatem confessariis secundùm formam decreti deputatis negaverit, videtur eamdem supplere Pontifex, indefinitè loquens.

507. Respondeo cum Bosco, sect. 4, conc. 3, n. 49, et Kerckhove, n. 97, superiorem regularem non solùm posse, sed etiam debere facultatem in reservatum negare confessario deputato, quotiescumque gravem negandi causam habet; nec tum suppleri per Pontificem, negatam potestatem. Gravis autem causa est si facilitas veniæ sit incentivum delicti, id est, si per experientiam constet superiori, inde relaxari disciplinam monasticam, aut gènerari scandalum pœnitenti vel communitati. In hoc casu superiorem non obligari ad concedendam potestatem in reservata, constat ex supra dictis, et probatur à Kerckhove, ex concil. Trident., sess. 14, cap. 7, ubi dicitur : *Sacerdotes, cùm nihil possint in reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*

508. Si autem superiores teneantur semper concedere veniam seu licentiam, quomodò inferiores pœnitentibus persuadere poterunt, ut pro beneficio absolutionis accedant superiores? Sed ad hoc responderi posset per beneficium absolutionis etiam intelligi potestatem absolvendi, pro quâ necessariò extra mortis articulum recurritur ad superiores, sive per ipsum pœnitentem, sive per confessarium aut aliam interpositam personam. Rectiùs itaque probatur responsio ex ante dictis : quia superior regularis, negans ex gravi causâ potestatem suam in reservata confessario inferiori, suo jure utitur, non peccans ullatenùs aut contra charitatem, aut contra justitiam aut contra debitum sui muneris.

509. Hinc facilè intelligitur pars altera responsionis, videlicet negatam in casu à superiore potestatem, per Pontificem non suppleri : quamvis enim verba decreti omninò generalia videantur, nullatenùs tamen credendum est Pontificem voluisse privare superiores omni potestate audiendi illas confessiones, quæ naturâ seu conditione reservationis apud eos deberent institui. Siquidem non est finis reservationis, ut præcisè subditus petat licentiam per ordinarium confessarium, quam semper teneatur superior dare, id enim esset pura quædam cæremonia et defatigatio physica confessarii ordinarii, quam parùm vel nihil curarent pœnitentes : sed finis reservationis est, ut aliquando teneatur pœnitens se sistere superiori; si autem se sistere debeat, nullus erit qui non malit se sistere in confessione, quàm extra illam, cùm ex confessione major secreti obligatio oriatur in superiore.

510. Deinceps non esse mentem Pontificis, supplere potestatem confessarii inferioris, ex quovis capite denegatam, ex ipso decreto manifestè constat : nam paragrapho 2 hæc verba leguntur : *Non liceat superioribus regularium, confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint aut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab iis petierint.* Ubi manifestè dicitur, superiorem posse audire confessionem subditorum, quando peccatum aliquod reservatum admiserint, idque etiamsi in illo supposito pœnitentes spontè ac proprio motu id ab iis non petierint : nam *ut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab iis petierint*, tum solùm exigitur, *quando peccatum aliquod reservatum* non admiserunt, ut ex terminis constat. Ergo, si peccatum reservatum pœnitentes admiserint, obligari per superiorem possunt, ad sibi confitendum, etiam alioquin inviti.

511. Idem colligitur ex decreti paragrapho 3 ubi Pontifex statuit, ut confessariis deputatis *reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam* DEBERE *committi ipse inprimis confessarius judicaverit.* Ergo confessariis deputatis non est committenda reservatorum absolutio, nisi eam *debere* committi confessarius utique prudenter et fundatè judicaverit. Prudenter autem judicare non potest confessarius, committi debere, quando justam et gravem non committendi causam superior habet, prout reverà habet, si ex commissione prævideat jacturam disciplinæ regularis aut scandalum pœnitentis vel aliorum. Itaque ut in his casibus auctoritatem suam superior negare potest, ita negantis vices sua Sanctitas non supplebit.

Dubium VII. — *Quandonam confessarius repulsam passus à superiore, possit absolvere à reservatis auctoritate pontificiâ?*

512. Respondeo : Quando immeritò et sine causâ passus est, seu quando licentiam debere committi, prudenter judicaverit. Proinde, *non obtentâ à superiore facultate*, absolvere potest à reservatis, quando fundatè timet ne superior abutatur sigillo sacramentali, occasione confessionis privet subditum officio vel be-

neficio acquisito vel acquirendo, amoveat loco, prohibeat egressum, prosequatur odio, etc. Item si pœnitens singularem verecundiam et difficultatem habeat in adeundo superiorem, quam verosimiliter non sit superaturus sine periculo sacramenti, maximè si non sit locus inconvenientiis, numero præcedenti allegatis. Item si licentiam in reservata postulatam superior deneget ex merâ quâdam animi impatientiâ, iracundiâ, passione. In his et similibus casibus, cùm desit officio suo superior, peccans vel contra charitatem vel insuper contra justitiam, auctoritatem ejus sua Sanctitas supplet, ne imprudentia et indiscretio superioris incommodet subditorum conscientiæ seu saluti, et graviora secum pericula trahat.

513. Imprudenter autem confessarius judicabit, debere committi præfatam facultatem, quando levis quædam verecundia vel timor infamiæ apud superiorem incurrendæ impellit subditum ad declinandum tribunal superioris, præsertim quando eadem verecundia verosimiliùs superanda est sine incommodo sacramenti; item quando prævidetur, eamdem verecundiam pœnitenti futuram pro freno et remedio recidivæ: item quando non obstante simili verecundiâ accessus personalis subditi ad superiorem judicatur utilior futurus ad correptionem subditi et medicinam peccati.

514. Pro fine hujus dubii observandum ex Bordono, pœnitentem per confessarium inferiorem absolvi posse à reservatis, non solùm quando auctoritatem suam immeritò et sine gravi causâ negat confessario, sed etiam, dùm pœnitenti per semetipsum postulanti; quamvis enim decretum duntaxat loquatur de *confessariis, casûs alicujus reservati facultatem petentibus*, et repulsam passis, eadem tamen est ratio de pœnitentibus, proximè et per se ipsos postulantibus: nam in horum favorem exiit declaratio, horum saluti et libertati conscientiæ consultum voluit Pontifex; atque adeò cùm auctoritas in reservata, immeritò denegata, æquè incommodet pœnitentibus, sive per se, sive per confessarium licentiam postulent, dicendum videtur, utroque casu habere locum constitutionem pontificiam.

Dubium VIII. — *Quid significetur per particulam* illâ vice, *quam in decreti appendice usurpat Pontifex?*

515. Sensus dubii est an Pontifex per illam particulam velit, ut unicâ duntaxat vice eumdem pœnitentem idem confessarius absolvere possit à reservatis, *non obtentâ à superiore facultate*; an verò ut toties possit quoties præfata facultas indiscretè negabitur. Posse unicâ duntaxat vice, docent Lezana, v. *Casus reservati regularium*, n. 7; Tamburinus, de Jure Abbat., tomo 2, disp. 13, quæsito 8, num. 7, et nonnulli alii. Rem esse incertam putat Alphonsus de Leone, tract. de Officio et Potest. confessar., tomo 2, recollect. 6, num. 178, apud Dianam, parte 3, tract. 2, resol. 126. Patet, inquit præfatus auctor, ex illâ quæstione an possit aliquis lucrari pluries idem jubilæum extraordinarium, concedi solitum cum simili clausulâ, *pro hâc vice*: si enim simile jubilæum (ut habet verior opinio) unicâ duntaxat vice ab unoquoque fidelium obtineri possit, similiter unicâ duntaxat vice obtinere poterit ab eodem confessario absolutio reservatorum, non obtentâ superioris licentiâ; nullâ enim videtur differentia esse, quod ad rem significatam attinet, inter vocalem *pro hâc vice*, et, *pro illâ vice*. Contra, si pluries jubilæum idem aliquis lucrari possit, ut existimant plurimi, erit conformiter dicendum præfatam absolutionem pluries dari posse.

516. Interim non solùm pluries, sed toties quoties occurrerit casus, dari posse absolutionem, docen Bosco, sect. 5, concl. 15, n. 327; Dicastillo, tract. 8, de Sacram. Pœnit., disp. 11, dub. 20, n. 339; Kerckhove, cap. 6, § 22, n. 96; Bordonus, resol. 39, num. 50, et tanquàm probabile Diana citatus. Ratio est, quia tantùm significat Pontifex, quòd *illâ vice*, quâ facultatem *debere committi ipse inprimis confessarius judicaverit*, possit *absolvere, etiam non obtentâ à superiore facultate*. Unde si contingat, ut confessarius prudenter judicet, debere committi aliâ quâcumque vice, poterit rursùs *illâ* eâdem *vice*, quâ id judicaverit, absolvere, *etiam non obtentâ*, etc., nullâ habitualiter remanente in eodem confessario facultate pro aliis casibus in futurum, quin necesse sit ut quâvis vice petat, ita, ut postquàm petierit, si immeritò negetur judicio confessarii, possit pro illâ vice absolvere, etc. Ita Dicastillo.

517. Aliud foret, inquit Bosco citatus, si diceret Pontifex, *pro unâ vice*, vel *pro unâ vice tantùm*, vel *pro hâc vice*, sed cùm dicat, *illâ vice*, absque aliquâ particulâ taxativâ, sine fundamento restringitur illa facultas ad unam vicem tantùm, sic intelligendo ut eumdem pœnitentem non possit, nisi unicâ vice absolvere, esto sæpiùs petat licentiam absolvendi. Quod addo, quia necesse est ut singulis vicibus seu casibus occurrentibus petat novam licentiam. Ita Bosco, ex quo simul colligitur responsio ad illud quod jubilæo semel tantùm obtinendo dictum est. Colligitur, inquam, particulam, *pro hâc vice*, magis restringere, quàm *pro illâ vice;* id quod etiam P. Alphonsus sup. citatus addit. Et quidem quòd vocula, *pro hâc vice*, restringat ad vicem unicam, patet vel ex usu vulgari loquendi: cùm enim alicui remitto injuriam mihi factam aut debitum pecuniarium *pro hâc vice*, significo me connivere de facto seu pro vice præsenti; in posterum verò seu pro aliis vicibus, quibus idem fortassè casus recurrerit, meo jure usurum.

Dubium IX. — *Qualiter se debeat gerere confessarius in postulandâ et exercendâ potestate in reservata.*

518. Respondeo: Inprimis certum est, quòd omni modo cavere debeat ne directè vel indirectè manifestet personam pro quâ petit. Quare abstinere debet verbis, gestibus, actionibus et circumstantiis omnibus (sive dùm postulat sive dùm exercet potestatem in reservata) ex quibus superior aut quivis alius devenire posset in notitiam pœnitentis; idque sive intra sive extra confessionem pœnitens rogaverit confessarium, ut pro auctoritate in reservata, superiorem accederet. Ratio est quia secùs faciens confessarius graviter peccat vel contra sigillum sacramentale, si utatur scientiâ

sacramentali, vel contra secretum naturale, si extra sacramentum rogatus fuerit à pœnitente. Quapropter imprudentissimè faciet, si confessionem in loco publico excipiens, et interim intelligens aliquod reservatum, accedat superiorem, ac demùm ad eumdem vel similem locum publicum redeat pro impertiendâ absolutione : hinc enim facilè fiet, ut superior vel alius illàc transiens suspicetur quod res est. Itaque hunc modum subministrat Dicastillo, disp. 10, dub. 7, num. 175, apud Gobat sup. n. 700.

519. Quando gravatus casu reservato, et erubescens accedere superiorem, aperit tibi ordinario confessario illum, rectè facies si excipias totam ejus confessionem, adeòque etiam alterius peccati mortalis, si fortè aliud ultra reservatum commisit. Auditâ totâ confessione dices te non habere potestatem absolvendi, sed petiturum à superiore potestatem, si convenìri possit. Permittente aut rogante pœnitente ut id facias, poteris statim injungere totam pœnitentiam, imò quandoque debebis, quando scilicet erit periculum, si tu et reus iterùm conveniatis in aliquo conclavi, ne superior te videat ac suspicetur illum esse reum. Etenim ad evitandam suspicionem poteris obtentâ facultate uti in medio ambulacro, horto, sacristiâ, dicendo duntaxat (postquàm ille priùs à te doctus dixit : *Accuso me iterùm de peccatis ante confessis*) : *Absolvo te à peccatis tuis*, etc., omissâ efformatione S. crucis. Ita Gobat.

520. Petes 1° an confessarius teneatur accedere superiorem pro licentiâ reservatorum, an verò possit pœnitentem ipsum remittere ad superiorem. — Respondeo cum Gobat, num. 701, quòd confessarius rogatus à pœnitente, ut ipse adeat superiorem, etsi in rigore non teneatur, saltem sub gravi, præstare ipsi id obsequii, non tamen debeat se difficilem ostendere, multò minùs abnuere, nisi forsitan judicet accessum personalem pœnitentis necessarium esse, vel ad hujus correctionem vel ad impediendum damnum ordinis aut alterius ruinæ.

521. Petes 2° an quando confessarius judicat, sibi *debere committi* casùs reservati absolutionem, teneatur superiori indicare causam propter quam judicat id ipsum debere fieri, an verò satis sit dicere (sine causæ expressione) quòd judicet expedire, ut sibi fiat potestas in reservatum. Respondit cardinalis Toletus (apud Crousers, fol. 645) de mente summi Pontificis, in hunc modum : Confessarius debet, si potest salvo sigillo, dicere causam, propter quam sic judicat faciendum ; quia sic inducet faciliùs superiorem ad assentiendum, vel superior, cognitâ causâ, fortè inducet confessarium ad oppositum judicandum. Quod si non potest exprimi causa sine præjudicio sigilli, standum erit conscientiæ ipsius confessarii. Hactenùs eminentissimus Toletus.

522. Petes 3° an, quando confessarius nomine pœnitentis rogat sæpè dictam facultatem, debeat exprimere speciem casûs.— Respond. affirmativè, si superior petat, et salvo sigillo exprimi possit. Ita fuisse resolutum in sui ordinis capitulo generali, anno 1613, et postea à sacrâ inquisitione confirmatum, testatur Crousers citatus.

PARS SECUNDA.

DE RESERVATIS PONTIFICIIS,

SEU DE EXCOMMUNICATIONIBUS

PONTIFICI ROMANO RESERVATIS.

Praefatio.

Coronidem tractatui tripartito imponet materia de peccatis seu excommunicationibus, Pontifici Romano reservatis. De peccatis, inquam, seu excommunicationibus : nam quamvis peccatum et censura nullam habeant identitatem, cùm distinguantur sicut culpa et pœna, habent equidem connexionem, adeò indivulsam, ut nulla culpa Pontifici reservetur, quam non sequatur reservata censura : licèt enim casus papales secundùm se et proximè Pontifici reserventur, nihilominùs secundùm communem doctorum opinionem sic pendent à reservatione censuræ, ut hâc ablatâ per absolutionem vel non contractâ per ignorantiam, illi statim reservari desinant. Suarez, 3 part., D. Thomæ, tomo 4, disp. 29, sect. 2, n. 11 ; Henriquez, l. 6, c. 14, n. 1 ; Vasquez, q. 91, a. 4, dub. 1 ; Sanchez, l. 2 Sum., c. 8, n. 5 ; Layman, l. 5 Sum., tr. 6, c. 12, n. 2 ; Castropalao, de sac. Pœn., tr. 23, puncto 15 § 2, n. 1 ; Coninck, disp. 8, de Pœn., dub. 11, n. 82 ; Herincx, parte 4, tr. 4, disp. 6, q. 1, n. 6, et omnes alii.

De censuris itaque seu potiùs excommunicationibus Pontifici Romano reservatis, hâc parte tractamus non quidem de omnibus et singulis speciatim, quæ in quibusvis conciliis, constitutionibus, bullis aut brevibus apostolicis exprimuntur (id enim et nobis difficile et lectori tædiosum foret) sed de iis maximè quæ decreto juris, decretalibus, Sexto, Clementinis et extravagantibus continentur : et in his etiam differentiam facimus, ut eas quæ regiones et mores nostros non ita concernunt, cursim et strictè attingamus, cæteris pro materiæ capacitate et exigentiâ paulò fusiùs immorantes. Cùm autem ordinata procedendi ratio

debeat à genere ad speciem fieri, hinc capite primo præmittimus tractatum satis prolixum et accuratum de excommunicationis nomine, naturâ, divisione, causis, impedimentis, denuntiatione, effectibus et absolutione.

Sunt autem in antecessum solvendæ nobis objectiones duæ, quas ab emunctæ naris quibusdam oppugnatoribus sine dubio expectamus. Prima erit ex decreto Clementis VIII, die 26 novemb., anno 1602, quo numerus casuum et censurarum papalium notabiliter diminutus dicitur, adeò ut juxta Neesen, Theol. Sacram., tr. 5, de sacram. Pœnit. q. 4, dub. 3; Boudart, in Manuali, etc., § 16, tr. de Pœnit., et in Catechismo, tomo 2, tit. de Cas. res.; Henno, tomo 8, tr. 5, disp. 8, a. 2, et Danes, Instit. parte 1, sect. 2, c. 16, q. 10, de sacram. Pœnit., post decretum Clementinum, non reserventur Pontifici (præter casus aliquos antiquiores) nisi quinque sequentes, 1° violatio immunitatis; 2° violatio clausuræ monialium; 3° provocatio et pugna in duello; 4° percussio violenta clerici; 5° Simonia realis et confidentiæ beneficialis. Ita auctores nominati colligunt ex constitutione Clementinâ. Proinde inutilis est labor et conatus noster quo explicandis casibus et censuris cæteris, sive in jure canonico sive alibi contentis occupamur.

Respondeo 1° negando consequentiam : nam consequens supponit nullius excommunicationis nisi reservatæ, notitiam confessario necessariam esse; quod perinde absurdum est ac si quis vellet, nullius peccati, nisi reservati, naturam confessario debere esse perspectam. Utrumque peccatum, commune et reservatum, utramque censuram, communem et reservatam confessarius novisse debet, ut rectè judicet : si enim per ignorantiam juris existimet censuram communem esse quæ reservatur, aut contra reservari quæ communis est, in utrolibet casu abutetur aut solvendi aut ligandi potestate. Proinde concesso tantisper argumenti antecedente, videlicet quòd præter casus superiùs enumeratos hodiedùm Pontifici non reserventur cæteri, meritò negamus consequentiam, quâ prætenditur, casibus aut censuris cæteris laborem aut studium inutiliter adhiberi.

Respondeo 2° negando antecedens : nam inprimis decretum Clementinum non respicit, nisi solam Italiam seu confessarios *per universam Italiam extra Urbem* existentes, prout in eodem expressis terminis legitur. Itaque dato quòd soli casus, decreto expressi, reserventur posthàc Pontifici, id erit quidem favorabile Italis, non item Belgis aut aliis extra Italiam commorantibus. Vide, si placeat, decretum ipsum, et Bonacinam, de Censuris in particulari, disp. 1, q. 22, puncto 3, n. 9; Bardum, disc. 6, c. 11, p. 4, § 7, n. 1. De Schildere de principiis conscientiæ, tr. 5, § 2, n. 14; Bosco, disp. 8, de Minist. sac. Pœn., sect. 5, conc. 12, n. 253; Herincx, parte 4, tr. 4, disp. 7, q. 2, n. 10, et auctorem novissimum elucidationis tripartitæ cas. reserv. in diœc. Tornac., pag. 48.

Deinde ne pro ipsâ quidem Italiâ decretum statuit, ut præter enumeratos casus nulla Pontifici excommunicatio reservata sit : id unum decernitur, ut sacerdotes seu seculares seu regulares, in Italiâ extra Urbem commorantes, qui privilegium in casus pontificios à Sede Apostolicâ impetrârunt, non possint equidem virtute similis privilegii vel indulti absolvere à casibus decreto Clementino comprehensis. Porrò hoc non est tollere reservationem aliorum casuum aut censurarum : nam cæteris etiam in Italiâ confessariis, privilegium vel indultum apostolicum non habentibus, nulla in quamvis excommunicationem, Pontifici reservatam, potestas datur. Imò in ipso de quo loquimur decreto expressè dicitur, *aliis... sacerdotibus, hujusmodi privilegia non habentibus nihil de novo concedi*, qui proinde sicuti non poterant ab ullâ Pontifici reservatâ excommunicatione absolvere ante decretum, sic nec post decretum. Vide, inquam iterùm, decretum.

Altera objectio erit ex parte materiæ, quæ sterilis ac tædiosa videbitur et extra sphæram theologiæ, tanquàm pendens è sacris canonibus, quorum professio et interpretatio pertinet ad canonistas, ut proinde theologus, huic materiæ se immiscens, videatur falcem mittere in messem alienam.

Respondeo inprimis materiam sterilem ac tædiosam à theologis meritò censeri non posse, cujus notitia omninò requiritur potestati clavium, ritè administrandæ. Hinc verò ulteriùs sequitur, materiam eamdem, quanquàm è sacris canonibus dependentem, non esse tamen extra sphæram theologiæ. Theologia et jurisprudentia in punctis variis adeò in se mutuò incurrunt, ut et jurisconsulto in theologiam et theologo in jurisprudentiam nonnihil exspatiari aliquando liceat et necesse sit, dùm tamen id non fiat temerè, præsumptione judicii, re leviter inspectâ, aut inconsultis auctoribus, qui materiam ex professo tractant. Alioquin si falcem theologi censeantur mittere in messem alienam, quotiescumque materiam aliquam, è sacris canonibus deciduam, docent aut explicant, manifestè sequitur, à theologis non sine vitio usurpari officium juristarum in diversis casibus et materiis quæ tamen omnium doctorum judicio pertinent et ad theologiam et ad munus confessariorum : nemo enim sine recursu ad jura prudenter judicat de legibus, privilegiis, dispensatione, hæresi, possessione, præscriptione, dominio, furto, homicidio, adulterio, detractione, contractibus, testamentis, judiciis, bello, duellò, horis canonicis, beneficiis ecclesiasticis, decimis, juramento, perjurio, voto, statu religioso, observatione festorum et jejuniorum, blasphemiâ, hæresi, sacrilegio, veneficio, idololatriâ, simoniâ, libertate et immunitate personarum aut rerum ecclesiasticarum; atque adeò de præceptis Decalogi et Ecclesiæ : item de sacramentorum formâ, materiâ, ministri et suscipientis conditionibus : de patrinis baptismi et confirmationis, de confessione annuâ et communione paschali, casuum reservatione, confessarii approbatione et jurisdictione, sigillo confessionis; sacrificii loco, tempore, cæremoniis, paramentis, jejunio com

munioni præmittendo, rubricis Missalis ac Breviarii; ordinandorum, ordinantium et ordinationum qualitatibus et circumstantiis; sponsalibus et matrimonio, impedimentis prohibentibus ac dirimentibus, effectu, insolubilitate, divortio; irregularitate, indulgentiis, jubilæo et sexcentis aliis particularibus. De his, inquam, et similibus prudens judicium formari nequit sine recursu aliquo ad leges aut canones; interim nemo diffiteri possit, horum omnium notitiam ad practicam theologiam pertinere atque adeò confessariis seu directoribus animarum maximè necessariam esse. Vitium autem præsumptionis aut temeritatis theologi se declinare putant, si in similibus sequantur doctrinam et judicium eorum quos notum est de iisdem materiis post impigrum et pertinax multorum annorum studium solidè et doctrinaliter scripsisse. Id ego in hoc tractatu executus sum, nihil proprio judicio statuens, sed sequens doctrinam doctorum et magistrorum meorum Suarez, Sanchez, Palao, Reginaldi, Barbosæ, Bonacinæ, Lezanæ, Zoesii, Sayri et aliorum quos magno numero referre soleo. Horum ego doctrinam, valdè diffusam et integris etiam voluminibus comprehensam, in commodum lectoris reduxi in synopsim, nihil aliud pro meo labore postulans, quàm ejusdem lectoris prudens et deliberatum judicium.

CAPUT PRIMUM.

DE EXCOMMUNICATIONIS NOMINE, NATURA, DIVISIONE, CAUSA EFFICIENTE, MATERIALI, FORMALI, FINALI, IMPEDIMENTIS, DENUNTIATIONE, EFFECTIBUS ET ABSOLUTIONE.

§ 1. *De nomine excommunicationis.*

1. Quoniam ex cognitione nominis proceditur ad notitiam rei, putamus non futurum inutile, si de nominibus diversis excommunicationis, apud sanctos tum Patres, tum canones usitatis, nonnulla breviter præmittamus. Itaque primò appellatur *censura divina*. Ita Tertullianus, Apologet., cap. 39, dicens quòd *censura divina* (id est, excommunicatio) judicetur *magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu : summumque futuri judicii præjudicium* sit, *si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, et conventûs, et omnis sancti commercii relegetur*. Sic Afro suo stylo Tertullianus.

2. Secundò, appellari solet *censura ecclesiastica*. Sic Innocentius III, cap. *Irrefragabili*, de Offic. jud. ord., et cap. *Quærenti*, de Verb. signif. Item Joannes XII, Extravag. *Sancta Romana*, de Relig. domib., et Clemens V, Clementinâ 3, de Sentent. excommun. Idcircò autem censuram vocant, quia ejusmodi pœnis et sententiis reprimitur et castigatur contumacia hominum : quod munus olim censores apud Romanos exercuerunt.

Tertiò, aliquando vocatur *districtio ecclesiastica*. Sic Alexander III, cap. *Nuntios*, de Decimis; et cap. *Adversùs*, de Immun. Eccles. Ratio, quia hominum proteriam, ne longiùs erepat, quasi vinculo aut freno quodam constrictam et ligatam tenet, ut, quod non volunt amore virtutis, debeant timore pœnarum, juxta illud Horatii :

Oderunt peccare boni, virtutis amore;
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

3. Quartò, quandoque appellatur *anathema*, cujus nominis frequens est usus in SS. litteris, Patribus, canonibus et conciliis. Observandum est autem *anathema* duobus modis scribi posse; semel, penultimâ productâ; semel, correptâ. Si scribatur penultimâ productâ, significat donarium Deo devotum, et è columnâ vel pariete templi suspensum, atque adeò à profanis usibus separatum. Ita S. Andreas episcopus Cæsareæ Cappad., in Apoc. 23, vers. 3, et S. Justinus, q. 121; Chrysostomus, homiliâ 16, in Epist. ad Romanos; S. Thomas, in cap. 1 Galat. Ita etiam frequenter sumitur in Græco S. Scripturæ textu, Judith 16, vers. 23; Lucæ 21, vers. 5; Levitici 27, vers. 28. *Anathema* verò, penultimâ correptâ sumptum (ut notat S. Hieronymus in cap. 1 ad Galat.) apud solos ferè scriptores sacros invenitur. Significat autem 1° excisionem, occisionem, separationem, seu rem occisam et separatam. Ita rursùm Chrysostomus et Thomas citati. In eumdem modum sumitur, Deut. 7, vers. 26; Zachar. 14, vers. 11; Malach. 4, vers. 6. Sic Apostolus ad Romanos 9, optabat *anathema*, id est, separatus et excisus esse à Christo. Eodem sensu usurpat eamdem vocem, 1 Corinth. 16, vers. 22, et ad Galat. 1, vers. 8.

4. Significat 2° maledictionem et execrationem, secundùm S. Augustinum, super Num., quæst. 40 et 41. Hoc sensu accipitur Marci 14, vers. 71: *Petrus cœpit anathemutizare et jurare*, id est, sibi maledicere, se execrari, si nôsset Christum; pro quo Matthæi 26, vers. 74, legitur *detestari*. Quolibet horum modorum sumatur *anathema*, convenit excommunicatis, qui inprimis sunt *anathema* (per antiphrasim) seu donarium, non quidem Deo devotum, sed Satanæ traditum : *Omnis* enim *Christianus* (ut ex S. Augustino dicitur can. *Omnis*, 11, q. 3) *qui à sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodò? Quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesiâ Christus*. Idem docet S. Anselmus in cap. 5 primæ ad Corinth., dicens, quòd tradere hominem Satanæ, sit eum ab Ecclesiâ per excommunicationem pellere. Similiter excommunicatis convenit ratio *anathematis*, utroque sensu posteriori intellecti : ob quam causam Ecclesia idem vocabulum frequentissimè usurpat, tum in sacris canonibus, cap. *Conspiratores*, cap. *Nullus*, cap. *Engeltrudam*, 3, q. 4, et alibi : tum in generalibus conciliis, cùm errorem vel errantem damnat.

5. Quintò, dicitur quandoque *anathema, Maran Atha*. Sic Apostolus 1 Corinth. 16, vers. 22, et Silverius Papa, cap. *Guilisarius*, 23, quæst. 4, ubi per hoc vocabulum Glossa post S. Hieronymum intelligit excommunicationem, usque ad adventum Domini duraturam, nisi malefactor pœniteat ac resipiscat. Interim de hoc vocabulo *Maran Atha* plura videri possunt apud S. Hieronymum in 1 Corinth. 16, et epist. 137; Navarrum, de Dat. et Prom., not. 4, n. 8; Covarruv., cap. *Alma mater*; Henriquez, l. 13, cap. 20; Felin.,

cap. *Roaulphus*, n. 33, de Rescript.; August., epist. 178.

Sextò, dicitur *mors*. Sic appellatur cap. *Absit*, 11, q. 3, cap. *Per venerabilem*; Qui filii sint legitimi; cap. *Si quis venerit*, de Majorit. et obedient.; et meritò: nam ut mortuus privatur fructibus hujus vitæ et naturali communione viventium; sic excommunicatus, fructibus spiritualibus et morali communione Christianorum. Quare S. Augustinus, q. 3, in Deuteron.: *Hoc*, inquit, *nunc agit in Ecclesiâ excommunicatio, quod agebat tunc* (in veteri Testamento) *interfectio*. Confert autem quod dicebatur Deuteron. 24: *Auferes malum de medio tui*, cum eo quod dicit Apostolus, 1 Corinth. 5: *Auferte malum ex vobis ipsis*.

6. Septimò, nuncupatur aliquoties *medicina*; can. *Multi*, 2, quæst. 1, can. *Notandum*, 24, quæst. 3, de Exceptionibus, in 6, cap. 1, de Sentent. excomm. in 6. Eodem nomine omnes antiqui scholastici post S. Augustinum appellant excommunicationem, S. Thom., S. Bonavent., Alexander Alensis, Richardus, Covarruvias, Hugolinus, etc. Ratio est quia sicuti finis medicinæ corporalis est sanitas ægrotantis, sic finis excommunicationis est correctio et salus delinquentis. Hunc finem respexit Apostolus, quando 1 ad Cor. 5, incestuosum tradidit Satanæ in interitum carnis, *ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Item 1 ad Timotheum, vers. 20, ubi Hymenæum et Alexandrum, tradidit Satanæ, *ut discant non blasphemare*.

7. Octavò, vocatur *mucro episcopi*. Sic can. *Visis*, 16, quæst. 2, cap. *Cùm non ab homine*, de Judiciis; cap. *Quoniam in plerisque*; de Offic. jud. ordin., cap. *Dilecto*, de Sentent. excommun., in 6; Glossa, can. *Corripiantur*, 24, quæst. 3, verbo *Episcopale*. Et diù ante eodem nomine excommunicationem appellavit S. Cyprianus, lib. 1, epist. 11, aliàs 62, ad Pomponium, dicens: *Spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dùm de Ecclesiâ ejiciuntur*. Nec immeritò sic nuncupata est: nam sicut in veteri lege volebat Deus, ut qui sacerdotis voci non obediret, gladio moreretur, sicut testatur Hieronymus, epist. 1, et refertur cap. *Absit*, 11, q. 3, ita in Ecclesiâ, quæ synagogæ successit, excommunicationem reliquit, ut rebelles et contumaces homines hoc spirituali gladio frangeret et coerceret. *In veteri lege* (ait S. Hieronymus citatus) *quicumque sacerdotibus non obtemperâsset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjectâ contemptum expiabat cruore; nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur*.

8. Nonò, vocatur subinde *virga ferrea*. Ita S. Hieronymus, epist. 58, dicens: *Miror S. episcopum, in cujus parochiâ esse presbyter dicitur, acquiescere furori ejus, et non virgâ Apostolicâ, virgâque ferreâ confringere vas inutile et tradere in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat*.

Decimò, appellatur *Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*. Sic Innocentius IV, cap. *Cùm inter*, de Consuetud., et Clemens V, Clement. I, de Sentent. excomm. Sicut enim membra corporis junguntur et copulantur nervis, ut sua munia ritè obeant et exequantur, ita hæc censura ecclesiastica, Christi fideles, tanquàm unius mystici corporis membra in suo officio continet. Ita Hugolinus de Censur. eccles., tab. 1, cap. 12, n. 3.

9. Undecimò, vocari solet *maxima pœnarum omnium*, quæ in Ecclesiâ dantur. Quare can. *Corripiantur*, 24, quæst. 3, dicitur: *Pœna in Ecclesiâ, nulla major est*. Eodem sensu Cœlestinus III, cap. *Cùm non ab homine*, de Judic., ait *Ecclesiam post anathema latum, non habere ultra, quod faciat*, id est, majorem pœnam non posse imponere. Idem testatur S. Augustinus, de Corrept. et Gratiâ, cap. 19, et lib. 8 contra adversar. legis et prophet., c. 17. Item, tract. 27 in Joannem, et refertur can. *Nihil*, 11, q. 3, ubi dicitur: *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi; si enim separetur à corpore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus*. Hactenùs de excommunicationis nomine, nunc de re.

§ 2. *De naturâ excommunicationis*.

10. Omissis aliorum variis descriptionibus, rectè et breviter definitur: *Censura privans hominem communione fidelium*. Dicitur 1° *censura*, id est, pœna medicinalis ecclesiastica, privans immediatè usu aliquorum bonorum spiritualium. Proinde *censura* in hâc descriptione habet locum generis, cujus tres sunt propriè dictæ species, excommunicatio, suspensio, interdictum, prout colligitur ex cap. *Cùm medicinalis*, cap. *Statutum*, de Sentent. excommun. in 6, et cap. *Quærenti*, de verborum Significat. Per hanc particulam a definitione excommunicationis excluditur *irregularitas*, inprimis proveniens sine delicto, v. g., in judicibus, defectu lenitatis; in bigamis, defectu significationis, etc. Ratio plana est, quia non est pœna, atque adeò nec censura. Idem est de irregularitate, quæ ex delicto provenit, v. g., homicidii, hæresis, etc., quamvis enim hæc sit pœna ecclesiastica, tamen non tam est medicinalis, quàm vindicativa. Quare non tollitur resipiscente vel emendato reo, prout censura; sed est durabilis ac perpetua, per se loquendo. Neque tam privat usu bonorum spiritualium, quemadmodùm censura, quàm ipsâ quodammodò potestate. Denique censura, tanquàm secundùm se temporanea, tollitur per absolutionem; irregularitas tanquàm per se perpetua, per dispensationem seu relaxationem legis, quæ naturâ suâ stabilem durationem exigit. Per eamdem particulam, ob eamdem causam excluduntur *depositio* ac *degradatio*, tam realis quàm verbalis: sunt enim de se perpetuæ, et ordinantur potiùs in vindictam delicti et terrorem aliorum, quàm medicinam delinquentis. Demùm excluditur *cessatio à divinis*, quæ non imponitur per modum pœnæ, sed per modum luctûs, ob injuriam Deo vel Ecclesiæ irrogatam.

11-12. Dicitur 2° *privans hominem*, videlicet directè et immediatè. Huic particulæ nonnulli addendum volunt, *christianum*, aut *baptizatum*: sed non est necesse, istam restrictionem addere; tum quia baptismus ex parte subjecti requiritur ad censuram in genere,

atque adeò subintelligitur ad quamlibet illius speciem. Tum quia nemo exprimendam putat particulam *subditum*, quamvis excommunicatio sicuti in solum baptizatum, sic in solum subditum ferri possit : imò ideò in solum baptizatum, quia ille solus est Ecclesiæ subditus per baptismum. Tum denique quia baptismus ex parte subjecti manifestè supponitur, eo ipso, quo dicitur, per excommunicationem privari aliquem communione fidelium : cùm enim nemo privari possit re quam non possidet, evidens est excommunicari neminem posse, nisi communicationem cum fidelibus habeat : hæc autem per solum baptismum inchoatur.

13. Dicitur 3°, *communione fidelium;* id quod vel ipsa nominis etymologia significat : excommunicatio enim est quasi extra communionem positio. Quocirca notandum ex S. Bonaventurâ, 4, dist. 18, q. 5; Covarruviâ, cap. *Alma*, n. 3; Suarez, dist. 8, sect. 1, n. 6, triplicem esse fidelium communicationem, purè internam, purè externam et mediam. Communicatio *purè interna* consistit in fide et charitate, per quam fideles inter se et cum Christo mysticè copulantur, sicut docet Apostolus ad Rom. 12, 1; ad Cor. 12, ad Ephes. 4. Ratione hujus unionis, sibi invicem aliquo modo communicant merita, non quoad præmium essentiale, et de condigno, sed in ordine ad impetrandum à Deo specialia beneficia, et peculiarem protectionem ac providentiam. *Purè externa* consistit in fidelium convictu, colloquio, commerciis. *Media* sive partim interna et partim externa consistit in orationibus, sacrificiis et sacramentis : res enim ipsæ externæ sunt, sed fructus earum est internus.

14. His notatis, certum inprimis est quòd Ecclesia nec velit nec possit privare aliquem communicatione bonorum merè internâ, quæ sita est in vinculo fidei et charitatis : nemo enim his virtutibus invitus privari potest, ut notat S. Thomas, in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5, q. 2, ad 1. Adde nihil obstare, quominùs vera fides et spes in excommunicato aliâve censurâ irretito permaneat. Neque ipsam charitatem homini excommunicatio tollit; sed potiùs supponit ablatam per mortalem contumaciæ culpam : postea verò fieri potest ut homo, priusquàm absolvatur ab excommunicatione, in gratiam et amicitiam Dei redeat per contritionem charitate formatam. Itaque Ecclesia per hanc censuram privat fidelem utràque alterâ communicatione, videlicet et *mixtâ* et *merè externâ*. Ne tamen id ita intelligas, quasi omnis excommunicatio privare debeat omni ejusmodi communione, sed vel omni vel saltem aliquâ. Aliàs dicendum foret, aut quòd excommunicatio *minor* non sit vera excommunicatio, aut quòd excommunicationis generatim sumptæ definitio non convertatur cum definito. Vide Suarez, disp. 8, sect. 1, n. 4, et Sotum, dist. 22, q. 1, art. 1.

15. Cæterùm hinc facilè colligitur, quo pacto excommunicatio distinguatur à *suspensione* et *interdicto* : nam suspensio duntaxat excludit ab usu ordinis, officii vel beneficii et solam respicit personam ecclesiasticam; à perceptione autem sacramentorum et convictu fidelium non excludit. *Interdictum* pariter non separat à convictu fidelium, sed solùm à divinis officiis, sacramentis et ecclesiasticâ sepulturâ, prohibens directè ipsas officii ecclesiastici, sacramentorum et sepulturæ actiones.

§ 3. *De divisione excommunicationis*

16. Excommunicatio multis modis dividitur, primò ex parte effectûs, in *majorem* et *minorem*. Constat ex cap. *Si concubinæ;* cap. *Si quem*, de Sententiâ Excommun., cap. *A nobis*, de Except. *Major* privat simpliciter communione fidelium; *minor*, secundùm quid, videlicet secundùm solum usum passivum seu perceptionem sacramentorum. Colligitur ex cap. *Si quem*, cit., ubi dicitur excommunicationem minorem esse, *quæ à perceptione sacramentorum*, majorem, *quæ à communione fidelium separat*. *Major* dicitur comparatione *minoris*, quia privat communione plurium bonorum spiritualium, et majus delictum exigit. *Minor* vocatur comparatione *majoris*, quia contenta est minori pœnâ et delicto, ut rectè Sotus et cæteri. Aliam insuper differentiam ex Sylvestro, Navarro, Avilâ et aliis, adducit Bonacina, de Censuris, disp. 2, quæst. 1, puncto 2, n. 2; nimirùm quòd *minor* ferri non soleat ab homine, sed à jure; *major*, ab utroque.

17. Porrò plures doctores censent prædictam divisionem esse analogi in suâ analogatâ, volentes nomen excommunicationis esse analogum attributionis, eò quòd excommunicatio minor imperfectè privet fidelium communione. Henriquez, lib. 13, de Excommun., cap. 2, n. 2; Sayrus, lib. 1, c. 5, n. 18; Layman, lib. 1, tract. 5, part. 2, cap. 1; Filliucius, tract. 12, c. 1, n. 4. Cæteri rectiùs censent esse divisionem generis in species, eò quòd excommunicatio *minor* separet ab usu sacramentorum (quæ sunt præcipua Ecclesiæ bona) quatenùs fidelibus communi.

Nihilominùs nomen excommunicationis simpliciter positum intelligitur de majori, ut Gregorius IX, cap. *Si quem*, cit., expressè statuit. Quare licèt aliquando excommunicatio simpliciter posita, fuerit de minori intellecta, ut constat ex variis textibus juris canonici apud Suarez citatum sect. 3, attamen post tempora Gregorii nunquàm nisi pro majori sumitur. Covarruvias, c. *Alma*, 1 p., § 8, n. 5; Henriquez, lib. 13, c. 2, n. 2; Sayrus, lib. 1, cap. 4, n. 19, Coninck, disp. 14, dub. 1; Layman, lib. 1, tract. 5, p. 2, c. 1, n. 1, et alii communiter.

18. Dividitur secundò, ex parte efficientis, in *hominis*, et *canonis*, seu in illam, quæ fertur *ab homine*, et quæ *à jure;* quamvis enim omnis censura possit dici ab homine, quatenùs fundatur proximè in alicujus hominis voluntate ac potestate, nihilominùs prædicta divisio est communis theologorum omnium et canonistarum. Itaque duobus modis potest homo censuram ferre, videlicet primò, per legem, statutum, canonem. Secundò, per præ-

ceptum vel sententiam. Quæ modo priori fertur, est *juris*, quæ altero, *homnis*. Differentia inter utramque varia. Primò; quæ est *à jure*, instar juris aut legis, est durabilis et perpetua, donec revocetur; quæ *ab homine*, ut in mandatis seu præceptis, moritur, moriente homine. Id tamen intellige quoad eos solùm, qui censuram hactenùs non incurrerunt.

19. Alioquin qui per sententiam sunt excommunicati, secundùm communem doctorum opinionem non absolvuntur per solam prælati vel superioris mortem, civilem aut naturalem. Secundò, excommunicatio à jure ferri solummodò potest in delictum futurum, non in præteritum; altera in utrumque. Tertiò, quæ per canonem aut legem fertur, afficit delinquentes intra territorium legislatoris, tametsi tempore latæ legis vel delicti, non essent ejusdem subditi quoad originem vel domicilium. Quæ verò per sententiam seu hominem fertur, eos solummodò comprehendit, qui erant sub judicis pronuntiantis jurisdictione. Vide Toletum, lib. 1, c. 5, n. 9, et Bassæum, verb. *Excommunicatio*, 1, n. 5. Quartò, excommunicatio, quæ fertur per statutum archiepiscopi, non solùm afficit subditos diœcesis propriæ, verùm etiam suffraganeorum et totius provinciæ : lata verò per solam sententiam, non respicit nisi solos metropolitani diœcesanos. Restringitur à nonnullis prima pars hujus resolutionis ad statutum, quod conditum fuerit in concilio provinciali.

20. Dividitur tertiò, ex parte formæ in *latæ* et *ferendæ sententiæ*. Excommunicatio *latæ sententiæ* est, quæ sive à jure sive ab homine pro culpis futuris fertur, statim atque aliquis deliquerit, contrahenda. Quandoque sic fertur, ut *ipso jure* vel *ipso facto* dicatur incurrenda. *Ipso jure*, quia nullâ judicis actione mediâ, proximè ab ipso jure obligatur delinquens, *Ipso facto*, quia contrahitur statim ac delictum *factum* seu commissum est. Excommunicatio *ferendæ sententiæ* est, quæ non incurritur proximè à commisso flagitio, sed eget sententiâ seu declaratione judicis. Vocatur quandoque *comminatoria*, quòd non tam ferat censuram, quàm minetur, mediante judice, inferendam.

21. Ad dignoscendum autem, cujusmodi sit censura, octo regulæ allegari possunt; quatuor significant *latam*, quatuor *ferendam*. Itaque est excommunicatio *latæ sententiæ*, primò, si verba, quibus exprimitur, sint modi indicativi, et præsentis temporis, v. g., *excommunicamus, promulgamus sententiam excommunicationis, innodamus*, etc. Colligitur ex c. *Excommunicamus*, 1 et 2, de Hæreticis, et aliis canonibus. Secundò, si verba indicativi modi sint præteriti temporis, ut, *excommunicavimus, excommunicatus est* vel *fuit*. Tertiò, si ad præteritum perfectum modi infinitivi addatur verbum aliquod antecedens præsentis vel præteriti temporis, ut, *decernimus*, vel *noveris te excommunicatum, scias te anathemate percussum*. Quartò, si feratur per verba modi imperativi, inferentia censuram ipsam, v. g., *Qui hoc aut illud fecerit, sit excommunicatus*, aut *incidat in excommunicationem*. Clement. 1, *de Decimis*, et alibi. Maximè verò, si adjungatur vocula *ipso facto, ipso jure, sine aliâ sententiâ*, vel *declaratione*, etc.

22. Contra erit excommunicatio tantùm *ferendæ sententiæ*, primò, si verba, quibus exprimitur, sint modi indicativi et futuri temporis, v. g., *excommunicabitur*. Secundò, si verba sint modi imperativi, imperantia non ipsam præcisè censuram, sed ejus impositionem, ut, *excommunicetur, anathemate feriatur*, etc. Tertiò, si verba sint solummodò comminatoria, ut, *sub pœnâ excommunicationis, sub interminatione anathematis*. Quartò, si omnibus consideratis, sit dubium, *lata* an *ferenda* censura sit, benignior interpretatio facienda est, secundùm *regulam* 49, de Reg. juris, in 6. Porrò hæc omnia debent intelligi, per se loquendo; quia non est dubium, quin regulæ allegatæ fallant, si aliud manifestus contextus indicet.

23. Dividitur excommunicatio quartò, ex parte modi, in *justam et injustam*. *Justa* est, quæ requisitas conditiones habet. Prima est, ut feratur à superiore potestatem habente, et ex justâ causâ. Secunda, ut amore justitiæ seu boni communis, et in emendationem peccatoris, non ex affectu privato odii vel invidiæ. Tertia, ut feratur secundùm ordinem juris. *Injusta* est, cui aliquid eorum deest, et hæc rursùs dividitur in *validam* et *nullam*. *Valida* est, cui nihil deest essentiale, peccans in accidentalibus, ut in animo vel intentione judicis, aut aliâ non necessariâ juris circumstantiâ. *Nulla* seu invalida est, cui deest aliquid eorum quæ ex dispositione juris requiruntur ad judicii essentiam vel naturam. Vide cap. *Sacro*, de Sentent. Excommun.

24. Dividitur quintò, ex parte subjecti, in *generalem* et *specialem*. Colligitur divisio ex c. *A nobis*, 1, de Sentent. Excommun., et alibi. *Generalis* est, quæ vel à jure vel ab homine fertur pro peccato futuro contra quoslibet, in certâ materiâ delinquentes. *Specialis* est, quæ personas determinatas et nominatim expressas respicit.

Dividitur sextò, ex parte absolventis, in *communem*, quæ per quemlibet confessarium tollitur, et *reservatam*, quæ per solum auctorem suum vel ejus commissarium auferri potest.

§ 4. *De causâ efficiente excommunicationis.*

25. Initium ducimus ab efficiente; hæc enim præcipua est, præsertim in rebus moralibus, quæ potissimùm pendent ab institutione. Causa verò efficiens est auctor excommunicationis sive per canonem, sive per sententiam. Quocirca proponimus quatuor quæstiones. breviter expediendas. Prima est, an in Ecclesiâ sit potestas ferendi censuras? Secunda, quæ requirantur conditiones in auctore censuræ? Tertia, quibus competat potestas ordinaria ferendi censuras? Quarta, quibus delegata?

26. Ad primam quæstionem respondeo affirmativè. Ita omnes catholici, et definitum est in concilio Constantiensi, sess. 8 et 15, ubi doctrina opposita in Joanne Wiclef condemnata est. Probatur 1° ex Mat-

thæi 16 et 18, ubi Petro et Apostolis, eorumque adeò successoribus promittitur, ligata et soluta fore in cœlis *quæcumque* solverint vel ligaverint super terram. Quocirca ponderandum est signum universale *quæcumque*, ut, cap. 18, vers. 18, legitur, et, *quodcumque*, prout legitur cap. 16, vers. 19. Signi hujus extensio seu latitudo importat, conferendam Petro et successoribus potestatem non solùm in culpam, verùm etiam in pœnam, neque tantùm pro foro interno et sacramentali, sed etiam pro externo et contentioso. Ponderanda sunt pariter, quæ præcedunt : præmiserat enim Christus apud Matthæum, c. 18, vers. 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ;* quasi diceret : Quemadmodùm ethnicus et publicanus omnibus Ecclesiæ suffragiis et bonis spiritualibus excluduntur, ita pariter facite de fidelibus contumacibus, qui Ecclesiam non audierint : certi autem estote hanc vestram sententiam, in cœlis ratihabendam esse ; quia *quæcumque alligaveritis*, etc.

27. Probatur 2° ex 1 ad Corinth. 5, ubi Apostolus incestuosum tradidit Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret; quo loco fieri mentionem excommunicationis, docent Patres communiter, Chrysostomus, Theophylactus, Theodor. et alii. Item 1 ad Timotheum, 1, Hymenæum et Alexandrum Satanæ tradidit, *ut discant non blasphemare.* Item (prout testatur canon 28 Apostolorum) Actorum 8, S. Petrus Simonem magnum excommunicavit. Probatur 3° ex traditione perpetuâ, à tempore Apostolorum ductâ : nam Ecclesia hanc potestatem semper in se agnovit et exercuit in hæreticos et criminosos, prout legi potest in sacris canonibus, et decretis conciliorum generalium.

28. Ad secundam quæstionem respondeo, in auctore censuræ desiderari inprimis sexum virilem : femina enim censuram ferre non potest, nam de jure ordinario est incapax jurisdictionis, ad claves pertinentis, tam quoad forum externum, quàm internum. Colligitur ex cap. *Nova*, de Pœnit. et Remis., ubi dicitur, quòd, *licèt beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum* commiserit. Idem colligitur ex cap. de Monialibus, de Sentent. excommun. Quare sic docent S. Thomas, dist. 25, quæst. 2, art. 1 ; Navarrus, cap. 27, n. 6 ; Covarruv., cap. *Alma*, p. 1, § 11, n. 2, et alii. Secundò, in auctore censuræ desideratur baptismus : nam infidelis non est capax jurisdictionis ecclesiasticæ, eò quòd baptismus, sicuti est janua Ecclesiæ, sic sit initium ecclesiasticæ potestatis. Qui extra Ecclesiam est, non potest in Ecclesiam habere jurisdictionem. Tertiò, requiritur clericatus, saltem per primam tonsuram. Quare laicus iterùm non est capax præsentis potestatis.

29. Probatur ex can. *In nova*, 16, quæst. 7, ubi dicitur indecorum esse, quòd vicarius episcopi laicus sit, etc., vocaturque contemptor canonum episcopus, qui ecclesiasticam administrationem laico crediderit. Item ex c. *Ecclesia S. Mariæ*, de Constitution., ubi dicitur quod *laicis (etiam religiosis) super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas.* Item c. *Decernimus*, de Judiciis, et cap. *Indicatum*, dist. 89. Quartò, requiritur ut non sit conjugatus : hic enim tametsi ordines minores habeat, et ea faciat ob quæ privilegio canonis et fori gaudeat, nihilominùs est incapax beneficiorum, jurisdictionis et administrationis ecclesiasticæ, *nisi fortè castitatem voveret perpetuam, et unicam et virginem habuisset uxorem ;* cap. 2, de Clericis conjugatis.

30. Ad tertiam respondeo potestatem ordinariam ferendi censuras habet, primò, summus Pontifex respectu omnium fidelium. Secundò, episcopus et archiepiscopus respectu diœcesis suæ ; cap. 1, de Offic. judic. ordin. et alibi. Archiepiscopus tamen non potest solvere vel ligare subditos suffraganeorum suorum, nisi dùm actu visitat, vel causa ad ipsum devoluta est per viam appellationis ; cap. *Venerabilibus*, de Sentent. excommun., in 6. Tertiò, cardinales in ecclesiis sui tituli ; cap. *His quæ*, de Major. et Obed. Quartò, vicarii episcoporum ; quia constituunt unum cum episcopis tribunal, cap. 2, de Consuetudine, in 6, et cap. *Romana*, de Appellationibus, in 6. Quintò, vicarius capituli, sede vacante, ex Tridentino, sess. 24, de Reform., cap. 16, et à fortiori ipsum capitulum, cap. *Unico*, de Majorit. et obedient., in 6. Sextò, legati à latere in totâ provinciâ ad quam sunt legati ; quia in totâ legationis suæ provinciâ habent jurisdictionem ordinariam, cap. 2, de Officio legati. Septimò, concilia generalia pro totâ Ecclesiâ ; provincialia pro provinciâ. Octavò, abbates, priores et præpositi ecclesiarum collegiatarum, habentes jurisdictionem in foro externo. Vide Sanchez de Matrimonio, disp. 28, lib. 3. Nonò, nonnulli archidiaconi et archipresbyteri, sed tantùm ex consuetudine, cap. *Veniens*, de eo qui furtivè ordines suscepit, et cap. *Dudùm*, de Elect. Decimò, prælati regularium, generales, provinciales, locales, quocumque nomine nuncupati respectu suorum.

31. Ad quartam quæstionem respondeo potestatem delegatam ferendi censuras esse penès omnes illos quibus eamdem commiserint ordinarii prænominati. Constat ex proprietate ordinariæ potestatis, quæ eo ipso quo ordinaria est, delegari potest.

§ 5. *De causâ materiali excommunicationis.*

32. Excommunicationis causa materialis *ex quâ*, est subjectum quod afficit vel in quod cadit censura, per analogiam corporis naturalis, cujus causa materialis *ex quâ*, est subjectum comparatum ad formam à se dependentem. Dividitur autem in proximam et remotam. Causa materialis remota, est homo viator, baptizatus, rationis ac doli capax, determinatus et subditus. Causa proxima est peccatum externum, in suâ specie consummatum, conjunctum contumaciæ. Breviter de singulis particulis. Itaque

33. Dicitur 1° quòd causa materialis et remota censuræ sit *homo viator.* Debet inprimis *homo esse :* nam censura non potest ferri sive in angelum, sive in dæmonem, sive in creaturam irrationalem. Debet deinde *viator* esse : *quòd* enim *post mortem*, inquit

Gratianus, 24, q. 2, *nullus excommunicari valeat vel absolvi, ex verbis Evangelii monstratur, quibus dicitur :* QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, etc. *Super terram, inquit, non sub terrâ ; ostendens quòd viventes pro varietate suorum meritorum solvere possumus vel ligare; de mortuis autem sententiam ferre non possumus.* Itaque *horum causa, Dei judicio reservanda est*, inquit Leo I, ad Rustic. episc. Narbon., epist. 90, et Gelasius Papa in Epist. ad episcopos Dardaniæ : *De eo qui in divino judicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id in quo eum dies supremus invenit.* Qualiter verò intelligi debeat anathema aliquando mortuis inflictum apud Gratianum in cap. ult. 24, q. 2, videri potest Layman, Bonacinam et Castropalaum, de Censuris.

34. Dicitur 2° *baptizatus*, seu fidem in Ecclesiâ professus ; non paganus, Judæus aut catechumenus. Probatur ex Apostolo, 1, ad Corinth. 5 : *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare ?* Idem constat ex capite *Gaudemus*, de Divortiis, cap. de Judæis, dist. 45 et communi theologorum judicio apud Navarrum, c. 27, num. 13 ; Suarez, disp. 5, sect. 1 ; Coninck, disp.13, dub. 6. Hæretici tamen, apostatæ et schismatici, qui, fide Christi in baptismo susceptâ, Ecclesiæ januam sunt ingressi, ab eâdem pœnis et censuris ad fidem vel obedientiam compelli possunt, prout demonstrat praxis Ecclesiæ, et cap. de Judæis, citato, manifestè dicitur.

35. Dicitur 3° *rationis ac doli capax*. Quare pueri ante usum rationis ac perpetuò amentes nullis possunt censuris ligari, quia non sunt capaces præcepti præsertim graviter obligantis defectu libertatis, atque adeò nequeunt Ecclesiæ rebelles aut contumaces esse. Imò non solùm usum rationis, verùm etiam pubertatem requiri, saltem ad sententiam *hominis*, sustinent plurimi ex cap. 1, de Delictis puerorum. Rationem addunt, quòd impubes nec præceptum judicis, nec ordinem judiciarium intelligere censeatur, ideòque ad agendum vel se defendendum, de jure citari nequeat. Vide Sayrum, lib. 1, c. 8, num. 4. Sed quidquid sit de istâ sententiâ et ejus fundamento, certum est, impuberem rationis compotem censurâ *juris* ligari posse ex cap. 1, et ult., de Sentent. excommunic. Vide Suarez, disp. 5, sect. 2, num. 17 ; Coninck, disp. 13, dub. 6, num. 45 ; Castropalao, de Censuris, disp. 1, puncto 6, num. 2 ; Bonacinam, disp. 1, quæst. 1, puncto 4, n. 9.

36. Dicitur 4° *determinatus :* non enim tota aliqua universitas vel collegium potest excommunicari, ut statuitur c. *Romana*, de Sentent excommunic., in 6, idque idcò jure statutum, ne ejusmodi sententiâ irretiantur etiam innocentes, quales in integris communitatibus facilè inveniuntur. Secùs est de censurâ suspensionis et interdicti ; c. *Si sententia*, de Sentent. excommun. Ratio est, quòd suspensio et interdictum non sint pœnæ adeò graves atque excommunicatio : nec enim privant hominem bonis spiritualibus ita necessariis animæ, ut sunt suffragia et auxilia Ecclesiæ; unde non est absurdum innocentes aliquando ligari suspensione vel interdicto. Suarez, disp. 28, sect. 3, num. 1 ; Rodriguez, 1 p., cap. 78, num. 2 ; Sayrus cit., num. 2 et 20 ; Filliucius, Coninck, Bonacina, Herincx et alii.

37. Dicitur 5° *subditus* ferentis censuram : nam par in parem aut superiorem non habet imperium, nec potestatem cogendi aut puniendi. Deinde sicuti in ferente censuras requiritur dominium jurisdictionis in foro externo ; sic in eo quem respicit, necessaria est subjectio in eodem foro : hæc enim correlativa sunt, ut notat Suarez, disp. 5, sect. 1, num. 26. Hinc sequitur primò quòd nemo possit seipsum censurâ involvere. Secundò, quòd summus Pontifex censurâ ligari non possit ; est enim superior omnibus ; cap. *Cuncta per mundum*, 9, q. 3. Tertiò sequitur superiorem regularem tam per statutum quàm per præceptum posse censurâ ligare suum subditum, ubivis delinquentem. Ita Præpositus, 3 p., D. Thomæ, de Censuris, q. 1, dub. 5, n. 27; Herincx, disp. 6, q. 1, § 3, n. 9 ; Neesen, de Censuris Ecclesiæ, tract. 5, q. 1, dub. 3. Ratio est quia religiosus, ubicumque degat vel delinquat, manet subditus superioris sui, cujus potestas territorio non circumscribitur.

38. Quartò sequitur quòd episcopus vel alius prælatus Pontifice inferior non possit subditum suum extra territorium delinquentem afficere censurâ per legem vel statutum. Præpositus, Herincx, Neesen citati. Layman, lib. 1, tract. 5, parte 1, cap. 4, n. 6, Coninck, disp. 13, dub. 7, n. 61 ; Filliucius, tract. 11, cap. 5, n. 148; Covarruvias, cap. *Alma*, p. 1, § 10, num. 13 ; Zoesius, lib. 5 Decret., tit. 39, num. 34. Habetur expressè cap. *Ut animarum*, de Constit., in 6, ubi Bonifacius VIII in hunc modum loquitur : *Statuto episcopi quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur.* Ratio autem redditur : *Cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.*

39. Sed difficultas est an idem dicendum sit de censurâ per sententiam vel præceptum latâ, eam videlicet invalidam esse, si respiciat subditum extra territorium delinquentem. Negant Suarez, disp. 5, sect. 5, Layman, sup., n. 7 ; Neesen sup. et plures alii, volentes, id esse discriminis inter statutum et sententiam, maximè particularem, quòd statutum proximè afficiat territorium, et eo mediante personas, quæ proinde si extra territorium peccent, nequeunt ligari censurâ territoriali seu per statutum latâ; sententia verò seu præceptum afficiat proximè personas, easque sequatur quòcumque ierint. Oppositum docent Coninck, dub. 7, n. 61 ; Avila, p. 2, c. 3, disp. 2, dub. 2, concl. 1 ; Henriquez, lib. 13, cap. 26, n. 1 ; Sayrus, lib. 1 Thesauri, c. 6, n. 40; Præpositus sup., n. 31, et alii, dicentes, sententiæ et statuti eamdem rationem esse, argum. cap. *Ut animarum*, cit., ubi, cùm Pontifex dixisset, statuto episcopi minimè ligari delinquentes extra ipsius diœcesim, rationem non reddit quòd statutum afficiat proximè territorium, sed quòd *extra territorium jus dicenti non pareatur impunè :* quæ ratio et sententiæ et statuto videtur

communis. Quidquid sit de utrâvis opinione, id certum videtur subditum alibi existentem posse ligari censurâ etiam per statutum, si intrà territorium peccet. Quare potest episcopus suspensione aut aliâ censurâ ligare canonicum diœcesis suæ, culpabiliter non residentem, quamvis extra diœcesim degat: peccatum enim non residentiæ committitur moraliter in diœcesi. Coninck, n. 62; Præpositus, n. 26; Neesen cit. Hactenùs de excommunicationis causâ materiali remotâ.

40. Causa verò materialis proxima, ut supra diximus, est peccatum externum, in suâ specie consummatum, conjunctum contumaciæ. Dicitur 1° *peccatum*. Ratio est quia excommunicatio est pœnalis; pœna verò supponit culpam. Secùs est de irregularitate, quæ defectu natalium, lenitatis, significationis, citra subjecti culpam vel delictum incurri potest. Requiritur autem peccatum proprium, non sufficit alienum, secundùm doctores communiter ex cap. *Si habes*, 24, q. 3. Quapropter in universitatem seu collegium integrum non potest ferri, cap. *Romana*, de Sentent. excommun. Secùs est de suspensione et interdicto, cap. *Si sententia*, eodem. Vide Bonacinam, puncto 3, n. 2. Sufficit peccatum veniale pro excommunicatione minori, requiritur grave pro majori. Communis et certa doctrina ex cap. *Nemo episcoporum*, et cap. *Nullus sacerdotum*, 11, q. 3, et Concil. Trident., sess. 25, cap. 3, de Reform. Ratio est quia pœna debet delicto commensurari; cap. *Felicis*, de Pœnis in 6: *Judex pœnam metiatur ex culpâ*. Quare contra justitiam peccabit judex, si pro levi delicto majorem excommunicationem ferat.

41. Dicitur 2° *externum*. Quare ob peccatum merè internum, quod videlicet per nullum sensum corporeum cognosci potest, ferri censura nequit. Imò ne quidem propter actum externum, secundùm se et omnes externas circumstantias licitum, tametsi procedat ex intentione mortaliter peccaminosâ. Unde non potest excommunicari, qui sacrum reverenter audit quoad actum externum, etsi animo interiori sacrificium irridendi. Suarez, disp. 4, sect. 2, n. 20; Coninck dub. 8, n. 71, et alii. Constat ex cap. fin. de Simoniâ ubi dicitur donationem ex animo simoniaco merè interiori procedentem, ab Ecclesiâ non puniri. Vide quæ diximus tractatu præcedenti.

42. Dicitur 3° in suâ specie consummatum, nisi in canone vel sententiâ aliud exprimatur. Communis sententia. Colligitur apertè ex cap. *Perpetuo*, de Elect., in 6, ubi dicitur scienter eligentes indignum, non incurrere pœnas juris, *nisi adeò in eo perstiterint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur*. Hinc sequitur primò quòd non incurrat excommunicationem, qui clericum percutere voluit conatu irrito, eò quòd aberraverit vel impeditus fuerit. Sequitur secundò quòd vulnerans aliquem, quantùmvis graviter, non incurrat censuram in homicidas latam, quamdiù ille vivit, quocumque vivat medio, naturali, divino vel superstitioso. Sequitur tertiò quòd religiosus mittens litteras ad religiosam sui ordinis, contra præceptum Gregorii XIII non incurrat censuram Gregorianam, si ad eam litteræ non perveniant. Diximus: *Nisi in canone vel sententiâ aliud exprimatur;* quia mandans aliquem occidi per assassinos, est excommunicatus, etsi effectus mortis non subsequatur, c. 1, de Homicidio, in 6. Item juxta communem sententiam, religiosus in concione, dicens aliquid ad avertendum populum à solutione decimarum, excommunicatus est, etiam effectu non secuto, Clement. de Pœnis, cap. 1.

43. Dicitur 4° *conjunctum contumaciæ*, id est, inobedientiæ contra præceptum Ecclesiæ. Quare non sufficit ad censuram rigorosè sumptam peccatum contra jus divinum aut naturale; sed est necesse ut reus delinquat aliquo modo contra præceptum Ecclesiæ, spernens monitionem ejus auctoritatem. Suarez, Avila, Coninck, Layman, Sotus, Navarrus, Herincx, et plerique alii. Ratio est primò, quia censura eo fine inventa est et instituta, ut frangatur subditorum rebellio, contumacia et inobedientia erga Ecclesiam; jam verò nemo dici potest Ecclesiæ inobediens, qui contra ejus præceptum non delinquit. Assumptum constat ex S. Scripturâ, Matthæi 18: *Qui Ecclesiam non audierit*, id est, qui ejus monitis vel præceptis non obedierit, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est, tanquàm non sit in gremio Ecclesiæ seu in numero fratrum. Secundò: nam c. *Ex parte*, 1, de verb. Signif., duæ tantùm allegantur causæ, propter quas censura excommunicationis vel interdicti in aliquem ferri possit, scilicet aut quia citatus judici parere non vult, aut à commisso facinore, jussus recusat recedere. Utroque casu manifestum est, contineri inobedientiam et contemptum ecclesiasticæ auctoritatis. Tertiò, quia c. *Quâ fronte*, de Appellat. et cap. *Ex litteris*, de Constitutionibus, statuitur ut à censurâ excommunicationis absolvatur, qui omninò parere paratus, sufficientem præstat cautionem.

44. Unde sequi videtur eum qui non est contumax, priusquàm ligatur, ligari non posse. Quartò, quia (ut dicitur cap. 1, de Sentent. Excommun., in 6) *medicinalis* est *excommunicatio: disciplinans, non eradicans*. Quamobrem monetur ibidem judex ecclesiasticus, *ut in eâ ferendâ ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis*. Jam verò à ratione videtur alienum, infirmo, qui aliter curari potest, asperam omninò et gravem medicinam porrigere. Excommunicatio autem est ejusmodi medicina, aspera, inquam, et gravissima, et proinde adhiberi posse non videtur circa peccatorem, cujus emendatio aliter obtineri potest; quod præsumitur, quamdiù Ecclesiæ monentis et corripientis auctoritatem non contemnit. Advertendum tamen ex Avilâ, parte 2, c. 5, disp. 1, dub. 11, ad censuram non requiri inobedientiam directam seu contemptum formalem, ne fateri cogamur duplici peccato delinquere, qui exercet actum sub censurâ prohibitum; sed sufficit inobedientia generalis et contemptus interpretativus, quem censetur admittere, quisquis voluntariè non adimplet legem, quâ novit se obligatum. Hinc sequitur primò quòd omnis ignorantia, excusans subditum à contumaciâ, excuset pariter à censurâ. Sequitur secundò, quòd censura propriè sumpta in-

fligi nequeat ob peccatum quatenùs præteritum. Suarez, Bonacina, Coninck, Layman, Sayrus, Sotus, Henriquez, Hugolinus, Avila, Filliucius, Herincx. Exemplum corollarii est in eo qui ab octiduo commisit furtum, perjurium, adulterium. Non potest propter delictum ejusmodi quatenùs præteritum, hodiè excommunicari, si idem delictum sub excommunicatione non erat ante prohibitum.

45. Ratio est quia delictum ita consideratum repugnat quidem juri divino et naturali, sed nullam connotat agentis contumaciam. Accedit quòd censura, in peccatum quatenùs præcisè præteritum lata, contra naturam suam medicinalis esse non posset, sed merè vindicativa. Diximus, *quatenùs præcisè præteritum :* poterit enim censura etiam strictè dicta ferri, si peccatum præteritum actu vel virtute duret, ut si quis monitus nolit, cùm possit, restituere alienum, aut si peccato præterito succedat novum inobedientiæ vel rebellionis actualis contra monentis et corripientis Ecclesiæ auctoritatem. Diximus etiam : *Censura propriè dicta;* quia (ut doctores allegati addunt) potest et aliquando solet ob peccatum præteritum infligi suspensio vel interdictum, sed habent eatenùs rationem pœnæ simpliciter, non censuræ.

§ 6. *De causâ formali excommunicationis.*

46. Causa formalis est forma quam sequi et observare debeat judex in ferendâ censurâ. Est autem duplex, substantialis et accidentalis : hæc potest, illa nequit censuræ validæ deesse. Utraque varias conditiones exigit, quas breviter recensemus. Itaque ad censuram ex parte formæ

Requiritur 1° ut feratur per signum sensibile et externum. Ratio plana est, quia voluntas judicis, quamdiù per signum externum non innotescit, non potest obligare subditum, ut exemplo legum et præceptorum omnium manifestum est. Nec potest subditus argui contumaciæ ad incurrendam censuram necessariæ, quamvis operetur contra superioris voluntatem, sibi hactenùs non perfectam, imò incognoscibilem.

47. Requiritur 2° ut signa sensibilia sint determinata quoad speciem censuræ. Quare nihil operabitur judex, si in hujus vel illius criminis reos pronuntiet simpliciter censuram, non expressâ specie excommunicationis, suspensionis vel interdicti. Ratio est quia nequit à parte rei dari effectus in genere ; jam verò verba judicis faciunt quod significant, vel nihil faciunt. Igitur cùm fertur censura in genere, vel deberet censura in genere existere, vel nihil fit. Dices : Valet excommunicatio in genere lata, ut constat ex c. *Si quem*, de Sent. excommun., ergo etiam valet censura in genere lata. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est quòd excommunicatio seorsim et sine specie expressa, per antonomasiam accipiatur pro majori, juxta communem usum et peritorum omnium intelligentiam. Secùs est de censurâ generatim expressâ : hæc enim indifferenter suas species respicit. Ita Suarez, Filliucius, Bonacina et alii.

48. Requiritur 3° ut signum externum sit determinatum quoad personam seu subjectum censuræ. Quare debet persona vel nominatim exprimi vel designari per circumstantiam criminis, etc., dicendo, v. g. : *Excommunicamus hæreticos, schismaticos, apostatas*, etc. Ratio est quia effectus non potest fieri, nisi in subjecto certo et determinato, quod proinde exprimendum est vel per circumstantias determinandum. Aliàs si verba quoad personam suspensa sint, ut *excommunico;* erit pariter suspensus effectus, estque in eo paritas inter censuras et sacramenta : ut enim in his forma efficit quod significat, sic in illis.

49. Requiritur 4° ad censuram ab homine, ut feratur scripto. Item, ut exprimatur in eodem scripto causa, propter quam fertur. Exemplar verò scripturæ debet reo tradi, si judex infra mensem id ipsum rogatus fuerit, de quo (si contigerit) debet fieri authenticum instrumentum. Judex contra faciens (nisi fuerit episcopus, qui excipitur ab hâc pœnâ per cap. *Quia periculosum*, de Sentent. excom., in 6) suspenditur per mensem ab ingressu ecclesiæ et divinis officiis. Est communis et certa doctrina quoad omnes partes, et constat manifestè ex cap. *Cùm medicinalis*, de Sentent. excommun., in 6, ubi dicitur : *Quisquis... excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere intrà mensem, si fuerit requisitus; super quâ requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem judicum, hujusmodi constitutionis temerarius exstiterit violator, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ et divinis officiis noverit se suspensum.* Ita Pontifex. Sed dubitari potest an censura sine scripto lata, non solùm sit illicita, sed etiam nulla seu invalida.— Respondeo non esse invalidam, quia omissio scripturæ, non est defectus formæ substantialis, ut constat ex eodem cap. *Cùm medicinalis*, cit., ubi deinceps statuitur, ut superior, ad quem requiritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxet ; relaxari autem nec deberet nec posset, si foret invalida.

50. Requiritur 5° ut censuram præcedat monitio canonica. Colligitur inprimis ex Apostolo ad Titum 3 ; *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita.* Deinde constat ex sacris canonibus, c. *Sacro*, de Sentent. Excommun., ubi dicitur : *Sacro approbante concilio prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissâ, et personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat. Quòd si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum.* Item cap. *Romana*, et cap. *Statutum*, eodem tit. in 6. Item cap. *Reprehensibilis*, de Appellationibus. Ratio est, quia censura non fertur, nisi in eos qui in Ecclesiam contumaces sunt : ad contumaciam verò requiritur antecedens correptio ; cùm nemo Ecclesiam spernat, nemo eidem repugnet, nisi cùm monitis vel præceptis ejus non obedit. Ita Sayrus, Navarrus, Vasquez, Hu-

golinus, Suarez, Coninck, Reginaldus, Toletus, Filliucius, Layman. Ratio autem allegata ostendit monitionem requiri pro censurâ, sive sit ab homine sive à jure lata, sive sit generalis, sive specialis, sive pro præteritis, sive pro futuris culpis.

51. Nihilominùs accuratè est observandum monitionem non debere esse *specialem*, quando est censura *juris* et contra delictum futurum. Idem est si pro delicto futuro feratur censura *ab homine*, sive per sententiam generalem, sive per specialem. Auctores citati. Constat ex cap. *Romana*, cit., ubi dicitur : *Nec in specie, nec in genere pro culpis et offensionibus præteritis vel præsentibus, excommunicationum sententias sine competente monitione præmissâ promulgent.* Ratio est quia, dùm fertur censura pro culpis futuris, sive à jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive per specialem, tunc ipsum jus, vel præceptum judicis censuram pro hoc vel illo delicto statuentis et comminantis, est loco monitionis, quatenùs continuò subditos admonet de suâ obligatione vel pœnâ alioquin incurrendâ : quod satis est, ut contraveniens censeatur contumax et inobediens respectu Ecclesiæ. Deinde (ut rectè Bonacina, Vasquez, Suarez, Navarrus, et alii) si ad incurrendam censuram latam pro culpis futuris, requireretur admonitio specialis et distincta ab ipso jure vel sententiâ, sequeretur, nunquàm ipso facto censuram propter aliquod delictum incurri posse.

52. Sed quid si censura pro culpis futuris sive ab homine, sive à jure decreta, sit ferendæ sententiæ? Eritne etiam in hoc supposito lex vel præceptum superioris, loco admonitionis, ita ut judex statim contra reum de crimine convictum procedere possit per censuræ executionem, sine aliâ monitione? Affirmant Abbas, Avila, Sanchez, apud Layman, sup. Nihilominùs Suarez, Covarruvias, Cajetanus, Layman, Herincx, et alii benigniùs censent de mente Ecclesiæ, quòd nimirùm, si censura sit ferendæ sententiæ, requiratur contumacia, per specialem monitionem exploranda, tum ut fideles intelligant censuras ab Ecclesiâ comminatas, posse ab humiliato declinari, tum ut non contingat aliquando ferri in jam emendatos, ob delictum merè præteritum. Confirmatur ex cap. *Reprehensibilis*, cit., ubi dicitur : *Nec prælati (nisi canonicâ commonitione præmissâ) suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos; nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere* (id est, ipso facto, ut exponit Glossa) *suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat.* Itaque, cùm unius exceptio firmet regulam pro cæteris, sequitur ad omnem censuram, quæ ipso facto seu delicto non incurritur, sed à judice actualiter infligenda est, monitionem canonicam specialem præmittendam esse.

53. Potissimùm autem, ut ex dictis constat, monitio specialis prærequiritur, quando censura per sententiam particularem fertur pro delicto præterito vel præsente, cap. *Romana*, cit. Ratio est quia, nisi specialis monitio censuram ejusmodi antecedat, non poterit reus censeri contumax aut inobediens respectu Ecclesiæ vel superioris sui : in hoc enim casu nullum jus humanum, nulla lex, nulla judicis sententia antecedit, vi cujus possit reus censeri monitus, et, non obstante monitione, mansisse pertinax. Porrò præmittenda est admonitio triplex, secundùm omnes doctores. Colligitur ex Matthæi cap. 18, ubi Christus Dominus ordinavit ut delinquentem, primò, corripias occultè; secundò, adhibitis testibus; tertiò, denunties Ecclesiæ. Constat autem ex cap. *Constitutionem*, de Sentent. excommun. in 6, ubi dicitur : *Statuimus ut inter monitiones quas (ut canonicè promulgetur excommunicationis sententia) statuunt jura, præmitti; judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.* Ita Gregorius X, in concilio generali Lugdunensi. Hinc colligitur 1° necessariam esse monitionem formaliter aut virtualiter triplicem. *Formaliter*, id est, repetitam per interpositum aliquorum, saltem duorum vel trium dierum intervallum. *Virtualiter*, id est, simplicem et unicam, quæ respiciat et determinet illud temporis intervallum quod pro tribus sufficeret, ut si judex moneret reum, se semel pro tribus vicibus concedere spatium sex dierum, videlicet biduum pro monitionibus singulis. Sequitur 2° si criminis aut mali impendentis periculum, factive necessitas non patiatur dilationem, posse judicem rem statim aggredi, ut manifestè indicant finalia allegati textûs.

Debet autem hujusmodi canonica monitio ad reum personaliter fieri, nisi malitiosè latitet; tunc enim satis est, citationem cum comminatione fieri ad ejus domum, ecclesiæ valvas, similemve locum, ut ad ejus notitiam pervenire possit.

§ 7. *De causâ finali excommunicationis.*

54. Causa finalis, est scopus et finis per censuram intentus. Est autem duplex, proximus et remotus. Finis proximus (qui et finis operis et intrinsecus dicitur) est qui proximè et ex naturâ censuræ intenditur et obtinetur. Consistit in privatione bonorum spiritualium. Exemplum in lege, cujus finis intrinsecus est ipsa substantia præcepta; item in furto, cujus finis intrinsecus est possessio alieni. De hoc fine, quoniam coincidit cum effectu formali censuræ, agetur postea. Remotus autem (qui et extrinsecus, et operantis dicitur) est ratio quâ judex ordinatè procedens movetur ad censuram. Consistit in vindictâ peccati, sed multò magis in medicinâ peccatoris, ut juxta commune proverbium, vexatio det intellectum. Itaque censura potissimùm medicinalis est, prout colligitur non solùm ex sacrâ Scripturâ, 1 ad Corinth., 5, et 1 ad Timoth. 1, sed etiam ex jure canonico, cap. 1, de Sentent. Excommun. in 6, ubi dicitur : *Cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis; disciplinans, non eradicans... cautè provideat judex ecclesiasticus, ut in eâ ferendâ ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit et medentis.*

55. Hinc dubium oritur an censura possit ferri in eum cujus emendatio desperata est, id est, qui prævidetur censurâ non emendandus, sed potiùs indu-

randus et obfirmandus in suâ pertinaciâ ? Negat Joannes Andræas cum nonnullis aliis apud Covarruv., c. *Alma mater*, parte 1, initio, n. 10. Probari hæc opinio potest exemplo fraternæ correptionis, quæ frustra et inutiliter adhibetur, quando nulla correpti emendatio sperari potest.

Respondeo certum esse inprimis, quòd judex non possit temerè et inconsultò procedere. Quare uti debet patientiâ et æquanimitate, adhibendo priùs remedia leviora quàm procedat ad censuram, instar prudentis chirurgi, qui curandis vulneribus non usurpat cauterium, nisi exploratâ priùs inefficaciâ levioris medii. Ita ferè dicitur cap. *Ecce autem*, 24, q. 3. Sed et concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 3, de Reformatione, *Quamvis*, inquit, *excommunicationis gladius, nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, et ad continendos in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen, magnâque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, et perniciem potiùs parere quàm salutem.*

56. Respondeo secundò, si præmissis levioribus mediis corrigi non velit malefactor, non esse semper censuris abstinendum ob prævisam majorem ejus indurationem. Ita Covarruvias cit.; Avila, parte 2, cap. 4, disp. un. Bonacina, disp.; 1, quæst. 1, puncto ult., n. 2; Abbas. c. *Ab Excommunicato*, de Rescriptis; Alterius, lib. 3, disp. 6, cap. 2. Ratio est quia, licèt censura in casu supponatur inutilis respectu delinquentis, nihilominùs servire poterit pro exemplo, ut cæteri timorem habeant; ac si non velit ipse peccator suam cervicem flectere sive pœnis sive præceptis Ecclesiæ, id equidem operari poterit censura, ut cæteros à quibus per censuram separatur, suo exemplo non corrumpat. *Resecandæ sunt* (ait S. Hieronymus in Epist. ad Gal., cap. 5, et refertur cap. *Resecandæ*, 24, q. 3) *putridæ carnes, et scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Item Prosper, de Vitâ contempl., lib. 2, c. 7 (et refertur cap. *Ecce autem*, eâdem causâ et quæst.) dicit, eos *qui diù portati et salubrite: objurgati corripi noluerint, tanquàm putres corporis partes* debere *ferro excommunicationis abscindi, ne, sicut caro morbis emortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis, putredinis suæ contagione corrumpit : ita isti, qui emendari despiciunt, et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant.*

Hinc patet responsio ad argumentum pro oppositâ opinione, ab exemplo fraternæ correptionis desumptum : correptio enim fraterna directè et principaliter ordinatur in solius delinquentis bonum ; correctio autem judicialis, qualis est excommunicatio, principaliter ordinatur in bonum commune membrorum Ecclesiæ, juxta S. Thomam, 2-2, q. 33, art. 6.

§ 8. *De impedimentis excommunicationis.*

57. Impedimenta sunt quæ obstant et impediunt, ne contrahatur censura. Sunt potissimùm quinque : ignorantia, appellatio, impotentia, metus, et consensus illius in cujus favorem censura fertur. De singulis dicendum aliquid.

58. *Ignorantia* generatim sumpta est defectus scientiæ. Dividitur primò ex parte subjecti in negativam, privativam et positivam. *Negativa* est negatio scientiæ cum impotentiâ sciendi ex parte subjecti. *Privativa* est defectus scientiæ quam quis posset habere. *Positiva* est judicium erroneum. Dividitur secundò ex parte objecti, in juris et facti. Ignorantia *juris* versatur circa legem, canonem, statutum, præceptum ; ut cùm quis ignorat percussionem clerici graviter ab Ecclesiâ prohibitam esse. Hùc reducitur ignorantia *pœnæ*, v. g., dùm novit quidem aliquis, quòd clerici percussio ex motivo religionis prohibita sit per Ecclesiam, sed nescit quòd sub censurâ. Ignorantia *facti* respicit factum aut aliquam illius circumstantiam ; ut si sciam legem ecclesiasticam, quâ clerici percussio prohibetur : sciam item censuram percussoribus præparatam ; sed nesciam, esse clericum quem percutio. Ignorantia *juris* dividitur iterùm in *juris communis*, singulos videlicet obligantis, et *particularis*, respicientis duntaxat aliquos seu territorium determinatum. Dividitur tertiò ex parte voluntarii in *vincibilem* et *invincibilem*. Hæc vinci seu superari non potuit ab agente, estque adeò involuntaria etiam indirectè ; illa potuit superari et proinde tribuitur vitio seu negligentiæ operantis. Dividitur *vincibilis* in *simplicem*, *crassam* seu *supinam*, et *affectatam*. *Simplex* est eorum qui simpliciter nesciunt quæ scire potuerunt. *Crassa* nullo negotio potuisset vinci. *Affectata* est, quæ directè intenditur ab ignorante, quatenùs ex fine vel motivo ignorantiæ negligitur medium quo discatur veritas. Quintò per habitudinem ad effectum dividitur in *antecedentem*, *concomitantem*, et *subsequentem*. *Antecedens* est causa operis et voluntatis, vel potiùs conditio, sine quâ nec velles nec faceres actionem quam exerces. *Concomitans* nec est causa nec effectus operis aut voluntatis. *Subsequens* est effectus voluntatis. His ita notatis, quæritur quæ ignorantia excuset ab incurrendâ excommunicatione ?

59. Respondeo primò : Excusat ignorantia *invincibilis* vel *antecedens* tam juris particularis quàm communis. Probatur 1° ex cap. 2, *de Constitutionibus*, in 6, ubi dicitur : *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes.* Quo loco per *sententias* intelliguntur *censuræ ;* per *ignorantes* autem sine dubio illi qui invincibiliter. Probatur 2° : pœna debet commensurari delicto, c. *Felicis*, de Pœnis, in 6 ; est autem multò minùs delictum quod committitur ex ignorantiâ, quàm scientiâ legis sive communis sive particularis ; ergo æquum non est, ut ignorans et sciens eâdem censurâ puniantur. 3° Quia ad censuram requiritur contumacia, quâ non laborat ignorans invincibiliter legem atque adeò voluntatem superioris. Denique ad omnem censuram propriè dictam necessaria est aliqua prænonitio, saltem per ipsam legem vel præ

ceptum ; ignorans autem invincibiliter, nullâ ratione dici potest præmonitus.

60. Respondeo secundò : *Invincibilis* vel *antecedens* ignorantia *facti*. excusat pariter à censuris. Quapropter si Petrus occidat vel percutiat clericum, ignoratâ invincibiliter circumstantiâ ordinis clericalis, non incidit in censuram canonis, *Si quis suadente*. Probatur 1° ex eodem cap. *Ut animarum*, ubi nomine *quorumcumque ordinariorum* videtur etiam Pontifex intelligendus, tanquàm ordinariorum cæterorum supremus ordinarius; et quanquàm sub hoc vocabulo non contineretur, nihilominùs ratio textûs, nimirùm *ut animarum periculum evitetur*, procedit efficaciùs in censuris à Pontifice latis, utpotè quæ minùs publicantur et minùs sunt notæ quàm censuræ ordinariorum inferiorum, ut latè prosequitur Sanchez apud Castropalaum, puncto 8, n. 7. Probatur 2°, quia ignorans factum aut ejus qualitatem ignorantiâ invincibili et antecedente, nullâ potest contumaciâ laborare : sic enim animo constitutus est, ut si novisset factum vel qualitatem ejus, delicto abstineret.

61. Respondeo tertiò : Ignorantia *invincibilis* et *antecedens* pœnæ seu censuræ, excusat iterùm à censurâ. Navarrus, Bonacina, Coninck, Suarez, Filliucius, Salas, Castropalao et alii. Ratio responsionis hujus est eadem quæ utriusque præcedentis. Itaque juxta hanc sententiam, qui percutit notabiliter clericum, sciens non solùm Decalogo, sed etiam jure Pontificio id graviter interdictum, nesciens tamen invincibiliter, quòd sub censurâ, hanc non incurret. Eamdem doctrinam extendunt Avila, Sanchez, et Covarruvias ad irregularitatem provenientem ex delicto : quæ enim provenit ex defectu, certum est quòd incurratur etiam ex ignorantiâ, cùm hæc nullam culpam requirat, nec instar pœnæ constituta sit.

62. Respondeo quartò : Excusat pariter à censurâ ignorantia *vincibilis* seu *subsequens* sive *juris*, sive *facti*, sive *pœnæ*, dummodò non sit *crassa*, *supina* vel *affectata*. Sanchez, Navarrus, Bonacina, Filliucius, Palaus et alii. Probatur 1° ex cap. *Ut animarum*, cit., ubi dicitur : *Ut animarum periculis obvietur, sententiis quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes : dùm tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Excusat igitur ignorantia quælibet invincibilis et vincibilis, seu subsequens, dummodò non sit *crassa*, *supina*, vel (quæ hâc major est) *affectata*. Probatur 2° : Ignorantia etiam vincibilis videtur tollere contumaciam : nam qui ignorat vincibiliter legem aut pœnam Ecclesiæ, potest omninò sic animo constitutus esse, ut velit obedire Ecclesiæ, si sciret legem vel pœnam ejus.

63. Respondeo quintò : Secundùm plerosque doctores à censurâ non excusat ignorantia *crassa*, *supina*, vel *affectata*. Ratio est 1° ex cap. *Ut animarum*, cit. 2. quia hæc ignorantia æquiparatur scientiæ, atque ita compatitur contumaciam et contemptum auctoritatis ecclesiasticæ, quod satis est ad censuram. Excipiunt plurimi apud Bonacinam, quæst. 2, n. 11, casum quo sententia temeritatem, aut scientiam exigeret.

hâc, v. g., vel simili periodo : *Qui scienter*, *temerè*, vel *consultò hoc aut illud fecerit*, vel, *qui præsumpserit contempserit*, aut, *temerarius violator exstiterit*, *sit suspensus*, *excommunicatus*, etc. Rationem reddunt, quòd superior hoc vel simili loquendi modo videatur exigere non qualemcumque contemptum aut præsumptionem, sed provenientem ex certâ scientiâ, vel saltem conjunctam cum ingenti temeritate. ita Bonacina.

64. Respondeo sextò : Ignorantia *concomitans* excusat à censuris et irregularitate, quæ ex delicto provenit. Quare interficiens clericum inimicum suum, quem prorsùs existimat esse feram, sic tamen affectus animo, ut occideret, si non erraret, nec incurrit irregularitatem decretam in homicidas cap. *Si quis viduam*. Dist. 50, et alibi, nec excommunicationem latam in percussores clericorum can. *Si quis suadente*. Ratio est, quia homicidium in casu est quidem objectum voluntatis, non tamen effectus, id est, potest censeri volitum ratione affectûs actualis conditionati, sed non est voluntarium : ignorantia enim *concomitans*, quamvis non faciat voluntarium seu involuntarium positivè, facit tamen involuntarium negativè. Vasquez, Molina, Sanchez, Filliucius, Suarez, Covarruvias, Hugolinus, Sayrus apud Bonacinam cit. n. 14.

65. Secundum excommunicationis impedimentum est *appellatio*, de quâ quæritur quando valeat ac liceat, et quando impediat vel suspendat censuram, signanter excommunicationis. Prænotandum autem est 1° appellationem non esse aliud quàm transitum, seu provocationem à judice inferiori ad superiorem. Jure civili debet gradatim fieri, ita ut, omisso judice medio, rectè non appelletur ad Principem, l. *Imperatores*, ff. de Appel. et Relat. Aliter se res habet spectato jure Pontificio, quo etiam immediatè appellari potest ad Pontificem Romanum, cap. Si duobus, de Appel. Finis appellationis est patrocinium innocentium, ne videlicet graventur iniquitate vel ignorantiâ judicum : nam per appellationem impeditur effectus sententiæ, quæ aliàs transiret in rem judicatam. Dividitur appellatio in judicialem et extrajudicialem, *Clement.* 3, eodem tit. Illa fit à sententiâ sive definitivâ, sive interlocutoriâ : hæc autem ac actibus et decretis extrajudicialibus, cap. *Cordi*, et cap. *Concertationi*, de Appel. in 6. Debet autem appellatio legitima esse ut ei judex deferre teneatur.

66. Ut verò censeatur legitima, duo potissimùm requiruntur : Primum est ut fiat ex gravi causâ et probabili ratione, quâ se quis gravatum existimet. Quare appellare non potest qui ob veram contumaciam condemnatus est, quia gravatus dici non potest. Idem est de notorio peccatore, seu confesso et convicto. Sed et frivolè appellans non est audiendus. Quocirca non malè S. Bernardus, lib. 3 de Considerat., cap. 4, ait quosdam appellare, non quia graventur, sed ut gravent alios; unde remedium juris transferunt ad calumniam. Addit deinde iniquam esse omnem appellationem ad quam justitiæ inopia non coegit. Alterum ad legitimam appellationem requisitum, est tempus quod in præsenti materiâ consideratur triplex, 1° interponendæ

appellationis ; 2° petendi Apostolos ; 3° prosequendæ ac finiendæ appellationis. Hæc tempora vocantur fatalia ; quòd iis elapsis vel neglectis, quasi mortua vel fato extincta censeatur appellatio. Primum tempus, quo videlicet appellatio interponenda sit, est decendium, seu spatium decem dierum, à die latæ sententiæ, vel certè à die scientiæ, quo sententiam latam esse intellexerit, qui appellare voluerit, cap. *Quoad consultationem*, de Sent. et Re judic. Secundum tempus, quo nimirùm petendi sunt Apostoli, est triginta dierum à tempore latæ sententiæ, intrà quos si non petantur, censebitur renuntiatum appellationi. Apostoli autem sunt litteræ dimissoriales quas judex à quo, transmittit judici ad quem, in testimonium et fidem interpositæ appellationis. Denique tempus prosequendæ appellationis, à jure præfixum, est annus, vel ex causâ biennium.

67. Prænotandum 2 quòd excommunicatio ferri possit vel purè et absolutè, vel sub conditione. Fertur absolutè, quam quis, v. g., ipso jure incurrit propter delictum jam commissum, et sub censurâ excommunicationis prohibitum. Fertur conditionatè, quam, v. g., judex pronuntiat incurrendam, nisi subditus hoc illudve fecerit vel omiserit, ut, nisi intrà mensem compareat vel restituat. Iis præmissis, quæritur quomodò et quando censuram impediat vel suspendat appellatio.

Respondeo primò : Excommunicatio simpliciter et purè lata non suspenditur per subsequentem appellationem. Avila, Navarrus, Suarez, Panormitanus, Castropalao, Henriquez, Bonacina, Sayrus, Filliucius et alii. Constat ex cap. *Pastoralis*, de Appel., et cap *Is cui*, de Sentent. excomm. in 6. Ratio autem capite priori redditur, quòd hujusmodi sententia secum ferat executionem ; à sententiâ verò jam executioni mandatâ appellari non potest ; sed quærendum est aliud remedium, nempe absolutionis.

68. Respondeo secundò : Excommunicatio lata conditionatè, non suspenditur per appellationem interpositam post eventum conditionis. Quare, si Petrus excommunicatione afficiatur ipso facto incurrendâ, nisi infra mensem compareat ; si reverà non comparuerit, non potest post lapsum mensis, excommunicationis effectum appellatione suspendere. Omnes citati. Ratio est quia excommunicatio conditionalis, impletâ conditione, transit in absolutam quæ secum fert executionem, à quâ appellari non potest. Unde, ut observat Suarez, disp. 3, sect. 6, n. 6, graviter erraverunt qui voluerunt, etiam purificatâ conditione appellari posse, dummodò intrà decendium.

69. Respondeo tertiò : Appellatio legitima, quamvis, ut diximus non suspendat excommunicationem purè et absolutè latam, nihilominùs suspendit sententiam declaratoriam : v. g., judex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine vel à jure ; appello ab istâ declaratione, allegans quòd non fecerim, pro quo censura constituta est, suspendit appellatio declarationem. Omnes citati.

Respondeo quartò : Excommunicatio conditionatè lata suspenditur per appellationem legitimam et interpositam ante eventum conditionis, intrà decendium à die latæ sententiæ. Ita rursùs omnes. Constat manifestè ex cap. *Præterea*, 2, de Appellatione. Itaque si sententia excommunicationis feratur in Petrum, nisi infra mensem compareat vel parti suæ satisfaciat ; ille verò infra decem dies ab hujus sententiæ scientiâ computandos, ex causâ legitimâ provocet ad judicem superiorem, suspenditur sententia excommunicationis.

70. Ratio est quia per appellationem transfertur causa ad alium judicem. Cùm ergo prior sententia conditionalis nihil operata esset ante expletam conditionem, et tempore quo impletur conditio, causa sit ad alium judicem devoluta, prior necessariò suspensa manet. Idem colligitur ex cap. *Cùm contingat*, de Offic. de leg., cap. *Per tuas*, de Sentent. Excommun. et cap. *Solet*, eodem, in 6. Advertendum est autem per hanc appellationem non solùm suspendi censuram, sed etiam præceptum seu obligationem exequendi, quod sub censurâ præcipitur, ita ut elapso tempore in sententiâ determinato, non modò non incurratur censura, sed ne peccetur quidem non implendo præceptum. Ratio est quia utrumque respicit appellatio, et pœnam videlicet et culpam, seu censuram simul et præceptum ; imò ideò appellatur à censurâ, quia à præcepto ; hoc enim est principale, illa, solummodò accessorium.

71. Respondeo quintò : Excommunicatio conditionalis suspenditur per appellationem legitimam, quovis tempore eventum conditionis præcedente interpositam. Sensus responsionis est quòd sub conditione, si intrà mensem non restituat, excommunicatus possit interponere appellationem non solùm primo decendio à latâ sententiâ, verùm etiam toto mense. Glossa, cap. *Præterea*, cit. Covarruvias, Navarrus, Bonacina, Palaus, Avila, Suarez et alii. Ratio est quòd, licèt in aliis sententiis fieri debeat appellatio intrà decem dies à tempore latæ sententiæ vel illius cognitionis, juxta dicta superiùs ex cap. *Quod ad consultationem*, de Sententiâ et Re judicat., id tamen fallat in censurâ conditionali. Colligitur ex cap. *Præterea*, de Appellat., ubi dicitur : *Præterea requisiti fuimus, si judex ita protulerit sententiam ; nisi Sempronio intra* 20 *dies satisfeceris, te excommunicatum vel suspensum aut interdictum esse cognoscas ; ille in quem fertur sententia, medio tempore appellans, ad diem statutum minimè satisfecerit ; utrùm ille sententiâ tali ligetur, aut interpositione appellationis tutus existat. Videtur autem nobis quòd hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire.* Quo loco, cùm dicatur indefinitè quòd *medio tempore* interposita appellatio *hujusmodi sententiam* debeat *impedire*, videtur totum illud tempus esse legitimum ad appellandum, quod mediat inter latam sententiam et eventum conditionis. Accedit quòd hæc sententia conditionata, non sit sententia simpliciter, sed tantùm secundùm quid, quia conditionalis nihil ponit in esse ; et ideò, quando impletur conditio, tum primùm sententia censetur ferri simpliciter. Igitur non est mirum quòd

toto illo tempore antecedenti ab eâdem appellari possit, et quòd eâ ratione non comprehendatur sub communi jure, decernente spatium 10 dierum ad appellandum, utique à sententiâ perfectâ et simpliciter dictâ.

72. Respondeo sextò : Appellatio legitimè interposita suspendit excommunicationem conditionatam, etsi appellans non prosequatur appellationem ; v. g., si Petrus citetur à judice ad comparandum, vel restituendum intra mensem sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, et ipse interponat appellationem, excusatur à censurâ, etiamsi appellationem deinceps deserat seu non prosequatur. Ita Covarruvias, Avila, Ugolinus, Alterius, Sayrus, Bonacina, et alii. Colligitur ex cap. *Licet*, de Sent. excommun., in. 6. Ratio est quia omisso prosecutionis non reddit appellationem illegitimam ; jam verò appellatio legitima suspendit censuram conditionatam, quatenùs devolvit causam ad alium judicem.

73. Tertium censuræ impedimentum est metus, nimirùm gravis et cadens in constantem virum, qualis est metus mortis, mutilationis aut alterius notabilis incommodi vel nocumenti. Et inprimis satis est certum, quòd ejusmodi metus regulariter excuset à censurâ incidente in materiam solo jure ecclesiastico vetitam vel præceptam. Quare si feratur censura in comedentem carnes tempore Quadragesimæ, regulariter non incidet in eamdem, qui metu mortis comederet. Ratio est ex communi theologorum opinione in materiâ de Legibus, quâ docetur leges humanas regulariter non obligare cum periculo vitæ aut alterius notabilis nocumenti ; quòd rigor ille superaret humanam fragilitatem, atque adeò à prudenti legislatore non censeatur præscriptus. Porrò si metus ejusmodi excuset à culpâ mortali seu peccato contra legem, excusabit pariter à censurâ, in ejusdem legis observantiam decretâ ; quidquid enim excusat à culpâ, excusat pariter à pœnâ.

74. Dixi *regulariter loquendo* : nam si legis transgressio vergat in notabile incommodum communitatis aut in contemptum fidei vel potestatis ecclesiasticæ, sicuti metus quantùmvis gravis non excusat à mortali transgressione præcepti, sic neque à censurâ. Suarez, Bonacina, Navarrus, Coninck, Filliucius, Salas et alii. Sed quid si censura respiciat materiam jure naturali prohibitam ? — Respondeo cum Suarez et aliis, etiam hoc casu non esse locum censuræ. Ratio est quia, licèt metus gravis in hoc supposito non excuset actum, quatenùs intrinsecè malum, et jure naturali prohibitum, excusat tamen quatenùs prohibitum jure ecclesiastico ; quod satis est, ut non incurratur censura, ad quam requiritur mortalis contumacia et inobedientia legis ecclesiasticæ. Hinc sequitur quòd excommunicationem non incurrant Christiani à Turcis vel Sarracenis capti, remigantes ex metu mortis, tametsi in ordine ad bellum Christianis inferendum.

75. Quartum impedimentum est *impotentia* faciendi quod sub censurâ præceptum est. Ratio est, tum quia nemo tenetur ad impossibile, l. *Impossibilium*, ff. de Regulis juris, et cap. *Nemo*, eodem tit. in 6 ; tum quia impotentia præceptum implendi excusat à peccato et contumaciâ, indispensabiliter requisitus ad censuram. Sotus, Graffius, Reginaldus, Suarez, Henriquez, Filliucius et alii. Hinc colligitur 1°, eum qui, cùm nequeat, non restituit, non affici censurâ, in rei alienæ injustos possessores latâ. Colligitur 2°, idem dicendum, si præceptum impleri nequeat sine gravi incommodo : tum enim censetur impossibile moraliter ; v. g., si quis cogatur sub censurâ excommunicationis solvere pensionem vel restituere alienum ; nequeat autem sine damno proprio longè majori, vel detrimento bonorum ordinis superioris. Navarrus, Sotus, Corduba, Suarez, Filliucius et alii.

76. Sed dubitatur an debitor, cui tempus mensis, v. g., ad satisfaciendum creditori suo sub excommunicatione præstitum est, in eamdem incidat, si initio mensis negligat solvere, prævidens futuram reliquo tempore impotentiam suam. Respondeo incidere. Ratio est quia satis est contumax ratione illius negligentiæ vi cujus omissio satisfactionis est ei voluntaria : qui enim tenetur præcepto determinatum tempus respiciente, tenetur anticipare ejusdem præcepti observantiam, si prævideat impedimentum. Sic reus est violati præcepti, qui summo mane diei festi vel dominici non audit sacrum, prævidens deinceps nullam sibi audiendi occasionem fore. Sic reus est iterùm qui non communicat primis diebus Paschatis, prævidens communicandi occasionem deinceps ex quovis capite defuturam.

77. Quintum impedimentum est consensus illius in cujus favorem censura fertur : hic enim censuram suspendit. Quare si Petrus, obtentâ à summo Pontifice excommunicatione contra debitores suos, intra sex menses non restituentes, prolonget inscio Pontifice terminum usque ad annum integrum, non incurrent iidem debitores censuram, elapso semianno priori, dummodò Petrus jus habeat et dominium remittendi aut prorogandi debitum seu satisfactionem. Angelus, Suarez, Filliucius, Coninck, Bonacina et alii contra Navarrum, Hugolinum, Sayrum et alios. Ratio est : nam si Titius condonaret debitum absolutè, censura cessaret defectu materiæ in quam incidebat, ut omnes admittunt ; ergo si suspendatur obligatio debiti, concessâ prorogatione termini, suspenditur censura : nam sicut se habet condonatio debiti ad tollendam censuram, ita suspensio ad suspendendam.

78. Secundò, quia eo tempore quo suspenditur obligatio debiti per extensionem termini, debitores non sunt propriè tales ; nihil enim debent intra terminum, prout à creditore extensus est ; sed demùm debitores fiunt elapso tempore termini prorogati. Tertio, quia excommunicatio in hunc modum obtenta, videtur involvere tacitam conditionem, nisi debitum vel quoad substantiam, vel quoad circumstantiam temporis relaxaverit creditor, qui in postulandâ censurâ contra debitores suos, prudenter non potuit am-

plùs voluisse. Quartò, judex non magis intendit obligare debitorem, quàm velit creditor in cujus gratiam, obsequium et favorem censura lata est. Quintò, quia non restituens toto illo temporis spatio quod concessit et extendit creditor, non est contumax, cùm in nullum præceptum delinquat.

79. Dices 1° : Verba censuræ sunt practica, atque adeò faciunt quod significant; significant autem in supposito censuram incurrendam à debitoribus, si infra spatium semianni non restituant. — Respondeo : Verba censuræ faciunt quod significant, sed juxta mentem et voluntatem superioris, qui cùm censuram in gratiam creditoris ferat, contra hujus intentionem locutus non censetur.

Dices 2° : Suspendere censuram, est actus jurisdictionis quam non habet creditor. — Respondeo assumptum esse verum de suspensione directâ et judiciali; creditor autem prorogando terminum, suspendit censuram duntaxat indirectè per mutationem materiæ, prout faceret, si simpliciter remitteret debitum.

§ 9. *De denuntiatione excommunicationis.*

80. Sunt hoc paragrapho variæ quæstiunculæ, tum scitu dignæ, tum non inutiles, quas breviter expediemus. Itaque quæri potest 1° quid sit hoc loco denuntiatio; 2° qui possint denuntiari; 3° qui debeant; 4° qui nequeant; 5° à quo denuntiatio facienda; 6° ubi et quomodò; 7° quis sit effectus denuntiationis; 8° an à denuntiatione appellari possit.

Ad primam quæstionem respondeo : Denuntiatio hoc loco est notificatio seu publicatio censuræ. Quare inprimis manifestè differt à censurâ ipsâ quam præsupponit et quam transfert in notitiam communitatis. Differt pariter à sententiâ declaratoriâ criminis : hæc enim iterùm antecedit, illa subsequitur; hæc declarat culpam, illa publicat pœnam, etc.

81. Ad secundam quæstionem respondeo : Per se loquendo, excommunicatus majori excommunicatione denuntiari potest. Constat ex cap. *Curæ*, 11, quæst. 3, ubi dicitur quòd *episcopus excommunicatorum omnium nomina* debeat *tam episcopis vicinis quàm parochianis suis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcare.* Duplex autem eodem canone publicationis hujus allegatur ratio. Prima, *ut ipsis excommunicatis ubique occludatur aditus ecclesiasticus.* Altera, *ut excusationis causa omnibus auferatur.* Idem colligitur ex cap. *Pervenit*, 1, et cap. *Pastoralis*, § *Verum*, de Appellat. Neque de solâ excommunicatione, sed et de reliquis censuris sic ordinatum est. De suspensione quidem, Clement. 2, de Pœnis, de Interdicto autem, Clement. ult. de Censibus.

82. Ad tertiam respondeo 1° debere fieri denuntiationem excommunicati, quotiescumque ob criminis enormitatem vel aliam causam denuntiatio jure præscripta est. Præscribitur Clement. 1, de Pœnis, pro casu ibidem expresso. Præscribitur item Extravag. un. de Furtis, in malefactores ibidem pariter nominatos. — Respondeo 2° denuntiationem debere fieri quando vel bonum communitatis, vel contumacia delinquentis, vel instantia partis eamdem postulantis exegerint Suarez, Filliucius, Castropalao. — Respondeo 3° extra hos casus non obligari judicem ad faciendam denuntiationem. Doctores citati. Ratio est quia nullo jure id ordinatum est per modum præcepti obligantis; si quod enim jus, id universim præscribens exstaret, foret maximè capitulum *Curæ* citatum; illic verò monetur quidem episcopus ut curam rei illius habeat, sive, ut curet excommunicatorum omnium nomina publicari, sed nullum continetur verbum, rigorosum præceptum indicans.

83. Ad quartam respondeo 1° : Nequit denuntiari qui per sententiam generalem excommunicatus est, quamdiù delictum et ejus auctor non pervenerunt in notitiam judicis. Quare si excommunicatio ipso facto incurrenda, in adulteros supponatur lata, non poterit denuntiari incidens in hanc censuram, quamdiù adulterium et adulterum ignorat judex. Ratio manifesta est; quia denuntiatio est publicatio determinatæ et singularis personæ post contractam censuram, eo fine instituta, ut populus cum eo qui censuram contraxit, non communicet. Designanda igitur est persona quam vitare debeat, vel frustra fuerit ad hunc effectum denuntiatio. — Respondeo 2° : Omittenda denuntiatio est, quando ex eâdem imminet grave scandalum vel periculum. Filliucius. — Respondeo 3° : Si sententia excommunicationis sit injusta, non potest judex principalis pergere ad denuntiationem. Ratio : quia id esset prosequi injuriam inchoatam.

84. Quantùm verò ad judicem merè executorem, si perspectam habeat injustitiam censuræ, non tantùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro externo, non potest eam denuntiare, etiam ad instantiam vel præceptum judicis superioris. Si verò executor noverit, privatâ scientiâ censuram injustam, sed publicâ legitimam, tenetur eam denuntiare, præcipiente superiore. Ita communiter juris pontificii interpretes, quos sequuntur Suarez, Filliucius et alii. Videtur expressè definitum cap. *Pastoralis*, § *Quia verò*, de Officio et Potest. jud. deleg., ubi Innocentius III, in hunc modum loquitur : *Attendentes quòd non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus quòd, cùm ordinarius obsequi teneatur delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominùs tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.* Quo canone simul exprimitur ratio conclusionis : quia mero executori non committitur causæ cognitio, sed simplex executio.

85. Ad quintam respondeo, ut ritè instituatur denuntiatio, necessariam esse jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Ratio est quia denuntiatio est partialis executio sententiæ. Quare (quod attinet excommunicationem ab homine) primò ac per se fieri potest ab eo qui censuram tulit. Colligitur ex cap. *Pastoralis*, § *Verum*, de Appellat. Deinde verò ab aliis pastoribus et episcopis fieri poterit et debebit qui fuerint ab auctore censuræ requisiti. Idem est (servatâ proportione) de censuris, ipso facto contractis

per transgressionem statuti episcopalis : nam eadem est ratio. Alverò quoad censuras jure communi latas, denuntiatio fieri potest, vel à proprio episcopo ipsius delinquentis vel ab ordinario illius loci, in quo delictum commissum et censura contracta fuerit : nam ratione delicti sortitur aliquis forum. Colligitur ex Clement. 2, de Pœnis, et ex cap. *De illis*, 6, q. 3, quod ferè coincidit cum capite 1, de Raptoribus.

86. Ad sextam respondeo 1° : *Quoad locum*, denuntiatio facienda est publicè in ecclesiâ. Deinde in scriptis affigi debet ad valvas ecclesiarum cum expressione causæ, juxta receptam loci consuetudinem. Colligitur ex cap. *Curæ*, 11, q. 3, cap. *Cùm medicinalis*, de Sentent. excommun., in 6, Extrav. un. de Furtis.—Respondeo 2° *quoad modum*, si censura à jure vel ab homine lata, sit ipso facto contracta, non potest judex procedere ad denuntiationem statim à commisso delicto, sed præmittenda est sententia declaratoria criminis. Covarruvias, Suarez, Filliucius, Bonacina, Castropalao et alii. Colligitur ex cap. *Pervenit*, 1, et cap. *Consuluit*, de Appellat. Ratio est quòd denuntiatio sit quædam executio pœnæ injunctæ; judex autem ad juridicam pœnæ executionem procedere nequit ante sententiam declaratoriam criminis. Deinde poterit aliquando fieri ut reus pro sententiâ criminis declaratoriâ citatus à judice, probabilem facti sui excusationem adferat, atque ita impediat denuntiationem. Imò hæc sententia declaratoria denuntiationi præmittenda est, etsi delictum supponatur notorium, ut doctores allegati tradunt.

87. Ad septimam respondeo : Excommunicatus, specialiter ac nominatim denuntiatus, est vitandus. Pro quo observandum quòd olim omnes excommunicati essent fidelibus vitandi, publici, publicè; occulti, privatim seu in occulto, ut constat ex cap. *Cùm non ab homine*, de Sentent. excommunic. Hodiè tamen ex moderatione concilii Constantiensis, seu Extravagantis *Ad evitanda* (quam ex S. Antonino, parte 3, tit. 25, cap. 3, doctores referunt), nulli excommunicati sunt vitandi, nisi sint vel speciatim denuntiati, vel notorii percussores clericorum. Sed de hoc infra pluribus.

88. Ad octavam respondeo : 1° Si censura sit ab homine lata et certò contracta, non impeditur effectus ejus aut denuntiatio per interpositam appellationem. Ita expressè deciditur, cap. *Pastoralis*, § *Verùm*, de Appellat., et alibi. Poterit ergo in casu judex, non obstante appellatione, ad denuntiationem procedere, etiamsi alioquin appellationem admiserit, dummodò sit judex ordinarius : nam si sit delegatus et velit denuntiare, oportet id faciat ante admissam appellationem : quia si appellationem admittat, denuntiare non potest, eò quòd jam desinat esse judex in illâ causâ, cap. *Pastoralis*, § *Præterea*, et § *Cùm autem*, de Offic. deleg.—Respondeo 2° denuntiatio suspenditur et impeditur per appellationem à sententiâ declaratoriâ criminis. Ratio est quia hæc sententia nec reum excommunicat, nec directè declarat excommunicatum, sed solummodò declarat auctorem criminis; et ideo nec reddit hominem inhabilem ad appellandum, nec juridicè ostendit illum excommunicatum, donec circa ipsam declarationem criminis, sit definitiva, vel adeò efficax, ut non censeatur ampliùs suspensa per appellationem. Glossa, cap. *Cupientes*, verbo *Privatos*, de Elect., in 6, quam sequuntur Navarrus, Covarruvias, Suarez, Filliucius, Palaus et alii.

§ 10. *De effectibus excommunicationis generatim.*

89. Potissima paragraphi præsentis difficultas est quænam excommunicatio et quando inducat effectus inferiùs enumerandos. Observandum est autem, vel potiùs ex supra dictis repetendum excommunicationem, omissis cæteris divisionibus, esse duplicem, justam videlicet et injustam. Justa est quæ habet omnia requisita, nimirùm et rectam intentionem ac potestatem ex parte ferentis, et delictum grave cum contumaciâ ex parte patientis, et ordinem juris ex parte formæ; injusta, quæ in aliquo illorum deficit. Cùm autem defectus contingere possit tam circa substantiam quàm accidentia, et multa fieri prohibeantur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, hinc injusta excommunicatio subdividitur in validam et invalidam. Valida est, sed injusta, quam sine debitâ intentione judex pronuntiat, puta, si moveatur odio, vel privato livore vindictæ potiùs quàm amore justitiæ. 2° Valida, sed injusta censura est quæ laborat defectu aliquo eorum, de quibus, cap. *Sacro*, de Sentent. excommun., cap. *Cùm medicinalis;* cap. *Romana;* cap. *Constitutionem*, eod., in 6, videlicet, si unica tantùm monitio præmittatur sine congruis temporum intervallis; si censuram judex non eloquatur ex scripto; si scriptura non contineat causam excommunicationis; si exemplar scripturæ non porrigatur reo, infra mensem postulanti, etc.

90. Injusta verò et simul invalida censura multis casibus esse potest. Duodecim recenset Glossa, cap. *Præsenti*, verbo *Ad cautelam*, de Sentent. excomm., in 6, quos compendio reducimus ad tria capita. Primò, sententia est invalida ex defectu ferentis, si vel non habeat potestatem seu jurisdictionem, cap. *Nullus*, de Parochiis; vel habeat impeditam per censuram excommunicationis, can. *Audivimus*, et can. *Apertè*, 24, q. 1, vel suspensam per appellationem legitimam, cap. *Dilecti;* cap. *Ad præsentiam;* cap. *Præterea*, 2, de Appellat., vel limitatam per judicem altiorem; quare delegatus aliquem excommunicans, contra intentionem delegantis, nihil facit, cap. *Cùm olim*, de Præbend. et Dignit. Secundò censura potest injusta simul et invalida esse ex defectu causæ, si nimirùm feratur vel ob nullam vel ob levem causam aut culpam, pœnæ nullatenùs commensuratam. Porrò tribus modis potest deficere causa, 1° si à parte rei causa seu crimen subsistat, sed non in ordine ad judicium; quia reus desuper nec confessus nec legitimè convictus est. 2° Si causa seu crimen à parte rei non subsistat, sed juridicè contra reum demonstretur, ita ut judex titulum seu causam præsumptam habeat, ferendi censuram. 3° Si neque à parte rei, seu in foro

interno, neque secundùm allegata et fori externi præsumptionem subsistat causa. Denique tertiò censura injusta simul et invalida est ex defectu ordinis substantialis juris. His ita notatis, ad potissimam paragraphi præsentis difficultatem.

91. Respondeo primò : Censura valida, sed injusta sive ob malam judicis intentionem, sive ob omissum ordinem accidentalem juris, producit omnes suos effectus in utroque foro. Navarrus, Avila, Bonacina. Ratio est inprimis quod attinet sinistram judicis intentionem; quòd hæc nec reo, nec censuræ noceat, sed soli judici, ferè ut in ministro sacramentorum, cujus improbitas nec obest sacramento, nec suscipienti, dummodò non desit intentio faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Denique effectus censurarum non sequuntur intentionem ferentis, sed illarum valorem. Similiter res certa est quoad defectum ordinis accidentalis juris; idcircò enim accidentalis est, quia abesse et adesse potest valori censuræ, ejusque effectibus, perinde ut contingit in cæremoniis accidentalibus sacramentorum, quarum defectus ministrum quidem culpæ alicujus arguit, sed nullum potest facere periculum sacramento.

92. Respondeo secundò : Censura lata sine sufficienti ferentis auctoritate ac jurisdictione nullum producit effectum in utroque foro. Ratio est quia evidenter nulla est pro utroque foro.

Respondeo tertiò : Censura lata ob crimen existens secundùm rem, sed non secundùm publicam notitiam judicii, effectus suos pariter non producit; quia est simpliciter irrita, nihil obstante, quòd judex crimen occultum privatâ notitiâ perspectum habeat, cùm judex tanquàm persona publica, secundùm publicam et juridicam notitiam judicare debeat. Navarrus, cap. *Cùm contingat*, de Foro competenti. Avila, Layman, Castropalao.

93. Respondeo quartò : Censura lata in innocentem qui secundùm allegata et probata in judicio censetur nocens, reipsà et in foro conscientiæ non privat eum suffragiis Ecclesiæ aliisque spiritualibus commodis aut facultatibus, cujusmodi sunt jurisdictio in foro interno et externo, potestas conferendi aut acceptandi beneficia ecclesiastica, usus sacramentorum activus et passivus. Interim sententia ejusmodi, secundùm legitimas probationes lata, non est hoc sensu irrita, quasi omni effectu careat. Quare imponit necessitatem existimato reo, ut in facie Ecclesiæ vel saltem coram iis qui censuram sciunt et nesciunt innocentiam, abstineat à sacramentorum usu, communione fidelium, aliisque rebus quæ per censuram prohibentur, donec vel ab eâdem sit absolutus, vel innocentiâ ejus et error judicis publicè innotuerint.

94. Primam hujus responsionis partem docent Gratianus, can. *Si episcopus ante*, 11, q. 3. Cajetanus, 2-2, quæst. 70, art. 4, ad 2; Sotus, 4 dist., 22 quæst., art. 3, corol. 3; Covarruvias, cap. *Alma*, parte 1, § 7, n. 5; Suarez, disp. 4, sect. 7, n. 8; Avila parte 2, cap. 6, disp. 1, dub. 2 et 3; Navarrus, cap. 28, n. 3; Coninck, disp. 13, dub. 13; Toletus, lib. 1, cap. 10; Layman. lib. 1, tract. 5, parte 1, cap. 6, n. 3; Castropalao, de Censuris, disp. 1, puncto 8, n. 15 et 16. Ratio est quia Ecclesia nec vult nec potest excedere limites potestatis suæ : jam verò potestas ferendi censuras duntaxat Ecclesiæ data est in rebelles et contumaces, non etiam in innocentes. Ergo innocentes nec potest nec vult ligare, nisi per accidens, quatenùs id aliquando est necessarium ad publicam disciplinam et conservandam Ecclesiæ auctoritatem. Atque adeò, si hæc ratio cesset, quia res occultè agitur vel coram iis qui hominis innocentiam perspectam habent, non erit is reipsà seu coram Deo censurâ ligatus, *cùm æterni tribunal Judicis illum rerum non habeat, quem injustè judex condemnat*, ut loquitur Innocentius IV, cap. *Cùm æterni*, de Sentent. et Re judic., in 6. Hæc autem sententia et reipsà et secundùm conscientiam condemnati injusta est, licèt in ordine ad forum externum censeatur justa. Proinde non obligat, nisi in ordine ad idem forum seu faciem Ecclesiæ, ne legitimè in foro externo condemnatus, publicæ potestati resistere videatur.

95. Oppositum docent plurimi auctores præstantissimi pro quibus objicies 1° Gregorium, homiliâ 26, in Evang. (et refertur, cap. *Sententia*, et cap. *Non solùm*, 11, q. 3), ubi dicit : *Sententia pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Similiter Urbanus, can. *Quibus*, eâdem causâ et quæstione, *Valdè*, ait, *est timenda sententia episcopi, licèt injustè liget.* Respondet Gratianus, in can. *Si episcopus*, cit., divum Gregorium, sicut et Urbanum non dixisse *sententiam injustè latam esse servandam, sed timendam. Timenda est ergo, id est, non ex superbiâ contemnenda.* Ita Gratianus. Adde intelligi Gregorium et Urbanum posse de sententiâ injustâ, sed validâ, quæ verè et in conscientiâ ligat.

96. Objicies 2° judex procedens secundùm allegata et probata, justè procedit; ergo sententia ejus simpliciter valida est.— Respondeo cum Castropalao, n. 17, negando consequentiam; quia ad valorem sententiæ non sufficit quòd judex justè, id est, servato juris ordine procedat, sed insuper requiritur ut justum præcipiat : quæ conditio deest sententiæ ex falsâ præsumptione procedenti.

Objicies 3° bona quibus fideles per censuram privantur, subsunt dispositioni Ecclesiæ, quæ proinde potest probatum in judicio reum, tametsi reverà innocentem iisdem bonis privare, tum ut judicii servetur integritas, tum ne Ecclesiæ spernatur auctoritas. — Respondeo posse Ecclesiam id facere, si necessarium vel expediens foret ad conservandam auctoritatem suam. Verùm ad hunc effectum prædicta privatio nec expedit, nec requiritur; satis enim providetur per obligationem servandi censuram cum suis effectibus in foro externo seu facie Ecclesiæ. Hæc de primâ parte responsionis.

97. Secundam partem docent S. Thomas, 4, dist. 18, quæst. 2, art. 1, q. 4; S. Antoninus, 3 p., tit. 24, c. 75; Covarruvias, cap. *Alma*, p. 1, § 11, num. 14; Navarrus, Toletus, Layman, Avila, Castropalao Bonacina

et alii. Ratio est quia judex ex officio suo, pertinente ad publicam utilitatem ac disciplinam, cui meritò commoda privata postponi debent, obligatur ad ferendam sententiam secundùm allegata et probata. Proinde reus judicis sententiæ et præcepto parere debet, quatenùs id necessarium est ad publicam disciplinam et conservandam judicis auctoritatem.

98. Hinc sequitur 1° : si clericus reverà innocens, secundùm publicas probationes excommunicatus, exerceat actum ordinis, non fore irregularem. Suarez, num. 20; Avila, dub. 3, concl. 4; Layman, num. 3. Ratio est quia talis non est merè et simpliciter excommunicatus, sed tantùm in ordine ad forum externum. Jam verò canones irregularitatem decernentes violatori censuræ, intelligi debent de verâ et simpliciter dictâ censurâ, quia odia et pœnæ restringenda sunt. Si tamen reipsà innocens, sed publicè condemnatus, cum scandalo et apparente contemptu ecclesiasticæ potestatis celebret, et monitus desistere nolit, tum demùm verè et simpliciter poterit excommunicari propter contumaciam.

Sequitur 2° si excommunicatio propter falsas probationes beneficium ecclesiasticum conferatur, videri validam collationem, licèt in foro externo à judice rescindi vel irrita declarari possit. Suarez, sect. 7, num. 27 et 29; Coninck, concl. 3; Layman cit. Ratio est quia talis censura materialiter injusta non reddit hominem verè et simpliciter inhabilem, sed solùm in ordine ad forum externum et publicam existimationem, quatenùs id necessarium est ad bonum commune ac disciplinam.

99. Respondeo quintò : Quando causa neque subsistit secundùm se, neque secundùm allegata et probata, censura desuper secuta nullum inducit effectum pro utrovis foro. Ratio est quia censura prorsùs est irrita et injusta, continens *intolerabilem errorem*, ut jura loquuntur, cap. *Solet*, cap. *Venerabilibus*, § *Potest*, de Sentent. excommun., can. *Irritam*, et can. *Cui est*, 11, q. 3. Causa tamen nullitatis publicanda est, ut populo non detur scandalum. Navarrus, Avila, Layman et alii. Idem dicendum si prætermissus sit ordo substantialis juris.

§ 11. *De effectibus excommunicationis speciatim, signanter primo.*

100. Agimus de majori, per antonomasiam, acturi postea de minori. Primus autem majoris excommunicationis effectus meritò numeratur privatio suffragiorum Ecclesiæ, de quâ, cap. *A nobis*, 2, cap. *Sacris*, de Sentent. excommun., et alibi. Porrò certum est quòd hic effectus potestatem Ecclesiæ non excedat : cùm enim suffragiorum ac bonorum ejusmodi spiritualium, ex Dei auctoritate sit dispensatrix, potest eisdem excludere rebelles et contumaces, tum in bonum commune fidelium, tum in privatum ipsorum delinquentium, qui gravissimæ illius pœnæ incommodo percussi, ad saniorem mentem meritò redire debeant : *Nihil* enim (ait S. Augustinus, tract. 27 in Joannem, et refertur, cap. *Nihil*, 11, q. 3.) *sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi : si enim separatur à corpore Christi, non est membrum ejus. Si non est membrum ejus, non vegetatur spiritu ejus.* Itaque supposità Ecclesiæ potestate, quæritur de ejusdem voluntate. Quæritur, inquam, quibus suffragiis, et quando, excommunicatos privet Ecclesia. Ante responsionem.

101. Observandum 1° per suffragia intelligi spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suis membris succurrit seu suffragatur, sive in ordine ad satisfactionem pro pœnâ temporali, sive in ordine ad meritum de congruo, sive demùm ad bona quædam spiritualia impetrandum. Dividuntur autem suffragia in communia et particularia. Communia sunt quæ à clericis, quatenùs ministris Ecclesiæ, pro fidelibus offeruntur. Ejusmodi sunt sacrificium missæ, orationes canonicæ, publicæ supplicationes seu processiones, etc., in quibus clericus orat in personâ et nomine Ecclesiæ. Particularia seu privata suffragia sunt, pia opera quæ fiunt à Christianis, non quatenùs Ecclesiæ ministris, sed quatenùs personis particularibus. Talia sunt privatæ orationes, jejunia, opera misericordiæ, consilia evangelica, etc. Est autem differentia considerabilis inter suffragia primi et secundi generis; quòd hæc valorem habeant ex statu et dignitate operantis; illa, etiam hoc seculo, ex dignitate Ecclesiæ, cujus nomine offeruntur. Quare suffragiis secundi generis suus valor perit, operante in statu mortalis constituto : non item primi.

102. Observandum 2° excommunicatum alium esse vitandum seu non toleratum, alium non vitandum seu toleratum. Vitandus seu non toleratus est inprimis, qui nominatim denuntiatus est. Constat ex concilio Constantiensi seu Extravagante *Ad evitanda*. Censetur autem nominatim denuntiari, quando expresso nomine proprio aut circumstantiâ personam individuam determinante, puta, si dicatur : Prætor aut parochus hujus vel illius loci. Quare non sufficit nominatim excommunicatum esse, si denuntiatio non accedat : utrumque enim requirit concilium Constantiense, et ut sit excommunicatus, et ut sententia excommunicationis sit *à judice publicata vel denuntiata specialiter et expressè*. Quare si Pontifex vel episcopus excommunicet ac denuntiet Petrum certi criminis auctorem cum fautoribus suis, solus Petrus vitandus est; quia solus nominatim denuntiatus. Sylvester, Reginaldus, Avila, Cajetanus, Covarruvias, Navarrus, Bonacina et alii communiter. Secundò, excommunicatus vitandus est notorius percussor clerici, quando nimirùm delictum ita est publicum, ut nullâ tergiversatione celari, nullâ probabili ratione excusari possit. Cæteri autem sunt tolerati seu non vitandi, ex eodem concilio Constantiensi, de quo latiùs infra.

103. Observandum 3° excommunicatum posse persistere in suâ contumaciâ post censuram; posse item cervicem flectere Ecclesiæ, resipiscere et per veram cordis contritionem redire in Dei amicitiam ante obtentam censuræ absolutionem : quibus præmissis,

Respondeo primò : Nullus excommunicatus excluditur privatis fidelium suffragiis. Quare potest unus-

quisque privatim et proprio nomine orare, jejunare aut alia pia opera exercere pro conversione et resipiscentiâ excommunicati. Ita omnes doctores. Ratio est quòd priorum operum privatim exercitorum unusquisque sit dominus, potens eadem dispensare prout voluerit, sine ullâ contradictione Ecclesiæ, quæ de similibus non disponit.

104. Respondeo secundò : Licitum est, etiam publicè orare pro quibusvis excommunicatis, feriâ sextâ Parasceves. Suarez, Sayrus, Filliucius, Reginaldus, Alterius, Hugolinus, Bonacina. Ratio est quia ita consuevit Ecclesia, sui præcepti domina, orans in sacrificio missæ pro hæreticis et schismaticis, sine dubio excommunicatis. Meritò autem id facit Ecclesia eo die quo recolitur memoria passionis Christi : cùm enim hæc olim fuerit pro omnibus sine exceptione hominibus ex seriâ Christi intentione oblata, non est conveniens ut Ecclesia ejusdem passionis memoriam celebrans, aliquos à suo sacrificio excludat. Quapropter orat non solùm pro fidelibus Christianis, verùm etiam pro gentilibus aut paganis, ut auferatur velamen de cordibus eorum ac relictis idolis suis convertantur ad Deum vivum et verum.

105. Respondeo tertiò : Extra feriam sextam Parasceves non est licitum orare publicè pro excommunicato, non tolerato. Est certa et apud omnes doctores indubitata sententia : in eo enim consistit primus excommunicationis effectus, de quo, cap. *A nobis*, 2, et cap. *Sacris*, de Sentent. excommun. Hinc patet 1° quòd excommunicato vitando applicans suffragia communia, ut horas canonicas, sacrificium missæ, nomine Ecclesiæ oblatum, peccet mortaliter. Ratio est quia violat præceptum Ecclesiæ graviter obligans : eodem enim præcepto quo privantur excommunicati potestate passivâ recipiendi suffragia communia, privantur pariter fideles cæteri potestate activâ offerendi. Patet 2° probabilem esse sententiam Navarri, Bonacinæ et aliorum, quòd orationem publicè fundens pro excommunicato vitando, ipse incidat in Minorem excommunicationem : communicat enim cum excommunicato vitando, quod ad minorem excommunicationem incurrendam satis est.

106. Respondeo quartò : Probabiliùs privatur communibus Ecclesiæ suffragiis excommunicatus, etiam teleratus seu non vitandus. Oppositum responsionis docent Sayrus, Henriquez, Navarrus, Coninck, Reginaldus, Hugolinus, Castropalao et alii, argumento concilii Constantiensis, quod indulsit fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis. Nostra verò sententiâ videtur probabilior, quam sequuntur Suarez, Filliucius, Alterius, Sotus, Bellarminus, Avila, Covarruvias, Vasquez et alii. Ratio est quia Ecclesia suffragiis communibus excludit simpliciter excommunicatos; ergo intelligitur de utrisque, et vitandis, et toleratis. Concilium autem Constantiense *Ad evitanda scandala* non concessit internam suffragiorum communionem, sed tantùm externam, consistentem in audiendâ missâ, recitando divino officio, etc. Deinde concilium eam solummodò fidelium et excommunicatorum communionem concessit, quæ in illorum favorem cederet, nullatenùs intendens obsequium præstare ipsis excommunicatis. Suffragia verò communia à fidelibus cæteris pro excommunicatis oblata, certum est quòd horum potiùs quàm illorum commodum et favorem importarent. Tandem ipsa excommunicationis ratio in eo consistit, quòd excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis privet, atque adeò contra intentionem Ecclesiæ et ipsam excommunicationis institutionem faceret, qui illorum bonorum tentaret eos participes reddere.

107. Respondeo quintò : Excommunicatus, quamdiù non obtinuit censuræ absolutionem, manet privatus communibus Ecclesiæ suffragiis, quantùmvis supponatur contritus. Est contra Navarrum, Sayrum, Avilam, Valentiam et alios. Moventur benignitate Ecclesiæ, quam supponunt non velle istis subsidiis privare subditos suos, jam contritos ac resipiscentes, maximè si per ipsos non steterit, quominùs absolverentur à censurâ. Accedit, quòd excommunicatus, per veram cordis contritionem ad Deum conversus, sit vivum membrum Ecclesiæ, atque adeò debeat membrorum aliorum subsidiis vegetari. Interim rectiùs nobiscum docent Sotus, Suarez, Coninck, Layman, Hurtadus, Vasquez, Hugolinus, Filliucius, Reginaldus, Castropalao, Bonacina. Probatur 1° ex cap. *A nobis*, de Sentent. excommun., ubi Innocentius III, docet, pro excommunicato defuncto, qui ante mortem signa veræ contritionis exhibuit, non esse faciendas oblationes aut instituendas publicas orationes, antequàm ab excommunicatione absolvatur; quia licèt solutus sit vinculo culpæ quoad Deum, nondùm tamen solutus est vinculo censuræ.

108. Probatur 2° quia excommunicatus, quantùmvis supponatur contritus, manet excommunicatus; censura enim excommunicationis non tollitur contritione seu pœnitentiâ, sed absolutione. Probatur 3° quia censura non incurritur per peccatum, nisi demeritoriè, sed per Ecclesiæ auctoritatem; ergo non tollitur per privationem peccati, contritionem perfectam aut statum gratiæ, sed per Ecclesiæ auctoritatem : quia per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Jam verò, quamdiù manet excommunicatio, tamdiù durant effectus ejus, quorum primus est privatio communium suffragiorum Ecclesiæ. Neque id repugnat benignitati Ecclesiæ, cùm cedat in majorem censuræ reverentiam et timorem, ut aliter non tollatur quàm per authenticam absolutionem. Quòd verò excommunicatus in casu sit membrum vivum, fidelibus cæteris et eorum capiti Christo conjunctum per fidem et charitatem, id nihil præterea probat quàm quòd communicet cum fidelibus in privatis suffragiis et orationibus.

109. Respondeo sextò : Sacerdos, tanquàm persona privata, validè et licitè orat pro excommunicato, in sacrificio missæ : tanquàm minister Christi validè, sed illicitè applicat sacrificium excommunicato contrito : tanquàm minister Ecclesiæ, nec validè nec licitè. Conclusio quoad omnes partes est communis.

Suarez, Avila, Bonacina, Navarrus, Filliucius, Reginaldus, Castropalao, Herincx et alii. Ratio primæ partis est quia nec Deus, nec Ecclesia prohibet privatam orationem fundi pro quovis excommunicato. Ratio secundæ partis est quòd id quidem prohibitum sit ab Ecclesiâ, sed applicatio nullibi declaretur irrita, sive quoad fructum satisfactorium, sive impetratorium. Ratio tertiæ partis est quia id Ecclesia in sacris canonibus prohibet, nec habet intentionem orandi pro talibus; atque adeò oratio pro iisdem, nomine Ecclesiæ fusa, nullum habebit effectum. Vide, quæso, Herincx, part. 4, tract. 3, disp. 8, q. 5, n. 61.

§ 12. *De secundo effectu excommunicationis.*

110. Secundus majoris excommunicationis effectus est privatio usûs passivi sacramentorum, cap. *Cùm illorum*, cap. *Si quem*, de Sentent. Excommun. Quocirca quæritur 1° qualiter et quando peccet excommunicatus, suscipiens sacramentum; 2° quam pœnam incurrat; 3° quomodò et quando peccet ministrans sacramentum excommunicato; 4° quam pœnam incurrat; 5° an excommunicatus suscipiat validè sacramentum confirmationis, extremæ unctionis, ordinis aut matrimonii; 6° an etiam pœnitentiæ; 7° quid si pœnitens ritè confessus et contritus, invincibiliter sit oblitus censuræ.

Ad primam quæstionem respondeo : Excommunicatus, etiam toleratus, per se loquendo, mortaliter peccat, suscipiendo aliquod sacramentum. S. Thomas, Navarrus, Sayrus, Suarez, Henriquez, Hugolinus, Filliucius, Bonacina et alii. Ratio est quia prohibetur locis sup. citatis cuilibet excommunicato susceptio sacramentorum; quod præceptum, cùm versetur in gravi materiâ, graviter obligat. Dixi autem, *per se loquendo;* nam excusari poterit à mortali per periculum mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ notabilis bonorum; quia lex Ecclesiæ secundùm doctores communiter cum tanto onere obligare non censetur.

111. Ad secundam respondeo : Inprimis certum est quòd nullam incurrat pœnam, si suscipiendo non peccet, ut in casibus statim allegatis. 2° Nullam incurrit pœnam, si suscipiat sacramentum ab ordine distinctum, quia nulla pœna jure decreta est in ejusmodi suscipientem. 3° Suscipiens sacramentum ordinis, suspenditur ab ejus exercitio, cap. *Cùm illorum*, de Sentent. Excommun.

112. Ad tertiam respondeo 1° : Sacerdos ministrans sacramentum excommunicato tolerato non peccat in legem excommunicationis. Constat ex concilio Constantiensi, quo permittitur fidelibus communicatio cum excommunicatis toleratis, in rebus sacris et sacramentis. Peccat nihilominùs in jus divinum et naturale, quo cautum est ne sacramenta præbeantur indignis. Neque concilium Constantiense potuit aut voluit in illo jure dispensare, sed in solâ lege ecclesiasticâ, quâ nuper talis communicatio erat interdicta. Vasquez, Suarez, Filliucius, Alterius, Bonacina. Respondeo 2° : Sacerdos ministrans sacramentum excommunicato vitando, peccat mortaliter. Ita communiter doctores. Ratio est quia violat graviter grave præceptum Ecclesiæ, quo prohibetur fidelibus omnibus communicatio cum excommunicatis vitandis, cap. *Cùm desideres*, cap. *Significavit*, de Sentent. Excommun., variis canonibus, 11, q. 3, cap. *Episcoporum*, de Privilegiis, in 6, et Extravag. *Ad evitanda*.

113. Ad quartam respondeo : Ministrans sacramentum excommunicato vitando, præter peccatum mortale incurrit 1° excommunicationem minorem; hæc enim incurritur ob communicationem cum excommunicato vitando; 2° incurrit ipso jure interdictum ab ingressu ecclesiæ, cap. *Episcoporum*, de Privilegiis, in 6, ubi statuitur, interdictos fore ingressu Ecclesiæ, qui *Excommunicatos publicè vel interdictos, ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittunt;* 3° incurrit majorem excommunicationem, Pontifici reservatam, si scienter et spontè sacramentum ministret excommunicato nominatim per Pontificem ac denuntiato, cap. *Significavit*, de Sentent. Excommunicat.; 4° ministrans sacramentum excommunicato propter hæresim vel favorem hæretico præstitum, etc., suspendendus est ab officio, nec restituendus sine Sedis Apostolicæ speciali indulto, cap. *Excommunicamus*, 1, § *Credentes*, de Hæreticis.

114. Ad quintam respondeo affirmativè. Communis sententia. Ratio est quia excommunicatio non est impedimentum dirimens illorum sacramentorum, quorum valor pendet quidem à materiâ, formâ, intentione ministri, baptismo subjecti, etc., non tamen à relaxatione istius pœnæ. Deinde sacri canones, interdicentes usum passivum sacramentorum excommunicatis, possunt ac debent inteliigi de merâ prohibitione.

Ad sextam respondeo : Excommunicatus, à censurâ non absolutus, extra necessitatem, per se loquendo, invalidè recipit sacramentum pœnitentiæ. Iterùm communis sententia. Ratio est quia sacramenti hujus materia proxima, ad valorem ejus indispensabiliter requisita, est recta dispositio suscipientis per verum et serium dolorem, quem nequit habere excommunicatus, suscipiens culpabiliter sacramentum contra gravem Ecclesiæ prohibitionem : repugnat enim, serium dolorem peccato mortali actuali simultaneum esse : repugnat, inquam, ut verè aliquis doleat de peccato, quod ipsâ sacramenti susceptione committitur.

115. Ad septimam respondeo : Si excommunicatus ritè confiteatur peccata sua, sed per ignorantiam aut oblivionem invincibilem non exprimat censuram, nec ab eâdem absolvatur per sacerdotem, plurimi doctores sustinent, peccatorum absolutionem irritam et invalidam esse. Sylvester, Sotus, Vasquez, Hurtadus et alii. Probatur hæc opinio 1° ex cap. ult., de Clerico Excommun. minist., ubi de clerico, minoris excommunicationis censurâ innodato dicitur, quòd collata ab eo sacramenta, virtutis non careant effectu, *cùm non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in solâ consistit perceptione) remotus.* Hinc deducitur, cùm excommunicatus majori excommunicatione

remotus sit non solùm à collatione, sed etiam à participatione seu perceptione sacramentorum, tam ab eo collata quàm percepta, virtutis carere effectu seu invalida esse. Probatur 2° quia Ecclesia per hanc censuram intendit excommunicatum à sacramentorum participatione removere, quantùm potest. Removebit autem longiùs, si sacramentorum perceptionem statuat, non solùm illicitam, sed etiam invalidam; id quod Ecclesiæ potestatem non excedit; debebit enim solummodò excommunicatum subtrahere jurisdictioni sacerdotis, aut huic in illum potestatem negare. Probatur 3° Ecclesia præcipit ut fugiamus excommunicatum, præcipuè denuntiatum, sicut ethnicum et publicanum : atqui adeò nobis interdicta est cum ethnicis et publicanis communicatio, ut conferri iis validè nequeat sacramentum pœnitentiæ. Denique absolutio data ab excommunicato vitando est nulla; ergo et recepta.

116. Oppositam reverà probabiliorem tenent Covarruvias, Navarrus, Henriquez, Hugolinus, Sayrus, Suarez, Coninck, Layman, Bonacina, Herincx et alii, quibuscum dicimus, valere sacramentum pœnitentiæ, susceptum ab excommunicato, etiam non tolerato, cætera rectè disposito et procedente per invincibilem ignorantiam sive oblivionem. Ratio est quia in casu nihil deficit eorum, quæ requiruntur ad valorem et fructum sacramenti : adsunt ex parte pœnitentis materia proxima, et remota, ex parte sacerdotis intentio et jurisdictio. Quid autem præterea requiritur ad valorem et fructum sacramenti? Porrò clarum est adesse ex parte pœnitentis materiam remotam, seu peccata post baptismum commissa, et proximam, id est, confessionem sacramentalem cum vero et serio dolore supernaturali : nec enim doloris efficaciam infirmare potest præcepti ecclesiastici transgressio, merè materialis, ratione invincibilis ignorantiæ. Aliud foret, si censuræ certò contractæ ignorantia vel oblivio culpabilis esset, et cum eâdem (non præmissâ censuræ relaxatione) reciperetur sacramentum : nam ignorantia vincibilis non excusat à formali legis transgressione, atque adeò nec à mortali formali peccato in præsenti casu; quod nequit consistere cum serio et efficaci dolore vel proposito non peccandi.

117. Similiter videtur certum, ex parte sacerdotis adesse intentionem, sacramentaliter absolvendi, et jurisdictionem : supponitur enim confessarium esse legitimè institutum ad audiendum confessiones. Jurisdictionem autem ipsius nullam esse respectu pœnitentis excommunicati, gratis asseritur : nam sacri canones desuper tractantes commodè intelliguntur de prohibitione actûs, quæ non tollit ejusdem valorem, nisi indirectè, quatenùs arguere potest indispositionem pœnitentis, qui contra grave præceptum Ecclesiæ, non ablatâ censurâ, voluntariè reciperet sacramentum. At hæc ipsa indispositio non habet locum in casu invincibilis ignorantiæ, idque (ut notat Herincx cum aliis) sive pœnitens procedat per ignorantiam facti, quâ invincibiliter non recordatur Excommunicationis, aut ignorat, se commisisse delictum, cui excommunicatio est annexa : sive procedat ex ignorantiâ juris, quâ invincibiliter ignorat, absolutioni à peccatis prærequiri absolutionem ab excommunicatione. Imò etiam, quantumvis confessarius procederet malâ fide, non volens aut non potens à censurâ absolvere. Ita Herincx

118. Ad primum oppositæ sententiæ fundamentum ex cap. ult., de Clerico Excommun. minist., respondeo : Si legitima istius argumenti consequentia foret, sequeretur quòd excommunicatus minori excommunicatione, invalidè recipiat sacramentum pœnitentiæ, tametsi inculpabiliter. Imò idem sequeretur de quolibet alio sacramento; quod tamen falsissimum est. Dicendum itaque quòd minori excommunicatione affecto prohibitum non sit, sacramenta conferre, quæ proinde ex parte ministri non carebunt fructu vel effectu, cùm ministrando non peccet. Carebunt autem effectu, per se loquendo, si recipiat, cùm receptio ei interdicta sit.

119. Si autem sufficientem recipiendi excusationem habeat, et valida et fructuosa erunt. Ad secundum fundamentum, respondeo negando quòd Ecclesia excommunicatum à se et suis sacramentis removeat, quantùm potest. Aliàs non permitteret, pro ipso etiam denuntiato privatas orationes fundere. Ad tertium respondeo, consilium, non præceptum esse, ut tanquàm ethnicum et publicanum fugiamus excommunicatum, nisi in casibus et circumstantiis, jure determinatis. Ad quartum respondeo, tam collationem quàm receptionem absolutionis, ab excommunicato vitando factam, per se loquendo, invalidam esse. Sed sicut potest collatio in aliquo casu subsistere, nempe in articulo mortis; sic potest in aliquo casu subsistere receptio, nimirùm dum recipiens culpâ vacat ob invincibilem ignorantiam. Denique differentia est quòd excommunicatus denuntiatus privetur jurisdictione activâ, non autem passivâ : privatio enim passivæ jurisdictionis redundaret in præjudicium innocentis sacerdotis.

§ 13. *De tertio effectu excommunicationis.*

120. Tertius majoris excommunicationis effectus, est privatio usûs activi sacramentorum; cap. *Latores;* cap. *Si celebrat;* cap. *Illud*, de Clerico excomm. minist. Quocirca quæritur 1° an et quæ sacramenta validè administret excommunicatus vitandus? 2° an et quæ licitè? 3° qualiter peccet administrando? 4° quam pœnam incurrat? 5° qualiter peccet petens ab eodem sacramentum? 6° an et quæ sacramenta validè administret excommunicatus tolleratus? 7° an et quæ licitè? 8° an et quam pœnam incurrat?

121. Ad primam quæstionem respondeo primò : Excommunicatus vitandus validè administrat omnia sacramenta præter pœnitentiam. Suarez, Bonacina, Vasquez, Alterius, Castropalao et alii communiter. Ratio est quia sacramenta valida sunt, quoties adsunt materia, forma et intentio : hæc autem omnia adesse supponimus, quando excommunicatus vitandus sacramentum confert. Excommunicatio verò prohibet quidem, sed non irritat collationem sacramenti. Hinc sequitur valere matrimonium, cui assistit parochus ex-

communicatus, non toleratus. Ita Bonacina, Herincx et alii contra Avilam.

122. Respondeo secundò : Sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato vitando administratum, per se loquendo est invalidum. Hugolinus, Suarez, Sayrus, Henriquez, Vasquez, Filliucius, Reginaldus, Coninck, Covarruvias, Navarrus, Layman, Bonacina, Castropalao. Ratio est quia ad sacramentum pœnitentiæ validè administrandum requiritur jurisdictio, quâ privatur excommunicatus vitandus, cap. *Ad probandum*, de Sentent. et Re judic., cap. *Romana*, de Officio vicarii, in 6, cap. *Si celebrat*, de Clerico Excommun. ministrante ; et alibi : quibus textibus etsi sermo sit de jurisdictione contentiosâ, extendi nihilominùs à doctoribus solent ad quamvis voluntariam jurisdictionem. Navarrus, Covarruvias, Avila, Suarez, Coninck, Layman, Bonacina. Respondeo tertiò : Excommunicatus vitandus per accidens sacramentum pœnitentiæ validè administrat : 1° quidem in eo loco, in quo ignota est excommunicationis ejus denuntiatio, sic ut communi errore populi ac titulo colorato habeatur pro legitimo ministro sacramenti. Bonacina, Suarez, Hugolinus, Filliucius, Coninck, Alterius et alii: Ratio est ex præsumptâ voluntate Ecclesiæ, quæ stante titulo colorato cum communi errore vulgi censetur jurisdictionem vel relinquere vel conferre, ne fideles decipiantur : argum., l. *Barbarius*, ff. de Offic. prætorum. 2° Excommunicatus vitandus validè administrat sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis, quando sacerdos alius non est præsens, à quo recipi absolutio possit. Sententia satis communis post concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7, ubi dicitur quòd *omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes*, in articulo mortis *à quibusvis peccatis et censuris absolvere* possint. Et Rituale Romanum, *si periculum*, inquit, *mortis immineat approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest à quibuscumque peccatis et censuris absolvere*. Sed de hoc alibi latiùs.

123. Ad secundam quæstionem respondeo primò : Excommunicatus vitandus, supposito statu gratiæ, licitè administrat sacramentum, cujus est capax, seclusâ censurâ, quando aliàs incurreret periculum mortis, mutilationis, aut gravis jacturæ bonorum temporalium. Avila, Suarez, Coninck, Bonacina, Castropalao, Sayrus et alii. Ratio est quia non præsumitur pia mater Ecclesia velle quempiam suis legibus cum tanto incommodo obligare. Excipitur casus, quo metus intentaretur in contemptum censuræ vel ecclesiasticæ auctoritatis : tum enim actio, tanquàm intrinsecè mala, nullo periculo honestari posset. Secundò licitè administrat sacramentum pœnitentiæ sacerdos excommunicatus, non toleratus, in defectu alterius et extremo proximi periculo. Constat ex supra dictis et inferiùs dicendis. Tertiò, in extremâ proximi necessitate et defectu alterius ministri licitè administrat sacramentum baptismatis. Ratio est quia extrema proximi necessitas facit, ut cesset vel suspendatur tantisper rigor præcepti ecclesiastici, ne pœna delinquentis fiat etiam innocentis cum gravissimo ejusdem præjudicio.

124. Dixi, *in defectu alterius ;* quia si adsit alius, eo modo non impeditus, qui baptizare paratus sit sacerdos nominatim excommunicatus, etiam pastor, non potest licitè baptizare; jam enim nulla subest necessitas, quæ erat causa excusans actionem ejus à peccato. Unde etiam eo casu sacerdoti nominatim excommunicato præferendus est laicus non impeditus. Vide Suarez, disp. 11, sect. 1, n. 12, et Præpositum, q. 2, dub. 8, num. 49. Sed dubitari posset an sacerdos nominatim excommunicatus, in defectu alterius possit solemniter baptizare? Videtur, quòd nequeat : quia solemnitas baptismi non requiritur ad salutem proximi, cujus periculum potestatem baptizandi facit excommunicato vitando. Confirmatur : in concursu sacerdotis nominatim excommunicati, et laici non impediti, hic illi præferendus est, ut statim dictum, cùm tamen laicus solemniter baptizare non possit.

125. Igitur nominatim excommunicatus, in defectu alterius et extremâ proximi necessitate baptizans, non potest eo ipso adhibere baptismi solemnia. Interim respondeo, probabiliùs posse, quia sacerdos, respectu cujus cessat vel suspenditur rigor præcepti ecclesiastici, videtur posse conferre baptismum cum omni eâ cæremoniâ, quam ex suo gradu adhibere potest et quâcum ex gravissimo præcepto Ecclesiæ baptismus est conferendus ab eo qui harum cæremoniarum est capax. Quartò, excommunicatus vitandus potest in gravi necessitate administrare sacramentum eucharistiæ vel extremæ unctionis : cùm enim hæc sacramenta sint ad salutem utilissima, imò possint quandoque esse necessaria, potest moribundus esse in gravi necessitate eamdem recipiendi, ratione cujus necessitatis cessat præceptum negativum Ecclesiæ, quo sacramentorum administratio excommunicatis vitandis interdicta est. Vide præpositum n. 50.

126. Ad tertiam respondeo, excommunicatus vitandus, extra casus jam recensitos, ministrans aliquod sacramentum, peccat mortaliter; quia transgreditur præceptum Ecclesiæ, graviter obligans. Multò autem graviùs si administret pœnitentiam, utpote faciens sacramentum irritum defectu jurisdictionis, et graviter decipiens pœnitentem, qui obligatur ad repetendam confessionem suam, si quidem de mortalibus fuerit, quantumvis bonâ fide seu inculpatâ ignorantiâ processerit. Quòd si ignorantia voluntaria fuerit, obligatur, non solùm repetere confessionem, sed etiam addere peccatum mortale novum, quo sacramentum suscepit invalidè et communicavit cum excommunicato vitando. Hinc sequitur 1° quòd sacerdos nominatim excommunicatus graviter peccet audiendo confessionem etiam solorum venialium : nam sacramentum est nullum defectu jurisdictionis : enim sacerdoti competit jurisdictio, etiam in venialia, nisi jure ecclesiastico, ut habet verior et magis communis opinio; Ecclesia verò nullam jurisdictionem cedit vel relinquit excommunicato vitando, extra casus superiùs enumeratos. Sequitur 2° quòd mortaliter peccet excommunicatus vitandus contrahens matrimonium, non ablatâ censurâ; quia non solùm est subjectum,

sed etiam minister sacramenti, in probabiliori opinione eorum qui docent, sacerdotem matrimonio assistentem, esse ministrum solius solemnitatis. An autem in eâdem opinione, sacerdos vel parochus, nominatim excommunicatus, peccet mortaliter assistendo, dubitari posset. Affirmat Avila peccare mortaliter, non quidem tanquàm sacramenti ministrum, sed tanquàm communicantem cum fidelibus contra Ecclesiæ voluntatem et censuram suam.

127. Ad quartam respondeo : Excommunicatus vitandus, illicitè ministrans sacramentum, vel sacrum ordinem exercens, incurrit Irregularitatem. Patet ex can. : *Si quis episcopus damnatus*, et can.: *Si quis episcopus in concilio*, 11, q. 3, cap. *Is cui*, de Sentent. Excommun., in 6, cap. *Si celebrat*, de Clerico Excommun. ministrante. Dixi, *illicitè ministrans sacramentum.* Quare quidquid excusat ministrantem à culpâ, excusat pariter ab irregularitate, utpote in pœnam delicti ordinata, cap. *Apostolicæ*, de Clerico Excomm. ministr. Proinde irregularitatem non incurrit, qui sacramentum ministrat vel sacrum ordinem exercet ex ignorantiâ invincibili juris aut facti, quâ videlicet nescit censuram vel effectum ejus. Idem est de eo qui absque scandalo vel infamiâ omittere nequit sacrificium missæ. Dixi etiam, *sacrum ordinem exercens;* quia propter exercitium minorum ordinum, irregularitas non incurritur; sed neque, si sacer actus exerceatur eo modo, quo potest exerceri sine ordine, ut ait Herincx, num. 132, ex Suarez, disp. 42, sect. 5, n. 1, et Proposito, dub. 5, quæst. 6, n. 37.

128. Ad quintam respondeo : Petens aut recipiens sacramentum ab excommunicato vitando, mortaliter peccat. Ita communiter doctores. Ratio quia transgreditur grave præceptum Ecclesiæ, et eodem jure ac modo, quo prohibetur excommunicatis vitandis administratio sacramentorum activa, prohibetur etiam passiva suscipientibus. Excusantur autem à peccato 1° per necessitatem; 2° per ignorantiam inculpabilem.

Ad sextam respondeo : Excommunicatus toleratus seu non vitandus validè administrat sacramenta quælibet, quorum capax est, remotâ censurâ. Communis sententia, quæ nullâ laborat difficultate, nisi forsitan circa solum sacramentum pœnitentiæ. Sed et hoc certò est validum, tum ex parte jurisdictionis, cujus usu non privatur sacerdos toleratus, tum ex parte pœnitentis, qui petendo mortaliter non delinquit, non solùm quando ignorat illum esse excommunicatum, sed etiam quando scit; idque sive excommunicatus sit proprius parochus, sive sacerdos alius; et rursùs sive adsit sive desit necessitas petendi, ut statim dicetur ex concilio Constantiensi. Bonacina, Castropalao, Suarez, Filliucius, Coninck.

129. Ad septimam respondeo primò : Excommunicatus toleratus non potest se ultro ingerere vel offerre ad ministrandum aliquod sacramentum. Ratio est quia relaxatio excommunicationis in hâc parte per concilium Constantiense facta, cedit solummodò in favorem fidelium, qui nullum patiuntur gravamen occasione excommunicationis, etsi excommunicatus se sponte non offerat ad conferendum sacramentum; sed tum solùm, quando postulatum sacramentum conferre non posset. Quare respondeo secundò : Excommunicatus toleratus licitè administrat sacramentum, quotiescumque aliquis id ab ipso ob causam sufficientem aut aliquam utilitatem postulat : nam eo ipso, quo conceditur non excommunicato, ut possit excommunicatum inducere, conceditur pariter excommunicato, ut possit ministrare. Aliàs inductio peccaminosa esset, tanquàm ad malum provocans. Unde (quidquid aliqui contradicant) ab excommunicato tolerato peti potest sacramentum, non habito respectu ad censuram, quantùmvis alii ministri adsint : nec sacramenti administratio eidem aliâ ratione interdicitur, quàm si foret extra statum gratiæ, vel, ut supra diximus, citra alterius instantiam aut petitionem ultro se præsentaret. Ratio sumitur ex generali concessione Extravag. *Ad evitanda.*

Ad octavam respondeo : Excommunicatus toleratus, illicitè administrans sacramentum vel exercens ordinem sacrum, incurrit Irregularitatem. Constat ex sacris canonibus, sup., num. 127, adductis. Vide Castropalaum, num. 9.

§ 14. *De quarto effectu excommunicationis.*

130. Quartò prohibetur excommunicatis, per se loquendo, celebratio missæ, cap. *Latores*, cap. *Illud*, cap. *Fraternitati*, de Clerico Excommun. minist. Quare sacerdos celebrans ante obtentam majoris excommunicationis absolutionem, peccat mortaliter, quantùmvis aliàs sit toleratus; cùm et materia præcepti sit gravis, et nullus hâc in parte præstetur favor excommunicatis per Extravagantem, *Ad evitanda*, ut supra breviter dictum, postea verò latiùs.

131. Dixi, *per se loquendo :* per accidens enim diversis casibus excusari poterit à peccato. Primò, si excommunicatus, etiam nominatim, gravi metu cogatur ad celebrandum, dummodò non fiat in contemptum censuræ, religionis vel ecclesiasticæ auctoritatis, non peccat in censuram, celebrando, v. g., si princeps volens audire sacrum festo vel dominico, nec habens sacerdotem alium, quàm nominatim excommunicatum, eumdem metu absolutè gravi et seriò incusso compellat ad celebrandum; hic, si non possit commodè violentiam declinare, celebrando non peccabit in legem excommunicationis. Peccabit tamen contra jus divinum, 1 Corinth. 11, si sit in statu mortalis. Quod si princeps acatholicus incutiat metum ad eumdem effectum ex motivo irridendi sacramentum vel sacrificium, subeundum potiùs quodvis incommodum, quàm violenda censura per celebrationem. Vide quæ supra diximus, n. 74.

132. Secundò, si excommunicatus sacro abstinere non possit sine notabili infamiâ vel gravi scandalo, probabilis est variorum opinio, celebrare posse : id quod existimant verum, non solùm de eo, cujus excommunicatio est omninò occulta, sed etiam de illo, cujus status est alibi publicus : quamvis enim hypothesis non sit adeò practica respectu loci, in quo publicè constat de censurâ; si tamen excommunicatus

se conferat ad eum locum, in quo excommunicatio est occulta, nec possit sine gravi infamiâ abstinere sacro, existimant, eumdem posse celebrare sine peccato in rgem excommunicationis.

133. Tertiò, si necessarium sit sacrificium, ut detur communio moribundo, cui aliter succurri non potest : cùm enim in illo articulo communio variis casibus possit moribundo necessaria esse ad salutem, non videtur Ecclesia cum tanto fidelium periculo ac detrimento suam legem urgere. Ob eamdem causam videtur sacerdos excommunicatus, morti vicinus, non habens copiam alterius sacerdotis, cui possit confiteri vel à quo possit sacram synaxim recipere, conficere eucharistiam ipse posse, ut sibi provideat. Nec dicas, sacerdotem in casu celebrare non posse, nisi præmissâ contritione, quam ubi elicuit, jam erit in statu gratiæ, et consequenter eucharistiâ ad hunc effectum non indigebit et proinde eo titulo celebrare non poterit. Ne, inquam, id dixeris : nam respondeo, non posse quidem celebrare in casu sacerdotem, nisi præmisso conatu ad eliciendam contritionem, atque adeò nisi bonâ fide existimet se contritum ; si tamen eam reipsà non habeat, servire poterit sacramentum ad ejus justificationem, et ita necessarium esse, si non omnimodà necessitate, saltem ut certiùs recuperet gratiam et ad æternam vitam disponatur.

134. Quartò, pastor excommunicatus toleratus, celebrare potest, ut subditi sacrum audiant die obligante, si id requirant in defectum alterius : quia subditi petendo non peccant, cùm jus habeant et per Extravagantem, *Ad evitanda*, possint cum eodem communicare. Quare parochus celebrans ad illorum instantiam, non peccabit ; nec parochus solùm, sed quivis alius sacerdos excommunicatus toleratus, dummodò se spontè non ingerat. Ita Præpositus, quæst. 2, dub. 8; Herincx, § 7, et alii.

§ 15. *De quinto effectu Excommunicationis.*

135. Quintus majoris excommunicationis effectus est privatio divinorum officiorum, c. *Illud*, de Clerico Excommun. minist., cap. *Nuper*, de Sent. Excommun., cap. *Alma noster*, eod. tit., in 6. Quæritur autem 1° quid intelligatur nomine divinorum officiorum? 2° An et qualiter prohibitum sit excommunicato audire missam? 3° Quam pœnam incurrat audiendo? 4° An teneatur procurare absolutionem excommunicationis, vi præcepti ecclesiastici de audiendo missam? 5° An et qualiter fideles peccent audientes missam cum excommunicato? 6° Qualiter se gerere debeant fideles et sacerdos celebrans, ingresso in ecclesiam excommunicato? 7° An excommunicatus possit publicè recitare officium horarum canonicarum? 8° An excommunicatus, ad recitandum horas canonicas alioquin obligatus titulo beneficii, ordinis sacri vel professionis, possit ac teneatur easdem recitare privatim? 9° Possitne cum socio regere? 10° Possitne concionari vel alterius concioni interesse, aut docere vel discere theologiam aut sacram Scripturam? 11° Possitne benedicere chrisma, templa, calices, paramenta, sponsos, candelas, etc.? 12° An prohibeatur ingressu ecclesiæ?

136. Ad primam quæstionem respondeo, nomine divinorum officiorum intelligi primò, sacrificium missæ : secundò, officium canonicum septem horarum : tertiò, publicam processionem : quartò, omnem publicam orationem, quæ ex Ecclesiæ vel Christi institutione solemniter funditur, et exigit aliquem ordinem, seu sacrum, seu minorem : quintò, solemnem benedictionem aquæ, palmarum, candelarum, chrismatis et similium. Colligitur ex cap. *Si quis episcopus damnatus* ; cap. *Si quis episcopus in concilio*, et aliis, 11, q. 3, cap : *Cùm medicinalis*, cap. *Is qui*, de Sentent. ex comm. Accedit communis interpretatio doctorum, ut testatur Suarez, disp. 12, sect. 2, n. 2. Respondeo 2° nomine divini officii non comprehendi concionem sacram, aut lectionem theologicam. Et quidem quod ad concionem attinet, constat ex jure, cap. *Episcopus*, 2, de Consecr. dist. 1, ubi statuitur ut *Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum.* Et cap. *Responso*, de Sentent. Excommun., permittitur concionari etiam excommunitatis, intellige, si sint occulti et id fiat in favorem aliorum. Similiter omnium doctorum sententia est, sub nomine divini officii lectionem theologiæ vel S. Scripturæ non comprehendi. An autem aliunde lectio vel concio sacra, sit interdicta excommunicatis, dicetur infra.

137. Ad secundam quæstionem respondeo : Nullus excommunicatus potest assistere seu interesse sacrificio missæ. Ita communiter doctores. Colligitur ex cap. *Illud*, de Clerico Excommun. minist., cap. *Is qui*, cap. *Alma mater*, de Sentent. Excomm., in 6. Dixi, *nullus excommunicatus* ; quare idem est in hoc casu de tolerato, quod de vitando. Ratio est quia de excommunicato indifferenter loquuntur canones. Communicatio verò, quæ per concilium Constantiense permittitur excommunicatis toleratis, debet cedere in favorem fidelium. Jam autem assistentia, de quâ loquimur, nulli fidelium favorabilis esset, sed ipsi excommunicato. Itaque omnis excommunicatus sive vitandus, sive toleratus, mortaliter peccat, si sacrificio missæ vel notabili illius parti assistat. Excipitur 1° casus invincibilis ignorantiæ, sive sit ignorantia facti, quâ censuræ à se contractæ peccator oblitus est, sive juris, quâ præsens excommunicationis effectus ignoratur. Excipitur 2° casus necessitatis. Quare si sacerdoti non excommunicato necesse sit celebrare, et præter excommunicatum toleratum nemo adsit, qui sacro inserviat, poterit rogari excommunicatus, ut inserviat, citra peccatum. Suarez, Bonacina, Filliucius, Castropalao.

138. Ad tertiam respondeo, 1° Excommunicatus nullam incurrit pœnam ob solam missæ auditionem Ratio quia non est exercitium ordinis. Dices : Qui communicat cum excommunicato vitando, incurrit excommunicationem minorem ; ergo etiam eamdem incurrit excommunicatus ipse, communicans cum fide-

libus per missæ auditionem. Respondeo negando consequentiam : quia materia censurarum, tanquàm odiosa et restring-nda, non recipit argumentum à solâ similitudine seu paritate rationis. Suarez, Bonacina, et alii.—Respondeo 2° : Juxta communem doctorum sententiam, incurrit irregularitatem sacerdos excommunicatus, mandato vel auctoritate suâ efficiens, ut coram se per alterum celebretur. Panormitanus in cap. *Illud*, de Cler. excommun. minist., Covarruvias, cap. *Alma mater;* Suarez, Bonacina, Hugolinus, Sayrus. Ratio est quia fictione juris id reputatur, ac si sacerdos ipse excommunicatus celebràret. — Respondeo 3° : Excommunicatus, si monitus à celebrante, nolit exire ecclesiâ, incurret ob hanc suam contumaciam excommunicationem majorem, Pontifici reservatam, Clementina 2, de Sententiâ excommun. Idem est de iis omnibus qui obstant quominùs prædicti excommunicati à celebrante admoniti abscedent, Clement. cit.

139. Ad quartam respondeo negativè : itaque non peccat excommunicatus, sacrum diebus festis vel dominicis non audiendo, etsi posset audire, obtentâ excommunicationis absolutione, in suâ potestate constitutâ. Navarrus, Hugolinus, Sayrus, Henriquez, Avila, Suarez, Alterius et alii. Ratio est quia hoc præceptum stringit duntaxat eos qui liberi et dispositi sunt ad ejus executionem ; non obligat, ut disponantur. Aliàs infirmus aut carcere detentus peccaret adversùs idem præceptum, si posset se liberare è carcere vel infirmitate. Aliud dicendum de præcepto communionis et confessionis, quod violare videtur qui, cùm possit, absolutionem censuræ non procurat ; hoc enim præceptum divinum est, tametsi ab Ecclesiâ determinatum, obligans per consequentiam ad removendum quælibet impedimenta, quæ ejusdem adimpletioni repugnant. Navarrus, Coninck, Bonacina, Layman, Avila, Castropalao.

140. Ad quintam respondeo 1° : Non peccant fideles audiendo missam cum excommunicato tolerato. Ita Hugolinus, Henriquez, Suarez, Sayrus, Coninck, Filliucius, Bonacina et alii communiter. Ratio est quia nemo tenetur vitare excommunicatum toleratum, vi Excommunicationis, ut patet ex concilio Constantiensi, seu Extravagante *Ad evitanda*, sæpiùs adductâ. Respondeo 2° : Audiens missam cum excommunicato vitando, mortaliter peccat. Ratio est quia communicat in divinis cum excommunicato non tolerato : hæc autem communicatio graviter per Ecclesiam interdicta est, ut omnes doctores tradunt. Nihilominùs existimat Suarez, posse forsitan à mortali excusari eos qui sine ullâ inductione, cooperatione, contemptu ac scandalo missam cum excommunicato vitando audiunt, quòd hæc coaudientium communicatio sit omnium minima. Sed recedendum non est à communi opinione doctorum.

141. Ad sextam respondeo 1° : Si ingrediatur excommunicatus toleratus, potest pergere tum sacerdos celebrando, tum populus audiendo sacrum. Hugolinus, Suarez, Filliucius, Henriquez, Sayrus, Coninck. Ratio est quia, licèt ipse excommunicatus peccet audiendo sacrum, ut supra dictum, fideles nihilominùs non tenentur eumdem evitare. 2° Si ingrediatur excommunicatus vitandus, non potest sacerdos sacrificium inchoare. Si autem jam inchoato superveniat, monendus est ut exeat. Ratio est quia non possunt fideles participare cum excommunicato vitando. Si monitus exire noluerit, vi ejiciendus est, tametsi clericus fuerit, nec metuenda censura, in clericorum percussores lata ; non enim censetur percussio injuriosa, quæ adhibetur et requiritur ad vindicandam ecclesiasticam jurisdictionem et auctoritatem. Bonacina, Castropalao, Filliucius, Herincx et alii. Colligitur autem ex cap. *Veniens*, de Sententiâ excommun., pertinetque illa excommunicati ejectio ad officium ostiarii. Quòd si se opponat et sine periculo expelli ecclesiâ nequeat, sacrificium missæ intermittendum est, si consecratio nondùm peracta sit, ut volunt aliqui, vel saltem si canon nondùm sit inchoatus, ut prætendunt alii. Aliàs debet sacerdos (populo statim ecclesiam egrediente) perficere sacrificium usque ad communionem inclusivè, quâ peractâ mox altare dimittit, lecturus reliquas orationes in sacristiâ, cap. *Is qui*, de Sentent. excommun., in 6, et Clement. 3, eodem tit. 3° Sacerdos voluntariè et culpabiliter celebrans coram excommunicato vitando, præter peccatum mortale, incurrit minorem excommunicationem, et prohibetur ingressu ecclesiæ, cap. *Episcoporum*, de Privilegiis, in 6, ubi interdicuntur, qui excommunicatos vitandos admittunt ad divina officia vel ecclesiastica sacramenta. Reliqui autem fideles sacrificio eidem assistentes, excepto sacerdotis ministro, obligantur recedere, ut prædictum est, ne censeantur participare in divinis cum excommunicato vitando. Dixi : *Sacrificio eidem assistentes :* est enim probabilius, si alteri sacrificio in ecclesiâ celebrato assistant, non obligari ad egressum, uti nec sacerdotem pro iisdem celebrantem, quia non fit communicatio in eodem officio seu in unâ et eâdem actione, sed in solâ loci materialis præsentiâ. Ita Henriquez, Sayrus, Suarez, Filliucius, Bonacina.

142. Ad septimam respondeo : Nullus excommunicatus potest publicè seu choraliter recitare officium canonicum. Suarez, Sayrus, Filliucius, Bonacina, Coninck, Layman et alii communiter. Dixi : *Nullus excommunicatus*, ut comprehendatur uterque tam toleratus quàm vitandus. Ratio est quia utrique, interdicta est communicatio cum fidelibus, quam excommunicato tolerato concilium Constantiense hoc sensu non restituit, quasi ex suâ parte et sponte possit publicè cum cæteris Christianis tractare divina. Quare uterque in casu peccat mortaliter, per se loquendo, quia in materiâ gravi transgreditur legem excommunicationis.

143. Ad octavam respondeo : Excommunicatus sive vitandus, sive toleratus, alioquin titulo professionis, ordinis, vel beneficii obligatus, non excusatur à recitatione privatâ horarum canonicarum. Navarrus, Reginaldus, Coninck et alii. Ratio est tum

quia non videtur æquum ut malefactor reportet commodum ex suo delicto ; tum quia excommunicatio pœnalis est, atque adeò non convenit ut præstet immunitatem vel tollat obligationem ; tum denique quia privata recitatio non repugnat legi excommunicationis, quia privatim orans non censetur cum fidelibus communicare. Aliàs dicendum foret quòd non solùm non posset horas canonicas, sed ne quidem orationem Dominicam aut aliam peccandi formulam privatim usurpare. Navarrus, Covarruvias, Avila, Suarez, Castropalao, Layman, qui et addunt beneficiatum à privatâ recitatione non excusari, quantùmvis privetur fructibus beneficii, ex eo quòd affectus excommunicatione officium præstare nequeat ; id enim accidit ipsius culpâ ; *damnum autem quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare*, regulâ 88, in 6, et Pomponius, regulâ 203, ff. *Quod quis*, inquit, *ex culpâ suâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

144. Notant autem doctores communiter, excommunicatum, horas canonicas recitantem, non posse dicere, *Dominus vobiscum*, cùm hæc verba significent publicè personæ, videlicet diaconi vel sacerdotis sacram cum populo communicationem, excommunicato interdictam. Quare locò illius dicendum erit : *Domine, exaudi orationem meam*. Cæterùm, si privatim recitetur officium, non videtur hæc esse obligatio sub mortali, quia materia levis est. Alioquin dicere deberemus, clericum etiam non excommunicatum, diacono inferiorem, si in privatâ recitatione dicat, *Dominus vobiscum*, mortaliter peccare et fieri irrégularem, usurpando actum ordinis alieni, quod nemo dixerit. Imò Avila et Hurtadus censent nullum in eo peccatum esse ; quòd verborum illorum privata expressio, non sit cum aliis communicatio, ut neque privata prolatio horum verborum invitatorii : *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo, salutari nostro.*

145. Ad nonam respondeo cum Covarruviâ, Coninck, Suarez, Alterio, Navarro et aliis, non posse. Colligitur ex multis canonibus, 11, q. 3, signanter can. *Excommunicatos*, ubi dicitur non licere cum excommunicatis quibuscumque *in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo* communicare. Porrò eò loci sermonem esse de oratione privatâ, colligitur ex adjunctâ prohibitione cibi, potùs, communisque sermonis. Verùm hujus communicationis culpa non videtur excedere veniale peccatum : non enim excommunicatus, eâ oratione se gerit, tanquàm persona publica seu minister Ecclesiæ, cùm hæc nolit, illo mediante, fundere orationes, quæ proinde nullum ex Ecclesiæ dignitate valorem habent. Hugolinus, Henriquez, Suarez, Filliucius, Alterius, Coninck, Bonacina, Castropalao, Avila, inde deducentes, excusari posse à peccato capellanum aut famulum, qui ratione officii aut muneris sui inservit domino excommunicato in recitandis divinis horis : quemadmodùm ipse dominus excusari posset, si excommunicatus adhiberet famulum suum, præsertim cùm in hoc casu interveniat ratio famulatûs, quo non privatur excommunicatus dominus, can. *Quoniam multos*, 11, q. 3.

146. Ad decimam respondeo 1° : Excommunicatus toleratus, nisi rogatus à fidelibus, non potest concionem habere ad populum, prælegere theologiam, Scripturam sacram aut jus canonicum. Communis sententia. Ratio est quia licèt ejusmodi actiones secundùm dicta num. 136, non contineantur nomine divinorum officiorum, nihilominùs involvunt communicationem cum fidelibus, interdictam excommunicatis, excepto concilii Constantiensis casu, quo similia fierent ad favorem et instantiam Catholicorum ; propterea dixi : *Nisi rogatus à fidelibus.* Itaque, intercedente fidelium petitione, prædicta licitè exercentur ab excommunicato tolerato. Quinimò si soleat ex officio concionari, docere theologiam, Scripturam vel Jus canonicum, nec adsit alius qui vices ipsius suppleat, poterit præfata munia exercere : quia censetur requiri ab auditoribus suis ; nam quilibet censetur velle et actu saltem exercito petere quæ sibi sunt necessaria. Suarez, Bonacina, Castropalao.

147. Quòd si verò neque tacitè neque expressè rogatus functionibus enumeratis incumbat, existimat Navarrus quòd incurrat Irregularitatem ; sed rectiùs negant Suarez, Filliucius, Castropalao ; nam actus concionandi, etc., non est actus ordinis, cùm etiam laico committi possit in necessitate ; irregularitas autem incurritur ab excommunicato, actum ordinis exercente. Respondeo 2° : Excommunicatus vitandus nequaquàm potest enumerata munia obire, etiamsi soleat ex officio nec adsit alius, qui locum ipsius suppleat. Ratio est quia nec ipse cum fidelibus, nec fideles cum ipso communicare possunt, præsertim in iis quæ proximè accedunt ad divina. Respondeo 3° : Excommunicatus sive toleratus, sive vitandus potest interesse concioni. Constat ex cap. *Responso*, de Sentent. excommun. Ratio autem est quòd hæc assistentia seu communicatio dirigatur in salutem ejus ac emendationem. Secùs videtur dicendum de auditore lectionis theologicæ, scripturisticæ vel canonicæ : hæc enim non adeò directè respicit salutem audientis.

148. Ad undecimam respondeo, nihil horum posse excommunicatum : sunt enim divina officia et sacræ functiones. Exceptiones hìc necessarias prætermimus, cùm unusquisque ex sæpè dictis, easdem nullo negotio formare possit.

Ad duodecimam respondeo : Excommunicatis non interdici ingressus ecclesiæ, dum divina officia non celebrantur. Potest itaque ecclesiam ingredi ad fundendam orationem suam privatim et separatim. Potest illìc munire se signo crucis, aut aspergere aquâ benedictâ, adorare Eucharistiam, venerari sanctorum imagines, etc. Ratio est quia nullum exstat præceptum, prohibens excommunicatis vel ingressum in ecclesiam vel præfatas actiones, quando non celebrantur divina officia : tum enim officium est ostiarii excommunicatos expellere, cap. *Episcopus*, de Consecratione, dist. 1, atque adeò cæteris temporibus permissus est idem ingressus ; id quod satis innuitur eodem capite, cùm dicitur : *Episcopus nullum prohibeat*

ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum usque ad missam catechumenorum; hæreticus autem est ipso jure excommunicatus, cap. *Excommunicamus*, 1 et 2, de Hæreticis, cap. *Noverit*, de Sentent. excommun. et in bullâ *Cœnæ*, § 1.

§ 16. *De sexto effectu Excommunicationis.*

149. Sextus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ; cap. *Sacris*, de Sepulturis; Clement. 1, eodem titulo, cap. *Consuluisti*, de Consecrat. eccles. Glossa ibidem cum doctoribus passim. Ratio conclusionis exprimitur capite *Sacris* allegato, ubi dicitur, *sacris* esse *canonibus institutum, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis, et ut careant ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab ecclesiasticâ unitate præcisi.* Quæritur autem paragrapho præsenti 1° quid intelligatur per ecclesiasticam sepulturam; 2° an et quando sepulturâ ecclesiasticâ privetur excommunicatus toleratus; 3° an et quando excommunicatus vitandus; 4° qualiter peccent sepelientes excommunicatum in loco sacro; 5° quam pœnam incurrant; 6° quid intelligatur nomine sepelientium.

150. Ad primam quæstionem respondeo, per sepulturam ecclesiasticam intelligi eam quæ fit in loco sacro cum ritibus ac cæremoniis ab Ecclesiâ ordinatis. Per locum sacrum intelligitur primò ecclesia, seu templum consecratum aut benedictum. Secundò, cœmeterium, itidem consecratum aut benedictum, sive sit ecclesiæ contiguum, sive ab eâdem sejunctum. Tertiò, quivis locus, in quo sacrificium missam celebrari consuevit; nam hujus celebratione sacratur, cap. *Ecclesiæ*, de Immunitate ecclesiarum; et cap. fin. de Consecrat. ecclesiæ vel altaris. Quartò, locus auctoritate episcopi deputatus, vel ut in eo celebrentur divina officia, vel sepeliantur corpora fidelium, etiamsi aliàs benedictus non sit. Idem est de loco, per receptam consuetudinem destinato ad sepeliendos fideles, tametsi specialis auctoritas episcopi non interveniret: sufficit enim approbatio tacita et ipse usus, ut docent Suarez et Filliucius. Hinc patet quemlibet excommunicatum posse sepeliri in loco qui ecclesiæ vel cœmeterio contiguus est: cùm eo ipso non sit sacer. Alterius, Bonacina et alii contra Panormitanum, cap. *Sacris*, de Sepulturis.

151. Ad secundam respondeo: Excommunicatus toleratus, ante obtentam excommunicationis absolutionem defunctus, non privatur hodiè ecclesiasticâ sepulturâ ratione censuræ. Est communis sententia. Colligitur ex capite *Sacris* citato, junctâ Extravagante *Ad evitanda*: nam ratio ob quam sepulturâ ecclesiasticâ donandus non sit excommunicatus, capite citato redditur quòd non communicemus defunctis, *quibus non communicamus vivis.* Hæc autem ratio solummodò locum habet in excommunicatis vitandis, id est, nominatim denuntiatis aut notoriis clerici percussoribus: cæteris enim post concilium Constantiense communicamus vivis, *in sacramentorum administratione, aut aliis quibuscumque divinis, intùs et extra*, ut Extravagante *Ad evitanda* dicitur; ergo etiam communicamus defunctis in ecclesiasticâ sepulturâ. Navarrus, Coninck, præpositus, Herincx et alii.

Hinc colligitur 1° per horum sepulturam non polluì seu non violari ecclesiam, nec juris pœnas incurri. Colligitur 2° horum defunctorum corpora in loco sacro sepulta, non esse exhumanda.

152. Dixi, *ratione censuræ*: nam ratione finalis impœnitentiæ possunt ac debent sepulturâ ecclesiasticâ privari, quando videlicet notorium foret, nulla dedisse signa pœnitentiæ vel contritionis, priusquàm decesserunt: cùm enim ob peccatum mortale supponantur excommunicati, si de eodem peccato non satis doleant, sed in suâ obstinatione persistant, nihil facientes auctoritatem et censuram Ecclesiæ, atque ita mortali peccato immoriantur, sicut privantur æternâ beatitudine atque ipsis adeò fidelium suffragiis, sic etiam fidelium sepulturâ. Vide Pastorale Mechliniense, tit. *De curâ pro defunctis gerendâ;* et Rituale Romanum Pauli V, tit. *De exequiis*, § *Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam.*

Quod si vera doloris ac pœnitentiæ signa dederint, priusquàm morerentur, expedit (monente Castropalao) ut absolvantur à censurâ, antequàm tradantur sepulturæ, tum ob decentiam et reverentiam divinorum officiorum, tum ut omnis tollatur dubitatio de divinorum officiorum ac suffragiorum fructu.

153. Ad tertiam respondeo 1°: Excommunicatus vitandus, id est, speciatim denuntiatus seu notorius clerici percussor, ante obtentam excommunicationis absolutionem defunctus, donari nequit ecclesiasticâ sepulturâ. Communis doctorum et certa sententia: nam in ejusmodi habet locum ratio ex cap. *Sacris*, superiùs allegata: *Quibus non communicamus vivis, non communicamus defunctis*, estque dignum et justum, *ut careant ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab ecclesiasticâ unitate præcisi.* Respondeo 2°: Si non toleratus, donatus fuerit ecclesiasticâ sepulturâ, ante obtentam censuræ relaxationem exhumandus est, si corpus ejus à corporibus fidelium reliquorum secerni possit, cap. *Sacris;* ubi dicitur: *Si contingat interdùm, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, s' ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent et procul ab ecclesiasticâ sepulturâ jactari.* Deinceps ecclesia vel locus sacer pollutus est, atque adeò nequeunt in eodem divina officia celebrari aut alii fideles sepeliri, nisi, exhumato corpore excommunicati, reconcilietur, cap. *Consuluisti*, de Consecrat. eccles.

154. Quòd si exhumari non possit, propterea quòd discerni non possit à corporibus aliorum, nihilominùs reconciliatione est opus; nam per talis excommunicati sepulturam locus simpliciter et absolutè pollutus est, et consequenter, seclusâ reconciliatione, inhabilis ad divina officia celebranda et fidelium sepulturam. Respondeo 3°: Excommunicato vitando, in excommunicatione decedenti, quantùmvis decesserit contritus, non est communicandum ante absolutionem, nec pro eodem orandum, etsi supponatur apud Deum à

peccato solutus per contritionem; sed, si constet Ecclesiæ de ejus finali pœnitentiâ seu contritione, absolvi debet post mortem ab eo à quo vivus fuerat absolvendus, ac tum demùm donari poterit sepulturâ ecclesiasticâ; cap. *A nobis*, 2, de Sentent. excommun.

155. Ad quartam respondeo 1° : Sepeliens scienter excommunicatum vitandum in loco sacro, peccat mortaliter, tametsi excommunicatus dederit ante mortem signa doloris seu contritionis. Ratio est, quia facit contra obligationem censuræ in materiâ gravi, participans cum excommunicato vitando, et donans eidem sepulturam contra expressam Ecclesiæ voluntatem. Respondeo 2° : Sepeliens in loco sacro excommunicatum toleratum qui ante obitum dedit signa veræ contritionis aut pœnitentiæ, non videtur peccare mortaliter. Suarez, Henriquez, Reginaldus, Filliucius, Navarrus, Layman, Hurtadus, Bonacina, Castropalao. Ratio est sæpiùs indicata; quia post concilium Constantiense solos nominatim denuntiatos aut notorios clerici percussores vitare tenemur.

156. Ad quintam respondeo 1° : Qui scienter seu audaciâ temerariâ excommunicatum vitandum sepeliunt in loco sacro, incurrunt excommunicationem majorem, à quâ non possunt absolvi, nisi postquàm arbitrio diœcesani episcopi satisfactum sit iis quibus eo facto injuria irrogata est : absolutio aliter data est invalida. Suarez, Navarrus, Bonacina, Castropalao, Herincx. Constat ex Clementin. 1, de Sepultur. Dixi, *qui scienter*, etc., quia scientiam seu *propriæ temeritatis* audaciam ad effectum hujus excommunicationis expressè requirit Pontifex, ut in præfato capite videri potest. Hinc doctores supra citati inferunt, non incurrere censuram qui ejusmodi excommunicatum in loco sacro sepeliret ex ignorantiâ, etiam crassâ juris vel facti. Respondeo 2° : Quicumque hæreticos, credentes, receptores, defensores vel fautores eorum, scienter præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent et projiciant hujusmodi corpora damnatorum; et locus ille perpetuâ careat sepulturâ. Sunt verba formalia c. *Quicumque*, de Hæreticis in 6. Observandum solummodò ex Suarez, Coninck, Palao et Herincx, præfatum canonem hodiè intelligendum de hæreticis, eorum fautoribus, etc., denuntiatis. Respondeo 3° : Sepeliens scienter excommunicatum denuntiatum aut notorium percussorum clerici, secundùm Navarrum, Avilam et Filliucium, præter excommunicationem majorem, decretam Clementinâ 1, de Sepulturis, incurrit excommunicationem minorem ob participationem cum excommunicato vitando. Interim rectiùs loquuntur Suarez et Bonacina, contrarium asserentes, eò quòd excommunicatio minor commutari videatur in majorem, ob gravitatem delicti, sicuti commutatur ob participationem cum excommunicato in crimine criminoso.

157. Ad sextam respondeo : Inprimis certum est, sepelientium nomine non intelligi, sive qui comitantur corpus defuncti, sive qui corpori recipiendo scrobem defodiunt : hi enim propriè non sepeliunt. Quare nomine sepelientium veniunt qui corpus defuncti in puteum seu sepulcrum dimittunt ac terrâ tegunt. Sed dubium est de mandante, an videlicet censuram incurrat, si ejus imperio vel auctoritate cæteri moveantur ad exequendum prohibitam sepulturam. Navarrus, Cajetanus, Hurtadus, Avila, Bonacina et nonnulli alii censent solos sepulturæ præfatæ executores censurâ ligari, non mandantes; quia aliud est mandare sepulturam, aliud sepelire; censura verò lata non est in mandantes, sed in sepelientes, nec debent extendi pœnæ ultra rigorem et proprietatem verborum. Oppositum docent Suarez, Filliucius, Coninck, Hugolinus, Reginaldus, Castropalao, volentes censuram ad mandantes extendi; aliàs inutilem futuram : nam si solummodò respiciat executores, id est, propriis manibus sepelientes, rarò vel nunquàm haberet locum, cùm hi ut plurimùm sint rudes homines et juris ignari, atque adeò passim per ignorantiam à censurâ excusandi. Jam verò si constitutio vel censura, nisi ad cooperantes per mandatum vel consilium extendatur, redderetur frustranea vel inutilis, admittenda extensio est, ut docent Glossa finalis cap. 2, de Usuris, in 6; Covarruvias, Sanchez, Navarrus et alii.

§ 17. *De septimo effectu excommunicationis.*

158. Septimus majoris excommunicationis effectus est privatio beneficii ecclesiastici; c. *Postulâstis*, de Clerico excommun. minist. Quæritur autem 1° an collatio, præsentatio, electio excommunicati vitandi, ad beneficium ecclesiasticum, sit invalida; 2° quid de excommunicato tolerato; 3° an extendatur conclusio ad quamlibet beneficii acquisitionem? 4° an locum habeat in casu quo beneficiarius ignorat excommunicationem suam; 5° an excommunicatus sit incapax pensionis; 6° an non solùm beneficii, sed etiam cujusvis officii aut muneris ecclesiastici?

159. Ad primam quæstionem respondeo : Electio, præsentatio, nominatio excommunicati vitandi, ad beneficium ecclesiasticum, et illius collatio nulla est et invalida. Ita omnes. Constat ex c. *Postulâstis*, de Clerico excommun. minist., ubi dicitur : *Clericis excommunicationis vinculo innodatis, ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licitè, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cùm ea non fuerint canonicè consecuti.* Deinde excommunicatus vitandus suspensus est ab exercitio officii ecclesiastici et fidelium communione : ergo meritò privatur beneficio ecclesiastico, quod exigit usum officii et communicationem cum fidelibus. Quamvis autem cap. *Postulâstis* cit., tantùm sit sermo de collatione, quia tamen præsentatio et electio jus tribuunt electo vel præsentato ad beneficium, et sortiantur suum effectum per ordinem ad validam beneficii obtentionem, quæ nequit habere locum in excommunicato vitando, hinc passim doctores censent, excommunicatos vitandos, etiam invalidè eligi et præsentari.

160. Ad secundam respondeo, excommunicati tolerati et vitandi eamdem in hoc puncto rationem esse, id est, collationem beneficii (idem est de electione ac præsentatione) utrivis factam, irritam et nullam esse : nam licèt fideles excommunicatum toleratum, post concilium Constantiense vitare non teneantur, atque ideò, quantùm est ex hâc parte, beneficia eidem conferre possent ; nihilominùs cùm ipsi excommunicati se nequeant fidelium communicationi ingerere, arcentur à beneficiis, spontaneam illam communicationem exigentibus. Alioquin, si ob favorem fidelibus factum à concilio Constantiensi, valida et licita esset beneficiorum in excommunicatos toleratos collatio, valida pariter et licita eodem fundamento esset eisdem facta sacramentorum administratio. Dicendum igitur quòd privilegium communicandi cum ejusmodi excommunicatis, concessum fidelibus cæteris, non tollat illorum impedimentum seu inhabilitatem. Navarrus, Covarruvias, Filliucius, Garcias, Avila, Suarez, Sayrus, Coninck, Hugolinus, Bonacina, Vasquez, Layman, Herincx.

161. Ad tertiam respondeo conclusionem extendi ad quamlibet beneficii acquisitionem, seu potiùs ad quemlibet acquirendi modum. Quare inprimis excommunicatus, sive vitandus sive toleratus, non potest validè beneficium obtinere viâ permutationis ; quia in permutatione intervenit collatio duplex seu alternativa. Similiter non potest obtinere beneficium viâ resignationis : hæc enim rursùs importat collationem respectu resignatarii. Sic, aliis relatis, docent Covarruvias, Suarez, Azorius, Sayrus, Avila, Garcias, Præpositus. Observandum tamen ex Garciâ, requiri ad nullitatem permutationis ac resignationis, ut excommunicatio non sit ablata, quando confertur beneficium permutatum aut resignatum : nam qui est excommunicatus tempore permutationis aut resignationis, si tempestivè obtineat absolutionem excommunicationis, validè acquiret beneficium. Alioquin non solùm invalida est acquisitio beneficii, ut jam dictum, verùm etiam impetratio litterarum pro beneficio vacaturo, ut si excommunicatus obtineat litteras, per quas idem de beneficio providetur, cùm primùm vacaverit. Vide Covarruviam cap. *Alma mater*, p. 1, § 7, n. 3. Unde, si cui virtute talium litterarum provideatur, etiam post absolutionem, provisio erit irrita. Videri potest cap. 1, de Rescriptis, in 6.

162. Ad quartam respondeo : Nulla est ejusmodi collatio, præsentatio, electio, tametsi excommunicatus invincibiliter ignoret censuram suam. Glossa, cap. *Apostolicæ*, de Clerico excommun. ministr.; Covarruvias, Henriquez, Garcias, Suarez, Coninck, Avila, Lessius, Layman, Herincx. Ratio est quòd, licèt ignorantia inculpata obligationis aut præcepti aliquem immunem reddat à culpâ et inde resultante pœnâ vel censurâ, cap. *Apostolicæ*, citato, ignorantia tamen contracti impedimenti vel inhabilitatis, neminem habilitare possit.

163. Ad quintam respondeo excommunicatum incapacem esse pensionis, sed non omnis. Pro intelligendâ responsione notandum est pensionem esse jus percipiendi fructus ex beneficio alieno. Dividitur in spiritualem, temporalem, et mixtam. Spiritualis est quæ fundatur in titulo spirituali seu quæ confertur ob spirituale ministerium, v. g., quæ datur concionatori, adjutori episcopi vel parochi. Hujus pensionis omninò incapax videtur esse excommunicatus. Ratio est quia sicuti beneficium, ita et pensio hæc datur ob spirituale officium. Itaque cùm excommunicatus officium præstare nequeat, non minùs est incapax pensionis hujus, quàm beneficii ecclesiastici. Pensio temporalis seu laica est, quæ titulo temporali fundatur, seu propter aliquod temporale obsequium aut servitium Ecclesiæ præstitum designatur, quæque etiam personis laicis concedi solet, atque ideò vocatur subsidium temporale et pensio laica. Hujusmodi pensionem excommunicato validè conferri posse, videtur certum, tum quia nullo jure declaratur collatio irrita, tum quia plurimùm recedit à naturâ beneficii ecclesiastici, ac potiùs temporalis stipendii rationem obtinet. Demùm pensio mixta est, quæ, licèt ob spirituale ministerium non conferatur, statum tamen clericalem exigit. Hujusmodi est pensio concessa clerico, beneficium resignanti, aut permutanti, lite cedenti sustentationem sufficientem non habenti. Quare aliquid affinitatis habet cum beneficio ecclesiastico, et eisdem ferè modis, quibus beneficium, amitti solet, teste Garciâ, de Beneficiis, parte 1, cap. 5, n. 106. Vocatur *mixta*, quia partim est temporalis, partim spiritualis. Temporalis est, quatenùs nullum munus ordini annexum exigit, seu quod à laico præstari nequeat. Spiritualis est, quatenùs ad suî collationem requirit ordinem ecclesiasticum : non enim aliis, nisi Ordine clericali insignitis datur. Hanc pensionem excommunicato collatam esse irritam, tenet sententia communior doctorum. Sayrus, Hugolinus, Henriquez, Vasquez, Bonacina, Suarez, Reginaldus, Filliucius, Garcias. Moventur, quòd hæc pensio imitetur naturam beneficii et ejus loco succedat, cùm, nisi clericis non concedatur. Secundò, quia excommunicatus est incapax cujusvis clericalis privilegii. Tertiò denique, quia in hujus pensionis collatione solet Romanus pontifex præmittere absolutionem à censuris, quod frustra faceret, si prædictam collationem censuræ non impedirent.

164. Interim non caret probabilitate opinio contradictoria, quam sequuntur Layman, Emmanuel Sâ, Castropalao et plures alii, quorum fundamentum est 1° declaratio cardinalium super sess. 14 concilii Tridentini, c. 7, quâ dicitur decretum in incapacitate homicidæ ad beneficia, non extendi ad pensionem. Hæc autem verba intelligi posse non videntur de pensione purè spirituali, quæ nimirùm ob spirituale officium, cujus incapax est excommunicatus, conceditur ; intelligi ergo debent de quâvis aliâ pensione, quæ alio intuitu sive laico sive clerico designatur. Vide Suarez de Censuris, disp. 44, sect. 3, num. 33. Ejusdem opinionis alterum fundamentum est, quòd nullo jure statuatur pensionem ejusmodi collatam excommunicato

invalidam esse : nam cap. *Postulâstis*, et cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunic. ministr., sermo est de beneficio ecclesiastico, quorum quidem canonum resolutio extenditur ad pensionem, sed ad eam solùm quæ vel est propriè beneficium, cujusmodi censetur quæ ex fructibus beneficii perpetuò trahitur et solet appellari præstimonium, vel quæ in locum beneficii perfectè succedit, qualis est pensio purè spiritualis. Hinc solvitur oppositæ opinionis ratio. Absolutionem autem Pontificis præmitti dicimus, tum ne rescriptum ejus reddatur invalidum juxta textum cap. 1, *de Rescriptis*, in 6., tum ne pensionarius à petendâ pensione in judicio repellatur.

165. Ad sextam respondeo : Excommunicatus est incapax cujusvis officii, muneris aut dignitatis, puta legati, delegati, inquisitoris, episcopi, provisoris seu vicarii episcopi, generalis, provincialis ordinum religiosorum, rectoris, guardiani, etc., argument. c. *Postulâstis*, de Clerico excomm. *min.*, ubi ratio ob quam excommunicatis beneficia ecclesiastica conferri nequeant, hæc allegatur, *quòd cum excommunicatis communicari non debeat*. Assumptio verò ad quodvis munus vel officium ecclesiasticum, magna quidem eaque ecclesiastica communicatio est. Alia ratio desumi potest ex regulâ quam tradit Panormitanus in cap *Si celebrat*, eodem tit., num. 3, quòd, prohibito exercitio actûs, censeatur prohibitum illud omne quo pervenitur ad eumdem actum ; atqui excommunicato prohibitum est exercitium muneris vel officii ecclesiastici ; ergo etiam ejusdem collatio seu institutio, tanquàm per se ordinata ad exercitium. Ita communiter doctores.

§ 18. *De octavo effectu excommunicationis.*

166. Octavus effectus est privatio fructuum et proventuum beneficii, cap. *Pastoralis*, de Appellat. ; et quanquàm effectus præsens reduci possit ac soleat ad proximè præcedentem, nihilominùs majoris distinctionis gratiâ videtur rectiùs tractari separatim. Quæritur ergo 1° an excommunicatus, tempore excommunicationis, beneficium obtinens, excidat omni jure fructuum seu proventuum ? 2° an, obtento legitimè beneficio, incidens in censuram privetur beneficio, vel eo privari possit per judicem ? 3° an ipso jure privetur fructibus ? 4° an positâ sententiâ condemnatoriâ, fructibus teneatur cedere ? 5° quid si injustè et invalidè aliquis sit excommunicatus et condemnatus in privationem fructuum ? 6° quid si injustè quidem, sed validè ? 7° quid si injustè negetur absolutio ?

167. Ad primam quæstionem respondeo : Excommunicatus, tempore excommunicationis obtinens beneficium, nullum jus ad fructus habere potest. Ratio est quia nullum titulum habet, cùm nulla fuerit beneficii acquisitio. Si tamen beneficio inservivit, non est improbabile quòd fructus suo servitio respondentes retinere possit ; non enim jam illos retinet tanquàm fructus beneficii, sed tanquàm stipendium servitii seu obsequii. Navarrus, Henriquez, Avila, Conninck, Castropalao ; tametsi contrarium opinetur Garcias et variis Rotæ decisionibus comprobet. Hoc certum, quòd, si excommunicatus per ignorantiam putaverit se legitimum beneficii possessorem et bonâ fide consumpserit fructus, non obligetur ad restitutionem, nisi pro eâ parte quâ ditior factus est ; nec enim tenetur ratione rei acceptæ, cùm nulla extet, nec titulo injustæ acceptionis, cùm nulla intervenerit. Suarez, Conninck, Layman, Bonacina.

168. Ad secundam respondeo, beneficiatum per excommunicationis censuram ipso facto non excidere titulo ac possessione beneficii antecedenter acquisiti. Interim si in suâ excommunicatione insordescat, continuans priorem contumaciam, beneficio privari poterit. Spectabit autem ad ordinarium examinatio an crimen cum contumaciâ criminosi mereatur beneficii privationem. Vide Glossam cap. *Cùm bonæ*, verb. *Spoliare*, de Ætate et Qualit., Panormitanum cap. 1 de Judiciis, Layman, Palaum, Herincx.

169. Ad tertiam respondeo excommunicatum esse ipso jure privatum fructibus beneficii antecedenter possessi ; docent Sylvester, Decius, Panormitanus, Covarruvias, Suarez, Garcias, et alii tum theologi, tum canonistæ. Ratio eorum sumitur ex cap. *Pastoralis*, § *Verùm*, de Appellat., ubi Pontifex interrogatus an excommunicatus, non obstante appellatione, denuntiari possit et spoliari ad tempus beneficio ecclesiastico, respondet denuntiari posse, eò quòd excommunicatio secum trahat executionem, et excommunicatus per denuntiationem denuò non ligetur. Addit autem in fine capitis hæc sequentia : *Et illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Cùm igitur in eodem textu subtractio fructuum æquiparetur denuntiationi, sequitur quòd sicut excommunicatio secum trahit denuntiationem, sic etiam trahat subtractionem fructuum. Secundò, ideò ait Pontifex excommunicationem, non obstante appellationem, denuntiari posse, quòd *excommunicatus per denuntiationem ampliùs* seu denuò *non ligetur*. Ergo saltem substratio fructuum appellatione impediretur, casu quo eâdem noviter, denuò seu per judicem puniretur excommunicatus. Signum igitur est quòd in fructuum privationem ipso jure excommunicatus incidat. Tertiò, verbum *subtrahuntur* denotat sententiam latam, non ferendam ; sensus enim videtur esse quòd subtrahantur hâc ipsâ lege, non verò quòd subtrahendi decernantur per judicem, cùm nulla fiat mentio judicis.

170. Interim opposita sententia nostro judicio est probabilior, videlicet excommunicatum ipso jure non privari fructibus beneficii antea legitimè acquisiti. Glossa, c. *Pastoralis*, cit. verb. *Subtrahuntur ;* Navarra, Avila, Vasquez, Conninck, Hurtadus, Layman, Sanchez, Palaus, Herincx et alii. Ratio est quia fructuum privatio tanquàm pœna gravissima non debet asseri sine textu manifesti juris, quod hoc loco non videtur dari ; nam cap. *Pastoralis*, cit., cui opposi tæ opinionis doctores incumbunt, hanc pœnam non satis adstruit, cùm verbum *subtrahuntur* comm odè intelligatur de actione subtractionis quæ fiat per ho-

minem, non per legem. Præterea Pontifex interrogatus erat an excommunicato, non obstante appellatione, subtrahi possint fructus non tam percepti quàm percipiendi. Respondit Pontifex : *Meritò subtrahuntur*, omittens terminum alioquin satis usitatum : *Ipso jure* vel *facto privatus sit*. Confirmatur : quemadmodùm excommunicatio non infert denuntiationem, nisi quatenùs excommunicatum constituit dignum qui denuntietur, remotâ appellatione, ita excommunicatio non infert ipso jure privationem fructuum ecclesiasticorum, sed excommunicatum constituit dignum qui privetur per judicem. Adde ex Herincx quòd, licèt excommunicatio ipso jure privaret excommunicatum fructibus, ille tamen obligatus nondùm foret, semetipsum iisdem privare ante sententiam condemnatoriam, argum. cap. *Cùm secundùm leges*, de Hæreticis, in 6.

171. Nec obstant quæ pro contrariâ opinione adducuntur. Ad primum respondeo : Admittimus subtractionem fructuum denuntiationi comparari ; at, sicut denuntiatio non sequitur ipso jure excommunicationem, sed indiget officio judicis, sic pariter subtractio fructuum. Ad secundum respondeo Pontificem, cùm decernit excommunicatum, non obstante appellatione, posse denuntiari, eâdem ratione non moveri, quâ cùm decernit posse privari ; nam quantùm ad denuntiationem, ratio Pontificis est quòd *excommunicatus per denuntiationem ampliùs non ligetur*, videlicet, quàm ante ligatus erat, seu quòd denuntiatio non sit novum vinculum, cùm excommunicato non magis prohibeatur communicatio cum fidelibus vi denuntiationis, quàm erat prohibita ante denuntiationem. Jam verò quod attinet subtractionem fructuum, movetur Pontifex distinctâ ratione, nimirùm quòd excommunicato Ecclesiæ communio denegetur ; *illi*, inquit, *proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Adde, neque denuntiationem, neque fructuum subtractionem esse novum vinculum, sed ad summum novam pœnam, à censurâ excommunicationis resultantem, quam, non obstante appellatione, judex imponere possit. Ad tertium respondeo cum Glossâ et doctoribus supra citatis negando quòd verbum *subtrahuntur* importet latam sententiam.

172. Ad quartam quæstionem respondeo : Post justam judicis sententiam condemnatoriam tenetur beneficiarius excommunicatus fructibus seu proventibus beneficialibus cedere. Ratio manifesta est, quia supponitur sententiam esse justam, cui non solùm in foro externo, verùm etiam in conscientiâ parere subditus debet. Nihilominùs, cùm fructus beneficiario excommunicato subtracti soleant aut fabricæ ecclesiæ aut pauperibus applicari, si ipse excommunicatus sit pauper, nec habeat aliunde unde vivat, monent doctores passim quòd fructus beneficii, qui et quatenùs ad moderatam sustentationem requiruntur, per modum eleemosynæ sibi in foro conscientiæ retinere possit ; nisi fortè in sententiâ condemnatoriâ statuatur applicatio in finem alium, qui excommunicatum tametsi pauperem non respiciat. At hoc rarum est : quòd enim fructus beneficii, si hoc à beneficiario propter censuram excommunicationis vel suspensionis non administretur, applicari debeant fabricæ ecclesiæ vel pauperibus, ex communi sententiâ docent Navarrus, Henriquez, Avila, Layman.

173. Ad quintam respondeo : Qui injustè simul et invalidè excommunicatus, et in fructuum privationem condemnatus est, certò potest pro foro conscientiæ ita se gerere, ac si non esset excommunicatus. Ratio est quia, quod nullum est, secundùm regulam juris, nullum producit effectum : nec potest effectum veræ excommunicationis sortiri excommunicatio præsumpta : sed neque verè excommunicatus quisquam censeri potest, quando excommunicatio est invalida, argum., l. 4, § *Condemnatum*, ff. de Re judicatâ ; ubi dicitur : *Condemnatum accipere debemus eum, qui ritè condemnatus est, ut sententia valeat : cæterùm si aliquâ ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est, condemnationis verbum non tenere.*

174. Ad sextam respondeo : Si condemnatio valida sit, sed injusta, existimant Hugolinus, Filliucius, Suarez, Sayrus, non posse condemnatum repetere fructus ab iis quibus sunt applicati ; sunt enim validè applicati : nam injustitia sicuti valorem sententiæ non impedit, ut supponitur, sic neque valorem applicationis. Interim iidem doctores concedunt condemnato actionem adversùs judicem, ut reparetur damnum, quod per injustitiam passus est. Garcias verò, Bonacina et Castropalao putant, probabilius esse, quòd injustè condemnatus possit repetere fructus non solùm à judice, verùm etiam ab iis quibus sunt applicati. Ratio eorum est, quòd quidem validè sint applicati, sed revocabiliter : lex enim justitiæ obligat ad revocandum sententiam injustam cum suo effectu, et in pristinum statum, quoad fieri potest, omnia reducendum. Revocanda est igitur in supposito subtractio fructuum et eorum applicatio : atque adeò potest condemnatus non solùm adversùs auctorem sententiæ sive judicem, sed etiam adversùs fructuum possessorem agere, ut, revocatâ priori sententiâ, restitutio fiat. Ita, pluribus relatis, Garcias, 7, parte de Benefic., c. 13, n. 120.

175. Ad septimam respondeo : Si excommunicato resipiscenti et jam emendato negetur injustè absolutio, conveniunt omnes, quòd possit percipere fructus, quos alioquin amittit ob absentiam à choro et debiti officii necessariam omissionem. Ratio est quia per injuriam cogitur abesse choro et omittere officii aliàs obligantis exercitium : proinde jam legitimè impeditus est, non obstante, quòd in illud impedimentum suâ culpâ ceciderit. Si tamen absolutio injustè non negetur, sed differatur, donec constet de satisfactione et pœnitentiâ condemnati, aut si superior absit, à quo sententiæ relaxatio postulanda est, non potest percipere fructus correspondentes officio quod in eo statu exercere non potest. Ratio, quia emendatio seu pœnitentia delinquentis, judicem quidem movere potest ad tollendam censuram, sed hanc se solà non

potest tollere, cùm id nullo jure decretum sit; quin potiùs colligitur contrarium cap. *Cùm desideres*, de Sentent. Excommun., ubi statuitur, excommunicato communicandum non esse ante absolutionem, tametsi juraverit parere mandatis Ecclesiæ vel composuerit cum offenso. Unde meritò condemnata est ab Alexandro VII sequens propositio: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.*

§ 19. *De nono effectu excommunicationis.*

176. Nonus excommunicationis majoris effectus est nullitas quorumvis rescriptorum, cap. 1, de Rescriptis, in 6. Quocirca quæritur 1° quid intelligatur nomine *Rescriptorum?* 2° An nullus excommunicatus validè rescriptum impetret? 3° Quid de rescripto in causâ excommunicationis vel appellationis? 4° Quid de rescripto regis vel imperatoris? 5° Quid de concessionibus aut privilegiis aliorum prælatorum, pontifice inferiorum? 6° Quid demùm, si rescribat pontifex conscius impedimenti?

177. Ad primam quæstionem respondeo: Rescriptum vocatur, non quòd scribatur iterùm, sed quasi responsum scriptum, per antonomasiam. Quod autem ad rem attinet, est constitutio specialis per epistolam; vel, juxta Rebuffum, tract. de Rescriptis, n. 5, est principis concessio, per litteras authenticas legitimè facta. Nomine principis intelligitur inprimis pontifex, ut constat ex toto titulo de Rescriptis. Rescripta ejus interdùm vocantur litteræ apostolicæ seu rescripta apostolica. 2° Nomine principis intelligitur imperator. 3° Reges aut principes, nullum superiorem agnoscentes: ut proinde nomine rescripti propriè intelligatur, quod supplicanti aut consulenti, à Pontifice vel principe supremo respondetur. Dividitur in rescriptum ad lites, et ad beneficia. Rescriptum ad lites respicit jus aliquod explicandum vel dicendum ad partes. Rescriptum ad beneficia, vocatur, quod tendit seu impetratur ad obtinendum aliquod beneficium. Primum vocatur justitiæ, secundum gratiæ.

178. Ad secundam respondeo: Rescriptum apostolicum ab excommunicato vitando impetratum, per se loquendo, est ipso jure irritum. Constat ex cap. 1, de Rescriptis, in 6, ubi dicitur: *Ipso jure rescriptum vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato... fuerit impetratum.* Quo loco cùm annulletur impetratio rescripti ad lites, sequitur, à fortiori nullam esse impetrationem rescripti ad beneficia, dispensationes, gratias et similia, ut cum multis aliis docent Sayrus, Henriquez, Coninck, Suarez et alii. De excommunicato tolerato aliter loquendum censet Archidiaconus, cap. 1, de Rescriptis, in 6, et probabile existimat Navarrus, lib. 5 Consil., tit. de Sentent. Excommun., consil. 44, n. 2. Sed rectiùs oppositum censent doctores cæteri, eò quòd nullus excommunicato tolerato quoad hoc punctum factus sit favor, et inhabilitas habeat locum non solùm in excommunicato occulto, sed etiam ignorante. Observandum tamen ex Layman, Castropalao et aliis, quòd rescriptis pontificiis inseri soleat absolutio ad cautelam, duntaxat ad rescripti effectum consequendum: adeò ut hic effectus excommunicationis jam ferè usum non habeat, cùm per prædictam clausulam elidatur.

179. Ad tertiam respondeo: Excommunicatus sive toleratus, sive vitandus, validè impetrat rescriptum pontificium, 1° super articulo excommunicationis, cùm cuilibet liberum esse debeat, se emendare; 2° super articulo appellationis, cùm durum sit removeri à suî defensione, naturaliter competente. Ita Gregorius IX, capitulo 1, de Rescriptis, in 6, dicens rescriptum ab excommunicato impetratum, ipso jure esse invalidum, *super alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo.*

Ad quartam respondeo: Navarrus, l. 6 Consil., tit. de Sentent. Excommun., consil. 44, n. 1 et 6, extendit præsentem doctrinam ad rescripta regis et imperatoris, affirmans esse invalida, si impetrentur ab excommunicato. Suarez autem, Bonacina, Castropalao meritò rejiciunt præfatam extensionem; quia sæpè citatum capitulum *de Rescriptis*, sola pontificia rescripta respicit: lex autem pœnalis de casu in casum extendi nequit, maximè si ratio sit diversa.

Ad quintam respondeo: Non sunt invalidæ concessiones aut gratiæ prælatorum pontifice inferiorum præstitæ excommunicato: quia nec alibi irritantur, nec veniunt nomine rescriptorum: hoc enim nomen, præsertim in materiâ pœnali et odiosâ, debet strictè accipi pro responso principis, superiorem in eodem ordine non habentis. Navarrus, Layman, Suarez, Bonacina.

180. Ad sextam respondeo, concordem esse sententiam quando impedimentum est juris humani, cujusmodi est excommunicatio, pontificem scienter admittentem aliquem ad actum prohibitum, censeri cum eodem dispensare, etiam sine causæ cognitione, quæ non requiritur ad valorem dispensationis, dummodò constet de voluntate dispensantis. Probatur hæc responsio per l. *Quidam* 57, ff. de Re judicatâ, ubi princeps minori 25 annis magistratum conferens, censetur ratificare omnia ejusdem gesta. Idem colligitur ex l. *Barbarius*, ff. de Offic. præt., ubi, si populus scienter decreverit prælaturam servo, innuitur quòd videatur libertate donare. Probatur et ratione; quia non videtur superior, qui impedimentum tollere potest, ludere, conferendo scienter munus vel officium illi, quem novit et relinquit inhabilem. Necesse est autem omninò ad eum effectum, ut pontifex sit conscius impedimenti: nam in eo ponitur fundamentum voluntatis dispensandi. Non præsumitur verò ista scientia, sed probanda est ab eo, qui rescriptum impetrat, utpote fundamentum suæ intentionis, cujus probatio alleganti incumbit.

§ 20. *De decimo effectu excommunicationis.*

181. Decimò excommunicatio major privat usu ecclesiasticæ jurisdictionis; can. *Audivimus*, 24, q. 1, cap. *Ad probandum*, de Sent. et re judic., cap. *Si is cui*, de Offic. et pot. jud. deleg., in 6, cap. *Romana*, de Suppl. neglig. prælat., eodem lib., cap. 1, de Officio

vicarii, eod. lib., cap. *Decernimus*, de Sentent. excommun., eod., cap. 1, *Ne sede vacante*, etc. eod. Sed difficultas est 1° an quivis excommunicatus mortaliter peccet per usum seu exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ? 2° An excommunicatus toleratus validè exerceat jurisdictionem spiritualem? 3° An validè exerceat actum jurisdictionis coactivæ? 4° Quid de excommunicato vitando?

Ad primam difficultatem respondeo : Certum et indubitatum est, cuilibet excommunicato interdictum esse usum jurisdictionis ecclesiasticæ; tum quia usus ille est præcipua cum fidelibus communicatio; tum quia non meretur fungi officio Ecclesiæ aut vices illius gerere, qui ab eâdem ob suam contumaciam per censuram separatus est; tum denique quia sic juribus statim citatis expressè ordinatum est. Quare mortaliter peccat excommunicatus vitandus, per se loquendo, exercens actum aliquem ecclesiasticæ jurisdictionis, quia grave præceptum graviter transgreditur. Idem est de excommunicato tolerato, nisi fuerit à fidelibus requisitus : nam in horum favorem licitè uti potest suâ jurisdictione. Ratio est quia fideles possunt cum tali excommunicato agere et petere ab eodem ea quæ ad suum officium spectant : necesse est igitur, ut tales excommunicati possint sine peccato facere, quod ab ipsis sine peccato petitur.

182. Ad secundam respondeo : Excommunicatus toleratus validè exercet actum jurisdictionis ecclesiasticæ, nisi per oppositam exceptionem repellatur. Navarrus, Sayrus, Covarruvias, Suarez, Lessius, Avila, Layman, Coninck, Henriquez, Hugolinus, Bonacina, Hurtadus, Castropalao, Herincx. Ratio est quia Ecclesia in concilio Constantiensi permittit fidelibus communicationem cum ejusmodi excommunicatis. Debet ergo horum jurisdictionem vel supplere vel conservare ad valorem actuum, qui alioquin nec licitè à fidelibus peterentur, nec ad fidelium petitionem licitè exercerentur ab excommunicatis, si forent irriti. Confirmatur ex cap. *Exceptionem*, de Exceptionibus; et cap. *Piâ consideratione*, eodem, in 6, ubi dicitur, publicè seu notoriè excommunicatum, judicis officio, ab actibus legitimis repellendum esse; occultè verò excommunicatum non repelli, nisi ab adversariâ parte contra eum, tanquàm minùs idoneum, excipiatur. Similiter cap. *Ad probandum*, de Sententiâ et re judic., ubi cassanda dicitur sententia per judicem excommunicatum lata, vis fit in eo quòd *excommunicationis vinculo esset publicè innodatus*. Atqui omnes excommunicati (ut infra dicetur) qui neque sunt nominatim denuntiati, neque notorii percussores clericorum, hodierno jure perinde se habent et ab Ecclesiâ tolerantur, ac olim excommunicati occulti.

183. Dixi, *nisi per oppositam exceptionem repellatur* : admittitur enim exceptio contra ipsum, impediens et elidens actum jurisdictionis. Quapropter, si excommunicatus toleratus citet me coram judice, possum contra ipsum excipere, cum hoc tamen onere, ut speciem et auctorem excommunicationis intra octo dies legitimè ostendam et evidenter probem; cap. 1, de Exceptionibus, in 6, aliàs nulla erit exceptio.

Hinc sequitur 1° excommunicatum toleratum, validè exercere officium judicis aut parochi, dùm non excipitur, atque adeò posse lites decidere, causas judicare, absolvere, dispensare, etc., ita tamen, ut teneatur desistere statim atque contra ipsum excipitur : nam cùm jura non intendant ipsis excommunicatis præstare aliquem favorem, ideòque nemo invitus cum ipsis communicare tenetur, meritò illis, quorum id interest, contra excommunicatum, quantùmvis toleratum excipere concessum est : quæ exceptio erit planè inutilis, nisi eidem deferre debeat excommunicatus.

184. Sequitur 2° eodem modo discurrendum esse de excommunicato tolerato publico, quo de occulto, post concilium Constantiense : excipit enim concilium solos nominatim excommunicatos, vel notorios percussores clericorum, permittens fidelibus cum cæteris communicationem in rebus omnibus, tam divinis quàm humanis, tam publicis quàm occultis. S. Antoninus, Navarrus, Sotus, Henriquez, Lessius, Layman, Castropalao.

Ad tertiam respondeo : Suarez, Layman, Hurtadus existimant excommunicatum toleratum, præsertim publicum, solâ jurisdictione directivâ validè posse uti, non item coactivâ per leges, præcepta, censuras. Ratio eorum est quòd per extravagantem *Ad evitanda* nullus favor aut gratia fiat excommunicatis, nisi quatenùs redundat in fidelium commodum aut utilitatem et ab iisdem acceptatur. Fideles autem nullatenùs acceptant eorum præceptum, tanquàm cedens in gravamen et non in commodum seu bonum suum; ergo. Deinde liberum est non communicare cum excommunicatis toleratis; ergo liberum est nolle parere præceptis eorum aut censuris. Interim oppositum videtur verius, valere scilicet præceptum et censuram excommunicati tolerati, dùm non eliditur per exceptionem. Guttierez, Coninck, Bonacina, Castropalao.

185. Et quidem, quando excommunicatio est occulta, admittunt auctores etiam alterius opinionis, valere actum jurisdictionis coactivæ, ne acta ejus, qui exercet officium judicis, ob occultum impedimentum infirmentur, ut observat Glossa, cap. *Ad probandum*, de Sentent. et re judic. Hinc autem fit sequens argumentum : nemo tenetur communicare cum excommunicato occulto : igitur si excommunicatus toleratus nequeat fideles ligare præceptis aut pœnis suis, quia fideles ab ejus communicatione eximuntur, nullatenùs erunt valida præcepta lata ab excommunicato tolerato, quantùmvis occulto. Quapropter dicendum videtur, dùm fideles se non opponunt per exceptionem, valere cujusvis excommunicati leges, præcepta, censuras : fideles enim, si non excipiant, censentur sententiæ excommunicati tolerati consentire, cùm à jure per solam exceptionem permissum sit explicare dissensum. Confirmatur : Jure antiquo poterat judex occultè excommunicatus præfatâ jurisdictione uti, donec elideretur per exceptionem; cap. *Exceptionem*, de Exceptionibus, cap. 1, eodem tit., in 6. Atqui jure novo

quivis excommunicatus toleratus potest quod jure antiquo poterat occultus.

186. Ad quartam respondeo : Excommunicatus vitandus invalidè exercet quemvis actum jurisdictionis spiritualis seu ecclesiasticæ. Ita omnes doctores et omnes canones superiùs adducti. Quare excommunicatus vitandus inprimis non potest excommunicare ; can. *Audivimus*, 24, q. 1. Secundò non potest absolvere, dispensare, aut facultatem pro ministrandis sacramentis concedere : sunt enim actus jurisdictionis ecclesiasticæ, quâ privatur excommunicatus vitandus, ut ex communi sententiâ docent Coninck, Sayrus, Castropalao. Tertiò, non potest validè delegare, quia delegatio est exercitium jurisdictionis. Quapropter irrita sunt acta delegati ab excommunicato vitando, ut satis colligitur ex cap. *Romana*, de Offic. vicarii, in 6. Ratio autem est, quia usus jurisdictionis in delegato assiduè pendet ab expeditâ facultate jurisdictionis in delegante, atque adeò hâc impeditâ per censuram excommunicationis in delegante, impeditur pariter seu suspenditur in delegato. Hæc tamen intelligenda sunt, re adhuc integrâ : nam in re ante delegantis excommunicationem inchoatâ potest fieri progressus, quemadmodùm si, re inceptâ, delegans moreretur ; cap. *Relatum*, c. *Gratum*, cap. *Licet*, de Offic. et Pot. jud. deleg.

187. Si tamen unum sit tribunal delegantis et delegati, prout unum est episcopi, et ejus vicarii generalis, excommunicato delegante, cessabit jurisdictio in delegato, etiam re inchoatâ, quemadmodùm ex cap. *Romana*, de Officio vicarii, in 6, docent Sayrus, Suarez, Sanchez, Avila, Coninck, Bonacina, Castropalao. Quartò, irrita est collatio beneficii, per excommunicatum vitandum facta, cap. un. *Ne sede vacante*, in 6, Covarruvias, Henriquez, Hugolinus, Sayrus, et passim cæteri, extendentes eamdem doctrinam ad electionem, argum. cap. *Cùm dilectus*, de Consuetudine ; cap. *Cùm inter*, 1, de Electione ; ubi significatur, electionem factam à suspenso invalidam esse. Omnis autem excommunicatus ab officio et jurisdictione suspensus est. Idem quoque sentiendum de præsentatione, tum quia præsentato per præsentationem jus aliquod confertur, quod excommunicatus vitandus non potest dare, tum quia excommunicato omnis communicatio fidelium interdicta, præsentatio autem magna quædam eaque ecclesiastica communicatio est.

§ 21. *De undecimo effectu excommunicationis.*

188. Undecimò, excommunicatus privatur communicatione forensi, can. *Nos sanctorum*, can. *Juratos*, 15, q. 6, cap. *Decernimus*, de Sentent. excommun., cap. *Ad probandum*, de Sentent. et Re jud., c. 1, de Exceptionibus, in 6, cap. *Veniens*, 2, de Testibus. Quocirca quæritur 1° qualiter et quando peccet excommunicatus, judicio forensi se insinuans ? 2° an excommunicatus à judicio per judicem repellendus sit ? 3° quæ forma servanda in dilatoriâ exceptione contra excommunicatum ; 4° an, si actor, advocatus aut testis excommunicatus neque per judicem, neque per exceptionem repellatur, valeant quæ in judicio peracta fuerint ? 5° an excommunicatus tanquàm reus in judicio conveniri possit ; 6° an per se comparere in judicio ?

189. Ad primam quæstionem respondeo : Excommunicatus, per se loquendo, peccat mortaliter, judicio forensi se immiscens. Sententia omnium. Ratio est, quòd in materiâ omninò gravi communicet cum fidelibus contra expressum Ecclesiæ interdictum. Dixi, *per se loquendo* : nam inprimis potest se defendere in judicio ; cap. *Cùm inter*, cap. *Dilecti filii* ; cap. *Significaverunt*, de Exceptionibus. Ratio est quia defensio sui permissa est jure naturali, cui repugnare non potest constitutio ecclesiastica. Reconvenire verò suum actorem in aliâ causâ præter eam de quâ agitur, nequaquàm potest ; id enim esset assumere officium actoris. Quare Innocentius III, cap. *Cùm inter*, cit., expressè prohibet reconventionem, *ne quòd in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur*. Quare si ab excommunicato debitum solutum exigatur, potest allegare præstitam à se solutionem, et probare testibus vel instrumentis, falsò à se debitum postulari. Item si injuria per excommunicatum actori illata, per hujus injuriam similem recompensata sit, poterit excommunicatus hanc recompensationem objicere et probare, quando injuriatus agit de delicto. Denique si actor aliquo impedimento laboret, quo ab agendo repellatur, potest reus excommunicatus impedimentum objicere et probare : quia, ut rectè inquit Suarez, in his omnibus excommunicatus non agendo, sed se defendendo procedit, quod jure naturali concessum est.

190. Secundò, si excommunicatus rationabiliter timeat fugam debitoris sui, potest eumdem coram judice convenire, ne occasione excommunicationis grave damnum patiatur. Ita Covarruvias, Bonacina, Castropalao, Præpositus, Herincx. Ratio est quòd excommunicatus in casu non tam dicatur agere, quàm se defendere et adversùs instantem injuriam officium judicis implorare.

191. Tertiò, in causâ propriæ excommunicationis admittitur excommunicatus, tanquàm actor, intendens probare vel se non esse excommunicatum, vel esse absolvendum. Panormitanus, Suarez, Præpositus et alii. Colligitur à simili ex cap. 1, de Rescriptis, in 6, ubi rescriptum ab excommunicato impetratum dicitur esse nullum, *si super alio quàm excommunicationis vel appellationis articulo fuerit impetratum*. Igitur etiam in præsenti audiri poterit super articulo excommunicationis, dummodò servetur regula, quam tradit Innocentius III, cap. *Cùm contingat*, de Offic. jud. deleg., ut nimirùm, si excommunicatus probare intendat excommunicationem, quantùmvis validam, fuisse injustam, admittendus non sit ante absolutionem ; si verò prætendat excommunicationem fuisse nullam, audiatur ante absolutionem. Eadem regula traditur cap. *Per tuas*, de Sentent. excommun.

Quartò, excipitur causa fidei, in cujus favorem excommunicati, etiam non tolerati, testari, possunt contra hæreticos, eorumque fautores ; cap. *In fidei favorem*, de Hæreticis, in 6.

Quintò, excommunicatus toleratus, non solùm validè, sed etiam licitè potest esse testis, advocatus vel pro-

curator in judicio, si à fidelibus requiratur. Ratio est quòd post concilium Constantiense permittatur fidelibus omnis cum excommunicato tolerato communicatio, quæ redundat in eorum favorem.

192. Ad secundam quæstionem respondeo : Extra casus enumeratos debet excommunicatus vitandus per judicem repelli ab agendo, patrocinando, testificando : cap. *Decernimus*, de Sentent. Excommun., in 6, cap. *Exceptionem*, de Except., et cap. *Piâ*, eodem tit., in 6. Excommunicatus verò toleratus, de cujus excommunicatione publicè constat. potest, sed non debet repelli per judicem, nisi pars adversa excipiat. Exceptio autem opponi potest in quâlibet parte judicii, ante sententiam, in ipsâ sententiâ, et post sententiam ante ejusdem executionem. Ita statuitur cap. *Exceptionem*, cit., et docent Glossa ac Panormitanus ibidem, Filliucius, Hugolinus, Sayrus, Castropalao et alii. Rationem reddit Innocentius IV, cap. 1, de Exceptionibus, in 6, *quòd majoris excommunicationis exceptio, in quâcumque parte judiciorum opposita, lites differat et repellat agentes, ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, et excommunicati (dùm à communibus actibus excluduntur) rubore suffusi ad humilitatis gratiam et reconciliationis effectum faciliùs inclinentur.*

193. Ad tertiam respondeo : Cùm *in causis ecclesiasticis frequentiùs hæc exceptio per malitiam* apponatur, atque ita contingat *interdùm, differri negotia et partes fatigari laboribus et expensis*, hinc Innocentius IV, cap. 1, de Exceptionibus, sup., ordinavit primò, ut, *si quis excommunicationem opposuit, speciem illius, et nomen excommunicatoris exprimat :* speciem quidem excommunicationis; quia, ut notat Glossa, verbo *Speciem*, duplex est excommunicatio; altera autem ab agendo repellit, scilicet major : altera non, scilicet minor; cap. *Engeltrudam*, 3, q. 4. Nomen verò excommunicatoris, nimirùm an à jure, an ab homine, ab ordinario vel à delegato judice lata sit; cùm sæpè contingat, defectu potestatis nullam esse excommunicationem, præterquàm quòd delegatus debeat ostendere formam jurisdictionis; aliàs ejus censura vim non habebit. Secundò, statuit Pontifex, exceptionem *intrà octo dierum spatium (die in quo proponitur, minimè computato)* probandam esse : nam, cùm hæc exceptio (ut supra Pontifex) sæpiùs malitiosè opponatur et cedat in gravamen judicii, meritò ejus probatio ad tempus illud breve restringitur. Neque judici, per se loquendo, permissum est prorogare tempus probationis : tum quia per legem statutum seu determinatum est; tum quia cederet in illius præjudicium, cui opponitur excommunicatio, cùm ei refundi debeant omnes expensæ, actore infra illud tempus non probante. Tertiò, requirit Pontifex ut exceptio probetur apertissimis documentis; *apertissimis*, id est, secundùm Glossam, claris et indubitatis; *documentis*, id est, testibus vel instrumentis. Quartò, statuit ut, si opponens excommunicationem, in probatione defecerit, judex eumdem condemnet in expensas, *quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit.*

194. Ad quartam respondeo : Si actor, advocatus, vel testis in judicio neque per judicem ex officio, neque per adversarii exceptionem repellatur, valida videntur omnia quæ in tali judicio peracta fuerint. Suarez, Layman, Coninck, Castropalao, Præpositus, Herincx et alii. Et quidem quod attinet actorem, res certa est ex cap. 1, de Exceptionibus, sup., ubi objectio excommunicationis post rem judicatam, impedit quidem executionem; verùm sententia, quæ præcessit, dicitur non minùs robur debitum obtentura. Vide Suarez, sect. 3, n. 7. De advocato et teste est eadem ratio et communis opinio, eo præsertim quòd nullus inveniatur textus, quo patrocinium vel testimonium eorum irritetur, si non repellantur.

195. Ad quintam respondeo : Excommunicatus sive vitandus sive toleratus conveniri in judicio potest, tam in causâ civili, quàm criminali. Omnes. Patet autem ex cap. *Intelleximus*, de Judiciis, ubi Alexander III, rogatus *utrùm excommunicatus in judicio stare possit*, respondet *quòd conveniri potest, et debet per alium respondere.* Ratio autem adjungitur, *ne videatur de suâ malitiâ commodum reportare.* Quòd si absolutionem consequi possit, eam ante à reo petendam esse, aliqui volunt; sed hoc, quanquàm conveniens, minùs tamen est necessarium, cùm canones absolutè et absque eo scrupulo concedant reo suî defensionem, et ea quæ hanc concernunt. Potest itaque, etiam non postulatâ excommunicationis absolutione, ad omnia sibi objecta respondere, testes et instrumenta in suam defensionem producere, judicem, advocatum, scribam et procuratorem eligere.

196. Quinimò poterit exceptionibus dilatoriis uti, tum adversùs judicem eum recusando vel ejus jurisdictionem declinando; tum adversùs actorem, objiciendo eidem excommunicationem, si eâ constrictus sit vel alio laboret impedimento quo à judicio repelli possit; tum adversùs procuratorem, si de mandato legitimo non constet; tum adversùs testes, tanquàm quibus fides haberi non debeat. Denique uti potest quâvis exceptione, ad suî defensionem pertinente. Unde, si sententiâ se gravari sentiat, potest interponere appellationem, quæ admittenda est, ac si excommunicatus non esset; cap. *Cùm inter*, et cap. *Significaverunt*, de Exceptionibus. Ratio, quia appellatio est quædam juris defensio ad removendum gravamen, cap. *Suggestum*, de Appellationibus. Jam verò excommunicato permissa est omnis defensio, quam jus naturæ concessit, cap. *Dilecti filii*; cap. *Dilectæ*; cap. *Significaverunt*, de Exceptionibus. Vide Glossam, cap. *Intelleximus*, verbo *Conveniri potest*, de Judiciis.

197. Ad sextam respondeo : Plurimi doctores censent, excommunicatum etiam tanquàm reum non posse in judicio comparere per semetipsum, sed obligari ad constituendum procuratorem, qui ejus nomine respondeat, nisi forsitan in defectu mediorum. Decius, Felinus, Sylvester, Hugolinus, Avila, Hurtadus, Layman. Ratio, quòd ita statui videatur cap. *Intelleximus*, de Judiciis, ubi expressè dicitur *quòd conveniri potest*

et debet per alium respondere. Verbum autem *debet* importat necessitatem seu obligationem, et afficit non solùm responsionem, sed etiam modum responsionis, id est, sicuti *debet* excommunicatus, si in judicio conveniatur, respondere, sic *debet* respondere *per alium*. Cæterùm, etsi id maximè sit conveniens, tum ut excommunicationis effectus rectiùs observetur, tum ut minima, quoad fieri potest, communicatio habeatur cum excommunicato, non tamen est necessarium. Glossa, cap. *Intelleximus;* cit. Hostiensis, Panormitanus, Sayrus, Suarez, Coninck, Bonacina, Filliucius, Herincx.

198. Ratio est quia cap. *Cùm inter*, cap. *Dilecti filii*, cap. *Dilectæ*, cap. *Fin.* de Exceptionibus, conceditur excommunicato facultas, se defendendi simpliciter. Non igitur existimandum est hanc facultatem per cap. *Intelleximus*, restringi, maximè cùm jure naturali cuilibet permissa sit defensio propria seu personalis, si ejusdem capax sit. Proinde si excommunicatus judicet se rectiùs quàm procuratorem, posse suam causam tueri, non tenebitur hunc constituere. Ad cap. *Intelleximus* respondeo : Fateor quòd verbum *debet* afficiat utrumque, videlicet et responsionem, et respondendi modum, sed diversimodè, illam tanquàm obligatoriam, hunc tanquàm magis convenientem.

§ 22. *De duodecimo effectu excommunicationis.*

199. Duodecimò, excommunicatio major privat politicà seu civili fidelium communione; cap. *Sicut Apostoli;* cap. *Excommunicatos;* cap. *Cum excommunicato;* cap. *Qui communicaverit;* cap. *Si quis laicus;* cap. *Ad mensam*, 11, q. 3; cap. *Omnis*, 24, q. 1; cap. *Illud*, de Clerico excommun. ministr.; cap. *A nobis*, de Exceptionibus; cap. *Nuper;* cap. *Si aliquando;* cap. *Si quem*, de Sentent. excommun. Quæritur autem 1° quæ actiones censeantur prohibitæ per hanc communionis privationem ; 2° an omnes excommunicatos concernant; 3° quale sit peccatum communicatio fidelium cum excommunicato vitando ; 4° quæ causæ excusent à peccato communicantem cum excommunicato; 5° an valeat contractus cum excommunicato vitando initus citra necessitatem ?

Ad primam quæstionem respondeo, prohiberi quaslibet actiones, quæ sive commercium sive societatem sive conversationem continent seu respiciunt : solent autem ad numerum quinarium à Doctoribus reduci et versiculo sequenti exprimi : *Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.* De singulis breviter.

200. Per particulam *os* intelligitur osculum pacis, amplexus, munerum donatio vel receptio, et generatim signa quælibet benevolentiæ vel amicitiæ. Hugolinus, Henriquez, Sayrus, Suarez. Specialiter autem hâc voce significatur, prohibitam esse excommunicati allocutionem ; c. *Cum excommunicato*, 11, q. 3, ubi dicitur : *Cum excommunicato neque orare neque loqui (nisi quæ ad eamdem excommunicationem pertinent) nec vesci licet : si quis enim cum eo aut palam aut absconsè locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam.* Cùm verò locutio non solùm verbis, sed et litteris seu scripto fiat, cap. *Ubi periculum*, de Elect. in 6, hinc prohibita censetur etiam quævis litterarum missio et receptio, prout docet Glossa, cap. *Constitutionem*, verbo *Participantes*, de Sentent. excommun., in 6. Item locutio nutibus aut signis facta, cùm sit vera mentis manifestatio. Perinde est etiam sive excommunicato loquaris per temetipsum sive per internuntium, ut tradit Glossa, cap. *Constitutionem*, cit. verbo *Participatione.*

Per particulam *orare* denotatur spiritualis participatio in sacramentis, in divinis officiis, in sacrificio missæ et quibuslibet precibus in ecclesiâ vel extra eam dici consuetis, secundùm ea quæ ante diximus

201. Per verbum, *vale*, venit omnis honorifica salutatio per reverentiæ et honoris exhibitionem, quâ indignus censetur excommunicatus, secundùm illud Joannis Evangelistæ, 2 Epist. cap. 1 : *Neque* Ave *ei dixeritis.* Quare Calixtus Pontifex, cap. *Excommunicatos*, 11, q. 3, statuit ut *excommunicatos quoscumque à sacerdotibus nullus recipiat... nec cum eis in oratione aut cibo aut potu aut osculo communicet, nec* Ave *eis dicat.* Similia statuuntur de schismaticis et hæreticis, cap. *Omnis*, 24, q. 1. Dubitari autem potest an liceat excommunicato assurgere, aperire caput, aut signum simile exhibere. Sunt qui existimant, talia signa sub verbo *vale* non comprehendi, quòd verbo non fiant, atque ideò communicationem talem non esse prohibitam, eò quòd prohibitio, quia pœnalis, sit restringenda. Quæ sententia licèt ad praxim accommodata videri possit, et habeat excusationem in consuetudine, per quam huic prohibitioni, quæ juris humani est, derogari potest, in rigore tamen juris non est vera : tum quia prohibita est simpliciter omnis cum excommunicato communicatio, tum quia ejusmodi honoris exhibitio spectat ad actum observantiæ, à canone prohibitum respectu excommunicati. Nec est, quòd quis dicat, licere ea signa exhibere sine intentione præstandi honoris, sed solùm ad vitandum scandalum et inurbanitatem ; cùm prohibeatur simpliciter honoris exhibitio. Ita Suarez, Zoesius et alii.

202. Per verbum *communio* intelligitur omnis contractus, cohabitatio, societas, tam in judicio, quàm extra, per donationem, testamentum, electionem beneficii vel officii, etc.

Per vocabulum *mensa* intelligitur participatio in cibo et potu ; adeò ut hìc locum habeat, quod de fornicatoribus, avaris, idolorum cultoribus et similibus monet Apostolus, 1 ad Corinth. 5, v 11 : *Cum ejusmodi nec cibum sumere.* Vide can. *Ad mensam*, 11, q. 3.

Est autem obligatio ista non communicandi reciproca, ut non tantùm excommunicatum afficiat, ne in aliorum fidelium societatem se ingerat, sed etiam ipsos fideles, ne excommunicati hominis societatem admittant, prout colligitur ex cap. *Illud Dominus*, § *Illud autem*, de Clerico excommun. ministr. Itaque communicationis istius prohibitio primariò quidem et directè afficit excommunicatum, secundariò autem cæteros quibus communicatio cum excommunicato indirectè prohibetur. Peccant proinde utrique graviter,

nisi excuset ignorantia, pietas, necessitas, utilitas.

203. Ad secundam respondeo : Ante concilium Constantiense omnibus excommunicatis interdicta erat præfata cum fidelibus communicatio, ita tamen, ut publici publicè, occulti privatim vitandi essent ab iis quibus eorum excommunicatio perspecta erat ; cap. *Cum non ab homine*, de Sent. excommun. Ita omnes doctores. In concilio autem Constantiensi, circa annum Domini 1414 celebrato, et per Martinum V postea confirmato, edita est constitutio *Ad evitanda*, quæ licèt non exstet in tomis conciliorum, refertur tamen à S. Antonino, qui eodem tempore vixit, Soto, Guttierez, Navarro, Adriano, Driedone, Sayro, Castropalao, Layman. Est autem sequentis tenoris : « Ad « evitanda scandala et multa pericula quæ conscientiis « timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore « præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo « deinceps à communione alicujus, in sacramentorum « administratione aut aliis quibuscumque divinis, in- « tùs et extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut « censuræ ecclesiasticæ, à jure vel ab homine genera- « liter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem « vitare aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi « sententia vel censura hujusmodi fuerit illata contra « personam, collegium, universitatem Ecclesiæ, com- « munitatem aut locum certum vel certam, à judice « publicata vel denuntiata specialiter et expressè, « constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium « facientibus, non obstantibus quibuscumque. Salvo, « si quem sacrilegâ manuum injectione in clericum, « in sententiam latam à canone adeò notoriè consti- « terit incidisse, quòd factum non possit aliquâ ter- « giversatione celari, nec aliquo suffragio excusari : « nam à communione illius, licèt denuntiatus non « fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctio- « nes. » Inferiùs autem subjungitur : « Per hoc tamen « hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos « aut prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, « nec eis quomodolibet suffragari. » Hactenùs concilium Constantiense, prout à doctoribus supra citatis allegatur.

204. Porrò hæc constitutio in concilio Basileensi, anno Domini 1435, celebrato, immutata fuit, ut non solùm vitandi statuantur, specialiter et expressè denuntiati aut notorii clericorum percussores, sed quivis notoriè excommunicati : sic enim legitur, sessione 20, § 2, juxta editionem Labbei et Cossartii : « Ad « vitandum scandala, etc., statuit quòd nemo deinceps « à communione alicujus, in sacramentorum admini- « stratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divi- « nis, intùs vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ « aut censuræ ecclesiasticæ seu suspensionis aut prohi- « bitionis, ab homine vel à jure generaliter promulgatæ, « teneatur abstinere vel aliquem vitare, etc., nisi « sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujus- « modi, fuerit in vel contra personam, etc., aut si « aliquem ita notoriè in excommunicationis senten- « tiam constiterit incidisse, quòd nullâ possit tergi- « versatione celari, aut aliquo modo juris suffragio « excusari. » Ita concilium Basileense.

205. Idem iisdem terminis repetit et decernit Leo X, in concilio Lateranensi, anno 1516, sess. 11, § Statuimus insuper. Hinc orta inter doctores controversia, utrùm Constantiensis, an verò Basileensis concilii decreto hodie standum sit. Pro decreto Basileensis pugnant Sylvester, Covarruvias. Cæteri communiter pro Constantiensi, Victoria, Avila, Henriquez, Suarez, Coninck, Guttierez, Sayrus, Layman, Castropalao, Herincx. Ratio est quia concilium Basileense, utpote acephalum, omni robore et auctoritate destitutum est ; quapropter à Leone X, in concilio Lateranensi, sess. 11, vocatur conciliabulum, et ab Eugenio IV, revocatum fuit, exceptis quibusdam constitutionibus circa causas beneficiales, à Nicolao V receptis, ut constat ex ejus bullâ, datâ Spoleti, 14 kalendas julii, anno 1439, quæ adducitur ad finem concilii Basileensis, sess. 45. Concilium autem Lateranense sub Leone X, sess. 11, § Statuimus insuper, recitat quidem moderationem juxta tenorem concilii Basileensis ; sed quæ ibidem statuuntur, solam concernunt Franciam : sunt enim concordata cum rege Christianissimo, ut tomo 14 Concil. edition. Labbei et Cossartii, pag. 291, videri potest. Retinendum est igitur decretum concilii Constantiensis, ex quo

206. Colligitur 1°, tam in humanis quàm divinis, atque adeò in omnibus actionibus superiùs enumeratis, hodiedùm vitandos esse notorios clericorum percussores, de quorum scilicet delicto tam manifestè constat, ut nullâ tergiversatione, nullo juris suffragio excusari possint. Quare si quàvis probabili ratione excusari factum seu delictum eò usque possit, ut excommunicatio reddatur dubia vel incerta, percussor clerici, etiam manifestus, non est vitandus ; ut si dicat et probabiliter ostendat, se percussisse in sui defensionem, joco fecisse aut inadvertenter ex subito motu vel ignorantiâ ordinis clericalis. Aliàs, etiam sine prævià denuntiatione vitandus est, publicè quidem per totam civitatem, quando plurimis in civitate censura ejus evidenter innotuit, vel per totum collegium, si in eo tam multis sit evidens, ut ibidem meritò notoria censeatur. Ita Præpositus, Bonacina, Herincx et alii. Sed de hoc infra pluribus.

Colligitur 2° eodem modo vitandos esse quoslibet majori excommunicatione innodatos, postquàm per sententiam judicis vel superioris publicati vel specialiter et expressè denuntiati fuerint. Constat ex verbis Extravagantis *Ad evitanda*, superiùs allegatis.

207. Colligitur 3° vitandos hodiè à fidelibus non esse etiam in divinis, excommunicatos cæteros, nimirùm, qui neque sint notorii percussores clericorum, neque nominatim denuntiati. Constat iterùm ex verbis ejusdem Extravagantis. Quare non sufficit, nominatim excommunicatum esse, si denuntiatio non accedat ; ex quo ulteriùs sequitur, quòd, si alicui in scripto tradatur sententia excommunicationis in aliquem, ut eamdem denuntiet, denuntiaturus non teneatur vitare excommunicatum, nisi factâ denuntiatione

seu promulgatione. Sequitur item quòd, licèt appellatio ipsam excommunicationis sententiam absolutè latam suspendere nequeat, cùm ea secum trahat executionem, cap. *Pastoralis*, § *Verùm*, de Appellation., nihilominùs appellatio à sententiâ declaratoriâ criminis suspendat effectum denuntiationis, atque adeò appellans, pendente appellatione, vitandus non sit.

208. Colligitur 4° : Excommunicatis toleratis per Extravagantem præfatam nullum favorem directè præstari, sed solis fidelibus innocentibus. Constat ex verbis finalibus supra adductis : *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos, non intendimus in aliquo relevare nec eis quomodolibet suffragari.* Eadem periodus additur à conciliis Basileensi et Lateranensi. Quare inprimis peccant ipsi excommunicati, per se loquendo, ultrò se ingerentes sive humanis sive divinis. Deinde fideles, eorum communione sine injuriâ abstinent, cùm privatim, tùm etiam publicè, dummodò eorum excommunicatio vel publicè nota sit, vel satis probabilis.

Ad tertiam respondeo primò : Communicatio significata per verbum *orare*, juxta communem doctorum sententiam, sub peccato mortali interdicta est. Colligi solet ex cap. *Significavit*, de Sentent. excommun.; sed, ut verum fatear, illic sermo tantùm est de clerico *scienter et sponte* participante in divinis cum excommunicato per Pontificem. Ratio igitur est, quia ejusmodi communicatio repugnat graviter tum auctoritati censuræ, tum dignitati rerum sacrarum, si videlicet ad has, quæ maximè propriæ sunt filiorum Ecclesiæ, admittantur, qui ab Ecclesiâ sunt præcisi. Interim materiæ parvitas excusat à mortali. Respondeo secundò : Communicatio merè civilis seu politica, per cæteras ejusdem versiculi particulas significata, plerùmque tantùm venialis est, ut rursùs communiter doctores tradunt. Ratio est quia hujusmodi communicatio in actionibus pertinentibus ad convictum et humana commercia, secundùm se levis et valdè vulgaris est, nec graviter repugnat fini excommunicationis, per quam primò ac directè solus prohibetur usus rerum divinarum et ecclesiasticarum ; indirectè verò et secundariò tantùm, politicarum. Ita Suarez, Coninck, Filliucius, Layman, Cajetanus, Castropalao, Herincx.

209. Hinc autem sequitur non solùm fideles plerùmque graviter non peccare in casu, sed ne ipsum etiam excommunicatum : nam (ut rectè Filliucius) excommunicatus, et cum eo communicantes fideles respiciunt se tanquàm duo extrema correlativa : correlativorum autem eadem est ratio. Si ergo ejusmodi communicatio sit tantùm venialis respectu fidelium non excommunicatorum, erit pariter respectu excommunicati.

Objicies can. *Excommunicatos*, 11, q. 3, ubi sub pœnâ similis excommunicationis prohibetur fidelibus, ne cum excommunicatis communicent *in oratione aut cibo aut potu aut osculo*, etc. ; ergo communicatio in ejusmodi rebus vel actionibus debet mortalis esse; aliàs majori excommunicatione puniri non posset. — Resp. cum Covarruviâ, non esse illic sermonem de excommunicatione simili secundùm æqualitatem, sed proportionem, ut sensus sit : sicut ille majori excommunicatione innodatus est, sic participans cum ipso in prædictis, excommunicationem pariter incurrit, sed minorem.

210. Ad quartam respondeo : Causas à peccato excusantes, ex responso Gregorii VII, can. *Quoniam multos*, 11, q. 3, Doctores communiter cum Glossâ, cap. *Cùm desideres*, de Sentent. excommun., ad numerum quinarium reducunt et versibus sequentibus exprimunt :

Hæc anathema quidem solvunt, ne possit obesse;
Utile, lex, humile, res ignorata, necesse :

De singulis rursùm breviter.

Per vocabulum *utile* intelligitur vera utilitas tam spiritualis quàm temporalis, propria vel ipsius excommunicati. Quare inprimis possumus excommunicato consilium dare, in ordine ad conversionem ejus ac salutem; cap. *Cùm voluntate*, de Sent. Excomm., idque, *licèt etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat*, consulens *interponat*. Secundò, potest haberi concio coram excommunicato; c. *Responso*, eodem tit. Tertiò, potest quis ab excommunicato eleemosynam petere, si egeat, vel necessaria emere, quæ aliàs commodè obtinere non possit; can. *Quoniam*, 11, q. 3. Quartò, possumus ei eleemosynam largiri, ex eodem can., ubi dicitur. *Si quis excommunicatis, non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causâ dare aliquid voluerit, non prohibemus;* quia eleemosyna nulli deneganda est, c. *Pasce*, dist. 86. Quintò, possumus ab excommunicato debitum petere, etiam in judicio ; cap. *Intelleximus*, de Judiciis.

211. Per particulam *lex* intelligitur matrimonium, ratione cujus potest uxor marito excommunicato, etiam denuntiato, debitum reddere et ab illo petere; can. *Quoniam multos*, 11, q. 3. Neque solùm communicare potest uxor cum marito excommunicato in redditione et petitione debiti conjugalis, verùm etiam in convictu, cohabitatione et mutuis obsequiis domesticis ; cap. *Inter alia*, de Sentent. excommun.

Excipitur 1° casus quo sponsa sit de futuro; tum quia uxoris appellatione non venit, l. *Si qua*, § 1, ff. de Ritu nupt., tum quia ad nulla obsequia obligatur sponso, ut ne quidem cohabitare ei, etiam non excommunicato permittatur, per concilium Tridentinum, sess. 24, c. 1, de Reform. matrim.

212. Excipitur 2° casus quo per divortium uxor à viro separata foret : stante enim et perdurante divortio, non videtur licita communicatio cum marito, quòd ab obsequiis ejus pro eo statu sit libera. Non impediet tamen excommunicatio reconciliationem, quæ licitam faciet communicationem, cùm mutuorum obsequiorum obligationem restituat.

Excipitur 3° casus quo sub excommunicatione interdictus esset usus matrimonii, de cujus valore lis etiamnùm penderet; quia communicatio per carnalem usum redundaret in periculum animarum; imò esset participatio in crimine, c. *Si concubinæ*, de Sentent. excommun., ubi statuitur ut communicans excommu-

micato in crimine damnabili, in majorem excommunicationem incidat.

Excipitur 4° casus quo excommunicatio matrimonium præcessisset. Colligitur ex c. *Inter alia*, sup., ubi significatur, personas quæ, c. *Quoniam*, sup., excipiuntur ab effectu excommunicationis, debere esse obnoxias debito communicationis ante contractam excommunicationem. Unde jus naturale uxoris communicandi cum marito, non obligat, nisi supposito jure utriusque partis non impedito : impeditur autem per excommunicationem præcedentem matrimonium, donec absolvatur, nisi supponas uxorem bonâ fide matrimonium contraxisse : cùm enim nihil egerit contra censuram, non videtur privari jure petendi vel reddendi debitum conjugale.

213. Excipiunt 5°, nonnulli casum quo uxor excommunicationem incurrisset : tum enim volunt, marito non licere communicationem cum eâdem, saltem in obsequiis distinctis à debiti conjugalis petitione. Ratio est, tum quia cap. *Quoniam*, cit., mentio fit solius uxoris, quæ cum viro excommunicato dicitur communicare posse; tum quia vir est caput uxoris : ad eum pertinet uxorem corrigere et instigare ad obtinendam absolutionem; quod si non faciat, sibi imputet incommodum, quo ab usu matrimonii vel cæteris ejusdem obsequiis abstinere debet. Ita Hostiensis, S. Antoninus, Sylvester, Armilla et alii. Sed rectiùs communior opinio censet, mariti et uxoris parem in præsenti conditionem esse, ac propter periculum, quod utrinque subest, posse de utroque canonem citatum intelligi, quatenùs dispositum de uno correlativo, censetur pariter dispositum de altero, quando eadem est ratio de utroque; l. *fin.* c. de Indictâ viduit. tol.

214. Nec obstat alterius opinionis fundamentum; quòd enim cap. *Quoniam*, sola uxor excipiatur, id factum, quia frequentiùs viri quàm uxores in censuram incidunt. Quod autem additur, marito incumbere uxoris correptionem, solùm probat, peccaturum contra legem naturalem charitatis, si huic officio desit, non verò contra ecclesiasticam de vitandis excommunicatis.

Per voculam *humile* significatur subjectio, ratione cujus à peccato excusantur plures communicantes cum excommunicato; can. *Quoniam*, cit., ubi dicitur : *Apostolicâ auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos servientes.* Itaque inprimis excusantur filii tum legitimi, tum naturales, tum adoptivi communicantes cum patre excommunicato : item gener, nurus, privignus et privigna, comparatione soceri, socrûs, vitrici, novercæ. Item pupilli et minores respectu tutoris et curatoris : hi enim omnes intelliguntur nomine filiorum in favorabilibus. Vide l. *Filii*; l. *Liberorum*, ff. de Verb. signif., et l. *Adoptivum*, ff. de in jus vocando.

215. Sed an idem dicendum de filio emancipato? Communis sententia negat, eò quòd ratio canonis hanc potestatem filio facientis sit, quòd ejusmodi communicatio moraliter videatur necessaria ob parentum et filiorum ordinarium convictum seu cohabitationem, quæ ratio non ita locum habet in filio emancipato. Interim satis probabile est, prædictum juris favorem extendi ad emancipatos, quia verè sunt filii et parentibus subditi; ergo gaudent favore filiis concesso. Suarez, Hugolinus, Bonacina, Reginaldus, Hurtadus et alii. Secundò, excusantur à peccato servi aut famuli communicantes cum domino excommunicato; cap. *Quoniam*, cit. Ratio est quia famulus per sui domini excommunicationem non liberatur à suâ servitute et obligatione obsequii personalis. Meritò ergo iisdem permittitur præfata communicatio tanquàm moraliter inevitabilis. Sed an idem dicendum est de vasallis? Negant Sayrus, Bonacina, Castropalao; quia vasalli nec sunt famuli, nec de familiâ domini, ut ad ejus communicationem adstricti esse videantur. Tertiò, excusatur à peccato familia communicans cum patre-familiàs excommunicato; c. *Si verè*, de Sentent. excomm., ubi dicitur : *Si pater-familias domûs, excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur.* Quartò, excusantur subditi religiosi comparatione superioris sui, et clerici respectu episcopi cui famulantur.

216. Per vocabulum, *res ignorata*, intelligitur ignorantia, quæ est quartus titulus excusans à peccato communicantem cum excommunicato vitando. Constat ex cap. *Quoniam*, cit., ubi dicitur : *Apostolicâ... auctoritate ab anathematis vinculo... subtrahimus... et eos, qui ignoranter excommunicatis communicant.* Ex quibus verbis colligitur 1° perinde esse, sitne ignorantia juris, quâ videlicet ignoratur lex ipsa excommunicationis; sive facti, quâ nescitur, hunc vel illum esse excommunicatum : nam Pontifex loquitur simpliciter de ignorantibus; utrique autem verè sunt ignorantes, tam qui nesciunt factum, quàm qui legem excommunicationis. Colligitur 2° perinde esse sive ignorantia sit invincibilis, sive vincibilis, saltem si non sit affectata. Suarez, Coninck, Hurtadus, Castropalao, Herincx. Ratio est quia Pontifex citato canone intendit favorem aliquem præstare ignorantibus, quatenùs eximit à peccato communicantes per ignorantiam cum excommunicato denuntiato : jam verò nullum omninò præstaret favorem, si de solâ ignorantiâ invincibili loqueretur; hæc enim independenter à Pontificis favore et voluntate, ipso jure naturæ excusat à peccato.

217. Deinde Pontifex initio ejusdem canonis ait rationem, quâ movetur ad hanc indulgentiam, esse, quòd plurimi occasione excommunicationis perirent *partim ignorantiâ* facti, *partim nimiâ simplicitate*, seu errore juris. Atqui per invincibilem et inculpabilem ignorantiam sive facti sive juris nemo perire potest. Ergo Pontifex de ignorantiâ vincibili seu culpabili loquitur. Colligitur 3° quòd, si fundatè dubites, num aliquis contraxerit excommunicationem, v. g., ob clerici percussionem, nec debeas, nec possis illum vitare tanquàm excommunicatum. Navarrus, Sanchez, Layman, Castropalao, Suarez, Avila, Bonacina, quorum tres ultimi excipiunt receptionem et admini-

strationem sacramentorum ob periculum sacrilegii. Colligitur 4° aliud dicendum, si certò constet, aliquem in excommunicationem incidisse, sed dubitetur, an absolutus sit : quia non potest præsumi absolutio, ad eum finem, ut cum simili excommunicato liceat communicare, præsertim in rebus sacris. Sylvester, Suarez, Avila, Layman, Hurtadus, Bonacina, ex regulâ 8, de Regulis, in 6. *Semel malus, semper præsumitur esse malus*, cujus ratio est quòd mutatio sit facti, quod non præsumitur, sed probandum est vel ostendendum ex conjecturis.

218. Per verbum *necesse* intelligitur quævis extrema vel notabilis necessitas, sive teneat se ex parte excommunicati vitandi, sive ex parte alterius; sive sit necessitas spiritualis sive temporalis. Covarruvias, Suarez, Sanchez, Becanus, Molina, Layman, Herincx, Coninck. Colligitur ex cap. *Quoniam*, ubi dicitur : *Quicumque orator, sive peregrinus, sive viator, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat, unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus.* Item ex cap. *Inter alia*, de Sentent. Excommun., ubi legitur, familiare obsequium, aliudve debitum justâ conventione contractum, per supervenientem creditoris excommunicationem non dissolvi; sed nihilominùs reddendum, atque adeò eidem communicandum esse.

219. Ad quintam quæstionem respondeo : Hostiensis, Archidiaconus et nonnulli alii apud Marianum Socinum in cap. *Sacris*, de Sentent. Excommun., putant valere contractus in favorem contrahentium cæterorum, non in ipsius excommunicati. Ratio ipsorum est quòd, cùm excommunicatus vitandus citra necessitatem contractum iniens, sit legum communicationem interdicentium manifestus transgressor, æquum non sit, ut ab iisdem legibus adjuvetur : quod enim contra jus fit, juxta regulam juris pro infecto haberi debet. Deinde excommunicatus, in judicio petens executionem contractûs in excommunicatione initi non auditur, sed ab agendo repellitur ; cap. *Pia*, de Exceptionibus, in 6; cùm interim cæteris adversùs excommunicatum agere permittatur. Igitur contractus ab excommunicato vitando initus valet quidem in favorem contrahentis alterius, non verò ipsius excommunicati.

220. Cæterùm omninò tenendum est, contractum ab excommunicato, etiam vitando initum, validum et firmum esse, in utriusque favorem, alterius contrahentis, vel excommunicati. Panormitanus, Felinus, Covarruvias, Hugolinus, Sayrus, Vasquez, Hurtadus, Castropalao et alii. Ratio est quòd contractûs nullitas ex nullo jure satis ostendi possit : cùm tamen sine manifesto textu asserenda non sit, tanquàm pœnalis et odiosa. Esto autem, quòd legibus ecclesiasticis aut sacris canonibus interdicatur contractus cum excommunicato denuntiato ineundus, non inde sequitur irritari : non enim pro infecto habendum est, quidquid contra legem committitur; alioquin contractus cum excommunicato vitando celebratus, erit nullus, etiam in favorem alterius contrahentis, cujus cum excommunicato vitando communicatio per contractum (per se loquendo) est contra leges. Quapropter regula juris statim producta necessariò intelligenda est de iis, quæ fiunt contra jus irritans, non merè prohibens. Quòd autem excommunicatus petens executionem contractûs in excommunicatione initi repellatur, non est ideò quòd contractus in excommunicatione fuerit celebratus; sed quia petens excommunicatus est. Quare à vinculo excommunicationis solutus agere in judicio poterit pro obligatione sibi excommunicato facta, argum. cap. *Felicis*, § *Cùm autem*, de Pœnis, in 6. Felinus, Sayrus, Hurtadus, Castropalao.

221. Interim à præmissâ doctrinâ excipiunt aliqui matrimonium, quod volunt ab excommunicato vitando validè non posse contrahi. Ratio eorum est, quòd matrimonium sit contractus, quo ad mutuam societatem se contrahentes obligant. Jam verò nequit se excommunicatus obligare ad ejusmodi societatem, tanquàm sibi interdictam. Sed omninò tenendum est valere matrimonium : nam licèt Ecclesia posset irritare matrimonium cum excommunicato, ubinam tamen legitur fecisse, quod potuit? Imò oppositum non obscurè colligitur ex cap. *Significàsti*, de Eo qui duxit; ubi Innocentius III., rescribit episcopo Spoletano, ut legitimum judicet simile matrimonium, *excommunicato munus absolutionis, si petierit, impensurus.* Quare sic censent Glossa in cap. *Significàsti*, cit., verbo *Legitimum;* Felinus, Covarruvias, Hugolinus, Sayrus, Bonacina et alii. Ratio est quia excommunicati, matrimonium contrahentes, ad mutuam societatem et communicationem obligari absolutè possunt, quod satis est, ut valeat eorum matrimonium, tametsi non obligentur ex suppositione, quòd excommunicati sint. Deinde excommunicatio non impedit conjugalem convictum, utpote à naturâ concessum et maximè necessarium. Itaque tametsi excommunicati matrimonium sit prohibitum, non tamen invalidum.

222. Sunt et alii doctores apud Sayrum, lib. 2, de Excommun., cap. 9, n. 1, qui à præcedenti conclusione excipiunt testamentum, quod ab excommunicato vitando factum, putant irritum esse. Gratis, quia nullibi irritatur. Jam autem testamentum condere omnes possunt, quibus jura non repugnant : l. *Si quæramus*, l. *Si filius-familiâs*, ff. Qui testamenta facere possint; l. 1, c. de Sacrosanctis Ecclesiis. Itaque sic judicant Panormitanus, Felinus, Covarruvias, Hugolinus, Sayrus, Avila, Coninck, Layman. Hinc autem colligitur à fortiori, excommunicatum vitandum validè institui hæredem posse : minus enim ad hoc requiritur quàm ad illud, cùm plurimi sint incapaces testandi, qui tamen institui hæredes possunt, ut constat ex toto tit., Instit., quibus non est permissum facere testamentum.

Nihilominùs dantur aliqui, sed pauci casus, qui speciali juris dispositione excipiuntur : inprimis enim intestabiles sunt hæretici et eorum fautores qui ob hæresim excommunicati, *satisfacere* contempserint *infra annum;* cap. *Excommunicamus*, 1, § *Credentes, de Hæreticis*, l. *Manichæos*, l. *Credentes*, c. eod. Se-

cumdò, persecutores et percussores cardinalis; cap. *Felicis*, de Pœnis, in 6. Tertiò, usurarius manifestus, nisi factâ restitutione, vel præstitâ sufficienti cautione de reddendis usuris; cap. fin., de Usuris, in 6.

§ 23. *De decimo tertio effectu excommunicationis.*

223. Decimus tertius effectus excommunicationis, isque remotus, est suspicio hæresis, quam incurrit excommunicatus, per annum in excommunicatione, ab homine specialiter latâ, animo obfirmato insordescens Navarrus, Covarruvias, Coninck, Layman, Castropalao. Constat ex concilio Tridentino, sess. 25, cap. 3, de Reformatione, ubi dicitur : *Excommunicatus... quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solùm ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si, obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tanquàm de hæresi suspectum, procedi possit.* Ratio autem est quòd excommunicatus in suâ obstinatione tamdiù perseverans, præsumatur, malè sentire de Ecclesiæ potestate. Et quanquàm hæc suspicio secundùm se levis sit, sufficit tamen ad indicendum purgationem canonicam, id est, ad os endendam innocentiam in causâ objecti criminis. Quòd si hanc purgationem præstare excommunicatus noluerit, citandus est iterùm sub pœnâ excommunicationis. Quâ citatione peractâ, si adhuc respondere neglexerit, et in eâdem contumaciâ per annum perseveraverit, nullo allegato impedimento, condemnari poterit ut hæreticus.

224. Constat ex c. *Cùm contumacia*, de Hæreticis, in 6, ubi dicitur : *Si suspectus de hæresi* (qualis juxta concil. Trid. sup. est excommunicatus quicumque, qui in censurâ excommunicationis, obdurato animo, per annum insordescit) *vocatus... ut de fide respondeat, excommunicationis vinculo* (*pro eo quòd parere subterfugit aut contumaciter se absentat*)... *fuerit innodatus, quam per annum animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Imò quicumque fuerit excommunicatus propter causam sîve civilem, sive criminalem, si intra annum causam suam coram excommunicatoribus suis non peregerit, ipse sibi aditum audientiæ claudit, id est, habetur pro convicto et confesso : cap. *Rursùs*, cap. *Quicumque*, 11, q. 3, cap. *Cùm contumacia*, de Hæreticis, in 6. Ratio est quòd ejusmodi contumacia fictione juris habeatur loco confessionis.

§ 24. *De effectibus excommunicationis minoris.*

225. Excommunicationis minoris plures olim fuerunt species, neque solùm à jure, sed etiam ab homine impositæ, ut constat ex variis textibus, 11, quæst. 3. Alia privabat usu omnium sacramentorum; alia solius eucharistiæ; alia communione hominum tum divinâ tum humanâ. Vide Sayrum, lib. 2, de Excommunicatione, cap. 22, num. 2. Sed usus hodiedùm obtinuit, doctorum omnium judicio confirmatus, ut sola prima species intelligatur nomine minoris excommunicationis, quæ proinde rectè describitur : *Censura, per se solùm privans usu passivo seu perceptione sacramentorum.* Imponitur autem à jure ob participationem cum excommunicato vitando; can. *Excommunicatos*, can. *Cum excommunicato*, et seq., 11, q. 3, cap. *Si celebrat*, de Clerico Excommun. ministr., cap. *A nobis*, de Exceptionibus; cap. *Nuper*, de Sentent. Excomm., cap. *Statuimus*, eod. tit. in 6.

226. Dixi 1° imponi à jure; quamvis enim excommunicatio tam minor quàm major ferri absolutè possit ab homine jurisdictionem in foro contentioso habente secundùm Glossam, can. *Si inimicus*, 11, q. 3, nihilominùs usu receptum est, ut non feratur ab homine, sed à solo jure, ob dictam cum excommunicato vitando participationem. Sylvester, Sotus, Sayrus, Hurtadus, Bonacina, Gloss., cap. *Si celebr.*

Dixi 2° imponi ob participationem cum excommunicato vitando; intellige peccaminosam et extra casus jure permissos. Perinde est autem sive participatio fiat cum excommunicato vivo sive cum defuncto. Quare qui excommunicatum vitandum, priusquàm absolutus à censurâ fuerit, comitatur ad sepulturam, minorem excommunicationem incurrit, ut observat Glossa, cap. *Ad hæc*, verb. *Sepelierint*, de Privilegiis : nam quibus non communicamus vivis, non communicamus defunctis, cap. *Sacris*, de Sepulturis.

227. Porrò triplex est minoris excommunicationis effectus, unus proximus ac directus, duo reliqui indirecti. Effectus proximus, ex allegatâ minoris excommunicationis descriptione constat. Consistit in privatione usûs passivi sacramentorum; cap. *A nobis*, cap. *Si celebrat*, cap. *Si quem*, citatis. Quare minori excommunicatione affectus, si extra necessitatem recipiat sacramentum confirmationis, eucharistiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ordinis aut matrimonii, mortaliter peccat, ut ex communi sententiâ docent Cajetanus, Covarruvias, Suarez, Coninck, Bonacina, Layman, Herincx et alii. Colligitur ex cap. *Si celebrat*, cit., ubi dicitur : *Si celebrat* (idem est secundùm omnes doctores, si aliud sacramentum recipiat) *minori excommunicatione ligatus, licèt graviter peccet*, etc. Ratio est quia receptio cujusvis sacramenti, est materia gravis quæ, per legem excommunicationis prohibita, mortalem culpam in transgressoribus arguit.

228. Valida verò esse pleraque sacramenta, ab ejusmodi excommunicatis recepta, omnes doctores consentiunt, de solâ pœnitentiâ disputantes. Sylvester, Tabiena, Vasquez, Hurtadus, et alii putant, pœnitentiæ sacramentum non posse validè à dicto excommunicato recipi, etsi per inculpabilem ignorantiam absolutio censuræ fuerit prætermissa. Sed longè verius est oppositum, si recipiens, nullam receptione culpam committat, ut si sit nescius vel oblitus censuræ, aut ejusdem conscius, postulatam absolutionem non receperit malitiâ vel oblivione sacerdotis. Ledesma, Navarrus, Medina, Covarruvias, Vivaldus, Hugolinus, Henriquez, Sayrus, Bonacina. Ratio est quòd quidem Ecclesia sacramenti cujusvis receptionem excommunicato præfato inhibeat, nullus tamen juris textus allegari possit, quo declaretur nullitas, dummodò, cætera ex jure vel divino vel humano requisita non desint

229. Secundus minoris excommunicationis effectus, isque remotus, est privatio usûs activi seu administrationis sacramentorum : cùm enim minori excommunicatione innodatus, privetur usu passivo sacramentorum, indecens et minùs conveniens videtur esse, ut ea sacramenta administraret, quæ recipere ipse non potest, atque ita præsens effectus deducitur non quidem proximè et directè ex naturâ minoris excommunicationis, sed remotè, indirectè, per consequentiam, ex effectu priori. Sed restat dubium, cujusmodi peccatum committat sic excommunicatus, si extra necessitatem aliquod sacramentum conferat. Sylvester, Armilla, Vasquez existimant, mortale esse. Rectiùs autem doctores cæteri censent, duntaxat veniale esse. Colligitur ex cap. *Si celebrat*, cit., ubi, cùm Pontifex dixisset, quòd minori excommunicatione ligatus, si celebrat vel aliud sacramentum recipit, *graviter peccet*, deinceps loquens de conferente ecclesiastica sacramenta, affirmat quidem rursùs, peccare, sed omittit adverbium *graviter*, satis significans, eodem modo non peccari per collationem, quo per receptionem sacramenti. Covarruvias, Avila, Coninck, Vasquez, Sayrus, Reginaldus, Layman, Castropalao.

230. Interim Navarrus, Henriquez, Suarez, Hurtadus, Filliucius, Bonacina, Herincx et alii existimant, per sacramentorum collationem nullum, ne veniale quidem, peccatum committi ; tum quia privatio collationis, etiam indirecta, ex nullo capite satis ostendi queat : tum quia hæc privatio, tametsi solummodò indirecta gravem culpam argueret, utpote de materiâ gravi ; tum denique, quia cap. *Si celebrat*, cit., dicitur collata ab ejusmodi excommunicato sacramenta, virtutis non carere effectu : *Cùm non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum*, (*quæ in solâ consistit perceptione*) *remotus*. Jam verò excommunicatus, si peccaret non solùm recipiendo, sed etiam ministrando sacramentum, esset non solùm à participatione, sed etiam à collatione sacramentorum remotus. Nec obstat quòd Pontifex eodem capite dicat, peccare excommunicatum *conferendo ecclesiastica sacramenta ;* quia debet intelligi de conferente, quatenùs collationi præmittit receptionem sacramenti : vel intellige cum Herincx, dum ipse debet eadem sumere, ut contingit, quando sub Sacrificio communicat populum, vel saltem alia, v. g., eucharistiam, dùm intra missam confert ordines.

231. Nihilominùs recedendum non est à sententiâ communiori, affirmante saltem peccatum veniale committi per hanc sacramentorum collationem, non quia à sacramentorum collatione per legem aliquam ecclesiasticam, excommunicatus remotus sit, sed quia collationi lex et æquitas naturalis obsistant, cùm, ut diximus, sit inconveniens, sacramentum conferri ab eo, qui ejus receptione indignus est. Hinc solvitur oppositum fundamentum : fatemur enim, sacramentorum collationem esse materiam gravem : sed quia non lege aliquâ ecclesiasticâ, sed naturali decentiæ et honestatis interdicitur, hinc non arguit culpam gravem in conferente. Adde, materiam gravem, utriusque obligationis, et gravis scilicet et levis, capacem esse. Ob hanc causam Pontifex dixit, collata ab excommunicato sacramenta non carere virtutis effectu, quia scilicet vi legis ecclesiasticæ remotus non est à sacramentorum collatione, sicut à receptione. Explicatio verò illorum verborum, *peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta*, quam circa finem numeri præcedentis adduximus, ipso Herincx fatente, torta est : quia de conferente, non de recipiente Pontifex expressè loquitur. Dein de conferente, quatenùs receptionem sacramenti collationi præmittit vel immiscet, fieret inutilis ejusdem repetitio : nam initio dixit, peccare recipientem, vel celebrantem recipiendo : neque adverbium *graviter*, initio capitis expressum, hoc loco omitteret, si quidem præmittendo collationi receptionem sacramenti, semper peccaretur graviter.

232. Tertius minoris excommunicationis effectus, et is iterùm remotus ac indirectus, est privatio passivæ electionis ad beneficia ecclesiastica. Constat ex cap. *Si celebrat*, cit., ubi dicitur : *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda*. Ratio autem est quia minori excommunicatione ligatus, à cujusvis sacramenti receptione remotus est ; ergo etiam à beneficii possessione, argum. l. *Oratio*, ff. de Sponsalibus ; cùm enim quodlibet beneficium suâ institutione ordinetur ad sacros ordines suscipiendos et missam celebrandam, ac excommunicato, de quo loquimur, inhibita sit sacramentorum receptio, inhibita censetur etiam passiva electio ad beneficium, per quam ad ordines seu sacramenta pervenitur. Eamdem rationem Gregorius IX, citato pluries capite, *Si celebrat*, exprimit, dicens electionem similis ad beneficium irritandam esse, *quòd ad eorum susceptionem eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus est privatus*. Et licèt Pontifex solius electionis faciat mentionem, doctores tamen communiter decisionem extendunt ad præsentationem et collationem. Richardus, Covarruvias, Sanchez, Avila, Coninck, Decius, Henriquez, Suarez, Sayrus, Layman, Herincx. Quare mortaliter peccat, qui ejusmodi excommunicatum eligit ad beneficium ecclesiasticum, vel idem eidem confert aut præsentat ; quia legem ecclesiasticam in gravi materiâ violat.

233. Sed dubitari potest an electio, præsentatio vel collatio in casu sint ipso jure irrita, an verò per exceptionem irritanda. Irritas esse ipso jure existimant Hostiensis, Covarruvias, Hugolinus, Navarrus ; quia persona indigna est et inhabilis. Textum verò capitis, *Si celebrat*, superiùs allegatum, explicant de irritatione, non ipso effectu faciendâ, sed declarandâ. Rectiùs tamen doctores cæteri oppositum sustinent, eo quòd, cap. cit., expressè dicatur, *irritandam* esse ejus electionem : quæ verba nequeunt de merâ irritationis declaratione intelligi sine metaphorâ, in jure pœnali et odioso penitùs evitandâ.

§ 25. *De absolutione excommunicationis.*

234. Quæstiones hoc loco moveri solitæ ad puncta

sequentia reducuntur; 1° an absolutio omninò sit necessaria ad auferendam censuram? 2° Quis possit absolvere ab excommunicatione minori? 3° Quis possit absolvere ab excommunicatione majori, latâ ab homine per sententiam particularem? 4° Quis à censurâ latâ per sententiam hominis generalem? 5° Quis à censurâ juris, non reservatâ? 6° Quis à reservatâ? 7° Quâ formâ, quove ritu absolutio conferenda?

Circa primam quæstionem observandum est, de triplici potissimùm casu difficultatem esse : primò enim citra absolutionem videtur censura tolli per mortem auctoris seu ferentis; nam habet se censura adinstar mandati, quod expirat per mortem mandantis civilem aut naturalem. Secundò, tolli videtur per mortem subjecti, id est, illius qui censurâ affectus est · nam cùm censura sit quoddam morale accidens, perire debet, pereunte subjecto, cui inexistit. Deinde ut duraret censura post mortem rei, deberet vel animæ vel corpori inexistere; non animæ : hæc enim eo ipso, quo egreditur corpore, egreditur pariter ecclesiasticâ potestate. Non etiam corpori : hoc enim, utpote res inanimata et materialis, nullius obligationis est capax. Tertiò, videtur cessare censura, posito vel obtento illius fine, id est, positâ delinquentis correctione et condignâ satisfactione : nam omnis censura, cùm naturâ suâ sit medicinalis, solummodò habet locum respectu infirmi per contumaciam seu inobedientiam : quo proinde convalescente, id est, à delicto et contumaciâ recedente, tolli videtur eo ipso censura sine ullo interventu potestatis clavium.

235. Cæterùm communis sententia est, censuram semel contractam, non nisi judicis legitimi absolutione directè tolli; ut nimirùm eâdem publicâ auctoritate, quâ contracta est, etiam dissolvatur. Itaque non cessat inprimis per mortem auctoris : nam esto ab eo pendeat in fieri, non tamen ab ejus vitâ in conservari : nec enim ipsa præceptum est seu mandatum, sed pœna ob præcepti seu mandati transgressionem imposita, quæ, jure sic disponente, durat, donec per legitimam auctoritatem relaxetur. Constat ex can. *Si Episcopus*, 11, q. 3, ubi dicitur : *Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem successori licebit absolvere.* Colligitur item ex cap. *Pastoralis*, § *Præterea*, de Officio judic. ordin.

236. Secundò, censura perfectè et quoad omnem effectum suum non tollitur per solam mortem delinquentis : quamvis enim defunctus ligari ampliùs per Ecclesiam nequeat, nihilominùs possunt viventes obligari ad abstinendum communicatione cum defuncto per orationes, suffragia et sacram sepulturam. Quare, cap. *A nobis*, 2, de Sentent. Excommun., statuitur ut excommunicato, in excommunicatione decedenti, quantumcumque decesserit contritus, non possint communicare fideles ante absolutionem, nec pro eodem orare, licèt sit quoad Deum absolutus; sed si constiterit Ecclesiæ de finali ejus contritione seu pœnitentiâ, absolvatur mortuus per eum, per quem vivus fuerat absolvendus. Proinde etiam in hoc casu censura quoad omnem suum effectum non tollitur per solam mortem delinquentis.

237. Tertiò, non tollitur censura per solam respiscentiam delinquentis : ex eo enim quòd hujus correctio seu emendatio sit finis censuræ, nihil præterea sequitur, quàm, positâ sufficienti emendatione, per judicem censuram auferendam esse, non verò cessare eo ipso. Item quamvis censuram præcedere contumacia debeat, non tamen hæc necessariò durare debet, ut illa duret : cùm effectus censuræ non pendeat à contumaciâ in conservari, sed tantùm in fieri; sicut culpa est causa pœnæ, cùm tamen hæc maneat, illâ sublatâ vel remissâ. Constat ex cap. *Quâ fronte*, de Appellat., ubi post exhibitam condignam satisfactionem absolutio dicitur concedenda. Idem dicitur cap. *Ex litteris*, de Constitutionibus : et magis expressè cap. *Cùm desideres*, de Sent. Excommun., ubi prohibetur communicatio cum excommunicato ante absolutionem, licèt juraverit parere mandatis Ecclesiæ vel composuerit cum offenso. Ratio autem est rursùs, ut, quod juridicâ et publicâ potestate ligatum est, eâdem dissolvatur; et licèt quoad tollendam contumaciam et reddendam Ecclesiæ obedientiam supponatur satisfactum, non tamen pro culpâ commissâ, sufficiens pœnitentia est præstita, quæ demùm imponitur, dùm absolutio confertur. Accedit propositio sequens, per Alexandrum VII condemnata : *Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.* Quare hæc certa sunt, siquidem censura simpliciter et absolutè lata sit.

238. Difficultas aliqua moveri posset de censurâ sub definito tempore, anni, v. g., vel mensis latâ. Respondeo, frustra hanc quæstionem institui, cùm non feratur censura ad tempus, quo elapso cesset, etiamsi contumacia duret : id enim foret contra finem censuræ, qui est comprimere contumaces, et contra justitiæ rectitudinem, quatenùs peccatori daretur occasio hærendi in suâ contumaciâ, cùm sciret pœnam lapso die cessaturam, ut proinde emendatione non egeret. Deinceps jura omnia contradicunt, quæ absolutionem denegant, nisi post condignam satisfactionem : cap. *Quâ fronte*, cap. *Cùm desideres*, sup. et alibi.

239. Major est difficultas de censurâ latâ sub conditione, *donec satisfeceris*, an videlicet præstitâ satisfactione, ipso facto tollatur. Respondeo : Cùm conditio illa non obstet, quominùs reus censuram vere incurrerit, non potest hæc dici cessare vel ablata esse, nisi per absolutionem ejus, ad quem spectat, secundùm jura canonica, quæ post satisfactionem requirunt absolutionem, per quam tollatur vinculum, quo reus ligatus est; ut non videatur sufficere, quòd conditio satisfactionis sit adimpleta, cùm absolutio, quæ est actus legitimus, pendere non possit. Nihilominùs potest censura saltem validè in aliquem ferri sub tali conditione, ut, cùm primùm à contumaciâ recesserit vel parti satisfecerit, ipso facto liber et absolutus existat, ut probabiliter docent Covarruvias, Suarez, Coninck, Sylvester, Layman. Ratio est quòd,

sicuti valor cujuscumque liberæ concessionis immediatè pendet à voluntate concedentis, ita et valor absolutionis à voluntate absolventis; atque adeò, si is velit, hoc vel illo eveniente, concessionem vel absolutionem ratam esse ac validam, erit, ut voluerit. Aliud est de sacramentis, quæ (excepto matrimonio) invalidè conferuntur sub conditione pendente in futurum; propterea quòd administratio sacramentorum non dependeat ex liberâ voluntate seu intentione ministri, nisi eadem actu concurrat cum materiâ et formâ, per auctorem sacramentorum Christum determinatâ.

40. Ad secundam quæstionem respondeo 1° ab excommunicatione minori, latâ à jure, potest absolvere proprius sacerdos. Constat ex c. *Nuper*, de Sentent. Excommun., ubi dicitur quòd taliter excommunicatus, *à suo episcopo vel à proprio sacerdote* possit *absolutionis beneficium obtinere*. Hinc sequitur primò, quòd ab hâc censurâ absolvere possit, qui habet jurisdictionem ordinariam super excommunicatum, qualem pro orbe catholico habet Pontifex, pro diœcesi episcopus, pro parochiâ pastor. Sequitur secundò, simplicem sacerdotem non posse ab eâdem absolvere, cùm non sit sacerdos proprius. Idem dicendum de parocho alterius parochiæ, nisi potestatem in excommunicatum habeat à Pontifice, episcopo, vel parocho proprium delegatam.

241. Sequitur tertiò, proprium parochum posse, etiam extra confessionem, ab hâc censurâ absolvere; cùm absolvendi facultas, eidem competens non legatur restricta ad confessionem sacramentalem. Sequitur quartò, posse absolvere parochum, etiam non sacerdotem: nam absolutio ab excommunicatione non est actus ordinis sacerdotalis, sed jurisdictionis, quam habet parochus, etiam nondùm sacerdos. Suarez, Hugolinus, Sayrus, Filliucius, Reginaldus, Alterius, Bonacina et alii. Sequitur quintò, absolvere ab eâdem excommunicatione posse sacerdotem, pro mortalibus simpliciter approbatum. Sylvester, Angelus, Cajetanus, Hostiensis, Suarez, Coninck, Filliucius, Sayrus, Layman, Castropalao, Bassæus, Navarrus, Toletus, Herincx. Ratio est quòd cap. *Nuper*, cit. concedatur hæc absolutio proprio sacerdoti, quo nomine licèt in rigore intelligatur solus ille, qui ordinariam jurisdictionem et curam animarum habet, in ordine tamen ad forum internum intelligitur sacerdos omnis, qui vice proprii constituitur ad absolvendum à peccatis mortalibus, argum. c. *Omnis utriusque sexûs*, de Pœnit. et Remission.

242. Respondeo 2° ab excommunicatione minori hominis, per sententiam specialem (quamvis usitata non sit, ut supra diximus) solus ille absolvit, qui eam tulit, ejus superior, successor aut specialis delegatus. Ita Suarez, Filliucius et alii. Ratio, quia ejusdem est solvere, cujus est ligare. Dices: Eo ipso, quo *conditor canonis*, excommunicationis *absolutionem sibi specialiter non retinuit,... concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*, prout dicitur, cap. *Nuper*, de Sentent. Excommun.

243. Respondeo sermonem illic esse de excommunicatione *juris*, ut constat, tum quia agitur de conditore *canonis*, tum quia expressè præmittitur: *Quamvis... non judicis, sed juris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus*. Jam autem mitiùs (ut loquuntur juristæ) agitur cum lege, quàm cum homine: hoc enim ad severitatem judicii et humanæ conversationis requiritur. Dixi autem, *per sententiam specialem*; nam quæ per generalem sententiam lata est, eodem modo probabiliùs solvitur, quo lata à jure.

Ad tertiam respondeo: Ab excommunicatione, per sententiam particularem ab homine latâ absolvere potest, qui eam tulit, ejus superior, successor, delegatus. Colligitur ex cap. *Prudentiam*, § Sexta, de Offic. de leg., cap. *Ad reprimendum*, cap. *Pastoralis*, § *Præterea*, de Offic. Ordin.; et ex can. 47, concilii Nicæni *Nullus episcopus solvat, quem alius episcopus ligavit, quamdiù ille, qui ligavit, vixerit*.

244. Itaque inprimis res certa est quoad censuræ auctorem, seu *qui eam tulit*; quia per quas causas res aliqua nascitur, per easdem dissolvitur, ac *Dominus par jus et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit*. Intelligitur autem conclusio de auctore, cujus jurisdictio adhuc duret: hæc enim si vel extincta sit per depositionem, vel impedita per excommunicationem aut suspensionem, aliter dicendum erit. Idem est de judice delegato, si tempus delegationis finitum sit, juxta cap. *Quærenti*, de Offic. delegati.

245. 2° Ab eâdem censurâ absolvere potest superior ferentis censuram, dummodò simpliciter et pleno jure superior sit. Talis est Pontifex respectu omnium ordinariorum, episcopus respectu vicarii, generalis respectu omnium superiorum, provincialis respectu localium, delegans respectu delegati. Ratio est quòd superior pleno jure omnem inferioris potestatem eminenter possideat. Dixi iteratò, *pleno jure*: qui enim in certis duntaxat casibus superiores sunt, extra hos nequeunt solvere ligatum per inferiorem. Quarè archiepiscopus non potest solvere excommunicatos per suffraganeum, nisi tempore visitationis; cap. *Cùm ex officii*, de Præscriptionibus: vel causâ ad ipsum per appellationem devolutâ, et tunc non nisi vocatis partibus et cognitâ causâ appellationis; cap. *Romana*, et cap. *Venerabilibus*, de Sentent. Excommun., in 6. Quod si compererit, censuram invalidam esse, id ipsum sine morâ declarat: si iniquè latam, statim absolvit; si dubitet, absolvit præstitâ cautione: si censuram deprehendat justam, præstat, ut appellantem remittat ad auctorem censuræ, nisi periculum sit in morâ vel hic nolit absolutionem tribuere; cap. *Ad reprimendum*, de Offic. Ordin.

246. 3° Absolvit à censuris specialiter latis successor ferentis in munere et dignitate, ut expressè dicitur, can. *Si Episcopus*, 11, q. 3. Ratio est quia potestas ligandi et solvendi competens prælato ratione muneris, beneficii vel dignitatis suæ, cum ejus morte aut depositione non extinguitur, sed devolvitur ad successorem. Imò successor cum prædecessore una

reputatur persona, argum., cap. 1, de Solutionibus. Adde, idem habere locum in judicibus delegatis, si unus alteri in delegatione succedat; cap. *Pastoralis*, § *Præterea*, de Offic. jud. ord., ubi dicitur, quòd, si delegatus Papæ, qui reum contumacem excommunicaverat, mortuus sit, non possit excommunicatus, extra mortis articulum vel ab ordinario loci (cùm delegatus quantùm ad illud sit major ordinario), vel ab alio quovis, præter romanum Pontificem, absolvi, *nisi fortè delegatus talis exstiterit, cui alius succedat in onere et honore.* Imò capitulum vel is, ad quem administratio pertinet, sede vacante, eos absolvit, quos episcopus, si viveret, deberet absolvere; cap. *Si episcopus*, de Supplendâ neglig. prælat., et cap. unic. de Majorit. et obed., in 6, ubi dicitur, quòd *episcopali sede vacante* possit *capitulum seu is, ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententiâ, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri.*

247. 4° Denique de delegato nemo dubitare potest quin possit absolvere à censuris, dummodò judex, qui eas tulerit, absolvendi potestatem concedere potuerit et voluerit, ut omnes doctores tradunt. Solummodò hìc observandum, quòd si Pontifex vel alius ordinarius alicui mandet, ut reum quempiam excommunicet, sine aliâ causæ commissione, non possit eumdem deinceps absolvere, eò quòd per similem commissionem non statuatur judex, sed merus executor seu minister.

5° Cæterùm quòd nemo alius præter enumeratos, à censurâ per sententiam particularem latâ absolvere possit, inde probatur; quia causa judicialis, per rei citationem, quæ censuræ sententiam necessariò antecedit, coram proprio judice inchoata est; ergo, si alius quicumque judex (præter superiorem, successorem aut delegatum) se intromittat et reum tentet absolvere, manifestò jurisdictionem ipsius violat et interturbat. Quapropter si subditus diœcesis Mechliniensis, ab archiepiscopo propter aliquod delictum, per sententiam excommunicatus, mutet domicilium et in aliam abeat diœcesim, non poterit absolvi à novo superiore; quia archiepiscopus ob causam in suo tribunal cœptam et non absolutam, retinet jus in excommunicatum, juxta regulam juris, quâ dicitur, præventum à judice, forum ejus in eâ causâ declinare non posse. Interim, si ligatus excommunicatione, sive ab homine sive à jure latâ, paratus sit satisfacere, sed longissimè distet ab auctore, cui absolutio reservatur, poterit interdùm absolvi ab inferiore, præstitâ cautione, se præsentandi, quàm primùm poterit, illi, ad quem iure ordinario absolutio pertinebat; cap. *Quod de his*, cap. *Ea noscitur*, cap. *Quamvis*, de Sent. excomm.

248. Ad quartam quæstionem respondeo: à censurâ latâ ab homine per sententiam generalem omnis ille absolvere potest, cui vel jure ordinario, vel privilegio competit absolutio à censurâ juris. Sententia probabilior et in praxi tuta, quam docent Covarruvias, Sayrus, Navarrus, Henriquez, Suarez, Coninck, Toletus, Avila, Hurtadus, Layman, Castropalao, Herincx. Colligitur ex cap. *Ex frequentibus*, de Institutionibus, ubi supponitur, excommunicationem contractam ratione sententiæ generalis per archiepiscopum latæ, ab inferiori prælato absolvi posse. Ratio autem est, quòd censura adeò generatim lata non contineat propriè sententiam judicis, quam rescindere alius nequeat sine violatione jurisdictionis. Quare potiùs continet præceptum, sub tali pœnâ seu censurâ impositum, ac propterea æquiparatur in hâc parte censuræ juris seu statuti. Differentia igitur inter censuram speciatim, ac generatim ab homine latam, quoad præsens propositum, est quòd hujus absolutio per judicem inferiorem facta, non perturbet tribunal ferentis seu auctoris, cùm reus non fuerit nominatim citatus.

249. Dices: Cap. *Nuper*, de Sententiâ excommun., solius censuræ à jure latæ Pontifex mentionem facit, dicens: *Quamvis... non judicis, sed juris sententiâ, excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonis, ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Ergo super censuram latam per judicis sententiam, alii similem non habent facultatem. — Respondeo, censuram ab homine latam per sententiam generalem æquiparari censuræ juris, ut statim diximus, utpote quæ lata sit per modum statuti, legis, aut præcepti, nullâ rei speciali citatione præmissâ.

Ad quintam respondeo: A censurâ juris non reservatâ absolvit quilibet suos subditos, habens jurisdictionem in foro externo. Glossa, Panormitanus, Felinus cap. *Nuper*, de Sentent. Excommun. Navarrus, Covarruvias, Hugolinus, Henriquez, Suarez, Sayrus, Herincx et alii. Difficultas est autem de parocho, aliove sacerdote pro mortalibus approbato, an eo ipso ab eâdem censurâ possit absolvere. Negant Glossa, cap. *Si episcopus*, verb. *Reservantur*, de Pœnitent. et Remission., Panormitanus, Richardus, Covarruvias, Sayrus, quorum ratio est, quòd sicuti ad ferendam, sic ad tollendam excommunicationem requiratur jurisdictio in foro externo, quâ carent et parochi et alii sacerdotes.

250. Nihilominùs communior et à theologis magis recepta opinio contradicit, quam tradunt S. Thomas, S. Bonaventura, Sotus, Sylvester, Armilla, Navarrus, Henriquez, Suarez, Vasquez, Coninck, Hurtadus, Hugolinus, Castropalao, Herincx. Colligitur autem ex cap. *Nuper*, pluries citato, ubi dicitur: *Quia conditor canonis, ejus* (excommunicationis) *absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi:* quæ ratio cùm sit generalis, doctores consequenter censent, ab omni juris censurâ specialiter non reservatâ, non solùm posse absolve parochum, sed et quemvis alium sacerdotem, pro mortalibus admissum seu approbatum. Fundamentum autem oppositæ opinionis non urget: id enim dun taxat probat, non posse parochum vel sacerdotem alium vi muneris vel officii ab ejusmodi censurâ absolvere: quocum simul stat, ut eamdem potestate habeat ex delegatione juris, ut rectè advertit Hugolinus. Excipiunt Præpositus et Herincx casum, quo

quis scienter communicet cum excommunicato post sententiam, in crimine criminoso : quia enim hæc communicatio redundat in injuriam excommunicantis, decernitur cap. *Nuper*, cit., sic communicantem, ab excommunicante vel ejus superiore absolvendum esse, saltem si prior excommunicatio reservata erat. Sed non est necessaria ista exceptio, cùm communicatio in crimine annexam habeat excommunicationem reservatam, de quâ nondùm loquimur.

251. Ad sextam respondeo : Ab excommunicatione reservatâ, per se loquendo, nemo potest absolvere præter censuræ auctorem, ejus superiorem, successorem, delegatum. Colligitur ex c. *Nuper*, citato, et naturâ reservationis. Dixi, *per se loquendo :* sunt enim nonnulli casus, in quibus conditor canonis suam auctoritatem concedit aliis ; nam inprimis *in Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Concilium Trident., sess. 14, de Pœnitentiâ, cap. 7. Idem statuitur cap. *Non dubium*, cap. *Ea noscitur*, de Sentent. Excomm., cap. *Felicis*, de Pœnis, in 6 ; Clement. *Cupientes*, § *Sanè*, eod. Imò idem de excommunicatione etiam specialiter latâ indicatur cap. *Pastoralis*, § *Præterea*, de Officio jud. ord. Malè autem Glossa, cap. *A nobis*, 2, verb. *Non votuerit*, de Sent. Excomm., extendit prædictam facultatem ad laicum in defectu sacerdotis ; cùm laicus sit omninò incapax ejusdem potestatis. Per censuras autem in Tridentino et jure secundùm doctores passim, intelliguntur illæ, quæ possunt obesse susceptioni sacramentorum et ecclesiasticæ sepulturæ, scilicet excommunicatio et interdictum.

252. 2° Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 6, de Reformat., concedit episcopis potestatem absolvendi pro foro conscientiæ delinquentes, quoscumque, sibi subditos, per seipsos vel vicarium, ad id specialiter deputandum, à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum vicariis permittit.

3° Conceditur in jure potestas episcopis, absolvendi ab excommunicatione papali quoslibet delinquentes, qui corporis impotentiâ aut quolibet canonico impedimento non possunt adire Romanum Pontificem ; cap. *Ea noscitur*, cap. *Quamvis* et aliis, de Sentent. Excommun., in quibus textibus etsi solummodò sermo sit de percussoribus clericorum, doctores tamen communiter eamdem potestatem extendunt ad quamlibet censuram, Pontifici reservatam. Navarrus, Hugolinus, Sayrus, Coninck, Castropalao, Herincx. Vide tract. præced., Prolegom. VII, n. 3.

253. 4° Gregorius XIII, bullâ *Nuper*, 25 februar. 1576, concessit Belgicis episcopis, ad instantiam Philippi II regis Hispaniarum, amplissimam potestatem absolvendi ab omnibus pœnis et censuris, publicis et occultis, tam à jure, quàm ab homine latis, pro utroque foro. Vide tract. præced., n. 132.

Ad septimam quæstionem respondeo 1° : Nulla in jure forma præscribitur, quâ judex uti debeat in absolutione censurarum. Quare ea signa sufficiunt, quæ absolventis voluntatem exprimunt. Usus tamen Ecclesiæ habet, ut fiat verbis. Sufficiunt hæc duo, *absolvo te*, præcedente absolutionis petitione ex parte rei, ut advertunt Hugolinus, Sayrus, Castropalao, et à simili deducitur ex absolutione sacramentali, de quâ alibi. Formula consueta est : *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem causam ; et restituo te sacramentis Ecclesiæ ac communioni fidelium in nomine Patris*, etc., vel : *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, majoris et minoris*, etc.

254. Et quanquàm censuris pluribus, etiam ejusdem rationis ligatus, absolvi possit ab unâ, remanente alterâ, quòd inter utramque non sit ea connexio, quæ inter peccata mortalia ; nihilominùs ab omnibus simul liberari poterit, si liberandi potestatem et voluntatem sacerdos habeat. Hanc non censetur habere, cui unicam duntaxat censuram pœnitens manifestat, aliàs dolosè celans ; cap. *Cùm pro causâ*, cap. *Officii*, de Sentent. Excommun. Ratio quia nor est æquum, ut ex dolo et fraude commodum reportet censuratus.

Respondeo 2° : Ritus in absolutione judiciali à censurâ excommunicationis observandus præscribitur, cap. *A nobis*, 2, de Sentent. Excommun., et habetur in Pontificali Romano. Omissio ejus nec reddit absolutionem invalidam, ut omnes fatentur, nec graviter peccaminosam, nisi solemnis fuerit, ad satisfactionem Ecclesiæ facta, ut Hurtadus notat. In absolutione autem pœnitentiali, etsi expediat, prædictas cæremonias regulariter observari, ut fiat cautior censuratus, certum est, absque gravi culpâ omitti posse, prout viri timorati faciunt. Porrò doctores plurimi volunt, à quovis excommunicato præmittendum absolutioni juramentum de simili delicto in posterum non patrando. Sed rectiùs censent alii, solummodò id necessarium in gravioribus delictis, v. g., incendio, notabili percussione clerici, etc., juxta textum cap. *Ex tenore*, cap. *De cætero*, cap. *Cùm desideres*, de Sentent. Excommun., à quâ obligatione præstandi juramentum, etiam in his delictis, eximuntur impuberes, argum. cap. 1 et ult., de Sent. Excomm., ubi pueri ob percussionem clerici jubentur absolvi, nullâ factâ mentione juramenti. Sylvester, Henriquez, Hugolinus, Sayrus, Castropalao.

255. Respondeo 3° : Ad ritè absolvendum à censurâ, desiderari aliquas conditiones, tum ex parte absolventis, tum ex parte delinquentis seu absolvendi. Ex parte absolventis requiritur primò potestas, quæ nulli laico (ut supra dictum) etiam in mortis articulo concessa est. Secundò, requiritur libertas à vi et metu cap. unico, de Iiis, quæ vi, metûsve causâ fiunt, in 6. Tertiò, requiritur, ut absolvens non decipiatur in causâ principali. Quare si reus fingat se parti satisfecisse, vel falsò dicat satisfaciendi habere propositum, absolutio, utpote per subreptionem obtenta, non subsistit. Constat ex c. *Ex parte*, de Offic. jud. ord., et c. *Officii*, de Sentent. Excommun. Ratio est quòd judex

in hunc modum deceptus, non habeat voluntatem absolvendi : esset enim voluntas irrationabilis et contra juris ordinem. Si tamen constaret judicem, potestate absolvendi præditum, velle absolvere, non obstante fraude, valeret absolutio. Navarrus, Hugolinus, Sayrus, Avila.

256. Ex parte delinquentis seu absolvendi requiritur humilitas per petitionem absolutionis, non tamen ita necessariò, quasi aliàs concessa non valeret. Ratio est quòd censura sit instituta ad delinquentis correctionem, ut proinde expediat ejusdem humilitas et emendationis probatio ad obtinendam absolutionem, argum., cap. *Per tuas*, de Sentent. Excommun. Nihilominùs cùm censura sit pœnalis, nihil obstat, quominùs sine voluntate patientis auferatur. Non requiritur autem ex parte absolvendi localis præsentia ; nam sicut absens, per litteras excommunicari potest, sic et absolvi ; cap. *De manifestâ*, 2, q. 1, cap. *Quanto*, 2, q. 5. Interim, ut licitè fiat, urgens requiritur ratio. Plerùmque expedit, ut absolutio præsenti fiat, tum ad majorem censuræ gravitatem ac reverentiam, tum ad majorem delinquentis humilitatem et cautionem.

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PONTIFICI RESERVATIS IN *Decreto juris*

§ Unicus. *Ad can.* Si quis suadente, 17, q. 4.

257. Quanquàm in decreto, per Gratianum collecto, sint diversi canones, censuram excommunicationis continentes, nihilominùs si rectè explicentur, unicus tantùm est, qui censuram excommunicationis Pontifici reservatam ferat : nam licèt Navarrus aliam excommunicationem primo loco recenseat ex cap. *Nulli*, dist. 19, hæc tamen nec est latæ sententiæ, sed ferendæ, nec Pontifici reservata, ut rectè observant Suarez et Filliucius. Quòd non sit latæ sententiæ, sed ferendæ, ex ipso verborum tenore manifestum est : *Majoris* (inquit Pontifex) *excommunicationis dejectione est abjiciendus*, quæ verba important censuram à judice infligendam. Nec minùs est certum, censuram, de quâ ibidem sermo, nemini reservari, cùm reservationis nulla mentio fiat. Unica ergo in decreto juris, excommunicatio Pontifici reservata est, quam loco citato Innocentius II, in hunc modum exprimit : *Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere* (*nisi mortis urgente periculo*), *donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandatum suscipiat.* Quocirca instituuntur sequentes quæstiones : 1° Quid intelligatur nomine clerici ? 2° Quid nomine monachi ? 3° Quid intelligatur particulâ *Si quis ?* 4° Quid vocabulo *Suadente diabolo ?* 5° Quid per *violentas manus ?* 6° Quæ causæ excusent percussorem clerici à censurâ ? 7° Quis possit ab eâdem absolvere ?

258. Ad primam quæstionem respondeo nomine clerici intelligi non solùm majoribus seu sacris ordinibus initiatum, verùm etiam minoribus, ut expressè dicitur cap. *Cleros*, dist. 21, imò etiam solâ tonsurâ insignitos, c. *Cùm contingat*, de Ætat. et qualitat. Vide Glossam, ib., verb. *Ordo confertur*. Quare in præsentis canonis censuram recidit, quisquis horum aliquem diabolo incitante percusserit, nisi privilegio canonis sit privatus. Hoc autem privilegio non privatur inprimis clericus conjugatus, qui cum unicâ et virgine contraxit matrimonium, *si tonsuram et vestes* deferat *clericales*, ut expressè dicitur cap. unic., de Cleric. conjug., in 6. Secundò, privilegio canonis non privatur clericus per suspensionem, excommunicationem, degradationem verbalem aut irregularitatem, exceptâ eâ quæ oritur ex bigamiâ. Ita omnes doctores.

259. Privatur tamen privilegio clericali, atque adeò citra excommunicationem percutitur clericus, realiter degradatus. Ratio est quia degradatio realis describi solet *pœna ecclesiastica, quâ clericus in perpetuum et cum certâ solemnitate privatur omni beneficio, officio, et privilegio clericali*. Constat ex cap. *Degradatio*, de Pœnis, in 6, ubi episcopo præscribitur, ut in reali degradatione dicat hæc vel similia : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritûs sancti ac nostrâ tibi auferimus habitum clericalem, et deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio clericali*. Vide Glossam, ib., verb. *Privilegio clericali*.

Secundò, privatur privilegio canonis et fori clericus conjugatus, non deferens tonsuram aut vestes clericales ; cap. unic. de Cleric. conjug., in 6.

260. Tertiò, Bannez, Suarez, Coninck, Rodriguez, Layman probabiliter docent, nullum primâ tonsurâ insignitum aut in minoribus ordinibus constitutum, gaudere privilegio canonis, nisi vel ecclesiasticum beneficium habeat, aut clericalem habitum ac tonsuram deferre solitus, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi deserviat, aut in aliquâ scholâ vel universitate cum licentiâ episcopi, quasi in viâ ad majores ordines versetur. Colligunt ex concilio Tridentino, sess. 23, cap. 6, de Reform., ubi hæc omnia requiruntur, ut clerici in minoribus constituti privilegio fori gaudeant. Existimant autem præfati doctores, quod de privilegio fori concilium expressè statuit, idem voluisse intellectum de privilegio canonis : cùm privilegium canonis sit minus privilegio fori : nam privilegium canonis provenit ex jure tantùm ecclesiastico, privilegium fori ex divino ; atque adeò clerico, cui non competit privilegium fori, nec canonis convenire videtur. Accedit quòd concilium alleget cap. unic., de Cleric. conjug., in 6, ubi manifestè sermo est de privilegio canonis, ab Innocentio Papâ II, editi in favorem ordinis clericalis. Nihilominùs videtur verior opinio contradictoria, quam tenent Navarrus, Molina, Avila, Castropalao. Ratio est quia jure communi clericus in minoribus ordinibus constitutus participat privilegium canonis, tametsi Ecclesiæ alicui ex mandato episcopi non inserviat, nec in seminario clericorum, scholâ vel universitate, quasi in viâ ad ordines altiores commoretur.

261. Jam verò concilium Tridentinum præfatas quidem conditiones exigit, sed ad solum privilegium fori; ergo privilegium canonis mansit sub dispositione juris communis, juxta l. *Præcipimus*, § 6, cod. de Appellationibus. Nec urget sententiæ alterius fundamentum : nam licèt privilegium canonis, minus sit et inferius privilegio fori, est tamen magis necessarium personis ecclesiasticis et earum statui, cùm graviùs offendantur per vexam personalem, quàm forense judicium. Accedit quòd privilegium fori aliqualiter cedat in præjudicium laicæ potestatis, privilegium canonis non item. Proinde non est mirum, plures conditiones ad illud, quàm ad hoc requiri. Neque concilium Tridentinum voluit, constitutionem Bonifacii VIII, cap. unic., de Cleric. conjug., universim observandam esse, sed pro solis clericis conjugatis.

262. Quartò, privilegio canonis carent bigami, quos Gregorius X, cap. unic., de Bigamis, in 6, *omni privilegio clericali* declarat *esse nudatos*. Observandum est autem, triplicem dari bigamiam, veram, interpretativam, et similitudinariam. Bigamia *vera* est, cùm quis validè contraxit cum duabus et consummavit; quòd ultimum tanquàm necessarium additur ex communi doctorum opinione, fundatâ in cap. *Debitum*, de Bigamis. Bigamia *interpretativa* contrahitur ab eo, qui fictione juris censetur duas habuisse uxores, quas in rei veritate non habuit. Contingit primò, si quis validè et cum copulâ subsequente ducat viduam, quæ prius matrimonium consummaverat; cap. *Si quis viduam*, dist. 50, et cap. *Debitum*, de Bigamis. Secundò, si quis ducat corruptam ab alio per copulam perfectam et cum eâdem consummet, cap. *Curandum*, et cap. *Præcipimus*, dist. 34. Denique bigamia *similitudinaria* contrahitur ex attentato et consummato matrimonio, tametsi invalido, etiam cum virgine, post votum solemne castitatis. Colligitur ex can. *Quotquot*, 27, q. 1, qui desumptus est ex concilio Ancyrano, in hâc parte ab Ecclesiâ recepto : item ex cap. *Monacho* (quod desumptum est ex concilio Aurelianensi) eâdem causâ et quæstione. Vocatur bigamia *similitudinaria*, quòd sic contrahentes sint aliquo modo similes ineuntibus duplex matrimonium, quatenùs post matrimonium spiritale cum Christo celebratum, ab eo recedunt, carnale matrimonium attentantes.

263. His notatis, dicendum cum Glossâ, c. un., v. *Bigamos*, de Bigamis, in 6. Coninck, Molina, Layman, Bonacina et aliis, quòd sola bigamia *vera* vel *interpretativa*, non item *similitudinaria* privet clericum privilegio canonis. Dicendum, inquam, quòd cap. unic., citato, sermo sit de iis solùm, quia primâ tonsurâ vel minoribus initiati, cum duabus, vel cum unâ viduâ seu per alterum corruptâ matrimonium contrahunt et consummant : non item de clericis, qui in sacris ordinibus constituti, invalidè contrahere aut contractum matrimonium consummare præsumunt : hi enim propriè non censentur bigami, ut dicitur cap. *Nuper*, et cap. *A nobis*, eodem tit. Deinceps, cap. unic., de Bigamis, in 6, prohibetur sub pœnâ anathematis, ne bigami deferant habitum vel tonsuram clericalem : id autem non est credibile, ordinatum fuisse de sacerdotibus, diaconis aut subdiaconis, similitudinariam bigamiam contrahentibus : cùm tales, saltem post peractam pœnitentiam, ad clerum redire potiùs et clericalem habitum induere oporteat.

264. Quintò, amittunt privilegium canonis clerici etiam in majoribus constituti, qui, dimissis habitu et tonsurâ, secularibus negotiis se immiscent, si tertiò ab episcopo suo moniti non resipiscant; cap. *In audientiâ*, cap. *Contingit*, 2, de Sentent. excommun.

Sextò, eodem privilegio carent clerici, *qui, contempto clericali habitu, tyrannidi et enormitati* (id est, seditioni, latrociniis, iniquo bello, etc.) *se inverecundè immiscent*. Nec opus est in hoc casu monitione diœcesani; cap. *Cùm non ab homine*, cap. *Perpendimus*, de Sentent. excommun.

Septimò, idem est de clerico publicè exercente officium macellarii seu lanionis, aut tabernarii seu cauponis, si conjugatus sit vel habitum clericalem dimiserit, ac ter ab episcopo suo monitus non desiterit, vel postquàm destitit, idem officium resumpserit. Si verò conjugatus non sit et habitum clericalem retineat, amittit privilegium clericale quoad res tantùm, ita ut instar laici tributa et vectigalia solvere teneatur; non item quoad personam, atque adeò gaudet utroque privilegio, et canonis, et fori; Clement. 1, de Vitâ et Honest. cleric.

Octavò, idem dicendum de clerico qui per annum exercet artem ignominiosam ludionis, mimi vel histrionis; imò etiam ante annum, si post trinam episcopi admonitionem non resipiscat; cap. un. de Vitâ et Honest. cler.

265. Ad secundam quæstionem respondeo : Nomine *monachi*, gaudentis privilegio canonis, intelliguntur primò omnes professi aut veri religiosi. Manifestum est tum ex hoc canone, tum ex diversis aliis ejusdem tituli.

Secundò, eodem nomine intelliguntur omnes eorum conversi, quamvis in aliquibus religionibus veram professionem non emittant. Constat ex cap. *Non dubium*, de Sentent. Excommun., ubi tanquàm certum seu indubitatum asseritur, incidere in excommunicationem can. *Si quis suadente*, qui violentas manus in clericos, vel canonicos *aut cujuslibet religionis conversos injiciunt*. Idem constat ex cap. *Ex tenore*, eodem, ubi percussori clerici, in virtute juramenti præcipitur *ne de cætero in clericum, monachum vel alicujus religionis conversum, manus injiciat violentas*, etc. Vide Glossam cap. *Non dubium*, verb. *Conversos*, et verb. *Ex constitutione*.

266. Tertiò, intelliguntur novitii, cùm sint in viâ ad religionis susceptionem. Ob quam rem in favorabilibus veniunt nomine religiosorum, eorumque gratiis ac privilegiis communicant, ut etiam ob delicta, quamvis enormia, ab ecclesiastico, non à secular i judice puniri debeant. Denique idem exprimitur cap. *Religioso*, de Sentent. excommun., in 6, ubi dicitur : *Quamvis autem is qui religionem ingreditur, religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè vel ex-*

ressè professus; si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ à canone vinculum non evadit.

Quartò, intelliguntur moniales cum suis conversis et novitiis. Colligitur ex canonibus citatis, ubi nulla videtur distinctio sexuum facienda, et expressè statuitur cap. de Monialibus, eod.

Quintò, eremitæ subjecti alicui regulæ aut superiori ecclesiastico per votum obedientiæ vel paupertatis; secùs dicendum, si nullam ejusmodi obligationem habeant, tametsi ex commissione episcopi alicui ecclesiæ inserviant et habitum gestent singularem, cùm non habeant stabilem ac firmum vivendi modum, quem non possint deserere. Molina, Rodriguez, Suarez, Coninck, Layman, Graffius, Bonacina, Bassæus, Filliucius, Zoesius, Herincx.

267. Sextò, tertiarii ordinum SS. Francisci et Dominici, gestantes habitum religionis et gregatim viventes : nam licèt non sint veri religiosi, religionis tamen statum imitantur, et ideò privilegium religiosis concessum participant. Sic ex communi sententiâ docent Felinus, Navarrus, Toletus, Suarez, Molina, Graffius, Bonacina, Layman, Rodriguez, Miranda, Herincx. Putat autem Layman, omnem dubitationem hodiè ablatam esse per bullam Leonis X, apud Rodriguez, Quæst. Reg., tom. 2, quæst. 65, art. 5, quâ statuitur quòd fratres et sorores, qui dicuntur tertii ordinis, si domi habitent, annumerari debeant personis secularibus; sin autem collegialiter vivant sub habitu et voto aliquo expresso, gaudeant iisdem privilegiis, quibus fratres dicti ordinis, cujus habitum gestant, potiuntur et gaudent.

268. Ad tertiam quæstionem respondeo, particulâ *Si quis* significari subjectum censuræ et omnem hominem comprehendi, qui censuræ est capax per baptismum et usum rationis : verbum enim *si quis* et universale et neminem excipit, l. *Qui filiabus*, § 1, ff. de Legatis; et l. *Si necessarias*, § *Si annua*, ff. de pignorat. Actione. Quare perinde est sive percussor sit vir sive femina, pubes aut impubes, subditus vel superior, laicus aut clericus, secularis vel regularis; quanquàm dentur nonnulli casus quibus permittitur prælato vel magistro correctio corporalis subditi vel scholaris, juxta cap. *Cùm voluntate*, § *Si qui verò*, de Sentent. Excomm., de quibus infra.

Porrò etsi supra dicto textu, *Si quis suadente*, solummodò comprehendantur physicè clericum vel monachum offendentes, nihilominùs ex aliis juris textibus non obscurè colligitur censuram extendi ad mandantes seu precibus ac promissis incitantes ad sacrilegam percussionem, cap. *Mulieres*, § *Illi verò*, de Sentent. Excommun. Item ad consentientes, cap. *Quantæ*, eodem. Item ad ratam habentes percussionem suo nomine factam. Si verò percussio *tuo nomine non sit facta, tunc licèt pecces ratam habendo eamdem, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris, cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum;* cap. *Cùm quis*, eodem tit, in 6. Et quamvis nullibi legatur expressum quòd percussioni præstantes consilium vel auxilium, eidem censuræ involvantur, nihilominùs doctores passim revocant consulentes et auxiliantes ad consentientes; satis enim consentit operi, qui illud consulit, ejusve executioni auxilium præstat. Similiter quamvis cap. *Quantæ*, cit., respiciat solos consentientes iis qui percutiunt rectores ecclesiarum, communis tamen sententia prædictum caput extendit ad consentientes percussioni cujusvis clerici vel monachi, ut videri potest apud Navarrum, Coninck, Sayrum, Molinam, Layman, Bonacinam, Herincx.

269. Interim ut mandans, consulens, consentiens vel auxilians, censuræ subjaceat, requiritur ut percussio effectu ipso subsequatur, idque ex vi mandati, consilii, consensûs vel auxilii. Molina, Navarrus, Coninck, Bonacina, Castropalao, Layman, Herincx. Colligitur ex cap. *Mulieres*, de Sent. excom., ubi ratio ob quam mandans percussionem clerici excommunicatur, redditur, quòd *is committat verè, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Igitur ut censuram incurrat cooperans per mandatum, consilium, etc., necessarium est inprimis, *delictum committi*, seu ipso effectu sequi. Deinceps requiritur ut sequatur consulentis, consentientis, mandantis consensu, consilio, *auctoritate vel mandato.* Ratio verò est, quòd præsens censura feratur principaliter in executorem, secundariò autem et accessoriè tantùm in cooperantes, qui proinde eamdem censuram non incurrunt, si vel deficiat actio principalis, vel saltem suo influxu non sequatur. Vide quæ diximus, tract. præced., cap. 19, num. 652.

270. Sed quæstio est, si mandans vel consulens clerici percussionem, ante executionem operis, consilium vel mandatum revocet, an nihilominùs incidat in excommunicationem. — Respondeo incidere, inprimis si mandatum vel consilium revocet voluntate interiori ac detestetur et nihilominùs mandatarius vel consiliarius exequatur. Ratio est quia, quantùm est ex suâ parte, operis prohibiti malitiam, mandando vel consulendo complevit, quamvis ex parte effectûs, consummatio seu executio expectetur, tanquàm conditio, sine quâ juris pœna non incurritur : perinde ac si quis lapidem è tecto vel fenestrâ in caput transeuntis clerici deliberatè projiceret, qui, etsi statim se corrigat et suum factum improbet, non evadet excommunicationem aut irregularitatem, secuto effectu. — Respondeo secundò, mandantem et consulentem non involvi censuræ, si seriò, tempestivè et efficaciter revocent mandatum et consilium. Mandatum tempestivè, seriò et efficaciter revocatur, si verbo, epistolâ vel internuntio, ante executionem operis, sincerè significes mandatario, te resipiscentem omninò nolle, ut prosequatur actionem imperatam : jam enim non poterit mandatarius in executionem tuæ voluntatis vel in tui gratiam delictum operari. Consilium autem revocatu difficilius est, cùm non nitatur solâ consulentis auctoritate, sed momentis et rationibus, ab eodem suggestis. Quare consulens debet consiliario proponere rationes contrarium persuadentes, quæ si prudentis ar-

bitrio judicentur sufficientes ad evertendum priùs datum consilium, non incidet in excommunicationem.

271. Ad quartam respondeo : Per clausulam, *Suadente diabolo*, significatur, ad incurrendam canonis præsentis censuram, requiri gravem injuriam, atque adeò mortale peccatum, etiam in ratione sacrilegii : cùm hoc sit proprium objectum pœnæ hujus ecclesiasticæ. Imò ad executionem canonis contrahendam requiritur utrumque, et ut animi effectus seu internum lædendi propositum mortale sit, et ut externa violentia gravis sit, vel in corporis vel saltem in honoris læsione. Quare si intentio lædendi mortalis quidem sit, at læsio exigua, non contrahitur censura : quia verba legis pœnalis intelligenda sunt cum effectu. Contrà si exterior læsio gravis sit, intentio autem lædendi, à mortali peccato excusari possit, excommunicatio iterùm non incurritur. Ratio est quia canone ecclesiastico punitur externum mortale peccatum gravis ac violentæ invasionis clerici : tale autem non est, nisi et internum peccatum mortale, et exterior læsio seu violentia gravis fuerint.

272. Ad quintam respondeo : Per *manus violentas* seu violentam manuum injectionem intelligitur actio quælibet injuriosa (dummodò, seclusâ lege excommunicationis, sit mortaliter peccaminosa, ut statim diximus, et colligitur ex cap. *Nemo episcoporum*, 11, q. 3), seu violentia illata clerico vel monacho, aut rebus ei adhærentibus. Quare censuram canonis incurrit, qui clericum aut monachum occidit, mutilat, vulnerat, percutit manu, pede, gladio, baculo, etc. Item qui sputum aut pulverem ei in faciem injicit, qui eum violenter detinet in publicâ vel privatâ custodiâ, qui aliquid per vim et injuriam eripit ex ejus manibus aut aliâ corporis parte, ut librum aut vestimentum. Secùs est, si clanculò et per fraudem sine ullâ violentiâ clerico vel monacho marsupium scindas aut vestimenta, quibus actu non induitur, tollas. Item qui vestimenta, quibus utitur, lacerat, cingulum ephippii incidit, equum, cui insidet, interficit aut freno prehenso violenter sistit : tametsi enim ejusmodi violentiæ illatæ clerico, non sint graves respectu corporis, sunt tamen tales comparatione honoris, ut notat Innocentius III, cap. *Nuper*, de Sentent. Excommun., cui consentit, l. *Item apud Labeonem*, ff. de Injuriis, ubi dicitur : *Si quis pulsatus quidem non est, verùm manus adversùs eum levatæ, et sæpè territus, quasi vapulaturus, non tamen percussit ; utili injuriarum actione tenetur.*

273. Neque tollit gravitatem percussionis aut sacrilegii, consensus percussi ; quia satis est, percussionem injuriosam esse statui clericali, cui præjudicare non potest privati clerici consensus. Hic igitur nullus est, atque adeò insufficiens ad impediendam censuram, in honorem ordinis clericalis constitutam ; cap. *Contingit*, 36, de Sent. Excommun. Imò communis sententia docet locum esse censuræ, si quis sibi ipsi manus violentas inferat, se graviter percutiat, mutilet, vulneret. Ratio quia est actio per canonem sub anathemate prohibita, videlicet, violenta manuum injectio in clericum vel monachum cum gravi injuriâ ordinis clericalis. Hùc facit argum., can. *Si non licet*, 13, q. 5, ubi dicitur quòd non minùs sit homicidii reus, qui semetipsum, quàm qui alterum interficit.

274. Ad sextam respondeo : A censurâ canonis excusatur 1° qui leviter vel joci causâ clericum percutit, sic ut non peccet mortaliter ; 2° qui ex subitâ iracundiâ deliberationem prævenientе, ebrietate, phrænesi aut somnio ; 3° qui ex ignorantiâ probabili clericatûs. Ignorantiam tamen probare debet per juramentum, quod si recuset, habendus est pro excommunicato : cap. *Si verò*, 2, de Sentent. Excommun. Si quis tamen percutiat Joannem clericum, quem putat esse Jacobum pariter clericum, error personæ non eximit percussorem à censurâ ; est enim in casu gravis percussio clerici formaliter et materialiter injuriosa statui clericali ; argument., l. *Eum qui*, § *Si injuria mihi*, ff. de Injuriis ; ubi dicitur, si injuria mihi fiat ab eo, cui sum ignotus aut qui putat me esse Lucium, cùm sim Caius, injuriæ mihi actionem competere. Secùs verò dicendum, si quis volens percutere Paulum clericum, aberret et casu percutiat Petrum clericum, proximè adstantem.

275. Ratio discriminis est quòd in casu priori voluntariè percutiat hominem, quem novit clericum esse, in quo tota consistit ratio, ob quam canonis excommunicatio lata est : in casu autem posteriori non percutit voluntariè hominem, quem novit clericum ; siquidem, ut ponimus, à clerici intentâ percussione aberravit, alium hominem, qui casu adstabat, quique clericus erat, per infortunium involuntarium feriens. 4° Excusatur à censurâ, percutiens clericum, privilegio canonis privatum, tametsi id ipsum invincibiliter percussor ignoret. 5° Qui in defensionem sui vel alieni corporis, famæ, bonorum, pudicitiæ, clericum invasorem violenter detinet aut etiam percutit, dùm tamen servetur moderamen inculpatæ tutelæ seu modus necessariæ defensionis notabiliter non excedatur, et justa defensio aggressionem sequatur incontinenti ; cap. *Si verò*, 1, de Sent. Excommun., ubi dicitur : *Si... clericum vim sibi inferentem vi quis repellat vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti si incontinenti vim vi repellat.* Idem significatur, cap. *Ex tenore*, eod. Similiter Clement. unic. *de Homicidio*, dicitur quòd non incurrat irregularitatem, *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Ratio est quia licita est defensio non solùm suî, sed etiam cujusvis innocentis, can. *Non inferenda*, can. *Qui potest*, 23, q. 3, cap. *Si verò*, cap. *Dilecto*, de Sentent. Excommun., in 6.

276. Hinc sequitur 1° quòd, licèt mulier excommunicationem non incurrat, si clericum pudicitiæ suæ ipso facto insidiantem repellat et percutiat ; secùs tamen esse, si solis verbis invasa sit ; tum enim verbis tantùm repellere potest, aliàs non servatura moderamen inculpatæ tutelæ ; nisi forsitan adeò molestus et importunus esset, ut eum mulier superare non posset, quàm fuste aut verbere. Avila, Suarez, Coninck, Layman. Sequitur 2° quòd, si clericus injuriam

inferens vel in flagranti crimine deprehensus, de fugâ suspectus sit, possit interim à laico detineri, ut tempestivè sistatur suo judici ecclesiastico. Navarrus, Avila, Clarus, Suarez, Molina, Layman, 6° Censuram canonis non incurrit, qui manus violentas incontinenti injicit in clericum, *cum uxore, matre, sorore, vel filiâ propriâ turpiter inventum.* Ita statuitur, cap. *Si verò*, 1, de Sentent. Excommun. Quare huic parcit canon, ut ait Glossa, in c. cit. verb. *Turpiter*, quia tam justum dolorem compescere difficillimum esset.

277. Turpiter autem inventus dicitur, qui actum quemlibet impudicum cum ejusmodi personâ faceret. Imò satis esse, quòd solus reperiatur cum solâ in loco suspecto, accedentibus circumstantiis aliis, suspicionem aggravantibus, docent Sylvester, Navarrus, Coninck. Interim prædicta non habent locum, si maritus adulterum, non statim, ut in crimine deprehensus est, sed interjecto temporis intervallo, quo justus dolor potuerit mitigari, occidat. Item, si datâ operâ in loco occulto se abdiderat, ut, oblatâ occasione deprehensum occideret, ut vult Navarrus. Item eadem non habere locum in aliis consanguineis, quæ percussorem in primâ consanguinitatis lineâ non contingunt, v. g., nepte aut aviâ, significatur, cap. *Si verò*, citato, junctâ Glossâ, ibidem, verb. *Matre;* nec enim credit Glossa, hoc extendendum ad ascendentes vel descendentes. 7° A censurâ excusatur percutiens clericum titulo correptionis ac disciplinæ, cum corrigendi aut castigandi auctoritate.

278. Hanc habet pater respectu filii, quem proinde in sacris constitutum, pro merito culpæ cogitare potest sine notâ censuræ, juxta S. Antoninum, Sylvestrum, Navarrum, Avilam, Suarez, Coninck, Filliucium, Bannez, Bonacinam, Herincx. Ratio est quòd filius per sacrum ordinem non subducatur patriæ potestati : adeò ut filius clericus eodem modo quo laicus, patri videatur subjectus, et proinde sicut hic, sic ille per patrem corporaliter castigari possit, prout qualitas culpæ et circumstantia personæ exegerint. Deinde correptio moderata, etiam corporalis, filii vel domesticorum permissa est patri jure naturæ, cui derogatum velle non censetur Ecclesia per legem excommunicationis. Tandem, ut statim dicetur, sine periculo censuræ potest magister causâ correctionis percutere discipulum in sacris constitutum; ergo multò magis pater filium, cùm multò majorem potestatem habeat hic in hunc, quàm ille in illum. Interim opposita sententia est communior, quam docent Glossa, cap. *Cùm voluntate*, verb. *Inferiorum graduum*, de Sentent. Excommun. Felinus, Hostiensis, Panormitanus, Molina, Layman, Castropalao et alii. Ratio est quòd canon seu jus commune, prohibens percussionem clerici, sit favorabile ordini ecclesiastico : ut proinde restringi non possit, nisi expressam in jure exceptionem habeamus.

279. Porrò nullibi legitur ejusmodi exceptio : imò potiùs colligitur oppositum, ex cap. *Cùm voluntate*, cit., ubi patrifamiliàs permittitur, *aliquos* de familiâ suâ vel propinquos inferiorum graduum (id est, in minoribus ordinibus constitutos) corporaliter castigare, atque adeò (ut rectè deducit Glossa, verb. *Inferiorum graduum*) id ipsum tacitè denegatur patri in filium, majori ordine initiatum. Ad primum alterius opinionis fundamentum respondeo : Admittimus, filium per sacrum ordinem potestati patriæ simpliciter non subduci, sed saltem secundùm quid, nimirùm quoad effectum corporalis correctionis. Ad secundum respondeo, jure naturali filios parentibus subdi, et corrigi ab eis posse, sed correctione accommodatâ filiorum statui et qualitati. Porrò filii in sacris constituti qualitas non permittit violentam correctionem, ex dispositione juris ob ordinum majorum reverentiam et dignitatem. Ad tertium respondeo, idcircò jura permittere magistro, ut clericum causâ disciplinæ percutiat; quia fieri potest et solet, ut magister clerici ipse sit clericus, et in majori ordine seu gradu constitutus, quàm discipulus : si enim laicus esset vel in minori ordine constitutus, non videtur ei jure concessum, discipulum in majori ordine constitutum verbere castigare; argum., cap. *Universitatis*, de Sententiâ excommunic.

280. Titulo tamen correctionis potest prælatus ecclesiasticus suum subditum castigare; cap. *Super eo*, cap. *Ex tenore*, cap. *Universitatis*, cap. *Cùm voluntate*, de Sententiâ excommunic. Duplex tamen observanda restrictio : prima est, ut correctio sit moderata, habitâ ratione culpæ et personæ, tam quæ percutit, quàm quæ percutitur. Aliàs, si percussio sit valdè indecens aut notabiliter excessiva, erit locus censuræ. Colligitur ex c. *Cùm voluntate*, citato, junctâ Glossâ, ibidem, verb. *Prælationis*, et verb. *Magisterii*. Altera restricto habetur cap. *Universatis*, cit., nimirùm ut abbas per seipsum, non per alium causâ disciplinæ regularis percutiat monachum; vel, si necessitas postulet, per clericum vel monachum, non per laicum, id fieri jubeat. Alioquin tam qui verberant, quàm qui verberari præcipiunt, tametsi ob delictum, excommunicationis sententiam non evadunt. Aliud est de episcopo, à cujus sacerdotio alienum est, propriis manibus quempiam verberare; cap. *Non licet*, dist. 86.

281. Quare clericos delinquentes, per clericos, non per laicos corrigere debet. Nihilominùs *Laici... citra excommunicationis sententiam capere clericos* facinorosos, *et ad judicium trahere possunt, si aporteat, etiam violenter, dùm tamen id de mandato faciant prælatorum, quorum illi sunt jurisdictioni subjecti*, cap. *Ut famæ*, de Sentent. Excomm. Similia dicuntur, cap. *Si clericos*, eod. in 6. Item excusatur à censurâ magister seu præceptor, percutiens clericum discipulum suum causâ correctionis vel disciplinæ; cap. *Super eo*, cap. *Ex tenore*, cap. *Cùm voluntate*, sup. Porrò, cap. *Ex tenore*, sermo est de subdiacono : ex quo Navarrus, Suarez, Layman et alii deducunt, quòd magister causâ correctionis percutere discipulum possit, etiam sacro seu majori ordine initiatum. Denique *si... clerici seniores, zelo devotionis, pueros vel adolescentes, in minoribus ordinibus constitutos, ... correctionis causâ leviter fortè percusserint, excommunicationis sententiam*

non incurrunt; cap. *Cùm voluntate*, § ult., cap. *Veniens*, de Sentent. excommun.

282. Ad septimam respondeo : Censuram hanc Pontifici reservatam esse, constat ex verbis canonis, initio adductis : *Nullus episcoporum*, *illum* (percussorem clerici vel monachi) *præsumat absolvere nisi mortis urgente periculo*, *donec apostolico conspectui præsentetur*, *et ejus mandatum suscipiat*. Itaque inprimis in periculo vel articulo mortis potest ab hâc censurâ absolvere episcopus, et in ejus defectu sacerdos alius, ut significatur non tantùm can. *Si quis suadente*, 17, q. 4, verùm etiam c. *Non dubium*, c. *Ea noscitur*, cap. *Quod de his*, de Sent. excommun., et in concil. Trident., sessione 14, de Pœnit., cap. 7. Vide quæ sup. diximus, num. 251. Debet tamen in casu ante absolutionem, si fieri possit, juramentum exigi de comparendo, cùm primùm per vires licuerit, coram Sede Apostolicâ vel ejus legato, juxta cap. *Ea noscitur*, cap. *Quod de his*, cit., et cap. *Quamvis*, eodem. Quòd si transacto mortis periculo, juramentum implere neglexerit, ipso jure recidit in eamdem sententiam; cap. *Eos qui*, eod. in 6.

283. Secundò, non solùm in prædictâ necessitate extremâ, sed et in quâvis aliâ considerabili absolvit episcopus ab eodem delicto, et 1° quidem infirmum, qui sine gravi incommodo non posset apostolico conspectui præsentari; cap. *Quod de his*, eod.; 2° debilem aut membro captum; cap. *Ea noscitur*, eod.; 3° eum qui ob capitales inimicitias ab itinere rationabiliter excusatur; cap. *De cætero*; 4° mulierem vel aliam personam, quæ sui juris non sit; cap. *Mulieres*; 5° senes; cap. *Ea noscitur*, cap. *Quamvis*; reputatur senex, qui annum ætatis septuagesimum excedit, l. 1, cap. *Qui ætate*; 6° pueros, *sive ante sive post pubertatem* postulent se absolvi; cap. *Pueris*; 7° demùm quoslibet canonico impedimento laborantes, quominùs veniant Romam; cap. *Ea noscitur*, et aliis sup.

284. Tertiò monachus, percutiens monachum ejusdem monasterii absolvi potest per abbatem seu superiorem regularem; cap. *Monachi*, eodem. Excipe, *nisi excessus fuerit difficilis et enormis*; cap. *Canonica* : puta, *si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum*, *aut in episcopum vel abbatem violenta manus injecta*; *cùm excessus tales et similes nequeant sine scandalo præteriri*; cap. *Cùm illorum*. Si regularis percusserit regularem alterius prælati et monasterii, absolutio conferenda est per prælatum percussoris, præsente prælato percussi, ut ex consensu utriusque satisfactio imponatur; cap. *Cùm illorum*, cit. Poterit tamen prælatus percussi suas vices committere prælato percussoris : ut enim hic potest delegare alteri absolutionem, cap. *Finali*, de Offic. ordin., sic ille pœnam seu satisfactionem. Si regularis *manus violentas in clericum secularem injecit*, absolvendus est non à suo prælato, sed ab episcopo, nisi percussio enormis esset : tum enim ad Sedem Apostolicam recurrendum; cap. *Religiosa*, de Sentent. excommun., in 6, juncto cap. *Cùm illorum*, cit., et Glossa, ibid. Si quis ante religionis ingressum, ex communicationis sententiam ob clerici vel monachi percussionem incurrit, is postea novitius seu religiosus factus, à prælato suo absolvi potest, nisi excessus seu percussio enormis fuerit. Imò prælati diversorum ordinum, papalibus privilegiis obtinuerunt, ut à percussione etiam enormi absolvere possint tam novitios, quàm professos, quemadmodùm observant Molina, Layman, Castropalao.

285. Quartò, episcopus in utroque foro absolvit suos subditos ab excommunicatione contractâ ob *levem* clerici percussionem; cap. *Pervenit*, de Sentent. Excommun. Quocirca notanda est vel potiùs in memoriam revocanda distinctio triplicis percussionis, à nobis aliquoties allegata. Alia est *levis*, altera *mediocris*, tertia *enormis*; quæ species debent comparativè intelligi et à se mutuò discerni viri prudentis, etiam confessarii judicio, non ex solâ percussione aut læsione, sed etiam ex circumstantiis personarum percutientis et percussi, loci, temporis, scandali, etc., ut significatur Extravagante, *Perlectis*, apud Navarrum, Covarruviam, Molinam et alios. Vide quæ diximus, parte præced., n. 548.

Quintò, episcopus à percussione non solùm *levi*, sed etiam *mediocri*, absolvere potest clericos in eâdem domo commorantes, sive vivant ex redditibus communibus, ut in seminariis concilii Trid., sive unusquisque ad suî sustentationem conferat, ut in convictibus scholasticorum. Colligitur ex cap. *Quoniam*, de Vitâ et Honest. cleric. Dixi, à percussione *levi* et *mediocri* : nam aliud dicendum, si *fortè atrocitas facti pœnam graviorem expect et*, ibid.

286. Sextò, episcopus absolvit ostiarium seu janitorem, qui prætextu officii sui percussit clericum, etiam malitiosè, seu animo injuriandi, idque quamvis percussio sit notabilis, dùm tamen non sit enormis; cap. *Si verò*, de Sentent. excommun.

287. Septimò, à percussione *enormi* ultra summum pontificem absolvit legatus à latere, in omni casu pro utroque foro. De Pontifice res ipsa loquitur : est enim auctor censuræ ac ejus reservationis et supremus Ecclesiæ monarcha, habens ligandi solvendique plenitudinem potestatis. De legato à latere pontificis constat ex cap. *Ad eminentiam*, eodem. Nomen autem legati, in jure sumitur pro eo qui mittitur à pontifice ad actum aliquem expediendum, vel pro eo qui mittitur in provinciam cum potestate administrandi ea quæ sunt muneris apostolici, quo sensu accipitur tit. de Officio legati : nam cùm pontificis auctoritatem vel præsentiam in provinciis sæpè postulet negotiorum gravitas, et propter locorum distantiam, præsentiam suî personalem exhibere non possit, mittit eò, qui suas vices suppleat in determinatione causarum. Differt à delegato pontificis (de quo agitur tit. de Officio et pot. jud. delegati) quòd huic una tantùm aut certæ causæ committantur; legato verò de omnibus causis, tanquàm judici ordinario, est cognoscendi auctoritas. Potestas autem legati est varia pro vario legatorum munere : alii enim dicuntur legati à latere, quales sunt cardinales, missi à Romano Pontifice, dicti à

latere, quòd ex iis, qui ad latus Pontifici assistunt, mittantur. Cardinalibus solis hoc munus competere, lectè observat Glossa in cap. penult., de Offic. legati. Alii dicuntur constituti seu missi, qui vocantur nuntii, missi quidem à Romano Pontifice, non tamen de numero cardinalium. Alii nati, quorum dignitati, quam in Ecclesiâ obtinent, munus legationis annexum est. His ita notatis, certum est (prout diximus ex cap. *ad Eminentiam*, cit.) quòd legatus *à latere*, seu à latere pontificis missus, absolvere possit quemlibet clerici percussorem, tam qui est de provinciâ, ad quam destinatur legatus, quàm qui ad ipsum aliunde recurrit, idque à die, quo egreditur urbe, donec in urbem revertatur, ut ex communi sententiâ docent Glossa et Panormitanus, in cap. *Excommunicatis*, de Officio legati. Legati autem *nuntii*, qui de pontificis latere non mittuntur, possunt eos solos absolvere, qui sunt de suâ provinciâ, quamdiù in eâdem morantur; non verò eos qui illùc aliunde accedunt; cap. *Excommunicatis*, cit. Legati denique *nati*, id est, *qui Ecclesiarum suarum prætextu, legationis sibi vendicant dignitatem, etiam subditis (quamvis in provinciâ suâ existentes) beneficium absolutionis*, pro injectione manuum violentâ, *impertiri non possunt*. Ita expressè statuitur citato cap. *Excommunicatis*.

288. Octavò, præter pontificem et ejus legatum nemo potest, spectato jure communi, absolvere à præsenti excommunicatione, etiam pro foro conscientiæ, exceptis casibus superiùs recensitis. Patet ex naturâ reservationis. Dixi autem, *spectato jure communi* : nam illud dicendum de iis, quibus ex indulto seu privilegio Sedis Apostolicæ amplior potestas competit. Sic episcopis seu potestatem episcopalem habentibus per concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 6, de Reform., conceditur auctoritas absolvendi tum ab hâc, tum ab aliâ quâvis excommunicatione, dummodò delictum sit occultum et non deductum ad forum contentiosum. Sic item episcopis Belgicis per Gregorium XIII, amplissima facultas facta, quæ procul dubio se extendit etiam ad præsentem censuram.

APUT III.

De excommunicationibus pontifici reservatis in *Decretal.bus*.

§ 1. *Ad cap.* Quærenti, de Officio et Pot. judic. deleg.

289. Prima excommunicatio, pontifici reservata in epistolis decretalibus Gregorii IX, occurrit cap. *Quærenti*, de Offic. deleg., ubi dicitur, quòd, *si delegatus* à Pontifice, *excommunicet illum, qui rei judicatæ parere contemnit ... ad integrum annum, jurisdictionem sibi commissam, ad exequendum sententiam valeat exercere*. Hinc autem sequi videtur quòd excommunicatus à delegato Pontificis, in suâ contumaciâ plusquàm anno perseverans, atque adeò nondùm à censurâ absolutus, deinceps absolvi nequeat à delegato, sed à solo delegante seu Romano pontifice, cui proinde istius contumaciæ et tamdiù durantis excommunicationis absolutio reservatur. Ita Navarrus, c. 27, num. 93; Suarez disp. 22, sect. 2, Sayrus, cap. 29, libri 3; num. 1; Filliucius, tract. 5, de Censuris, cap. 2, num. 47; Bassæus, verb. *Excommunicatio*, 7; Barbosa, de Offic. et potest. episc., part. 3, alleg. 50, num. 87; Bonacina, de Excommun. in particulari, disp. 2, quæst. 3, puncto 22, Toletus, l. 1, cap. 35; Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 24, n. 1.

290. Observandum est tamen 1° non esse illo capitulo sermonem de censurâ, ipso jure latâ, sed ab homine; agitur enim de excommunicatione, quam per sententiam judex delegatus tulerit in eum *qui rei judicatæ parere contemnit*. Ita Suarez, Bonacina, Castropalao.

Observandum 2° excommunicationis illius absolutionem indirectè tantùm pontifici reservari, quatenùs sequitur cessationem jurisdictionis seu officii judicis delegati; id est, non statuit pontifex præfato capitulo, ut excommunicationis illius vel contumaciæ absolutio sibi sit reservata, sed ut ab eâdem non possit absolvere delegatus post annum, ultra quem non sit judex, atque adeò absolvendi potestas devolvatur ad delegantem seu Romanum Pontificem. Iidem statim nominati.

§ 2. *Ad cap.* Dura, de Crimine falsi.

291. Secunda excommunicatio Pontifici reservata in decretalibus exprimitur cap. *Dura*, citat., § *Adjicientes*, his verbis : *Si quis falsas litteras* apostolicas *se habere cognoscit, infra viginti dies litteras illas aut destruat aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evadere, quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro à quoquam nolumus relaxari. Nec etiamsi præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quidquam habeat firmitatis*. Ubi rursùs est observandum, nullam à Pontifice censuram ipso jure ferri, sed solummodò imponi præceptum diœcesano, ut excommunicationem ferat adversùs eos, qui litteras Sedis Apostolicæ falsas habent, nec eas destruunt vel resignant. Unde sequitur quòd litteras ejusmodi falsificatas retinens in nullam incidat censuram, quando nulla per diœcesanum vel ordinarium loci constituta est. Castropalao, Suarez, Bonacina, Filliucius. Sed dubitari potest 1° cuinam prædictæ litteræ consignari debeant ad declinandum censuram? 2° An perinde sit ad censuram, quâvis ratione vel occasione aliquis obtinuerit litteras falsificatas? 3° An ad effectum reservationis rèquiratur excommunicatio per sententiam diœcesani specialem? 4° Quid intelligatur per litteras apostolicas?

292. Ad primum dubium respondeo, litteras falsificatas resignandas esse ministro Pontificis, aut episcopo loci vel etiam confessario. Quare Glossa, verbo *Resignet* : Tradat, inquit, *tali qui possit prodesse et non obesse*. Caveat igitur ne tradat in manus ejusmodi à quibus periculum abusûs timeri possit; id enim non est resignare ad mentem Pontificis, qui præsenti constitutione abusui earumdem litterarum obviare intendit. Ita Bonacina.

Ad secundum respondeo : Ad incurrendam censu-

ram existimat Filliucius necessarium, ut falsas litteras per dolum impetraveris ipse ; sed rectiùs Bonacina putat, quâvis occasione præfatas litteras habeas, nisi infra 20 dies resignes, te incidere in excommunicationem reservatam, postquàm hæc per diœcesanum promulgata est. Ratio est quia Pontifex indistinctè loquitur : *Si quis falsas litteras se habere cognoscit*, etc. Non ait, se impetrâsse, sed *se habere cognoscit*. Satis est igitur quòd scienter habeas, qualitercumque habeas.

Ad tertium respondeo negativè; quare ad reservationem excommunicationis perinde est, sive per sententiam generalem, sive per specialem diœcesanus eamdem tulerit. Ita Suarez, Filliucius, Bonacina, Castropalao. Ratio est quia in textu fit mentio expressa sententiæ generalis : *Statuimus*, inquit Pontifex, *ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas parochias faciatis frequentiùs innovari ; quòd si quis*, etc.

293. Ad quartum respondeo, per litteras apostolicas intelligi quæ nomine Pontificis aut Sedis Apostolicæ expediuntur, cujusmodi sunt bullæ et brevia. Quare hoc nomine non veniunt litteræ legatorum, nuntiorum, pœnitentiariorum, episcoporum, etc., prout ex Paludano tradit Toletus, l. 1 Sum., c. 22, n. 3.

§ 3. *Ad cap.* Ad falsariorum, *eodem titulo.*

294. Tertia excommunicatio pontificia, citato capite in hunc modum exprimitur : *Omnes falsores litterarum nostrarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum fautoribus et defensoribus suis, anathematis vinculo decernimus innodatos, statuentes*, etc. Ita loquitur Innocentius III, citato capite. Porrò inter censuram præsentem, et proximè præcedentem considerabilis differentia est, 1° quòd hìc ferat censuram Pontifex, illìc statuat ferendam per diœcesanum : hìc respiciat falsificantes litteras apostolicas, illìc habentes falsificatas. Fatendum est autem prædictam excommunicationem Pontifici hoc loco non reservari, cùm nullo verbo aut apice reservatio significetur. Hæc interim additur præsenti delicto in bullâ *Cœnæ*, § 6, ubi Pontifex reservatâ sibi excommunicatione afficit *omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vicecancellarios seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falsò fabricantes litteras apostolicas, etiam in formâ brevis, et etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi, sub nomine Romani Pontificis seu vice-cancellarii aut gerentium vices prædictorum.* Ita bulla *Cœnæ*, de quâ nihil dicimus in præsenti, reservantes hujus censuræ uberiorem expositionem in caput 7.

§ 4. *Ad cap.* Significavit, *de Sentent. excommunic.*

295. Quarta loco citato sic exprimitur : *Clericos qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis à nobis, et ipsos in officiis receperunt, eâdem excommunicationis sententiâ cum ipsis non dubitamus involvi : quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad nos volumus litterarum tuarum insinuatione remitti.* Variæ vero conditiones ad hanc censuram sunt necessariæ, quas recensent Glossa, cap. *Statuimus*, verbo *Constitutionibus*, de Sentent. Excomm., in 6 ; Suarez, Navarrus, Avila, Filliucius, Barbosa, Bonacina, Toletus. Prima est ut excommunicatio lata sit à Pontifice, seu ut à Pontifice sit excommunicatus, cui aliquis communicet. Patet ex vocabulo, *à nobis*. Quare non est locus huic censuræ, si quis communicet excommunicato per episcopum. Secunda conditio est ut idem ille quocum alter participat, sit nominatim ac judicialiter excommunicatus. Tertia, ut is qui participat, sit clericus, prout manifestè constat ex verbo *Clericos*, quo non intelliguntur in pœnali materiâ religiosi, ut advertunt Bonacina, Castropalao, Herincx et alii.

296. Quarta conditio est ut fiat participatio, admittendo ad divina officia. Constat ex illis verbis : *Et ipsos in officiis receperunt.* Quapropter clericus cum excommunicato prædicto assistens divinis officiis, tanquàm unus de populo, censuram non incurrit. Quinta est ut concurrat *scienter*. Patet ex verbis : *Clericos, qui scienter ;* quare quælibet ignorantia excusat participantem, ab hâc censurâ. Sexta conditio est ut participatio fiat *sponte*, prout rursùs constat ex textu, qui eodem vocabulo utitur. Quare requiritur libertas operantis, per metum gravem injustè incussum non restricta. Septima conditio, post concilium Constantiense, necessaria, est ut excommunicatus, quocum participatio fit, sit vitandus, id est, aut clerici notorius percussor aut nominatim denuntiatus : cum cæteris enim non est prohibita communicatio post concil. Constantiense, atque adeò incurri per eamdem nequit excommunicatio Pontifici reservata.

§ 5. *Ad cap.* Tua nos, *eodem titulo*

297. Quinta habetur loco citato his verbis : *Non solùm qui in clericos temerarias manus injiciunt, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.* Circa capituli præsentis intellectum varia doctorum opinio est. Nonnulli existimant omnes incendiarios, per hoc capitulum ipso jure excommunicatos esse, cùm dicatur : *Ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati*, ubi volunt, particulam, *ex quo sunt*, causalem esse, ut sensus sit *incendiarii*, QUIA *sunt per Ecclesiæ sententiam* excommunicati, id est, *quia* præsenti constitutione excommunicantur, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam sunt mittendi. Favet huic opinioni, quòd in illo textu æquiparentur incendiarii percussoribus clericorum, qui ipso facto excommunicati sunt. Secundò, quia textus non dicit, *ex quo fuerint*, quod alioquin excommunicationem ferendam importaret, sed, *ex quo sunt*, videlicet præsenti canone, quod significat censuram latam.

Secunda sententia docet excommunicationem in incendiarios non quidem ferri, cap. *Tua nos*, citato, sed latam supponi jure aliquo antiquiori : hoc autem loco reservationem pontificiam addi, si et quando per judicem fuerit publicata. Ratio hujus opinionis est

quia expressè dicitur incendiarios per Ecclesiæ sententiam publicatos, Romam pro absolutionis beneficio mittendos esse ; atqui publicatio excommunicationis et absolutionis reservatio sequuntur seu supponunt excommunicationem latam : non hoc capite *Tua nos* ; ergo alibi.

298. Neutram admittimus harum opinionum, quas, refutavimus in tractatu præcedenti, cap. 11, num. 424 et seq. Dicimus itaque incendiarios quidem ecclesiarum ipso jure excommunicatos esse, sed per cap. *Conquesti*, eodem tit., de quo paragrapho sequenti ; nullum autem sive loci sacri sive profani incendiarium præsenti capite excommunicari, quo solummodò ordinatur, ut rei profanæ incendiarium episcopus excommunicet per sententiam ac denuntiet. Demùm peractâ denuntiatione Pontifex latam ab Episcopo censuram sibi reservat. Ita Glossa, cap. *Tua nos*, cit. verb. *Publicati*, quam doctores plerique sequuntur. « Non credo, inquit, quòd omnes incendiarii generaliter sint ipso jure excommunicati, nisi de incendiariis ecclesiarum, cùm de aliis non inveniam et per hanc decretalem (videlicet *Tua nos*) non probatur quòd alii ipso jure sint excommunicati ; sed illis (incendiariis cæterarum rerum) primò excommunicatis ab episcopis, subsecutâ publicatione ac denuntiatione, Papa per hanc decretalem (*Tua nos*) reservat sibi eorum absolutionem. » Ita Glossa.

§ 6. *Ad cap.* Conquesti, *eodem titulo.*

299. Sexta habetur citato capite, ubi canonici Regin. conqueruntur Pontifici quòd quidam malefactores *quasdam ecclesias Regin. episcopatûs violenter confregerunt, easque spoliare minimè dubitârunt.* Respondet Pontifex : *Mandamus quatenùs, si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis... donec passis injuriam congruè satisfaciant, et damna pro eis data resarciant, et cum litteris vestris, rei veritatem continentibus Apostolico se conspectui repræsentent.* Ita Clemens III. Quæritur autem 1° an excommunicatio in præfatos malefactores feratur præsenti textu, an verò alibi supponatur lata ; 2° quodnam sit subjectum hujus excommunicationis ; 3° quid intelligatur per effractionem ; 4° quid per spoliationem ; 5° an ad censuram requiratur utrumque copulatim ; 6° quid intelligatur nomine ecclesiæ ; 7° Quandonam prædicta excommunicatio reservetur Pontifici.

300. Ad primam quæstionem respondeo excommunicationem exercitè ferri ipso capite *Conquesti*. Ratio, quia certum est ejusmodi malefactores excommunicatione affici : hæc enim necessariò præcedit denuntiationem, de quâ Pontifex loquitur verbo *Nuntietis ;* jam verò alibi non probatur lata ; dicendum est igitur ferri illo ipso textu ; quasi diceret Pontifex : Mandamus quatenùs memoratos sacrilegos, præsenti constitutione perpetuò valiturâ, ipso facto excommunicatos, denuntietis ; quemadmodùm legem excommunicationis exercitè ferret Pontifex, si in hunc modum loqueretur : Memorati sacrilegi noverint, se excommunicatos nuntiandos. Ita Glossa cap. *Conquesti*, verbo *Excommunicatos nuntietis*, Azorius, Toletus, Sayrus, Suarez, Graffius, Reginaldus, Bonacina, Barbosa.

301. Contrarium censent Panormitanus, Navarrus, Cajetanus et alii, pro quibus objicies argumentum à nobis factum, non videri legitimum, siquidem excommunicatio in præfatos malefactores alibi ostendatur lata : nam inprimis can. *Canonica*, 11, q. 3, ex conc. Arausic., dicitur : *Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei et judicio S. Spiritûs, à gremio S. Matris Ecclesiæ et à consortio totius christianitatis eliminamus.* Item can. *Omnes ecclesiæ*, 17, q. 4, dicitur : *Omnes Ecclesiæ raptores atque suarum facultatum alienatores, à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizamus.* Item can. *Quisquis*, eâdem causâ et quæstione dicitur : *Si quis domum Dei violaverit, et aliqua sine licentiâ illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit..., sciat se communione esse privatum.* His textibus videtur excommunicatio lata in violatores, effractores et spoliatores ecclesiarum. Interim respondeo inprimis ad can. *Canonica*, non statui illìc legem, nec excommunicationem ipso jure ferri, sed normam præscribi episcopis, quâ utantur in ferendâ adversùs ejusmodi criminosos censurâ.

302. Unde Glossa ibidem verbo *Canonica* : « Illìc docet, inquit, concilium Arausicanum, qualiter episcopus sententiam excommunicationis formare debeat et proferre. » Alii volunt allegatum textum in concilio Arausicano non inveniri. Alii demùm fuisse concilium provinciale, quod universalem Ecclesiam obligare nequiverit. Ad can. *Omnes ecclesiæ*, respondeo rursùs non ferri illìc à Lucio Pontifice censuram, ipso facto incurrendam, sed referri quid in hujusmodi casibus seu delictis soleat Ecclesia facere. Ad can. *Quisquis*, respondeo quòd non contineat sententiam latam, sed solummodò ferendam, prout verba subsequentia manifestè indicant, quibus dicitur : *Qui monasteria et loca Deo dicata et ecclesias infringunt et deposita vel alia quælibet exinde abstrahunt... velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur.* Ad hanc autem subactionem sine dubio opus est sententiâ judicis. Quapropter verba illa anteriora, *noverit se communione privatum*, debent intelligi, accedente sententiâ, quam expositionem, licèt aliàs non satis naturalem, contextus exigit.

303. Ad secundam quæstionem respondeo : Subjectum hujus excommunicationis est omnis sacrilegus, confringens et spolians ecclesiam ; quamvis enim textus præfatus loqui solummodò videatur de illis qui ecclesiam Regin. confregerant et spoliârant, in verbis, *memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis ;* nihilominùs dicendum videtur particulam illam *memoratos*, non referri solùm ad personas ibi expressas, sed ad qualitatem facti et delicti, id est, ad eos omnes qui tale sacrilegium commiserint, confringendo et spoliando ecclesiam. Ita Bonacina. Quare etsi decisio canonis respicere videatur casum particularem, pro lege tamen recepta est ab Ecclesiâ, ut omnes doctores supponunt apud Castropalaum.

304. Ad tertiam quæstionem respondeo per effractionem intelligi quamvis actionem violentam, quâ

dejicitur aut perforatur ecclesiæ paries, aperiuntur valvæ, rumpuntur fenestræ, defringuntur vectes aut sera. Ita communiter doctores. Hinc sequitur 1° non incurrere præsentem excommunicationem, qui quàvis intentione ingreditur ecclesiam, alterius sacrilegio jam effractam. Idem est de eo qui furtim ingreditur, apertâ per dolum januâ, puta, per clavem adulterinam, hamum vel uncum. Ratio est quia in casu non adhibetur violentia, quæ requiritur ut aliquis effringere censeatur ecclesiam. Sequitur 2° incendiarium Ecclesiæ censurâ præsenti affici. Navarrus, Suarez, Filliucius, Bonacina, Castropalao, Lessius. Ratio est quia incendens ecclesiam, verè potest dici eamdem confringere, cùm omninò destruat; perinde est enim quo medio, igne vel ferro faciat.

Ad quartam respondeo: Per spoliationem intelligitur quævis actio damnificativa, id est, quâ damnum infertur ecclesiæ aut ejus bonis in gravi materiâ, idque non solùm si actio cedat in commodum vel utilitatem malefactoris, verùm etiam si fiat gratis, id est, ex merâ nequitiâ seu malevolentiâ. Quare nomine spoliationis veniunt 1° furtum et rapina; 2° deliberatum incendium; 3° quælibet voluntaria destructio rerum ecclesiasticarum, ut imaginum, sacrarum vestium, ornamentorum aut aliorum sacri ministerii utensilium.

305. Ad quintam respondeo, ad incurrendam censuram requiri utramque actionem copulatim, et effractionem scilicet et spoliationem. Ratio est quia textus copulâ grammaticali utitur, *confregerunt, easque spoliare*, etc. Jam verò copulativa utriusque partis veritatem exigit; l. *Si quis ita stipulatus*, ff. *de Verb. obligat.*

306. Ad sextam respondeo: Panormitanus, Navarrus, Suarez, Barbosa, Filliucius putant, per ecclesiam intelligi non solùm templa per episcopum ad divinum officium destinata, sed etiam hospitalia, monasteria et alia pia loca per episcopum consecrata; quia hæc constitutio lata est in favorem ecclesiarum, atque ideò volunt, nomen *ecclesia*, latè accipiendum. Contrarium tenent Bonacina et Castropalao, volentes, per *ecclesiam* intelligi solum templum materiale, auctoritate episcopi ordinatum ad divina officia; quia esto prædicta constitutio cedat in favorem ecclesiæ, absolutè tamen pœnalis est; ergo extendi non debet ultra verborum proprietatem, quâ retentâ et addito communi usu, non veniunt ecclesiæ nomine hospitalia, monasteria aut similia pia loca. Idem ob eamdem causam contra Suarez, Barbosam, Bonacinam, docet Castropalao de sacristiâ, sive sit contigua ecclesiæ, sive ab eâdem separata; quia non est formaliter et propriè ecclesia, sed aliquod illius accessorium; alioquin etiam conventus ecclesiæ connexus et contiguus veniret eodem nomine. Nec refert quòd *accessorium naturam sequi congruit principalis*, regulâ Juris 42, quia sacristia accessoria est ecclesiæ quoad ædificium, sed non quoad leges, pœnam vel favorem spectantes, nisi id expressè cautum fuerit, prout cautum est in materiâ interdicti, cap. *Si civitas*, de Sentent. Excommun. Alioquin si propter allegatam juris regulam censeatur incendere ecclesiam, qui sacristiam; similiter polluere censebitur ecclesiam, qui cœmeterium; quod manifestè repugnat cap. un. de Consecrat. eccles., in 6.

307. Ad septimam, respondeo prædictam excommunicationem reservari Pontifici, postquàm per episcopum denuntiata est. Constat ex textu: *Memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis... donec*, etc. Hinc sequitur præsentem excommunicationem ante denuntiationem tolli per episcopum posse sine recursu ad Sedem Apostolicam, imò, spectato jure communi, per quemlibet confessarium pro mortalibus approbatum; cap. *Nuper*, de Sentent. excommun. Sed qualis requiritur denuntiatio? Bonacina censet, sufficere generalem, quâ videlicet præfati sacrilegi generatim publicentur tanquàm excommunicati. Verùm rectiùs oppositum censent Navarrus, Suarez, Sayrus, Filliucius, Barbosa. Censent, inquam, requiri denuntiationem specialem, quâ videlicet designentur et notificentur personæ, ut possint à fidelibus *arctiùs evitari*, quemadmodùm eodem capite Papa loquitur

§ 7. *Ad cap.* Nuper, *eodem titulo.*

308. Innocentius III, capite citato consulitur, *utrùm, qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolvi ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote, vel episcopi seu archiepiscopi sit ab eis absolutio expetenda.* Respondet autem quòd communicans cum excommunicato in crimine, ob quod est excommunicatus, absolvi debeat per auctorem excommunicationis vel ejus superiorem, si excommunicatio eidem reservata erat. Casus est: Episcopus excommunicat concubinam Petri propter concubinatum, reservans sibi censuræ absolutionem. Petrus nihilominùs cum eâdem peccat illo peccati genere ob quod est excommunicata. Incidit in excommunicationem majorem, eidem episcopo reservatam. Ita significat Pontifex cap. *Nuper*, cit., dicens quòd, *cùm talis communicet crimini et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo, vel ejus superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cùm facientem et consentientem par pœna constringat.* Idem colligitur ex cap. *Si concubinæ*, eodem tit., ubi et tractatur exemplum concubinæ à nobis allegatum. Hinc verò est consequens, ut excommunicationem Pontifici reservatam incurrat communicans cum excommunicato per Pontificem, in crimine ob quod est excommunicatus, si hujus (id est, agentis principalis) excommunicatio Pontifici reservata erat.

309. Observandum est tamen 1° requiri ad hunc effectum, ut prædicta communicatio sit posterior excommunicatione per agentem principalem jam contractâ; si enim Petrus in crimine furti, homicidii, sacrilegii communicet cum Paulo, qui deinceps per sententiam specialem reservatâ episcopo excommunicatione afficitur, certum est quòd eidem censuræ hactenùs non involvatur Petrus.

Observandum 2° requiri ad eumdem effectum, ut

communicans in crimine criminoso noverit excommunicationem principalis, ob idem crimen contractam : aliàs enim non delinquit voluntariè vel culpabiliter in auctorem censuræ : atqui tamen Pontifex citato capite requirit, ut participans criminoso, *per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit*

Observandum 3° quòd, sicuti diversis moraliter vicibus percutiens clericum, incurrit diversas excommunicationes, sic diversis moraliter vicibus communicans in crimine cum excommunicato, incurrat itidem diversas excommunicationes.

Observandum 4° quòd si excommunicatio principalis, non sit alicui reservata, possit communis confessarius absolvere communicantem tam à peccato, quàm à censurâ.

CAPUT IV.

De excommunicationibus pontifici reservatis in libro sexto *Decretalium.*

§ 1. *Ad cap.* Fundamenta, *de Elect., in* 6.

310. Prima excommunicatio Pontifici reservata, occurrens in sexto Decretalium, habetur cap. *Fundamenta*, cit. Sed quoniam rarioris est usûs, ut notant Navarrus, Barbosa, Filliucius, Toletus et alii, breviter expedienda est, adducto duntaxat capituli textu, et citatis auctoribus desuper commentantibus. Itaque citato capite hæc leguntur : *De fratrum nostrorum consilio, hâc irrefragabili et in perpetuum valiturâ constitutione sancimus, ut quandocumque et quotiescumque senatoris electio, vel alterius, quocumque nomine censeatur, qui quocumque modo vel quocumque titulo, ipsius Urbis debeat præesse regimini, in posterum imminebit ; nullus imperator seu rex Romanorum, aut alius imperator vel rex, princeps, marchio, dux, comes aut baro, vel quicumque alterius notabilis præeminentiæ potentiæ seu potestatis, excellentiæ vel dignitatis existat, frater, filius vel nepos eorum ad tempus vel in perpetuum, seu quivis alius, ultra annale spatium quovis modo, colore vel causâ, per se vel per aliam personam quomodolibet submittendum, in senatorem, capitaneum, patricium aut rectorem, vel ad ejusdem Urbis regimen seu officium nominetur, eligatur, seu aliàs etiam assumatur absque licentiâ Sedis Apostolicæ speciali... Quòd si secùs factum fuerit, nominationem, electionem et assumptionem hujusmodi decernimus esse nullam ac carere omni robore firmitatis, et non solùm nominatores, electores et assumptores, verùm etiam nominati, electi et assumpti, si hujusmodi nominationi, electioni seu assumptioni consenserint, etc., eo ipso sententiam Excommunicationis incurrant... Ab hujusmodi excommunicationis sententiâ (præterquàm in mortis articulo) absolvi non possunt, nisi per Romanum Pontificem, vel de ipsius petitâ et obtentâ licentiâ speciali.* Hactenùs Nicolaus III.

311. Constitutionis hujus motivum et sensum discere curiosus poterit tum ex ipso contextu, tum ex Glossâ, tum ex variis theologis. Vide, si placeat, Bonacinam tomo 3, de Censuris in particulari, disp. 2, quæst. 3, puncto 49 ; Sylvestrum, verbo *Excommunicatio VII ;* Sayrum, lib. 3 Thesauri, cap. 29, n. 19 et 20 ; Toletum lib. 1, c. 35, n. 9, 10, 11, 12 ; Navarrum, Man. cap. 27, num. 95 ; Barbosam, parte 3, alleg. 50, num. 91 ; Filliucium, tract. 15, cap. 3, num. 57 ; Castropalaum, de Censuris, disp. 3, puncto 25, n. 1 ; Suarez, disp. 22, sect. 3, num. 16.

§ 2. *Ad cap.* Clericis, *de immun. eccles., eod. libro.*

312. Secunda excommunicatio Pontifici reservata fertur citato capite adversùs excessum in gravamine Clericorum. Similia statuuntur cap. *Quanquàm*, de Censibus, eod. lib., et in bullâ *Cœnæ*, § 18. Item l. *Presbyteros*, c. de Episcopis. Eòdem spectat cap. *Eos qui*, de Immun. Eccles., in 6.

Observandum tamen, quòd capitulum *Clericis* quoad unam partem sit revocatum per Clement. 1, de Immun. eccles. Quoad partem alteram in suo vigore mansit, jussis *sub obtestatione divini judicii* inviolabiliter observari decretis Lateranensium conciliorum, quæ habentur cap. *Non minùs*, et cap. *Adversùs*, de Immunitat. eccles. Vide Suarez sup. num. 16.

§ 3. *Ad cap.* Felicis, *de Pœnis, eod. lib.*

313. Tertia excommunicatio in sexto Decretalium Pontifici reservata fertur cap. *Felicis*, citat., adversùs eos qui in Ecclesiæ Romanæ cardinalem manus injecerint violentas, aut eumdem hostiliter fuerint insecuti. Quocirca est observandum eamdem censuram ex parte latam esse in can. *Si quis suadente* ; nam cardinalis comprehenditur sub nomine clerici : quare vi illius canonis excommunicatus est, percutiens cardinalem, ut in eodem canone dicitur et superiùs demonstratum est. Interim in capite *Felicis* duplex adjicitur ampliatio. Prima est, ut eamdem censuram incurrat insequens hostiliter cardinalem, etsi ad injectionem manuum non perveniat. Verba textûs sunt : *Præsenti... adjicimus sanctioni, ut ex insecutione prædictâ, sicut ex injectione manuum violentâ, ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat.* Constat autem ex supra dictis ad can. *Si quis suadente* quòd, si quis clericum insequatur quidem, sed non assequatur, atque adeò injuriam statui clericali effectu ipso non inferat, non incurrat censuram illius canonis, sed hujus qui proinde magis extenditur. Dubitari autem potest an intelligatur de insecutione duntaxat physicâ, ut sic dicam, an etiam de morali. Physicam insecutionem vocamus quæ fit per motum corporeum ex motivo apprehensionis vel percussionis : moralis autem consistit in calumniis injuriosis, falso testimonio et similibus.—Respondeo sermonem hoc loco esse de insecutione physicâ, non morali, tum quia sic habet communis doctorum sensus, tum quia sic exigunt verba textûs rigidè intellecta.

314. Ampliatio secunda est ex parte subjecti seu personarum : nam hæc censura non solùm afficit facientes, mandantes et consulentes, quod commune est etiam canoni *Si quis suadente ;* verùm insuper afficit receptantes aut defendentes scienter eum qui sic de-

liquerit in cardinalem, quod locum non habet in percussione clerici generatim.

Tertiò, additur hoc capite quædam censuræ solemnitas, alibi non decreta, ut nimirùm, quamdiù in tali contumaciâ perduraverit reus, dominicis et festis diebus, pulsatis campanis, publicè denuntietur in omnibus ecclesiis loci et vicinarum civitatum ac diœcesum : quæ quidem denuntiatio non servit ad multiplicandam censuram, sed ad majorem terrorem ac infamiam delinquentis.

Porrò præfatam constitutionem *Felicis*, quæ est Bonifacii VIII, Pontifices quotannis innovant per bullam *Cœnæ*, § 11. Eamdem constitutionem urget et ampliat Leo X, bullâ *Temerariorum*, datâ 16 martii 1516, et rursùs anno 1569, die 19 decembris ; Pius V, bullâ *Infelicis seculi*, expeditâ per occasionem facinoris, in S. Carolum Borromæum, S. R. E. cardinalem, intentati.

§ 4. *Ad cap.* Quicumque, *de Sentent. excommun. eod., lib.*

315. Quartam excommunicationem tulit Gregorius X, in concilio generali Lugdunensi, et refertur cap. *Quicumque*, cit., adversùs eos qui latorem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti occidunt, capiunt, seu aliàs in personis aut bonis suis vel suorum gravant aut sic gravandi licentiam alicui concedunt. Quæritur autem 1° an locus sit huic constitutioni, si excommunicatio, suspensio vel interdictum supponantur irrita ; 2° an ad censuram sufficiat licentiam prædictam datam esse, tametsi non sequatur effectus ; 3° quid si damnum in bonis illatum, tempestivè repararetur ; 4° an eamdem censuram incurrat mandans aliquid prædictorum ; 5° quid intelligatur nomine *suorum* ; 6° quandonam hæc censura reservetur Pontifici.

316. Ad primam quæstionem respondeo non esse locum huic constitutioni, si quis modis prædictis gravet latorem censuræ invalidæ. Ita Suarez, Bonacina, Castropalao. Ratio est quòd censura invalida non habeat rem, sed solum nomen censuræ. Monet tamen Bonacina necessarium esse ut certò constet de nullitate censuræ : in dubio enim favendum superiori et standum pro valore actûs.

Ad secundam respondeo : Non sufficit ad incurrendam excommunicationem quòd prædicta licentia data fuerit, nisi effectus, ad quem datur, fuerit subsecutus. Quare cap. *Quicumque*, expressè excipitur casus quo *licentiam ipsam re integrâ*, id est, priusquàm effectus aliquis vi licentiæ fuerit subsecutus, *revocaverint*. Hinc fit ut, licentiâ tempestivè revocatâ, excommunicationem non incurrat qui eam dedit, tametsi alter ex suâ jam nequitiâ procedat ad effectum seu executionem.

317. Ad tertiam respondeo : Si damnum in bonis fortunæ illatum, infra spatium octo dierum reparetur, non erit locus huic censuræ. Constat iterùm ex textu, ubi et ille casus excipitur quo *bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium restituta aut satisfactio pro ipsis impensa*. Dixi, *in bonis fortunæ* : nam si injuria sit personalis, statim atque delictum commissum est, censura contrahitur ; de bonis enim Pontifex loquitur, non de personis, et meritò ; cùm injuria personalis sit gravior, et, ut plurimùm irreparabilis. Glossa, cap. *Quicumque*, verbo *Re integrâ* ; Cajetanus, Navarrus, Suarez, Castropalao, Filliucius.

318. Ad quartam respondeo : Mandantem censurâ ligari negat Bonacina, nisi publicam auctoritatem habeat : quia textus loquitur de concedente licentiam, non de mandante : concedens autem licentiam, necessariò fungitur publicâ auctoritate. Oppositum docent Sylvester, Sayrus, Castropalao : quia mandatum ferri non potest, nisi per eum qui vel naturâ suâ, vel jure divino aut humano superior sit. Proinde si hæc censura incurritur ob datam licentiam, multò magis ob mandatum, cùm ad hoc potiùs quàm ad illam requiratur auctoritas.

Ad quintam respondeo : Nomine *suorum*, quibus Pontifex eamdem injuriam sub eâdem censurâ irrogari vetat, intelliguntur propinqui, consanguinei, familiares, cap. *Sciant cuncti*, de Election., in 6, et cap. *Quoniam*, de Immun. Eccles., eodem lib. Item qui sub alterius sunt potestate ; Instit. *de His qui sui vel alieni juris sunt*. Imò generatim omnes quorum gravamen cedit in præjudicium excommunicantis. Cajetanus, Navarrus, Sayrus.

319. Ad sextam respondeo hanc excommunicationem Pontifici reservari, si ejus absolutionem per bimestre peccator neglexerit. Constat ex textu : *Qui autem in eâdem sententiâ permanserint duorum mensium spatio, ex tunc ab eâ non possint, nisi per Sedem Apostolicam, absolutionis beneficium obtinere* : ex quo manifestè sequitur, ante lapsum bimestris, non esse reservatam.

§ 5. *Ad cap.* Eos qui, *eodem titulo et libro.*

320. Capitis citati duæ sunt partes. Prima dicitur : *Eos qui à sententiâ canonis vel hominis (cùm ad illum à quo aliàs de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur : si, cessante postea periculo vel impedimento hujusmodi, se illi à quo, his cessantibus, absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi et satisfacturi, prout justitia suadebit : decernimus (ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ) in eamdem sententiam recidere ipso jure.* Hactenùs Bonifacius VIII. Porrò horum verborum synopsis est, absolutum per judicem extraordinarium, ratione canonici impedimenti, à censurâ juris vel hominis reservatâ, in eamdem denuò recidere, nisi, transacto impedimento, judici ordinario se præsentet : hinc autem fit consequens, ut, si sit absolutus à censurâ Pontifici Romano reservatâ, recidat in censuram Pontifici pariter reservatam, per præfatam negligentiam comparendi coram Pontifice vel ejus legato. Glossa sequens exemplum ponit : Injeci manus violentas in clericum atrociter, et sic sum excommunicatus, à quâ excommunicatione non possum absolvi, nisi à Papâ ; sed eò quòd eram in periculo mortis constitutus propter infirmitatem, vel quia

volebam intrare bellum vel mare, petii beneficium absolutionis à meo diœcesano vel simplici sacerdote. Fui absolutus; lapso impedimento perveni ad sanitatem, vel fui regressus à bello vel mari, numquid tam citò quàm potero, debeo adire Papam? Ita Glossa, respondens omninò adeundum Papam, ne in eamdem censuram recidas.

321. Quæritur itaque 1° an comparitio illa sive recursus ad ordinarium, omnem sic absolutum obliget; 2° an pœnitens sic absolutus, transacto impedimento, comparere debeat per se, an verò possit per procuratorem; 3° quo pacto intelligi debeat particula, *quàm citò commodè poterit;* 4° an sic absolutus, cessante impedimento, comparere debeat, tametsi satisfecerit parti læsæ; 5° cur imponatur pœnitenti onus se præsentandi; 6° an censura in quam recidit culpabiliter non comparens, sit omninò eadem cum præcedenti; 7° an absolutus à censuris in articulo mortis, maneat absolutus, si confessarius per negligentiam vel oblivionem non monuit pœnitentem de onere comparendi, aut juramentum desuper non exegit; 8° an in articulo mortis absolutus vi privilegii aut jubilæi, teneatur pariter, transacto periculo, comparere; 9° an excommunicatus qui ob priorem censuram vitandus erat, debeat vitari pariter ob censuram in quam recidit non comparendo; 10° quid de absolutione casuum reservatorum.

322. Ad primam quæstionem respondeo affirmativè. Constat ex cap. *Eos qui*, ubi comparitio illa universim præscribitur sub pœnâ ejusdem sententiæ. Imò sacerdos, qui aliàs non haberet absolvendi potestatem, ob articulum mortis aut justum aliud impedimentum absolvens à censurâ, debet à pœnitente non puero, si fieri potest, exigere juramentum comparendi, cessante impedimento, coram superiore, à quo de jure fuerat absolutio obtinenda. Suarez, Vasquez, Sayrus, Henriquez, Sanchez, Coninch, Reginaldus, Bonacina et alii. Colligitur ex cap. *Ea noscitur*, et cap. *Quamvis* de Sententiâ excommun., ubi etsi sit sermo de censurâ contractâ ob clerici percussionem, extenditur tamen à doctoribus passim ad censuras reliquas. Dixi autem inter cætera, *à pœnitente non puero;* nam capitulum *Quamvis* expressè loquitur, *exceptis pueris.* Dixi etiam, *si fieri potest* : quia si pœnitens sensibus destitutus sit, ita ut præstandi juramenti censeatur incapax, danda nihilominùs sine dubio absolutio, cùm nemo obligari ad impossibile possit. Idem dicendum, quando mortis articulus ita urget, ut nulli satisfactioni vel cautioni sit locus. Dixi tertiò, *cessante impedimento;* debet itaque impedimentum temporaneum esse quod lapsu temporis cessare possit, cujusmodi est morbus, articulus mortis, inopia, inimicitia, etc. Quare si impedimentum sit perpetuum, ut senilis ætatis, sexûs, incurabilis infirmitatis, etc., non potest exigi cautio juratoria : cap. *Quamvis*, cit.

323. Ad secundam respondeo : Pœnitens sic absolutus, sublato impedimento, potest comparere per procuratorem. Suarez, Reginaldus, Cajetanus, Navarrus, Bonacina. Ratio est quia canones præfati nec ad comparitionem personalem obligant, nec quidquam præcipiunt quod ejusmodi comparitionem necessariè exigat.

Ad tertiam respondeo particulam, *quàm citò commodè poterit*, non intelligi metaphysicè, sed moraliter et prudentis arbitrio. Navarrus, Suarez, Bonacina, Filliucius. Et quidem commoditatis hujus arbitrium, pro foro exteriori ad judicem spectat, ut communiter doctores tradunt : pro foro conscientiæ spectat ad confessarium, secundùm Suarez, vel ad ipsum pœnitentem, juxta Navarrum, Bonacinam et alios, cùm actio, quamprimùm commodè potest, præstanda sit ab ipso pœnitente, qui proinde opportunitatem comparendi juxta negotiorum aut statûs sui conditionem et qualitatem optimè novisse potest : quanquàm, ut iidem doctores monent, rectè facturus sit, si viri prudentis consilio usus fuerit, ne in propriâ causâ facilè decipiatur.

324. Ad quartam respondeo : Absolutus per judicem extraordinarium à censurâ in articulo mortis, etc., tenetur se postea præsentare superiori, quantùmvis satisfecerit parti læsæ. Suarez, Covarruvias, Sanchez, Bonacina. Ratio, quia ejusmodi comparitio est partialis pœna, eò serviens, ut resipiscat reus et à delictis similibus in futurum abstineat; obligat itaque, tametsi parti sit satisfactum. Deinde excommunicatio quælibet, etiamsi reservata, non habet annexam obligationem satisfactionis, et tamen annexum habet onus comparendi, si in articulo mortis vel alio impedimento relaxata sit per judicem extraordinarium, id est, aliàs non idoneum ad conferendam absolutionem.

Ad quintam respondeo : Onus se præsentandi coram superiore non imponitur pœnitenti ut absolvatur à censurâ; cùm jam directè sit absolutus. Glossa, cap. *A nobis*, verbo *Non potuerit*, de Sentent. excommun., in 6. Constat autem ex c. *Ea noscitur*, et c. *Non dubium*, cum aliis de Sent. excommun., et concilio Trident., sess. 14, c. 7. Imponitur itaque onus comparendi, ut pœnitens se paratum ostendat ad recipiendam debitam medicinam et præstandam majorem satisfactionem, si eam superior necessariam vel convenientem judicet. Suarez, Avila, Henriquez, Sanchez, Bonacina. Colligitur autem ex c. *Ea noscitur*, et cap. *Quamvis*, cit., ubi dicitur, talibus *sub debito juramento* injungendum *ut, impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant*, non absolutionem, sed *mandatum ipsius humiliter susceperi.*

325. Ad sextam respondeo : Censura in quam recidit pœnitens per negligentiam comparitionis, non est eadem numero cum præcedenti. Ratio est quia præcedens supponitur ablata per absolutionem : idem autem numero effectus naturaliter redire non potest. Est igitur nova censura quæ contrahitur ex dispositione et auctoritate juris, non adeò propter primum delictum quàm propter præsentem inobedientiam pœnitentis, qui, cùm commodè possit, juxta præceptum Ecclesiæ se non præsentat superiori. Ita Suarez, Sanchez, Sayrus, Navarrus, Coninck, Avila, Bonacina.

326. Ad septimam respondeo affirmativè, quia Ecclesia præceptum exigendi simile juramentum confessariis non imponit sub pœnâ nullitatis. Sanchez, Vasquez, Henriquez, Armilla, Sylvester, Navarrus.

Ad octavam respondeo negativè ; quia onus comparendi non afficit, nisi illos qui in mortis articulo vel ob aliud legitimum impedimentum absolvuntur à censurâ per sacerdotem, aliàs incapacem ad absolvendum. Non igitur afficit illos qui absolvuntur vi privilegii aut jubilæi, cùm facultas absolvendi, quæ datur per jubilæum, bullam *Cruciatæ*, aut privilegium, ad articulum mortis vel aliud canonicum impedimentum pœnitentis non sit restricta, atque adeò comparendi obligationem non relinquat. Suarez, Sanchez, Avila, Reginaldus.

327. Ad nonam respondeo : Salvo judicio meliori, videtur vitandus qui à censurâ, propter quam vitandus erat, in articulo mortis per judicem extraordinarium absolutus, negligit, transacto periculo, quàm primùm commodè potest, se præsentare superiori. Casus est in notorio clerici percussore, aut nominatim excommunicato ac denuntiato. Ratio autem est quia jura non intendunt patrocinari contumacibus, qui, obtento absolutionis beneficio, implere nolunt legem Ecclesiæ de comparendo, *ne sic censuræ illudant ecclesiasticæ*, ut dicitur c. *Eos qui*, de Sentent. excomm. in 6. Periculum autem est ne illudat censuræ eamque rideat qui in articulo mortis absolutus est, si non vitetur, postquàm noluit se sistere superiori. Deinde, qui se legitimo superiori primâ opportunitate negligit præsentare, non dicitur præcisè incidere in eamdem censuram, sed in eamdem sententiam, prout expressè legitur cap. *Eos qui*, cit. Proinde sicut supponitur excommunicatus, per sententiam denuntiatus vel saltem notorius clerici percussor, ita rursùs fit excommunicatus et remanet denuntiatus, atque adeò vitandus, si non compareat. Aliàs in eamdem sententiam non diceretur recidere.

328. Ad decimam respondeo : Absolutus in articulo mortis à peccato reservato per judicem extraordinarium, non tenetur, transacto periculo, se sistere superiori, si peccatum non habeat connexam censuram. Sanchez, Suarez, Vasquez, Coninck, Henriquez, Reginaldus, Bonacina. Ratio est quia nullo jure id ordinatum est.

Hæc de primâ parte capituli, *Eos qui*. Alterâ statuitur, ut pariter in eamdem censuram recidant ipso jure, *quibus* (*cùm à Sede Apostolicâ vel à legatis ipsius, absolutionis beneficium à quibusvis sententiis consequuntur*) *injungitur, ut ordinariorum suorum vel aliorum quorumlibet* (*suscepturi pœnitentiam ab eisdem*) *se conspectui repræsentent et passis injuriam, seu his quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem : si hæc, cùm primùm commodè poterunt, non curaverint adimplere.* Ita Pontifex. Glossa verò ponit exemplum in eo qui, cùm incidisset in excommunicationem pristinam, accessit ad Papam et obtinuit absolutionem ; sed quia Pontifex qualitatem ejus et facultates ignorabat, remisit eumdem ad diœcesanum suum pro recipiendâ pœnitentiâ et satisfactione, constituens terminum trium mensium, intrà quos debeat se sistere coram diœcesano. Ille, nisi intrà terminum trimestrem compareat, denuò ipso jure excommunicatus est. Observandum est autem ex supra dictis circa primam partem ejusdem capitis, particulam illam, *cùm primùm commodè poterunt*, intelligendam moraliter, non mathematicè ; imò si spatium determinatum, v. g., duorum vel trium mensium constitutum sit, potest in quâlibet illius parte comparere.

329. Observandum secundò item ex ante dictis non esse necessarium accessum personalem. Quare iterùm potest pœnitens comparere per procuratorem, nisi accessum personalem Pontifex vel legatus ejus, cùm absolvit, præscripserit. Cajetanus, Suarez, Filliucius, Bonacina.

Observandum tertiò, ut sic absolutus per Pontificem vel legatum ejus declinet novam excommunicationem, requiri utrumque copulatim, et ut compareat coram designato, et ut satisfaciat parti læsæ, sic ut alterum sine altero non sufficiat. Constat ex tenore capitis : *Ut ordinariorum suorum vel aliorum quorumlibet... se conspectui repræsentent, et passis injuriam seu his quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant.* Deinceps additur incidere alioquin in eamdem censuram, *si hæc, cùm primùm commodè poterunt, non curaverint adimplere.*

330. Observandum quartò quòd Pontifex et legatus ejus non solùm absolvere possint à censurâ sibi reservatâ, sed etiam ab episcopali. Hinc sequitur censuram in hâc parte posteriori latam, non semper Pontifici reservari, sed similem esse illi à quâ Pontifex, vel legatus ejus absolverat. Unde si hæc fuerit pontificia, erit et altera ; si verò hæc esset duntaxat episcopalis, aut etiam nemini reservata, idem erit rursùs de alterâ ; quia statuit Pontifex, ut delinquens in eamdem sententiam recidat.

Sed dubitari potest an quod hoc loco statuitur circa Pontificem vel legatum ejus, habeat similiter locum in prælatis inferioribus, servatâ proportione, v. g., episcopus vel ejus vicarius absolvit quempiam ab excommunicatione sibi reservatâ, sub onere satisfactionis aut aliâ pœnali conditione ; quæritur an absolutus recidat in censuram episcopo reservatam, si præceptum episcopi vel ejus vicarii non adimpleat. Ratio dubitandi est quòd pars secunda præsentis capitis hoc modo incipiat : *Idem statuimus de his quibus*, etc., quæ verba manifestam relationem significant ad partem primam, cujus decisio pertinet ad omnes pastores seu judices ecclesiasticos. Atque adeò, cùm *idem* statuatur in parte secundâ, quod erat ordinatum in primâ, videtur decisio secundæ partis respicere pariter diœcesanos et quosvis judices.

331. Nihilominùs dicendum est hanc censuram non habere locum, nisi dùm absolutio sub prædicto onere per Pontificem vel ejus legatum data est. Ratio, quia de hâc textus expressè loquitur, *à Sede Apostolicâ vel legatis ipsius*. Ac licèt non exprimatur particula exclu-

siva, hanc tamen pœnalis constitutio rigidè intelligenda, exercitè continet. Ita docent Cajetanus, Navarrus, Suarez, Bonacina. Nec obstant verba initialia secundæ partis : *Idem statuimus ;* non enim referuntur ad omnes personas antea enumeratas, sed ad solum modum recidendi in censuram similem pro casu ibidem expresso.

CAPUT V.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PONTIFICI RESERVATIS IN *Clementinis*.

§ 1. *Ad Clementinam* 1, § Verùm, *de Hæreticis.*

332. Prima excommunicatio Pontifici reservata in Clementinis, continetur loco citato et fertur adversùs inquisitores episcopo inferiores, qui quoad hæreticos desunt officio suo sive per omissionem sive per actionem. Quæritur verò 1° quinam ad effectum excommunicationis censeantur deesse officio suo per omissionem ; 2° quinam per actionem ; 3° quid de episcopo ; 4° cur episcopo inferiores puniantur excommunicatione, episcopus non item ; 5° an suspensio, quam in hoc casu incurrit episcopus, sit pariter reservata.

Ad primam quæstionem respondeo : Desunt officio suo per omissionem, atque adeò reservatam Pontifici excommunicationem incurrunt, qui adversùs hæreticos vel de hæresi diffamatos, prout oportet, non procedunt. Patet ex textu Clementinæ citatæ. *In virtute sanctæ obedientiæ et sub interminatione maledictionis æternæ præcipimus, ut... discretè et promptè contra suspectos vel diffamatos de hujusmodi pravitate procedant.* Requiritur tamen 1° ut omissio procedat ex odio, gratiâ, amore, etc ; sic enim expressè additur : *Quòd si odii, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu*, etc. Requiritur 2° ut omissio non sit justa vel ex bonâ fide ; est enim necessarium, ut fiat contra justitiam et conscientiam, nec alterutrum sufficit, ut constat ex illis capituli verbis, *contra justitiam et conscientiam suam.*

333. Ad secundam respondeo : Desunt officio suo per actionem, atque adeò reservatam Pontifici excommunicationem incurrunt, qui falsò alicui impingunt notam vel suspicionem hæresis. Requiritur autem rursùs, ut id fiat ex odio, gratiâ, amore, lucro vel commodo temporali. Constat ex textu : *Aut obtentu eodem pravitatem ipsam vel impedimentum officii sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare.*

Ad tertiam respondeo : Episcopus in hoc puncto delinquens sive per omissionem sive per actionem, non incurrit excommunicationem Pontifici reservatam, sed triennalem suspensionem ab officio. Idem est de archiepiscopis et patriarchis : sic enim expresso jure ordinatum est : *Episcopus* (inquit Pontifex sup.) *aut superior, suspensionis ab officio per triennium, alii verò* (scilicet inquisitores vel substituti ab eis aut ab episcopis aut à capitulis vacante sede) *excommunicationis sententias eo ipso incurrant : à quâ quidem excommunicationis sententiâ, qui eamdem incurrerint, nisi per Romanum Pontificem nequeant, præterquàm in mortis articulo, et tunc satisfactione præmissâ, absolutionis beneficium obtinere.*

Ad quartam respondeo : Alterius, Bonacina, Hostiensis censent id factum, ut deferatur dignitati episcopali. Alii alias adferunt rationes, quibus omissis, dicendum id pendere à prudenti arbitrio superioris, qui, circumstantiis consideratis, potest unum pœnâ unâ, alterum punire alterâ, sine vitio acceptionis personarum.

334. Ad quintam respondeo, suspensionem quam incurrit delinquens in hoc puncto episcopus, Pontifici reservatam esse. Ratio est quia dùm superior fert suspensionem ad tempus determinatum, tacitè significat neminem ante idem tempus posse suspensionem tollere. Dices : Solam excommunicationem Pontifex reservatam dicit, de suspensione tacet : cùm enim dixisset : *Episcopus aut superior suspensionis ab officio per triennium, alii verò excommunicationis sententias eo ipso incurrant*, deinceps addit, *à quâ quidem excommunicationis sententiâ*, etc., nullà ampliùs mentione factâ suspensionis. Respondeo quòd nullam ampliùs mentionem suspensionis fecerit, ratio est quòd eidem adjecerit tempus determinatum. Porrò adjecti temporis circumstantia indicat reservationem, etsi non exprimatur. Glossa hìc, verbo *Excommunicationis sententia*, et cap. *Cupientes*, § *Cæterùm*, de Elect., in 6 ; Panormitanus, Covarruvias, Suarez, Filliucius, Alterius.

§ 2. *Ad Clementinam* Religiosi, *de Privilegiis.*

335. Secunda in Clementinis reservata Pontifici excommunicatio habetur loco citato in principio, ubi Clemens V in hunc modum loquitur : *Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum Unctionis extremæ vel Eucharistiæ ministrare, matrimôniave solemnizare, non habitâ super his parochialis præsbyteri licentiâ speciali ; aut qui excommunicatos à canone, præterquàm in casibus à jure expressis vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis eidem, vel à sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis, seu (ut verbis eorum utamur) à culpâ et pœnâ absolvere quemquam præsumpserint ; excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi ; quos etiam locorum ordinarii (postquàm de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante.* Hactenùs Clemens V, in concilio Viennensi.

336. Quocirca quæritur 1° : Quid intelligatur per religiosos ; 2° an constitutio Clementina afficiat solos exemptos ; 3° quorum sacramentorum collatio sub censurâ prohibeatur religiosis sine presbyteri parochialis licentiâ ; 4° respectu quorum ; 5° quid sit solemnizare matrimonium ; 6° quid si quis administret hujusmodi sacramentum ex ignorantiâ præsentis constitutionis ; 7° quid si in articulo mortis ; 8° qualis requiratur licentia ad declinandam censuram ; 9° à quo obtinenda ; 10° an sufficiat licentia obtenta à parocho, non sacerdote ; 11° an ab episcopo vel ejus vicario generali ; 12° à quibus censuris sub censurâ nequeant

absolvere religiosi; 13° quid de censuris ab homine latis; 14° quid sit absolvere *à culpâ et pœnâ*; 15° quid intelligatur per finalem clausulam, *nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante?*

Ad primam quæstionem respondeo : Per religiosos intelliguntur qui in approbatâ per Pontificem religione emiserunt vota obedientiæ, castitatis et paupertatis, simplicia vel solemnia. Hinc sequitur 1° non comprehendi hoc nomine novitios, tametsi sacerdotes : nam etsi novitius comprehendatur nomine religiosi in favorabilibus, non tamen in pœnis et præceptis, cùm restringendæ et rigidè intelligendæ sint pœnales constitutiones. Panormitanus, Suarez, Filliucius, Bonacina, Castropalao. Sequitur 2° clericos seu sacerdotes seculares in hoc puncto reos non incidere in præfatam censuram : nam textus de solis religiosis expressè loquitur.

337. Sed quid de parocho religioso? — Respondeo: Certum est quòd ovibus sibi concreditis præfata sacramenta conferre possit ac debeat sine periculo censuræ : nam Clementina respicit quidem religiosos, sed jurisdictionem parochi usurpantes, non autem legitimè institutos. Imò Navarrus, cap. 27, num. 101, censet religiosum parochum, qui alienis ovibus sine debitâ licentiâ conferret sacramentum, tametsi graviter peccaret usurpando jurisdictionem alienam, nihilominùs non involvi censuræ, quasi ad hanc declinandam sufficiat status seu conditio pastoralis. De eàdem doctrinâ dubitat Glossa in Clement, cit., verbo *Religiosi*. Sed rectiùs Sylvester, Suarez, Alterius, Bonacina, Castropalao censent oppositum : quia tametsi parochus respectu suorum, verè tamen religiosus manet, atque adeò si alienis sine licentiâ vel privilegio sacramentum conferat, reus est usurpatæ jurisdictionis contra Clementinam citatam, cujus proinde pœnam non evadet.

338. Ad secundam respondeo : Videri alicui posset, Clementinâ citatâ sermonem esse de solis exemptis religiosis, tum quia rubrica seu titulus est : *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, id est, eorum qui per privilegia sunt exempti; tum quia subjecti potestati ordinariorum, ab his puniri possunt, si in hoc puncto deliquerint, perinde ac sacerdotes seculares : atque adeò, sicuti ob hanc causam sacerdotes seculares non respicit Clementina, sic nec religiosos non exemptos. Interim tenendum oppositum cum Sayro, Suarez, Filliucio, Bonacinâ. Tenendum, inquam, quòd constitutio Pontificia feriat utrosque religiosos, tam non exemptos quàm exemptos. Ratio est, quòd in textu exprimantur generatim *religiosi*, cujus vocabuli significatum univocè utrisque competit. Rubrica verò restringere textum non potest, cùm non sit lex, nec à Pontifice constituta. Deinde aliud est esse privilegiatum, aliud exemptum. Omnes religiosi sunt privilegiati, quatenùs certa privilegia habent; sed non omnes sunt exempti : non enim omne privilegium exemptionem respicit.

Ad tertiam respondeo : Ex ipso textu manifestum est, prohiberi sub censurâ religiosis, ne administrent *sacramenta Unctionis extremæ vel Eucharistiæ* aut *matrimonia* solemnizent sine debitâ facultate.

339. Hinc sequitur 1° non esse locum censuræ, si religiosus sine debitâ licentiâ administret baptismum, pœnitentiam, confirmationem vel ordinem. Ita Glossa hìc, verb. *Speciali* : Navarrus, Suarez, Filliucius, Sylvester, Sayrus, Bonacina, Castropalao. Ratio est quia de tribus solummodò sacramentis textus mentionem facit; ergo ad reliqua quatuor extendi non potest juxta receptissimam regulam de restringendis pœnalibus et odiosis.

Sequitur 2° non involvi etiam censuræ religiosum, qui sacramentum aliquod prædictorum administrat ex privilegio summi pastoris seu Romani Pontificis. Porrò per simile privilegium possunt religiosi mendicantes ministrare eucharistiam omnibus Christi fidelibus per totum annum, exceptâ communione paschali, et factâ per modum viatici in articulo mortis. Ita concessum à Nicolao V, Sixto IV, Leone X, Paulo III et IV, Julio II, et anno 1682, 31 januarii, declaravit sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium, concilii Tridentini interpretum. Vide Navarrum cap 21, num. 52, et cap. 27, num. 102; Bonacinam, Lugo, Vasquez, Suarez, Castropalaum apud Herincx, part. 4, tract. 5, quæst. 3, num. 16, et seq.

340. Ad quartam respondeo : Personæ, quibus sub hâc censurâ non possunt religiosi prædicta sacramenta administrare sine sacerdotis parochialis licentiâ, sunt clerici et laici. Constat ex textu, ubi dicitur : *Religiosi, qui clericis aut laicis*, etc.; quare non incidit in hanc censuram religiosus, conferens religioso extremam Unctionem vel Eucharistiam. Cajetanus, Navarrus, Angelus, Tabiena, Sayrus, Sanchez, Bonacina, Barbosa, Castropalao. Ratio est, tum quia in pœnalibus seu odiosis nomine *clericorum* non veniunt religiosi; tum quia constitutio lata est in favorem parochorum, quorum præjudicium cavere intendit Pontifex; cùm verò Religiosi non subjiciantur parochis, sed suis superioribus, nullum parochi præjudicium patiuntur, si religiosis præfata sacramenta ministrentur per religiosos.

341. Ad quintam respondeo : Solemnizare matrimonium, est solemniter benedicere nuptiis sive primis, sive secundis : quamvis enim secundis nuptiis non debeat benedici, ut in materiâ de matrimonio dicitur, nihilominùs religiosus, sine speciali licentiâ impendens benedictionem sive primo, sive secundo matrimonio, incurrit excommunicationem. Hinc sequitur, non esse locum censuræ, si religiosus sine licentiâ parochi assistat matrimonio : aliud enim est assistere, aliud benedicere matrimonio; in solâ verò benedictione, ut statim dictum, consistit matrimonii solemnitas. Ita Glossa hìc, verb. *Solemnizare*; Sayrus, Bonacina, Castropalao. Advertendum tamen quòd assistens matrimonio sine licentiâ, incurrat suspensionem ex concilio Tridentino, sessione 24, de Reform. matrim. cap. 1, ubi dicitur : *Quòd si quis*

parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentiâ matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiù suspensus maneat, quamdiù ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Hinc dubitari potest an religiosus sine speciali licentiâ benedicens solemniter matrimonio, incurrat utramque censuram, et excommunicationis latæ per Clementinam citatam, et suspensionis decretæ per concilium Tridentinum. Affirmant Navarrus et nonnulli alii. Negant Rebellus, Henriquez, Sayrus, Suarez, Filliucius, Bonacina, Castropalao, volentes, solâ Tridentini suspensione, delinquentem hodiedùm affici, eò quòd excommunicatio lata per Clementinam, videatur mutata in suspensionem per Tridentinum, ne pœnâ duplici delictum idem puniatur. Deinde ferunt, sic declarâsse sacram cardinalium congregationem.

342. Ad sextam respondeo : Excommunicationem non incurrit, qui prædicta sacramenta sine debitâ licentiâ clerico vel laico administrat ex ignorantiâ præsentis constitutionis, etiam vincibili, dùm tamen conjuncta non sit ingenti temeritati. Ita doctores communiter. Ratio est quia ad hanc excommunicationem non solùm requiritur contumacia, id quod commune est censuris omnibus, sed etiam præsumptio : *Religiosi*, inquit Pontifex, *qui... sacramentum unctionis extremæ vel eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare... præsumpserint.* Præsumere autem, est ausu temerario contra legem sine superioris auctoritate facere. Dolum igitur ac temeritatem præsumptio exigit, ut tradunt Navarrus, Baldus, Menochius, Barbosa et passim alii : atque adeò excludit non solùm bonam fidem, verùm etiam ignorantiam vincibilem, dummodò, ut initio dictum, non conjungatur ingenti temeritati. Est et hìc obiter advertendum (quod etiam aliunde certum est) ad præsumptionem non sufficere animum seu merum conatum, quo videlicet ad ipsum effectum non perveniatur, prout jurisconsulti notant in cap. *Decernimus*, de Judiciis, et in cap. *Judæi*, de Testibus : præsertim autem si verbum *præsumere* jungatur infinitivo, prout hìc, *ministrare... solemnizare... præsumpserint;* et cap. *Decernimus*, cit., tractare... *non præsumant*, et cap. *Judæi*, cit., *testibus uti præsumant;* et cap. *Veritatis*, de Dolo et Contumaciâ : *celebrare præsumpserit;* et cap. *Fraternitati*, de Eo qui cogn. consang. uxor. suæ : *copulare præsumpsit.*

343. Ad septimam respondeo : Religiosus, qui alicui in extremis constituto, deficiente parocho administrat sacramentum extremæ unctionis aut eucharistiæ, non videtur in excommunicationem incidere. Suarez, Navarrus, Henriquez, Coninck, Reginaldus, Toletus, Alterius, Filliucius, Bonacina, Barbosa, Castropalao. Ratio est quòd non sit credibile, Ecclesiam velle fideles suos remediis tam salutaribus pro illo puncto destitui, ita ut administratio horum sacramentorum pro illo articulo censeatur fieri ex tacitâ licentiâ parochi, episcopi vel romani Pontificis. Interim contrarium docent Sylvester et Sayrus, eò quòd hæc sacramenta non sint necessitatis.

344. Ad octavam respondeo, requiri licentiam specialem. Patet ex textu : *Non habitâ super his parochialis presbyteri licentiâ speciali.* Porrò licentia specialis censetur esse, quâ hæc sacramenta extremæ unctionis, eucharistiæ et matrimonii specificantur, tametsi non fiat specificatio conferentis, vel recipientis : adeò ut sufficiat expressio sacramentorum sine expressione personarum, ut si parochus alicui parochiano suo licentiam faciat, recipiendi à religioso sacramentum extremæ unctionis, eucharistiæ vel matrimonii; quo casu non sit expressio conferentis, id est, determinati alicujus religiosi : vel si parochus religioso licentiam faciat, eadem sacramenta administrandi parochianis suis; quo casu nulla fiet specificatio recipientis, id est, determinati alicujus parochiani. Glossa hìc, verb. *Speciali*, Suarez, Sanchez, Cajetanus, Bonacina. Imò Cajetanus et Sanchez censent, sufficere licentiam administrandi omnia sacramenta, quòd hæc æquivaleat speciali : quemadmodùm enim propositio particularis continetur in universali, sic qui alicui facultatem facit administrandi sacramenta omnia, procul dubio facultatem facit ministrandi eucharistiam, extremam unctionem et matrimonium. Pontifex autem eam solummodò videtur licentiam respexisse, quâ constaret sive per verba generalia, sive per specialia consensus parochi, ut hic religiosus huic parochiano prædicta sacramenta conferat. Verùm hæc sententia non satis explicat vocabulum *speciali*, quod nihil operabitur, si sufficiat licentia generalibus terminis expressa, ut observat Suarez.

345. Ad nonam respondeo : Licentia specialis ad prædicta sacramenta administranda, obtinenda est à parocho, id est, ab eo qui curam pastoralem habet illarum animarum, quibus præfata sacramenta per religiosum ministrentur. Constat ex verbis textûs statim allegatis : *Non habitâ super his parochialis presbyteri licentiâ speciali.*

Ad decimam respondeo : Quamvis textus in parocho licentiam specialem faciente videatur exigere qualitatem sacerdotii, his verbis, *parochialis presbyteri*; nihilominùs videtur sufficere, quòd sit parochus, etsi sacris ordinibus non sit hactenùs insignitus. Ita Glossa hìc, verb. *Presbyteri*, Sayrus, Bonacina, Navarrus, Suarez, Sanchez, Coninck. Ratio est quia potestatis seu licentiæ illius delegatio non est actus ordinis, sed jurisdictionis : atque adeò ordinem vel sacerdotium non requirit. Quòd autem Pontifex presbyteri mentionem faciat, ideò est, non quia absolutè ad hunc effectum debeat esse presbyter, sed quia solet.

346. Ad undecimam respondeo : Nomine parochialis presbyteri intelligitur non solùm rector immediatus ecclesiæ parochialis, sed etiam episcopus. Glossa, verb. *Presbyteri*, Sanchez, Suarez, Henriquez, Bonacina. Ratio est quia diœcesis est parochia episcopi, qui proinde omnium ecclesiarum suarum parochus

est, habens in omnes parochos jurisdictionem. Idem est de vicario episcopi generali; quia eadem utriusque est jurisdictio.

347. Ad duodecimam respondeo: 1° religiosus incurrit ipso facto sententiam excommunicationis, qui *excommunicatos à canone, præterquàm in casibus à jure expressis vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis... absolvere...* præsumpserit. Ita Pontifex, Clementina cit., quæ ut rectiùs intelligatur, observandum, jure communi non esse decretam excommunicationem universim adversùs absolventem à censuris, nisi in duplici genere. Primum respicit casus bullæ *Cœnæ*, à quibus nemo sine speciali Sedis Apostolicæ facultate extra mortis articulum absolvere potest; alioquin incidit in excommunicationem latæ sententiæ, prout expressè dicitur § 23 ejusdem bullæ. Alterum genus respicit casus expressos in decreto sacræ congregationis de mandato Clementis VIII, edito 1602, quod incipit: *Sacra Congregatio;* quo excommunicatio Pontifici reservata decernitur primò, in absolventes à casibus bullæ *Cœnæ*.

348. Secundò in absolventes ab excommunicatione contractâ ob violatam ecclesiasticam immunitatem in terminis constitutionis Gregorii XIV, quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*. Tertiò in absolventes à censurâ excommunicationis ob violatam monialium clausuram ad malum finem. Quartò in absolventes ab excommunicatione contractâ ob provocationem et pugnam in duello, juxta decretum concilii Tridentini et constitutionem Gregorii XIII, quæ incipit, *Ad tollendam*. Quintò in absolventes ab excommunicatione contractâ ob clerici percussionem, juxta canonem, *Si quis suadente*, 17, q. 4. Sextò in absolventes ab excommunicatione ob simoniam confidentialem aut realem in beneficiis, scienter contractam. Septimò in absolventes à casibus, locorum ordinario reservatis. Universim itaque, sicut diximus, non est prohibitum sub censurâ, absolvere à censurâ sine debitâ facultate; in hâc autem Clementinâ sub excommunicatione Pontifici reservatâ prohibetur religiosis, ne absolvant ab excommunicatione canonis, præterquàm in casibus à jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis.

349. Respondeo 2° sub eâdem censurâ prohibetur religiosis, ne, seclusis casibus in jure expressis et Sedis Apostolicæ privilegiis, absolvant quempiam *à sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis*. Per sententias intelligit Glossa, verb. *Sententiis*, excommunicationem, suspensionem et interdictum. Idem existimat Sylvester cum aliis, quos adducit: quia Pontifex *sententias* numero plurali exprimit, dicturus *sententiam* in singulari, si solam excommunicationem comprehendere voluisset. rectiùs tamen contrarium sustinent Sayrus, Suarez, Filliucius, Angelus, Tabiena, Bonacina, docentes, Religiosum à solâ excommunicationis censurâ indebitè absolventem, censuræ involvi. Ratio est quia de solâ excommunicationis censurâ videtur textus mentionem facere, cùm dicatur quòd religiosi incurrant sententiam excommunicationis *qui excommunicatos à canone... vel à sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis... absolvere... præsumpserint*. Itaque sermo est de solis excommunicatis per canonem vel statutum provinciale aut synodale.

350. Ad fundamentum alterius opinionis respondeo, plurale illud, *à sententiis*, accipi pro diversis excommunicationibus, non pro quâvis censuræ specie, v. g., suspensione vel interdicto: restringitur enim in hunc modum per verbum illud, *Excommunicatos*.

Ad decimam tertiam respondeo: Religiosus absolvens sine debitâ facultate à censurâ hominis, sive per sententiam generalem, sive per specialem latâ, non incurrit excommunicationem. Ratio, quia hæc non censetur lata per canonem aut statutum: de hâc autem solâ loquitur Clemens V, Clementinâ citatâ. Idem dicendum de absolvente ab excommunicatione minori; tum quia hæc nomine excommunicationis simpliciter posito non intelligitur, tum quia censuræ hujus absolutio sacerdoti cuilibet pro mortalibus approbato permissa est.

351. Ad decimam quartam respondeo: Per absolutionem *à culpâ et pœnâ* significatur concessio plenariæ indulgentiæ; quamvis enim, spectato verborum rigore, Pontifex videatur velle, ut excommunicationem incurrant, qui absolvunt à pœnâ, id est, censurâ, et à culpâ, id est, peccato, id quod etiam indicat particula *seu*, quæ præcedentium et subsequentium identitatem importat: nihilominùs non habet propositio Pontificis hunc sensum in præsenti, sed significat disjunctionem, juxta eam loquendi formam, quæ tum temporis usitata erat. Ita Sylvester, Suarez, Alterius, Filliucius, Bonacina, Castropalao. Itaque vi præsentis clausulæ excommunicationem Pontifici reservatam incurrit religiosus, qui præsumit concedere plenariam indulgentiam, et hoc sensu absolvere *à culpâ et pœnâ*.

352. Ad decimam quintam respondeo: Verba illa finalia, *nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante*, sic debent intelligi, ut præcedentibus non repugnent. Jam verò Pontifex supra manifestè indicat, religiosum citra censuræ periculum absolvere posse ab excommunicatione canonis per Sedis Apostolicæ privilegia, cùm dicat, censuram incurrere sic absolventem, *præterquàm in casibus à jure expressis vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem*. Hinc verba finalia, *nullo*, etc., non afficiunt absolutionem à censurâ canonis; alioquin contradictio manifesta foret inter antecedentia et subsequentia. Quapropter dicendum quòd verba finalia, *nullo... privilegio suffragante*, respiciant denuntiationem religiosi per ordinarios locorum faciendam, si et quando constiterit, eumdem prædictorum aliquid fecisse sine debitâ auctoritate. Unde verba illa hunc sensum reddunt: Qui in præsentem excommunicationem inciderit ob exercitium actionis supra prohibitæ, per locorum ordinarium denuntietur et publicetur,

tanquàm excommunicatus, *nullo... super hoc exemptionis vel alio privilegio suffragante.*

§ 3. *Ad Clementinam*, Si quis suadente, *de Pœnis.*

353. Tertia Pontifici reservata excommunicatio in Clementinis habetur loco citato. Fertur adversùs eos, qui, suadente diabolo, in tantum sacrilegium proruperint, ut manus violentas injecerint in episcopum; eumdem tanquàm bannitum terrâ expulerint, aut temerè et injuriosè apprehenderint. Item adversùs eum, qui hæc mandaverit, ratificaverit, socius, consiliarius, fautor, vel defensor fuerit facientis. Civitas verò et officiales ejus in hoc puncto delinquentes pœnis diversis puniuntur. Sed de hâc censurâ satis diximus, cap. 2, § unic., fol. 154, et seq.

§ 4. *Ad Clementinam*, Cupientes, § Sanè, *eodem tit.*

354. Quarta loco citato fertur adversùs religiosos et clericos seculares, qui quemquam ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ aut aliàs promittendum inducunt, ut sepulturam in suis ecclesiis eligat, vel jam electam, ulteriùs non immutet. Verba textûs sunt: *Sanè temerarios violatores constitutionis illius* (Bonifacii VIII, cap. 1, de Sepulturis, in 6) *quæ religiosis et clericis secularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ seu aliàs promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum ecclesiam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent; similem* (excommunicationis) *sententiam* (*pœnâ in dictâ constitutione contentâ, in suo robore permanente*) *incurrere volumus ipso facto; ab alio, quàm à Sede Apostolicâ* (*præterquàm in mortis articulo*) *nullatenùs absolvendos: nullis privilegiis, aut statutis, cujuscumque tenoris existant, super his valituris.* Hactenùs Clemens V.

355. Bonifacius autem VIII, cap. 1, de Sepulturis, in 6, in hunc modum loquitur: *Universis religiosis et secularibus clericis, cujuscumque statûs vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ seu aliàs promittendum inducant ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant vel jam electam ulteriùs non immutent.* Ubi inprimis est advertendum, à Bonifacio VIII, nullam in secùs facientes decretam excommunicationem; Clemens verò excommunicationem ipso jure incurrendam tulit, eamque Sedi Apostolicæ reservatam, aliâ Bonifacii VIII pœnâ, in suo robore permanente. Porrò circa præsentem Clementinam quæritur 1° Quodnam sit subjectum præsentis excommunicationis? 2° Quæ actio censeri debeat prohibita sub censurâ? 3° Quid si quis inducat aliquem ad propositum vel voluntatem inefficacem electionis? 4° Quid si quis inducat aliquem ad vovendum, jurandum aut promittendum sepulturam in ecclesiâ alienâ? 5° Quid si quis inducat alterum ad prædicta, quantùm est ex suâ parte, sic tamen, ut votum, juramentum vel promissio ex parte alterius non sequatur? 6° Quid si inductio fiat ex ignorantiâ hujus constitutionis?

356. Ad primam quæstionem respondeo: Subjectum hujus excommunicationis sunt 1° religiosi, id est, qui tria vota in approbatâ per Pontificem religione emiserunt, utriusvis sexûs fuerint. Quare eidem censuræ subjacent moniales, hanc constitutionem violantes. Suarez, Bonacina, Castropalao; ratio est tum quia Clemens V utitur termino indefinito *religiosis*; tum quia hæc Clementina est edita in confirmationem, cap. 1, de Sepulturis, in 6, ubi Bonifacius VIII expressè loquitur de *universis religiosis... cujuscumque statûs vel conditionis existant:* atque adeò complectitur sine dubio utrumque sexum.

2° Subjectum hujus excommunicationis sunt clerici seculares. Patet, quia exprimuntur tum à Bonifacio VIII, tum à Clemente V. Sed an etiam parochi? Negat communis sententia doctorum apud Bonacinam et Castropalaum. Ratio est quia istæ constitutiones sunt editæ in favorem parochorum: quod autem ob gratiam vel favorem alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; regulâ 16, de Regulis juris, in 6, l. *Nulla juris ratio*, ff. de Legibus, l. *Quod favore*, cod. eodem tit.

Hinc sequitur primò, religiosum, tametsi laicum seu nullo ordine insignitum, censuræ involvi; quia religiosus est.

Sequitur secundò, laicum secularem, in prædictis reum, non affici censurâ.

357. Sequitur tertiò, idem dicendum de novitio: quia in materiâ pœnali et odiosâ novitii non veniunt nomine religiosorum.

Ad secundam respondeo: Actio sub censurâ reservatæ excommunicationis prohibita, est inductio alicujus ad præstandum votum, juramentum, promissionem de eligendâ sepulturâ in ecclesiâ inducentis. Patet ex terminis Clementinæ.

358. Ad tertiam respondeo: Non incurrit excommunicationem religiosus, inducens aliquem ad propositum vel voluntatem inefficacem eligendi sepulturam in suâ Ecclesiâ. Suarez, Paludanus, S. Antoninus, Sayrus, Bonacina, Filliucius. Ratio est quia Pontifex sub censurâ prohibet inductionem ad votum, juramentum, promissionem: atqui propositum seu voluntas inefficax neque est votum, neque juramentum, neque promissio. Hinc ulteriùs sequitur quòd censuram præsentem non incurrat inducens aliquem ad eligendum sepulturam in suâ ecclesiâ vel non mutandum electam, etiam cum effectu, dummodò nullam ab eodem per votum, juramentum, promissionem, obligationem extundat: quia Pontifex non prohibet inductionem ad actum, sed ad obligationem actûs, id est, Pontifex non statuit, ut religiosus aut clericus secularis incurrat excommunicationem, qui aliquem induxerit ad eligendum sepulturam in suâ Ecclesiâ vel non mutandum electam; sed qui induxerit ad faciendum desuper votum, juramentum, promissionem. Proinde si inductio respiciat proximè ipsum actum electionis, sine ullâ inducti obligatione, non erit locus censuræ.

359. Ad quartam respondeo: Religiosus aut clericus secularis inducens aliquem ad emittendum votum, juramentum, promissionem de sepulturâ eligendâ in ecclesiâ alienâ, non incurrit excommunicationem.

Navarrus, Toletus, Sayrus, Suarez, Barbosa, Bonacina. Ratio est ex textu constitutionis, *quæ religiosis et clericis secularibus prohibet, ne ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ seu aliàs promittendum inducant, ut sepulturam apud eorum ecclesiam eligant vel jam electam ulteriùs non immutent.* Apud *eorum* ecclesiam, inquit Pontifex, id est, ipsorum inducentium : non igitur, si inductio respiciat sepulturam eligendam vel non mutandam in ecclesiâ alienâ.

360. Ad quintam respondeo : Communis doctorum opinio est, ad incurrendam censuram necessarium esse, ut inductionem reipsà sequatur effectus voti, juramenti, promissionis de eligendâ vel non mutandâ sepulturâ. Angelus, Cajetanus, Navarrus, Toletus, Sayrus, Suarez, Bonacina, Castropalao. Ratio est quia hæc pœna est stricti juris, atque adeò effectum exigit, cùm alioquin delictum inductionis non videatur satis esse consummatum. Confirmatur ex iis quæ alibi de consulente dicta sunt. Si excommunicatio lata sit in consulentem, hic eam non incurrit, nisi sequatur effectus. Sed hæc opinio valdè videtur dubia : nam doctrina illa de consulente, quòd videlicet, nisi secuto effectu, censuram non incurrat, tum solùm videtur habere locum, quando actio ipsa seu effectus directè et principaliter prohibetur, consilium verò tanquàm accessorium, et via seu dispositio ad actionem. At in præsenti actio ipsa seu effectus secundùm se non prohibetur : nam liberum et licitum unicuique est eligere sepulturam ; liberum et licitum est vovere, jurare, promittere electionem, dummodò spontè et citra alterius inductionem fiat, ut notat S. Antoninus. Igitur ipsa inductio ad vovendum, etc., est in præsenti principalis et totalis materia legis, atque adeò inductio, legis transgressionem continet, propter quam lata censura est, sive inducti promissio subsequatur sive non. Confirmatur : Bonifacius VIII, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ prohibet, ne quis inducat, etc., contra quam legem integrè et consummatè agit ac mortaliter peccat, qui inducit, etc., sive sequatur effectus voti vel juramenti ex parte alterius, sive non. Jam verò Clemens V excommunicat violatores legis per Bonifacium VIII latæ.

361. Ad sextam respondeo : Excommunicatio præsens non afficit, nisi *temerarios violatores constitutionis illius*, quam edidit Bonifacius VIII, cap. *Animarum periculis*, de Sepulturis, in 6. Constat ex terminis Clementinæ. Hinc verò sequitur quòd omnis ignorantia excusans operantem à temeritate, eumdem pariter excuset à censurâ. Porrò certum inprimis est quòd inculpabilis ignorantia cum temeritate non consistat : temeritas enim importat scientiam agentis et contemptum legis ; unde S. Thomas 2-2, q. 53, art. 3, ad 2, *illa*, inquit, *dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur : quod quidem potest contingere dupliciter ; uno modo ex impetu voluntatis vel passionis, alio modo ex contemptu regulæ dirigentis, et hoc propriè importat temeritas : unde videtur ex radice superbiæ provenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ.* Ita S. Thomas. Jam verò certum est quòd temeritas sic intellecta pro contemptu legis aut regulæ dirigentis, pro fructu superbiæ, etc. non habeat locum in ignorante invincibiliter. Imò doctores communiùs idem tradunt de vincibiliter ignorante, dummodò ignorantia saltem non sit affectata : nam si sola excuset ignorantia invincibilis, nihil operabitur particula *temerarios*, cùm, etiam eâ omissâ, excusandi sint, sicut à culpâ, sic à censurâ, invincibiliter ignorantes. Jam autem non est credibile, in lege pœnali similem particulam exprimi sine aliquo effectu.

§ 5. *Ad Clementinam*, Gravis, *de Sent. excommun.*

362. Quinta Pontifici reservata excommunicatio fertur citato loco in nobiles quosdam et dominos temporales, interdictum ecclesiasticum in suis terris violantes. *Ne excessus* (inquit Pontifex) *sic graves, excedentium impunitate, trahantur ab aliis in exemplum, præsumptores præfatos, qui locis interdicto suppositis quemquam de cætero divina celebrare officia, quomodolibet cogere : aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos, excommunicationis præsertim vel interdicti ligatos sententiâ evocare : seu qui excommunicatos publicè aut interdictos, de ecclesiis, dùm in ipsis missarum aguntur solemnia, à celebrantibus monitos, ut exeant, prohibere : necnon excommunicatos publicè et interdictos, qui in ipsis ecclesiis, nominatim à celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere præsumpserint : excommunicationis sententiâ (à quâ per Sedem duntaxat Apostolicam possint absolvi) sacro approbante concilio innodamus.* Ita Clemens V, sacro, ut inquit, approbante concilio Viennensi. Quæritur autem 1° An constitutio illa vim legis habeat, pro futuris temporibus in perpetuum obligantis ? 2° Quæ sit materia præsentis excommunicationis ?

363. Ad primam quæstionem respondeo : Videri alicui fortassè posset, Clementinam hoc tempore non habere vires aut locum, cùm edita fuerit occasione dominorum quorumdam temporalium, qui perpetrârunt excessus, in præfatâ constitutione memoratos, adeò ut contra easdem personas particulares constitutio posset censeri edita, maximè cùm Pontifex censuram excommunicationis in *præsumptores præfatos* expressè ferat. Nihilominùs dicendum, quòd constitutio vim juris perpetui ac pro futuris temporibus obligantis habeat : nam licèt sit edita occasione personarum particularium, in materiâ interdicti graviter excedentium, equidem, ne similes excessus in futurum redeant, Clemens V, cum concilio Viennensi, in ejusmodi delinquentes excommunicationem latæ sententiæ, constitutione perpetuò valiturâ sanxit. Ita omnes doctores. Colligitur autem ex illis verbis : *Qui quemquam de cætero cogere*, etc. Unde cùm ibidem dicitur, *præsumptores præfatos*, non fit relatio tantùm ad illas personas in individuo, sed ad conditionem personarum sic delinquentium.

364. Ad secundam respondeo : Materia præsentis excommunicationis consistit in quadruplici actione, quâ violatur obligatio circa interdictum ecclesiasticum. Prima est, in locis interdicto suppositis, quem-

quam quomodòlibet cogere ad divina officia celebrandum. Ubi advertendum 1° requiri coactionem, per metum scilicet aut violentiam. Quare non sufficit, induci quempiam precibus aut promissis, ad divina officia inibi celebrandum. Advertendum 2° verbum universale *quomodòlibet*, quod denotat omnem modum imaginabilem. Vide Barbosam, de Diction. usu freq., dict. 334. Quare non est necesse ut coactio afficiat proximè celebrantem ipsum : satis est quòd afficiat personas eidem conjunctas, sive per bonorum subtractionem, sive per malorum minas, aut alium similem modum, directum vel indirectum. Verbum *quomodòlibet* (inquit Glossa) omnem modum compulsionis, realem, personalem, directum et indirectum comprehendit. Advertendum 3° quòd Pontifex generatim dicat, *divina officia*, quorum proinde nomine intelliguntur non solùm sacrificium missæ, verùm etiam horæ canonicæ et similia, quæ ab Ecclesiâ celebrantur. Sayrus, Suarez, Bonacina.

365. Secunda actio est evocare aliquos, præsertim excommunicationis vel interdicti sententiâ innodatos, ad prædicta officia audienda : seu, ut formalibus verbis Pontificis utar, *modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos, excommunicationis præsertim vel interdicti ligatos sententiâ evocare.* Ubi reflectendum est 1° verbum *evocare* non exprimi simpliciter seu absolutè, sed cum relatione ad præcedentia; *prædicto modo*, ait Pontifex. Modus autem prædictus erat per evocationem publicam, scilicet *per campanarum pulsationem;* ex quo Navarrus, Angelus, et Sylvester inferunt, non sufficere secretam evocationem, per nuntium, etc. Sed rectiùs Cajetanus, Suarez, Toletus, Bonacina docent, modum *prædictum* esse quadruplicem, videlicet vel vocando, vel compellendo, vel per campanarum pulsationem, vel voce præconis, prout initio *Clementinæ* præsentis dicitur. Igitur quod deinceps sequitur, *modo prædicto... evocare*, minùs rectè videtur intelligi de evocatione per solum campanarum sonitum aut vocem præconis. Reflectendum 2° quòd dicatur, *ad officia eadem audienda;* eadem scilicet de quibus sermo præcessit. Cùm ergo in præcedentibus sermo sit non tantùm de sacrificio missæ, sed etiam de aliis divinis officiis, prout dictum, sequitur, de iisdem hoc loco pariter sermonem esse. Reflectendum 3°, necessarium esse ad hanc censuram incurrendam, ut evocatio fiat ad eadem divina officia audienda in loco interdicto; unde si quis evocaret excommunicatum vel interdictum ad audiendum divinum officium in loco non interdicto, in præsentem canonem non incideret : quia hæc censura non fertur ob violationem interdicti personalis, sed localis.

366. Tertia actio est prohibere, ne excommunicati publicè aut interdicti, à celebrantibus moniti exeant de *ecclesiis, dùm in ipsis missarum aguntur solemnia.* Ubi reflectenda est, 1° particula *publicè*, ex quâ colligitur quòd hanc censuram non incurrat, qui sub missarum solemniis exire de ecclesiâ prohiberet excommunicatum vel interdictum occultum. Sed dubitari potest an requiratur ad effectum censuræ, ut sit nominatim interdictus vel excommunicatus, qui exire de ecclesiâ prohibetur, an verò satis sit, censuram publicam esse. — Respondeo hodiè necessarium esse ut sit nominatim interdictus vel excommunicatus, aut notorius percussor clerici. Ratio est quia textus loquitur de excommunicatis aut interdictis vitandis : loquitur enim manifestè de illis ob quorum ingressum intermitti Sacrificium debeat, prout constat ex illis verbis : *Frequenter contingit, quòd non sine Dei offensâ clerique ac populi scandalo ipsa missarum solemnia remanent inexpleta.* Deinde agit textus de illis qui *à celebrantibus moniti* sunt, *ut exeant.*

367. Atqui post concilium Constantiense nullus interdictus aut excommunicatus vitandus est, nisi nominatim sit denuntiatus aut notorius percussor clerici. Ergo. Ita Suarez, Castropalao et alii. Reflectendum 2° ad effectum censuræ necessarium esse, ut iidem excommunicati vel interdicti, *à celebrantibus moniti* sint, *ut exeant.* Quare si vel non moneantur, vel moneantur quidem, ut exeant, sed ab alio quàm celebrante, non est locus censuræ. Interim necesse non videtur ut moneantur nominatim seu specialiter. Satis erit si celebrans generatim dicat, ut omnes excommunicati vel interdicti exeant de ecclesiâ. Ratio est quia nec vocem nec significatum vocis *nominatim* textus habet, cùm tamen eamdem vocem in sequenti clausulâ disertè exprimat, ut statim videbitur. Ita Glossa, verbo *Moniti*, Sayrus, Suarez, Toletus, Bonacina. Reflectendum 3° non fieri in hâc parte textûs, expressam mentionem de ecclesiis interdictis. Hinc dubitari potest an sufficiat ad censuram, quòd prohibeatur prædictus excommunicati vel interdicti egressus de ecclesiâ non interdictâ. Respondeo cum Suarez, Filliucio et Castropalao, ex præcedentibus colligi, sermonem esse de ecclesiis interdictis. Reflectendum 4° necesse esse ut idem egressus prohibeatur, *dùm in ipsis* ecclesiis *missarum aguntur solemnia :* sic enim textus expressè loquitur. Quare si prohibitio fiat, dùm alia divina officia celebrantur, non erit locus excommunicationi. Cajetanus, Suarez, Filliucius, Bonacina.

368. Quarta actio, quæ sub censurâ reservatæ excommunicationis hâc Clementinâ prohibetur, est, cùm excommunicatus publicè aut interdictus, à celebrante nominatim monitus ut exeat, remanere præsumit. Ubi reflectendum 1° jam necessarium esse ad censuram, ut monitio sit specialis; 2° monitionem debere fieri per celebrantem; atque adeò sub missæ sacrificio; 3° hodiè requiri ad prædictum effectum ut excommunicatus sit vitandus; 4° ecclesiam debere esse interdictam; 5° reflectendum, non solùm in hâc, sed etiam in præcedentibus actionibus requiri præsumptionem, quia verbum *præsumpserint* conjungitur cum quatuor infinitivis, *cogere, evocare, prohibere, remanere*, prout legenti manifestum est. Quare excusat ab excommunicatione ignorantia tam legis quàm censuræ, etiam vincibilis, dùm tamen non sit affectata. Cajetanus, Navarrus, Sayrus, Suarez, Bonacina et alii.

CAPUT VI.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PONTIFICI RESERVATIS IN *Extravagantibus*.

§ 1. *Ad Extravagantem*, Salvator, *de Præbendis*.

369. Prima in extravagantibus reservata Pontifici excommunicatio habetur loco citato. Fertur autem à Joanne XXII adversùs rebelles et repugnantes constitutionibus, à se editis circa ecclesiam et episcopatum Tolosanum. De hâc censurâ nihil dicturi sumus, tum quia textus satis est manifestus ; tum quia materia est specialis, universam Ecclesiam non respiciens. Sufficiat igitur monuisse, quòd hæc sit una è reservatis excommunicationibus per Extravagantes.

§ 2. *Ad Extravagantem*, Detestandæ, *de Sepulturis*.

370. Bonifacius VIII, Extravagante citatâ in hunc modum statuit : Nonnulli *fideles... si quisquam ex eis genere nobilis vel dignitatis glorià insignitus, præsertim extra suarum partium limites debitum naturæ persolvat, in suis vel alienis partibus sepulturâ electâ, defuncti corpus ex quodam impiæ pietatis affectu truculenter exenterant, ac illud membratim vel in frusta immaniter concidentes, ea subsequènter aquis immersa, exponunt ignibus decoquenda : et tandem (ab ossibus tegumento carnis excusso) eadem ad partes prædictas mittunt seu deferunt tumulanda... volentes igitur*, etc.... *apostolicâ auctoritate statuimus et ordinamus ut, cùm quis cujuscumque statûs, aut generis seu dignitatis exstiterit, in civitatibus, terris, seu locis, in quibus catholicæ fidei cultus viget, diem de cætero claudet extremum, circa corpora defunctorum, hujusmodi abusus vel similis nullatenùs observetur*. Aliàs *excommunicationis sententiam (quam ex nunc in ipsos proferimus) ipso facto se noverint incursuros, à quâ nonnisi per Apostolicam Sedem (præterquàm in mortis articulo) possint absolutionis beneficium obtinere*. Hactenùs Bonifac. VIII. Quocirca quæritur 1° quæ sit materia hujus excommunicationis ; 2° quodnam subjectum.

371. Ad primam quæstionem respondeo : Materia hujus excommunicationis est exenteratio, concisio, decoctio corporum fidelium defunctorum. Requiruntur tamen quatuor conditiones ad eamdem excommunicationem incurrendam. Prima est præsumptio; quia Pontifex utitur vocabulo, *præsumpserint*. Secunda ex parte finis, nimirùm ut similes actiones fiant ex intentione alibi sepeliendi ossa exenterati, ut colligitur tum ex verbis textûs, *eadem ad partes prædictas mittunt seu deferunt tumulanda*, et ex illis, *in suis vel alienis partibus sepulturâ electâ :* tum ex summario seu rubricâ Extravagantis, in verbis, *ferant sepelienda*. Hinc sequitur non esse locum prædictæ excommunicationi, si fiat exenteratio seu intestinorum exectio propter alium finem, v. g., ut balsamo inungantur, vel in vindictam, odium, maleficium seu superstitionem, aut ad exercitium anatomiæ, ut omnes doctores tradunt. Tertia conditio est, ut sit corpus fidelis in territorio Catholicorum mortui. Colligitur ex illis verbis : *Cum quis... in civitatibus, terris seu locis, in quibus catholicæ fidei cultus viget, diem de cætero claudet extremum*. Quapropter, si quis in terris infidelium seu hæreticorum moriatur, non videntur præfatæ actiones sub censurâ prohibitæ. Quarta conditio est ut similes actiones fiant à fidelibus circa fideles, de quo statim.

Ad secundam quæstionem respondeo : Subjectum hujus excommunicationis sunt omnes cujusvis statûs et conditionis homines : sic enim textus loquitur : *Si prædicti defuncti executor vel executores aut familiares ejus, seu quivis alii cujuscumque ordinis, conditionis, statûs aut gradûs fuerint... aliquid contra hujusmodi nostri statuti et ordinationis tenorem præsumpserint attentare, defunctorum corpora sic inhumaniter et crudeliter pertractando vel faciendo pertractari, excommunicationis sententiam... ipso facto se noverint incursuros*. Ex quibus verbis manifestè colligitur, hanc censuram universalem esse, et complecti non solùm facientes, sed etiam mandantes, *faciendo pertractari ;* secùs est de consulente aut ratum habente, cùm non exprimatur. Necesse est autem ut tam agens quàm patiens sint fideles. Colligitur ex illis verbis : *Præfati namque fideles, hujus suæ utique improbandæ consuetudinis vitio intendentes, si quisquam ex eis, præsertim extra suarum partium limites, debitum naturæ persolvat, in suis vel alienis partibus sepulturâ electâ*, etc., ubi ponderanda particula, *ex eis*, quâ sine dubio significantur fideles, de quibus sermo præcesserat.

§ 3. *Ad Extravag.* Viam ambitiosæ, *de Regularibus*.

372. Tertia excommunicatio legitur extravagante citatâ, ubi Martinus IV, ut prospiciat conservationi ordinum mendicantium, ipso facto excommunicat quosvis eorumdem Mendicantium religiosos, qui sine licentiâ speciali Sedis Apostolicæ, virtute alicujus indulgentiæ vel indulti, ad religionem S. Benedicti, Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis-umbrosæ, canonicorum regularium S. Augustini vel aliorum monasticorum ordinum (ordine Carthusiensum duntaxat excepto) convolare nituntur. Eidem excommunicationi subjicit recipientes. Tandem decretum addit, quo cassat et irritat ingressum, admissionem et omnia desuper subsecuta. Quocirca quæritur 1° quinam transeuntes excommunicentur ; 2° quinam recipientes ; 3° an sit necesse ut transitus fiat prætextu privilegii vel indulti ; 4° an extendatur censura ad illos qui post editam constitutionem mendicantibus aggregati sunt ; 5° qualis requiratur licentia, ut hic transitus liceat ; 6° quid de ordine Carthusiensi.

373. Ad primam quæstionem respondeo : Excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt quivis mendicantes professi, sine licentiâ speciali Pontificis transeuntes ad aliquem ex ordinibus monasticis, in citatâ Extravagante expressis. Constat sequentibus verbis : *De cætero nullus religiosus ordinum mendicantium quorumcumque, cujuscumque gradûs, statûs, conditionis vel religionis existat...* possit recipi *in monachum vel in fratrem alicujus ex ordinibus monasticis supra dictis vel aliis expressis... sub pœnâ excommunicationis, quam tam recipientes quàm recepti ipso facto incurrant... et à nemine, nisi duntaxat à Romano Pontifice (præterquàm in mortis articulo) excommuni-*

cati hujusmodi possint absolutionis beneficium quomodolibet obtinere.

Hinc sequitur 1° quòd constitutio non afficiat novitios cujusvis religionis : hi enim, nisi in favorabilibus, non reputantur *religiosi*, habentque liberam facultatem, et hanc religionem deserendi, et quamvis aliam eligendi.

374. 2° Sequitur idem dicendum de invalidè professis, qui tamen observare debent decretum concilii Tridentini, sess. 25, de Regul., cap. 19. Ratio est quia neque hi *religiosi* sunt, cùm verè non sint professi.

3° Sequitur quòd in præsentem canonem non incidat religiosus ex alio quàm mendicantium ordine transiens ad aliquam ex supra dictis religionibus. Ratio est quia de mendicantibus Pontifex expressè loquitur. Dixi, *in præsentem canonem;* an enim alterius constitutionis censuram incurrat, pendet è privilegiis religionum, quæ in diversis diversa sunt.

375. Ad secundam respondeo : Excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt superiores ordinum *S. Benedicti, Cistersiensis, Camaldulensis, Vallisumbrosæ, canonicorum regularium S. Augustini, vel aliorum monasticorum ordinum*, si aliquem ex religiosis mendicantibus sine Sedis Apostolicæ licentiâ speciali ad religionem admiserint. Ratio est quia hos ordines initio recenset Pontifex : deinceps verò sub pœnâ excommunicationis sibi reservatæ statuit, ut *de cætero nullus religiosus ordinum mendicantium... in monachum vel in fratrem alicujus ex ordinibus monasticis supra dictis* recipi seu admitti possit.

Hinc sequitur 1° quòd hanc censuram non incurrant præfatorum ordinum superiores, si receperint aliquem ex non mendicantibus.

Sequitur 2° similiter non incurrere præsentem excommunicationem mendicantes, si recipiant alterius religionis professum, sive mendicantem, sive non mendicantem. Dixi, *non incurrere præsentem excommunicationem;* quia rursùs spectanda singularum religionum privilegia et statuta, in variis varia.

376. Ad tertiam respondeo probabilius videri quòd ad censuram requiratur ut prædictus transitus fiat prætextu privilegii vel indulti. Ratio est quia Pontifex sub censurâ prohibet ne transitus prædictus fiat *virtute cujuscumque licentiæ* aut *indulti apostolici*. In constitutione autem pœnali standum est rigido verborum sensui, nisi secùs constet de mente superioris aut aliud ferat consuetudo. Ita Sanchez, Bonacina, Castropalao.

Ad quartam respondeo : Eidem excommunicationi subjacent religiosi, qui post editam Extravagantem Mendicantibus aggregati sunt, si transeant in ordinem monasticum. Suarez, Sanchez, Bonacina, Castropalao. Quare constitutio non solùm respicit Augustinianos, Dominicanos, Minores, Carmelitas, sed etiam Minimos, et religiosos societatis Jesu, quos verè Mendicantes esse et Mendicantium favoribus ac privilegiis frui declarârunt Pius V, anno 1571, et Gregorius XIII, annis 1582 et 1584.

377. Ad quintam respondeo : Ut licitus sit transitus religiosi Mendicantis, requiritur licentia specialis Romani Pontificis. Constat ex illis verbis, *absque Sedis hujusmodi licentiâ speciali*. Porrò secundùm Bonacinam licentia consetur specialis, quâ religiosis Mendicantibus permittatur transitus ad ordines monasticos, etsi nomen particularis personæ non exprimatur. Suarez autem et Filliucius, etsi concedant ad licentiam specialem non requiri ut exprimatur in particulari religio ad quam transitur, existimant tamen necessarium ut exprimatur persona cui datur facultas transeundi.

Hinc sequitur non sufficere licentiam à prælato regulari concessam, quia requiritur licentia Sedis Apostolicæ. Excipitur præpositus generalis societatis Jesu, qui ex privilegio Pauli III, de anno 1540, et Gregorii XIII, de anno 1582, concedere potest suis subditis, etiam professis, facultatem transeundi ad quamvis aliam religionem. Nec eodem privilegio gaudent religiones aliæ titulo communicationis, ut expressè cautum est à Gregorio XIII.

378. Ad sextam respondeo : Licitum est Mendicantibus transire ad ordinem Carthusiensium, etiam post Extravagantem *Viam ambitiosæ*. Constat ex illis verbis : *Ordine carthusiensium duntaxat excepto*. Et quidem olim religiosus zelo sanctioris vitæ, non solùm ad Carthusienses, sed et ad quamvis aliam strictiorem religionem transire poterat, petitâ priùs, etsi non obtentâ licentiâ superioris sui. Nunc verò Carmelitis concessum est privilegium à Paulo V, die 3 aprilis, anno 1610, quo sub pœnâ excommunicationis interdicitur transitus ad Carthusiam, nisi obtentâ priùs licentiâ superioris. Huic autem privilegio communicant cæteræ religiones : habent enim religiosi, præsertim mendicantes, plenissimam in privilegiis mutuis communicationem, ut constat ex variis Pontificum Romanorum bullis, quas videre poteris apud Rodriguez QQ. Reg. tomo 1, quæst. 55; Suarez, l. 8, cap. 17; Herincx, parte 2, tr. 3, disp. 4, q. 6, et passim alios.

§ 4. *Ad Extravag.* Ad nostrum, *eod. tit.*

379. Quarta excommunicatio Pontifici reservata fertur à Joanne XXII, Extravagante *Ad nostrum*, de Regularibus. Fertur autem inprimis adversùs religiosos cujuscumque ordinis, qui ad partes ultramarinas, ubi pauci versantur fideles, se conferunt absque expressâ superiorum suorum licentiâ, per litteras patentes concessâ. Fertur deinde in ipsos etiam superiores, licentiam ejusmodi concedentes aliis sui ordinis fratribus, quàm viris litteratis, providis et expertis. Intentum Pontificis est cavere periculum perversionis tum euntium, tum fidelium in illis terris commorantium.

§ 5. *Ad Extravag.* Grave nimis, *de Reliquiis et Venerat. Sanctorum.*

380. Quintam excommunicationem tulit Sixtus IV, Extravagante citatâ in materiâ conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, ubi in hunc modum loquitur *Sanè cùm S. R. Ecclesia de intemeratæ semperque Vir-*

ginis Mariæ conceptione publicè festum solemniter celebret et speciale ac proprium super hoc officium ordinaverit; nonnulli, ut accepimus, diversorum ordinum prædicatores, in suis sermonibus ad populum publicè per diversas civitates et terras affirmare hactenùs non erubuerunt, et quotidiè prædicare non cessant, omnes illos qui tenent aut asserunt eamdem gloriosam et immaculatam Dei genitricem absque originalis peccati maculâ fuisse conceptam, mortaliter peccare vel esse hæreticos; ejusdem immaculatæ conceptionis officium celebrantes, audientesque sermones illorum qui eam sine hujusmodi maculâ conceptam esse affirmant, peccare graviter. Sed et præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus et prædicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta sunt, et majora meritò exoriri formidantur in dies.

381. *Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus ac perversis assertionibus ac scandalosis quæ exinde in Dei Ecclesiâ exoriri possunt... hujusmodi assertiones prædicatorum eorumdem et aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent eos qui crederent aut tenerent eamdem Dei genitricem ab originalis peccati maculâ in suâ conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium conceptionis celebrantes seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere: utpote falsas, erroneas et à veritate penitùs alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, auctoritate apostolicâ tenore præsentium reprobamus et damnamus: ac motu, scientiâ et auctoritate prædictis statuimus et ordinamus quòd prædicatores verbi Dei et quicumque alii cujuscumque statûs, gradûs aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint in eorum sermonibus ad populum seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, postquàm de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à quâ ab alio quàm à Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere... simili pœnæ ac censuræ subjicientes eos qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cùm nondùm sit à Romanâ Ecclesiâ et Apostolicâ Sede decisum.* Hactenùs Sixtus IV.

382. Hanc constitutionem innovavit concilium Tridentinum, sess. 5, de Peccato originali, circa finem, ubi dicitur: *Declarat tamen hæc ipsa S. synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV, sub pœnis in eis constitutionibus contentis quas innovat.* Ita concilium Trid.

Eamdem constitutionem, prout et decretum conc. Trid. confirmavit Pius V, bullâ *Super speculam*, editâ 30 novemb., anno 1570, ubi § 2, statuitur ut *nemo cujuscumque ordinis, gradûs, conditionis vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutrâ parte disputare, rationibus vel doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando, vel de hâc ipsâ quæstione, cujusvis pietatis aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit suspensionis pœnam à divinis, absque novâ declaratione ipso facto incurrat,* etc. Deinceps verò, § 3, permittit ut, *quamdiù per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata, liceat viris doctis, in publicis academiæ disputationibus, sive generalium aut provincialium capitulorum, vel ubi aliàs intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illâ quæstione disserere, et argumentis utramlibet partem vel asserere vel impugnare, dùm tamen neutra velut erronea prædicetur, serventurque illa omnia quæ à dicto Sixto prædecessore nostro statuta sunt, quorum singula... etiam quantùm ad alias pœnas, duximus innovanda et innovamus per præsentes.* Hæc constitutio habetur tomo 2 Bullarii Romani, per Laertium Cherubinum editi, estque 114 inter bullas Pii V.

383. Memoratas constitutiones Sixti IV, conc. Trid., et Pii V, denuò confirmavit Paulus V, bullâ *Regis pacifici*, editâ 6 julii, anno 1616, ubi dicitur § 6. *Easdem constitutiones* (Sixti IV et Pii V) *apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus, et etiam quoad earum pœnas quascumque, absolutionis reservationem innovamus et inviolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cujuscumque ordinis et instituti,* etc., *observari præcipimus et mandamus, donec à Romanâ Apostolicâ Sede, hujusmodi controversia fuerit diffinita.* Hæc constitutio habetur tomo 3 Bullarii Romani, estque 97 inter constitutiones Pauli V.

384. Idem Pontifex animadvertens quòd occasione assertionis affirmativæ, nimirùm de maculatâ beatissimæ Virginis conceptione, gravia orirentur scandala, aliam bullam edidit quæ incipit: *Sanctissimus*, die 30 augusti, anno 1617, ubi § 1, in hunc modum loquitur: *Ex occasione assertionis affirmativæ, in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quòd eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano, cum magnâ Dei offensâ, scandala, jurgia et dissensiones.* § 2: *Propterea volens* (Sanctissimus) *hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit et præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat et præcipit omnibus et singulis cujusvis ordinis et instituti regularibus, et aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis quàm secularibus personis, cujusvis conditionis, statûs, gradûs, ordinis aut dignitatis... ut in posterum, donec articulus hujusmodi à sanctâ Sede Apostolicâ fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem beatissima Virgo fuerit con-*

cepta cum peccato originali. § 4 : *Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsùs præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquàm quoad supra disposita.* § 5 : *Ulteriùs sub eisdem censuris et pœnis mandans quòd negativam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de eâ aliquo modo agant seu tractent.* Hæc constitutio habetur tomo 3 Bullarii, et est 105 inter bullas Pauli V.

385. Postea Gregorius XV, bullâ *Sanctissimus*, die 24 maii, anno 1622, confirmans prædecessorum suorum constitutiones, *ex eisdem causis evitandi scandala atque discordias in populo christiano, quæ pari ratione oriri possunt, et, ut accepit, in aliquibus regionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ, extendit et ampliavit* decretum Pauli V, *etiam ad privata colloquia et scripta, mandans et præcipiens omnibus et singulis supra dictis, ne de cætero, donec articulus hujusmodi, à Sede Apostolicâ definitus vel per Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere quòd eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hâc opinione affirmativâ aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen, quibus à sanctâ Sede Apostolicâ fuerit super hoc specialiter indultum.* Hæc constitutio habetur tomo 3 Bullarii, et est 29 inter bullas Gregorii XV.

386. Idem Pontifex, eodem anno, die 28 julii, bullam edidit quæ incipit : *Eximii*, ubi concedit *omnibus et singulis... ordinis Prædicatorum fratribus, ut de cætero in quibuscumque privatis eorum colloquiis seu conferentiis, inter se duntaxat et non inter alios aut cum aliis, de materiâ ejusdem conceptionis B. Mariæ Virginis disserere et tractare, absque ullo pœnarum in dictis decretis contentarum incursu liberè et licitè possint et valeant.* Hæc constitutio habetur in Bullario post bullam præcedentem Gregorii XV.

387. Tandem Alexander VII, die 8 decembris 1661, gravissimam bullam edidit, *Sollicitudo omnium ecclesiarum.* § 1, præmittit quòd *vetus* sit *Christi fidelium erga beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali Dei gratiâ et privilegio intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à maculâ peccati originalis præservatum et immunem, atque in hoc sensu, ejus conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium; crevitque horum numerus atque hujusmodi cultus post editas à felic. record. Sixto Papâ IV, prædecessore nostro, in ejus commendationem apostolicas constitutiones quas sacrum concilium Tridentinum innovavit atque observari mandavit. Aucta rursùs et propagata fuit pietas hæc et cultus erga Deiparam, post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, monasteria religiosorum ordinum et confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut, accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam, jam ferè omnes Catholici eam complectantur.* Dùmque non obstantibus constitutionibus Pauli V et Gregorii XV, *pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores, contra præfatas prohibitiones, tum privatìm tum publicè præfatam sententiam aut impugnare aut vellicare, et favorem à Romanis Pontificibus cultui et festo secundùm illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ et cultui juxta illam beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles à suâ pacificâ quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V et Gregorius XV, nostri prædecessores, perdurant adhùc, et ex occasione eorumdem adversantium majora his incommoda in posterum prudenter et meritò timentur...*

388. *Nos* (pergit Pontifex § 4) *considerantes quòd sancta Ecclesia de intemeratæ semper Virginis Mariæ conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni et festo ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesiâ Romanâ post ipsius cultûs institutionem nunquàm immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem et devotionem hanc, colendi et celebrandi beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritûs sancti gratiâ à peccato originali præservatam; ... constitutiones et decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, et præcipuè à Sixto IV, Paulo V et Gregorio XV, edita in favorem sententiæ asserentis animam beatæ Mariæ Virginis in suî creatione et in corpus infusione, Spiritûs sancti gratiâ donatam et à peccato originali præservatam fuisse, necnon et in favorem festi et cultûs, conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et pœnis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus.*

389. *Et insuper* (§ 5) *omnes et singulos qui præfatas constitutiones seu decreta ita pergent interpretari, ut favores per illas dictæ sententiæ et festo seu cultui, secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè vel indirectè, aut quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, sive sacram Scripturam aut sanctos Patres, sive doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis prætextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo et insoluta relinquendo aut alio quovis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas et censuras in constitutionibus Sixti IV contentas,... etiam concionandi, publicè legendi seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activâ et passivâ in quibuscumque electionibus eo ipso absque aliâ declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum publicè legendum, docendum et interpretandum*

perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere absque aliâ declaratione.

390. Harum autem pœnarum relaxationem sibi reservat, pergens deinceps § 6 : *Libros in quibus præfata sententia, festum seu cultus secundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V supra laudatum decretum edita aut in posterum quomodòlibet eaenda, prohibemus sub pœnis et censuris, in indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque aliâ declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus et mandamus.* Deinde sub pœnis contentis in decreto præsenti et constitutionibus prædecessorum suorum prohibet ne quis contrariam opinionem, *hæresis aut impietatis* condemnare audeat, aut eam tenentibus, *hæresis crimen aut mortale peccatum* impingere, *cùm à Romanâ Ecclesiâ et ab Apostolicâ Sede nondùm fuerit hoc decisum.* Ita Alexander VII. Porrò hæc constitutio habetur tomo 5 Bullarii Romani, et est 117 inter bullas Alexandri VII.

§ 6. *Ad Extravag.* Sanè, *de Simoniâ.*

391. Sexta excommunicatio lata est ab Urbano IV, aliàs V, adversùs eos qui dant vel recipiunt aliquid ob ingressum Religionis, per modum pacti aut conventionis. *Universis*, inquit Pontifex, *abbatibus, prioribus, decanis, præpositis et magistris, nec non abbatissis et priorissis, aliisque prælatis, quovis nomine nuncupatis, et eorum officialibus quarumcumque etiam ecclesiarum, monasteriorum*, etc., *ac capitulis et conventibus et singularibus personis eorum, tenore præsentium auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibemus, ne tam à maribus quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, ecclesias, monasteria, prioratus, domus seu loca, in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum seu quemvis pium usum alium deputata vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere quoquomodò præsumant; sed eas potiùs cum omnimodâ pietate recipiant, ac in victu et vestitu, sicut alias personas suarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, domorum et locorum, sincerâ charitate pertractent; illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes, purè et spontè et plenâ liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus et locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi... Qui secùs egerint, si sint singulares personæ, tam dantes, quàm recipientes hujusmodi, excommunicationis; si capitulum vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere; à quibus (præterquàm in mortis articulo) absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Hactenùs Urbanus IV.

392. Quocirca quæritur 1° quid intelligatur per ingressum seu receptionem in religionem? 2° Quale peccatum sit, recipere et exigere aliquid pro ipso ingressu in religionem? 3° An et quale peccatum sit, donis, muneribus vel promissis pellicere aliquem in religionem? 4° An liceat recipere aliquid ab ingrediente spontè oblatum? An liceat pacisci cum ingrediente de dote pro sustentatione, saltem si tenue sit monasterium? 6° Quid si monasterium sit opulentum?

Ad primam quæstionem respondeo : In materiâ pœnali et odiosâ, per ingressum et receptionem in religionem non intelligitur admissio ad habitum religionis seu novitiatum : is enim inchoatus tantùm et incompletus est; sed intelligitur ipsa professio : per hanc enim propriè et completè aliquis religiosus efficitur atque adeò censetur ingredi religionem. Proinde de hoc ingressu intelligenda pontificum constitutio, quâ pœna suspensionis vel excommunicationis statuitur in simoniacos circa ingressum in religionem. Suarez, Reginaldus, Bonacina, Castropalao.

393. Ad secundam quæstionem respondeo : Simonia est, et quidem juris divini, dare vel recipere aliquid pro ipso religionis ingressu. Est certum apud omnes doctores. Colligitur non solùm ex hâc extravagante, sed et ex aliis juris textibus, can. *Quòm pio*, can. *Nullus*, 1, q. 2, cap. *Non satis*, cap. *Cùm in ecclesiæ corpore*, cap. *Veniens*, cap. *de Regularibus, de Simoniâ.* Idem expressè docet S. Thomas, q. 100, art. 3, ad 4, dicens : *Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium.* Ratio est quia vita religiosa spiritualis est et respicit Deum tanquàm auctorem gratiæ; ergo admissio ad eamdem vitam, maximè per sacram professionem, pariter est spiritualis et ordinis supernaturalis. Quapropter certum est quòd excommunicationem incurrant, *tam dantes, quàm recipientes* aliquid pro ipso ingressu, *si sint singulares personæ :* si verò *capitulum vel conventus fuerit, suspensionis* sententiæ ipso facto subjacet; *à quibus (præterquàm in mortis articulo) absolvi nequeant sine Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Perinde est autem sive monasterium virorum, sive mulierum fuerit, ubi similis abusus committi contigerit; quia qualitas sexûs est indifferens ad gravitatem delicti, consistentem in sacrilegâ et simoniacâ rei spiritualis tractatione. Quare Urbanus IV, sup. expressè loquitur *de ecclesiis, monasteriis, prioratibus et aliis locis religiosis tam virorum, quàm mulierum.*

394. Ad tertiam respondeo : Si donis aut muneribus intendam solummodò allicere alterius animum, ut spontè amplectatur religionem, non erit simonia : licitum est enim aliquem beneficiis allicere ad salutem et illius media, modò caveatur scandalum, ne alter pretio videatur fieri christianus aut religiosus. Si verò hâc ratione intendam, alterum absolutè obligare, videtur committenda simonia, ut insinuatur can. *Quàm pio*, 1, q. 2, ubi dicitur : *Nusquàm legimus, Domini discipulos vel eorum ministerio conversos, quempiam ad dei cultum aliquo muneris interventu provocâsse.* Interim Lessius, Herincx et alii putant, non committi hoc casu propriè simoniam : quia non obligo alterum ut mihi vel alteri pro temporali reddat spirituale, sed ut sibi ipsi consulat et religionem

eligat tanquàm medium salutis suæ. Deinde turpitudo illius actûs non consistit in eo quòd spirituale comparetur pretio temporali : alioquin ne sub conditione quidem obligari aliquis posset, ut nimirùm vel ingrediatur religionem, vel refundat 100 aureos, quos in hunc finem dedi : quando enim agitur de comparandâ re spirituali, ne hoc quidem modo obligatio intervenire potest.

395. Jam autem satis constat et usu quotidiano probatur, non esse illicitam obligationem illam conditionalem, quâ videlicet religionem aliquis teneatur ingredi, si retinere velit pecuniam in hunc finem concessam. Ergo turpitudo actûs de quo loquimur, in eo, ut diximus, non consistit, quòd spirituale comparetur pretio temporali ; sed quòd homo pretio temporali inducatur in illud quod ex affectu salutis, non commodi temporalis, per Spiritûs sancti gratiam, non per hominis inductionem, liberâ, non obligatâ voluntate capessendum est. Unde in aliis rebus spiritualibus admitti potest similis obligatio sine vitio simoniæ, v. g., ut quis tali die, tali loco, in tali altari celebret ; igitur hìc etiam non videtur propriè committi simonia, saltem juris divini. Cavendum tamen est, tum propter scandalum, prout dictum, tum quia professio religionis debet libera esse. Unde non potest omninò sic obligari quin resilire possit, ubi inter probandum didicerit, statum religiosum sibi non convenire. Vide S. Th., 2-2, q. 100, art. 3, ad 4.

396. Ad quartam respondeo : Si merâ sponte temporale aliquid detur ab ingrediente ac recipiatur à religione, non incurritur censura : quia neque actio per se mala est, nec per legem positivam prohibita, imò potiùs permissa per Extravagantem *Sanè*, his verbis : *Illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes, purè et spontè et plenâ liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus et locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Ex his verbis colligitur, ad incurrendum censuram requiri aliquam *pactionem* seu conventionem, tacitam videlicet vel expressam. Hinc verò ulteriùs sequitur, quòd non sit locus censuræ, si vel ingrediens donet, vel superior recipiat aliquid temporale animo simoniaco interiori, sic tamen ut ne tacitus quidem ineatur contractus, puta, quia ex unâ tantùm parte se tenet intentio simoniaca, nec per reales circumstantias emicat. Ita Suarez.

Ad quintam respondeo : Si tenue sit monasterium, potest citra simoniam et præsentem censuram pacisci cum ingrediente de dote pro ipsius sustentatione. Ita S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Suarez, Cajetanus, Navarrus, Toletus, Filliucius, Castropalao, Bonacina, Tamburinus, Sotus, Rodriguez, Miranda, Portel, Marchant, Diana, Lessius, Herincx et alii.

397. Inprimis quod attinet S. Thomam, is, 2-2, q. 100, art. 3, ad 4, in hunc modum loquitur : *Dicendum, quòd pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quòd non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes. Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur : sicut etiam licitum est, aliquem è converso provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum, licèt non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii, ut habetur* 1, *quæst.* 2, cap. *Quàm pio.* His verbis, S. doctor, expressè quidem non affirmat quòd liceat in eo casu dotem exigere, cùm dicat solummodò : *Licet tamen, si monasterium sit tenue....* ACCIPERE *aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda.*

398. Nihilominùs si hanc D. Thomæ responsionem conferas cum argumento quod respicit, constabit quòd velit licere etiam ipsam dotis exactionem, ut rectè observat Sylvius in hunc locum : quartum enim argumentum erat : *Religio est status spiritualis perfectionis ; sed in aliquibus monasteriis aliquid ab his, qui recipiuntur, exigitur. Ergo licet pro spiritualibus aliquid exigere.* Respondet ad quartum, *Quòd pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium : licet tamen, si monasterium sit tenue.... accipere aliquid pro victu personæ*, etc. Proinde sub verbo *accipere* complecti videtur et *exigere*, ut responsio argumento et posteriora prioribus congruant. Deinde in 4, dist. 25, quæst. 3, art. 2, q. 2, ad 7, ita loquitur : *Cùm possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium, unde ei possit providere :* ubi S. Thomas manifestè docet quòd aliquid in casu non solùm accipi, sed etiam *exigi* possit. Vide Sylvium in hunc locum.

399. Doctor autem Seraphicus, Libello apologetico in eos, qui ordini fratrum Minorum adversantur, q. 18, in hunc modum loquitur : *Sciendum, quòd quantùm spectat ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi ad ordinem. Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecuniâ, nec cum pecuniâ, sed purè pro Deo ; et ista est purissima coram Deo et hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecuniâ, sed cum pecuniâ, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo ; et similiter hoc purum est coram Deo, sed est cautè agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scanaali.... Tertia, quando quis recipitur non pro pecuniâ, nec tamen reciperetur sine pecuniâ, eò quòd non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus corporis providere : cùm tenues facultates domûs vix sufficiant jam receptis... Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias ejus vel nobilitatem, quæ habet nasum, nec tamen propter hoc ducit eam, quia nasum habet, quam tamen, si naso careret, nullatenus duxisset : et hoc non est impurum. Quarta, cùm aliquis recipitur amore pecuniæ ita quòd, si possent illam pecuniam habere sine personâ istâ, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt : et hoc penitùs impurum est et si-*

moniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, et non è converso. Hactenùs doctor Seraphicus.

400. Doctoribus Angelico et Seraphico accedunt S. Antoninus, p. 2, cap. 5, § 18; S. Raymundus de Pennafort, jussu Gregorii IX, Decretalium compilator, l. 1, tit. 1, § 22. Sacra facultas Parisiensis in responso quod refert Dionysius Carthusianus, lib. 2, de Simoniâ. Sanctus Carolus Borromæus, in concilio Mediolanensi secundo in hunc modum statuens : *Episcopus impensas æstimet, quæ in religionis ingressu et tempore professionis fieri solent pro vestitu et aliis rebus, ad ipsius puellæ vel monasterii usum pertinentibus : tum pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine monasterio det, nisi census aut alia immobilia, quorum annui fructus, ejusdem judicio ad ea alimenta satis sint, monasterio attribuantur; ea autem omnis pecuniæ summa apud certum hominem, virum probum devonatur, qui, professione confectâ, eam statim monasterio tradet.*

401. Denique Martinus V, apud S. Antoninum, Suarez, Archidiaconum, Sylvestrum, Lessium, Felinum, statuit, ut censura non habeat locum in dote, quæ datur monasteriis monialium, intuitu ingredientis. Item Innocentius VIII, apud Navarrum, à Sorbo, Miranda, Marchant, Lessium, Ascanium Tamburinum, declaravit, quòd *Moniales (quia nesciunt discernere inter intentionem primariam, quæ causat simoniam, et secundariam) nunquàm incurrant simoniam, nisi in duobus casibus, scilicet quando paciscuntur de aliquo dando vel solvendo pro ingressu religionis : et quando recipiunt inhabiles ob spem aliquid habendi, quia tunc illa est principalis intentio.* Item Clemens VII, apud Suarez, Miranda, Tamburinum, Reginaldum, Filliucium, Marchant, Castropalao, Herincx, decrevit, quòd moniales *nullam incurrant simoniam ex pactionibus et conventionibus, quas faciunt in receptione intrantium ordinem ipsarum, super dotibus recipiendarum, pro congruenti et sufficienti sustentatione earum.* Vide Hieronym., à Sorbo, Compend. priv. mend., verb. *Moniales*, n. 16 et 31. Et quanquàm præfati Pontifices loquantur de monialibus, idem tamen cum proportione intelligendum de viris, ut advertunt Tamburinus, Marchant et Herincx.

402. Ratio conclusionis est quia nec emitur nec venditur temporale pro spirituali; ergo non committitur in casu simonia, ac proinde non est locus pœnis hujus Extravagantis. Antecedens probatur : nam monasterium supponitur reverà tenue, id est, minùs idoneum ad sustentandam è suis bonis personam ingredientem : pactum verò seu conventio respicit dotem, non tanquàm pretium ingressûs seu professionis, sed tanquàm medium sustentationis. Jam verò sustentatio, uti et sustentandi obligatio, temporalis est, atque adeò datur solummodò temporale pro temporali. Confirmatur 1° : Pecunia, quæ in casu deducitur in pactum, exigitur solùm tanquàm conditio necessaria, ut ingressu unius cæteri non graventur : non enim est æquum, ut cæteri religiosi majorem patiantur inopiam causâ ve. occasione illius, qui petit admitti, quando is ipse facilè potest prædictum incommodum avertere. Confirmatur 2° variis exemplis. Mutuator, si fundatè et verè prævideat damnum occasione mutui secuturum, potest citra labem usuræ exigere auctarium supra sortem, quo se reddat indemnem : nec enim ratio patitur, ut mutuans occasione mutui gravamen illud emergentis damni subire debeat, sed potiùs, ut id ipsum mutuatarius ferat, in cujus commodum ordinatur mutuum.

403. Quare auctarium illud non respondet sorti, sed damno extrinseco, sortis occasione proventuro. Ergo etiam monasterium, si fundatè et verè prævideat damnum seu gravamen, occasione professionis eventurum, potest citra labem simoniæ exigere dotem, quâ indemnisetur, quæque respondeat non ipsi professioni, sed gravamini religionis, professionem subsequenti. 2° Possunt sponsi de futuro pacisci de dote ad ferenda matrimonii onera et incommoda : quo casu nemo dixerit, dari vel recipi aliquid pro sacramento. 3° Simoniam non committit minister sacramenti, exigens aut recipiens aliquid pro suâ sustentatione sub obligatione ministerii sacri seu rei spiritualis : non enim temporale, ut supponitur, in casu est pretium spiritualis, sed stipendium ministri, qui cùm altari inserviat, secundùm Apostolum, 1 Corinth. 9, vers. 14, cum altari participat.

404. Objicies 1° : Extravagante *Sanè*, cit., excluditur et sub censurâ prohibetur omnis omninò pactio seu contractus monasterii cum ingrediente, hoc solùm permisso, ut *illa, quæ personæ ipsæ ingredientes, purè et spontè et plenâ liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre... voluerint, cum gratiarum actione* recipere monasterium possit. Jam autem ingrediens non potest dici *purè et spontè et plenâ liberalitate, omnique pactione cessante*, offerre dotem, de quâ expressa stipulatio antecessit. Respondeo, excludi et sub censurâ prohiberi pactionem omnem seu contractum, qui ipsum religionis ingressum seu sacram professionem spectet. Colligitur 1° ex communi opinione doctorum, quos adduximus, quique in hunc modum prædictam Extravagantem explicant. Colligitur 2° ex allegatis supra declarationibus pontificum, Martini V, Innocentii VIII, Clementis VII.

405. Imò Felinus Sandæus Ferrariensis, sacri palatii apostolici auditor et utriusque juris interpres acutissimus, in c. *De simoniacè*, de Simoniâ, refert à viris fide dignis se audivisse, quòd ipse etiam Urbanus V declaraverit, se nolle comprehendere moniales pauperes, quæ consueverunt aliquid recipere vigore consuetudinis. Vide Glossam in Extrav. *Sanè*. Colligitur 3° non solùm ex rubricâ Extravagantis, quæ de solis dantibus et exigentibus *pro religionis ingressu* loquitur, sed etiam ex tenore : nam pontifex agit de pactione, tanquàm detestabili et à canonibus reprobatâ : *Detestabilis*, inquit initio, *et à canonibus reprobata servatur abusio.* Jam autem detestabilis est quidem et à canonibus reprobata pactio, quâ exigatur aliquid tacitè vel expressè pro ingressu religionis : hìc enim (ut supra dictum) sine dubio spiritualis est, tum ex

parte principii, quod est Spiritus sanctus, tum ex fine proximo, qui est cultus Dei et spiritualis profectus ingredientis. Verùm in casu necessitatis dare aut recipere aliquid pro solâ ingredientis sustentatione, nec detestabile est, nec à sacris canonibus reprobatum. Navarrus, Zoesius, Azorius, Suarez.

406. Objices 2° cap. *Quoniam*, de Simoniâ, ubi Innocentius III, in generali concilio Lateranensi ait: *Quoniam simoniaca labes adeò plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitùs prohibemus.* Respondeo cum Navarro, Zoesio, Azorio, Lessio, sermonem eò loci esse de monialibus, quæ falso paupertatis prætextu exigebant dotem, volentes hoc modo palliare vitium simoniæ, quàm committebant, tacitè exigentes pro religionis ingressu, quod exigere non poterant titulo necessitatis.

Objicies 3° cap. *Non satis*, eodem tit., ubi dicitur: *Prohibemus ne ab iis, qui ad religionem transire volunt aliqua pecunia requiratur.* Respondeo cum doctoribus citatis, solummodò prohiberi, ne pecunia requiratur, tanquàm pretium religionis aut sine titulo paupertatis vel necessitatis.

407. Objicies 4° cap. *Periculoso*, § *Sanè*, de Statu Regularium, in 6, ubi dicitur: *Sanè, ut hoc salutare statutum commodiùs valeat observari, districtiùs inhibemus, ne in monasteriis ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis sive proventibus absque penuriâ sustentari; si secùs actum fuerit, irritum decernentes.* Concilium etiam Tridentinum, sess. 25, cap. 3, de Regularibus ita statuit: *In prædictis autem monasteriis et domibus tam virorum quàm mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Peccat igitur monasterium contra Ecclesiæ constitutionem, recipiens aliquem ad religionem, qui dotem conferre debeat aut de ipsius monasterii bonis, proventibus, redditibus vel consuetis eleemosynis commodè sustentari nequeat. Respondeo negando consequentiam.

408. Quod attinet capitulum *Periculoso*, nihil aliud intendit Bonifacius VIII quàm ut monasterium supra vires suas non gravetur ingressu novarum monialium; prout sine dubio gravabitur, si monasterium sit tenue et ex bonis seu proventibus suis pauperem ingredientem sustentare non possit. Ex hoc autem gravamine sequeretur incommodum aliud, necessitas nimirùm evagandi extra clausuram ad quæritandum victum. Huic incommodo occurrere intendit Pontifex præsenti constitutione, statuens ad tollendam evagandi occasionem, ne de cætero recipiantur sorores, pro quibus sustentandis clausura violanda foret, monasterii bonis non sufficientibus. Hunc esse scopum Pontificis tradit Glossa ibidem, et constat manifestè conferenti paragraphum secundum istius capituli cum primo. Jam verò neque gravamen monasterii, neque inde resultans prædictum incommodum habebit locum, si puella ingrediens paciscatur de dote, quâ sustentetur. Proinde ejusmodi pactio nec repugnat scopo nec decreto Pontificis. Respondeo 2° sub bonis seu proventibus monasterii comprehendi dotem ingredientis.

409. Aliàs si inter bona monasterii, è quibus ingrediens sustentari debeat, dos ipsa computari nequeat, sequitur, nullam, supra numerum ordinarium posse recipi, etiam gratis oblatâ dote, sine ullo pacto intercedente. Ita Sylvester, Cajetanus, Navarrus, Suarez, Azorius, Alterius, Miranda, Bonacina, Zoesius, Castropalao. Itaque à primo ad ultimum contra Pontificis voluntatem tum solùm facient moniales, si plures recipiant, nihil ad suum ipsarum victum conferentes: quia tunc necessarium erit, vel ut aliquid subtrahatur aliis ex debito et competenti victu, ita ut cum penuriâ cogantur vivere, vel egredi monasterio debeant ad victum comparandum. Hinc autem ulteriùs colligitur cum Glossâ, cur de monasteriis monialium, non item virorum loquatur Pontifex: nam ratio finalis decreti non habet locum in viris, respectu quorum non est turpis egressus è monasterio ad comparandum victum.

410. Ad concilium Tridentinum respondeo cum doctoribus præcitatis, sub consuetis eleemosynis comprehendi dotem ingredientis. Scopus concilii Tridentini videtur esse idem, qui Bonifacii VIII, cap. *Periculoso*, sup. ne videlicet monasteriorum penuria, ingredientium occasione proveniens, ansam præbeat relaxandi clausuram vel saltem monasticam disciplinam, quatenùs religiosi necessariis destituti, implicabuntur secularibus curis ad comparandum victum cum dispendio profectûs spiritualis et observantiæ regularis. Huic incommodo providetur, si persona ingrediens, quæ ex redditibus monasterii aut communibus eleemosynis sustentari commodè non posset, eleemosynam ipsa seu dotem conferat, unde vivere et ali possit.

411. Cæterùm hanc mentem, hunc scopum esse concilii Tridentini, colligitur ex diversis Pontificum Romanorum decretis, concilio posterioribus: ex bullâ Pii V, *Circa Pastoralis*, editâ 1566, 4 kal. junii; ex bullâ Gregorii XIII, quæ incipit *Deo Sacris*, datâ 3 kalend. januarii 1572; ex constitutione Clementis VIII, quæ incipit, *Nullus omninò*, datâ 25 julii 1599, ubi paragrapho septimo hæc leguntur: *In unoquoque conventu fratrum, is tantùm deinceps constituatur et inposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illis propriis vel ex communibus consuetis vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus, in commune, ut præfertur, conferendis, commodè possit sustentari*, etc. *Aliisve*, inquit Pontifex, *quibuscumque obventionibus*, quarum nomine sine dubio intelliguntur dotes, quæ obveniunt ex parte ingredientium. Idem manifestè colligitur ex declaratione cardinalium (quàm velut authenticam refert Stephanus Quaranta in suo Bullario, verb. *Monasteria*) datâ anno 1589. Item ex declaratione cardinalium alterâ, manu Alexand. cardin. Florent. subsignatâ, die 6 septemb. 1604, quam referunt idem Quaranta

Barbosa, Welmsius, Piasec., etc. Item ex decreto Pauli V, quod incipit, *Sanctissimus*, edito die 4 decemb. 1605. Item ex decreto sacræ congregationis illustrissimorum DD. cardinalium, negotiis episcoporum et regularium præpositorum, approbante Gregorio XV, edito die 17 augusti, anno 1621.

412. Hinc etiam responderi potest ad decreta concilii Arelatensis IV, celebrati sub Leone III, anno 818, cap. 8, et Moguntini, celebrati eodem anno sub eodem Pontifice, cap. 19, uti et ad cap. 1, de Institutionibus, ubi dicitur : *Non amplius suscipiantur in monasterio monachorum aut clericorum, seu etiam puellarum, quàm quot se regere de bonis ecclesiæ absque penuriâ possint.* Responderi, inquam, potest, scopum unicum ejusmodi decretorum esse, ut monasteria non graventur supra vires suas per ingressum eorum, qui monasteriorum penuriam aut egestatem suâ dote vel eleemosynâ sublevare non possunt.

Ad sextam respondeo : Doctores plurimi opinantur, eamdem in hoc puncto rationem esse de monasterio tenui, et opulento : opinantur, inquam, neutro casu prohiberi exactionem moderatæ dotis. Ita Sotus, Sylvester, Miranda, Bonacina, Tamburinus, Castropalao. Ratio est quia neutro casu exigitur aliquid pro ingressu ipso, aut re spirituali, sed pro sustentatione temporaneâ ingredientis, pro quâ, si liceat dare vel recipere aliquid sine vitio simoniæ, quando monasterium est tenue, cur non etiam, quando est opulentum? Nec enim sustentationem, naturâ temporaneam, efficere spiritualem potest opulentia monasterii. Interim opinio contradictoria est multò communior, quam docent Cajetanus, Lessius, Navarrus, Toletus, Suarez, Filliucius, Sylvius, et alii, volentes, si monasterium dives exigat aliquid pro sustentatione ingredientis, committi simoniam, saltem juris humani.

413. Probatur hæc sententia 1° auctoritate D. Thomæ, 2-2, q. 100, art. 3, ad 4, ubi asserit quidem quòd monasterium licitè possit recipere aliquid pro victu ingredientis, sed sub conditione, *si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas* : quam conditionem statim repetit variatis terminis ; *si ad hoc non sufficiant monasterii opes.* Porrò conditio illa tam sedulò repetita satis indicat sancti doctoris mentem, quod attinet monasterium locuples, sufficiens *ad tot personas nutriendas.* Expressiùs autem suam mentem declarat, 4, dist. 25, quæst. 3, art. 2, q. 2, ad 7, dicens *quòd, cùm possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo, qui in loco illo vult Deo servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium, unde ei possit providere, et ideò non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi, simoniacum est, aliquid pro receptione exigere.* Ita doctor Angelicus, cui consonat Seraphicus sup. eamdem addens conditionem his verbis : *Quando aliquis recipitur non pro pecuniâ, nec tamen reciperetur sine pecuniâ, eo quòd non habent, aliter ei, qui eum recipiunt, in necessitatibus corporis providere, cùm tenues facultates domûs vix sufficiant jam receptis..... hoc non est impurum.* Ita doctor Seraphicus.

414. Probat 2° Suarez ex sacris canonibus, qui saltem monasterio opulento interdicere videntur quamlibet pactionem, titulo religionis, adeò ut ejusmodi monasterium, secùs faciens, simoniam saltem juris humani videatur committere : nam inprimis, can. *Quàm pio*, 1, q. 2 (quem canonem citat S. Thomas, sup., in Summâ), Bonifacius VIII, omnem prohibet pactionem et exactionem, nisi quæ fiat *quasi subsidii gratiâ* : hoc ipsum autem subsidium subsequi potiùs quàm præcedere debere statuit, ut omnis tollatur præsumptio, quemadmodùm observat ibidem Glossa, verb. *Subsidii.* Similiter, cap. *Quoniam*, de Simoniâ, prohibetur quælibet pretii seu rerum mundanarum receptio *paupertatis prætextu.* Prætextus autem maximè habet locum, quando paupertas fingitur, quæ non subest, prout videretur fieri, si monasterium opulentum exigeret dotem tanquàm necessariam ad sustentationem ingredientis.

415. Ad fundamentum alterius opinionis respondet Sylvius, verum esse, quòd sustentatio sit temporanea, sive monasterium sit tenue sive opulentum : verum esse pariter, quòd opulentia monasterii non possit sustentationem spiritualem facere ; monasterii tamen opulentiam id efficere, ut fictus sit titulus necessitatis, adeò ut contrahentium intentio, quæ signatè diri tur in sumptus tanquàm necessarios pro sustentatione, exercitè feratur in ipsum spirituale seu sacram professionem. Ita in substantiâ Sylvius, cujus responsio confirmari potest exemplo mutui : ut enim mutuator, qui auctarium supra sortem exigit titulo reverâ non subsistente aut lucri cessantis aut damni emergentis, convincitur exercitè idem auctarium petere pro ipso mutuo, non sine peccato usuræ ; ita monasterium, exigens ab ingressuro dotem titulo non subsistente paupertatis aut sumptuum pro sustentatione necessariorum, convincitur, exercitè eamdem exigere pro spirituali seu ipsâ professione. Aliter, et fortassè meliùs responderi potest, quamvis sustentatio sit temporanea respectu monasterii utriusque, et tenuis, et opulenti, nihilominùs juris humani simoniam ab hoc potiùs, quàm ab illo in exactione dotis committendam, quatenùs huic potiùs, quàm illi exactio eadem intuitu religionis prohibetur.

416. Advertit autem Suarez cum Filliucio et aliis, posse aliquando fieri ut, licèt monasterium supponatur locuples, possit tamen vero necessitatis titulo exigere aliquid ab eo, qui admitti cupit, nimirùm vel quia monasterium jam habet completum numerum eorum, quos commodè intertenere potest ; vel quia sunt alii, quos admittere expedit et non possunt aliquid in sustentationem adferre, et omnes simul sine aliquo subsidio recipere non potest, vel quia ita expedit, ut crescant reditus monasterii, ad augendum numerum religiosorum cum convenienti sustentatione. In his inquit Suarez, et similibus casibus non condemnarem hujusmodi petitionem, bonâ fide factam. Solùm admoneo, quod etiam advertit Soto, magnâ esse opus

prudentiâ, ne sequatur scandalum, et ideò rarò ac prudenti moderatione id permittendum. Proinde quando multò exigitur ampliùs, quàm ad unius personæ, in tali statu constitutæ sustentationem moderatam sufficit, non videò quâ ratione aut titulo id honestari possit. Ultimò verò addo, si quid minùs rectum fiat bono zelo et ex ignorantiâ, etiam culpabili, id satis esse ad excusandum reum à censurâ hujus Extravagantis, ut Cajetanus et cæteri doctores notant ex proprietate verbi *Præsumant*, sæpiùs à nobis ponderatâ.

§ 7. *Ad Extravagantem*, Cùm detestabile, *eodem tit.*

417. Septimam excommunicationem, Sedi Apostolicæ in Extravagantibus reservatam tulit Paulus II loco citato, in simoniacos, non jam quidem circa religionis ingressum, de quo Extravagante præcedenti actum, sed circa materias alias, de quibus statim. Itaque quæritur hoc loco 1° qualis requiratur simonia ad incurrendam censuram? 2° in quâ materiâ? 3° quodnam sit hujus censuræ subjectum seu quæ actiones simoniacæ prohibeantur sub censurâ? 4° quid de simoniâ juris humani? 5° an et quam pœnam præter excommunicationem incurrat simoniacus vi hujus Extravagantis?

Ad primam quæstionem respondeo: Ad incurrendam hanc censuram requiritur simonia realis, id est, utrinque completa tam ex parte emptoris quàm venditoris, saltem pro parte. Ita communissimè doctores. Ratio est primò, quia pœna, præsertim tam gravis, qualis est excommunicatio, delictum consummatum exigit, nisi secùs expressè statuat legislator. Jam verò sola simonia realis, est consummatum delictum: contractus enim simoniacus perficitur, completur et consummatur per traditionem mercis et pretii. Secundò, quia sic usu, stylo et praxi Romanæ curiæ usitatum est et in Rotâ Romanâ sic observari solet, ut Navarrus, Suarez, Hugolinus, Filliucius, Bonacina et alii notant.

418. Hinc sequitur 1° quòd censura non incurratur per solam simoniam mentalem, sed neque per conventionalem, puram aut mixtam. Puram vocamus, quæ in solâ partium conventione sistit, adeò ut neque temporale ex parte emptoris, neque spirituale ex parte venditoris sit hactenùs traditum. Mixtam dicimus quæ completa est ex unâ parte, emptoris scilicet aut venditoris. Appellatur mixta, quia participat aliquid de reali, quatenùs completur ex unâ parte: participat aliquid de conventionali, quatenùs ex alterâ parte est incompleta. Hinc ulteriùs sequitur quòd qui pecuniam dedit pro consecutione ordinis aut beneficii, non incurrat censuram, priusquàm beneficium vel ordo conferatur. Idem dicendum si ordo vel beneficium conferatur ex prævià conventione simoniacâ, sed pretium hactenùs non sit solutum. Ita Gomez, Lessius, Navarrus, Hugolinus, Covarruvias, Filliucius, Suarez, Bonacina, Castropalao.

419. Sequitur 2° si simonia conventionalis primò quidem compleatur per traditionem rei spiritualis postea verò per solutionem pretii, sequitur, inquam, quòd jam primùm incurratur censura, quæ proinde non retrotrahitur ad punctum temporis præteriti quo rei spiritualis traditio facta est. Suarez, Filliucius, Bonacina. Ratio est primò quia non incurritur censura, nisi consummato delicto. Jam verò eo tempore quo rei spiritualis traditio facta est, delictum nondùm erat consummatum, cùm pretii solutio non esset præstita; ergo ad punctum illius temporis censura non potest retrotrahi. Secundò, quia Extravagans, de quâ loquimur, nullam istius retrotractionis mentionem facit. Tertiò, aliàs sequeretur sacerdotem qui celebrâsset eo tempore ad quod censura retrotraheretur, affici irregularitate, decretâ adversùs celebrantem in statu excommunicationis, quod non admittunt etiam illi qui in hoc puncto alioquin nobis adversantur. Interim servandus est stylus Romanæ curiæ.

420. Sequitur 3° ad consummatam simoniam, atque adeò ad pœnas juris non requiri, ut temporale et spirituale utrinque sit præstitum adæquatè, sed sufficere aliquam utriusque partem. Quare si beneficium vel ordo conferatur sub obligatione 100 aureorum, satis erit ad consummationem delicti, 10 vel 20 aureos numeratos esse. Similiter si 100 aurei numerati sint pro septem ordinibus conferendis, statim atque primus ordo collatus fuerit, incurritur censura.

Ad secundam quæstionem respondeo: Ut incurratur præsens excommunicatio, requiritur ut simonia committatur in materiâ ordinum vel beneficiorum. Ita communiter doctores. Colligitur ex ipso textu: nam Pontifex primò quidem loquitur de simoniâ circa ordines: *Apostolicâ*, inquit, *auctoritate declaramus quòd omnes illi qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* Deinceps agit de simoniâ in materiâ beneficiali, dicens: *Per electiones verò, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacâ contingerit labe fieri, et quæ viribus omninò careant, in ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis ecclesiasticis et quibusvis beneficiis aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenùs acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit, restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus.*

421. Tum verò immediatè subdit: *Statuentes præterea quòd universi et singuli, etiam præmissis dignitatibus prædîti, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores exstiterint seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, à quâ, nisi à Romano Pontifice, pro tempore existente, non possint absolvi præterquàm in mortis articulo constituti.* Ita Pontifex, cujus in hâc parte constitutio sine dubio relationem habet ad præcedentia, respiciens illos duntaxat simoniacos de quibus sermo præcessit, id est, in materiâ ordinum vel beneficiorum, id quod multò fit clarius per subsequentia, in quibus Pontifex bis usurpat terminum relativum *hujusmodi* dicens: *Et ut* HUJUSMODI *labis contagio frequentiùs reprimatur, omnibus et singulis ecclesiasticis, secularibusve personis... in virtute S. obedientiæ*

districtiùs injungimus et eos omnes quos simoniam HUJUSMODI *commisisse*, etc.

Dices : Excommunicatio afficit generatim omnes *qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint*, etc. Ergo respicit universos in quâvis materiâ simoniacos. —Respondeo particulâ *quomodolibet*, non significari indifferentiam materiæ, sed modi quo simonia committatur in determinatâ materiâ ordinum vel beneficiorum, nimirùm dando, recipiendo, procurando, etc.

422. Petes primò quid intelligatur nomine *ordinum*. — Respondeo intelligi utrosque, videlicet tam minores quàm majores : omnes enim univocè et propriè loquendo ordines sunt ac per quemlibet eorum confertur potestas specialis, respiciens sacerdotium, in quo character ordinis consummatur. Sed difficultas est an sub ordinibus contineatur tonsura. Negant Lessius, Reginaldus et alii, quorum ratio est quòd tonsura, propriè et strictè loquendo, non sit ordo, sed potiùs quædam ad ordines dispositio.

423. Deinde Pontifex, dùm punire intendit simoniam non solùm circa ordines, sed etiam circa tonsuram exprimere utrumque solet, prout fecit Sixtus V, bullâ *Sanctum et salutare*, 91 apud Cherubinum, editâ contra malè promotos, 5 januarii 1588. Similiter concilium Tridentinum, sessione 21, de Reformatione, cap. 1, expressam facit mentionem tonsuræ, statuens ut *nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ....* accipiatur. Oppositum docent Navarrus, Hugolinus, Suarez, Garcias, Avila, Sayrus, Alterius, Filliucius, Azorius, Reginaldus, Bonacina et alii. Ratio, quia constitutio pœnalis, tametsi rigidè intelligenda, nihilominùs est explicanda juxta formam loquendi, sacris canonibus usitatam : jam verò sacri canones primam tonsuram appellant ordinem, cap. *Cùm contingat*, de Ætate et Qualitate, ubi dicitur quòd *per primam tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam,... clericalis ordo confertur*. Quare tonsurati sunt clerici, quos si quis injuriosè percutiat, incidet in canonem *Si quis suadente*, 17, q. 4, ut capite secundo diximus.

424. Petes secundò quid intelligatur hoc loco nomine *beneficii?* Cajetanus, Navarrus, Suarez, Filliucius et alii putant, intelligi non solùm beneficia rigorosè sumpta, verùm etiam quodcumque munus regiminis spiritualis, ut est officium prioris, rectoris, Guardiani, aut aliud ejusmodi in aliquo regularium ordine. Ratio est quia textus generatim loquitur : *Per electiones, postulationes, confirmationes, provisiones seu quasvis alias dispositiones, quas simoniacâ contigerit labe fieri et quæ viribus omninò careant, in ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, prioratibus, officiis ecclesiasticis et quibusvis beneficiis*, etc. Deinceps autem statuitur excommunicatio in omnes et singulos, simoniam hujusmodi committentes dando, recipiendo, procurando, etc. Tandem, licèt munia ejusmodi non sint beneficia rigorosè sumpta, sunt tamen officia ecclesiastica, quæ per Extravagantem beneficiis comparantur. Interim Lessius, Azorius et alii censent nomine *beneficii* intelligi illud solum quod beneficii strictè dicti rationem habeat.

425. Ad tertiam respondeo : Subjectum hujus excommunicationis sunt omnes et singuli, cujuscumque gradûs, statûs, conditionis aut ordinis fuerint, qui *quomodolibet dando vel recipiendo, simoniam* (in ordine vel beneficio) *commiserint, aut quòd illa fiat, mediatores exstiterint seu procuraverint*. Ex quibus verbis colligitur quòd excommunicationem incurrant 1° dantes temporale pro spirituali vel contra, spirituale pro temporali. 2° Recipientes temporale pro spirituali vel contra. 3° Mediatores, id est, medio consilio, mandato, auxilio efficientes seu procurantes, ut simonia ejusmodi committatur. Sed dubitari potest an ad incurrendam censuram sufficiat ratihabitio. Titius, v. g., pecuniam solvit, ut Caius beneficium consequatur; quæritur an Caius incidat in censuram, si cognitum simoniæ delictum approbet. — Respondeo negativè, quia Caius *nec dando nec recipiendo, simoniam* committit, nec ut illa fieret, mediator exstitit seu procuravit. Jam verò requiritur horum aliquid ad incurrendam censuram, ut patet ex textu superiùs allegato.

426. Ad quartam respondeo : Incurritur Extravagantis hujus excommunicatio, non solùm ob simoniam juris divini et naturalis, sed etiam humani seu ecclesiastici. Ratio est primò, quia simonia jure duntaxat canonico interdicta (quam vocant malam, quia prohibita) est stricti nominis simonia, participans naturam generis seu ejus definitionem : ergo subjacet pœnis, contra simoniam generatim latis. Secundò, committens sacrilegium, jure tantùm humano prohibitum, reus est pœnæ, in sacrilegos universim latæ, ut videtur certum ; ergo idem dicendum de simoniâ. Tertiò, pro genuino legum pœnalium intellectu, spectandus vulgaris vocabulorum usus : jura verò nomine simoniæ sic passim utuntur, ut complectantur utramque, tam juri canonico quàm divino naturali contrariam, ut constat ex cap. *Quæsitum*, cap. *Cùm olim*, de Rerum permutatione, et aliis. Quartò idem colligitur ex initio hujus Extravagantis, ubi dicitur : *Cùm detestabile scelus simoniacæ pravitatis, tam divinorum quàm sacrorum canonum auctoritas abhorreat atque damnet*, etc. Proinde Pontifex punire intendit simoniam, non solùm divinis, sed etiam humanis canonibus repugnantem ; quare mox confirmat pœnas à suis prædecessoribus in simoniacos decretas, adjiciens censuram excommunicationis adversùs quomodolibet dantes vel recipientes, etc. Ita Suarez, Filliucius, Navarrus, Bonacina et plures alii.

427. Ad quintam respondeo : Præter excommunicationem, omnes simoniacè ordinati incurrunt suspensionem ab executione ordinum. Patet ex verbis : *Apostolicâ auctoritate declaramus quòd omnes illi qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi*. Secundò, irritæ sunt electiones, postulationes, confirmationes, provisiones et quælibet aliæ dispositiones simoniacæ, in ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis ecclesiasticis

et quibusvis beneficiis contingentes, ita ut *cuiquam* per similia *jus nullatenùs acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Tertiò innovantur initio Extravagantis omnes sententiæ, censuræ et pœnæ, à Romanis Pontificibus contra simoniacos quomodolibet latæ.

§ 8. *Ad Extravag.* Etsi dominici, 2, *de Pœnit. et Remission.*

428. Octavam Pontifici in Extravagantibus reservatam excommunicationem tulit Sixtus IV, loco citato, inprimis in eos qui prætextu facultatum generalium à se concessarum aut in posterum concedendarum absolvere attentaverint à certis delictis illic enumeratis. Secundò, similem excommunicationem decernit in eos qui eodem prætextu absolvere præsumpserint *à casibus contentis in litteris quæ consueverunt in die Cœnæ Domini publicari.* Tertiò, in illos qui unum ex votis Pontifici reservatis eodem prætextu commutârint. Vota ejusmodi, illic enumerata, sunt quinque, videlicet castitatis integræ et perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina principum Apostolorum, Jacobum Compostellanum vel terram sanctam. Addit etiam Pontifex facultates absolvendi generales à se concessas vel in futurum concedendas semper debere intelligi cum exceptione casuum præfatorum, à quibus proinde nemo potest absolvere, uti nemo præfata vota commutare, *nisi ex speciali licentiâ et certâ scientiâ nostrâ, de quâ demùm constare censeatur, cùm in signaturâ nostrâ, desuper manu nostrâ scriptum aut in litteris nostris expressum fuerit, nos ex certâ scientiâ et de speciali gratiâ id concedere cum derogatione præsentis constitutionis, illius de verbo ad verbum inserto tenore.* Ita Pontifex.

429. Reflectendum est autem quod verbo diximus, excommunicationem hoc loco in eos duntaxat ferri, quia à casibus enumeratis absolvere, aut vota reservata commutare præsumpserint prætextu facultatum generalium, per ipsummet Sixtum IV concessarum. Constat ex illis verbis : *Prætextu facultatum hujusmodi concessarum à nobis vel auctoritate nostrâ;* et rursùs infra : *Prætextu hujusmodi facultatum.* Hinc autem colligitur cum Suarez, Toleto, Filliucio, Navarro, Castropalao, præsenti Excommunicationi hodiè vix esse locum, cùm nemo fortè facultatem generalem à Sixto IV habeat, cujus prætextu à casibus speciatim reservatis præsumat absolvere aut vota præfata commutare.

§ 9 *Ad Extravagant.* Excommunicamus, *de Sent. excommun.*

430. Nonam Pontifici reservatam censuram legimus citato loco, ubi Bonifacius VIII excommunicat *omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexûs,... qui aliquod pactum fecerint seu aliquod parvum vel magnum promiserint vel promissionem receperint, aut ex pacto vel promissione.... quidquam dederint aut receperint.... pro aliquâ justitiâ sive gratiâ, pro se aut alio, in causis vel judiciis seu aliàs, per litteras apostolicas et quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinendâ.* Ita Bonifacius VIII, cujus constitutionem etsi gravissimi doctores, Paludanus, Angelus, Sylvester, Navarrus censeant re vocatam fuisse per Clementem V; nihilominùs Gregorius XIII, bullâ *Ab ipso*, 24, in Romano Bullario, editâ, 9 novembris 1574, prædictam Extravagantem resumpsit, confirmavit, ampliavit. Deinceps utriusque prædecessoris sui, Bonifacii videlicet et Gregorii constitutionem extendit et iterùm ampliavit Clemens VIII, bullâ *Pro commissa*, 10 inter Clementinas, editâ 15 augusti 1592. Itaque quæritur 1° quodnam sit subjectum præsentis excommunicationis; 2° quid intelligatur per *gratiam;* 3° quid per *justitiam;* 4° quid per *Sedem Apostolicam.*

431. Ad primam quæstionem respondeo : Subjectum hujus excommunicationis sunt 1° paciscentes aut promittentes aliquid pro gratiâ vel justitiâ, apud Sedem Apostolicam obtinendâ. Constat ex illis verbis : *Qui aliquod pactum fecerint, seu aliquod parvum vel magnum promiserint.* 2° Qui ejusmodi promissionem acceptârint; additur enim, *vel promissionem receperint.* 3° Qui ex simili *pacto vel promissione quidquam dederint.* 4° Qui ex simili pacto vel promissione quidquam *receperint.* His addi possunt : 5° *Qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis et... intra dierum trium spatium non retulerint* Pontifici : hos enim decernit, *simili... sententiæ subjacere.* 6° Scienter utentes gratiâ vel justitiâ sic obtentâ : *Sed et scienter utentes ipsis, simili sententiâ excommunicationis adstringimus,* ait Pontifex circa finem Extravagantis.

432. Ad secundam respondeo : Nomine *gratiæ* intelliguntur hoc loco, non solùm quæ à Sede Apostolicâ obtinentur per litteras, diplomata, rescripta, vel brevia pontificia, verùm etiam quæ per signaturam, aut solo verbo vel vivæ vocis oraculo concedi solent. Quare in hanc censuram incidet qui aliquid promiserit, dederit, receperit, etc., pro absolutione, dispensatione, beneficio, pensione, indulgentiis, privilegio, facultate vel favore alio, etiam solis verbis concesso. Navarrus, Azorius, Bonacina, Castropalao, Molina et alii. Ratio est ex generalitate termini, quo Pontifex utitur : *Per litteras apostolicas et quibuscumque modis apud Sedem Apostolicam obtinendâ.*

433. Ad tertiam respondeo : Per *justitiam* intelliguntur non solùm sententia definitiva, verùm etiam interlocutoria, appellatio, absolutio à pœnâ, prorogatio termini, eductio è carcere et similia, etiamsi in arbitrio judicis constituta. Azorius, Navarrus, Molina, Filliucius, Castropalao, Bonacina. Et quidem res satis est manifesta, quando justitia causæ ex parte donantis aut promittentis est dubia vel incerta; nam eo casu est periculum perversionis. Verùm si certa justitia sit et pro sententiâ vel expediendâ vel maturandâ, sine tertii præjudicio donares aliquid vel promitteres, censet Navarrus, te non incurrere in pœnas dictæ Extravagantis; quia nullam exerces actionem, jure naturali, divino vel humano prohibitam; nullibi enim prohibitum legimus, muneribus movere judicem ad officium suum vel ad præstandum id quod de se bonum et nemini nocivum est. Constitutio autem præsens eam solummodò donationem vel promissionem respicit

quæ aliàs interdicta est. Interim Molina, quem sequitur Castropalao, non audet huic opinioni acquiescere, excepto casu redimendæ vexæ : nam licèt jure divino vel naturali hæc donatio vel promissio non sit prohibita, nihilominùs jure civili interdicta est authenticà *Ut litigantes*, ubi statuitur ut litigantes initio litis jurent, nihil se daturos judici quâcumque ex causâ.

434. Hæc autem prohibitio habet locum, etiam in foro ecclesiastico, cùm in eo non statuatur oppositum et causarum etiam ecclesiasticarum sinceram expeditionem foveat. Ita ferè Castropalao ex Molinâ, excipiens tamen (prout diximus) casum injustæ vexationis redimendæ : hæc enim redemptio licita est et jure naturali permissa, quam neque leges, neque canones prohibent. Quare si justitia manifestè stet à tuâ parte, et interim fundatè timeas non observandam aut cum injuriâ detinendam, nisi judici aliquid offeras vel promittas, nullum peccatum committis, nullam censuram incurris, ejusmodi oblatione vel promissione, quam non voluntas inordinata corrumpendi judicem, sed casus necessitatis extorquet.

435. Ad quartam respondeo cum Azorio, Filliucio, Bonacinà, per *Sedem Apostolicam* intelligi summum Pontificem, non solùm quatenùs est monarcha supremus Ecclesiæ, habens in spiritualibus plenitudinem potestatis, verùm etiam quatenùs est princeps temporalis, habens dominium temporale in suam ditionem et statum. Itaque hanc excommunicationem incurrunt, qui gratiam vel justitiam per munerum donationem aut promissionem obtinent à summo pœnitentiario, datario aut ejus officialibus, secretario Brevium, officialibus cancellariæ, vicario summi Pontificis, auditoribus Rotæ vel cameræ, cubiculariis, secretariis, aut quibusvis aliis Pontificis ministris, in ejus curiâ vel urbe in quâ residet, commorantibus.

§ 10. *Ad Extrav.* Prodiens, *de Crimine falsi.*

436. Addi præcedentibus potest censura quam Extravagante citatâ tulit Joannes XXII in eos qui *nullam habentes auctoritatem juris, vel consuetudinem seu privilegium..... monetam falsam ostendunt, et fabricant in regno Franciæ et locis circumvicinis*, aut qui similem monetam extra regnum emunt, ut in regnum transferant, etc. Interim Filliucius opinatur prædictam Extravagantem tantùm ad tempus latam et in circumstantiis quæ locum hodiè non habeant. Ratio verò hæc reddi potest hujus opinionis, quòd Pontifex initio Extravagantis, mentionem faciat de illis qui *monetam falsam sub vero signo..... Caroli regis Francorum et Navarræ studiosè depravant.* Jam verò hoc tempore non videmus in Gallià monetam sub signo Caroli Magni, sed regis pro tempore existentis, et regni jura tenentis. Quidquid sit, uberiorem expositionem hujus Extravagantis, quoniam solam concernit Franciam cum *locis circumvicinis*, relinquemus Gallis.

Ob eamdem rationem transimus pariter excommunicationem quam idem Pontifex Joannes XXII, Extrav. *Dierum crescente malitiâ*, de Pœnis, tulit in eos qui Marchiæ Anconæ rectores, seu officiales, judices, thesaurarios seu locum illorum tenentes occiderint, vulneraverint, ceperint, detinuerint, etc.

CAPUT VII.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PONTIFICI RESERVATIS IN BULLA *Cœnæ*.

§ 1. *De bullâ* Cœnæ, *ejus nomine, origine, materiâ, partibus.*

437. Bulla *Cœnæ*, est processus annuus Romani Pontificis adversùs certi generis peccatores. Ut obliget Christi fideles, non requiritur nisi authentica ejusdem publicatio : nam licèt processus contra determinatam personam non possit fieri sine ejus citatione, utpote cui competit jus defensionis ; nihilominùs aliter loquendum est de processu, constitutione vel præcepto generaliter lato contra futurum delinquentem ; quia à nemine ejus efficacia impediri potest, ut observant Sayrus, libro 3 Thesauri, cap. 3, n. 4; Bonacina, tomo 3 de Censuris, q. 1, puncto 3; Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 1, n. 2.

438. Vocatur bulla *Cœnæ*, eo quòd in Cœnâ Domini seu feriâ V Majoris Hebdomadæ, solemniter super porticum basilicæ S. Petri, præsente Pontifice, pontificiis vestibus induto, adstantibus cardinalibus, inspectante populo Romano et maguâ hominum multitudine promulgari soleat.

Quod attinet bullæ hujus originem seu ætatem, disputant critici. Soto cum nonnullis aliis censet extendi non posse supra tempora Martini V. Sed ejus originem Martino V seniorem esse, existimant Sayrus, Filliucius et alii. Imò facilè probari poterit, ait Sayrus, antiquiorem esse Urbano et Clemente IV, qui sederunt circa annum Domini 1261, siquidem Hostiensis, qui floruit sub Innocentio IV et Alexandro IV, anno Domini 1251, expressam hujus processûs mentionem facit, tit. de Crimine falsi, l. 5. Ita Sayrus, c. 1, n. 5, quem vide.

Quoad materiam et partes bullæ, continet excommunicationes 20, totidem paragraphis expressas, et Pontifici Romano sic reservatas, ut ab iisdem *nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus... absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum et indultorum ;* ut ibidem paragrapho 22, legitur.

439. Porrò excommunicationes omnes eâdem bullâ contentas, reducimus ad quinque capita, videlicet ad fidem, ad caput Ecclesiæ, ad Ecclesiam ipsam, ad Sedem Apostolicam, ad ecclesiasticam hierarchiam. Primò *ad fidem ;* quò spectat excommunicatio lata in hæreticos, eorum credentes, receptatores, fautores, schismaticos, à fide apostatas, imprimentes, legentes, retinentes eorumdem libros, etc., § 1, ipsius bullæ.

Secundò, *ad caput Ecclesiæ*, quod est summus

Pontifex; quatenùs offendi potest dupliciter, I. ut princeps supremus in spiritualibus, et sic excommunicantur appellantes ab ejus ordinationibus seu mandatis ad futurum universale concilium, § 2. II. Ut princeps in temporalibus quoad certam orbis partem, et sic excommunicantur invadentes, destruentes, occupantes, detinentes bona temporalia, ditiones ac possessiones Pontificis vel Ecclesiæ Romanæ, § 20.

440. Tertiò, *ad Ecclesiam ipsam*, quæ rursùs dupliciter offendi potest, I. in suis membris et personis, vel per latrocinium maritimum, § 3; vel per raptum bonorum naufragantium, § 4; vel per impositionem et augmentum pedagiorum et gabellarum, § 5; vel per offensionem Romipetarum, § 10. II. In suo principatu; quò spectat excommunicatio lata in deferentes arma ad christiani nominis inimicos, etc., § 7.

Quartò, *ad Sedem Apostolicam*, quæ iterùm duobus modis offendi potest, I. Quoad personas, quæ sunt sub illius protectione, quales sunt deferentes victualia ad usum curiæ Romanæ, § 8. Venientes ad illam pro negotiis, morantes et recedentes § 9. Negotiorum gestores, advocati, procuratores, auditores, judices super dictis negotiis, § 12. II. Quoad suam auctoritatem; vel per falsificationem litterarum apostolicarum, § 6, vel per appellationem à gravamine aut litterarum apostolicarum executione ad laicam potestatem, § 13, vel per usurpationem bonorum ecclesiasticorum, § 17.

441. Quintò, *ad ecclesiasticam hierarchiam*, quæ potest offendi tripliciter, I. Ratione membrorum principalium, cujusmodi sunt cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, legati vel nuntii Sedis Apostolicæ, § 11. II. Derogando ejus auctoritati, vel avocando causas spirituales aut spiritualibus annexas à judicibus ecclesiasticis, § 14. Vel trahendo præter juris canonici dispositionem personas ecclesiasticas ad seculare tribunal, § 15. Vel impediendo judices ecclesiasticos, quo minùs suâ jurisdictione utantur, § 16. III. Derogando ejus libertati, vel per impositionem onerum personis aut bonis ecclesiasticis, § 18. Vel usurpando cognitionem causarum criminalium ad clericos pertinentium, § 19.

Cæterùm durant prædictæ excommunicationes, donec alii bullæ processus expediantur vel ab eodem Pontifice, vel ab ejus successore, ut declaravit Pius V, apud Lacroix, l. 6, p. 2, n. 1612, et constat ex ipsis bullæ terminis, qui sic sonant, *Volentes nostros processus, ac omnia et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus, à nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.*

442. Hinc orta est inter doctores controversia, sintne præfatæ excommunicationes appellandæ *à jure*, an *ab homine*. Appellandas *à jure* censent Sylvester, v. *Excommunicatio*, 7, num. 76; Navarrus in Explic. bullæ, n. 21 et cap. 23, n. 23. Vivaldus in Candelab., de Excommun., n. 54, et in Exposit. B. C., num. 129; Salas, de Legibus, disp. 1, sect. 9, num. 62; Bonacina, de Censuris, in partic., disp. 1, quæst. 1, puncto 5, n. 2; Hugolinus, de Censuris, tab. 1, cap. 9 § 4, num. 4. Ratio est primò ex titulo bullæ *Ad perpetuam rei memoriam;* est igitur permanens, durabilis et *perpetua* instar juris. Secundò, ex fine ejusdem bullæ, ubi Pontifex processum suum appellat constitutionem; nomen autem *constitutionis* videtur importare sententiam vel decretum juris, non hominis. Tertiò, quia mortuo conditore non expirat, ut numero superiori dictum; cùm interim sententia ab homine finiatur per vitam conditoris. Interim oppositum tenent Sotus, 4, dist. 22, quæst. 2, art. 3; Toletus, lib. 1 Summæ, cap. 18; Becanus, tract. de Fide, cap 15, quæst. 8, num. 6. Suarez disp. 21, de Censuris, sect. 1, n. 2 et alii; quorum ratio est quòd prædictæ censuræ duntaxat durent pro tempore determinato, quo adveniente cessant sine ullâ revocatione : durat enim (ut supra diximus) bulla vetus, donec editur nova à Pontifice eodem vel successore; atque adeò videntur esse censuræ ab homine, non à jure, cùm de se non sint stabiles ac permanentes.

443. Probabilior videtur nobis sententia inter utramque media, quam docent Sayrus lib. 3 Thesauri, cap. 1; Reginaldus, Praxis, l. 9, num. 230; Castropalao, num. 4, præfatas excommunicationes nec esse propriè *ab homine* nec *à jure*, sed aliquid participare de utrisque. Non sunt propriè *ab homine*, quatenùs durant post mortem auctoris. Non sunt propriè *à jure;* quia de se non sunt perpetuæ. Nec obstant quæ adduximus ex Sylvestro et aliis : ad primum enim respondeo titulum illum : *Ad perpetuam rei memoriam*, à Pontifice non præmitti ad tribuendam bullæ perpetuam firmitatem, sed ad excitandam perpetuam illius memoriam apud homines. Ad secundum respondeo vocem *constitutionis* communem esse tum sententiis à jure, tum ab homine latis. Deinde quod in fine vocat Pontifex *constitutionem*, hoc initio appellat *processum annualem*. Ad tertium respondeo quòd clausula, *volentes*, solummodò inferat sententias præfatas habere quamdam, sed imperfectam cum jure analogiam; quod jam concessum est.

444. Pro fine autem nota (quod et alibi diximus) nihil à nobis resolvi quoad ejusdem bullæ obligationem localem, an videlicet in hoc vel in illo loco obliget aut recepta sit, quia bullam istam (inquit Natalis Alexander in suâ historiâ ecclesiasticâ) in nonnullis provinciis et regnis, non esse receptam, notum est. Recepta est alibi. Disciplinæ res est quam Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, variam in variis Ecclesiis tolerat. Ita Natalis Alexander.

Cæterùm non intendimus censuras et casus singulos, in hâc bullâ contentos explicare (id enim nec utile pro hâc patriâ nec consultum fuerit); sed magis principales, quique præ cæteris usui esse possint.

§ 2. *De primâ bullæ* Cœnæ *excommunicatione.*

445. Prima excommunicatio paragrapho 1 expri-

mitur hoc verborum tenore : *Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritûs sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, quoscumque Hussitas, Wicleffistas, Lutheranos, Swinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et à christianâ fide apostatas, ac omnes et singulos alios hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorum receptatores, fautores, et generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicæ scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quâvis causâ, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos, et eos qui se à nostrâ, et Romani Pontificis, pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt.* Ita Pontifex.

446. Itaque hoc paragrapho excommunicantur inprimis quicumque cujuscumque nominis *hæretici*, nimirùm qui contra fidem catholicam cum pertinaciâ tuentur errorem, vel cum eâdem pertinaciâ dubitant de articulo revelato. Non sufficit error merè interior, non sufficit merè exterior ; idem est de dubio. Perinde est tamen, sive publicè, sive occultè committatur error aut dubium. Non sufficit etiam erroris interioris qualecumque indicium externum, sed debet mortaliter peccaminosum esse in ratione actûs exterioris contra præceptum fidei.

447. Secundò, excommunicantur *à christianâ fide apostatæ*. Differunt ab hæreticis primò, quòd apostata debeat tenuisse fidem quam negat : est enim desertor fidei ; nemo autem deserere dicitur quod antea non possedit. Hæreticus verò est qui discredit articulo revelato, etiamsi eumdem nunquàm agnoverit. Secundò, quòd apostata neget totam fidem, hæreticus aliquem ejusdem articulum.

Tertiò, *eis credentes*, id est, qui credunt ac recipiunt hæreticorum dogmata, saltem implicitè, ut, v. g., qui, cùm nullum particulare Calvini vel Lutheri dogma expressè noverit aut sustineat, eosdem hæresiarchas laudaret ab eorum fide, et in eâdem se mori velle protestaretur. Necessarium est autem ad censuram, ut error internus externè exprimatur. Ejusmodi *credentes*, sunt veri hæretici, et tantùm gratiâ majoris claritatis adjunguntur, ut notant Archidiaconus, c. *Quicumque*, de Hæreticis, in 6 ; Paludanus, 4, dist. 13, quæst. 3 ; Sylvester, v. *Hæresis*, 1, § 10 ; Suarez, disp. 21. de Censuris, sect. 1, n. 6 ; Toletus, lib. 1 Summæ, cap. 18, n. 5.

448. Quartò, *eorum receptatores*, id est, tum hæreticorum, tum credentium. Receptator dicitur qui hæreticum domi suæ aut alibi occultat, ne in manus justitiæ incidat et debitas hæresi pœnas luat. Colligitur ex l. 1, de Receptator., et l. *Congruit*, ff. de Offic. præsid., ubi dicuntur receptatores, sine quibus latro diù latere non potest, quasi is sit receptator qui recipit ad occultandum. Porrò ad effectum excommunicationis requiritur ut occultatio cedat in favorem hæresis. Quare qui occultat hæreticum, ne occidatur à latrone, aut ne apprehendatur à judice tanquàm reus commissi homicidii aut alterius flagitii, non dicitur receptator. Toletus, n. 10. Pœnam tamen excommunicationis non evades, si hæreticum propter hæresim inquisitum occultes ex motivo amicitiæ vel consanguinitatis : quamvis enim in casu non occultes hæreticum quatenùs hæreticum, sed quatenùs amicum vel consanguineum, nihilominùs occultatio cedit in favorem hæresis, quod satis est ad receptationem. Sayrus, Toletus, Castropalao.

449. Similiter non evades censuram, tametsi hæreticus quem occultas non sit denuntiatus ; satis est enim, si notoriè sit hæreticus ; quia hæc pœna non in favorem excommunicationis, sed in detestationem hæresis constituta est. Duardus, in canone 1, q. 3, vers. 2 ; Filliuc., tr. 16, c. 2, quæst. 5, n. 36 et 39 ; Bonacina tomo 3, de Censuris, in partic., disp. 1, quæst. 2, puncto 3. Tertiò non evades censuram si occultes hæreticum, tametsi aliàs occultandi consuetudinem non habeas ; quamvis enim nomen *receptator* juxta propriam significationem importet frequentiam vel consuetudinem, nihilominùs juxta stylum curiæ, usu et consuetudine firmatum, receptator diceris ab unà receptatione ; quia hæc sufficit ut hæreticus pœnam hæresis evitet. Castropalao, de Censuris, disp. 3, puncto 2, n. 4 ; et de Fide, disp. 3, puncto 5, n. 4 ; Sayrus et alii.

450. Quintò, excommunicantur hæreticorum et hæreticis credentium *fautores*. Debet autem favor præstari hæretico, quatenùs tali ; quod fieri potest duobus modis, primò, omissione ; secundò, commissione. Fautores *omissione* sunt, qui ex officio obligati connivent, nec contra hæreticos procedunt juxta cap. *Ad abolendum*, de Hæreticis. His addit Sylvester, sup., personas privatas, quæ hæreticos ex juramento deferre debent si dissimulent. Fautores *commissione* sunt, qui favent verbis, litteris, factis, laudando justitiam et innocentiam hæreticorum, prætendendo injustitiam episcoporum vel inquisitorum, suppeditando victum, commeatum, hospitium, arma vel media, quibus declinent manus et pœnas competentis judicis. Archidiaconus, Sylvester, Paludanus, Sayrus.

451. Sextò, excommunicantur *generaliter*, quilibet *eorum defensores*, cujusmodi censentur primò, qui vi, potentiâ vel armis tuentur hæreticos vel eorum credentes, ne incidant in manus judicum, puniendi vel examinandi. Archidiaconus, cap. *Quicumque*, de Hæreticis, in 6 ; Paludanus, 4, dist. 13, quæst. 3, art. 1 ; S. Antoninus, 3 p., tit. 25, cap. 4 ; Sylvester, v. *Hæresis*, 1, n. 10 ; Vivaldus, in Exposit. B. C., n. 7 ; Toletus et Sayrus citati. Secundò, qui hæreticos jam captos adjuvant, ut elabantur, aut impediunt cursum et executionem justitiæ. Tertiò, advocati, qui defendunt hæreticos, quatenùs tales et eorum patrocinium suscipiunt. Paludanus, Vivaldus, Sayrus. Quartò, notarii seu tabelliones, facientes instrumenta in causâ et defensione eorum. Defensores tamen ad mentem Pontificis non censentur qui tuentur hæreticum ab injuriâ personæ privatæ, puta, latronis aut alterius

injusti invasoris; sed neque qui coram judice in causâ civili vel criminali, distinctâ ab hæresi. Sylvester, Toletus, Vivaldus, Sayrus.

452. Septimò, excommunicantur *eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate* Pontificis *aut Sedis Apostolicæ, scienter legentes.* Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur primò ut aliquis legat *librum*, sive impressum, sive manuscriptum : utrique enim convenit ratio libri. Suarez, disp. 20, sect. 2, num. 10 ; Sanchez, lib. 2, c. 10, n. 28, ex communi sententiâ. Dubitatur autem an nomine *libri* intelligantur concio, epistola, disputatio aut alia ejusmodi, minùs longa scriptura. Affirmant Suarez cit.; Farinacius, de Hæresi, quæst. 180, n. 30 et 31 ; Hugolinus, de Censuris, parte 2. Negant Sanchez, num. 29 ; Duardus, lib. 2, in Canone 1, quæst. 44, n. 6; Bonacina, disp. 2, de Cens., quæst. 5, puncto 4, num. 18, quorum ratio est quòd ejusmodi brevioribus scriptis juxta communem loquendi modum ratio libri non conveniat.

453. Secundò requiritur ut liber sit *hæretici.* Quare censuram bullæ non incurrit 1° qui legit librum scriptoris catholici, quo exprimuntur errores hæreticorum propriis eorumdem verbis, ad impugnandum, tametsi legeret, ut eosdem errores cognoscat. Herincx parte 3, disp. 9, quæst. 7, n. 87; Sayrus, num. 13; Navarrus, Man. c. 27, num. 56 ; Vivaldus num. 12, 2 : *Qui legeret librum doctoris catholici, cui vel auctoris ignorantiâ, vel hæreticorum perfidiâ errores aliqui inserti essent;* quia absolutè est liber catholici, non hæretici. Suarez, num. 13 et 14 ; Sanchez, num. 25; Navarrus, n. 56; Coninck, disp. 18, de Fide, dub. 11, n. 177; Herincx, cit. 3 : *Qui legeret librum auctoris infidelis, non baptizati*, secundùm Suarez num. 11; Sanchez, num. 22; Farinacium, quæst. 180, num. 10; Herincx cit. Sufficit tamen esse librum hæretici formaliter talis, etsi nondùm sit condemnatus aut denuntiatus; quia equidem verus hæreticus est. Tertiò requiritur ut sit *liber hæretici continens hæresim*, etiamsi unicam tantùm ; item etsi de hæresi ex professo vel instituto non tractet; quia nihilominùs est liber hæretici, continens hæresim ; quod juxta bullæ tenorem sufficit ad censuram. Sanchez, n. 35; Suarez, disp. 21, de Censuris, sect. 2, n. 10; Farinacius, n. 22; Coninck, n. 177 ; Bonacina, n. 19. Nec satis est ad evadendam censuram, si unicam hæresim, toto hæretici libro contentam, manu vel calamo deleas aut expungas. Sanchez, n. 35, Bonacina n. 19. Quartò requiritur ut liber hæretici, si hæresim non contineat, saltem tractet *de religione*, ita ut, juxta doctores communiter, utrumque sufficiat ad censuram, vel ut contineat hæresim, vel ut tractet de religione, etsi hæresim nullam, nullum errorem contineat. Ratio est quia disjunctione utitur Pontifex. Porrò de religione censetur tractare, si agat de sacrâ Scripturâ, aut aliquâ illius parte, de theologiâ scholasticâ vel morali, id est, de mysteriis fidei, de cultu Dei et sanctorum, de rectâ morum institutione, etc.

454. Requiritur quintò ut similem librum legas *sine auctoritate* Pontificis, aut *Sedis Apostolicæ.* Quare prohibitio et censura afficiunt quascumque personas, quâlibet dignitate, seculari vel ecclesiasticâ eminentes, quibus Pontifex Romanus per se vel alium licentiam legendi non concesserit. Omnes doctores. Sextò requiritur ut *legas;* non sufficit autem lectio exterior et materialis, id est, quâ solæ litteræ, soli characteres attenduntur ; sed requiritur formalis, quâ per litteras et characteres intenditur et intelligitur sensus, quidquid dicat Bonacina contra communem sententiam. Non tamen est necessarium ut quæ legis, ore vel verbis exprimas ; satis est si oculis ac mente percurras. Ita Hugolinus, Graffius et alii apud Sanchez, num. 41 et 51 ; Suarez, n. 18 ; Bonacina, n. 12, sed dubitatur 1° an parvitas materiæ excusare legentem possit à peccato mortali et censurâ? Negant Hugolinus, de Censur., parte 2, et Toletus lib. 1, cap. 19, num. 9, præcipuè in casu quo legens intendebat initio plura legere, si pœnitentiâ ductus, deinceps non progrediatur; quia jam illa actio exterior est peccatum mortale. Interim videtur probabiliùs non incurrere censuram qui paucas lineas legeret, etsi initio habuisset animum legendi plures : nam, licèt lectio in casu mortalis sit, non tamen ratione actionis exterioris, sed interioris seu voluntatis quâ processit ; quemadmodùm qui furatur assem animo auferendi plures, si tempestivè hanc animum deserat, peccat mortaliter, non tam actu externo furti, quàm furandi intentione. Jam verò censura non afficit internam intentionem, sed hujus externam executionem, quæ mortalis et gravis non videtur esse, si paucæ legantur lineæ; quia regulariter non videtur esse periculum grave perversionis in lectione paucarum linearum. Suarez, num. 20; Sanchez, num. 31; Coninck, num. 179; Bonacina, num. 13; Azorius, tomo 1, lib. 8, cap. 16, q. 3, et alii apud eosdem. Dubitatur 2° an censuram incurrat qui legentem audit. — Respondeo probabiliùs negativè cum Hugolino, Sanchez, Coninck, Farinacio, Reginaldo, Duardo, Filliucio, Bonacinâ, Herincx et aliis. Ratio est quia audire, non est legere, sicut auris non est oculus. Septimò requiritur ad hanc censuram ut legas *scienter.* Quare excusat ignorantia tam censuræ quàm prohibitionis, non solùm simplex, verùm etiam probabiliter crassa et affectata. Sanchez, Duardus, Bonacina, Castropalao, Herincx et alii, excipientes casum quo ignorantia affectata in ingentem temeritatem declinaret.

455. Octavò, excommunicantur scienter *retinentes* eosdem libros. Finis hujus prohibitionis et censuræ est, ne libri tam perniciosi conserventur aut maneant in rerum naturâ. Quare perinde est sive liber quem retines tuus sit, sive alienus; item sive domi tuæ retineas, sive alibi depositum habeas; quia verè retines. Graffius, Duardus, Bonacina, Sanchez, Suarez et alii communiter. Sed dubitatur 1° an à censurâ excuset bonitas finis quo movetur retinens, v. g., ad confutandos errores hæreticorum? Affirmant Felinus, Decianus, Mascardus. Ratio esse potest quòd hæc reten

tio non faveat hæresi, sed repugnet, atque adeò in odium hæresis censurari nequeat. Interim tenendum est oppositum, quia Pontifex absolutè prohibet retentionem sine ullâ intentionis restrictione. Hugolinus, Toletus, Sanchez, Farinacius, Suarez. Dubitatur 2° an parvitas temporis excuset à censurâ, puta, si per diem aut alterum retineas. — Respondeo probabiliùs affirmativè cum Sayro, Duardo, Reginaldo, Bonacinâ, Sanchez. Ratio est quia gravitas retentionis non solùm desumitur ex qualitate libri, verùm etiam ex morâ temporis quo retinetur; aliàs librum hæretici etiam per horam retinens peccabit mortaliter et incurret censuram; quod veri speciem habere non videtur.

456. Nonò, excommunicantur libros hæreticorum *imprimentes* : quo nomine, secundùm Suarez, Sanchez, Toletum, Sayrum veniunt 1° qui premit torcular; 2° qui chartam vel atramentum parat; 3° qui litteras colligit et disponit; 4° patronus seu principalis typographiæ, tametsi propriis manibus non laboret; 5° auctor damnati operis, cujus nomine fit impressio. Non tamen præli corrector : hic enim non tam imprimit quàm impressum revidet et emendat.

Decimò, eosdem libros *quomodolibet defendentes*, *ex quâvis causâ*, *publicè vel occultè*, *quovis ingenio vel colore*. Potest autem defensio tum verbis, tum factis fieri. Factis quidem, si librum occultes vel aliter effícias ut in manus judicis non perveniat. Verbis verò, si rationes aut motiva proponas, quibus persuadeas librum non esse dignum Vulcano. Item si argumenta dissolvas quibus impugnatur : idque etiamsi hæc vel similia occultè et nemine præsente facias.

457. Undecimò, *schismatici*, à schismate dicti. Est autem schisma vocabulum origine Græcum, significans generatim scissionem; sed usu Ecclesiæ translatum ad significandam illam divisionem, quâ quis se voluntariè separat ab unitate Ecclesiæ, servatâ christiani nominis professione. Quia verò unitas Ecclesiæ exigit partim unitatem fidei, partim communionem membrorum in eodem externo cultu ac sacramentis, et præsertim subordinationem ad idem supremum caput; ideò fieri potest schisma per divisionem ab unitate fidei, potest et fieri retentâ fide. Unde omnis hæresis habet conjunctum schisma, non contra, ut rectè Hieronymus, in c. 3, ad Titum, et Augustinus, lib. de Fide et Symbolo, cap. 10; qui enim ex merâ malitiâ vel obstinatione animi, retentâ fidei catholicæ professione, recederet ab obedientiâ Pontificis canonicè electi et tanquàm talis ab Ecclesiâ agniti, nec membris eidem subditis communicare vellet, schismaticus esset, non hæreticus. Nihilominùs schisma inveteratum in hæresim declinare solet, ut idem Hieronymus notavit dicens : *Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesiâ recessisse videatur.* Vide Herincx.

458. Duodecimò, *qui se à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt.* Nec est putandum, ait cardinalis Toletus, n. 24, schismaticos significari his verbis : nam jam tales superiùs proprio nomine excommunicati sunt, sed significantur illi qui mandato Romani Pontificis pertinaciter, id est, scientes esse tale mandatum, nolunt obedire; nec hoc ad schisma satis est : nam schisma est, quando homo in totum à judicio et obedientiâ Romani Pontificis se subtrahit, opere ipso non recognoscendo eum superiorem. Hâc ergo censurâ ligantur pertinaciter inobedientes, licèt schismatici non sint : non enim omnis inobediens est schismaticus. Ita Toletus.

§ 3. *De excommunicatione secundâ.*

459. Secunda excommunicatio paragrapho secundo bullæ in hunc modum exprimitur : *Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cujuscumque statûs, gradûs seu conditionis fuerint; universitates verò, collegia, et capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus; ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum, pro tempore existentium, ad universale futurum concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.*

Hujus canonis materia, ut post Cajetanum, v. *Excommunicatio*, cap. 25, notat Sayrus, lib. 3, cap. 6, n. 2, est sacrilegium contra primatum Pontificis Romani : est enim hæc appellatio à sententiis summi Pontificis, palliata quædam rebellio, habens speciem schismatis. Quapropter eamdem excommunicationem antea tulit Pius II, anno 1459, kalend. februarii, bullâ *Execrabilis*, quam Julius II, Extravag. *Suscepti reginiinis*, confirmavit, et extendit ad reges, cardinales, et ad omnes desuper præstantes consilium, auxilium vel favorem, etiam indirectè, uti tradunt Sylvester, v. *Excommunicatio*, 8; Cajetanus, c. 25; Martinus de Ledesma, 2, p. 4, q. 26, art. 2; Sayrus, l. 5 Thesauri, c. 6, n. 3; Toletus, lib. 1, c. 21, n. 4; Suarez, disp. 21, sect. 2, n. 11.

460. Itaque excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt omnes et singuli (exceptis tamen universitatibus, collegiis et capitulis, quocumque nomine nuncupatis) qui ab ordinationibus seu mandatis Pontificis Romani pro tempore existentis ad universale futurum concilium appellant, vel auxilio aut favore in appellationem influunt.

Dicitur 1° : *Omnes et singuli*, adeò ut comprehendantur censurâ, episcopi, archiepiscopi, cardinales, legati, ac demùm quilibet Pontifice inferiores.

461. Dicitur 2° : *Exceptis tamen universitatibus, collegiis et capitulis* : hæc enim, si appellaverint, interdicto, non excommunicatione puniuntur, ut ex terminis bullæ manifestum est. Ratio autem est quòd ejusmodi communitates excommunicari non possint, cap. *Romana*, de Sententiâ excommunicat., in 6. Quare meritò summus Pontifex in collegia, universitates et capitula pœnam interdicti (utique personalis) ipso jure tulit. Porrò hoc interdicto ligatur capitulum, etsi solùm pars major deliquerit : nam factum à majori parte, censetur factum totius capituli, cap. *Cùm inter canonicos*, de Elect. Ita Hugolinus, § 1, v. *Universitates*; Duardus, quæst. 7, n. 22, et alii.

Dicitur 3° : *Qui ab ordinationibus seu mandatis*; id

est, à sententiis, præceptis, legibus, censuris et pœnis specialiter vel generaliter latis; hæc enim omnia nomine mandati vel ordinationis veniunt, ut notant Hugolinus, Duardus, Bonacina, Castropalao. Neque refert sive justa sive injusta sit sententia à quâ appellas; quia injustitia sententiæ non purgat in casu injuriam appellationis, ut constat, si appellares ab episcopo ad parochum ob eamdem causam. Ita Suarez, Reginaldus, Bonacina, Palaus.

462. Dicitur 4° : *Pontificis Romani, pro tempore existentis.* Quare censuram non incurrit qui à sententiâ episcopi, archiepiscopi, concilii provincialis aut generalis appellat ad Pontificem. Sed dubitari potest an sit necesse ut fiat appellatio à Pontifice, quatenùs est Pontifex, an verò sufficiat appellationem fieri ab eodem, quatenùs principe temporali. Sufficere hoc ultimum, existimat cum plerisque doctoribus Bonacina, simul tamen satis significans, probabilem esse oppositam opinionem, quam præter alios absolutè tenet Reginaldus, lib. 9, Sum., n. 263; nam esto appellantes à mandatis Pontificis in causis temporalibus, Pontifici injuriam irrogent, si ipse in eisdem causis sit princeps supremus; tamen cùm id ex Pontificis munere non inferatur necessariò (si quidem potest in illis causis alteri principi subjectus esse, utpote qui sub eâ conditione dominium temporale concessisset) non videntur sic appellantes comprehendi censurâ. Deinde verba constitutionis odiosæ formaliter intelligenda sunt : illa autem verba canonis : *Nostris ac Romanorum Pontificum*, juxta formalem significationem non possunt intelligi nisi de Pontifice, quatenùs Pontifex est et caput Ecclesiæ. Tandem quia Pontifex hâc censurâ coercere intendit temeritatem illorum qui concilium supra Papam elevant; atqui sine temeritate dici potest, Pontificem quà dominum temporalem, non solùm concilio generali, sed etiam principe seculari posse inferiorem esse. Ergo.

463. Dicitur 5° : *Ad universale futurum concilium.* Hinc sequitur 1° non incidere in præsentem censuram, qui appellaret à Pontifice ad concilium synodale vel provinciale : quia de universali concilio bulla expressè loquitur; nec refert quòd æquale, imò majus delictum committatur, si provocatio fiat ad concilium particulare : nam constitutio pœnalis ultra propriam verborum significationem extendi non potest ad casum similem vel majorem, cap. *Odia*, de Regulis juris, in 6. Bonacina, Castropalao et alii. Sequitur 2° idem fore si quis à Pontifice appellaret ad concilium universale præsens; quia de solo futuro censura loquitur. Idem ob eamdem causam. Sequitur 3° rursùs futurum idem, si appellatio fieret ad Pontificem successorem. Bonacina.

Dicitur 6° : *Appellantes.* Est autem *Appellatio*, à minori judice provocatio ad majorem, ut notant doctores in tit. *de Appellat.*, et expressè Glossa, cap. *Non putamus*, de Consuetud., in 6, verbo *Officiali.* Unde cùm Pontifex Romanus sit caput supremum et summus princeps spiritualis, meritò prohibita est appellatio ab ejus sententiis vel mandatis ad tribunal judicis inferioris, tanquàm aliquid absonum, et à substantiâ appellationis prorsùs alienum. Quare jure etiam civili cautum est ne quis à principe vel senatu in rebus secularibus appellet. Idem jure Canonico per diversos Pontifices prohibitum jam olim fuit ab Innocentio, cap. *Nemo;* à Symmacho, cap. *Aliorum;* à Gelasio, cap. *Ipsi*, et cap. *Cuncta*, 9, quæst. 3.

464. Dicitur 7° : *Vel auxilio aut favore in appellationem influunt.* Constat ex bullæ terminis : *Necnon eos quorum auxilio vel favore appellatum fuerit.* Requiritur itaque ad hanc excommunicationem incurrendam, tum ut auxilium vel favor appellationem præcedat, tum ut appellatio tanquàm auxilii vel favoris effectus subsequatur : nam quolibet horum deficiente, non erit verum, vi talis auxilii vel favoris appellatum esse. Suarez, Navarrus, Sayrus, Bonacina, Castropalao, Cajetanus et alii. Quare differentia est (ut rectè observat Bonacina contra Duardum) inter appellationem, et auxilium vel favorem, quòd appellatio principaliter prohibeatur, auxilium et favor accessoriè, ut constat tum ex verbis bullæ, tum ex re ipsâ; cùm favor et auxilium interdicantur solùm ratione appellationis. Sed dubitari potest, an excommunicationem eamdem incurrant *consulentes?* Affirmant Navarrus, Gambarupta et quidam alii; quia consilium est quoddam genus auxilii et favoris, quatenùs permovet consiliarium ad opus consultum exequendum, argum. l. *Quod favore*, c. de Legibus. Sed rectiùs oppositum docent Vivaldus, Sayrus, Reginaldus, Suarez, Castropalao et Bonacina, tum quia pœnæ extra proprios casus non possunt extendi : tum quia Pontifex, quoties vult comprehendere etiam consulentes, eosdem exprimit, ut in aliis ejusdem bullæ excommunicationibus videre licet. Nihilominùs consulentes incidunt in aliam reservatam excommunicationem, nempe latam à Pio II, per bullam *Execrabilis*, et confirmatam à Julio II, Extrav. *Suscepti regiminis*, ut rectè observant Bonacina, Sayrus, Castropalao. Porrò ex dictis sequitur advocatos, tabelliones, instrumentum appellationis conficientes, aut quovis alio modo vel medio ad appellationem auxiliando vel favendo concurrentes, in reservatam Pontifici censuram incurrere.

§ 4. *De quartâ excommunicatione.*

465. Exprimitur in hunc modum : *Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos qui Christianorum quorumcumque navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta, in mari vel in littore inventa, cujuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quàm in cæteris cujusque maris regionibus et littoribus surripuerint. Ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.* Ita bulla *Cœnæ*, § 4. Quocirca notandum est jam olim jure antiquo excommunicationem fuisse latam in rapientes bona Christianorum naufragantium; c. *Excommunicationi*, de Raptoribus, ubi dicitur : *Qui Christianos naufragium passos, damnatâ cupiditate,*

spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere. Verùm hæc excommunicatio nec erat Pontifici reservata, nec afficiebat solos raptores aut spoliatores; sed spolium culpabiliter non reddentes. Jam verò à temporibus Gregorii XIII, excommunicationem in bullâ *Cœnæ* Pontifici reservatam incurrunt omnes et singuli, qui Christianorum naufragantium bona, sive in navibus existentia, sive in mare projecta, sive in littore inventa, surripiunt.

466. Dicitur 1° : *Omnes et singuli*, non solùm Catholici, verùm etiam hæretici baptizati : hi enim pariter subsunt potestati et jurisdictioni Ecclesiæ, ratione baptismi; atque adeò afficiuntur pœnis et censuris ecclesiasticis. Secùs dicendum est de infidelibus qui defectu sancti baptismatis foris sunt, de quibus Ecclesia secundùm Apostolum judicare non potest. Hugolinus, Alterius, Duardus, Filliucius, Reginaldus.

Dicitur 2° : *Qui Christianorum*, intellige, fidelium seu Catholicorum : infidelium enim aut hæreticorum bona non censetur Pontifex suâ excommunicatione protegere velle; quia sunt hostes Ecclesiæ, fideique catholicæ. Idem est de piratis : nam piratæ sunt diffidati et hostibus æquiparantur. Filliucius, Duardus, Bonacina, Palaus.

467. Dicitur 3° : *Naufragantium*, sive ex vetustate navis, sive ex scopuli offensione, sive ex ventorum vehementiâ, sive ex bello inimicorum. Hinc sequitur, si Catholicorum navigantium bona ante naufragium è navi surripias, non esse locum censuræ. Idem existimant Duardus, Reginaldus, Graffius, Bonacina, si eadem eorumdem bona rapias suborto naufragii periculo; eò quòd hactenùs non possit dici te surripere bona naufragantium, sed solùm de naufragio periclitantium, quæ diversa sunt.

Dicitur 4° : *Bona*, videlicet *cujuscumque generis*, ut supra Pontifex. Duo tamen hìc obiter reflectenda sunt: 1° necessariam esse notabilem horum bonorum quantitatem ad incurrendam censuram, et quidem graviorem, quàm requiratur ad mortale furtum : nam excommunicatio, utpote pœna gravissima non incurritur ob quodlibet mortale peccatum, sed gravius et enormius, uti colligitur ex Tridentino, sess. 25, cap. 3, de Reform. Vide Bonacinam, Sayrum, Palaum. 2° Reflectendum non esse locum censuræ, si naufragantium bona retineas, quæ ab iisdem in mare projecta sunt sine animo recuperandi : hæc enim tanquàm derelicta non habent alium dominum, nisi primò capientem. Hic tamen animus non est præsumendus, nisi ex manifestis conjecturis. Sayrus et Bonacina.

468. Dicitur 5° : *Sive in navibus existentia;* in navibus, scilicet *tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis aut quoquomodò naufragium passis.*

Dicitur 6° : *Sive in mare projecta, sive in littore inventa.* Quare si extra mare aut littus bona naufragantium surripias, ab excommunicatione bullæ immunis es, incidens nihilominùs in excommunicationem, cap. *Excomm.*, de Raptoribus. Perinde est autem in quocumque mari aut in cujuscumque maris littore surripias : non enim, ut supra, censura hoc loco restringitur ad mare determinatum. Constat ex verbis bullæ : *Tam in nostris* (inquit Pontifex) *Tyrrheni et Adriatici quàm in cæteris cujusque maris regionibus et littoribus.*

Dicitur 7° : *Surripiunt.* Quanquàm autem nomine surreptionis propriè intelligatur acceptio clandestina juxta l. *Si debitor*, ff. de Furtis et l. *Qui naufragium*, ff. de Incendio, Ruinâ; nihilominùs in præsenti comprehenditur quælibet injusta acceptio sive clandestina, sive manifesta, per vim aut impetum facta. Duardus, Bonacina, Palaus. Debet autem surreptio graviter peccaminosa esse. Quare si naufragantis bona in mare projecta, aut in littore inventa auferas, ut domino forsitan inveniendo reddas, uti peccatum, sic censuram evadis. Quòd si postmodùm voluntatem mutes et nolis reddere quæ reddendi intentione abstuleras, incidis in censuram, cap. *Excommun.*, de Raptoribus; an etiam in excommunicationem bullæ? Affirmat Castropalao; quia ab eo puncto quo voluntatem restituendi mutas, acceptio censetur esse injusta, quam bulla *Cœnæ* præsenti excommunicatione castigat.

§ 5. *De quintâ excommunicatione.*

469. In hunc modum exprimitur : *Item excommunicamus et anathematizamus omnes qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, præterquàm in casibus, sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.* Ita bulla *Cœnæ*, § 5. Porrò jamdudùm est, quòd hæc censura bullis *Cœnæ* inserta sit, ut colligitur ex Glossâ in Clement. 1, de Judiciis; verbo *Generales;* et ex bullâ Martini V, apud S. Antoninum, 3 p., tit. 23, cap. 72; item ex bullâ Julii II, apud Cajetanum sup. Sed olim censuram incurrebant soli pedagium exigentes et imponentes; nunc verò incurrunt omnes qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, sine legitimâ auctoritate imponunt, augent, exigunt.

Dicitur 1° : *Omnes qui in terris suis;* quare debet pedagii aut gabellæ impositio fieri à gubernatore vel domino in suo territorio, cujus nimirùm dominium vel potestatem habet. Unde tyrannus usurpatione tituli, in regno à se usurpato novum pedagium exigens vel imponens, censurâ non ligatur; quia non imponit in suis terris, ut bulla exigit. Ita Bonacina et Castropalao.

470. Dicitur 2° : *Nova pedagia.* Pedagium, à pede dictum, est tributum impositum mercibus vel personis, per certum locum transeuntibus, ut docent Glossa, cap. *Super quibusdam*, de Verb. signif., verbo *Pedagia*, Sylvester, Tabiena, Hugolinus, Sayrus Bonacina.

Dicitur 3° : *Seu gabellas.* Gabella verò latiùs sumpta, quodlibet tributum comprehendit : strictiùs accepta significat tributum, quod pro delatione, trans-

latione, venditione seu emptione mercium solvitur. Sayrus, Bonacina, Castropalao.

471. Dicitur 4° : *Sine legitimâ auctoritate.* Auctoritas legitima duobus potissimùm titulis alicui convenire potest, vel jure, vel licentiâ Pontificis. Utriusque tituli bulla mentionem facit dicens : *Præterquàm in casibus à jure vel ex speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis.* Porrò *jure* permittitur novæ gabellæ impositio imperatori, cap. *Super quibusdam*, de Verb. signif. et l. *Vectigalia*, c. de Vectigal. et Commis. Secundò regi, cap. *Super quibusdam*, cit. cap. *Innovamus*, de Censib. Tertiò, cuilibet in temporalibus superiorem non agnoscenti, citato cap. *Super quibusdam.* Quod à fortiori procedit quoad rempublicam perfectè liberam, habentem merum et mixtum dominium, quæ si suam potestatem in principem non transtulerit, poterit, majori parte consentiente, tributa imponere. Sayrus, Duardus, Bonacina. Quartò ille cui ex immemorabili consuetudine hæc impositio competit, juxta Panormitanum et Glossam in cap. *Super quibusdam*, cit. verbo, *Non exstat memoria.* Ratio est quia jus imponendi gabellas aut vectigalia, instar aliorum jurium consuetudine præscribi potest. Denique *licentiâ Pontificis*, tributum poterit imponere princeps, alioquin non habens similem potestatem, ut advertunt Bonacina et Castropalao, dicentes credendum esse quòd Christus Dominus suo vicario hanc potestatem dederit, quæ sæpè est necessaria aut valdè utilis ad spirituale regimen animarum.

472. Dicitur 5° : *Imponunt.* Quocirca dubitatur primò an imponentium nomine intelligatur mandans, vel consulens imponi. — Respondeo cum Bonacinâ negativè; quia non exprimuntur, et ex regulis generalibus constat, censuram latam in facientem, non extendi ad mandantem vel consulentem. Dubitatur secundò an princeps habens potestatem imponendi gabellas, censuram incurrat, si imponat injustè, puta, quia sine causâ.—Respondeo cum Graffio, Suarez, Duardo, Bonacinâ affirmativè; quia, supposità gabellæ injustitiâ, nec jus nec Pontifex permittunt aut possunt permittere ut imponatur; ergo impositio est extra casus *à jure vel Sedis Apostolicæ licentiâ* permissos. Omnem autem ejusmodi pedagiorum aut gabellarum impositionem censura respicit.

Dicitur 6° : *Augent* sine auctoritate pedagium vel gabellam, sive justè sive injustè imposita. Toletus, Sylvester, Angelus, Tabiena. Meritò autem censura extenditur ad augentes : quia vectigal, quâ parte augetur, censetur novum, cùm pars præexistens, illi sit accidentaria. Sicut ergo prohibetur impositio vectigalis novi ad occurrendum nimio gravamini subditorum, sic meritò augmentum veteris sub eâdem pœnâ.

473. Dicitur 7° : *Exigunt.* Censentur exigere, qui ab invitis extorquent solutionem. Quare si tributum injustè impositum, solvatur spontè, recipiens solutionem non erit exactor; quia ad exactionem requiritur involuntarium mixtum ex parte solventis, aliàs non soluturi, si non cogeretur, juxta l. *Solvendo*, de Negot. gest. Porrò semper præsumendum est solutionem involuntariam esse : nemo enim præsumi potest tributum solvere, nisi vel quia existimat debitum, vel quia timet majus incommodum. Cajetanus, Suarez, Navarrus, Sayrus, Duardus, Toletus, Bonacina, Castropalao.

§ 6. *De sextâ excommunicatione.*

474. His verbis fertur : *Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ brevis ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. vice cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, nec non falsò fabricantes litteras apostolicas, etiam in formâ brevis, et etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vice-cancellarii aut gerentium vices prædictorum.* Ita bulla *Cœnæ*, § 6. Similis excommunicatio fertur cap. *Ad falsariorum*, de Crimine falsi; sed non est reservata Pontifici. Cæterùm bulla *Cœnæ*, ut ex verbis adductis manifestum est complectitur quatuor genera personarum : primò, falsificantes litteras apostolicas, etiam in formâ brevis. Secundò, falsificantes supplicationes, gratiam vel justitiam concernentes, per Romanum Pontificem aut per vice-cancellarium, aut per eorum locum gerentes, aut de mandato Romani Pontificis signatas. Tertiò, falsò fabricantes litteras apostolicas, etiam in formâ brevis. Quartò, falsò signantes supplicationes ejusmodi, sub nomine Romani Pontificis seu vice-cancellarii, aut gerentium vices eorum.

475. Porrò nihil hoc loco dicturi sumus de falsitate, crimine falsi, aut modis et mediis quibus falsitas circa litteras committi solet : de his enim plura diximus alibi. Solummodò explicabimus, idque breviter, quid sint litteræ apostolicæ, brevia, supplicationes, gratiam vel justitiam concernentes.

Itaque *litteræ apostolicæ* vocantur, quæ nomine Romani Pontificis aut Sedis Apostolicæ expediuntur. Unde litteræ sacræ congregationis cardinalium, pœnitentiariæ, inquisitionis, declarationis, datarii, nuntii, legati à latere, episcopi aut gerentium vices eorum, non veniunt eo nomine : quia non expediuntur nomine Pontificis, sed eorumdem commissariorum. Ita Navarrus, Alterius, Suarez, Reginaldus, Duardus, Hugolinus, Graffius, Gambarupta, Bonacina et alii.

476. *Breve* verò, est litterarum apostolicarum species, quæ annulo Piscatoris in serâ rubeâ signantur. Differt à *bullâ*, apostolicarum litterarum specie alterâ, quòd hæc habeat appensum plumbum, cui Petri et Pauli Apostolorum capita sunt impressa.

Supplicationes verò, sunt instantiæ vel petitiones, quæ summo Pontifici, vice-cancellario, aut alteri eorum vices gerenti, in scriptis porriguntur, vel ad obtinendam *gratiam*, verbi causâ, dispensationem, indulgentias, etc., vel ad obtinendam *justitiam*, v. g., ut causa alicui definienda committatur. Reginaldus, Alterius, Suarez, Hugolinus, Duardus, Bonacina et alii

CAPUT VIII.

De excommunicationibus Pontifici reservatis post decretum Clementis VIII, editum 26 *novembris* 1602.

§ 1. *De Clementini decreti tenore et sensu.*

477. Neesen, Theologiæ sacramentalis tractatu 5, de sacramento Pœnitentiæ, quæst. 4, dub. 3, ad rem nostram in hunc modum loquitur : Præter supra dictas excommunicationes reservatas summo Pontifici in bullâ *Cœnæ*, dantur adhuc aliæ reservatæ extra dictam bullam, partim in jure canonico expressæ, potissimùm in Clementinis et Extravagantibus, partim in brevibus apostolicis, necdùm corpori juris insertis, quarum aliquæ indifferenter concernunt tam seculares quàm regulares, aliquæ verò solos regulares. Modò tamen secundùm declarationem Clementis VIII, datam Romæ 26 novembris 1602, reservantur Pontifici extra bullam *Cœnæ* soli casus sequentes.

1° Violatio immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis felic. rec. Gregorii XIV, quæ incipit : *Cùm aliàs nonnulli.*

2° Violatio clausuræ monialium ad malum finem.

478. 3° Provocantes et pugnantes in duello ; juxta decretum S. conc. Trid. et constitutionem felic. rec. Gregorii XIII, quæ incipit : *Ad tollendum.*

4° Violenta injectio manûs in clericos ; juxta canonem *Si quis suadente diabolo*, 17, q. 4.

5° Simonia realis scienter contracta, atque etiam confidentiæ beneficialis. Præterea contra religiosos cujuscumque ordinis, qui sine licentiâ expressâ parochi præsumunt administrare clericis aut laicis sacramentum extremæ Unctionis aut Eucharistiæ. Clement. *Religiosi*, de Privilegiis.

479. Insuper contra dantes et accipientes aliquid ob ingressum in aliquod monasterium, ut patet in Extravagante *Sanè, ne in vineâ*, de Simoniâ. Hactenùs Neesen sup., impressus Coloniæ Agrippinæ, 1677.

Item Boudart, in Manuali, etc., § 16, tract. de Pœnit., et in Catechismo, tomo 2, tit. de Casibus reservatis docet quòd Clemens VIII, anno 1602, tantùm reservaverit extra bullam *Cœnæ*, casus superiùs recensitos et quidem tanquàm decreto Clementino expressos.

Item Henno, tomo 8, tract. 5, disp. 8, quæst. 8, art. 2, et Danes, Instit., parte 1, sect. 2, cap. 16, quæst. 10, de sacram. Pœnit., excommunicationes Pontifici reservatas, post idem Clementis VIII, decretum restringunt ad eumdem numerum.

Hæc illorum doctrina, si vera foret, favorabilis esset tum pœnitentibus, tum confessariis : jam enim præter septem illos casus nulla ampliùs in decreto juris, decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus, conciliis, brevibus aut bullis Pontificum, reservata excommunicatio foret.

480. Interim magnoperè vereor ut hæc opinio veritatem attingat, primò, quia si decretum Clementis VIII, de quo loquimur, statuat ut præter excommunicationes à se expressas nulla in posterum Pontifici reservata sit, jam non ad septenarium, sed ad quinarium numerum reducendæ erunt reservatæ excommunicationes : nam de solis quinque casibus decretum loquitur, de duobus ultimis ne verbo quidem vel apice mentionem facit. De excommunicatione, inquam, à religiosis incurrendâ ob indebitè administratum extremæ Unctionis aut Eucharistiæ sacramentum, ut et de alterâ, quæ infligitur ob simoniam, in religionis ingressu committendam, nullo modo loquitur decretum Clementinum, ut constabit inferiùs ex ejusdem tenore, ad longum producendo.

481. Secundò, decretum non respicit nisi solam Italiam, seu confessarios *per universam Italiam extra Urbem* existentes, prout expressis terminis in decreto legitur. Itaque dato quòd soli casus, decreto expressi reserventur posthàc Pontifici, id erit quidem favorabile Italis, non item Belgis aut aliis extra Italiam commorantibus. Vide, quæso, tenorem decreti infra.

Tertiò, ne pro ipsâ quidem Italiâ decretum statuit, ut præter enumeratos casus nulla Pontifici excommunicatio reservata sit : id unum decernitur, ut sacerdotes seu seculares seu regulares, in Italiâ extra Urbem commorantes, qui privilegium in casus pontificios à Sede Apostolicâ impetrârunt, non possint equidem virtute similis privilegii vel indulti absolvere à casibus bullæ *Cœnæ*, nec ab illis quinque qui decreto Clementino exprimuntur. Porrò hoc non est tollere reservationem aliorum casuum aut censurarum : nam cæteris, etiam in Italiâ confessariis, privilegium vel indultum Apostolicum non habentibus, nulla in quamvis excommunicationem, Pontifici reservatam, potestas datur, imò in ipso, de quo loquimur, decreto expressè dicitur, *aliis... sacerdotibus, hujusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi*, qui proinde sicuti non poterant ab ullâ Pontifici reservatâ excommunicatione absolvere ante decretum, sic nec post decretum.

482. Hæc omnia ut fiant magis manifesta, oportet advertere duplex à Clemente VIII decretum emanâsse ; primum 9 januarii 1601, alterum 26 novembris 1602. Decreto priori statuitur ut nullus *per universam Italiam extra Urbem* sacerdos, prætextu cujusvis privilegii, indulti aut facultatis absolvere possit ab ullo casu Pontifici reservato aut in futurum reservando. Decreto posteriori restringitur priùs ad casus Pontifici reservatos in bullâ *Cœnæ* et quinque alios. Ab his nequeunt absolvere sacerdotes in Italiâ privilegiati, à cæteris possunt : qui verò privilegia hujusmodi non impetrârunt, nec ab his, nec ab illis possunt.

483. Primum decretum sequentis tenoris est : *Sacra congregatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præposita, iustis et gravibus causis id exigentibus ac de sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, sacerdotibus omnibus tam secularibus quàm regularibus,* per universam Italiam extra Urbem *degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis ordinum, etiam Mendicantium,*

militarium, aut congregationum, etiam societatis Jesu, et generaliter quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet et præcipit, ne quis eorum SUB PRÆTEXTU PRIVILEGIORUM, INDULTORUM AUT FACULTATUM *generaliter vel specificè, scripto aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem, à Sede Apostolicâ vel ejus auctoritate, eorum ordinibus, congregationibus, collegiis vel societatibus aut archiconfraternitatibus secularium aut singularibus personis, seu aliàs quomodocumque sub quibusvis tenoribus et formis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad cujusvis... instantiam concessarum... ab ullo ex casibus clarè vel dubiè in bullâ* Cœnæ Domini *legi solitâ contentis, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, ejusve successores pro tempore in eâdem bullâ vel aliter reservandis, nec etiam à casibus quos ordinarii locorum hactenùs reservârunt vel in posterum sibi reservabunt, ullo casu, etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo seu cum novâ et speciali suæ Sanctitatis aut successorum suorum, vel ordinariorum quoad casus ab ipsis tantùm reservatos, respectivè impetratâ in scriptis licentiâ, ordinariis locorum exhibendâ, absolutionis beneficium de cætero impendere valeat vel præsumat*, etc. *Datum Romæ, die nonâ mensis januarii* 1601.

484. Cùm autem dubia quædam ac difficultates circa ejusdem decreti interpretationem atque observationem emersissent, eadem congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur, et ut clariùs appareat in quibus casibus vigore ejusdem decreti reservatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII, similiter vivæ vocis oraculo super eâ re habito, ipsum decretum ita moderatur ac declarat, videlicet sub ejusdem prohibitione illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in bullâ in Cœnâ Domini legi consuetâ continentur, ac præterea violationis immunitatis ecclesiasticæ, in terminis constitutionis felic. record. Greg. XIV, quæ incipit : *Cùm aliàs nonnulli;* violationis clausuræ monialium ad malum finem; provocantium et pugnantium in duello, juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutionem felic. record. Gregorii Papæ XIII, incipit *Ad tollendum;* injicientium violentas manus in clericos, juxta canonem *Si quis suadente*, 17, q. 4, ac juris dispositionem : Simoniæ realis scienter contractæ atque etiam confidentiæ beneficialis... in quibus omnibus... sacra congregatio vult et mandat dictum decretum in suâ firmitate et pristino robore permanere, ac præterea declarat eos quidem sacerdotes tam seculares quàm regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis et facultatibus, in supra dicto decreto expressis suffulti fuerint, posse *juxta eorum privilegia, indulta et facultates*, usu ante idem decretum receptas et quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantùm et non aliàs absolvere à casibus, in præsenti declaratione non comprehensis : *aliis verò sacerdotibus, hujusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi*, etc. Romæ, die 26 mensis novembris 1602.

485. Hactenùs decretum alterum, ex quo tandem manifestè colliguntur, quæ supra diximus, videlicet 1° sermonem esse de solis sacerdotibus Italis; de his enim solis expresso termino loquebatur decretum primum : ergo de iisdem solis loquitur pariter decretum alterum : decretum enim secundum non extendit, sed limitat decretum primum, idque non quoad personas, sed quoad casus. Vide Bonacinam de Censuris in particulari, disp. 1, quæst. 22, puncto 3, n. 9; Bardum, discept. 6, cap. 11, p. 4, § 7, n. 1; De Schildere, de principiis Conscientiæ, tract. 5, § 2, n. 14; Bosco, disp. 8, de Ministro Sacram. Pœnit., sect. 5. concl. 12, n. 253; Herincx, parte 4, tract. 4, disp. 7, q. 2, n. 10, et auctorem novissimum Elucidationis tripartitæ cas. reserv. in Diœc. Tornac., pag. 48.

486. Ex eodem decreto colligitur 2° nihil omninò per sacram congregationem statui quoad sacramentum Eucharistiæ vel extremæ Unctionis sine licentiâ parochi à religioso administratum, nec quoad simoniam in religionis ingressu committendam. Vide Bonacinam, cit. num. 11, et auctorem novissimum Elucid. tripart. Colligitur 3° post decretum Clementinum, manere Pontifici reservatas excommunicationes, non solùm quæ in bullâ *Cœnæ* continentur, verùm etiam quæ in decreto juris, decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus, bullis aut brevibus Romanorum Pontificum exprimuntur. Interim judicavimus nec omninò inutile, nec theologis ingratum futurum, si casuum Clementinorum succincta expositio subjungatur. Ne tamen fiat inutilis repetitio, nihil dicturi sumus de excommunicatione incurrendâ ob violentam clerici percussionem, de quâ satis supra. Nihil etiam de simoniâ reali, de quâ pariter supra : de reliquis breviter.

§ 2. *De violatione immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis felic. record. Gregorii XIV quæ incipit :* Cùm aliàs nonnulli.

487. Constitutio Gregorii XIV quæ incipit : *Cùm aliàs nonnulli*, edita est 24 maii anno 1591, exstat autem tomo 2 Bullarii Romani, estque ordine septima inter Gregorianas. Tractat de immunitate ecclesiasticâ, exceptis quibusdam casibus, inviolabiliter observandâ. Quocirca quæritur 1° quid intelligatur nomine ecclesiasticæ immunitatis; 2° quibus locis immunitas competat; 3° quæ personæ eâdem gaudeant; 4° quæ careant; 5° quale peccatum sit ejus violatio.

Ad primam quæstionem respondeo ex alibi dictis : Immunitas ecclesiastica generatim nihil est aliud, quàm libertas et exemptio ab oneribus, subjectione et coactione potestatis laicæ seu temporalis. Ex quâ descriptione colligitur 1° distingui ecclesiasticam immunitatem à libertate, quòd hæc propriè et directè respiciat solas personas ecclesiasticas, illa non item. Vide Bonacinam, de Censuris in particulari, disp. 2, quæst. 3, puncto 16, § 1, n. 2. Interim à doctoribus sæpiùs confunduntur, et in bullâ Gregorianâ pro eodem frequenter sumuntur immunitas et libertas. Colligitur 2° immunitatem ex parte subjecti dividi in localem, realem et personalem. Personalis personas, realis

res, localis afficit loca ecclesiastica. De reali aut personali nihil hoc loco dicimus, quoniam de his non tractat constitutio Gregoriana. Localis verò est privilegium ecclesiæ vel loci sacri, ratione cujus, eò confugientes, per laicam potestatem nequeunt violenter extrahi. Introducta est non jure naturæ; aliàs ne ipse Pontifex in eâ dispensaret : non etiam jure divino positivo, cujus pro lege evangelicâ nullum testimonium exstat, sed ecclesiastico. Constat ex can. *Miror*, can. *Diffinivit*, 17, q. 2, cap. *Inter alia*, de Immun. eccles., et ex constitutione Gregorii XIV, de quâ loquimur.

488. Ad secundam quæstionem respondeo : Immunitas ecclesiastica competit *ecclesiis, monasteriis, sacellis, domibus regularibus et secularibus, locisve sacris et religiosis*. Constat ex bullâ *Cùm aliàs nonnulli*, § 2. Itaque immunitas inprimis competit ecclesiis, auctoritate episcopi fundatis, consecratis aut benedictis : tametsi sint interdictæ, dirutæ vel pollutæ : interdictum enim et pollutio non operantur ultra quàm jure statutum est; nullibi autem juris inter eorum effectus numeratur privatio immunitatis. Similiter ecclesia, tametsi diruta, non desinit esse locus sacer, nisi auctoritate episcopi diruta sit vel dejecta sine spe et apparentiâ reædificandi.

Secundò, immunitas competit cœmeterio, campanili, sacristiæ, saltem si sit contigua ecclesiæ. Constat ex terminis Gregorianis, *aliisve locis sacris et religiosis;* item ex illis § 3 : *Ut laicis, ad ecclesias, locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus*, etc.

489. Tertiò, competit *sacellis* et oratoriis publicis, episcopi auctoritate constructis, tametsi (juxta doctores communiùs) nondùm in eis cœperint divina celebrari. Ratio est quia ejusmodi sacellum seu oratorium censetur locus sacer et religiosus, nec in usus profanos converti potest. Secùs est de oratorio, privatâ tantùm auctoritate constructo. Panormitanus, Julius Clarus, Sylvester, Armilla, Farinacius, Filliucius, Bonacina, Ilerincx.

Quartò, *domibus regularibus* seu *monasteriis* religiosorum, idque quoad totum claustrum seu habitationem, secundùm omnes : quia totum claustrum intelligitur nomini monasterii.

Quintò, hospitalibus et seminariis per episcopum erectis et institutis.

490. Sextò, domui episcopali, saltem si habeat annexam capellam vel constructa sit intrà quadraginta passus ab ecclesiâ cathedrali. Vide Bonacinam de Censuris in particulari, disp. 2, quæst. 3, puncto 16, § 4, num. 11; Herincx, parte 3, tract. 4, disp. 3, quæst. 5, num. 40.

491. Ad tertiam quæstionem respondeo : Probabile est, quòd immunitate ecclesiasticâ gaudeant omnes fideles, exceptis casibus in jure aut bullis Romanorum Pontificum expressis, ita communiter doctores. Ratio est quia indistinctè loquuntur canones de hâc materiâ tractantes. Nihilominùs Covarruvias, Panormitanus, Navarrus, Suarez, Filliucius, Bonacina, Herincx excipiunt clericos, quos volunt per judicem ecclesiasticum extrahi posse è loco sacro, etiam in illis casibus in quibus laicus non posset per judicem laicum. Ratio est primò, quia immunitas ecclesiastica non potest præjudicare potestati ecclesiasticæ. Secundò, quia sicut judex secularis in locis profanis sibi subjectis exercet jurisdictionem, si judex ecclesiasticus in locis sacris, sibi pariter subjectis. Tertiò, quia majus est privilegium immunitatis personalis, concessum personis sacris quàm localis, concessum omnibus fidelibus; atqui privilegium immunitatis personalis non obstat, quominùs persona sacra, delicti gravioris rea, per judicem ecclesiasticum apprehendi possit; ergo nec obstat privilegium immunitatis localis, quo minùs eadem persona per eumdem judicem extrahi possit è loco sacro. Quartò, quia Gregorius XIV de solis laicis mentionem facit : nam § 3 : *Ut laicis*, inquit, *ad ecclesias, locaque sacra et religiosa prædicta confugientibus*. Item § 4 : *Volumus,... decernimus et declaramus ut curia secularis..... laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem*, etc. Item § 5 : *Delinquentes laici prædicti*, etc.

Ad quartam respondeo : In terminis constitutionis Gregorianæ, *Immunitas ecclesiastica* non suffragatur inprimis latronibus publicis, nimirùm qui palam seu in viis publicis, terrâ marive prædantur, vel qui publicas vias obsident, ut transeuntes invadant aut spolient vel ob frequentia latrocinia passim pro latronibus reputantur. Ita Panormitanus, Farinacius, Decianus, Bonacina, Herincx et alii. Constat ex bullâ *Cùm aliàs*, ubi, § 3, statuitur : *Ut laicis ad Ecclesias, locave sacra et religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones... immunitas ecclesiastica non suffragetur*. Idem dudùm ante statutum erat cap. *Inter alia*, de Immunit. eccles.

492. Secundò, idem dicendum est de grassatoribus viarum. Ratio est, tum quia sic expressè statuitur non solùm cap. *Inter alia*, cit., verùm etiam bullâ Gregorianâ, ubi dicitur immunitatem pariter non suffragari laicis, si fuerint *viarum grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur;* tum quia viarum grassatores ferè conveniunt cum latronibus publicis, in eo solummodò differentes, quòd latrones dicantur qui viam extra urbem obsident, grassatores, qui in urbe, l. *Capitalium*, § *Grassatores*, ff. de Pœnis.

Tertiò, privantur immunitate *depopulatores agrorum*. Ita rursùs expresso termino Gregorius XIV. Vocantur autem depopulatores agrorum qui diripiunt alienos agros, id est, qui segetes vel fructus surripiunt, agros vel vineas vastant vel incendunt. Perinde est autem sive depopulatores ejusmodi sint nocturni, sive diurni : quamvis enim cap. *Inter alia* solummodò fiat mentio de nocturnis, nihilominùs Gregorius XIV loquitur indefinitè. Ita Bonacina, Farinacius, Suarez, Decianus, Herincx.

493. Quartò, eâdem immunitate privantur occidentes aut mutilantes aliquem in ecclesiâ vel cœmeterio. Constat rursùs ex bullâ Gregorianâ, in quâ præter alios superiùs enumeratos recensentur *qui homicidia et mutilationes membrorum in vosis ecclesiis, earumve cœmeteris committere non verentur*. Ratio est quia (ut alibi

in jure dicitur) in eo in quo quis delinquit, puniri debet, et (juxta cap. fin. de Immun. eccles.) frustra legis auxilium invocat qui committit in legem. Perinde est autem sive hæc delicta committantur in ecclesiâ vel cœmeterio, spe immunitatis, sive aliter; item sive ex proposito aut destinatâ intentione, sive ex rixâ subitâ; quia textus indistinctè loquitur. Quæ verò de homicidio ac mutilatione decernuntur, extendi nequeunt ad delicta cætera, decreto Gregoriano non contenta, ut rectè Farinacius, Bonacina, Herincx et alii.

494. Quintò, carent immunitate qui proditoriè occidunt proximum suum ferro, veneno vel aliâ ratione. Constat ex bullæ Gregorianæ sequentibus terminis, *aut qui proditoriè proximum suum occiderint*. Proditoriè censetur occidere qui per industriam interficit nil minùs cogitantem, vel quem simulat amicum, aut quem dolo seduxit ad occidendum. Excipit Bonacina cum aliis nonnullis casum quo quis occidat inimicum suum, tametsi à tergo, vel dormientem, aut sclopeto per fenestram exploso, eò quòd talis propriè non censeatur proditor. Interim cùm actus vel modus agendi sit proditorius et comprehensus sub cap. 1, de Homicidio, quod explicatur per bullam Gregorianam, hinc meritò veretur Herincx, ne praxis huic exceptioni adversetur.

495. Sextò, idem est de assassinis. Constat rursùs ex bullâ *Cùm aliàs*, in quâ dicuntur immunitate ecclesiasticâ privari *assassinii... rei*. Sunt autem assassinii rei, non solùm assassini ipsi, id est, qui pecuniâ aut alio pretio accepto vel promisso conducti, incautos aut nihil tale suspicantes homines interficiunt, præcedente mandato vel præcepto, verùm etiam cooperantes mandato et aliàs.

Septimò, idem est iterùm de *hæresis* reis, prout iterùm expressè legitur in bullâ sæpiùs citatâ. Hæresis verò censentur rei, non solùm ipsi pertinaciter discredentes, verùm etiam, qui favorem, auxilium aut refugium præbent hæreticis.

Octavò, immunitas ecclesiastica non suffragatur reo *læsæ majestatis in personam ipsiusmet principis*, intellige, proprii. Gregorius XIV.

His accessit pro Belgio anno 1732, casus militum desertorum, quibus immunitas ecclesiastica non suffragatur ex decreto Clementis XII, ad instantiam Caroli VI.

496. Ad quintam respondeo: Qui violat ecclesiasticam immunitatem peccat inprimis peccato sacrilegii contra reverentiam loci sacri, ob quam extractio rei et similes actus ab Ecclesiâ prohibentur. Deinde juxta doctores communiter, peccat contra justitiam respectu refugi, qui suâ libertate privatur per injuriam et violentiam, et in quem, eatenùs à jurisdictione exemptum, exercetur illicitè jurisdictio, quemadmodùm si in personam ecclesiasticam. Denique est ipso facto excommunicatus per bullam Gregorii XIV, sæpiùs citatam.

§ 3. *De violatione clausuræ moniatium ad malum finem.*

497. Hic est casus secundus in decreto sacræ congregationis, circa quem quæritur 1° quid de clausurâ monialium ordinatum ante decretum Clementinum; 2° quid intelligatur per clausuram; 3° qualiter clausura violetur; 4° quibus personis prohibitus sit ingressus in monasteria monialium; 5° qualis requiratur licentia ad licitè ingrediendum; 6° à quo obtinenda; 7° qualis requiratur ratio ad ingressum; 8° quas pœnas incurrant illicitè ingredientes.

498. Ad primam quæstionem respondeo: Pontifices varii temporibus variis ediderunt ante decretum Clementinum constitutiones varias quibus clausuram monialium vel instituunt vel instaurant ac ejus violationem graviter interdicunt, et meritò: nam observatio clausuræ omninò conducit ad sexûs infirmioris pudorem, honestatem ac disciplinam. Quare jam olim S. Ivo Carnotensis episcopus (apud auctorem novissimum Elucidationis tripartitæ, pag. 58) epist. 10 ad moniales Dunenses suæ diœcesis ait: *Ad hoc septa monasterii vobis facta sunt, ne mundi amatores intrà claustra mundum fugientium recipiatis; ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione tractis introrsùm fœdis imaginibus, atque expugnatâ intùs virginitate, corpus quoque corruptioni subjici permittatis.* Itaque inprimis Bonifacius VIII, cap. *Periculoso*, de Statu regular., in 6, anno 1298, decrevit, ut nulli personæ (nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentiâ) ingressus vel accessus pateat ad easdem moniales. Hoc Bonifacii VIII decretum confirmavit deinceps concilium Tridentinum, sess. 25, de Regularibus, cap. 5, statuens, ut *ingredi intrà septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentiâ, in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœnâ, ipso facto incurrendâ: dare autem tantùm episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Eamdem Bonifacii VIII constitutionem, uti et decretum concilii Tridentini confirmavit Pius V, bullâ *Circa Pastoralis* (8 in Bullario Romano inter Pianas) editâ 29 maii 1566, et iterùm bullâ *Decori et honestati*, editâ 8 februarii, 1570. Similiter utramque constitutionem, Bonifacii scilicet et Tridentini innovavit Gregorius XIII, bullâ *Deo sacris* (8 inter Gregorianas) editâ 30 decembris 1572, et bullâ *Ubi gratiæ*, (28 in Bullario Cherubini) datâ 24 junii 1575, et bullâ *Dubiis*, editâ 23 decembris 1581.

499. Ad secundam respondeo: Per clausuram intelligitur totum illud spatium, quod intrà januam semper clausam continetur. Itaque clausura, est totus ille locus in quo sistere moniales debent et ultra quem nequeunt se sine peccato recipere. Quare qui hunc locum sine causâ et licentiâ ingressus fuerit, tametsi ad duos tantùm vel tres pedes, violator censebitur clausuræ, afficiendus pœnis, in temerarios per bullas Romanorum Pontificum latis.

Ad tertiam respondeo ex jam dictis clausuram violari per ingressum illicitum, qualis censetur omnis ille qui sine debitâ superioris licentiâ et gravi causâ contingeret, ex quovis fine seu motivo: quamvis

enim ad incurrendam excommunicationem Pontifici reservatam sacra congregatio exigat, ut ingressus fiat *ad malum finem*, puta, libidinis aut immunditiæ, nihilominùs in sacris canonibus et Pontificum bullis, superiùs adductis, nullus finis designatus est; proinde pœnas, in clausuræ violatores latas non evadet, qui etiam ex merâ levitate aut curiositate, sine aliquâ mali intentione, in monasterii clausuræ deputati terminos irreperet.

500. Ad quartam respondeo: Ingressus in monialium monasteria prohibitus est omnibus personis cujuscumque generis, conditionis vel sexûs fuerint, postquàm ad eam ætatem pervenerunt quæ requiritur ad usum rationis. Constat inprimis ex c. *Periculoso*, de Statu regular, in 6, ubi dicitur: *Nulli aliquatenùs inhonestæ aut etiam honestæ personæ, ingressus vel accessus pateat ad easdem moniales.* Constat pariter ex bullâ Pii V *Circa Pastoralis*, quâ capitulum prædictum confirmatur; et multò clariùs ex concilio Tridentino, supra, ubi *sub excommunicationis pœnâ, ipso facto incurrendâ*, dicitur, quòd *ingredi intrà septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerint, sine episcopi vel superioris licentiâ*, etc.

Hinc sequitur primò, non solùm viris, verùm etiam feminis prædictum ingressum interdictum esse, idque etiamsi femina ingrederetur eo fine ut assumeret habitum religiosum, nisi id fieret de scitu et consensu superioris: nam ad licitè ingrediendum non sufficit honestas finis, sed requiritur insuper licentia superioris.

501. Sequitur secundò eumdem ingressum eodem modo prohibitum esse monialibus alterius ordinis et habitûs: hæ namque sine dubio continentur sub personis *cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis.* An autem idem dicendum de regibus, reginis, eorum filiis ac nepotibus, etc., non ita constat. Affirmat Bonacina tanquàm probabilius, ob indistinctam canonum ac decretorum papalium locutionem. Contrarium docent Sanchez, Rodriguez, Castropalao, volentes regem, reginam, eorum filios ac nepotes à præsenti lege exercitè excipi: hi enim, ob suàm gravitatem et eminentem gradum comprehendi, non censentur sub verbis generalibus; quare ut comprehenderentur hâc obligatione, opus esset expressâ eorum mentione.

502. Ad quintam respondeo: Ad licitè ingrediendum monasteria monialium requiritur inprimis licentia specialis. Constat ex cap. *Periculoso*, de Statu Regul., in 6, ubi dicitur, neminem prædicta monasteria posse ingredi, nisi... de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentiâ. Quapropter non sufficit facultas, in quâ nulla fit mentio de ingressu, tametsi aliàs sit generalis respectu omnium actuum, quos potest concedere superior: hæc enim non est licentia specialis. Sufficiet tamen facultas ingrediendi quælibet monasteria: hæc enim specialis est quoad ingressum, licèt sit generalis quoad monasteria. Sufficiet item licentia, quâ potestas ingrediendi fiat medicis, chirurgis, confessariis, pro casu gravis infirmitatis aut alterius notabilis necessitatis, cui sine similium ingressu commodè provideri non possit.

503. Secundò, debet præfata licentia in scriptis dari, nisi periculum sit in morâ. Constat ex concilio Tridentino, sup., ubi dicitur, *sine episcopi aut superioris licentiâ, in scriptis obtentâ.* Ratio verò ob quam concilium scripturam exigit videtur esse ut tantò prudentiùs et magis deliberatè licentia concedatur. Itaque peccabit mortaliter et in censuram à concilio decretam incidet, qui licentiâ oretenùs concessâ uteretur, cùm facilè posset obtinere scripturam: nec enim existimandum est scripturæ qualitatem tanquàm circumstantiam leviorem aut rem minoris momenti à Pio V et concilio Tridentino exigi. Ita Sanchez, Bonacina, Castropalao. Hinc autem ulteriùs sequitur quòd, si superior generalem ingrediendi licentiam concedat omnibus illis quorum ingressum existimaverit necessarium abbatissa, debeat in scriptis hanc ipsam concessionem facere; est enim vera licentia ingrediendi. Secùs tamen est de judicio necessitatis, abbatissæ relicto; hoc enim non est licentia ingrediendi, sed conditio necessaria, ut licentia per superiorem facta effectum habeat. Ita Sanchez.

504. Hanc conclusionem de necessitate scripturæ ad effectum ingrediendi, limitant Barbosa, Navarrus et nonnulli alii, ut non procedat in casibus ordinariis, frequenter occurrentibus et à jure concessis, qualis est ingressus medici, chirurgi, confessoris, artificis et similium. Interim probabiliùs putant Castropalao et Bonacina, pro his omnibus licentiam in scriptis exigi, si commodè obtineri possit. Ratio est quia concilium licentiam in scriptis requirit pro casibus necessitatis, sine aliquâ exceptione. Ac licèt ingressus medici, confessoris, visitatoris, artificis pro casibus necessitatis, à jure concedatur; nihilominùs necessitatis sufficientiam examinare et approbare ad episcopum vel superiorem pertinet, præterquàm quòd aliquando expediat, horum ministrorum aliquibus licentiam facere, aliquibus denegare, quod ut fiat prudentiùs et magis consideratè, scripturâ opus est. Non requiritur tamen ut ministris singulis scriptura specialis transmittatur. Satis erit, si litteris encyclicis, statutis aut ordinationibus scriptis vel impressis licentia ingrediendi exprimatur, specificatâ ingredientium seu ministrorum qualitate et necessariâ conditione, ac designatis casibus, v. g., infirmitatis, visitationis, ædificii construendi aut reparandi, etc., de quibus infra.

505. Dixi, *nisi periculum sit in morâ;* quare si res ita urgeat, ut sine gravi incommodo differri nequeat, donec obtenta fuerit ingrediendi scriptura, censent Navarrus, Graffius, Sanchez, Bonacina, Rodriguez, Azorius, pro eo casu scripturam non requiri. Item autem est de licentiâ verbali seu oretenùs faciendâ, si eam sine gravi damno expectare non possit repentina necessitas. Ratio autem est quòd lex humana tanto rigore non censeatur obligare.

566. Ad sextam respondeo: Præfatam ingrediendi licentiam auctoritate ordinariâ concedit episcopus pro

monasteriis sibi subjectis; auctoritate verò delegatâ pro monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ. Colligitur ex concilio Tridentino, sup., ubi dicitur : *Ingredi autem intrà septa monasterii nemini liceat... sine episcopi... licentiâ, in scriptis obtentâ.* Porrò certum inprimis est per hæc verba intelligi monasteria episcopo subjecta, in quæ videlicet ordinariam potestatem et jurisdictionem habet. Certum est pariter, quòd eadem verba respiciant monasteria, Pontifici immediatè subjecta, in quæ episcopus commissariam seu delegatam potestatem habet. Ita omnes doctores. Per episcopum autem intelligitur non solùm qui habet ordinem ac dignitatem episcopalem, sed etiam qui jurisdictionem episcopalem. Quare eamdem licentiam concedere potest vicarius generalis episcopi, aut capituli, vacante sede. An autem debeant habere mandatum speciale ad usum hujus jurisdictionis, dubitari posset. Affirmant communiter doctores, præcipuè quoad monasteria, Sedi Apostolicæ immediatè subjecta : hæc enim ab episcopo reguntur, non ordinariâ, sed delegatâ potestate, quæ per designationem vicariatûs communicari non censetur. Barbosa, Suarez, Castropalao, Bonacina, testantes ita decisum esse à sacrâ Congregatione.

507. Quantùm verò ad monasteria monialium, exempta à jurisdictione episcoporum, et prælato regulari subjecta, licentiam ingrediendi concedere debet, qui eisdem monasteriis præest, prælatus scilicet regularis. Ita Navarrus, Rodriguez, Sanchez, Suarez, Barbosa, Azorius, Graffius, Miranda, Bonacina, Castropalao. Colligitur ex concilio Tridentino, quatenùs disjunctione utitur, dicens : *Ingredi intrà septa monasterii nemini liceat... sine episcopi vel superioris licentiâ, in scriptis obtentâ;* quæ verba, secundùm doctores nominatos, sic intelliguntur, non quasi vellet concilium ut episcopus vel superior in quælibet monasteria præfatam potestatem habeat, sed episcopus in monasteria tibi et Sedi Apostolicæ immediatè subjecta : prælatus regularis in ea quæ suæ sunt jurisdictionis.

Nomine superioris seu prælati regularis intelligitur non solùm generalis, aut provincialis, verùm etiam localis, si monasterio præsit plenariâ potestate. Suarez, Sanchez, Barbosa. Abbatissa verò vel priorissa aut quovis nomine vocata monialis non intelligitur hoc loco per superiorem; quia illi monasterium non est subjectum simpliciter et absolutè, sed tantùm secundùm quid, nimirùm quoad regimen domesticum. Sanchez, Suarez, Navarrus, Azorius.

508. Ad septimam respondeo : Præter licentiam superioris requiritur justa ratio ad ingrediendum monasteria monialium. Colligitur inprimis ex cap. *Periculoso*, de Statu regul., in 6, ubi Bonifacius VIII omnem in eadem monasteria ingressum prohibet, *nisi rationabilis et manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentiâ.* Rationabilis, inquit, et manifesta. Censetur autem rationabilis causa quæ prudenti judicio et æquitati conformis est. Censetur manifesta, non quæ innotuit publico, sed quæ perspecta est superiori vel episcopo, licentiam concedenti. Quapropter si causa sit dubia vel incerta, non potest dari licentia ingrediendi. Non tamen requiritur, ut causa sit omninò evidens, satis est videri justam et sufficientem discreto superiori. Aliàs infinitis scrupulis patebit aditus, et obligabitur prælatus, priusquàm alicui faciat licentiam ingrediendi, quasi processum instituere quo discutiatur sufficientia causæ.

509. Interim concilium Tridentinum, declarans Bonifacii VIII constitutionem, eam statuit rationabilem causam, quæ necessaria fuerit : *Dare*, inquit, *tantùm episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Similiter Pius V et Gregorius XIII, in supra citatis constitutionibus causam urgentem exigunt. Hinc colligitur hodiedùm non sufficere causam quæ suffecit olim, spectato capite *Periculoso* : nam quæ in hoc capite vocatur rationabilis causa, ad casum necessitatis reducta est per concilium Tridentinum et apostolicas constitutiones memoratas. Quanta verò hæc necessitas esse debeat, nec concilium eloquitur, nec Pontifices determinârunt, et meritò, cùm id universim determinari non possit, tanquàm pendens è diversis circumstantiis temporum, locorum, personarum, etc. Illud autem est certum, non requiri extremam aut strictissimam necessitatem, sed sufficere moralem et gravem, cui per moniales ipsas sine extraneorum ingressu commodè occurri nequeat. Rodriguez, Miranda, Suarez, Sanchez, Barbosa, Bonacina, Castropalao. Similiter videtur certum minorem causam desiderari pro ingressu mulierum quàm virorum; Item pro diurno quàm pro nocturno, quia minor in uno quàm in altero est indecentia. Rodriguez, Suarez, Sanchez.

510. Porrò necessitas ad concedendum licentiam requisita, se tenere potest vel ex parte conventûs seu monasterii, vel ex parte singularis monialis, vel ex parte ingredientis. Ex parte conventûs seu monasterii sufficiens erit causa primò, ad intromittendum fabrum seu artificem, si monasterium reparandum. Navarrus, Miranda, Bonacina, Castropalao.

Secundò, si res quæpiam gravioris ponderis eò sit inducenda vel extrahenda, quando id nequit fieri per moniales. Barbosa, Sanchez et alii.

Tertiò, si necessarius sit hortulanus pro plantandis arboribus, excolendo horto, rigandis fructibus, putandis arborum aut virgultorum ramis, aut ejusmodi aliis quæ à monialibus aut non possunt aut non solent fieri. Barbosa, Sanchez, Bonacina, Castropalao.

Quartò, ad expellendum malefactorem et monasterio delitescentem, non solùm judici, sed etiam alteri licet ingressus; quia omninò est indecens, in societate virginum similem commorari, qui, si gaudeat immunitate ecclesiæ, non debet ad hunc effectum esse in clausurâ monialium. Sanchez.

511. Quintò, ex parte conventûs, causa sufficiens ingrediendi est visitatio superioris. Constat manifestè ex bullâ Gregorii XIII expressè id concedentis, eâ conditione ut superior paucis, iisque senioribus ac religiosis personis associatus ingrediatur. Unde pos sunt ac debent ingredi cum secretario, ut visitationem denuntient, edicta proponant, aut exhortationem pro

visitatione habeant : decet enim, hæc omnia fieri coram solis visitandis, exclusis externis, atque adeò in capitulo vel refectorio monialium ; id quod procedit à fortiori pro visitatione publicandâ et excessibus aut culpis corripiendis. Similiter licet superiori cum secretario vel alio socio ingressus, ad videndum seu visitandum, an monasterii constitutiones regulares, prout oportet observentur, an clausura sit reparata, an monialium cellæ et supellectilia conveniant pauperlati, an dormitoria et officinæ statui religioso conveniant : hæc enim omnia in bonum monasterii seu conventûs cedunt et maximè requiruntur pro visitatione ordinatâ. Sanchez, Barbosa, Castropalao.

512. Sextò, ingressum in clausuram monialium permissum esse ad faciendam exhortationem et suffragia in electione abbatissæ seu superioris audienda vel excipienda, docuerunt aliqui; sed immeritò, cùm concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 7, de Regularibus, expressè in hunc modum statuat : *Is... qui electioni præest, episcopus sive alius superior, claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat.* Quæ verba, etsi formale et expressum præceptum non contineant, satis tamen significant, causam legitimam ingrediendi monasterium non esse electionem abbatissæ, maximè cùm id negotii possit extra clausuram, clausis ecclesiæ januis, commodè et opportunè fieri. Navarrus, Rodriguez, Miranda, Sanchez, Suarez, Barbosa. Interim si superior sive ob monialium inquietudinem, sive ob subornationis periculum, sive ob aliam gravem causam prudenter judicet electionem in capitulo aut alio monasterii loco faciendam, poterit utique : quia concilium, cap. 7, non revocat ingressum necessarium, quem, cap. 5, permiserat : id solùm cap. 7 statuit seu declarat, electionem seorsim sumptam, non esse causam ingrediendi. Navarrus, Sanchez, Suarez, Castropalao.

Septimò, ex parte conventûs legitima causa intrandi clausuram, est, si moniales ad infima domûs officia et ad curandas infirmas indigeant feminis servitricibus seu ancillis; sæpè enim moniales, choro destinatæ, similibus obsequiis aut officiis vacare non possunt; cùm autem non habeant laicas seu conversas, per quas similia præstari possint, opus est obsequio famularum introeuntium. Rodriguez, Sanchez, Suarez, Barbosa.

513. Ex parte verò singularis monialis, necessitas est sufficiens primò, si graviter decumbenti ministrandum Confessionis, Eucharistiæ vel extremæ Unctionis sacramentum. Et quidem si immineat periculum mortis, nemo dubitare potest quin is ingressus sit licitus, et ad eumdem vel concedendum vel faciendum obligetur superior, qui moniali infirmæ non potest aliter pro hoc statu succurrere. Sed et seclusâ necessitate extremâ videtur licitus ingressus ad ministrandum infirmæ sacramentum Confessionis et Eucharistiæ, quando ex præscripto regulæ aut constitutionum regularium confertur cæteris : nam ob infirmitatem non debet deterioris conditionis esse quàm cæteræ, præsertim cùm tempore gravis infirmitatis præ cæteris indigeat. Rodriguez, Miranda, Barbosa, Sanchez, Castropalao.

Secundò, ex parte monialis singularis, causa sufficiens ingrediendi est si quæ obierit, tum quoad eos qui debent scrobem seu sepulturam defodere, tum quoad reliquos, qui debent peragere officium et ritus in fidelium defunctorum obitu ac sepulturâ per Ecclesiam Romano-catholicam usitatos. Sanchez, Barbosa, Castropalao.

514. Tertiò, ad curandam monialem potest medicus clausuram ingredi, sed sine famulo. Quòd si infirmitas gravior sit et expediat convocari plures, pro ineundo consilio, poterunt intromitti plures. Barbosa et Sanchez. Similiter ingredi de licentiâ superioris potest chirurgus tum ad sectionem venæ, tum ad curam vulneris vel apostematis, tum ad alia ejusmodi officia, quæ à monialibus præstari nec solent nec possunt. Pharmacopolæ autem nunquàm vel rarò ingressus permissus est, cùm possit potionem medicam præparare foris seu extra claustrum et per moniales ad infirmam mittere. Excipitur casus quo moniales docendæ forent modum potionis medicæ præparandæ aut conservandæ, saltem si extra clausuram id commodè non posset fieri. Sanchez.

515. Quartò, dubitari potest de sartoribus et sutoribus, an videlicet justam habeant ingrediendi causam pro mensurâ vestium aut calceamentorum. Affirmat cum Navarro Sanchez quoad sartores. Sed rectiùs de utrisque negant Barbosa, Bonacina, Castropalao, cùm in omnem eventum sumi mensura possit in limine clausuræ sine monialis egressu aut ingressu metientis.

Quintò, dubitari pariter potest de matre, sorore et aliis consanguineis propinquioribus, an possint ingredi ad invisendum et consolandum monialem morti vicinam. Sed in hâc parte decisionem negativam habemus à sacrâ congregatione, cò quòd similis visitatio, lacrymis et singultibus (ut solet) plena, distractionem mentis, teporem in amore divino, mœrorem ac gravamen potiùs allatura sit moniali, quàm solatium. Rodiguez, Miranda, Barbosa.

516. Qui verò de licentiâ superioris vel episcopi ob causas prædictas monasteria monialium ingrediuntur, debent, iis expeditis, denuò egredi, peccaturi etiam graviter, si per tempus considerabile, absoluto negotio suo, clausuræ immanserint. Ratio est quia cessat finis seu causa ingrediendi et motivum dispensationis. Hoc tamen non est tam rigidè intelligendum, quasi quælibet mora sufficeret ad mortale : datur enim tam hìc quàm alibi materiæ parvitas, excusans à mortali. Imò Sanchez, Molfesius, Rodriguez, A. Sorbo, Miranda, Bonacina censent, non solùm à mortali, sed etiam à veniali excusari breviter immorantem, ut si causâ curiositatis aliquantisper in lustrandis officinis occupetur; tum quia præceptum clausuræ quoad hoc, moraliter, non metaphysicè intelligendum est; tum quia, testante Molfesio, sic usu receptum est, etiam apud viros timoratæ conscientiæ.

517. Denique ex parte ingredientis causa sufficiens

est pia puellarum educatio seu christiana instructio, sive ut habitum religionis, si per Deum vocentur, induant, sive ut virtutibus et bonis moribus informatæ nubant aut in alio demùm statu christianè vivant. Ratio est, tum quia ejusmodi puellarum educatio cedit in magnam monasterii utilitatem, tum quia sic declaravit cardinalium congregatio, prout referunt Quaranta, Rodriguez, Miranda, Suarez, Sanchez, Sorbus, Barbosa, Bonacina. Porrò cardinalium congregatio in hunc modum rescripsit, *jamdudùm ab eâdem congreg. statutum esse, nullo concilii decreto prohiberi quominùs puellæ in monasteriis monialium educentur, si tamen eadem monasteria ante concilium consueverunt hujusmodi puellas recipere, sique à superioribus monasteriorum scriptam licentiam impetrârint, atque abbatissæ et reliquarum monialium consensus accesserit. Tum verò hæ ipsæ puellæ, eo vestitu in monasterium intromittantur qui virginali pudori et modestiæ conveniat, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint nisi usque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dùm erunt, eamdem servent clausuræ legem, quam moniales ipsæ, et si semel exierint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem.* Ita sacra congregatio. Sunt et aliæ apud doctores memoratos, ex quibus simul sumptis colliguntur conditiones, ad harum puellarum receptionem necessariæ. Prima est ut monasterium consueverit, hujusmodi puellas recipere. Secunda, ut non recipiantur supra numerum determinatum. Tertia, ut adsint licentia superioris in scriptis, ac abbatissæ et monialium reliquarum consensus. Quarta, ut puellæ utantur vestibus, virginali pudori et modestiæ convenientibus. Quinta, ut ancillas vel famulas secum non adducant. Sexta, ut compleverint septennium et non attigerint annum vigesimum quintum, nec ultra eumdem retineantur. Septima, ne inhonestè vixerint, præcipuè si monasterium non soleat similes recipere. Octava, ut quolibet semestri monialibus anticipata solvatur portio pro alimentis. Nona, ut à monialibus et novitiis locum habeant separatum ad dormiendum et laborandum. Decima, ut observent clausuram, nec possint semel egressæ recipi, nisi vel habitum religiosum postulent, vel egressæ fuerint causâ infirmitatis.

518. Ad octavam respondeo : Pœnas varias Pontifices varii decreverunt in violatores clausuræ monialium, et violatori cooperantes. Inprimis concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 5, de Regular., excommunicationem (non tamen reservatam) tulit in ingredientes sine episcopi vel superioris licentiâ in scriptis obtentâ. Hæc autem excommunicatio est generalis ex parte subjecti, cùm afficiat quoslibet ingredientes, cujuscumque generis, conditionis, sexûs vel ætatis fuerint. Debet verò licentia, in scriptis obtenta, esse legitima, id est, vi vel dolo non impetrata; aliàs tanquàm irrita et nullius roboris, excommunicationem non impediet. Sanchez.

519. Secundò, Gregorius XIII, bullâ *Ubi gratiæ*, editâ idibus junii, anno 1575, pœnam reservatæ excommunicationis tulit in eos qui prætextu facultatis à Sede Apostolicâ concessæ ingressi fuerint monasteria monialium; abbatissis verò, necnon abbatibus conventûs ac aliis monasteriorum utriusque sexûs superioribus et personis, quocumque nomine vocatis, qui prætextu supra dictæ facultatis ingressum foverint vel permiserint, ultra pœnam excommunicationis, summo Pontifici reservatæ, imponitur privatio dignitatum aut beneficiorum suorum et declarantur inhabiles ad eadem vel alia in posterum obtinenda. Verùm his pœnis (ut rectè observat Suarez) hodiè non est locus, cùm nemo sit qui prætextu facultatis à Sede Apostolicâ ante Gregorium XIII concessæ, monasteria monialium præsumat ingredi. Locus est tamen, etiam hodiè, reservatæ excommunicationi et pœnis cæteris, quas idem Pontifex, ejusdem bullæ paragrapho 4, intentat omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis, et secularibus ac ordinum quorumcumque, etiam mendicantium regularibus, qui prætextu licentiarum episcopi vel superioris, monasteria monialium extra casum urgentis necessitatis præsument ingredi. Idem est de monialibus, prædictum ingressum permittentibus, ut ibidem dicitur.

520. Tertiò, idem Pontifex, bullâ *Dubiis*, editâ 23 decemb. 1581, auctoritate apostolicâ statuit et declarat *prælatos omnes, tam seculares quàm regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributâ ingrediendi monasteria prædicta ita demùm uti posse, si id faciant in casibus necessariis, et à paucis, iisque senioribus ac religiosis personis comitati. Quòd si contra fecerint, eâdem auctoritate apostolicâ* statuit ac declarat, *qui pontificalis dignitatis fuerint, eos pro primâ vice, quâ contrafecerint, ingressu ecclesiæ interdictos; pro secundâ, à munere pontificali et à divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque aliâ declaratione excommunicatos existere; regulares verò omni officio ac ministerio privatos, excommunicationi similiter subjacere.*

521. Quartò, Clemens VIII, decreto *Sacra congregatio*, edito 26 novembris 1602 (conformiter tamen ad restrictionem superiùs indicatam), excommunicatione sibi reservatâ ferit violantes clausuram monialium ad malum finem. Proin censuræ non erit locus, si violatio fiat ad alium quàm malum finem, puta, ex curiositate, petulantiâ, levitate. Quid autem intelligatur per malum finem seu malam intentionem (juxta Franciscum Salesium Instruct. pro confessariis, cap. 7, apud auctorem tripartitæ Elucidationis, pag. 60) determinatur è scopo institutæ clausuræ, quæ scilicet est introducta ad securiorem custodiam castitatis Quare violator clausuræ, ut incurrat excommunicationem Clementinam, intendere debet conversationem impudicam cum moniali. Non requiritur tamen ut impudicitia sit expleta. Quòd si quis cum debitâ licentiâ superioris et justâ de causâ monasterium ingrediatur cum secundariâ intentione conversationis impudicæ, non incurret censuram; quia non est violator clausuræ; utrumque autem ad excommunicationem Clementinam requiritur, et violatio clausuræ, et malus finis seu sinistra intentio.

522. Pro fine dubitari potest an censuris supra

dictis sit locus, si quis justâ de causâ et cum licentiâ episcopi vel superioris, monasterium ingressus, illic remaneat per considerabile tempus, finito ministerio vel officio, ob quod ingressus est. — Respondeo cum Bonacinâ, Sanchez, Rodriguez, negativè : quia Pontifices censuram ferunt in eos qui sine causâ legitimâ vel licentiâ superioris ingrediuntur; nihil autem horum contingit in casu, cùm supponatur, et ingrediendi licentiam et justam causam existere ; excessum autem per solam moram committi.

§ 4. *De provocatione et pugnâ in duello, juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutionem felicis recordationis Gregorii XIII, quæ incipit* : Ad tollendum.

523. Tertius in decreto Clementino casus, est *provocantium et pugnantium in duello, juxta decretum sacri concilii Tridentini*, etc. Quocirca quæritur 1° quid et quotuplex sit duellum; 2° quale peccatum sit duellum vel ad idem provocatio; 3° quid desuper decreverit concilium Tridentinum; 4° quid Gregorius XIII, bullâ *Ad tollendum;* 5° quid Clemens VIII, bullâ *Illius vices?*

524. Ad primam quæstionem respondeo breviter ex alibi dictis : Duellum est pugna singularis, deliberata ex utrâque parte, spontè et ex condicto suscepta, statuto loco et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis aut vulneris. Salonius, Filliucius, Bonacina et alii. Hinc varia corollaria facilè deducuntur. Dividitur 1° ex parte modi, in propriè, et impropriè sumptum. Duellum propriè sumptum jam descriptum est. Impropriè sumptum est cui deest eorum aliquid quæ in priori descriptione continentur, videlicet aut condictum seu conspiratio et evocatio, aut periculum vitæ vel mutilationis aut designatio loci et temporis, aut cùm dualitas personarum ita exceditur ut plures contra plures promiscuè et nullo ordine servato pugnent : tum enim seditio vel bellum est potiùs, quàm duellum. Dividitur 2° in solemne et simplex. Solemne habet quasdam cæremonias, ut armorum delectum, consortium testium vel fide-jussorum ac secundantium. Simplex caret istâ solemnitate.

525. Ad secundam respondeo : Duellum, regulariter seu per se loquendo, graviter peccaminosum est, tum quia innocentis vita exponitur manifesto periculo sine justâ causâ : cùm possit facillimè fieri ut occidatur innocens, quod est intrinsecè malum, ac jure divino et naturali prohibitum, nec ullâ potest consuetudine honestari; tum quia etiam reum non licet interficere privatâ auctoritate; tum denique quia duellum graviter est prohibitum jure civili et canonico et variorum Pontificum bullis seu constitutionibus Julii II, Leonis X, Clementis VII, Pii IV, Gregorii XIII, concilii Tridentini, Clementis VIII.

Hinc facilè colligitur, quid sentiendum de provocatione ad duellum : manifestum est enim quòd provocatio aut evocatio ad duellum participet ejusdem malitiam, cùm sit causa, inductio, atque adeò intentio seu voluntas ejusdem delicti.

526. Ad tertiam respondeo : Concilium Tridentinum, sess. 25, de Reform., cap. 19, de hâc materiâ in hunc modum statuit : *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitùs exterminetur. Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, et quocumque alio nomine, domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesiâ obtinent, privati intelligantur, et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam, incurrant et ut homicidæ, juxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam qui consilium in causâ duelli, tam in jure quàm in facto dederint, aut aliâ quâcumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.*

527. Hactenùs concilium Tridentinum, ex cujus verbis colligitur 1° censuram ex parte subjecti valdè generalem esse, cùm complectatur quoslibet cujusvis statûs, conditionis ac dignitatis. Colligitur 2° censuræ involvi non solùm duellantes ipsos, sed etiam, *qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint;* item qui tanquàm patrini ad conflictum concurrunt, uti et consulentes ac spectatores. Colligitur 3° sermonem in concilio Tridentino esse de solo duello solemni, cùm de patrinis expressam mentionem faciat, qui nisi in duello solemni non adhibentur. Idem constabit infra ex constitutione Gregorii XIII. Colligitur 4° Tridentinam Excommunicationem nemini reservari, cùm reservationis nulla mentio fiat.

528. Ad quartam respondeo; Gregorius XIII, constitutione *Ad tollendum* (78 inter Gregorianas) editâ 5 decembris 1582, in hunc modum loquitur : *Ad tollendum detestabilem duellorum usum, concilium Tridentinum, excommunicationem et alias gravissimas pœnas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnantes, necnon patrinos, consulentes, suadentes et spectatores, salubriter quidem decrevit, sed crescente hominum malitiâ, facinorosi non desunt qui quod publicè prohibitum est, privatim exequi non dubitent, dùm se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur. Nos... considerantes, duellum privatum non minùs cruentum, et animæ et corpori noxium esse quàm quod publicè perpetratur, auctoritate apostolicâ statuimus omnes illos qui ex condicto, statuto tempore et in loco convento monomachiam commiserint etiamsi nulli patrini sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ aut denuntiationis chartulæ præcesserint, censuris et pœnis omnibus, à dicto concilio propositis teneri, perinde ac si publico et consueto abusu singulare certamen inivissent; volentes etiam, locorum dominos, si certamen ex con-*

dicto hujusmodi permiserint, aut quantùm in se fuerit, non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum et alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores vel socios quovis modo se præbentes, eisdem censuris et pœnis subjacere, etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per seipsos non steterit, quominùs illa committatur. Hactenùs Gregorius XIII.

529. Hinc autem sequitur 1° (quod supra dicebamus) judicio hujus Pontificis, de solo duello solemni in concilio Tridentino sermonem esse. Sequitur 2° post Gregorium XIII, duellum privatum, non minùs quàm solemne, excommunicationi et cæteris Tridentini pœnis subjacere : quod enim de solo solemni fuerat ordinatum, manifestè ad privatum seu simplex extendit Pontifex, considerans, *duellum privatum non minùs cruentum et animæ et corpori noxium esse quàm solemne.* Sequitur 3° sermonem hoc loco esse de solo duello, propriè et rigorosè sumpto, videlicet quòd *ex condicto, statuto tempore et in loco convento* commissum fuerit.

530. Quare duorum aut plurium conflictus, qui ex subito iracundiæ fervore aut rixis et altercationibus nascitur, non est duellum de quo Pontifex loquitur, cùm non fiat *ex condicto*, id est, antecedenti contractu, evocatione aut consensu. Similiter non est duellum excommunicationi ac pœnis cæteris subjectum, si duo quipiam sibi obviam facti, ob privatam inimicitiam se invitent ad pugnam, quæ incontinenti subsequatur, tametsi cum alterius morte aut vulnere ; quia non fit *statuto tempore*, id est, antea designato ac determinato. Denique non erit duellum rigorosum, si qui consentiant in pugnam, etiam designato tempore, v. g., diei crastinæ, quantùmvis effectu ipso eâ die pugnent cum periculo occisionis ; quia non fit *in loco convento*, ut supponitur, sed per occasionem, quâ sibi occurrunt vel alter alterum invenit aut expectat. Sequitur 4° eisdem pœnis subjacere *locorum dominos, si certamen ex condicto hujusmodi permiserint, aut quantùm in se fuerit, non prohibuerint*, evasuri pœnas, si fuerit duellum impropriè sumptum, cui videlicet aut conspiratio antecedens aut determinatio temporis vel loci defuerit.

531. Sequitur 5° quòd eidem censuræ et pœnis cæteris involvantur *mandantes, instigantes, auxilium, consilium vel favorem dantes,... ex composito spectatores, et socii.* Porrò dicuntur spectatores ex composito, qui de industriâ se recipiunt ad eum locum quo noverunt committi aut committendum duellum, ut ejus modum et finem videant. Quare censuram non incurret qui illàc transiens aut aliâ occasione existens in loco, ubi pugna committitur, spectaret eventum, maximè si suâ præsentiâ pugnantes non animaret ad duelli initium vel prosecutionem. Sequitur 6° ut locus sit pœnis prædictis, satis esse, quòd *ad locum destinatum pugnaturi* accesserint, etiamsi, *impediti, pugnam non commiserint, si per seipsos non steterit quominùs illa committatur.* Ubi tamen est advertendum excipi ab hâc conclusione spectatores qui, etsi de industriâ se contulerint ad locum, à duellantibus destinatum, non videntur incidere in censuram, si duellum ex quovis capite non sequatur ; non enim verè sunt spectatores duelli, cùm nemo possit propriè spectator dici illius rei quæ non contingit, quæque adeò spectari non potest. Ita Bonacina. Advertendum pariter adjectam esse à Pontifice conditionem, *si per se ipsos non steterit*, etc., ex quâ deducere licet à sensu contrario, aliter loquendum esse si steterit per ipsos duellantes quominùs pugna successerit ; si, inquam, duellaturi, ubi ad locum destinatum pervenerunt, aut sceleris horrore perculsi, aut mortis timore correpti resipiscant, et, mutato proposito, pacem ineant sine pugnâ. Sequitur 7° excommunicationem Gregorianam Sedi Apostolicæ non reservari, cùm nulla fiat mentio reservationis.

532. Ad quintam respondeo : Clemens VIII, constitutione *Illius vices* (inter Clementinas), editâ 17 augusti 1592, confirmatis prædecessorum suorum et concilii Tridentini constitutionibus, § 7, in hunc modum loquitur : *Quinimò de novo etiam per præsentes ex parte omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritûs sancti excommunicamus et anathematizamus, maledicimus et execramur omnes et quoscumque, publicè vel privatim, palàm et occultè, in quibuscumque locis, modis et formis ac casibus, sub præsenti nostrâ vel aliis prædictis constitutionibus ac decreto comprehensis, singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes aut provocantes, opem, consilium vel favorem præstantes, equos, arma et commeatum præbentes aut comitantes, vel circa chartulas seu libellos, litteras, nuntios aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujus delicti socios, de industriâ spectatores, patrinos, fautores, defensores, quâcumque præfulgeant dignitate... supra dictos omnes eorumque singulos, ipso facto absque ullâ monitione, judicis decreto aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris et maledictionis æternæ mucrone perculsos et damnatos, harum serie declaramus, et si in conflictu obierint, sepulturâ ecclesiasticâ perpetuò privatos esse volumus; ipsas verò civitates, terras, oppida vel castra et loca in quorùm territoriis id facinus, scientibus et tacitè vel expressè permittentibus aut tolerantibus dominis aut magistratibus vel senatu aut populo, admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto, cujus interdicti relaxationem aut excommunicationis absolutionem, ab alio quàm à nobis... nisi in mortis articulo, nequeant obtinere.*

533. Ita Clemens VIII, ex cujus constitutione colligitur 1° absolutionem excommunicationis quam duellantes incurrunt, et relaxationem interdicti, cui subjacent civitates, terræ, oppida vel castra, etc., Pontifici Romano reservari, in quo puncto strictior est constitutio Clementina decretis Pontificum prædecessorum et concilii Tridentini, ut supra diximus.

534. Colligitur 2° huic reservatæ excommunicationi involvi non solùm duellantes ipsos, verùm etiam

locorum dominos, magistratus, locum tenentes, duces militum, qui non prohibent quominùs hæc fiant (nisi justam permittendi causam habuerint) imò verò etiam qui post admissum crimen veniam et impunitatem concedunt, prout Pontifex § 2 ejusdem bullæ decernit. Colligitur 3° *idem quoque juris censendum esse, si, publico et forsan justo bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive aliàs in hostium castris, præsidiis aut terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, ex condicto ad singulare certamen... provocet*, § cit. Colligitur 4° eisdem pœnis et censuris affici mandantes, consulentes aut quovis modo cooperantes, *etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen aut effectus nec accessus aut actus ad pugnam proximus, nec expressa aut aperta provocatio subsecuta fuerint, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint aut unquàm intimatæ exstiterint, si per eos non steterit quominùs publicatio aut denuntiatio fieret*, § cit. Colligitur 5° *provocantes* ad duellum pœnis eisdem affici, tametsi duellum ex parte alterâ non acceptetur. Colligitur 6° pœnis et censuris ligari qui arma pugnaturo in duello vendit vel commodat, non ignorans emptoris aut commodatarii intentionem. Ratio est quia duello cooperatur.

535. Colligitur 7° *iisdem pœnis, decreto et constitutionibus teneri eos inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit, vel si convenerint, ut non singuli, sed bini, terni aut plures hinc inde pugnent.* Colligitur 8° non ligari vinculo excommunicationis, qui auxilium, consilium vel mandatum dedit ad pugnandum vel provocandum, si, re adhuc integrâ, id est, priusquàm provocatio aut pugna sequatur, influxum consilii, mandati vel auxilii sistat : quia per ipsum stat, quominùs sequatur pugna vel provocatio. Secùs dicendum, si pugnam quidem ipsam impediat, provocationem verò vi consilii vel mandati antecedenter præstiti moraliter producat. Secùs dicendum pariter, si quidem consilium ad pugnam vel provocationem antea datam revocetur, sed irrito effectu seu inefficaciter. Colligitur 9° duellantes, qui *in conflictu obierint, sepulturâ ecclesiasticâ perpetuò privatos esse;* quocirca dubitatur an privatio sepulturæ ecclesiasticæ incurratur ante sententiam judicis. — Respondeo cum Bonacinâ et aliis affirmativè, saltem si sit notorium duellantem mortuum esse in conflictu.

536. Ratio est quia privatio sepulturæ ecclesiasticæ statuitur ipso facto incurrenda : nam hæc verba, *ipso facto, absque ullâ monitione, judicis decreto aut ministerio*, referuntur non solùm ad censuram excommunicationis, sed etiam ad hanc privationem. Si verò delictum non sit notorium, et nihilominùs publicè constet duellantes vel eorum alterum in conflictu mortuum esse, parochus nec potest eos sepelire nec sepulturâ privare; sed rem ad episcopum vel ejus vicarium perferat, qui, præmissis informationibus debitis, sententiam ferat. Ita Bonacina, adjungens probabiliter sustineri posse decertantem in duello, privandum esse sepulturâ ecclesiasticâ, etiamsi ex vulnere per duellum accepto, die posterâ duntaxat moriatur, aut etsi signa pœnitentiæ seu contritionis dederit et sacram synaxim receperit. Ratio est quòd privatio sepulturæ decreta sit in detestationem delicti, ut cæteri timorem habeant, abhorrentes ab eodem crimine, quod tam graviter per Ecclesiam castigari cernunt.

§ 5. *De simoniâ confidentiæ beneficialis.*

537. Quartus in decreto sacræ congregationis casus est simonia confidentialis seu *confidentia beneficialis*. Quocirca quæritur 1° quid hoc nomine intelligatur; 2° quibus modis committatur simonia confidentialis; 3° an intentio seu confidentia resignantis aut conferentis beneficium, in pactum expressum deduci debeat ad incurrendum pœnas juris; 4° an bullâ Pii V prohibeatur non solùm resignatio beneficii cum accessu, regressu vel ingressu, verùm etiam permutatio; 5° quid si resignes beneficium cum onere solvendæ tibi pensionis; 6° quas pœnas inducat simonia confidentialis; 7° qualiter ad incurrendum has pœnas debeat consummata esse.

538. Ad primam quæstionem respondeo : Simonia confidentiæ beneficialis committitur cùm quis alicui confert vel resignat beneficium suum aut ad illud præsentat vel eligit cum certâ confidentiâ et obligatione, ut illud sibi vel alteri, certo ac determinato tempore tribuat aut ex eodem pensionem vel certam fructuum partem refundat. Ita omnes doctores. Dividitur (quemadmodùm simonia communis) in mentalem, conventionalem, realem. Mentalis est cùm quis confert aut resignat alicui beneficium suum cum intentione, merè interiori, obligandi alterum ad effectus nominatos. Conventionalis est si desuper incatur contractus seu fiat mutua conventio, tacita vel expressa. Hæc si utrinque sit incompleta, vocatur conventionalis pura, tanquàm sistens hactenùs in purâ conventione et consensu mutuo. Si verò ex unâ parte completa sit, dato, v. g., vel resignato beneficio, appellatur mixta. Denique realis est quæ utrinque completa, dato videlicet ex unâ parte beneficio, et ex alterâ reddito vel refusâ pensione aut certâ quâdam fructuum portione.

539. Ad secundam respondeo : Ex ipsâ simoniæ confidentialis descriptione colligitur eamdem quatuor modis contingere, 1° per resignationem; 2° per collationem; 3° per electionem; 4° per præsentationem, nimirùm dùm resignans, conferens, eligens, præsentans, per pactum tacitum vel expressum obligat beneficiarium, ut idem beneficium vel fructuum partem sibi vel alteri, fratri, v. g., vel nepoti reddat. Quadruplex ille simoniæ confidentialis modus exprimitur in bullâ *Intolerabilis*, quam die 11 junii, anno 1569, edidit Pius V, § 3, statuens, *ut si quis quâcumque auctoritate, ecclesiam vel monasterium aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione vel cessione cujuscumque personæ, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam solâ dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud, etiam in*

eventum regressûs vel accessûs, eidem dimittantur vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur. Itidem si ordinarius vel alius collator contulerit antehàc aut conferat in futurum, beneficium ecclesiasticum, quovis modo vacans, eâ conditione, tacitâ vel expressâ, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris seu alterius cujuscumque, contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus, fructus illius vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis vel cedentis aut alterius relinquat et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator aut cedens vel alius per se vel alium, scripto aut verbo jusserit seu significaverit, persolvat, et pariter si patrono etiam laico, vel alteri præsentatori seu electori contigerit aut contingat id fieri.

540. Hactenùs Pius V, ex cujus constitutione colligitur, prout diximus, simoniam confidentiæ beneficialis quatuor præsertim modis committi. Solummodò est explicandum quid Pontifex in verbis allegatis intelligat per accessum et regressum. Itaque contingit *accessus*, si Paulo ob ætatem vel aliàs impedito prælatus tribuat jus, ut quamprimùm, remoto ætatis aut alio impedimento, capax fuerit, ingrediatur beneficium quod interea confertur Petro. *Regressus* autem fit si beneficium à me possessum cedam alteri, retento jure, ad idem beneficium regrediendi, si fortè alter pensionem non solverit aut præmoriatur naturaliter, vel civiliter per ingressum in religionem aut ordinem episcopalem.

541. Ad tertiam respondeo: Ut locus sit pœnis juris, non est necesse, ut intentio seu confidentia resignantis, eligentis, præsentantis, collatoris, in pactum expressum deducatur; sed satis est quòd istam intentionem et confidentiam resignans habeat et resignatarius vel recipiens beneficium animadvertat. Colligitur ex bullâ Pianâ, cùm dicitur, *etiam solâ dimittentis intentione.* Deinde eo ipso quo resignatarius aut beneficium recipiens, illum resignantis, collatoris, electoris aut patroni animum reflectit, censetur tacitè consentire, quod sicut sufficit ad veram simoniam generatim sumptam, sic pariter ad confidentialem. Si tamen intentio aut confidentia resignantis, etc., resignatario non innotescat, erit simonia mentalis tantùm, quæ per Ecclesiam non punitur.

542. Hinc autem ulteriùs sequitur 1° quòd non incurrat pœnas juris qui acceptat beneficium, animo restituendi collatori aut resignanti, vel ejus amico aut consanguineo, quando resignans aut collator ipse hanc spem seu confidentiam non habuit vel non significavit. Ratio est quia deest conventio, ad simoniam completam requisita. Deinde simonia confidentialis originem habere debet à spe et confidentiâ resignantis, quæ in casu deest.

Sequitur 2° pœnis juris similiter non teneri, qui beneficium recipit, existimans per errorem, illud sibi dari aut resignari ex confidentiâ sæpiùs explicatâ, cùm interim intentionem aut confidentiam illam resignator non habeat. Ratio est quia pœnæ juris non sequuntur judicium erroneum operantis, sed dilectum, in rei veritate commissum. Interim qui hoc modo recepit beneficium, tenetur se gerere tanquàm excommunicatum, donec conscientiam erroneam seu dubium deposuerit, cognitâ facti veritate et deceptione.

543. Ad quartam Suarez et Castropalao non improbabiliter respondent negativè. Respondent, inquam, non committi simoniam confidentialem, bullâ Pianâ interdictam, si permutantes beneficia sua, inter se paciscantur de dissolvendâ permutatione et potestate regrediendi ad prius beneficium, de resignando illo in favorem tertii, de solvendis fructibus aut aliquâ eorum portione. Ratio est quia Pontifex solummodò loquitur de beneficiis in confidentiam acceptis per resignationem aut cessionem. Permutatio autem propriè non dicitur cessio aut resignatio. Proinde licèt sic permutantes supponantur delinquere et simoniam committere, non tamen confidentialem et Pianâ constitutione prohibitam.

544. Ad quintam respondeo: Navarrus, Hugolinus, Menochius, Lessius censent, non committi simoniam confidentialem, à Pio V probibitam, si resignes alicui beneficium cum onere vel conditione solvendæ tibi pensionis. Rationem hujus doctrinæ suæ repetunt ex verbis Pontificis, qui, ubi de beneficio loquitur, significat sufficere ad simoniam confidentialem, ut illud resignes cum onere restituendi vel tibi vel alteri; atverò cùm de fructibus beneficii aut pensione loquitur, significat requiri ad confidentiam, ut resignatarium obliges ad cedendum fructus aut solvendam pensionem non tibi, sed *alii vel aliis. Si quis*, inquit Pontifex..., *beneficium ecclesiasticum qualecumque ex resignatione vel cessione cujuscumque personæ... etiam solâ dimittentis intentione receperit ut... illud etiam in eventum regressûs vel accessûs*, EIDEM *dimittatur*, VEL ALTERI *postea conferatur, aut illius fructus vel eorum pars* ALII VEL ALIIS *concedantur aut pensiones solvantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur.* Ita Pius V, aliter loquens, ut legenti perspicuum est, de beneficio, aliter de fructibus seu pensione. Proinde simonia confidentialis non videtur futura, si renuntiatio beneficii fiat cum onere solvendi pensionem aut cedendi fructus resignanti ipsi; erit tamen, si cessio vel solutio facienda sit alii vel aliis.

545. Nihilominùs verosimilius est oppositum, videlicet etiam in hoc casu committi simoniam, à Pio V, sub censurâ et pœnis aliis interdictam. Ita Suarez, Garcias, Castropalao. Ratio est 1° quia in eâdem bullâ, eodem paragrapho, dicitur simoniam confidentialem committi ab ordinario vel alio collatore qui beneficium ecclesiasticum, quovis modo vacans, eâ conditione contulerit, ut *provisus, fructus illius vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis vel cedentis aut alterius relinquat et remittat.* Ergo idem videtur dicendum de collatione et resignatione cum reservatione pensionis; quia pensio, fructuum pars est: pensio enim describitur, jus percipiendi fructus ex beneficio alieno.

546. 2° Quia § 4 ejusdem bullæ inter cæteras præsumptiones et conjecturas ex quibus cognoscatur confidentiarum abusus, hæc primo loco exprimitur : *Si quis post cessam à se ecclesiam, vel monasterium, vel beneficium et publicatam resignationem seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illâ vel illo seu rebus illius, per se vel alium seu alios de facto ingesserit aut fructus perceperit*, etc., quibus verbis manifestè dicitur, indicium simoniæ confidentialis esse, si resignans ipse ex beneficio à se resignato fructus percipiat; quod indicium omninò nullum erit, si non sit confidentia, beneficium cedere aut resignare, retento jure fructuum seu pensionis.

547. 3° Quia Pius IV, bullâ *Romanum Pontificem* (85 inter Pianas) editâ 11 octobris, anno 1564, damnat resignationem, quæ fit cum onere solvendi pensionem vel fructus beneficii eidem resignanti : damnat, inquam, hanc resignationem tanquàm speciem simoniæ confidentialis, ut ex bullæ tenore constat et omnes admittunt. Jam verò Pius V bullam *Intolerabilis* edidit in confirmationem prioris, ut ex proœmio constat.

4. Quia per illa verba, *alii vel aliis* non excluditur reservans ipse, sed potiùs comprehenditur, prout rectè advertunt Suarez et Garcias : nam Pontifex ibidem loquitur de beneficium recipiente, ut constat ex illis verbis : *Si quis quâcumque auctoritate ecclesiam vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque... receperit... ut fructus vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem*, etc. Jam autem resignans est *alius* à recipiente seu resignatario. Ergo si resignatarius promittat resignanti pensionem aut fructuum partem pro resignatione sibi factâ, committetur crimen confidentiæ beneficialis.

548. Ad sextam quæstionem respondeo : Simonia confidentialis inducit varias juris pœnas secundùm omnes doctores, et constat ex Pii IV et V citatis constitutionibus. Primò, ejusmodi simoniaci, si sint episcopi vel prælati, incurrunt pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ : si autem prælati non sint, incurrunt ipso jure excommunicationem, Pontifici Romano reservatam. Secundò, beneficia sic obtenta, ipso jure vacant et reservantur collationi Pontificis. Tertiò, privantur simoniaci omnibus beneficiis et pensionibus obtentis, sed post sententiam, saltem declaratoriam criminis. Quartò, incurrunt inhabilitatem ad quævis beneficia in posterum obtinenda, intellige rursùs, post sententiam declaratoriam, ut plures docent et usu receptum est, teste Lessio, dub. 27, n. 147.

549. Ad septimam respondeo : Ad incurrendum pœnas, utràque Pianâ constitutione decretas, satis est, simoniam conventionalem, ex parte collatoris, resignantis, etc., consummatam esse, licèt sit incompleta ex parte recipientis, resignatarii, etc. Id est; incurritur excommunicatio cum pœnis cæteris, simul atque beneficium collatum aut resignatum est in confidentiam, tametsi beneficiarius idem beneficium hactenùs non reddiderit, fructus aut eorum partem non refuderit, pensionem non solverit, juxta intentionem illius qui beneficium in confidentiam contulit, resignavit, elegit aut præsentavit. Ita communiter doctores. Colligitur autem ex constitutione Pii V, in quâ, § 8, statuit ut pœnis prædictis involvantur omnes et singuli *qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt..., et quid tale admiserint in futurum.* Satis est igitur ad censuram et pœnas alias, beneficium in confidentiam recepisse, ut manifestè indicat propositio disjunctiva.

550. Dices : Simonia in ordine, ingressu religionis, non subjacet pœnis juris, nisi realis fuerit, id est, utrinque completa, saltem inchoatè; ergo idem dicendum est de simoniâ confidentiæ.—Respondeo negando consequentiam, ob dispositionem juris, quæ hìc, non ibi reperitur.

APPENDIX.

Ad cap. 1, *paragrapho* 15, *num.* 139.

551. Loco citato leguntur sequentia : « Non peccat « excommunicatus, sacrum diebus festis vel dominicis « non audiendo, etsi posset audire, obtentâ excommunicationis absolutione, in suâ potestate constitutâ. « Navarrus, Hugolinus, Sayrus, Henriquez, Avila, « Suarez, Alterius, et alii. Ratio est quia hoc præceptum stringit duntaxat eos qui liberi et dispositi « sunt ad ejus executionem : non obligat, ut disponantur. Aliàs infirmus aut carcere detentus peccaret « adversùs idem præceptum, si posset se liberare è « carcere vel infirmitate. Aliud dicendum de præcepto communionis et confessionis, quod violare videtur qui, cùm possit, absolutionem censuræ non « procurat : hoc enim præceptum divinum est, tametsi « ab Ecclesiâ determinatum, obligans per consequentiam ad removendum quælibet impedimenta, quæ « ejusdem adimpletioni repugnant. Navarrus, Coninck, Bonacina, Layman, Avila, Castropalao. » Hæc ibi : cùm verò intelligam, conclusioni huic à viris gravibus contradici, judicavi reddendam esse verborum illorum rationem aliquam uberiorem, quæ si prudenti judicio non suffecerit ad asserendam sententiæ illius veram *probabilitatem*, revoco, rejicio et pro non scripto habeo quidquid desuper scriptum est. Itaque

552. Prænotandum non quæri hoc loco an qui absolutionem excommunicationis, in suâ potestate constitutam negligit vel contemnit, nullum committat peccatum : est enim certum apud omnes doctores, peccare posse inprimis contra charitatem respectu suî, quatenùs per istam negligentiam se voluntariè privat suffragiis Ecclesiæ, sacramentorum usu et multis aliis spiritualibus bonis quorum privatio est pœna excommunicati : nam qui negligit censuræ absolutionem, quam sine gravamine vel incommodo obtinere potest, convincitur velle et affectare ejusdem effectum, id est, prædictam privationem : perinde ac censetur velle miserias ac squalorem carceris, qui suam libertatem,

quam actu aliquo humilitatis facilè obtinere posset, voluntatis quàdam obstinatione contemnit. Itaque certum sit et indubitatum sic negligentem peccare posse contra charitatem respectu sui, id quod à nobis nullo verbo vel apice negatum est, ut ex præmissis manifestè constat. Secundò, non minùs est certum sic negligentem peccare posse contra obedientiam respectu Ecclesiæ, quæ suis censuris nihil intendit aliud quàm delinquentis correctionem et resipiscentiam. Ut proinde legem et auctoritatem Ecclesiæ videatur spernere, qui in Ecclesiam redire non curat, et, quam facilè obtinere potest, censuræ absolutionem, duritie vel obstinatione voluntatis, superbiâ vel fastu contemnit. Et hoc rursùs est certum nec ab ullo theologo in dubium revocatum. Tota igitur quæstio in eo sita est an excommunicatus, absolutionem censuræ quam justè incurrit, procurare negligens, atque adeò diebus festis et dominicis, ex Ecclesiæ præcepto, sacrum audire non potens, peccet in illam legem quâ sacri auditio pro iisdem diebus per ejusdem Ecclesiæ auctoritatem præcepta est. Ad propositam quæstionem

553. Respondeo negativè. Probatur responsio primò auctoritate, deinceps ratione. Quod attinet auctoritatem, est communissima sententia theologorum, eorum autem præcipuè qui de materiâ censurarum ex professo scripserunt. Imò præter Didacum Nugnum, auctorem minùs famosum, hactenùs inveni neminem qui oppositum teneat. Pro nostrâ verò opinione præter alios innumerabiles stant Navarrus (qui multis annis pœnitentiarium Romanum egit, cujus manuale Pontifici Romano nuncupatum est, et cujus doctrina theologis singulariter commendatur in decretis et statutis synodi provincialis Mechliniensis de anno 1608, tit. 5, cap. 5), cap. 21, n. 31; Sayrus, lib. 2 Thesauri, cap. 3, num. 24; Coninck, disp. 14, dub. 7, n. 56; Avila, de Censuris, parte 2, cap. 6, disp. 4, dub. 7, citans Medinam et Armillam; Suarez, tomo 3, in 3 parte D. Thomæ, disp. 88, sect. 6; Bonacina, disp. 2, de Censuris, quæst. 2, puncto 3, § 1, num. 4; Layman, lib. 1 Summæ, tract. 5, parte 2, cap. 2, num. 2; Alterius, lib. 1, cap. 2, col. 1; Castropalao, de Censuris, disput. 2, puncto 9, num. 3; Lezana, Sum., verbo *Excommunicatio quoad regulares*, num. 23; Ledesma, parte 2, cap. 27; Henriquez, lib. 9, cap. 25, num. 11; Præpositus, 3 part. S Thomæ, quæst. 83, art. 6, dub. 6, num. 217; Gobat, Theologiæ juridico-moralis, cap. 27, num. 92, et Experientiæ Theologicæ tract. 5, casu 18, num. 410; Dicastillo, tract. 5, de sacrificio Missæ, disp. 5, dub. 10, § 2, per totum, ubi citat Medinam; Azorius, parte 1, lib. 7, cap. 2; Emmanuel Sà correctus, verbo *Missæ auditio*, num. 3; Naldus, verbo *Missa*, num. 19; Diana, parte 5, tract. 9, resol. 88; Hurtadus, disp. 5, de Excommunicatione, diffic. 2, num. 5; Bassæus, Supplem., verbo *Missa*, n. 16, referens Angelum et Sylvestrum; Facundez, de 5 Præcep. Eccl., præc. 1, lib. 2, cap. 8, n. 1 et seq.; Wiggers, 3 parte D. Thomæ, quæst. 83, dub. 20, num. 94.

554. Probatur secundò rationibus theologicis. Inprimis excommunicatus, non solùm non debet audire sacrum diebus dominicis et festivis, sed neque potest, cùm id ei juxta doctorum omnium opinionem sub peccato mortali prohibeatur in pœnam delicti, cap. *Illud*, de Clerico excommun. ministr. et cap. fin. de Sentent. Excommun., in 6. Non debet igitur relaxationem excommunicationis petere, ut satisfaciat illi præcepto, quo non tenetur pro eo statu, imò cujus materia pro eodem statu eidem graviter est interdicta. Eadem Ecclesia, idem legislator, Romanus Pontifex, qui obligationem audiendi sacri indicit fidelibus cæteris, profectò eamdem urgere non potest respectu illius, cui sacri auditionem directè, formaliter et ex professo interdicit. An idem respectu ejusdem pro eodem statu et tempore, simul præcipi et prohiberi potest? Quòd si auditio sacri, quæ prohibetur, simul reverà non præcipiatur excommunicato, non debet in vim præcepti non obligantis, relaxationem excommunicationis petere : non enim potest obligare medium, quando finis non obligat; medium, inquam, præsertim tam remotum, cujusmodi est excommunicationis absolutio, ut omnes doctores ponderant.

555. Dices excommunicatum non obligari quidem ad audiendum sacrum obligatione proximâ, et pro sensu composito excommunicationis, obligari tamen obligatione remotâ, et pro sensu diviso. — Respondeo : Admittimus obligationem remotam et pro sensu diviso, sed non pro sensu dividendo, id est, admittimus obligationem audiendi sacri, divisâ excommunicatione, reviviscere : est enim præceptum universale, respiciens omnes non impeditos, excommunicatus autem desinit impeditus esse, ablato impedimento censuræ, adeò ut jam rursùs ingrediatur cum cæteris fidelibus communem obligationem. Hoc negamus, excommunicatum obligari ad dividendam seu auferendam censuram suam per petitionem absolutionis, idque ut satisfaciat præcepto de audiendo sacro (quidquid sit de præcepto charitatis, etc., de quo, ut supra dictum, nulla de facto quæstio), nec enim ex ullo capite nobis constat, præceptum audiendi sacri cà conditione ferri, ut qui ab ejusdem obligatione per expressam Pontificis voluntatem exemptus est, adniti debeat ad abolendam exemptionem, aliàs peccaturus contra illud ipsum præceptum, à quo exemptus est.

556. Dices 2° quicumque lege aliquâ sive divinâ sive humanâ obligatur, debet, quando urget ejusdem legis adimpletio, tollere impedimentum, in suâ potestate constitutum, tanquàm obstaculum impletionis : nam legislator eo ipso quo directè obligat ad præcepti substantiam seu materiam, per consequentiam et indirectè obligat ad medium ordinarium, præcepto adimplendo necessarium. Sic sacerdos obligatus ad celebrandum et existens extra statum gratiæ, debet peccatum, tanquàm sacrificii impedimentum tollere per sacramentum confessionis, si copiam confessarii habeat; sin minùs, per contritionem, charitate for-

matam Idem exemplis similibus facillimè ostendi potest.

557. Respondeo : Admittimus quòd obligatus præcepto aliquo sive divino sive humano debeat tollere impedimentum, in suâ potestate constitutum, quando, non obstante impedimento, currit et urget præcepti obligatio; idque ob rationem in objectione allegatam. Nego autem præceptum audiendi sacri currere vel urgere respectu excommunicati pro statu et tempore excommunicationis : tollitur enim, vel (si mavis) suspenditur obligatio præcepti affirmativi de audiendo sacro per superveniens præceptum negativum de non audiendo, excommunicato impositum per expressam voluntatem illius legislatoris, qui prioris legis est arbiter : nam sicut obligatio audiendi sacri tollitur vel suspenditur per dispensationem, quia dispensatio obligationi opponitur contradictoriè, sic eadem obligatio tollitur vel suspenditur per excommunicationem, quia excommunicatio obligationi opponitur contrariè, quatenùs non audiendi sacri præceptum continet. Sic rursùs obstrictus simplici castitatis voto, si ineat matrimonium cum sponsâ voti ignarâ, desinit, elapso bimestri, obligari voto, quatenùs ejusdem observantia cederet in gravamen aut præjudicium compartis innocentis, adeò ut, licèt debitum conjugale non possit petere ante obtentam dispensationem, possit nihilominùs reddere, idque ideò, quia redditio debiti conjugalis, quæ erat prohibita per votum castitatis, fit obligatoria per legem matrimonii. In eumdem modum auditio sacri, quæ erat ante obligatoria per præceptum affirmativum, jam est prohibita per negativum seu supervenientem excommunicationem; et ut in casu priori non redit perfectæ castitatis obligatio, nisi soluto matrimonio vel quoad torum vel quoad vinculum, ita in casu posteriori non redit obligatio audiendi sacri, nisi ablatâ censurâ. Atque adeò, quamdiù hæc durat, nulla est obligatio, quæ proinde tanquàm de facto suspensa seu non existens, urgere non potest excommunicatum ad petendam excommunicationis relaxationem.

558. Dices 3° : Excommunicatus debet, si possit, procurare sibi absolutionem excommunicationis, ut satisfaciat præcepto annuæ confessionis : ergo etiam ut satisfaciat præcepto hebdomadarii sacri. — Respondeo : Inprimis antecedens negat Henriquez, lib. 9, cap. 25, num. 11, idque ob eamdem rationem, videlicet quia Ecclesia excommunicatis directè prohibet, non solùm ne intersint divinis et missam audiant, cap. ult. de Sentent. excommun., in 6, verùm etiam ne utantur sacramentis, cap. *Si quem*, de Sentent. excommun., atque adeò, sicuti Ecclesia, quamdiù durat censura excommunicationis et inde resultans obligatio sacri non audiendi, tamdiù videtur suspendere obligationem præcepti contradictorii de audiendo sacro; sic pariter Ecclesia, quamdiù durat censura excommunicationis et inde resultans obligatio non utendi sacramentis confessionis et communionis, tamdiù videtur suspendere obligationem præcepti contradictorii de annuâ confessione et communione. In eamdem opinionem inclinatur Gobat, quatenùs communem sequitur opinionem quoad auditionem sacri, et interim asserit disparitatem à doctoribus passim allegatam inter præceptum sacri hebdomadarii, et annuæ confessionis, sibi non probari.

559. Interim doctores cæteri admittunt antecedens, et negant consequentiam. Disparitatem assignant varii, quam et nos dedimus, quòd præceptum audiendi sacri, sit merè ecclesiasticum, atque adeò Ecclesia (ut jam toties dictum est) tanquàm præceptorum suorum domina, videatur suspendere præcepti unius obligationem in concursu alterius contradictorii et pariter ecclesiastici; præceptum verò confessionis et communionis annuæ sit humano-divinum, cujus proinde obligationem relinquit superveniens præceptum purè ecclesiaticum, quo censura fertur ut proinde affectus censurâ, tanquam retinens præcepti prioris et fortioris obligationem, auferre debeat ejusdem præcepti adimplendi impedimentum, in suâ potestate constitutum, et laborare ad obtinendam censuræ suæ relaxationem. Cùm autem dicimus, præceptum annuæ confessionis esse humano-divinum, ne sic intelligas, quasi utroque jure, divino scilicet et ecclesiastico confessio annua et quoad substantiam et quoad temporis circumstantiam sit præscripta, sed quatenùs præceptum confessionis divinum, quoad solam substantiam peccatorum mortalium determinatum, restringitur insuper et per Ecclesiam determinatur ad tempus annuum, ut ita præceptum divinum quasi per partes et successivè impleatur, quod unicâ vice difficilius fieret : cùm enim jure divino fidelibus omnibus præcipiatur confessio sacramentalis peccatorum mortalium omnium totius vitæ, quælibet mortalium aliquorum per intervallum anni occurrentium confessio, est præcepti divini adimpletio partialis.

560. Addunt aliam disparitatem alii, nimirùm quòd præceptum confessionis directè obliget peccatorem, ut procuret sibi solutionem omnis vinculi, quod eum dividit ab unione Dei vel Ecclesiæ et consequenter ut procuret absolutionem excommunicationis, si quam contraxerit.

Dices 4° saltem peccabit excommunicatus in legem audiendi sacri, si censuræ absolutionem eâ intentione differat, ut ab onere præfatæ legis eximatur : nam talis per se intendit non adimplere præceptum. Ita Avila, parte 2, cap. 6, disp. 4, dub. 7. Respondeo : Inprimis dato quòd peccet in casu, id equidem non sufficiet ad asserendum generatim, peccare in eamdem legem quemvis excommunicatum, qui impedimentum censuræ, in suâ potestate constitutum, auferre omittit : nam inter hanc omissionem, et istam intentionem non est connexio necessaria; potest omissio fieri negligentiâ, incuriâ, torpore, obstinatione aut contemptu ecclesiasticæ auctoritatis, sine consideratione exigui illius commodi, quod sacr omissionem sequitur. Quare ipse Avila nobiscum te net communem sententiam etsi excipiat casum objectionis.

561. Respondeo 2° inordinatam quidem esse illam intentionem, quâ suffragia Ecclesiæ, sacramentorum usus

et alia majoris ponderis spiritualia bona commutantur pro illo exigui momenti temporali commodo, quod ex licità sacri omissione sequitur, atque ita contra charitatem suî delinquere excommunicatum, si censuræ insordescat, ejus absolutionem, in suâ potestate contitutam negligat et in tantùm se privet spiritualibus bonis, statim enumeratis, idque intentione adeò miserabili, ut tantisper declinet onus audiendi sacri : nihilominùs non satis constat quòd ista negligentia ex præfatâ intentione descendens, repugnet præcepto ecclesiastico de audiendo sacro : nam præceptum de sacro audiendo non prohibet intentionem non audiendi, nisi respectu illius qui et quatenùs audire obligatus est. Sic incola civitatis Mechliniensis, qui festo S. Gertrudis civitatem Lovaniensem recusat ingredi, eâ solummodò ratione, ne sacrum audire debeat, nullatenùs peccat in præceptum Ecclesiæ. Ergo : nam sicuti sacrum festo S. Gertrudis audire non debet, qui est extra civitatem Lovaniensem per præsentiam corporalem, ita nullo festo sacrum audire potest, qui est extra Ecclesiam per censuram excommunicationis. Atque adeò neutrius intentio, quâ sacri pro illis circumstantiis omittendi commodum affectatur, repugnat præcepto ecclesiastico.

562. Secunda ratio conclusionis est quòd non delinquat in præceptum audiendi sacri, qui peccat eâ peccati specie, cui prænovit censuram excommunicationis annexam esse, quantùmvis per ejusmodi peccatum accersat sibi aliquam præcepti adimplendi impotentiam, in quantùm prævidet, se pro illo statu sacrum audire non posse. Ergo in idem præceptum non delinquit, qui per peccatum et subsequentem censuram jam impotens sacri audiendi factus, non tollit impedimentum. Probatur consequentia : nam si non repugnet præcepto productio impotentiæ, non repugnabit pariter conservatio, maximè indirecta et merè negativa per omissionem petendæ absolutionis. Probatur autem antecedens ; quia peccatum cui censura connectitur, est impedimentum valdè remotum respectu præcepti de audiendo sacro ; impedimentum autem præcepti maximè positivi, nisi propinquum sit, per idem præceptum plerùmque prohiberi non censetur : sic enim qui, v. g., die lunæ notabilem excessum in potu facit, peccat quidem sine ullo dubio contra virtutem temperantiæ, peccat contra charitatem suî, si inde infirmitatem aliquam secuturam prævideat, nemo tamen dixerit quòd illo eodem die peccet contra futura festi vel jejunii præcepta, et si prævideat ratione infirmitatis se impotentem fore ad hæc præcepta adimplendum. Vide Sanchez, lib. 1 Moral., cap. 15; Bonacinam, disp. 2, de Legibus, quæst. 1, puncto 1, num. 9 ; Suarez, 1-2, tract. 5, cap. 3, sect. 4, num. 9 ; Becanum, 1-2, tract. 2, cap. 3, quæst. 6 ; Castropalao, tract. 3, disp. 1, puncto 21 : Dicastillo, tomo 1, de Sacramentis, tract. 5, disp. 5, dub. 10.

563. Ejusdem antecedentis veritatem ostendit Gobat habere locum, non solùm in præceptis humanis, verùm etiam in divinis et naturalibus : nam filius qui hodiè sua bona dilapidat, et inde forsitan futurum prævidet, ut non possit succurrere parenti, post duodennium in egestatem delapsuro, non peccat hodiè contra pietatem : quia non debet hodiè sua patri largiri, hactenùs non indigenti, nec hodiè in eum finem thesaurisare, ut necessitati tam procul distanti aliquando occurrat. Ita Gobat, adducens pariter exemplum juris divini positivi cum multis aliis humanarum legum, et rationem à nobis allegatam, videlicet quòd præceptum, maximè verò positivum, afficiat quidem pro eo tempore, quod respicit, subditos habiles et dispositos, non obliget autem ut disponantur dispositione adeò remotâ et anticipatâ.

564. Aliud est de dispositione magis vicinâ et per se ordinatâ ad legis adimplectionem : hæc enim censetur indirectè sub legem cadere. Quare qui obligatur ad recitandum horas, debet, si possit, sibi Breviarium comparare, peccaturus omninò contra suam obligationem si Breviarium negligat vel abjiciat in illis loci vel temporis circumstantiis, in quibus copiam Breviarii defuturam prævidet. Sic item reus erit præcepti de audiendo sacro, qui nullo impotentiæ titulo excusatus, negligit festo vel dominico è lecto surgere, ad Ecclesiam progredi, dimittere consortium, cui interest, etc., si interea sacri audiendi elabatur tempus. Similiter in idem præceptum incidet, qui, nondùm audito sacro, culpabiliter se inebriat ; ponit enim impedimentum vicinum, quatenùs tollit dispositionem propinquam ac per se requisitam, usum videlicet mentis aut rationis, audiendo sacro proximè necessarium. Rursùs peccabit contra pietatem filius, qui sua bona dilapidat, egestate patris præsente aut imminente seu prope diem futurâ.

565. Tertia ratio conclusionis sumitur à diversis exemplis. Inprimis ponamus œconomum aut provisorem domûs religiosæ, ex obedientiâ obligatum ad exeundum et providendum quotidianis necessitatibus communitatis : ponamus, inquam, eumdem in aliquem excessum labi, ob quem prælatus eidem prohibet egressum sub obedientiâ per spatium unius mensis. Eritne ille sub peccato inobedientiæ obligatus ad postulandum præcepti posterioris relaxationem, etiam in illo supposito, quo eamdem relaxationem facilè obtenturus esset per actum humilitatis ? Non quæro an delinquat per obstinationem, pertinaciam aut contemptum superioris ; horum enim aliquid fateor intervenire posse ; sed quæro, si pœnam in se latam ferat ac domi maneat, an delinquat in priorem obedientiam, quâ œconomus institutus est, quâque obligabatur ad exeundum et providendum necessitatibus communitatis. Nemo rectè id affirmaverit : nam manifestum est quòd prælatus eo ipso quo præceptum non exeundi in pœnam delicti tulit, revocet vel suspendat contradictorium præceptum primum : manifestum est, inquam, quòd suspendat officium œconomi seu provisoris et inde resultantem exeundi obligationem. Ita contingit in casu. Fideles omnes ex obedientiâ seu præcepto Romani Pontificis obligantur audire sacrum diebus festis et dominicis : fidelium aliquis in aliquem excessum labitur, ob quem Pontifex eidem prohibet audire sacrum sub obedientiâ per sententiam excommunicationis. Eritne ille sub peccato inobedientiæ contra priorem legem, obligatus ad postulandam præcepti seu sententiæ posterioris relaxationem, etiam in illo supposito, quo eamdem relaxationem facilè obtenturus esset per actum humilitatis ?

566. Non quæro an delinquat contra charitatem suî per neglectum bonorum spiritualium, quibus voluntariè privatur per censuram excommunicationis : non quæro an peccet in ecclesiasticam auctoritatem per contemptum, pervicaciam, obstinationem ; horum enim aliquid fateor intervenire posse ; sed quæro, si sententiam in se latam ferat, sacrum non audiat, sacramentis ac divinis officiis, prout debet, abstineat, an delinquat in primum illud ac generale præceptum Pontificis, quo fidelibus omnibus, per ætatem aut aliàs non impeditis sacri auditio præscripta est diebus festis et dominicis. Non putamus ; nam planum nobis videtur esse quòd Pontifex eo ipso, quo præceptum non audiendi sacri in pœnam delicti tulit, revocet vel suspendat contradictorium præceptum primum, quo fideles adultos ad sacrum audiendum obligat.

567. Exemplum secundum. Ponamus clericum in majoribus ordinibus constitutum, atque adeò ad horas canonicas legendas obligatum, justâ Pontificis sententiâ in pœnam certi criminis pro semestri condemnari ad carcerem tenebricosum, ubi nullam luminis copiam habiturus sit, quo legere aut videre possit. Quis dicat eumdem impingere in præceptum legendi horas canonicas, si latam in se sententiam exequatur et carcerem ingrediatur, non postulatâ relaxatione pœnæ, sive interim id fiat amore justitiæ, sive animi obstinatione. Profectò Pontifex est auctor utriusque præcepti, et illius scilicet quo clericos majorum ordinum uni-

versim obligat ad recitandum horas, et alterius quo hunc clericum potestate legendi, in pœnam delicti, indirectè privat. Proinde respectu ejusdem clerici nec censetur nec potest urgere præceptum primum, quando secundum urget : non enim ignorat Pontifex, sine lumine neminem videre posse ; similiter non ignorat condemnatum posse se conformare sententiæ in se latæ sine obligatione petendæ relaxationis ; igitur respectu clerici in hunc modum à se damnati, urgere præceptum nequit de legendis horis. Quòd si præceptum idem Pontifex tantisper non urgeat, non debet condemnatus absolutionem sententiæ petere, saltem in eum finem, ut præcepto imaginario et tantisper non obliganti possit fieri satis.

568. Exemplum tertium. Suppenamus auctoritate Pontificis aliquem nosocomio aut infirmorum servitio deputari aut demùm alteri charitatis officio, ita continuo ac laborioso (sic suppono), ut sacri audiendi tempus non relinquat. Posset quidem ille (sic rursùs suppono) id officii in alterius humeros declinare, si apud Pontificem aut ejus officiales instare vellet. Quæritur an peccet in legem audiendi sacri, si prætermissâ illâ instantiâ injunctum charitatis officium impleat. Certa videtur responsio negativa : nam juxta rationem sæpiùs allegatam Pontifex suspendit præceptum primum, quando imponit secundum : cùm enim nequeat eumdem hominem pro eodem tempore ligare diversis præceptis, observatu incompossibilibus, necesse est ut unum præceptum cedat alteri, prius scilicet posteriori, præsertim quando præcepti utriusque unus et idem auctor est.

569. Dices magnam disparitatem esse inter hoc exemplum et nostrum casum : nam in exemplo pium et sanctum est officium charitatis, quo impeditur adimpletio præcepti de audiendo sacro : in nostro autem casu impedimentum est impium seu peccaminosum : impia est, inquam, seu peccaminosa perseverantia, saltem voluntaria, in statu excommunicationis. — Respondeo nihil ad rem facere disparitatem istam, à nobis supra præoccupatam ; nihil enim refert ad quæstionem, de quâ loquimur, pietas vel impietas impedimenti, materialiter et in se spectati, dummodò formaliter sumptum seu quatenùs impedimentum est, lege non prohibeatur. Jam sæpè concessum est voluntariam perseverantiam in statu excommunicationis posse peccaminosam et hoc sensu impiam esse, quatenùs repugnare potest vel charitati sui vel auctoritati ac voluntati Ecclesiæ ; sed et sæpè negatum est, eamdem perseverantiam prohiberi præcepto audiendi sacri. Quòd si quis nihilominùs velit præfatam perseverantiam etiam peccaminosam esse, quatenùs est voluntarium impedimentum præcepti, profectò ille non dabit facilè disparitatem solidam inter exemplum et casum nostrum.

570. Quartum exemplum est in ægroto, à suâ ægritudine convalescenti, qui in legem audiendi sacri aut servandi jejunii non videtur impingere, etsi infirmitatem seu debilitatem suam nonnihil prolonget, quatenùs virium suarum instaurationem non accelerat, aut naturali quâdam nauseâ medicinarum, aut judicii proprii nimiâ pertinacià, aut negligentiâ sui : quamvis enim eatenùs præfatorum præceptorum impedimentum foveat seu continuet, nihilominùs impedimentum est tam remotum ut non censeatur per eadem præcepta prohiberi. Hæc autem et similia exempla, quæ majori numero facillimè adduci possunt, nullo negotio applicari possunt casui et quæstioni de quibus loquimur.

Hinc verò tandem rogatur lector, ut omnibus maturè consideratis statuere dignetur, an tanta tantorum virorum auctoritas, tanta fundamentorum adductorum probabilitas, cum argumentorum oppositorum tam facili solutione non sufficiant ad asserendam nostram et communissimam opinionem, non solùm tanquàm speculativè probabilem, verùm etiam tanquàm practicè tutam.

APPENDIX ALTERA.

Ad idem caput, § 13, *num.* 129.

571. Loco citato habentur sequentia. « Excommunicatus toleratus non potest se ultrò ingerere vel offerre ad ministrandum aliquod sacramentum. Ratio est quia relaxatio excommunicationis in hâc parte, per concilium Constantiense facta, cedit solummodò in favorem fidelium, qui nullum patiuntur gravamen occasione excommunicationis, etsi excommunicatus se sponte non offerat ad conferendum sacramentum ; sed tum solùm, quando postulatum sacramentum conferre non posset. Quare.... excommunicatus toleratus licitè administrat sacramentum, quotiescumque aliquis id ab ipso ob causam sufficientem aut aliquam utilitatem postulat : nam eo ipso quo conceditur non excommunicato, ut possit excommunicatum inducere, conceditur pariter excommunicato, ut possit ministrare. Aliàs inductio peccaminosa esset, tanquàm ad malum provocans. Unde (quidquid aliqui contradicant) ab excommunicato tolerato peti potest sacramentum, non habito respectu ad censuram, quantùmvis alii ministri adsint ; nec sacramenti administratio eidem aliâ ratione interdicitur, quàm si foret extra statum gratiæ, vel, ut supra diximus, citra alterius instantiam vel petitionem ultrò se præsentaret. Ratio sumitur ex generali concessione Extravagantis, *Ad evitanda.* » Hæc ibi, quæ cùm similiter obloquium seu contradictionem patiantur, judicavi pariter vel vindicanda, vel penitùs dimittenda. Potissima verò contradictio incidit in eam propositionem quâ dicitur, ab excommunicato tolerato peti posse sacramentum, non habito respectu ad censuram, quantùmvis alii ministri adsint. Porrò hanc propositionem iisdem terminis expressam legeram apud illustrissimum Herincx, parte 2, tract. 3, disp. 6, q. 2, paragr. 6, num. 29, et est iterùm communis opinio Theologorum, quorum tamen citationibus nimiùm multis ac tædiosis nolo iterùm fatigare lectorem, cùm omnium doctorum auctoritatem abundantissimè suppleat concilium generale Constantiense, cui soli incumbimus.

572. Observandum est itaque 1° (quod et supra diximus) ante tempora concilii Constantiensis, omnem ab Ecclesiâ excommunicatum majori excommunicatione vitandum fuisse, tum in divinis, tum in humanis, idque vel publicè vel occultè, prout vel publicè vel occultè erat excommunicatus : vitandum, inquam, fuisse, tum in divinis, tum in humanis, id est, communicare non potuisse cum fidelibus cæteris sive in usu tam activo quàm passivo sacramentorum, sive in divinis officiis, sive in civili convictu aut commercio, etc. Vide cap. *Cùm non ab homine*, de Sentent. excommun.

573. Observandum 2° hanc vitandi cujusvis excommunicati obligationem ex solâ Ecclesiæ ordinatione descendere, ut Suarez, Coninck, Avila, Hurtadus et alii plerique contra paucos docent. Hinc verò indubitanter sequitur, eamdem Ecclesiam ordinare posse, ut fideles sive in divinis sive in humanis non debeant ex suâ parte fugere vel declinare consortium aut sacrum ministerium excommunicati.

574. Observandum 3° generale concilium Constantiense, celebratum an. 1414, considerans gravamen, quod ex lege excommunicationis in fideles cæteros redundabat, famosâ Extravagante *Ad evitanda scandala*, decrevisse ut fideles in posterum sive in humanis, sive in divinis nullum excommunicatum vitare deberent, nisi nominatim denuntiatum, aut notoriam percussorem clerici. Itaque tota quæstio in eo sita est an concilium Constantiense, favorem præfatum fidelibus præstans, tacitè vel expressè adjiciat conditionem, ut eodem favore uti fideles nequeant, præsente alio ministro quàm excommunicato : si enim locutio concilii sit adeò generalis, ut communicationem cum excommunicato permittat fidelibus, etiam præsente alio ministro, immeritò et imprudenter restrictio à nobis

fiet ad eum casum, quo defuerit minister non excommunicatus. Itaque præmittimus concilii Constantiensis pro hâc parte tenorem, seu Extravagantem *Ad evitanda scandala*, quæ in hunc modum loquitur : « Ad evitanda « scandala et multa pericula quæ conscientiis timora- « tis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præ- « sentium misericorditer indulgemus, quòd nemo dein- « ceps à communione alicujus, sacramentorum admi- « nistratione aut aliis quibuscumque divinis, intùs et « extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ « ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter pro- « mulgatæ, tenetur abstinere vel aliquem vitare aut in- « terdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia « vel censura hujusmodi, fuerit illata contra personam, « collegium, universitatem, communitatem aut locum « certum vel certam, à judice publicata vel denuntiata « specialiter expressè, constitutionibus apostolicis et « aliis in contrarium facientibus, non obstantibus qui- « buscumque; salvo, si quem sacrilegâ manuum inje- « ctione in clericum, in sententiam latam à canone « adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non « possit aliquâ tergiversatione celari nec aliquo suf- « fragio excusari : nam à communione illius, licèt de- « nuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta cano- « nicas sanctiones. »

575. Hactenùs concilium Constantiense, prout refertur à S. Antonino, Navarro, Driedone, Adriano Soto, Guttierez, Sayro, Castropalao, Layman et aliis. Illîc porrò expressis et generalibus terminis dicitur quòd *nemo deinceps* teneatur aliquem vitare in *sacramentorum administratione* passivâ *aut aliis quibuscumque divinis, intùs et extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ*. Si nemo vitare aliquem debeat in sacramentorum administratione prætextu cujuscumque sententiæ vel censuræ ecclesiasticæ; igitur quilibet ab excommunicato petere et recipere sacramentum potest, cujus ille est capax, idque etsi adsint ministri alii : nam huic favori fidelibus concesso per generale concilium, nullus privatus theologus adjicere restrictionem aut limitationem potest, quam non adjecit idem concilium.

576. Porrò concilium triplicem tantùm restrictionem seu exceptionem ponit, ut legenti perspicuum est. Prima exceptio est si is à quo sacramentum ministrandum esset, foret ligatus sententiâ aut censurâ ecclesiasticâ, per judicem publicatâ et speciatim denuntiatâ; *nisi sententia*, inquit concilium, *vel censura hujusmodi fuerit illata contra personam, collegium, universitatem, communitatem aut locum certum vel certam, à judice publicata vel denuntiata specialiter et expressè*.

577. Secunda exceptio est, si is à quo conferendum sacramentum, esset notorius percussor clerici : hunc enim, etsi denuntiatus non esset, vitari jubet concilium tum in humanis, tum in divinis : *Salvo*, inquit, *si quem sacrilegâ manuum injectione in clericum, in sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione celari nec aliquo suffragio excusari; nam à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.*

Tertia exceptio, quâ non licet excommunicato collatio sacramentorum, est si se sponte ingerat vel offerat, à fidelibus non rogatus : cùm enim Ecclesia per prædictam Extravagantem non intendat præstare favorem aliquem excommunicato ipsi, sed fidelibus duntaxat cæteris, nequit ille sacramentum conferre, nisi ad horum instantiam seu petitionem. Colligitur ex illis verbis ejusdem Extravagantis : *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos non intendimus in aliquo relevare nec quomodolibet suffragari*. Extra tres illos casus seu triplicem illam exceptionem statuit concilium simpliciter et universim, *quòd nemo deinceps à communione alicujus, sacramentorum administratione aut aliis quibuscumque divinis, intùs et extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, tenetur abstinere vel aliquem vitare.... constitutionibus apostolicis et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque*. Proinde favorem adeò generalem, per concilium generale fidelibus factum, nemo theologus limitare potest, adjiciendo quartam exceptionem, si videlicet adsit minister alius, qui sacramentum conferre possit : nam quartæ illius exceptionis nullam concilium mentionem facit.

578. Dices : Repugnat legi excommunicationis et auctoritati Ecclesiæ, eligere excommunicatum tanquàm ministrum sacramenti in concursu alterius, qui nullâ censurâ impeditur.—Respondeo negando assumptum pro utrâque parte, si sermo sit de excommunicato tolerato; de vitando enim nec nunc loquimur, nec unquàm locuti sumus, quod notari velim. Itaque electio excommunicati tolerati ad ministrandum sacramentum, in casu non repugnat inprimis legi excommunicationis : hæc enim non obligat ultra mentem et voluntatem Ecclesiæ, cujus est restringere et ampliare effectus censurarum suarum. Ecclesia verò mentem et voluntatem suam satis expressit in concilio Constantiensi, in fidelium commodum remittens antiquum rigorem, quo omnes universim excommunicati vitandi erant. Hinc verò ulteriùs sequitur quòd eadem ministri excommunicati electio non repugnet auctoritati Ecclesiæ : usus enim favoris et privilegii, per Ecclesiam concessi, repugnare nequit Ecclesiæ auctoritati.

Hæc sunt fundamenta quæ mihi videbantur sententiam nostram securam in praxi facere, in quâ re, si eruditorum judicio errem, per me licet, ut, rejectâ nostrâ opinione, practicetur opposita.

INDEX RERUM.

DE HORIS CANONICIS, ET LAUDE DEI PER CANTUM ET PSALMODIAM. (Auctore F. Suarezio.) 9-10
Caput primum. Quàm sit antiqua in Ecclesiâ, et per se honesta oratio, quæ chorus ecclesiasticus appellatur. *Ibid.*
Cap. II. Utrùm materia proxima, ex quâ divinum officium componitur, conveniens sit. 17
Cap. III. Utrùm ecclesiasticum officium in nocturnum et diurnum convenienter divisum sit. 31
Cap. IV. De divisione nocturni officii in partes suas. 37
Cap. V. De partitione officii diurni. 43
Cap. VI. Quis numerus horarum canonicarum ex dictis partitionibus resultet, et quàm antiqua hæc institutio sit. 49
Cap. VII. Utrùm modus dicendi horas canonicas psallendo et cantando convenienter in Ecclesiâ institutus sit. 58
Cap. VIII. Duo dubia circà ecclesiasticum cantum expediuntur. 67
Cap. IX. Ad quas personas pertineat horas canonicas in choro publicè canere seu recitare. 70
Cap. X. Quæ personæ et quo in loco horas canonicas publicè dicere teneantur. 78
Cap. XI. Quodnam officium divinum in choro recitandum sit. 90
Cap. XII. Utrùm satisfaciant clerici in choro alternis versibus psalmos canendo, et quid in hoc servare teneantur. 96
Cap. XIII. De culpâ quæ omittendo vel mutilando divinum officium in choro, vel aliquid illi addendo committitur. 108

Cap. XIV. De attentione ac devotione servandâ in choro, et circumstantiis externis quæ ad illam pertinent 117
Cap. XV. De tempore singulis horis canonicis præscripto pro publico officio chori. 125
Cap. XVI. An clerici omnes ex vi ordinationis suæ ad horas canonicas recitandas teneantur. 132
Cap. XVII. An religiosi professi teneantur horas canonicas recitare, etiamsi in sacris ordinati non sint. 139
Cap. XVIII. Utrùm clerici beneficium habentes teneantur ad horas canonicas recitandas. 144
Cap. XIX. Utrùm beneficium obliget ad recitandum ex vi solius tituli, vel possessionem etiam requirat. 150
Cap. XX. An justè possidens beneficium, et non recipiens fructus, excusetur, vel obligetur recitare. 155
Cap. XXI. Utrùm habens beneficium tenue ad horas canonicas recitandas teneatur. 164
Cap. XXII. Utrùm clericus habens redditus ab Ecclesiâ sine beneficio, teneatur horas canonicas recitare. 171
Cap. XXIII. Quodnam officium divinum teneantur dicere clerici, cùm privatim recitant. 182
Cap. XXIV. An facere aliquam mutationem in ordine vel continuatione horarum in privatâ recitatione, grave peccatum sit. 191
Cap. XXV. Utrùm qui privatim recitant, teneantur integrè horas canonicas recitare, vel aliquid præter illas, et quomodò hoc non implendo peccent. 197
Cap. XXVI. Utrùm in recitatione privatâ necessaria sit attentio ad implendam obligationem tam ecclesiastici præcepti quàm justitiæ, seu proprii beneficii. 206
Cap. XXVII. De loco et tempore in quibus officium canonicum recitari potest ac debet. 223
Cap. XXVIII. Quibus de causis excusetur à culpâ clericus non recitans officium canonicum ad quod tenetur. 230
Cap. XXIX. An beneficiatus non recitans per sex primos menses aliquid teneatur restituere. 249
Cap. XXX. Quid teneatur restituere, qui post sex menses non recitat. 258
MONITUM. 265-266
DE PURGATORIO. (Auctore COLLET.) 267-268
Caput primum. De nominibus et essentiâ Purgatorii. *Ibid.*
Cap. II. De existentiâ Purgatorii. *Ibid.*
Conclusio. Existit Purgatorium. 270
Solvuntur objectiones. 287
DISSERTATIO DOGMATICA de divinâ utriusque libri Machabæorum auctoritate. 303
Conclusio. Machabæorum libri verè sunt canonici. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 306
Cap. III. De circumstantiis Purgatorii. 316
Articulus primus. De personis quibus convenit Purgatorium. *Ibid.*
Conclusio. Purgatorium neque iis qui plenè justi, neque iis qui in peccato lethali, sed iis solùm qui in statu gratiæ, at divinæ justitiæ nonnihil obnoxii decedunt, constitutum est. *Ibid.*
Art. II. An animæ purgantes mereri possint vel demereri. 318
Conclusio. Purgantes animæ nec merentur nec demerentur. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 320
Art. III. An purgantes animæ certæ sint de salute suâ. 325
Conclusio. Animæ purgantes de salute suâ omninò certæ sunt. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 326
Art. IV. De loco Purgatorii. 329
Conclusio prima. Locus damnatorum est inferior et subterraneus. 330
Concl. II. Limbus Patrum antiquorum fuit etiam sub terrâ. 331
Concl. III. Limbus puerorum et ipse subterraneus est. 334
Concl. IV. Est etiam sub terrâ locus Purgatorii. *Ibid.*
DISSERTATIO PRIMA. De apparitione Samuelis. 336
Quæritur an ipsa Samuelis anima Saüli apparuerit, an verò aliquod Samuelis phasma suppositum à dæmone, ut Saülem, Deo permittente, deciperet. 337
Conclusio. Etsi damnari non debet opinio quæ dæmonem sub phasmate Samuelis apparuisse suspicatur, longè tamen probabilior est sententia quæ Samuelem ipsum apparuisse contendit. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 340
DISSERTATIO SECUNDA. De prædicatione Christi in inferis. 342
Conclusio. Christus ad inferos descendit, ibique faustum liberationis suæ nuntium iis prædicavit, *qui* non semper, sed *aliquando incredituli fuerant in diebus Noe*, atque adeò irruentibus undique aquis peccata sua detestati erant, eaque quoad culpam saltem aquæ diluvio eluerant. 343
Solvitur objectio. 344
Art. V. De diuturnitate pœnarum Purgatorii. *Ibid.*
Art. VI. De qualitate pœnarum Purgatorii. 346
Conclusio prima. Probabilius est ignem Purgatorii esse corporeum. *Ibid.*
Conclusio II. Incertum est an in Purgatorio torqueantur animæ à dæmonibus. 347
Art. VII. De gravitate pœnarum Purgatorii. *Ibid.*
Conclusio prima. Pœna damni non est in Purgatorio omnium maxima, quantùm ad acerbitatem. 348
Concl. II. Gravissima Purgatorii pœna indubiè gravior est gravissimâ quâcumque hujus vitæ pœnâ. Dantur tamen in Purgatorio pœnæ gravissimis hujus vitæ pœnis leviores. 548
Cap. IV. De officio militantis Ecclesiæ erga Ecclesiam patientem. 350
Conclusio. Viventes patientem Ecclesiam multis titulis adjuvare tenentur. *Ibid.*
Cap. V. De modo adjuvandi animas defunctorum. 352
Articulus primus. An et quibus defunctis prosint Ecclesiæ suffragia, etc. 353
Conclusio. Suffragia vivorum prosunt defunctis ad remissionem pœnæ; non tamen eodem modo prosunt, neque prosunt omnibus. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 554
Quæres 1° annon etiam rei alienæ restitutio prosit defunctis, et quartum sit genus suffragii. 359
Quæres 2° an candelarum, olei et similium oblatio defunctis prosit. 360
Quæres 3° an suffragia pro multis facta æquè prosint singulis ac si pro uno tantùm fierent. *Ibid.*
Art. II. De conditionibus ad valorem suffragiorum requisitis. 361
ALLATII VITA. 363-364
DE UTRIUSQUE ECCLESIÆ OCCIDENTALIS ET ORIENTALIS IN DOGMATE DE PURGATORIO PERPETUA CONSENSIONE. 365-366
EUSTRATII, SS. Dei magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyteri, REFUTATIO EORUM QUI DICUNT HUMANAS ANIMAS, STATIM ATQUE PROPRIIS CORPORIBUS SOLUTÆ SUNT, NON OPERARI, NEQUE DEO PRO IIS PRECIBUS EFFUSIS ET SACRIFICIIS OBLATIS UTILITATEM CONSEQUI. 461
DE INDULGENTIIS. (Auctore COLLET.) 513-514
Caput primum. De nomine et essentiâ indulgentiarum. 515
Quæres 1° quid juris, si pereat locus cui annexa erat indulgentia, vel in profanum convertatur. 523
Quæres 2° an quando annexa est indulgentia visitationi alicujus ecclesiæ, necesse sit eam corporaliter ingredi, et an ingressus ille sufficiat. *Ibid.*
Cap. II. De effectibus indulgentiarum. 535
Conclusio prima. Indulgentia per se non confert remisionem culpæ mortalis, imò nec venialis. 526
Concl. II. Indulgentia pœnam canonicam remittendo, consequenter verè et coram Deo remittit pœnam

Purgatorii ; quo autem in gradu et quâ mensurâ soli Deo notum est. 528
Concl. III. Indulgentiæ viventibus applicantur per modum solutionis simul et absolutionis judiciariæ ; defunctis autem per modum meræ solutionis sive per modum suffragii. 529
Concl. IV. Indulgentiæ nec eximunt, nec quemquam eximere possunt à laboriosis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum Deo renuntiationem aliquando prærequiruntur. 534
Concl. V. Indulgentia nunquàm eximit à totâ pœnitentiâ per confessarium injunctâ. An à parte ejus pœnali eximat, controvertitur. 535
Concl. VI. Indulgentiæ effectum suum pariunt, quo instanti consummatum est moraliter opus ad eas lucrandas præscriptum. 540
Cap. III. An possit Ecclesia Indulgentias dispensare. 541
Conclusio prima. Ecclesia recepit à Christo potestatem Indulgentias conferendi. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 546
Concl. II. Potentia largiendi Indulgentias non est ordinis, nec ordinem prærequirit, sed est jurisdictionis. 552
Solvitur objectio. 553
Concl. III. Potestas concedendi Indulgentias tantùm residet in primis Ecclesiæ pastoribus, episcopis nimirùm, ac præsertim summo Pontifice, qui multò plus hâc in parte potest quàm episcopi. 554
Quæres 1° an hæc potentiæ episcopalis restrictio non solùm in foro exteriori locum habeat, quod fatentur omnes, sed et in foro pœnitentiæ ; ita ut episcopus non possit, auditâ confessione pœnitentis, ampliorem ei tribuere indulgentiam, quàm quæ sibi à concilio Lateranensi permissa sit. 556
Quæres 2° an episcopus ante consecrationem suam possit indulgentias largiri et num id possit per delegatum. 557
Quæres 3° an episcopi purè titulares, vel episcoporum coadjutores, proprio jure Indulgentias erogare possint. *Ibid.*
Quæres 4° an episcopus illam jurisdictionem extra territorium suum exercere possit. *Ibid.*
Quæres 5° an archiepiscopus easdem in provinciâ suâ Indulgentias concedere possit, quas episcopus in propriâ suâ diœcesi. 558
Quæres 6° an concilium generale, cui Papa nec per se, nec per legatos suos præest, possit Indulgentias Ecclesiæ toti concedere. *Ibid.*
Quæres 7° an cathedrale capitulum Indulgentias, Sede vacante, largiri possit. 559
Quæres 8° quid in indulgentiali materiâ possint cardinales, archidiaconi, pœnitentiarii et generales episcoporum vicarii. 560
Quæres 9° quid juris de abbatibus, prælatis religionum et parochis. *Ibid.*
Dissertatio de Indulgentiâ à S. Bernardo cruce signatis denuntiatâ. 562
Conclusio. Indulgentiarum dogma vel ex unâ S. Bernardi *cruciatam*, ut aiunt, denuntiantis prædicatione, solidè probatur. *Ibid.*
Cap. IV. De thesauro Indulgentiarum fonte. 566
Conclusio prima. Thesaurus Ecclesiæ primario coalescit ex infinitis ac superabundantibus Christi meritis atque satisfactionibus. *Ibid.*
Solvitur objectio. 567
Concl. II. Coalescit etiam thesaurus Ecclesiæ ex superefluentibus sanctorum omnium meritis atque satisfactionibus. *Ibid.*
Solvuntur objectiones. 568
Quæres 1° an in thesauro reponantur etiam superfluæ justorum aliquando reprobandorum satisfactiones. 573
Quæres 2° an Indulgentiæ nunquàm aliunde quàm ex thesauro concedantur ; et vicissim an nunquàm dispensetur thesaurus nisi per Indulgentias. *Ibid.*
Concl. III. Satisfactiones sanctorum ad indulgentias concurrunt, non modò per viam impetrationis, sed et per modum veræ solutionis. 574
Solvuntur objectiones. 575
Cap. V. De Indulgentiarum validitate et usu. 577
Articulus primus. De requisitis ad valorem Indulgentiæ. *Ibid.*
Conclusio prima. Ut indulgentia licitè concedatur, requiritur causa aliqua. *Ibid.*
Solvitur objectio. *Ibid.*
Concl. II. Ut valeat Indulgentia, requiritur non solùm auctoritas ex parte dantis, sed et causa legitima, seu Indulgentiæ gradui proportionata. 578
Solvuntur objectiones. 579
Quæres 1° an Indulgentia quæ defectu causæ non sufficit ad pœnæ remissionem, valeat in cæteris, puta quoad absolutionem à censuris, et casibus reservatis, commutationem voti, etc. 583
Quæres 2° an ad Indulgentiam requiratur causa publica, vel privata sufficiat. *Ibid.*
Quæres 3° quæ præcipuæ sint Indulgentias largiendi causæ. *Ibid.*
Quæres 4° an Indulgentiæ causa, non solùm ex conferentis, sed et ex suscipientis parte, eidem debeat esse proportionata. 584
Quæres 5° quomodò cesset valor Indulgentiæ. *Ibid.*
Quæres 6° an translato in alium diem festo, cui annexa est Indulgentia, transferatur et ipsa Indulgentia. 585
Quæres 7° an cesset Indulgentia per renuntiationem internam illius cui concessa est. 587
Art. II. De conditionibus ad Indulgentiæ consecutionem necessariis. *Ibid.*
Conclusio prima. Ad Indulgentiam lucrandam requiritur status gratiæ. 588
Concl. II. Ut quis Indulgentiam consequatur, necesse non est ut omnia ad eamdem præscripta exequatur in statu gratiæ, nisi id pontificio diplomate expressum sit ; sufficit ergo et requiritur 1° ut omnia impleat animo verè pœnitenti ; 2° ut sit in statu gratiæ, cùm operum, quæ ad Indulgentiam præscripta sunt, ultimum adimplet, etc. 589
Solvuntur objectiones. 590
Quæres an Indulgentiæ iis etiam prosint, qui cùm per seipsos satisfacere valeant, minimâ contenti quæ sibi à confessario injungitur pœnitentiâ, postmodùm desides manent, eâ spe quòd residuum pœnæ sibi debitæ in Purgatorio sint exsoluturi. 592
Concl. III. Ad Indulgentiam *contritis et confessis* propositam non requiritur confessio sacramentalis iis qui nullam peccati mortalis conscientiam gerunt, nisi expressè requiratur ut pars operis injuncti. 594
Concl. IV. Opus ad Indulgentiam requisitum non potest per alium poni, nec prodest nisi integrè positum. 595
Quæres 1° an qui opera ad Indulgentiam præscripta tempore designato exequi non potest, eadem alio tempore exequi possit. 596
Quæres 2° an possit quis uno et eodem actu lucrari plures Indulgentias distinctis titulis seu causis concessas ; an, v. g., qui habet grana duo benedicta diversis benedictionibus, quorum cuique concessum est ut, recitatis semel litaniis, anni unius Indulgentiam præstet, duos indulgentiæ annos lucretur, semel litanias recitando. *Ibid.*
Quæres 3° an possit quis eodem tempore lucrari diversas Indulgentias, partiales scilicet (plenaria enim una, si integrè percipiatur, idem facit quod plures) per actus distinctos, qui eodem tempore poni valeant, an, v. g., qui *saluti* interest, et Rosarium recitat, simul et indulgentiam quæ saluti huic annexa est, et quæ annexa est recitationi Rosarii percipiati. 597
Quæres 4° an possit quis pluries eodem die lucrari Indulgentiam iis concessam qui quasdam certâ die

ecclesias piè inviserint. *Ibid.*
Quæres 5° num ad lucrandam Indulgentiam requiratur opus externum. 598
Quæres 6° qualis ad lucrandas Indulgentias requiratur intentio. *Ibid.*
Cap. VI. De Indulgentiarum subjecto. *Ibid.*
Conclusio prima. Indulgentiæ ipsis etiam mortuis prosunt, si in formâ earum dicatur ipsas etiam defunctis applicari posse. 599
Concl. II. Indulgentiæ non prosunt defunctis per modum absolutionis et judicii, sed per modum suffragii. 600
Solvuntur objectiones. *Ibid.*
Concl. III. Indulgentiæ defunctis verisimiliter prosunt, non solùm ex liberâ Dei misericordiâ, proinde ex congruo, sed ex quâdam justitiâ, proinde ex condigno (nisi aliud exigat ratio divinæ justitiæ). 601
Solvitur objectio. 602
Concl. IV. Ut Indulgentiæ defunctis prosint, variæ requiruntur conditiones. 603
Quæres 1° an Indulgentiæ prosint specialiter eis pro quibus in particulari suscipiuntur, an omnibus in communi. 605
Quæres 2° an verum sit omnes Indulgentias ex recenti summi Pontificis concessione posse applicari defunctis. 606
Quæres 3° an Indulgentiæ quæ in defunctorum gratiam concessæ sunt iis qui certam ecclesiam piè inviserint, obtineri possint ab iis qui prædictam ecclesiam, vel quia absunt, vel quia legitimè sunt impediti, visitare non valeant. *Ibid.*
Cap. VII. De altaribus privilegiatis. *Ibid.*
Quæres 1° an sacerdos celebrans in altari privilegiato, non Indulgentiam tantùm, sed et missam in defuncti subsidium applicare debeat. 607
Quæres 2° cui prosit missa in altari privilegiato celebrata pro defuncto, si is jam sanctus vel reprobus, ipsâ non indigeat. *Ibid.*
Quæres 3° an missa in altari privilegiato celebrata, necessariò esse debeat de defunctis. *Ibid.*
Quæres 4° an qui stipem recipit ut pro defuncti animâ celebret in altari privilegiato, oneri huic satisfaciat, si in altari communi celebret, applicando defuncti animæ Indulgentiam aliam pro defunctis, quam, v. g., annexam ipse habet recitationi Coronæ B. Virginis. 609
Quæres 5° cùm in concessione altaris privilegiati apponi soleat clausula hæc : *Dummodò in ecclesiâ tot*, v. g., *viginti*, *quindecim*, et ad minus *septem missæ quotidiè celebrentur*, an teneat concessio, si minor in eâ celebretur missarum numerus. *Ibid.*
Quæres 6° an per privilegiorum communicationem ipsæ etiam pro defunctis Indulgentiæ et cum his altarium privilegia communicentur. 611
Quæres 7° an cùm obtinetur renovatio privilegii, pro altari cujus privilegium nondùm expiravit, valeat renovatio hæc, non obstante clausulâ : *Volentes ecclesiam N., in quâ aliud altare privilegiatum non reperitur erectum, hoc speciali dono illustrare*, etc. *Ibid.*
Quæres 8° an altari tantùm portatili, cui sancti alicujus imago apposita sit, annecti possit privilegium de quo loquimur. 612
Quæres 9° an, dirutâ ecclesiâ, vel etiam altari, concedat privilegium altaris. *Ibid.*
Quæres 10° an Indulgentiæ altaris privilegiati suspendantur in Jubilæo. *Ibid.*
Quæres 11° an privilegium altaris ad septem annos concessum, incipiat à die gratiæ concessæ, an à die factæ ejus publicationis. *Ibid.*
Quæres 12° quid requiri soleat ut altari alicui tribuatur privilegium. *Ibid.*
Quæres 13° quid remedii, si ex missis ad altare privilegiatum celebrandis, tot supersint, ut omnibus satisfieri non possit. 613
Quæres 14° cur sæpiùs defunctis applicentur plenariæ altarium Indulgentiæ, cùm iis una sufficiat. *Ibid.*
Quæres 15° an onera perpetua et fundationes ad altaria privilegiata recipere liceat. *Ibid.*
Cap. VIII. Solvuntur variæ quæstiones de Indulgentiis. *Ibid.*
1° An Rosaria terræ Sanctæ, etc., si vendantur, excidant ab Indulgentiâ. *Ibid.*
2° An cui concessum est à Pontifice ut cum numismatibus, v. g., Indulgentias, seu, ut aiunt, *intentiones* vel *benedictiones* distribuat, suam hanc facultatem distribuendi, possit alii in toto vel ex parte impertiri. *Ibid.*
3° Quid sint Indulgentiæ stationum, qui eas lucrari possint, et quâ conditione. 614
4° Quæ sint annotanda circa Indulgentiam *Portiunculæ*. *Ibid.*
5° Quid advertendum circa Indulgentias reales, id est, certis rebus affixas, puta numismatibus, rosariis, granis, aliisque hujusmodi. 615
6° Quid advertendum sit circa regularium Indulgentias. 616
7° Quid juris de Indulgentiâ pro defectibus in Breviarii recitatione commissis. 619
8° Quæ sint Indulgentiæ fidelibus omnibus communes, et quid circa illas observandum. *Ibid.*
9° Quid annotari oporteat circa Indulgentias confraternitatum. 622
10° Quid statuendum de Indulgentiâ in articulo mortis. 623
11° Quid sit Indulgentia *viæ crucis*. 624
12° Quâ horâ incipiant vel desinant Indulgentiæ certis diebus affixæ. 625
13° An Indulgentiæ concedi soleant pro cultu beatorum vel sanctorum qui Martyrologio non inscribuntur. *Ibid.*
14° Quibus sub conditionibus soleat Indulgentia concedi pro peregrinis. *Ibid.*
15° An pro authenticâ haberi possit Indulgentia, quando habetur duntaxat authenticum ejus exemplar. *Ibid.*
Cap. IX. De Indulgentiarum abusu. *Ibid.*
DE JUBILÆIS. (Auctore Collet.) 627-628
Caput primum. De nomine, essentiâ et divisione Jubilæi. *Ibid.*
Quæres 1° cui competat facultas concedendi Jubilæum. 629
Quæres 2° quis fuerit Jubilæi institutor. 630
Cap. II. De his qui Jubilæi lucrandi capaces sunt. 631
Quæres 1° quinam anni sancti Jubilæum lucrari valeant. *Ibid.*
Quæres 2° quibus competat istud privilegium. *Ibid.*
Quæres 3° quid sanctimonialium vel eremitarum nomine intelligendum veniat. *Ibid.*
Quæres 4° quid carceratorum vel infirmorum nomine intelligendum sit. 632
Quæres 5° an regularibus, qui, nisi obesset infirmitas, Apostolorum limina essent invisuri, opera pia ad lucrandum Jubilæum ab ordinariis locorum injungenda sint, an etiam à superioribus eorum possint injungi. 633
Quæres 6° an Papa, qui fideles universos ad anni sancti gratiam invitat, religiosis eo ipso licentiam faciat Romam absque superiorum facultate contendendi. *Ibid.*
Quæres 7° an peregrini qui transeunt per diœcesim vel civitatem cui apertum est Jubilæum aliquod, illud lucrari possint, ut incolæ loci, aut qui in eo quasi domicilium habent, modò præscripta ad ipsum opera perficiant. *Ibid.*
Quæres 8° an qui in diœcesi suâ Jubilæum lucratus est, illud denuò in aliâ, repetitis quæ præscripta sunt operibus, lucrari possit. 635
Quæres 9° an viatores ab itinere reversi Jubilæum lucrari possint, et quamdiù. *Ibid.*
Quæres 10° an ad Jubilæi consecutionem sufficiat intentio habitualis, vel interpretativa, ita ut qui Jubilæi planè nescius opera omnia ad ejus lucrum posuit, gratiam ejus obtineat. 636

Quæres 11° an possit quis Jubilæi Indulgentiam alii seu vivo seu defuncto applicare. *Ibid.*
Quæres 12° an Jubilæum ante lucrifieri valeat, quàm fuerit promulgatum ab episcopo. 637
Quæres 13° an fidelibus incumbat obligatio lucrandi Jubilæum. *Ibid.*
Quæres 14° an qui præscripta opera præstant, omnes ex æquo Jubilæi gratiæ participes sint. *Ibid.*
Cap. III. De operibus ad lucrandum Jubilæum requisitis. 638
Articulus primus. De Confessione. 639
Quæres 1° an Confessio, non secùs ac opera cætera in Pontificis diplomate expressa, ad Jubilæi consecutionem necessaria sit. *Ibid.*
Quæres 2° num ad Indulgentiam Jubilæi necessaria sit etiam venialium confessio. 640
Quæres 3° an confessio seu mortalium seu venialium, cùm hæc ut opus Jubilæi præscripta est, adeò necessaria sit, ut eâ vel inculpatè omissâ, vel per inscitiam aut nequitiam confessarii defectuosâ, non possit Jubilæi gratia comparari. 641
Quæres 4° qualis ad Jubilæum confessio requiratur et sufficiat. *Ibid.*
Quæres 5° an ad idem Jubilæum sufficiat unica confessio; seu an denuò confiteri teneatur, tum qui post receptam absolutionem, unius vel multiplicis peccati inculpatè obliti recordatur, tum qui in novum grave peccatum relabitur. Et hæc quidem quæstio de eo procedit, qui necdùm opera omnia præstitit. Si enim præstiterit, jam Indulgentiam lucratus est. 642
Quæres 6° quo tempore ad Jubilæi consecutionem facienda sit confessio; an ante omnia opera, an in fine hebdomadis. *Ibid.*
Art. II. De Communione. 644
Quæres 1° an in omni Jubilæo necessaria sit Communio. *Ibid.*
Quæres 2° annon ergo Jubilæum lucrari possit qui ultimâ Jubilæi Dominicâ tantillùm aquæ imprudens deglutiit. *Ibid.*
Quæres 3° an ad Jubilæi lucrum sufficiat Communio solùm informis, non autem formaliter sacrilega, etc. *Ibid.*
Quæres 3° an pueris qui necdùm ad sacram Communionem admissi sunt, hæc in aliud opus sit commutanda. 645
Quæres 4° quo tempore peragenda sit Communio. *Ibid.*
Art. III. De visitatione ecclesiarum, et oratione in iis faciendâ. *Ibid.*
Quæres 1° an hìc locum habeat parvitas materiæ, etc. *Ibid.*
Quæres 2° annon saltem, cùm præcipitur quatuor ecclesiarum visitatio, liceat eam partiri, sic ut duæ vel tres hodiè, cras autem una vel duæ invisantur. 646
Quæres 3° quæ ecclesiæ visitatio requiratur. *Ibid.*
Quæres 4° an satis sit extrà fores ecclesiæ precari. *Ibid.*
Quæres 5° qualis esse debeat oratio an expressè finem intendens, an vocalis, et quanta. *Ibid.*
Quæres 6° quid facto opus sit, si ecclesia in stationem designata in urbe ab episcopali paululùm dissitâ inopino casu corruerit. 647
Quæres 7° an episcopus stationes quatuor à Pontifice præscriptas ad unam, puta ad unius parochialis ecclesiæ visitationem reducere possit. *Ibid.*
Quæres 8° an episcopus confessariis largiri possit facultatem stationes ad minorem numerum coarctandi justis de causis. *Ibid.*
Art. IV. De eleemosynâ. 648
Art. V. De jejunio. 652
Cap. IV. De privilegiis Jubilæi. 654
Articulus primus. De facultate eligendi confessarium. 656
Quæres 1° an Jubilæi tempore possit quilibet sacerdos in confessarium eligi. *Ibid.*
Quæres 2° à quo ordinario approbatus esse debeat sacerdos *jubilaris*. *Ibid.*
Quæres 3° an confessarius pro diœcesibus Parisiensi et Meldensi ab utroque episcopo approbatus, possit in utràque absolvere à casibus reservatis, etc. 675
Quæres 4° an qui ab episcopo designatus est confessarius jubilaris, in totâ diœcesi absolvere possit. *Ibid.*
Quæres 5° an validè jubilaris confessarii munus obeat, qui illimitatè quidem approbatus est, sed alio laborat impedimento audiendi confessiones, puta regularis, cui à superiore interdictum est ne confessiones secularium excipiat, aut qui censuris ligatus est vel irregularitate 658
Quæres 6° an regulares vi Jubilæi confessarium extra religionem eligere possint. *Ibid.*
Quæres 7° à quo approbatus esse debeat sacerdos apud quem confiteri vult regularis ex Jubilæi gratiâ. 659
Quæres 8° an moniales eligere possint quemcumque sacerdotem ab ordinario seu episcopo approbatum. 660
Quæres 9° an parochus et quicumque pastorale beneficium habet, in confessarium Jubilæi eligi possit. 662
Art. II. De potestate confessarii quantùm ad censuras et casus reservatos. *Ibid.*
Quæres 1° an potestas absolvendi à censuris ad omnes omninò censuras et casus reservatos se extendat. *Ibid.*
Quæres 2° an qui nominatim percussus est censurâ, virtute Jubilæi absolvi possit, et quando. 665
Quæres 3° an jubilaris confessarius possit extra sacramentum tollere reservationem, et proinde ad communem confessarium remittere, qui à peccatis ipsis absolvat. 667
Quæres 4° an possit à reservatis absolvi, qui in ea ex spe Jubilæi incidit. *Ibid.*
Quæres 5° an etiam à reservatis absolvi possit, qui ea post Jubilæi promulgationem commisit. 668
Quæres 6° an qui jam lucratus est Jubilæum, dennò à reservatis in quæ postea decidit, absolvi possit. *Ibid.*
Quæres 7° an cui dilatum est Jubilæum, quia actu Indulgentiæ incapax foret, à reservatis quæ commisit post finitum Jubilæi tempus absolvi possit, et a quo. *Ibid.*
Quæres 8° an qui jam à reservatis absolutus fuit, ab iis denuò absolvi valeat, si necdùm Indulgentiam lucratus sit. 669
Quæres 9° an qui reservati peccati in confessione suâ oblitus est, ab eodem post Jubilæum lucratum à quocumque confessario etiam minimè jubilari absolvi possit. *Ibid.*
Quæres 10° an etiam à reservatis inculpatè oblitis absolvi possit, qui vel sacrilegam confessionem facit in Jubilæo, vel post, validum Jubilæum suâ culpâ minimè lucratus est. 678
Quæres 11° an jubilaris confessarius, ut à censuris absolvere, sic et ab irregularitatibus dispensare valeat. 672
Quæres 12° an confessarius tempore jubilæi possit criminis sui socium absolvere, ubi id per statutum synodale prohibetur. 673
Art. III. De potestate confessarii quantùm ad commutationem votorum. *Ibid.*
Quæres 1° an in omnibus Jubilæis detur facultas commutandi vota. *Ibid.*
Quæres 2° an vota omnia à Jubilari confessario commutari valeant. 674
Quæres 3° an etiam commutari possint vota juramento confirmata. *Ibid.*
Quæres 4° an votum emissum primariò in honorem Dei, secundariò autem in proximi utilitatem liceat jam acceptatum, possit commutari. 675
Quæres 5° an voti commutationem petere possit, qui vovit se eam non esse petiturum. *Ibid.*
Quæres 6° an voti commutatio fieri possit in aliquid minus et suavius. *Ibid.*
Quæres 7° an et quæ ad voti commutationem requiratur causa in Jubilæis. *Ibid.*
Quæres 8° an confessarius pœnitenti commutationem

hanc legitimâ de causâ petenti acquiescere teneatur. 676
Quæres 9° an vota hæc solùm in confessione commutari possint. *Ibid.*
Quæres 10° an commutatio voti necessariò intra tempus Jubilæi fieri debeat. 677
Quæres 11° an à confessario Jubilæi commutari queat simplex castitatis votum, cujus post emissionem vovens contraxit matrimonium. 679
Quæres 12° an qui durante Jubilæo obtinuit voti commutationem, novam ejus post Jubilæum commutationem obtinere possit. 681
Quæres 13° an valeat commutatio facta ei qui postmodò vel sine culpâ, vel ex culpâ, Jubilæum lucratus non est. *Ibid.*
Quæres 14° an cui ab habente potestatem commutatum est votum Papæ reservatum in materiam eidem minimè reservatam, materiæ hujus subrogatæ commutationem in Jubilæo obtinere possit. 682
Cap. V. De suspensione Indulgentiarum. 683
Quæres 1° an omnes prorsùs Indulgentiæ per Jubilæum anni sancti suspendantur. *Ibid.*
Quæres 2° an eodem anno suspendantur etiam Indulgentiæ partiales. 684
Quæres 3° quæ partiales Indulgentiæ à suspensione hâc præservatæ sint. 685
Quæres 4° an etiam suspendantur Indulgentiæ ad septennium vel aliud definitum tempus concessæ. *Ibid.*
Quæres 5° an acquiratur Indulgentia ab iis qui hujus suspensionem ignorant, vel non acquiratur ab eis qui suspensionem illius sublatam esse nesciunt. 686
Quæres 6° quid incurrant pœnæ qui suspensas Indulgentias promulgare vel in usum demandare præsumunt. *Ibid.*
Quæres 7° an durante Jubilæi anno suspendantur facultates à Papâ regularibus concessæ ad absolvendum à casibus Apostolicæ Sedi reservatis, ad vota commutanda, etc. *Ibid.*
Quæres 8° an prædictarum facultatum suspensio spectet eos etiam è regularibus qui durante Jubilæo Romæ commorantur. 689
Quæres 9° quando incipiat aut desinat hæc Indulgentiarum aut facultatum suspensio, 690
REIFFENSTUEL VITA. 689-690
MONITUM. *Ibid.*
DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, JURE PATRONATUS ET DECIMIS. 691-692
DISTINCTIO PRIMA. De beneficiis ecclesiasticis, eorumque collatione. *Ibid.*
Quæstio prima. Quid et quotuplex sit Beneficium ecclesiasticum. *Ibid.*
Quæst. II. De collatione Beneficiorum. 694
Quæst. III. Quinam Beneficia liberè conferre possint. 697
Quæst. IV. Quibus conferenda sint Beneficia; ubi, et de conditionibus ex parte eorum requisitis. 702
Quæst. V. Quæ sint obligationes Beneficiariorum. 706
APPENDIX. Qualiter beneficiario obligato dimittere Beneficium ob simoniam in ejusdem receptionem commissam practicè succurri queat. 711
DISTINCTIO SECUNDA. De incompatibilitate, renuntiatione et permutatione Beneficiorum. 718
Quæstio prima. Quæ beneficia sint incompatibilia vel compatibilia. *Ibid.*
Quæst. II. Quæ sint pœnæ recipientium plura Beneficia incompatibilia absque dispensatione. 721
Quæst. III. Quid et quotuplex sit renuntiatio Beneficiorum, et ex quibus causis fieri possit. 724
Quæst. IV. An sit licita resignatio Beneficii in favorem tertii, vel reservatâ annuâ pensione. 727
Quæst. V. An et quomodò possit fieri permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum. 729
DISTINCTIO TERTIA. De jure patronatûs. 732
Quæstio prima. Quid sit jus patronatûs, et quomodò acquiratur. *Ibid.*
Quæst. II. Quotuplex sit jus patronatûs, et quomodò ecclesiasticum differat à laicali. 736
Quæst. III. De jure præsentandi, aliisque juribus patrono competentibus. 741
DISTINCTIO QUARTA. De decimis. 744
Quæstio prima. Quid sint decimæ, primitiæ et oblationes. *Ibid.*
Quæst. II. Quo jure et ex quibus rebus solvendæ sint decimæ, ubi etiam quotuplices sint. 746
Quæst. III. Quibus solvendæ sint decimæ. 749
DE JUSTA BONORUM TEMPORALIUM AB ECCLESIA POSSESSIONE DISSERTATIO. (Auctore Nat. ALEXANDRO.) 755-756
APOLEGETICA PRO JOANNE XXII PONTIFICE MAXIMO DISSERTATIO. (Auctore eod.) 761-762
Joannis XXII constitutiones de paupertate Christi et Apostolorum, dominioque vel usu fratrum Minorum, in dogmate fidei non sunt contrariæ Nicolai III constitutioni *Exiit qui seminat*. *Ibid.*
Nota. 774
DE JURE PRIMARUM PRECUM ET INSTITUTIONIBUS. (Auct. BINER.) 775-776
Caput primum. De jure primarum precum imperatoris ac regis Romanorum. *Ibid.*
Articulus primus. De antiquitate primarum precum. 777
Art. II. An jus primarum precum imperatori competat ex privilegio pontificio. 779
§ 1. Refellitur acatholicorum sententia prima. *Ibid.*
§ 2. Refertur et refellitur acatholicorum sententia altera. 781
§ 3. Refertur tertia sententia. 785
§ 4. Intervenire debet auctoritas Sedis Apostolicæ. 785
Art. III. Ad quæ Beneficia se extendant, primæ preces. 795
Art. IV. Ad quæ Beneficia se non extendant primæ preces. 795
Art. V. Quænam ad hæc notanda. 797
Cap. II. De institutionibus. 798
Articulus primus. De institutione collativâ. 799
§ 1. Natura institutionis collativæ. *Ibid.*
§ 2. Causa efficiens. 799
§ 3. Causa materialis. 801
§ 4. Causa formalis. 802
§ 5. Causa finalis. 805
§ 6. Objectum. *Ibid.*
§ 7. Effectus institutionis. 804
Art. II. De institutione auctorizabili. *Ibid.*
Art. III. De institutione corporali seu investiturâ. 806
DE INVESTITURIS EPISCOPATUUM ET ABBATIARUM, ET DE SYNODO ŒCUMENICA LATERANENSI PRIMA, DISSERTATIO. (Auct. Nat. ALEX.) 807-808
Articulus primus. Quid sit investitura legitima, quæ ejus origo, quis status in Germaniâ, Galliâ et Angliâ, ante Gregorii VII pontificatum. *Ibid.*
Scholion 1. 816
Schol. 2. *Ibid.*
Nota. 817
Art. II. Cùm Henricus IV et Henricus V, Germaniæ reges, aliique principes, Investituris ad opprimendam sacrarum electionum libertatem, et ad sacrilegam episcopatuum et abbatiarum nundinationem abuterentur, ipsarum usum jure prohibuit Ecclesia. *Ibid.*
Art. III. Investituras primus prohibuit damnavitque Gregorius VII in frequentibus synodis. 82
Art. IV. Gregorii VII decreta adversùs Investituras Victor III innovavit atque confirmavit. 827
Art. V. Urbanus II decessorum exemplo Investituras proscripsit. 828
Art. VI. Urbani II et decessorum contra Investituras decretis nec Henricus imperator, nec Willelmus II et Henricus Angliæ, reges, paruêre; paruit verò Philippus rex Francorum; haud tamen dimissâ regalium seu feudorum Investiturâ legitimâ. 829
Scholion 1. 836
Schol. 2. *Ibid.*

Schol. 3. 836
Art. VII. Paschalis II Henricum I Angliæ regem ad Investituras dimittendas compulit; hominum verò ut ab episcopis pro feudis sive regalibus exigeret; secundùm regni mores, prudenti œconomiâ permisit. 837
Scholion. 851
Art. VIII. Paschalis II Investituras in concilio Guastalensi damnavit. *Ibid.*
Art. IX. Inter Paschalem II et Henrici Germaniæ regis legatos colloquium de Investituris Catalauni (Châlons-sur-Marne) in Galliâ habitum est; deinde concilium Trecis ab eodem Pontifice celebratum, in quo Investituræ iterùm proscriptæ. 852
Art. X. Paschalis II in Italiam redux, Investituras iterùm iterùmque damnavit, in synodis Beneventanâ et Romanâ. 855
Art. XI. Paschalis II cum Henrico Germaniæ rege pactionem fecit, ut episcopi regalia ipsi dimitterent, ille verò investituris renuntiaret. Pactum violavit Henricus, et privilegium Investiturarum à Pontifice extorsit. 856
Art. XII. Ab Ecclesiâ Romanâ et Gallicanâ improbatum ac damnatum est privilegium de Investituris à Paschali II concessum Henrico imperatori contra canones et prædecessorum Pontificum decreta. Pontifex à sapientioribus excusatus. Plerique Investiturarum propugnandarum pertinaciam hæresim esse asserebant; consultiùs ac doctiùs negabant alii. Henriciana itaque hæresis hâc in materiâ fictitia videtur. 860
Scholion 1. 874
Schol. 2. *Ibid.*
Schol. 3. 875
Schol. 4. *Ibid.*
Schol. 5. *Ibid.*
Schol. 6. 876
Art. XIII. Privilegium Investiturarum à se Henrico imperatori concessum rescidit Paschalis II, damnavitque ceu privilegium contra Spiritum sanctum et et canonicam institutionem indultum, in duabus synodis Romæ celebratis annis 1112 et 1116, et insigne magnanimæ humilitatis exemplum successoribus omnibusque episcopis dedit. *Ibid.*
Scholion 1. 880
Scholion 2. 881
Nota. *Ibid.*
Art. XIV. Ecclesiæ decreta contra Investituras laicæ potestates fucatâ obedientiâ, imò fraude eludere quibusdam in locis conatæ sunt, baculum quidem pastoralem et annulum electis prælatis non tradentes, sed prohibentes ne illa ex altari reciperent, nisi ab ipsis ritu solemni eò ducerentur. 882
Art. XV. Gelasius II controversiam Investiturarum componere noluit, aut Henricum imperatorem ab anathemate absolvere, absque judicio synodi. 885
Scholion. *Ibid.*
Art. XVI. Callixtus II Investituras damnavit, et Henricum imperatorem eas pertinaciter retinentem excommunicavit in concilio Remensi. 886
Scholion 1. 893
Schol. 2. *Ibid.*
Art. XVII. Controversia de Investituris composita est in concilio Lateranensi I, œcumenico IX. Imperator Investituras episcopatuum et abbatiarum per baculum et annulum dimisit, et canonicas electiones liberè fieri permisit. Ecclesia concessit ut electiones præsente imperatore fierent, et si quæ oriretur discordia, ipse saniori parti assensum auxiliumque præberet, metropolitani et comprovincialium judicio vel consilio; electus verò regalia ab ejus majestate per sceptrum acciperet. 894
Nota. 898
Art. XVIII. De canonibus concilii Lateran. primi. 899
DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA. (Auctore Reiffenstuel.) 903-904
Distinctio prima. De Immunitate ecclesiasticâ ut sic, ejusque speciebus. *Ibid.*
Quæstio prima. Quid et quotuplex sit Immunitas ecclesiastica, et quo jure constituta. *Ibid.*
Quæstio II. In quibus consistat immunitas localis, sive ecclesiarum. 906
Quæstio III. De immunitate reali et personali. 908
Distinctio secunda. De jure asylorum. 914
Quæstio prima. Quo jure, quibusve locis competat privilegium asyli. *Ibid.*
Quæst. II. Quæ personæ gaudeant jure asyli ecclesiastici. 918
Quæst. II. Quæ crimina non gaudeant Immunitate ecclesiasticâ. 922
Quæst. IV. De commodis Immunitatis ecclesiasticæ, pœnisque eam violantium, ac modo extrahendi reos criminum exceptorum. 928
PAUWELS vita. 933-934
Tractatus theologicus DE CASIBUS RESERVATIS. 935-936
Prolegomena. De antiquitate, fine, naturâ reservationis, ac regulis necessariis pro genuino materiæ præsentis intellectu. *Ibid.*
Prolegomenon primum. *Ibid.*
Proleg. II. 940
Proleg. III. 955
Proleg. IV. 960
Proleg. V. 962
Proleg. VI. 965
Proleg. VII. 971
Proleg. VIII. 982
Proleg. IX. 983
Proleg. X. 985
Caput primum. De abortu. 987
§ 1. — Quæstio præliminaris prima. Quid abortus, et quomodò procuretur. *Ibid.*
Quæst. II. Qualiter peccetur abortu. 988
Quæst. III. Quid de abortu statuerit Sixtus V. 989
Quæst. IV. Quid de abortu statuerit Gregorius XIV. 990
Quæst. V. Quis censeatur presbyter specialiter deputatus. 991
Quæst. VI. Quando animetur fœtus. 993
§ 2. Tenor præsentis casûs, quo exprimitur in novem diœcesibus nominatis. 996
§ 3. Reflexiones in tenoris diversitatem. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 997
§ 5. Objectiones solutæ. 1000
Cap. II. De abusu S. Eucharistiæ. 1003
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quale peccatum sit abusus S. Eucharistiæ, SS. reliquiarum, aut S. Scripturæ. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1004
§ 3. Reflexiones. 1005
§ 4. Corollaria. 1006
Cap. III. De adulterio. 1009
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid adulterium, et quale peccatum. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1011
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1016
§ 5. Objectiones solutæ. 1019
Cap. IV. De apostasiâ. 1020
§ 1. — Quæstio præliminaris prima. Quid, quotuplex et quale peccatum apostasia. *Ibid.*
Quæst. II. Quas pœnas canonicas inducat apostasia. 1025
§ 2. Tenor casûs. 1027
§ 3. Reflexiones. 1028
§ 4. Corollaria. 1030
§ V. Objectiones solutæ. 1031
Cap. 5. De blasphemiâ. 1033
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid, quotuplex et quale peccatum blasphemia. 1035
Quæst. II. — An, quandonam et qualiter peccent, qui habent consuetudinem blasphemandi, incautè jurandi, etc. 1039
Quæst. III. An blasphemia, perjurium et similia in

ebrietate commissa, sint reservata. 1040
§ 2. Tenor casûs. 1045
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1047
§ 5. Objectiones solutæ. 1048
Cap. VI. De contumeliâ in S. Eucharistiam. 1050
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid contumelia, et quale peccatum. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1052
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1054
Cap. VII. De falsitate circa litteras. 1055
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid falsitas, crimen falsi, et quomodò committantur. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1056
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1058
Cap. VIII. De falsitate circa monetam. 1060
§ 1. Quæstio præliminaris. Quid moneta, et quæ ad ejus veritatem requirantur. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1062
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1064
§ 5. Objectiones solutæ. 1065
Cap. IX. De hæresi. *Ibid.*
§ 1. — Quæstio prima. Quid hæresis, et quale peccatum. 1066
Quæst. II. An dubium de fide sit hæresis. 1068
Quæst. III. An ignorantia consistat cum hæresi. 1069
§ 2. Tenor casus. 1073
§ 3. Reflexiones. 1074
§ 4. Corollaria. 1075
Cap. X. De homicidio. 1077
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid homicidium, et quotuplex. 1078
Quæst. II. Quid duellum, quotuplex et qualiter prohibitum. 1079
§ 2. Tenor casûs. 1081
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1084
§ 5. Objectiones solutæ. *Ibid.*
Cap. XI. De incendio. 1086
§ 1. — Quæstio præliminaris prima. An incendium jure scripto episcopis reservatum sit. *Ibid.*
Quæst. II. An incendiarii incurrant excommunicationem, eamque Pontifici reservatam. 1089
§ 2. Tenor casûs. 1091
§ 3. Reflexiones. 1092
§ 4. Corollaria. 1094
Cap. XII. De incestu. 1095
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid incestus, et quale peccatum. *Ibid.*
Quæst. II. Quid consanguinitas, et quousque dirimat matrimonium. 1037
Quæstio III. Quid affinitas, et quousque dirimat matrimonium. 1098
Quæst. IV. An impuberes teneantur lege reservationis. 1100
§ 2. Tenor casûs. 1103
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1104
§ 5. Objectiones solutæ. 1106
Cap. XIII. De labaismo. 1107
§ 1 — Quæstio prælimınaris. Quid labaismus, et quale peccatum. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1109
§ 3. Reflexiones. 1110
§ 4. Corollaria. 1111
§ 5. Objectiones solutæ. 1112
Cap. XIV. De machinatione in mortem conjugis. 1116
§ 1. — Quæstio prælimınaris. Quid machinatio, et quandonam dirimat matrimonium. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1117
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Objectiones solutæ. 1118
Cap. XV. De magiâ diabolicâ. 1119
§ 1. — Quæstio prælimınaris. Quid magia, maleficium, veneficium, sortilegium, incantatio, ligatura. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1115
§ 3. Reflexiones. 1126
§ 4. Corollaria. 1129
Cap. XVI. De matrimonio post votum castitatis. 1130
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Qualiter peccet, et ad quid teneatur qui contrahit matrimonium post emissum votum simplex castitatis. *Ibid.*
Quæst. II. Quid sit et quale peccatum, contrahere matrimonium in gradibus prohibitis. 1133
Quæst. III. Qualis requiratur notitia de morte prioris conjugis ad licitè ineundum secundas nuptias. 1134
§ 2. Tenor casûs. 1135
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1136
Cap. XVII. De peccato complicis. 1138
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid sit peccatum complicis. *Ibid.*
Quæst. II. An et quando denuntiandus sit confessarius ad venerem sollicitans. *Ibid.*
Quæst. III. Cui et quomodò prædicta denuntiatio facienda. 1140
§ 2. Tenor casûs. 1141
§ 3. Reflexiones. 1142
§ 4. Corollaria. 1147
Cap. XVIII. De peccatis cum excommunicatione majori. 1148
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid excommunicatio et quotuplex ? *Ibid.*
Quæst. II. Quis possit absolvere à censurâ excommunicationis. 1149
§ 2. Tenor casûs. 1151
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1153
Cap. XIX. De peccatis mandantium et consulentium, etc. 1154
§ 1. — Quæstio prælimınaris. An et quandonam mandans aut consulens delictum, incurrat censuram aut reservationem. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1156
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1159
Cap. XX. De percussione parentum. 1158
§ 1. — Quæstio prælimınaris. Quæ obligatio filiorum in parentes. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1160
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1163
§ 5. Objectiones solutæ. 1164
Cap. XXI. De perjurio. 1166
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid juramentum et quotuplex, ac qui ejus comites. 1166
§ 2. Tenor casûs. 1175
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1176
§ 5. Objectiones solutæ. 1178
Cap. XXII. De prolis oppressione. 1180
§ 1. — Quæstio prælimınaris. Quæ obligatio parentum in filios. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1181
§ 3. Reflexiones. 1182
§ 4. Corollaria. 1185
Cap. XXIII. De raptu. 1186
§ 1. — Quæstio prælimınaris prima. Quid, quotuplex et quale peccatum raptus. *Ibid.*
Quæst II. An ad raptum reservatum, in quantum est species luxuriæ, requiratur libido in effectu. 1189
Quæst III. Cui debeat inferri violentia, ut propriè censeatur raptus. 1190
§ 2. Tenor casûs. 1192
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1194
§ 5. Objectiones solutæ. 1195
Cap. XXIV. De stupro 1197

§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid stuprum et quale peccatum. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1199
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1200
Cap. XXV. De simoniâ. 1201
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid, quotuplex et quale peccatum simonia. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1204
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1206
Cap. XXVI. De sodomiâ. 1208
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid sodomia, et quale peccatum. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1211
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1212
Cap. XXVII. De violatione libertatis ecclesiasticæ. 1213
§ 1. — Quæstio præliminaris. Quid immunitas ecclesiastica. *Ibid.*
§ 2. Tenor casûs. 1216
§ 3. Reflexiones. *Ibid.*
§ 4. Corollaria. 1218
Josephi Pauwels Tractatûs theologici de casibus reservatis tomus II. 1219-1220
Præfatio. *Ibid.*
Pars prima. De reservatis regularium. 1221-1222
Quæstio præliminaris. An et quos casus reservare possint regularium superiores. *Ibid.*
§ I. De primi decreti paragrapho. 1225
Dubium primum. An undecim casus hoc paragrapho memoratos superior regularis reservare possit sine consensu ac discussione capituli. *Ibid.*
Dub. II. An casus Clementinos non solùm possit, verùm etiam debeat reservare superior. 1226
Dub. III. Quinam ex regularium superioribus prædictos casus reservare possint. *Ibid.*
Dub. IV. An Clemens VIII præsenti decreto casset ac revocet casus antiquos per regulam aut constitutiones in religionibus antea reservatos. 1227
Dub. V. An facultas competens provinciali in casus Clementinos sine consensu capituli, et aliud peccatum grave de consensu capituli, restringi seu limitari possit per generalem. 1228
Dub. VI. An eosdem undecim casus prælati regulares reservare pariter possint respectu monialium sibi subjectarum. 1229
Dub. VII. An reservatio prælati regularis cesset cum reservantis officio. *Ibid.*
Dub. VIII. An novitii teneantur reservatione superiorum regularium. *Ibid.*
Articulus primus. De primo casu Clementino. 1233
Dubium primum. An sub tribus speciebus hoc casu nominatum expressis contineatur omnis actus superstitionis. *Ibid.*
Dub. II. An veneficium, incantatio, sortilegium specie distinguantur. 1234
Dub. III. Quid sit veneficium. 1235
Dub. IV. Quid incantatio. 1236
Dub. V. Quid sortilegium. 1237
Art. II. De secundo casu Clementino. *Ibid.*
Dubium primum. An animus in perpetuum deserendi statum religiosum, sit essentialis apostasiæ rigorosè sumptæ. *Ibid.*
Dub. II. Quousque septa monasterii deseruisse debeat religiosus, ut censeatur apostata. 1240
Art. III. De casu tertio Clementino. 1242
Dubium primum. An reservetur egressio nocturna et furtiva copulatim, an copulativè. 1243
Dub. II. An reservetur hoc loco egressio nocturna et furtiva, animo apostatandi facta. *Ibid.*
Dub. III. Quænam censeatur egressio nocturna. *Ibid.*
Dub. IV. Quænam censeatur egressio furtiva. 1245
Dub. V. Quid intelligatur nomine monasterii seu conventûs. 1247
Dub. VI. Quousque debeat processisse religiosus, ut censeatur egressus è monasterio seu conventu. 1249
Dub. VII. An egressus furtivus et nocturnus possit venialis esse ex parvitate materiæ. 1251
Dub. VIII. An in casum præsentem incidat religiosus, qui titulo iniqui gravaminis fugit è monasterio, inscio vel invito superiore. 1252
Art. IV. De casu quarto Clementino. 1253
Dubium primum. Quale peccatum sit proprietas religiosi. *Ibid.*
Dub. II. In quibus potissimùm actionibus consistat vitium proprietatis. 1254
Dub. III. An ad veram proprietatem requiratur ut exerceatur occultè. 1260
Dub. IV. Qualis requiratur licentia superioris ad eximendum religiosum à peccato proprietatis. *Ibid.*
Dub. V. Deturne proprietas venialis ex parvitate materiæ. 1276
Dub. VI. Quænam requiratur quantitas ad mortalem proprietatem. 1278
Dub. VII. An pluries repetitæ minutæ acceptiones crescant in mortalem proprietatem. 1281
Dub. VIII. Quæ sit pœna proprietatis. 1283
Art. V. De casu quinto. 1284
Dubium primum. Quid sit juramentum falsum. *Ibid.*
Dub. II. Quid judicium. 1287
Dub. III. Quid judicium regulare. 1292
Dub. IV. Quid judicium legitimum. 1293
Art. VI. De casu sexto. 1296
Dubium primum. Qui et quandonam hunc casum incurrant. *Ibid.*
Dub. II. An consulens abortum, nondùm animato fœtu, incurrat reservationem, si abortus procuretur fœtu jam animato. 1298
Dub. III. An sufficiat abortus casualis. 1299
Dub. IV. An mandans vel consulens incurrat casum, mandato vel consilio inefficaci. 1300
Dub. V. Quid si sit dubium de influxu. 1302
Dub. VI. An mandans vel consulens reservatione teneatur, si non sit causa sine quâ non. *Ibid.*
Dub. VII. Quid si mandatum aut consilium revocetur. 1303
Dub. VIII. Quid si sit dubia animatio fœtûs. 1304
Dub. IX. An facultas absolvendi à casibus et censuris, concedi solita in jubilæis, extendatur ad abortum. 1306
Dub. X. Quis possit absolvere à delicto et censurâ abortûs. *Ibid.*
Art. VII. De casu septimo. 1307
Dubium primum. Quid falsificatio manûs. *Ibid.*
Dub. II. Quid intelligatur per sigillum. 1309
Dub. III. Qui censeantur monasterii officiales. 1310
Dub. IV. An censeatur falsificare manum vel sigillum, qui intercipit, detinet, lacerat, comburit litteras vel manum officialis. 1311
Dub. V. An requiratur physicus et personalis influxus in falsitatem. 1312
Dub. VI. An sufficiat falsificatio sine usu. 1313
Dub. VII. An quarumlibet litterarum falsitas reservationi subjaceat. 1314
Dub. VIII. An sufficiat quælibet minutissima immutatio. 1315
Dub. IX. An subditus litteras præsentatorias, obedientiales et similes, omissas vel amissas reformare possit sine crimine falsi. *Ibid.*
Dub. X. Quid si quis falsaret manum vel sigillum officialis alterius monasterii. 1316
Art. VIII. De casu octavo. 1317
Dubium primum. An et quomodò casus Clementinus octavus distinguatur à quarto. *Ibid.*
Dub. II. Quid furtum, et quale peccatum. 1319
Dub. III. Quid intelligatur per res monasterii seu conventûs. 1321
Dub. IV. Quid de rapinâ rerum monasticarum seu conventualium. 1322
Dub. V. An rei notabilis furtim ablatæ detentor peccet continuo peccato reservato, donec restituat. 1323

Dub. vi. Quæ requiratur quantitas ut furtum sit mortale peccatum. 1324
Dub. vii. An, si unus uno acto, vel ab uno, vel à pluribus auferat notabilem quantitatem, peccet semel, an pluries. 1325
Dub. viii. An idem dicendum si furtum contineat plures partes specie diversas. 1327
Dub. ix. Quid dicendum si unus ab uno furtis minutis successivè auferat notabilem quantitatem rei permanentis. 1328
Dub. x. Quid si unus rem notabilem permanentem, furtis minutis successivè auferat à diversis. 1330
Dub. xi. Quid si plures seu successivè, auferant ab eodem materiam, singuli quidem pro suâ parte levem, at omnes simul gravem. 1331
Dub. xii. Quid de esculentis et potulentis. *Ibid.*
Art. IX. De casu nono. 1332
Dubium primum. Quid lapsus carnis. *Ibid.*
Dub. ii. Quando voluntarius. *Ibid.*
Dub. iii. Quando opere consummatus. 1333
Dub. iv. An lapsu carnis contineatur pollutio. *Ibid.*
Dub. v. An requiratur pollutionem actu exteriori procuratam esse, an autem sufficiat quòd per intensam cogitationem venereorum accidat. 1337
Dub. vi. Quid si pollutio voluntaria quidem sit, sed in causâ exteriori, mortaliter non peccaminosâ in genere luxuriæ. 1338
Dub. vii. Quid de pollutione alteri procuratâ. 1339
Dub. viii. An casu Clementino contineatur voluntaria distillatio. *Ibid.*
Art. X. De casu decimo. 1340
Dubium primum. Quid occisio, et quando reservabilis. *Ibid.*
Dub. ii. Quid vulneratio, et quando reservabilis. 1341
Dub. iii. Quid percussio, et quando reservabilis. *Ibid.*
Dub. iv. An occidens, vulnerans et percutiens semetipsum, incurrat casum reservatum. 1343
Dub. v. Quibus potissimùm casibus percussor monachi aut clerici censuram canonis non incurrat. 1344
Art. XI. De casu undecimo. 1345
Dubium primum. Quid sit malitiosum impedimentum. 1345
Dub. ii. Quid retardatio. 1346
Dub. iii. Quid apertio litterarum. 1347
Dub. iv. Quid intelligatur per superiores et inferiores. *Ibid.*
Dub. v. An sufficiat impedire, tardare, aperire quaslibet litteras superioris ad inferiorem, et è converso. *Ibid.*
Dub. vi. An sufficiat fraudulenter legere. 1348
Dub. vii. An sufficiat apertio sine lecturâ. *Ibid.*
Dub. viii. An casum incurreret, qui litteras superioris impediret, etc., quando ex iisdem probabiliter sibi timeret injustum gravamen. 1349
Art. XII. De cæteris peccatis quæ reservari possunt. *Ibid.*
Dubium primum. An facultas reservandi aliud peccatum grave, mediante consensu ac discussione capituli, non sit deinceps revocata. *Ibid.*
Dub. ii. Quid intelligatur per discussionem et consensum capituli. 1350
Dub. iii. An potestas reservandi casum supernumerarium (propriè loquendo) pertineat ad capitulum. 1351
Dub. iv. An capitulum generale vel provinciale possit prælato regulari facere potestatem reservandi casus, non obstante decreto Clementino. *Ibid.*
Dub. v. An casûs supernumerarii reservatio possit fieri ex consensu capituli generalis pro unâ provinciâ, aut provincialis pro uno conventu. 1352
Dub. vi. An de consensu capituli reservari possint casus alii, non solùm à Clementinis omninò disparati, verùm etiam pertinentes ad materiam casuum decreto expressorum. 1353
Dub. vii. An si capitulum consentiat in reservationem peccati certi, possit prælatus reservare dubium. 1354
Dub. viii. An prælati religiosorum, etsi non possint alios casus præter consensum capituli generalis aut provincialis reservare, saltem possint aliquibus confessariis negare facultatem absolvendi ab aliis certis peccatis, modò unum aut alterum confessarium deputent, cui dent absolvendi potestatem. *Ibid.*
§ II. De secundo decreti paragrapho. 1355
Dubium primum. Quid intelligatur per superiores. *Ibid.*
Dub. ii. An superior absolvere possit à solis reservatis, remisso pro reliquis subdito ad confessarium inferiorem. *Ibid.*
Dub. iii. An superior, à subdito spontè et proprio motu requisitus, teneatur audire ejus confessionem. 1357
Dub. iv. Qualiter peccet superior, audiens confessionem subditi, qui neque peccatum reservatum habeat, neque id spontè aut proprio motu petierit. *Ibid.*
Dub. v. An absolutio in casu sit invalida. *Ibid.*
Dub. vi. Quandonam censeatur subditus spontè ac proprio motu rogare superiorem ut suam confessionem audiat. *Ibid.*
§ III. De tertio decreti paragrapho. 1358
Dubium primum. An constitutio Clementina quoad hunc paragraphum sit usu recepta in religionibus et provinciis omnibus. *Ibid.*
Dub. ii. Quinam superiores deputare confessarios possint ad mentem Pontificis. 1359
Dub. iii. An singulis religiosis liberum sit eligere quemlibet ex deputatis. *Ibid.*
Dub. iv. An superior, deputato confessario potestatem faciens pro unâ vice in reservata intelligatur non solùm de præteritis, verùm etiam de futuris. 1360
Dub. v. Quo pacto intelligenda sit clausula *Pro hâc vice*, quando facultas absolvendi à reservatis cum hâc restrictione conceditur. 1362
Dub. vi. An qui pro uno subdito et unâ vice, superioris auctoritatem petit et acquirit, possit à reservatis absolvi ipse. 1366
Dub. vii. An potestas in reservatum concessa confessario deputato, extendatur pariter ad censuram, eidem peccato connexam. 1367
Dub. viii. An reservatio particularium prælatorum afficiat peregrinos. 1368
§ IV. De quarto decreti paragrapho. *Ibid.*
Dubium primum. Quis usus notitiæ sacramentalis, quibus, quando et qualiter interdicatur. *Ibid.*
Dub. ii. An sigillo teneantur superiores pro tempore existentes, à quibus extra confessionem petitur licentia pro reservatis. 1370
Dub. iii. An liceant superiori regularium, occasione confessionis, actiones non ingratæ pœnitenti, secluso revelationis periculo. *Ibid.*
Dub. iv. An occasione confessionis liceant superiori actiones pertinentes ad justitiam vindicativam. 1371
Dub. v. An occasione confessionis liceant superiori actiones spectantes ad justitiam distributivam. 1372
Dub. vi. An superior notitiâ sacramentali uti possit ad suî directionem. 1373
§ V. De quinto decreti paragrapho. 1374
Dubium primum. Quinam superiores pœnitentias à confessariis imponendas determinare possint. 1375
Dub. ii. Quibusnam peccatis pœnitentiam superior prædeterminare possit. *Ibid.*
Dub. iii. Cujusmodi pœnitentia esse debeat, quam sic determinet superior. 1376
Dub. iv. Quo pacto prædicta pœnitentia determinari debeat. *Ibid.*
Dub. v. An possit superior auctoritatem suam concedere inferiori sub conditione hujus vel illius pœnitentiæ. 1377
Dub. vi. An superiores, sicut se solis possunt taxare

pœnitentias, sic etiam possint ferre censuras, easque sibi reservare. 1378
De Appendice decreti. 1382
Dubium primum. An, per se loquendo, superior petitam licentiam pro reservatis semper valide negare possit. *Ibid.*
Dub. II. Quandonam et qualiter peccet superior, negando subdito licentiam pro reservato. 1384
Dub. III. An aliquando superior licentiam pro reservatis postulatam licitè negare possit. 1385
Dub. IV. An ut possit inferior validè absolvere à reservatis, sufficiat licentia superioris præsumpta, seu ratihabitio de futuro. 1386
Dub. V. Quinam regularium confessarii absolvere possint à reservatis, non obtentâ superioris facultate. 1387
Dub. VI. An confessario deputato nunquàm possit superior negare potestatem in reservata, quin sua Sanctitas suppleat. 1389
Dub. VII. Quandonam confessarius, repulsam passus à superiore, possit absolvere à reservatis auctoritate pontificiâ. 1390
Dub. VIII. Quid significetur per particulam, *illâ vice*, quam in decreti appendice usurpat Pontifex. 1391
Dub. IX. Qualiter se debeat gerere confessarius in postulandâ et exercendâ potestate in reservata. 1392
PARS SECUNDA. DE RESERVATIS PONTIFICIIS, seu de excommunicationibus Pontifici Romano reservatis. 1393-1394
PRÆFATIO. *Ibid.*
Caput primum. De excommunicationis nomine, naturâ, divisione, causâ efficiente, materiali, formali, finali, impedimentis, denuntiatione, effectibus et absolutione. 1397
§ 1. De nomine excommunicationis. *Ibid.*
§ 2. De naturâ excommunicationis. 1400
§ 3. De divisione excommunicationis. 1402
§ 4. De causâ efficiente excommunicationis. 1404
§ 5. De causâ materiali excommunicationis. 1406
§ 6. De causâ formali excommunicationis. 1411
§ 7. De causâ finali excommunicationis. 1414
§ 8. De impedimentis excommunicationis. 1415
§ 9. De denuntiatione excommunicationis. 1423
§ 10. De effectibus excommunicationis generatim. 1426
§ 11. De effectibus excommunicationis speciatim, signanter primo. 1429
§ 12. De secundo effectu excommunicationis. 1433
§ 13. De tertio effectu excommunicationis. 1436
§ 14. De quarto effectu excommunicationis. 1440
§ 15. De quinto effectu excommunicationis. 1441
§ 16. De sexto effectu excommunicationis. 1447
§ 17. De septimo effectu excommunicationis. 1450
§ 18. De octavo effectu excommunicationis. 1453
§ 19. De nono effectu excommunicationis. 1457
§ 20. De decimo effectu excommunicationis. 1458
§ 21. De undecimo effectu excommunicationis. 1461
§ 22. De duodecimo effectu excommunicationis. 1466
§ 23. De decimo tertio effectu excommunicationis. 1475
§ 24. De effectibus excommunicationis minoris. *Ibid.*
§ 25. De absolutione excommunicationis. 1478
Cap. II. De excommunicationibus Pontifici reservatis in Decreto juris. 1487
§ unicus. Ad can. *Si quis suadente*, 17, q. 4. *Ibid.*
Cap. III. De excommunicationibus Pontifici reservatis in Decretalibus. 1499
§ 1. Ad cap. *Quærenti*, de Offic. et Potest. judic. deleg. *Ibid.*
§ 2. Ad cap. *Dura*, de crimine falsi. 1500
§ 3. Ad cap. *Ad falsariorum*, eodem titulo. 1501
§ 4. Ad cap. *Significavit*, De sentent. excommunic. *Ibid.*
§ 5. Ad cap. *Tua nos*, eodem titulo. 1502
§ 6. Ad cap. *Conquesti*, eodem titulo. 150
§ 7. Ad cap. *Nuper*, eodem titulo. *Ibid.*
Cap. IV. De excommunicationibus Pontifici reservatis in libro sexto Decretalium 1507
§ 1. Ad cap. *Fundamenta*, de Elect., in 6. *Ibid*
§ 2. Ad cap. *Clericis*, de Immun. eccles., eod. lib. 1508
§ 3. Ad cap. *Felicis*, de Pœnis, eodem lib. *Ibid.*
§ 4. Ad cap. *Quicumque*, de Sentent. excommunic., eod. lib. 1509
§ 5. Ad cap. *Eos qui*, eodem titulo et libro. 1510
Cap. V. De excommunicationibus Pontifici reservatis in Clementinis. 1515
§ 1. Ad Clementinam 1, § *Verùm*, de Hæreticis. *Ibid.*
§ 2. Ad Clementinam *Religiosi*, de Privilegiis. 1516
§ 3. Ad Clementinam *Si quis suadente*, de Pœnis. 1523
§ 4. Ad Clementinam *Cupientes*, § *Sanè*, eod. tit. *Ibid.*
§ 5. Ad Clementinam *Gravis*, de Sent. excommun. 1525
Cap. VI. De excommunicationibus Pontifici reservatis in Extravagantibus. 1529
§ 1. Ad Extravagantem *Salvator*, de Prædendis. *Ibid.*
§ 2. Ad Extrav. *Detestandæ*, de Sepulturis. *Ibid.*
§ 3. Ad Extrav. *Viam ambitiosæ*, de Regularibus. 1530
§ 4. Ad Extrav. *Ad nostrum*, eod. tit. 1532
§ 5. Ad Extrav. *Grave nimis*, de Reliquiis et Venerat. sanctorum. *Ibid.*
§ 6. Ad Extrav. *Sanè*, de Simoniâ. 1537
§ 7. Ad Extrav. *Cùm detestabile*, eod. tit. 1547
§ 8. Ad Extrav. *Etsi dominici*, 2, de Pœnit. et Remiss. 1551
§ 9. Ad Extrav. *Excommunicamus*, de Sentent. excommun. *Ibid.*
§ 10. Ad Extrav. *Prodiens*, de Crimine falsi. 1553
Cap. VII. De excommunicationibus Pontifici reservatis in bullâ *Cœnæ*. 1554
§ 1. De bullâ *Cœnæ*, ejus nomine, origine, materiâ, partibus. *Ibid.*
§ 2. De primâ bullæ *Cœnæ* excommunicatione. 1556
§ 3. De excommunicatione secundâ. 1562
§ 4 De quartâ excommunicatione. 1564
§ 5. De quintâ excommunicatione. 1566
§ 6. De sextâ excommunicatione. 1568
Cap. VIII. De excommunicationibus Pontifici reservatis post decretum Clementis VIII, editum 26 novemb. 1602. 1569
§ 1. De Clementini decreti tenore et sensu. *Ibid.*
§ 2. De violatione Immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis felic. record. Gregorii XIV, quæ incipit : *Cùm aliàs nonnulli*. 1572
§ 3. De violatione clausuræ monialium ad malum finem. 1575
§ 4. De provocatione et bullâ in duello, juxta decretum sacri concilii Tridentini et constitutionem felicis recordationis Gregorii XIII, quæ incipit : *Ad tollendum*. 1585
§ 5. De Simoniâ confidentiæ beneficialis. 1590
Appendix ad cap. 1, § 1, n. 139. 1594
Appendix altera ad idem cap., § 13, n. 129. 1602
Index rerum. 1603-1604

FINIS TOMI DECIMI OCTAVI THEOLOGIÆ.

Ex typis Migne, au Petit-Montrouge.

230.8
M588
1844
Migne, J.P. (Editor)
AUTHOR
Theologiae Cursus Completus
TITLE
Vol. XVIII
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
ROOM NUMBER
1844